Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI

OPERVM

TOM. I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 9a
Estante 3o
Plúteo 6.

29,6

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS MONASTERII TVITIENSIS, ORDINIS D. BENEDICTI, VIRI VNDEQVAQVE DOCTISSIMI, SVMMIQVE INTER VETERES THEOLOGI,

OPERA OMNIA.

NVNC RECENS IN VNVM CORPVS COLLECTA, DILIGENTER RECOGNITA, & à quàm plurimis mendis vindicata: diuisa in tres tomos, quorum quid singuli contineant, vide pagina sequente.

Additis Indicibus quàm locupletissimis.

C. del Coll. R.l de Loyola in libreria.



614-5

COLONIAE AGRIPPINAE,
APVD HAEREDES ARNOLDI BIRCKMANNI,
ANNO SALVTIS cIↃ. IↃ. LXXVII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæsa. Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CATALOGVS OPE-
RVM, QVAE SINGVLIS TO-
MIS CONTINENTVR.

PRIMO.

Commentariorum de operibus Sanctæ Trinitatis libri quadraginta duo, videlicet:

In Geneſim	Libri	IX.	In Eſaiam	Libri	II.
Exodum	Libr.	IIII.	Hieremiam & threnos	Lib.	I.
Leuiticum	Lib.	II.	In Ezechielem	Lib.	II.
Numeros	Libr.	II.	Danielem	Lib.	I.
Deuteronomium.		II.	adiũctis Aggæo, Zacharia & Malachia.		
Ioſuam	Lib.	I.	In volumen quatuor Euangeli-		
Iudicum libros,	Lib.	I.	ſtarum	Lib.	I.
Libr. Regum	Lib.	V.	De operibus Spiritus		
adiunctis Pſalmis.			Sancti	Libri.	IX.

SECVNDO.

Commentariorum in XII. Prophetas minores Lib. XXXII.
Commentariorum in Cantica Canticorum, de incarnatione Domini, Libri XXXII.
De victoria verbi Dei, Libri tredecim.
De diuinis officijs Libri duodecim.

TERTIO.

In Matthæum de gloria & honore Filij hominis Libri XIII.
De glorificatione Trinitatis & proceſſione Spiritus Sãcti Libri IX.
Commentariorum in Euangelium Ioannis Libri XIII.
Commentariorum in Apocalypſim Libri duodecim.

BIBLIOTECA DE LA COMPAÑIA DE JESUS

D. RVPERTI ABBATIS
TVITIENSIS VITA, AVTHORE IOHANNE TRITENHEMIO.

RVPERTVS Abbas Tuitienſis Cœnobij, iuxta Coloniam Agrippinam, ordinis S. Benedicti, natione Theutonicus, vir in diuinis Scripturis Spiritu ſancto per viſionem illuſtrante doctiſſimus, & ſecularium literarum non ignarus, Monachus ſancti Laurentij Traiectenſis, propter incredibilem eruditionem ſuam à Friderico Coloniẽſi Archiepiſcopo inde aſſumptus, & in Abbatẽ Tuitienſis monaſterij ſublimatus, multa præclara opuſcula compoſuit. Ex eo ſiquidem tempore, quo cœnobium in iuuentute ſua ingreſſus eſt, tantùm ſe Scripturis ſanctis exercitauerat, vt nec dormiens quidem à meditandis illis videretur poſſe quieſcere, quin lingua & labia eius, quaſi legendo moueretur. De cuius opuſculis, ego tãtùm ad præſẽs reperi ſubiecta.

Ad Cunonem Abbatem Sigebergenſem, poſteà Epiſcopum Ratiſponenſem:

De victoria verbi dei.	Lib. XIII.	Nuper cùm tu hoſpes op.
In Geneſim.	Lib. IX.	Quicunq; fideli animę dum.
In Cantica Canticorum.	Lib. VII.	Qui contra hominem ſimilem.
In librum ſancti Iob.	Lib. X.	In libros Regum de Dauid. Lib. XV.
De ſancta Trinitate in vetus teſta.	Lib. XLII.	
In Apocalypſim Ioannis	Lib. XII.	Vt, tu quoque, ô venerabi.
De officijs diuinis.	Lib. XII.	Ea quæ per anni circulum.
Meditationes de incendio Tuitien.	Lib. III.	Ecce quomodo criminator.
In duodecim Prophetas minores.	Lib. XXX.	In Euangelium Matth. Lib. VIII.
In Euangelium Ioannis.	Lib. XIIII.	Super Regulã S. Benedicti. Lib. I.
Apologeticum eiuſdem operis.	Lib. I.	Epiſtolarum ad diuerſos. Lib. I.

Denique fertur & alia plura ſcripſiſſe, & nouum & vetus Teſtamentum, pro maiori parte, in multis libris explanaſſe: de quibus vſque in præſens nihil vidimus præter ea, quæ ſignauimus. Claruit multa ſanctitate, doctrina & miraculis coruſcans, ſub Henrico V. Anno domini, M. CXXIIII. Et ſub Lothario tertio moritur.

COMPAÑIA DE JESUS BIBLIOTECA

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS AD CVNONEM ABBATEM *Sigebergensem.*

Matt. 26. QVICVNQVE fideli animæ, dum verbo incarnato quodlibet impendit officium pietatis nō indignandū esse, censet eiusdem verbi authoritas, tam vera quàm mansueta, cùm dicit: Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est in me. Nā semper pauperes, inquit, habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Nunquid enim, quia dixit, me autem non semper habebitis, & hoc dicto in cælum abijt, idcirco iam caput & pedes eius vnguento pretioso nemo vngit? At tu idē, cuius magnitudinis non est finis, cuius cælū sedes, cuius scabellum pedū terra est, eodem ore tuo dixisti: Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi. Ergo quodam quidem modo me autem, inquit, non semper habebitis, scilicet præsentia corporea, præsentia visibili: quodam autem modo vobiscum sum, ait, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, videlicet incircunscriptæ diuinitatis præsentia incorporea, præsentia inuisibili. Constat autem, quòd ea quæ tūc circa corporeā visibilem q; illam præsentiam gesta sunt, eorum quæ sub ista incorporea & inuisibili præsentia gerenda erant, præsignatiua fuerint. Mulier videlicet quæ fuerat peccatrix, dum pretiosum effunderet vnguentum super caput, & super pedes quoque, vt Ioannes refert, ipsius recumbē tis, in domo pharisæi, Ecclesiam de gentibus præsignabat, quę nunc illud spiritualiter agit, ad missa in illam domum Iudaici populi, de qua Apostol. ait. Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamētum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quib. Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, amen. Illuc, inquam, admissa, ita vt idem Apostolus dicat: Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici dei, famatum hoc pietatis officium domino Iesu Christo spiritualiter impendit. Et aliter quidem in actiua, aliter aūt in contemplatiua vita. Nam in actiua vita, pedes tantùm vngit, dum pauperibus vel egenis pro nomine eius, cuius tanquam capitis membra infima sunt, corporalibus ministrat subsidijs. In contemplatiua verò caput & pedes eius gratiosius vngit, dum de fideli sanctarum radice, siue medulla scripturarum, pium conficiēs sermonem suauiter tractat, quantum potest, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Itemque, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Cùm igitur tale quid facimus, ne indignentur discipuli domini, memores quia ipse dixit: Sinite illam. Quid illi molesti estis? Quod habuit hoc fecit, præuenit corpus meum vngere in sepulturam. Defensa est illo defensore, qui cor eius melius nouerat, fecitque securior de suo quod sibi complacuerat, expendit vbi voluit, & in quo voluit, quod de suo emerat. Quantò melius sic expendit, quàm si vendidisset Iudas, vt volebat trecentis denarijs fur loculorum domini? Nunc enim domus impleta est odore vnguenti, quia vbicunque prædicatur Euangelium, dicitur, & quod hæc fecit in memoriam eius, fœtor autem furti & inuidiæ illius in æternū nondelebitur. Nosti hæc pater mi Cuno Abba venerabilis & venerabiliū studiosissime literarum, quòd eo maius est, monachicæ columna religionis, qui in monte Sigebergensi, ad memoriam sancti archangeli Michaelis, iam ecce annum ab ordinatione tua agens duodecimum (qui est ab incarnatione domini millesimus centesimus septimus decimus, cum indictione decima) Christo fideliter obsequendo, bono hactenus imples odore domum domini. Nosti, inquam, hæc, nisi quia tu, imò per te Christus præsidio affuit, nimirum qui molesti fuēre huic operi, tantummodo dictis, fremuissent etiam in me factis. Quasi paxillus tu mihi factus es, fixus in loco fideli, in quo spei meę posset vasculum suspendi. Proinde actum est, credo, per prouidentiā Dei & patris (sine quo nec vnus passer in terram cadit) vt in notitiam venirem tuæ charitatis & fidei, vtq; postmodum migraturus ab hoc seculo pater meus, vir vitæ venerabilis & sapientiæ memorabilis, Berengarius Abbas sancti Laurentij, in publico monte Leodij tuæ committeret fidei, tanquam pupillum tutori. Solus enim is qui nunc successit ei, vir fidelis & prudens Heribrandus, qui & ipse literarum peritus pueritiæ meæ magister extitit, illuc vsque non posset mihi patrocinari, quo sicut scis inuidia peruenerat nominis mei. Recordabor ergo nunc clamoris mei, & somnij iure inter seria computandi, quoniam non dubito illud præsagium fuisse huius rei, quæ nunc accidit, quòd scilicet ille, quem iam dixi, moriturus in manu tua me dereliquit inimicitias sustinentem odientium me gratis. Recordabor, inquam, clamoris mei in nocturna visione, quando

Esa. 66.

Mat. vlt.

Ioan. 12.

Roma. 9.

Ephes. 2.

Vngere caput & pedes.

Defensores Ruperti.

Esaię 22.

Matt. 20.

quando clamabam sicut in responsorio cantare didiceram, clamorem illum magnū & nouissimum B. Dionysij Areopagitæ. Nunc iam domine per Coronam martyrij cum fratribus meis seruis tuis suscipe me. Cātabatur nescio quid de contrà, & circa me, in medio quasi magnę Ecclesiæ choris fortiter & altissimè perstrepentibus, & opprobria exprobrantium atq; contēdentium, quæ nunc ceciderunt super me, illa cantionis imago per contrarium vaticinabatur. Stabam interim taciturnus & mitis, quia coniunctus eram lateri, & manu in manum tenebar iā dicti Abbatis mei, cum ecce ille quasi alienę manui, manum meam indidit miro modo, quem vix eloqui possim, videlicet tāquam in chirothecam singulis digitis meis in singulos manus illius digitos immersis. Quid illa mihi manus, pater mi, nisi patrocinium significauit tuę charitatis? Ille enim rebus excesit humanis, & me, contra quem plurimi iam fuerant incitati, in manu tua, sicut tute scis, dereliquit. Cantabatur itaque (vt iam dixit) & multiplicante cantilenam turba, vocalis fragor inualescebat. Erupi tandem in vocem magnam, & altam, & mihi ipsi pro sua pulchritudine & cōpositione valde auditu mirabilē, omniū oculis in me conuersis decantans iam illud dictum responsorium B. Dionysij me manu deducēte, quam iam dixi, manum tuam figurante, vt nunc res ipsa probauit. Tua nanque post Deum ope maximè tutus, & fretus testimonio, ecce respondeo exprobrantibus mihi verbum. Et dum facis otium scribendi, authoritatem q; concedis superno muneri, quod mihi aspirasse spō te testaris, ad auditum publicum procedit hic opus, quod ante te cognitum incœperam ad gloriam, & honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Proposueram enim tripartitum hoc facere, ab initio primæ creationis vsque ad finem seculi, ita videlicet, vt primum ab ortu primæ lucis vsque ad lapsum primi hominis. Secundum ab eodem lapsu primi hominis vsque ad incarnationem vel passionem secundi hominis Iesu Christi filij dei. Tertium extunc vsque seculi consummationem, id est, generalem mortuorum resurrectionem eiusdē operis diuiduum sit. Et primū quidem Patris, secundum Filij, tertium, propriū est Spiritus sancti, Fecimus ergo de proprio patris opere, à prima creatione, id est, ab initio quo creauit Deus cęlum & terram, vsque ad id quod Adā de paradiso eiectus est, libros tres. Deinde de proprio filij opere, quo à iustitia vel morte Abel paulatim per figuras & visiones propheticas nobis appropinquans verbum domini, peruenit vsque ad susceptionem carnis, & mortem crucis, libros triginta. Deinde de proprio spiritus sancti opere, scilicet ab incarnatione eiusdem Christi filij dei viui, quem de spiritu sancto virgo concepit incorrupta, vsq; ad finem seculi, libros nouem, simul fiunt libri quadraginta duo.

Diuisiò huius operis.

Verba ergo ipsa quæ sunt huiusmodi: Nunc iam domine per coronam martyrij cum fratribus meis seruis tuis suscipe me, iuuant fateor, dulcemq; mihi faciunt hanc ollā spei meę, quia videlicet per coronam martyrij, idem est, ac si dicam per victoriam testimonij, licet magis testimonium perlatum vsq; ad effusionem sanguinis, & Græco nomine martyrium propter insigne significationis ad augendum appellari placuerit. Porrò testimonium veritati quicunque perhibent, certissimè ab ipsa sunt veritate coronandi, quæ cū ipsis fratribus meis, seruis suis, me suscipere & annumerare dignetur, testimonium sibi perhibentem voce & literis. Inter eos tibi & omnib. sit pars in isto, & omni bono & fideli sermone domini, per quos Christo suffragante animæ meæ, & quodammodo dicente: Bonum opus operata est in me, prævenit enim meū corpus vngere in sepulturam, videlicet non iam meam sed suam, licuit & vacauit mihi vtcunque & vbicunque cœptum opus triennio perficere, quod sancta Trinitas cui dicaui illud, dignetur in odorem suauitatis acceptum habere.

Corona martyrij.

EPISTOLAE FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RERVM ATQVE SEN-
TENTIARVM, QVAS IN HVIVS OPERIS VOLVMINE EST INVENIRE MAGIS MEMORABILES, INDEX COPIOSVS, ET ACCVRATE COLLECTVS.

AARON obitus signum fuit, quòd sacerdotium Iudæorũ finem fuerit habiturum. 362.b
Aaron & Moyses loquentes contra Pharaonem, quarum rerum imagines prætulerint 209.a
Aaron quot annorum fuerit, cùm locutus ad Pharaonem. 200.a
Aaron nominis interpretatio. 201.a
Aalma quid. 130.a
Aad quid. 158.b
Abel sacrificium confertur cũ sacrificio Christi. 69.b
Abel quid. 67.a
Abel vnigeniti filij dei primus testis extitit. 69.a
Abram quomodo mutatum, auctumq; sit nomen ex opinione Hebræorum. 105.a
Abram quid. 91.b
Abraham fide exiuit, imperante Deo, nesciens quo iret. 93.b
Abraham ad ancillam suam ingrediens, quid mysticè insinuet. 101.b
Abraham cur dissimulauit apud Aegyptios, Sarai vxorem suam esse. 93.a
Abraham cur deus tentauerit. 124.a
Abraham de Hur Chaldæorum, id est, de Incendio qualiter liberatus. 91.a
Abraham decimas dedit omnium Melchisedech sacerdoti, non econtrà, vt putant Hebræi. 97.b
Abraham cur deus egredi iusserit, non solum de terra sua, sed & de cognatione sua. 91.b
Abraham orante, quod domus Abimelech sanata est, quid mysticè significet. 117.a
Abrahã vnde & ex quo propheta fuisse probari possit. 92.a
Abraham non peccasse probatur, vxorem ducens filiam fratris sui. 146.a
Abraham tertiæ ætatis mundi initium fuit. 91.a
Abraham moriturus cur nõ benedixerit Isaac. 186.a
Abrahæ seruus quid mysticè designet. 128.a
Abrahæ qualem mercedem deus proposuerit, vt egrederetur de terra sua. 92.a
Abrahæ fides in quo maximè spectanda sit, 93.b
Abimelech aliter deus corripuit atque Pharaonem, propter Saram vxorem Abrahæ. 117.a
Abimelech amicisq; eius cum Isaac fœdus ineuntib. quid mysticè designetur. 138.b
Abigail quàm sit imitabile exemplum, quòd Nabal ebrio culpam eius laudabiliter tacuit, quam digesto vino reuerenter dixit. 481.b
Abigail quã prudenter Dauid, ne se vlciscereturmanu sua de Nabal, peruenerit. 481.a
Abarim quid. 377.a
Abidan quid. 337.b
Abscondi velle à facie domini impœnitẽtis est animi. 54.b
Abominationes Aegyptiorũ quæ sint. 214. & inde.
Accipiter quomodo per singulos annos plumescere dicatur. 750.a
Adam & Eua quomodo, quantum ad nominis rationem spectat, distinguantur. 62.a
Adam sacerdos ille mysticus fuit, qui delinquere fecit populum suũ, pro cuius peccato vitulus oblatus est Christus. 295.a
Adam vnde cognouerit mulieris os esse de ossibus suis. 47. & inde.
Adã nõ solus masculus dictus est, sed & fœmina. 37.b
Adam vbi vel qualiter pœnitentiam egit, discutitur fol. 64.a
Adoniam petẽtem Abisach Sunamitidem vxorẽ, cur Salomon occidi iusserit. 498.b
Adipem vituli offerri pro peccatũ, reliquis extra castra crematis, quid mysticè significet. 296.a
Adipem bouis, ouis, & capræ in cuius rei signum lex commedi prohibuerit. 308.b
Adipem morticini in varios vsus habere, quid mysticè significet. ibid.b
Aduersa mundi plerunque dilectam deo animam iuuant, vt anhelantius tendat ad deum. 154.a
Aduentus Christi primus & secundus, quomodo distinguantur. 614.a
Aduentum Christi quomodo Esaias annũciet. 364.a
Aerein cur Moyses non suo, sed tenebrarum nomine expresserit. 5.a
Agar quare non viderit faciem, sed posteriora, videntis & loquentis cum ea domini 102. et inde.
Aggæus quo tempore prophetauerit. 694.b
Agnus paschalis in plenilunio immolari iussus, cuius rei typum gesserit. 220. & inde
Agnũ paschalẽ figurã Christi fuisse ostenditur. 197.a
Agni paschalis immolatione, cur tandem superatus sit Pharao. 217. & inde
Agni paschalis esus, quid mysticè significauerit. 220.a
Agnæ septem, quas Abraham fecit stare seorsum in pacto cum Abimelech, quid mysticè significent. 122.a
Agrum Ephronis cum spelunca duplici cur Abrahã emerit. 127.a
Aira quid. 337.a
Altare de terra sine gradibus fieri iussum, quid in se latentis intelligentiæ contineat, 257.a
Almon deblataim quid. 376.b
Amalech quid. 375.a
Amalechites mortem Saulis Dauid annuntiãs, quis fuerit. 409.a
Aminadab quid. 336.b
Ammiud quid. 337
Amram quid. 201.a

Ami-

Amisaddai quid. 337.a
Amaricationem timoris in eo esse, quòd filij Israel numerati prosternuntur, ostenditur. 336.a
Angelus Apostata dilectionem dei non habuit 9.b
Angelis Loth è Sodoma educentibus, quid sit secundum sensum moralem & anagogicum: Noli post tergum tuum respicere, & cætera. 114.a
Angeli cur non nisi oppido compulsi à Loth in hospitium eius diuerterint. 113.a
Angeli cur duo Sodomã venerint, idq; vesperi. 112.b
Angeli non ingrati incessanter creatorem suum laudant, confitentur, amant, adorant. 7.b
Angeli non in cælo plasmati sunt, sed illuc translati. 6.
Angeli comparatione nostri, spiritus sunt, comparatione verò dei, corporei. ibidem & inde Quod cautè legendum est, vt videlicet corporeũ vocetur, quicquid non est purus actus, quemadmodum deus, sed quod potentialitatem habet adnexam.
Angelorum nouem sunt ordines. 33.b
Angelis ostium domus Loth claudentibus, & eos qui foris erant cæcitate percutientibus, quid mysticè significetur. 113. & inde.
Angeli apud Abraham tam familiariter hospitatis, quid mysticè declaretur. 109. a
Angelos suos quomodo deus spiritus faciat, & ministros suos ignem vrentem. 13.b
Angelos cur deus non de cælo fecerit, vt essent naturæ cæleſtes. 7.a
Angelica creatura designatur lucis nomine cùm dicitur fiat lux. 6. & sequen.
Angelica creatura sicut initium habuit, ita habuit & profectum. 8.a
Angelica creatura non pro similitudine, sed re uera lux dicta est. 6.a
Animæ quæ per superbiam peccauerit, peribit exemplo Dathan & Abiron. 358.a
Animæ humanæ non de cælo ceciderunt secundũ Platonicos. 37.a
Animæ humanæ non ex traduce fluunt, ne tot consequatur quotidie animas perire, quot pereunt somnia. ibid.
Animas omnes domus Iacob, cur beatus Lucas dicat fuisse LXXV. cum in Geneſi tantùm LXX. narrentur. 184. & inde.
Animas hominum in porcos, vel canes, deinde in arborem vel frutetum migrare, deliramentum est Epicureorum & Manicheorum. 85.a
Animalia quatuor quomodo vnum animal esse dicantur in visione Ezechielis. 642.b
Animalium quæ lex nominatim decernit immũda haberi, quæ sint proprietates vel naturæ. 316.a
Animalibus cunctis Adam nomina imposuit. 45.a
Animalibus brutis naturale quoddam mutui amoris consilium Deus indidit. 18. & 19.b
Animantia cuncta cur homini iure in cibum sint concessa. 84.b
Ancillæ scapulæ panem & vtrem aquæ imponens Abraham, quid mysticè significetur. 120.a
Ancillæ Abrahæ dominam suam despicientis superbia quid mysticè significet. 102.a
Ancillæ filium eiici de familia Abraham, quid mysticè significet. 119. b
Anathema esse pro fratribus suis, quomodo Beatus Paulus optauerit. 281.
Antichristus qualiter per hircum vivum sit præfigurat us. 327.a
Annui lunaris & solaris, quæ sit differentia. 21.a
Annos menstruos, vel quaternorum mensium in illprima ætate hominum computari volentium, error refellitur. 75.
Apostoli quomodo in benedictione Zabulon & Isachar benedicti probentur. 416.b
Aphrica vnde sit appellata. 132.a
Aqua triplicis distinctionis creaturam produxit. 2.
Aquæ nomine etiam aër exprimitur in arcanis literis ibidem.
Aquæ in sanguinem conuersæ, quid significent. 213.b
Aquæ omnes potabiles atque salubres vbicunq; fluãt vel vndecunque appareant, de fonte paradisi per occultos meatus originem trahunt. 39.b
Aquæ super firmamentum quales sint. 12.a
Aquarum nomine nonnunquam populi exprimuntur. 238.b
Aquarum tanta abundantia vnde prosluxerit tempore diluuij. 80. & inde.
Aquarum quæ super firmamentum sunt, qualis sit species. 12.b
Aquas qua ratione deus in locum vnum iusserit congregari, cum non sit aquarum vna congregatio. 16.a
Aquas steriles, terramq; pessimam quomodo Heliæus sanauerit, sal mittens in vas nouum. 557.b
Aquas firmamento superponi non esse impossibile ostenditur. 13.a
Arada quid. 375.b
Aran quid. 147.a
Arare in boue simul & asino, quid sit secundum spiritum. 388.a
Arbee quid. 127. & inde.
Arbores fructiferas cur lex obsessa ciuitate prohibeat succidere. 382.b
Arca in cuius rei signum nusquam legatur reducta in Sylo. 387.b
Arca domini in Cariathiarim manens, quid mysticè significet. 201.b
Arca egredi præcipiente domino, quid misticè significet. 82.a
Arca Noë quid mysticè significet. 77.b
Arcam tantæ latitudinis de lignis bituminatis cõstrui potuisse, nihil debet videri incredibile. 78.b
Arcæ Noë cum suis mansiunculis & vniuerso schemate mystica expositio. ibid.
Arcus, quem filij Israel per planctum Dauid discere debebant, cuiusmodi fuerit. 484.a
Area Ornam Hiebusæi quid mysticè significet. 495.b
Armatura Dauid cũ Philistæo quid mysticè significet. 399.a
Arthema quid. 45.a
Assurim. 133.a
Ascensio Christi in cælum qua ratione præfigurata fuerit in Patriarcha Iacob. 158.b
Ascensus Dauid in Hebron, quid mysticè in Christo significet. 411.b
Asinus vndè dicatur. 45.b
Asiongaber quid. 276.a
Aser quid. 150.a

Auari-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auaritia quàm sit abominabilis apud deum, exẽplo docetur Achor. 505. & 506. & inde.
Auarus in deo spem suam non ponens, & nunc quan diu viuit, à curarum verme comeditur, & in futuro à verme qui non moritur comedetur. 245.b
Aues quadrupedes, quid mysticè innuant in arcanis literis. 315.b
Aues non scienter diuinant, sed pro cali qualitatibus diuersos motus concipiunt. 23. & seq.
Axa quid. 434.b
Axa irriguam superius & inferius à Caleph petente quid mysticè significetur. ibidem & inde.
Axaf quid. ibidem.

B.

Babel quid. 90 b
Bala. 165.
Balaam ariolus de stirpe Nachor fratris Abrahã descendisse probatur. 126.a
Balaam illorum prælatorum formam gessisse, apud quos cuncta venialia sunt, probatur. 366. b
Balaam illum fuisse qui in libro Iob Heliu vocatur, ostenditur. ibidem. a
Banaias quid. 423
Baneichan quid. 376.a
Baptizatis in Christo cauendum est, ne malis operibus baptismi gratiam perdant. 241.a
Baptisma vnicum præ omnibus Iudæorum cæremonijs deo placere probatur. 566.a
Baptismo renascimur deo, qui nati eramus peccato. 757.
Baptismate causam mortis delente, cur adhuc carne moriamur. 770. a
Baptismatis aqua cur appellata sit mare vitreum. 237.a
Baptismatis Christi ratio non cõiecturæ humanæ verbis discutienda est, sed diuinæ autoritatis scripturis alligãda. 757.b
Baptismatis sacramentum, quomodo fuerit per transitum maris rubri præfiguratum. 237 à
Baptismatis gratia, quomodo fuerit præfigurata in curatione Naaman Syri à lepra. 559.a
Baptizari à Ioanne cur Christus voluerit. 607.a
Baptismi vnus idemq; fons, quomodo & vterus nobis fiat, & sepulchrum. 760.a
Baptismi Ioannis & Christi, quæ ac quanta sit distantia. ibid. 757.a
Baptismum cur beatus Paulus appellet fundamẽtum pœnitentiæ. 286.b
Barach quid. 435.b
Basaan quid 404.b. & inde
Basemath quid. 139.b
Bdellium quid. 42.a
Beelsephon quid. 233.b
Benedictio Iacob qualiter benedictionem præfigurârit Christi, ostenditur. 141.b
Benedictiones Asor quid secundum vtrunque sensum habeant. 192.b
Benedictiones Beniamin quid secundum vtrunque sensum significent. 194.b
Benedictiones Dan quid ad literam, & quid secundum allegoriam habeant. 191.b
Benedictiones Ioseph quid in se contineant. 193.a
Benedictiones Zabulon & Isachar quid ad literã & quid secundum allegoriam in se habeant. 191.a
Benedictionis surreptionem Isaac æquanimiter tolerante, quid mysticè designetur. 143.
Beniamin cur Iacob timuerit mittere cum fratribus in Aegyptum. 179.a
Bersabee quid. 492.b
Beseleel quid. 288.b
Bestiæ quæ hominum magisterio subiectæ non sunt, cõtra naturam diuersis ex speciebus permiscentur. 26.b.
Bethsabee quid. 492.b
Bethsamitæ in cuius rei signum sint percussi, eò quòd vidissent arcam domini. 465.b
Bethsamitis arcam domini cum gladio videntibus, quid mysticè significetur. 466.a
Bitumen contrà sentinam aquæ tenacissimum præsidium est. 201.a
Bonus nemo rectè censeri potest, nisi respectu boni dei. 7.b
Bonorum quæ Christus fecit, malorum quæ pertulit, quomodo quædam signa præcesserint in Dauid. 396.a
Botrus in vecte à duobus viris exploratoribus portatus Christi figuram tenuit. 355.a
Boues duodecim mare portantes, figuram tenuerunt duodecim apostolorum. 510.a
Bruchus quid. 316.b
Brutorum animalium sacrificia cur deus instituerit. 316.b
Bubo quid. 316.a

C.

Caathitæ cur vasa sanctuarij inuoluta iussi sint portare. 339.a
Caaltha quid. 375.b
Caballus vnde dicatur. 45.b
Cain cur dominus in signum posuerit, vt non eum interficeret omnis qui inuenisset eum. 73.b
Cain qui occiderit, quo sensu dicatur septuplum puniendus. 72.b
Cain generatio cur non nisi vsq; ad Lamech texatur. 66.b
Cain peccatum suum morte corporis expiasse existimantium error refellitur. 72.b
Cain quid. 66.b
Cain septempliciter peccasse probatur. 72.b
Candelabri aurei cum suis scyphis, calamis, sphærulis, lucernis, pondere quoque & positione mystica descriptio. 268.b
Caleph quid. 434.a
Cham quid. 88.b
Chameleon quid. 316.b
Chanaan cur Noë maledixerit Cham patre peccãte. 57. a
Chanaan quid. 240.a
Cameli quos seruus Abrahæ secum adduxit quæsiturus sponsam Isaac, quid mysticè designent. 129.a
Canis vndè sit dictus. 45.b
Cappadoces à Mesoch filio Iaphet nati sunt. 89.a
Castrorũ positio in deserto quæ fuerit mystica ratio. 233.b
Cataractæ cæli quo sensu apertæ esse dicantur diluuij tempore. 79.a
Canticum Debboræ & Barach à quibus rectè secundum

dum sensum mysticum in ecclesia sit canendum. 439.b
Carnẽ cum sanguine comedere cur Deus prohibuerit. 84.b
Cariatharbe quid. 95.b
Cælum & terra qua ratione transire dicantur. 14.b
Cælorum regnum cur patribus antiquis clausum fuerit. 107.a
Cærastes quid. 192.a
Cæremoniarum carnalium lex, quàm rationabiliter cessare debuerit, veniente gratia euangelij. 792.a
Cæremoniarum legem non fuisse eiusdem authoritatis & stabilitatis, cuius Christi præcepta, probatur. 231.a
Cæremoniarum grauissimum onus ne imponeretur fidelibus consilij diuini fuit. 792.b
Cherub quid. 8.a
Cherubin quid. 266.b
Cherubin cur deus ante paradisum collocauerit. 66.a
Creatio num momẽtanea fuerit omnium rerum ex nihilo, an successiua. 18. & 19.
Creator bonus & clemens iustè fecit, quem malum fore præsciuit. 8.a
Cirogrillus quid. 316.a
Ciuitati obsessæ, cur lex primum pacem offerri præcipiat. 392.b
Ciuitatum terrenarum prima causa homicidium exitit. 74.a
Cymises cur magi Aegyptij facere non potuerint. 214.a
Circumcisio quid ante aduentum domini comulerit. 107.a
Circumcisio nõ est fœdus æternum, sed signum fœderis. 106. & seq.
Circumcisio signum fuit iustitiæ fidei. 105.b
Circumcisio cur quadragimta annis fuerit intermissa. 429.a
Circumcisionem rectè cessare debuisse post aduentum Christi probatur. 105. & 106.
Circuncidi cur iussus sit infans octo dierum. 106.a
Cyrus rex in quo assimilatus fuerit Christo. 694.a
Christus quomodo vsq; hodie in monte visionis, id est, sancta ecclesia, in sacramẽto altaris offeratur. 123.a
Christus quomodo dixerit, vel dicat, pro cuncto humano genere: Pereat dies in qua natus sum. 740.a
Christus quomodo agni paschalis mysteria impleuerit. 221.a
Christus supernæ matris Hierusalem, patris quoq; dei risus & gaudium est. 118.a
Christus qua ratione dicatur primogenitus. 180.b
Christus quomodo aliquid nescire dicatur. 735.a
Christus cur per hircum mortuum sit præfiguratus. 327. & seq.
Christus resurgens cur non statim peremptoribus suis insultauerit, nec dilectoribus suis repente apparuerit. 753.b
Christus quàm iustè exauditus sit à patre pro sua reuerentia. 747.b
Christus cur meritò Noë posit comparari. 79.b
Christus cur vernisit comparatus. 248.a
Christus ter vnctus est spiritu sancto. 80. & 81.
Christus cur leoni comparetur. 369.a
Christus potestatem habens vitæ & mortis, cur ante diem tertium resurgere noluerit. 752. b
Christi ira & gratia præfigurata esse ostenditur. 110. & inde.
Christo quomodo pater Cælestis addiderit cuncta duplicia, quæ eius fuerant. 755.b
Christum à mortuis veraciter resurrexisse probatur. 570.b
Christum ante Mariam non extitisse, hæreticorum est dogma. 61.b
Crimen admissum vultu nõ prodere quàm sit difficile. 168. & seq.
Coccineum signum propendens de domo Raab quid mysticè significet. 501. & 502.
Cogitationis peccatum omne tribus modis impletur 391.a
Coloquintida qua ratione hæreticorum doctrina sit similis. 558.
Columbæ septem naturales virtutes, quid mysticè in Christo significent. 731.b
Columna nubis & ignis filios Israel præcedens in deserto, quid mysticè significet. 232. & inde.
Concupiscentia cur septenariæ prohibitione inhibeatur. 802.a
Copulæ matrimoniali quo tempore indulgendum non sit. 252. & seq.
Cõuges patriarchæ Iacob liberæ & ancillæ, quid sint spiritualiter in Christo 151 a
Coniugium Isaac, quid mysticè significet. 128.a
Confessio peccatorum absq; contritione & correctione saluare non potest. 109.b
Confessionem humilem pœnitentium quàm sapienter attendere oporteat. 309. & 310.
Cõsentire alterius peccato, quã sit pernicioſum. 299 a
Consilij diuini fuit, ne grauissimum ceremoniarũ onus imponeretur fidelibus. 791.b
Consilio vti propter deum maioris gratiæ est, & copiosiorem remunerationem meretur. 707.b
Consilio profundo Dei factum est, vt Iudæis cum suis ceremonijs relictis, gentiles cũ fide sua sint recepti. 790.a
Consilio aliter vtitur deus propter homines, & aliter vtuntur homines propter Deum. 789.b
Consilijs suis quàm terribilis sit Deus super filios hominum. 789.a
Consilij diuini tota vis eò ferè tendit, vt omnis à nobis auferatur occasio superbiendi. 790.b
Consilij sui secreta, cur deus abscondat à sapientibus & prudentibus, & reuelet ea paruulis. 789.a
Constantinus primus lege edixit, quid pateretur, quisquis Christiano molestus esset. 137.b
Contemptibiles quo sensu beatus Paulus velit præfici iudicijs secularibus. 251. a
Conscientiam proximi nemo debet curiosius vel superstitiosius discutere. 394.a
Coturnice castra & rore per circuitum castrorum oriente superficiem terræ in similitudinem prunæ, quid mysticè significetur. 247.a
Cor Pharaonis quomodo dicatur deus indurasse. 208.
Corui Heliam pascẽtes, quid mysticè significẽt 546. b
Cortinarum quæ lex ac modus fuerit, & quid hæc in se mysterij habeant. 270.a
Crocodilus quid. 316.b
Corcidrion quid. ibidem

Cupi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cupiditas cùm sit omnium malorum radix, cur in præceptis decalogi, non primum positum est: Nõ concupisces. 255.a
Crux Christi fuit illa statera, in qua Iob petiuit peccata sua appendi 741.a

D.

DAbir quid. 123.a
Dagon truncatus coram arca domini, cadẽs, quid mysticè insinuet. 464.a
Dan quid. 150.a
Dan & Ephraim cur in Apocalypsi non commemorentur. 195.a
Daniel cur vir desideriorum dici meruerit. 683.b
Dauid cur tertio vnctus legatur. 470.a
Dauid percutiẽte, quid est quod corruit Philistæus. 473.a
Dauid quartæ mundi ætatis initium fuisse probatur. 455.a
Dauid in cuius rei figuram non lenticula, vt Saul, vnctus sit, sed pleno cornu olei. 469.b
Dauid cur pluribus nominibus appelletur. 493.a
Dauid cùm iam præ senio calefieri non posset, in cuius rei figuram, adolescentula virgo ei est quæsita. 496.a
Dauid nomine & factis regnum Christi præfiguravit. 469.a
Dauid quomodo in numerãdo populum deliquerit. 495.b
Dauid quomodo ab officio ac corporis qualitate, Christi typum prætulerit. 470.b
Dauid ex quanta humilitate & sapientia ante arcã domini luserit. 487.b
Dauid cur Abrahæ præpositus sit in generatione Saluatoris. 703.a
Dauid quo tempore promissionem acceperit, quod de eius semine Christus esset nasciturus. 490.b
Dauid in cuius rei typum, in vxorem Vriæ labi permissus sit. 492.b
Dauid psallente, quid est quod refocillabatur Saul. 473.a
Dauid cur prophetarum primus dicatur. 516.a
Dauid percutiens cor suum, eo quod abscidisset orã chlamydis Saul qualiter vel quibus sit imitandus. 482.
Dauidis quàm mira innocentia fuerit, qua mortuũ planxit Saul. 284.b
Debbora quid. 163.a
Debbora quo tempore Iudæos iudicauerit. 435.b
Detrahens fratri suo, qua castigatione sit feriendus. 325.& 326.
Deus Trinitas inseparabilis, inseparabiliter operatur. 1.b
Deus omni numerositati creaturarum se eximit, dicendo: Ego sum. 204.a
Deus quæcunq; fecisse dicitur manent, & quibuscũque nomina imposuisse scribitur stabilia sunt 29.b
Deus vnde sit dictus. 79.b & 798.a
Deus non absq; iustitia mundum dilexisse probatur vt filium suum vnigenitum daret. 124.a
Deus Hylen, id est, materiã coæuam sibi non habuit. 48.
Deos primos fecit in orbe timor. 11.b
Deum ex curiositate videre velle, damnabile est. 253.& seq.
Deum verè esse ab hominibus timendum probatur. 79.b
Dentem molarem asini in cuius rei figuram dominus aperuerit, & sitiẽti Sampsoni largissimas aquas eduxerit. 447.a
Diabolus eodem vitio decepit hominem, quo ipse de cælo decidit. 52.a
Diabolus quomodo ab initio homicida & mendax esse dicatur. 51.a
Diabolus quo sensu dicatur princeps carceris, vel præpositus mortis. 474.
Diaboli quanta sit inuidia atque superbia. 8.b
Diabolo quando ablatum sit imperium. 199.b
Diabolum quomodo Christus moriendo vicerit atq; ligauerit. 804.a
Diabolum quomodo nemo potuerit foras mittere ante aduentum domini: quemadmodum nec Philistæum quisquam potuit superare ante Dauid. 473.b
Dibongad quid. 376.b
Dies tres qui sint secundum allegoriam, in quorum tertio de carnibus hostiæ vesci licitum non fuit. 307.b
Dies Pẽtecostes Iudæorum & Apostolorum, simul impletos fuisse probatur. 251.b
Dies septimus, quibus præfulgeat prærogatiuis. 33.a
Dies quid. 21.a
Diei ac noctis ac tenebrarum quid in scripturis mysticè designetur. 10.a 15.a
Diei & noctis qualis sit diuisio. 21.a
Diei septimæ, & cæterorum dierum quæsit differentia. 33.a
Diei natiuitatis suæ & nocti cõceptionis, cur Iob maledixerit. 739.b
Dei natura sterilis esse non potest, quæ rebus omnibus fertilitatem dedit. 19.a
Die tertio creationis rerũ, cur dictum sit: vidit deus quod esset bonum. 15.b
Diluuij aquæ, quo anno & quo tempore anni cœperint inundare. 81.b
Diluuij quæ causa fuerit. 77.a
Dina quid. 150.b & 162.a
Dina filia Liæ & sibi corruptionis, & alijs iurgiorũ causa extitit. 162.a
Dinam vxorem fuisse Iob Philo asserit. ibid.
Diomedeæ quid. 316.b
Diuitiæ amicos dirimere solent, quos coniunxerat tenuitas. 94.b
Domus salius Libani quid in mysterio significet. 429.b
Domum nouam ædificare & murum per tecti circuitum facere, quid mysticè significet. 387.a
Dona septem Spiritus Sancti super Christum requieuisse probatur. 572.b
Dormire quomodo deus dicatur. 54.b
Duhel quid. 337.a

E.

EBrietas & nuditas Noë, quid mysticè in Christo significent. 88.a
Ebrona quid. 376.a

Ecclesia cur solummodo quatuor receperit Euangelistas. 643.a
Ecclesia qualiter in domo Raab sit præfigurata. 428.a
Ecclesiæ suæ quantam fœcunditatem deus promiserit. 259.b
Ecclesiæ de gentibus qualem domum mysticè ille Salomon Christus fecerit. 505.b
Ecclesiam dei quibus profectibus ingredi quis debeat. 162.a
Ecclesiam sub prænaricãtione Adæ iacentem nemo suscitare potuit, præter Christum. 793.a
Edom tẽporibus Ioram filij Ioſaphat recessit, ne esset sub ditione Iudæ. 142.b
Aegyptum cur Israel sit ingressus. 197.b
Aegyptũ spoliare, quo iure permissũ sit Iudæis. 205.a
Aegyptiorum cor, quomodo dicatur Deus conuertisse in odium Iudæorum. 199.a
Electio Dauid ad fastigium regni quàm fuerit ab omni humano fauore pura. 469.a
Eleasaph quid. 337.a
Elisama quid. ibid.
Elizur quid. 336.b
Elom quid. 139.b
Emboliſmus quid. 219.a
Ephrata quid. 187.a
Ephraim quid. 177.a
Epistolam Romanis inscriptam, quinque actibus distinctam esse ostenditur. 789.a
Equum & ascensorem, id est, mundum & Diabolum quando Deus in mare proiecerit. 256.b
Esaias non tã propheta quàm Euangelista fuisse probatur. 563.a
Esau primogenita sua fratri Iacob vendens quorum typum gesserit. 135.b
Esau qualiter in typum Iudæorum peccatum suum auxerit. 143.a
Esau quid. 135.a
Esau in quo carnalium Iudæorum typum prætulerit. 142.& inde.
Aesculapius legitur medicaminibus à se repertis, mortuum suscitasse, atque ob hoc fulmine à Dijs peremptus. 64.b
Esmona quid. 376.a
Esse simpliciter vel absolutè nihil eorum dicẽdum est, quæ sunt creata. 204.b
Etham quid. 232.b
Aetas quarta mundi quomodo respondeat quarto diei primorum dierum seculi. 455.b
Aetas quinta mundi similis esse probatur cum quinto die creationis mundi. 612.a
Aetas mundi sexta similis esse diei sexto orationis mũdi probatur. 504.a
Aetatis quintæ mundi initium computari à tempore vaticinij Hieremiæ probatur. 611.b
Aetatum sex mundi determinationes & distinctiones habere quãdam similitudinem cum primis sex diebus seculi probatur. 68.a
Aethiopem matrona pariens quo argumento sit ab Quintiliano defensa. 152.b (lentur. 352.b
Aethiopissam vxorem Mosi qualem fuisse Iudæi fabu
Eua quid. 62.b (gni paschalis. 222. & 223.
Eucharistia quomodo percipienda sit ad modum a-
Eucharistia non pro quantitate portionis, quam quisque ore percipit, sed pro conditione fidei ac deuotionis, remissionem operatur peccatorum. 248.a
Eunuchus qualis ab Ecclesiæ ingressu sit arcendus. 390.b
Eunuchorum quot sint species. ibid.
Euangelizandi quanta sit necessitas, ijs quibus credita est dispensatio. 661.b
Euangelistas cur tantum quatuor Ecclesia receperit. 643.a
Excidium Hierosolymorum sub Tito & Vespasiano, quomodo præfiguratum fuerit in Heliseo. 557.a
Exploratores HIERICHO, quid mysticè significent. 426.b
Extasis quid. 45.b

F.

FAbam cur Pytagoras non comedendã putauerit. 85.a
Facies Moysi cornuta ex consortio sermonis domini, quid mysticè insinuet. 287.b
Fatalia signa stellis non inesse probatur. 22.a
Farris offerendi quis sit ritus, quodq; mysterium. 291.b
Fœdus quòd Deus cũ Abraham pepigit, quale fuerit. 100.a
Fœdus inter Abraham & Abimelech pactũ, quid mysticè significent. 121.a
Fœminarum in conceptu est natura, vt quales mente conceperint in extremo voluptatis æstu, quo concipiũt, talem sobolem procreent 156.b
Fœmineum sexum tria diuinæ sententiæ verbera inde sinenter cruciant. 59.b
Fœminalium lineorum cur nulla mẽtio fiat Moyse fratrem suum Aaron induente. 310.a
Fenestræ obliquæ templi Salomonis nõ manufacti quæ & quales sint. 500.b
Fermento quali sit abstinendum. 225.a
Ferramentum omne non esse auditum in domo cùm fabricaretur templum, quid mysticè significet. 501.b
Ferrum de manubrio elapsum ac rediens, cuius rei typus extiterit. 660.b. (resint soliti. 330.a
Festus dies qua ratione Iudæi à die in diem transpone
Festos dies Iudæi nunquam continuãt, vbicunq; vita reprævalent. 330.b (buerunt. 793.a
Festiuitates Iudæorũ, ferè omnes terrenas causas habent
Fides quomodo reputata sit Abrahæ ad iustitiã. 99.b
Fides Abrahæ in quo maximè sit spectanda. 95.a
Fides oratione adiuuatur. 134.a
Fide iustificari debere omnes per vnum hominem, & non aliunde probatur. 785.b
Filius seu verbum Dei, per quod cælum & terra creata sunt principium est. 3.a
Filius contumax qua seueritate sit plectendus. 384.a
Filij quando vel quatenus plecti possint aut debeant, pro iniquitate parentum. 287.a
Filiũ Dei, patri esse consubstantialem probatur. 27.a
Filij iræ cur omnes nascamur. 53.b
Filios huius seculi prudentiores esse filijs lucis in generatione sua, exemplo docetur. 250.b
Firmamentum cæli quid. 12.a
Firmamentum cur Deus cælum vocauerit. 14.a
Firmamentum, vbi vel quãdo Deus cælum vocauerit. 15.a
Firmamentum cæli cur volubile esse oporteat. 22.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fornicationem quanta seueritate Apostoli suis scriptis persequantur. 795.b
Fornicatione sola excepta vir vxorem suam deserere non potest. 46.a
Fortitudo quanta in Christo fuerit, aduersus Iudæorum superbiam. 744.b
Fortitudo hominis vera apud Deum est spiritus humilitatis, & mens subdita iustitiæ Dei. 112.a
Fortitudinis spiritus, quàm pulchrè septem spirituum medius sit. 803.a
Frater nonnunquam pro filio poni in sacris literis, probatur. 133.b
Fulicæ quid. 316.b

G

GAd quid. 150.a
Gal quid. 137.b
Galatæ à Gomer filio Iaphet sunt propagati. 89.a
Gedeon quid. 337.a
Gedeon à paleis frumenta excutiens, & angelum videns, ad cuius imperium hœdum coxit, quid moraliter significet. 440.a
Gemini in vtero Rebeccæ sese collidentes, quid mysticè significent. 134.b
Genesis liber vnde vel cur vocetur. 2.b
Generationem illam Iudæorum, quæ Christum crucifixit, meritò, & visibiliter Romanis, et inuisibiliter Diabolo traditam fuisse probatur. 600.b
Generatione quartâ filios Israel egressos ab Aegypto in Moyse & Aaron fuisse ostenditur. 210.b
Gentiles contra Iudæos gloriari non debere ostenditur. 787.b
Giezi propter cupiditatis vitium lepra percussus, quorum in ecclesia figura extiterit. 560.a
Gladius versatilis ad paradisum, quis debeat intelligi. 65.a
Gladium quando dicatur deus euaginare. 239.a
Galaad Philistæus ex qua stirpe descenderit. 474.a
Gratia Dei liberat hominem. 209.a
Gratia Dei operosa semota nullus vel angelorũ vel hominum diuinæ inhabitationi potest esse idoneus. 34.& 35.
Græci & Latini à Iaphet filio Noë traxerũt originẽ. 89.a
Gulæ consuetudine, tam in hominibus, quàm etiam bestijs, si non soluta creuisset edacitas, multò minoribus epulis natura contenta esset. 32.a
Gimel quid. 627.b

H

HEbdomades septuaginta Danielis quomodo supputentur. 691.b
Hebræus quid. 96.a
Hebræi in angustia constituti, dum domini implorant auxilium, dicunt in monte dominus videbit. 126.a
Hœdi duo in benedictione Iacob, quid in se mysterij contineant. 140.a
Helias quarum rerum typum gesserit. 546.b
Helias quid. 555.b
Helias & Enoch num in paradisum terrestrem trãslati sint, discutitur. 66.a
Helias in cælũ leuatus, quid mysticè significet. 554.b
Helias in cælum leuandus, in cuius rei exemplum Iordanis aquas pallio percusserit, atq; diuiserit. 558.a.
Heli cum filijs suis, quarum rerum figuram tenuerit 462.a
Heli qua seueritate Deus damnauerit ob nimiam erga improbos filios indulgentiam. 458.a
Helisæus cur Heliam in cælum leuandum deserere noluerit. 555.a
Helisæus in cuius rei signum habitauit in Hiericho. 556.b
Helisæum duplici Heliæ spiritu præditum fuisse ostenditur. 572.a
Heli qua ratione dictus est non potuisse videre lucernam, antequam extingueretur. 462.a
Helon quid. 337.c
Helsaphan quid. 314.a
Henam quid. 337.a
Her quid. 170.a
Herba omnis & omne lignum primò bifariam diuidi tur. 18.a
Herodius quid. 316.b
Hæreditatis diuidendæ hæc æqua est ratio, vt maior det, & minor eligat. 95.a
Hæresis quorumlibet in quouis ordine cohabitantiũ, qualiter sit examinanda. 324.a
Hæresis si posti legitimas admonitiones perseueraverit, expellendi sunt eius auctores, & si nec sic profecerit, tota domus est subuertenda. 325.a
Hæresim quanta diligentia Deus dijudicare voluerit, exemplo lepræ corporalis. 319.a
Hæreticus si ab errore resipiscat, quasit discretione ab Ecclesia recipiendus 412.b
Hæreticus ecclesiæ vnioni restitutus, quas cæremonias & oblationes obseruare debeat. 323.a
Hæreticus quomodo apud se habere probetur diuersa ponderain sacculo. 417
Hæretici pœnitentes, quomodo sint ad ecclesiasticam communionem restituendi. 322.& 323.
Hæreticorum quàm sint vitanda consortia. 277.a
Hæreticorum omnis adinuentio, qualiter præfigurata sit in adinuentione vitulorum. 546.a
Hæreticorum scripta esse comburenda exemplo leprosæ vestis ostenditur. 322.a
Hæreticorum exemplum præcessisse in his qui se à domo Dauid separarunt, probatur. 545.b
Hæresiarcha & hæreticus quomodo differant. 320.b
Hieremias quibus rebus Christi figuram in se prætulerit. 612.
Hiericho cur Iosue anathematizauerit. 432.a
Hiericho tubis concrepantibus, penitus corruente quid mysticè significetur. 431.a
Hierosolymam quanta fames afflixerit obsidionis tẽpore. 407.a
Hierosolymorum excidium consilio dei factum esse probatur. 797.a
Hyle quid. 3.a
Hyras quid. 170.b
Hiram quomodo ex patre Tyrio plenus sapiẽtia & intelligentia & doctrina fuisse perhibeatur. 506.b
Homo cur non dicatur factus ad similitudinem & imaginem dei, sicut ad imaginem & similitudinem, &c. 27.b
Homo per superbiam priùs tumuit intus, quàm foris per serpentem tentaretur. 48.a
Homo in paradiso formatus non est, sed in eo benignitate dei positus. 38.b

Homo qua sui parte præsit brutis animalibus. 29.a
Homo cur factus dicatur in animam viuentem. 38.a
Homo fidem, spem, & charitatem, Deo debuit, sed ingratus non exhibuit. 43.b
Homo qualiter per furorem occidat seipsum. 752.a
Homo quod generat aliud esse non potest, quã quod ipse est: quod operatur, nullatenus esse potest, quod est ipse. 8.a
Homo qua ratione dicatur factus ad imaginem & similitudinem Dei. 28.a
Homo in se omnium rerum essentias continet, & propter eum cuncta quæ sub firmamento sunt cæli, sunt facta. 32.a
Hominis quãta sit dignitas, quodq; cum consilio prouidæ trinitatis sit factus probatur. 27.a
Homini præuaricatori quomodo Deus factus sit, velut vrsus insidians. 632.a
Hominem cur Deus absq; vlla conditione ac absque vllo præcepto in paradiso non posuerit. 43.a
Hominem nudum serpens contingere nõ audet. 55.a
Hominem deus mortalem esse voluit, non ex ira, sed gratia. 61.a
Hominem cur deus non talem creauerit, vt non esset alicuius vitij perceptibilis, siue passibilis. 8.a
Hominem cur deus de limo fecerit. 36.a
Homines eosdem non fuisse generatos, nisi admisso peccato, fuissent eiecti de paradiso, arbitrantium error conuincitur. 30.b
Homines in quantum debuissent multiplicari, si Adã non peccasset. ibid:
Homines natura præsunt iumentis, ipsis autem hominibus gratia præsunt homines Dei. 29.a
Hominum nullus, Christo excepto, plenam habuit omnium rerum scientiam, & certissimam veritatem. 141.a
Hominibus solis cur Deus benedixerit: Crescite, inquiens, &c. cum & herba & omne lignum pomiferum, nihilominus crescat & multiplicetur absque tali benedictione. 24.b
Homicidium per industriam vel insidias cõmissum, qua seueritate lex vetus puniri iubeat. 258.b
Homicidij quàm sit grande peccatũ ostenditur. 84.b
Hor quid. 376.b
Hostia pro peccato oblata, in cuius rei figuram comburi iussa est, & non comedi. 307.b
Hostia pacificorum, quid ab oblatione holocausti differat. 294.a
Hostia pacificorum spes est. 303.a
Hostia pacificorum, cur non de volatilibus fieri præcipiatur. 294.a & inde
Hostiæ pacificorũ ritus quid mysticè significet. 294.a
Hostiæ pacificorum lex qualiter in ecclesia publicis stationibus celebretur. 307.a
Holocaustum nostrum charitas est. 303.a
Holocausti ex volatilibus offerendi ritus, quid mysticè significet. 291.a
Holocausti ex pecoribus offerendi ritus, quid mysticè significet. 292.a
Holocausti ex armento offerendi ritus, quid mysticè designet. 289.b
Humilitas quanta fuerit in Moyse. 303.b
Humanum genus, quomodo Deus in primo homine percusserit. 635.b

I.

IAboch quid. 159.b
Iacob quid. 136.a
Iacob ad suggestionem Rebeccæ misso ad vxorem accipiendam quid mysticè insinuetur. 143.a
Iacob fratris plantam manu tenens in partu, quid mysterij intus alat. 135.a
Iacob cur filium suum Beniamin cum fratribus in Aegyptum mittere timuerit. 179.a
Iacob filios Ioseph benedicens commutatione manuum, crucem Christi adumbrauit. 187.b
Iacob cur timuerit in Aegyptum descendere. 183.b
Iacob virgas ex parte decorticante, conceptusq; tempore in conspectu ouium ponente, quid mysticè significetur. 151.b
Iacob cur in terra Aegypti noluerit sepeliri. 186.a
Iamin quid. 164.b
Iaphet quid. 89.a
Ibis quid. 316.a
Idolothyta quanta seueritate apostoli suis scriptis persequantur. 795.b
Iepthæ votum quomodo spiritualiter imitandum sit ex sententia Chrysostomi. 516.a
Iethro socero suo cur non reuelauerit Moyses mandatum Dei in rubo. 207.a
Iezrael quid. 553.a
Ignis in altari semper ardere iussus, quid mysticè significet. 304.a
Ignis corporeus spiritibus quoq; malignis pœnalis est. 66.a
Ignea lex in dextera Dei, quid mysticè designet. 412.a
Ignorantia quales excuset à peccato. 302.b
Ignorantiæ diuersus est modus. ibid.
Imaginis & similitudinis quanta sit distantia. 27.b
Incarnationis dominicæ quis sit fructus. 690.a
Inimicitiæ quales positæ sint inter mulierem & semẽ ipsius, & serpentem. 55.b
Inuidia alienis bonis crescit. 208.a
Ioamin quid. 133.a
Iob ab amicis suis derisus, typum gessit Christi, à consanguineo sibi populo Iudaico deridendi. 742.a
Iob præclaro patientiæ exemplo Christi figurã prætulit. 738.b
Iob de stirpe Nachor fratris Abrahã descendisse probatur. 126.a
Iob cuncta duplicia recipiente præter filios, quid in Christo mysticè significet. 756.a
Ioannes Euangelista cur aquilæ sit cõparatus. 750.a
Ioiada quid. 497.b
Ionas creditur fuisse ille quẽ suscitauit Helias. 548.a
Iones à Nauan filio Iaphet nati sunt. 88.b
Iordanis fluuius vnde sit dictus.
Iordanem transiturus Israel, quid significet quòd iã circa Iordanem vrbes ac viculos posideat. 365.b
Ioseph in quo filij Dei typum gesserit. 140.b
Ioseph quomodo sol & luna, & vndecim stellæ adorauerint. 179.
Ioseph secundo venditus fuisse probatur. 169.b
Ioseph in carcerem cõiectus, quomodo non sit à Deo derelictus. 173.a
Ioseph quàm gratiosè sit à domino liberatus, ne in turpe ministerium adsumeretur. 170.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioseph quoto patris anno sit natus. 185.a
Ioseph cur Iacob Nazareum appellauerit. 194.a
Ioseph cur tam diu distulerit vocare patrem suũ 182
Ioseph quo crimine fratres suos accusauerit apud patrem, expenditur. 164.b
Ioseph cur transferri ossa sua ad terram promissionis mandauerit. 196.a
Iris quid. 87.a
Iris quomodo fiat. ibidem
Iridi qua ratione Christus comparetur. ibidem
Isaac cur in amorem Esau reprobi permiserit deus declinare. 140.b
Isaac cur deus vxorem sterilem præparauerit. 134.a
Isaac moriturus cur non benedixerit Iacob & Esau. 186.b
Isaac cur Esau dilexerit, Rebecca verò Iacob. 125.b
Isaac cur tantum vnam benedictionem habuisse referatur. 139.b
Isaac falsum esse in benedictione Iacob, mirandum non esse ostenditur. 141.a
Isaac cur timuerit confiteri, Rebeccam sibi sociatam esse coniugio. 136.a
Isai quomodo aliàs septem, aliàs octo filij fuisse narrantur. 474.a
Isch quid. 37.b
Ischa quid. ibidem
Israel quid. 140.b
Israel qua ratione dictus sit filius dei primogenitus 208.b
Isachar quid. 150.a
Ismahel cur secundum carnem natus dicatur. 103.b
Ismahel saluatus sit, nec ne expenditur. 108.a
Iubileus, id est, dimittens annus Christianus quis sit. 332.b
Iubilæi quæ fuerit gratia apud Iudæos. 331.a
Iuda quid. 150.a
Iudæ benedictio exponitur. 189.a
Iudam proditorem cur Christus in suorũ apostolorum consortium admiserit. 714.a
Iudæum & Græcum qua ratione beatus Paulus coæquat. 784.a (tur. 748.b
Iudæos Christi derisores, inexcusabiles esse ostendi-
Iudæi à Deo in deserto tentati, in tribus infideles reperti sunt. 248.a
Iudæorum dispersionem consilio Dei actam esse ostenditur. 797.a
Iudæorũ peccata, in quo fuerint Sodomæ & Gomorrhæ peccatis similia. 565.b
Iudæorum Christum crucifigentium peccatum, cur veniam non meruerit. 566.a
Iudæis de meritis suis nõ esse gloriãdũ ꝓbatur. 249.a
Iudæis cur Deus bona tamùm tẽporalia polliceatur, si obtemperent, mala quoq; temporalia, si non obtemperent commineatur. 331.a
Iudæos cur Deus non duxerit per viam terræ Philistijm. 232.a (sliani. 178.b
Iudæos qua iustitia tractare debeant principes Chri-
Iudæos in passione Christi excæcatos fuisse ostenditur. 740.b
Iudici iustitia concedit, vt factam iniuriam sibi, donet cui velit. 175.a
Iudicum liber vnde sit dictus. 508.a
Iudiciũ temerarium quã sit dãnabile docetur. 111.a
Iudicia cur ritè post ꝓceptа decalogi ponãtur. 257.a
Iudicijs secularibus cur beatus Paulus præfici velit contemptibiles. 251.a
Iudith quid, 139.b
Iumenta seu terræ animantia cur operi sextæ diei cũ homine deputentur. 25.b
Iumenta vnde sint dicta. ibid.
Iumentorum reptilium atque bestiarum triplex est species. ibid.
Iumẽtorum permixtionem primus Ana filius Sebeon filij Esau fecisse fertur. 26.b
Iumentis cur medullatus libidinis ardorem inferioportuerit. 31.a
Iusta negans dat omnia. 27.a

L.

Laban quid. 131.a
Laban pro Rachel Lyam superinducente, quid mysticè significetur. 148.b
Laboribus exerceri hominem vtile est. 244.b
Lacerta quid. 316.b Lamia quid. 638.a
Lapidoth quid. 509.b
Latrones cum Christo crucifixi, duorum populorum exemplum fuerum: 599.a
Legem quàm verè dixerit Christus se non venisse vt solueret, sed vt adimpleret. 802.b
Lemna quid. 375.b
Lepram quanta diligentia dijudicandam lex iusserit. 319.a
Leopardus generatur ex permixtione leonis & pardæ. 26.b
Leui quid. 150.a
Leuitæ purificandi in cuius rei significationem iubentur omnes pilos carnis suæ radere. 346.b
Leuitæ in cuius rei signum non sint numerati inter filios Israel. 337.b
Leuiticus liber vnde sit dictus. 288
Lex decalogi quo die data sit. 260.b
Lya cur in se actiuæ vitæ typum prætulerit. 149.a
Libellus repudij quamobrẽ permissus fuerit, et quid mysticè significet. 393.a
Libidinis cõfusio pœna est originalis peccati. 63.a
Linguæ omnes per donũ spiritus sancti adunatæ sunt in apostolis. 90.a
Lignum si præcisum fuerit, habet spem, quomodo de Christo resurgente intelligi debeat. 748.a
Loth cur dè Segor ad montem migrauerit. 116.a
Lucas Euangelista, cur potius LXX. interpretes sit secutus. 184.a
Ludus Ismahel cum Isaac qualis fuerit. 112.a
Lux sola cur in prima rerum creatione bona à Deo prædicetur. 27.a

M.

Macheloth filiã Ptolomæi regis Gessur bello captam, Dauid vxorem duxit. 383.b
Macheloth quid. 375.b
Magdalum quid. 233.a
Magorum munera, quid mysticè significent. 704.a
Manhu quid. 247.b Manasses quis. 416.a
Manassen & Ephraim filios Ioseph, cur sibi voluerit computari Iacob. 187.a
Mandragoris filij sui Ruben, introitum, qui Racheli debebatur, ad se viri emerat Lya. 150.b
Manaim quid. 158.a

Manna cuiusmodi fuerit. 243.a 351.a
Mannæ defectus filijs Israel promissionis terram ingressis quid mysticè significet. 430.a
Mansiones filiorum Israel in deserto, quadraginta duas fuisse probatur 374.b
Mare fusile in quo sacerdotes lauabantur, typus fuit baptismi. 436.a
Mara quid. 375.a
Marat aquæ, quid significent. 242.a
Maria quid. 201.a Moria quid. 123.b
Maria nunquã terminum suum egredientur, vt terram totam operiant. 16.b
Mariæ Magdalenæ cur Christus resurgens prius apparuerit quàm B. Ioanni. 754.b
Maseroth quid. 376.a
Materia vnde sit dicta. 168.b
Matthæum Euangelistam, cur beatus Augustinus velit intelligi in facie leonis. 718.b
Matrimonij indissolubilitas naturalis est legis. 46.b
Mathusim quid. 133.a
Mazecha Capadociæ ciuitas vndè sit dicta. 89.a
Mœdi à Madia filio Iaphet duxerunt originem. ibi.
Melchisedech quis fuerit Hebræorũ æstimatiõe 97.a
Mendacium obstetricum Aegyptiarum peccatum nõ fuisse probatur. 200.a
Mergus quid. 316.a
Meroniæ quid. 437.b
Meroz quid. 438.a
Mesopotamia vnde sit dicta. 129.a
Messath quid. 96.a
Methea quid. 376.a
Michol quid. 480.b
Michol Dauid despiciẽs, quid mysticè significet. 488.a
Migale quid. 316.b
Miraculis qualiter Christus manifestauerit potestatem simul & misericordiam regni Dei. 717.a
Miseretur Deus cui vult, & quem vult indurat, salua vtrobiq; iustitia. 174.a
Misericordiæ victimor est diuina quàm humana natura. 257.a
Moab in quo hæreticorum typum prætulerit. 363.b
Molam superiorem & inferiorem pignoris loco, cur accipere non liceat. 393.a
Mors Isboseth filij Saul, quid mysticè significet. 487.
Mors Rachel cur descripta sit, & non Lyæ. 163.b
Mortis causa, id est, peccato originali in baptismo deleta, cur adhuc carne moriamur. 776.a
Mortui quatenus sint plangendi. 195.b
Moyses quid. 201.a
Moyses cur non circuncideret filios suos. 207.b
Moyses in fiscella positus, & à filia Pharaonis inuentus, matriq; suæ nutriendus traditus, quid præsagierit. 201.a
Moyses quomodo quadraginta diebus sine cibo durare potuerit. 263.a
Moyses quomodo de libro Dei deleri maluerit, quã populo non dimitti peccatum. 281.a
Moyses quo indicio cognouerit se populi sui forelibertatorem, antequam vocaretur à Deo. 201.b
Moyse cur deus in diuersorio occidere voluerit. 207.b
Moyses filios Israel tã quam paruulos, vt fœdus nuptiarum excepisse probatur. 242.a
Moyses vxorem Aethiopissam habẽs, quomodo Christi figuram prætulerit. 334.a
Moysi quomodo colloqui dictus est Deus. 256.a
Moysi cur Deus potius in flammã ignis apparuerit, quàm in qualibet alia specie. 203.a
Moysen quo Deus constituerit deũ Pharaonis 211.a
Mulier menstrui fluentis vitio laborans à sacra communione arceri non debet. 326.b
Mulier cur caput velari debeat. 52.b
Mulier cur duplici quàm vir pœna mulctata sit. 52.a
Mulier cur triplicem in sexu proprio pœnam habeat. 56.b
Mulierem bello captam in cuius rei typum licuit Iudæis ducere vxorem. 383.b
Mulieres omnes, præter vnicam Dei genetricem, in iniquitatibus & peccatis concipiuntur & concipiunt. 58.a
Mulierem in paradiso factam nõ esse probatur. 44.a
Mulierem virili veste indui aut econtra non debere, quid mysticè significet. 385.b
Mulierem cur Deus ex viri costa formauerit. 45.b
Mundi creatio, dei mutabilitati asscribẽda nõ est. 3.b
Munera Aliga l quib. placauit Dauid, quid mysticè significent. 481.a
Musicæ dulcedinis sonus quantum valeat ad conciliandum spiritum sanctum. 557.b
Mustela quid. 316.b

N.

Naason quid. 336.b
Nabo quid. 377.a
Naboth in quo Christi figuram prætulerit. 553.a.
Naboth quid. 563.a
Nabuchodonosor ex hominib. eiectus, et fœnũ vt bos comedens, cuius rei figuram prætulerit. 687.a
Nachor quid. 147.b
Nadab & Abiu offerentes ignem alienam domino, in cuius rei typum mortui sint. 313.a
Nathan quid. 497.b
Nathanael quid. 337.a
Nazaræorum lex, quid mysticè in Christo significet. 341.b
Nazaræi in cuius rei signum capillos nutriunt, quos post votum incidunt. 343.b
Nazaræorum legem, quomodo Christus spiritualiter impleuerit. 342.a
Nemroth quid. 90.b
Nemroth princeps fuit ædificantium turrim Babylonicam. 90.b
Nemis plantatum ab Abrahã in Bersabeæ quid mysticè significet. 123.a
Nepthalim quid 150.a
Nepthalim benedictionis, quid in sese cõtineat 193.b
Neruum omnem cur Iudæi non comedant. 161.a
Nilum fluuium cur olim Aegyptus pro maximo Deo suo coluerit. 42.a
Noe quid. 67.b
Noe quantam mentis angustiam sit passus toto illo anno, quo arcæ inclusus, ferebatur super aquas. 79.b
Noe tres filij tres mundi partes impleuerunt 87.b
Noe quàm fuerit commendanda obedientia in ingressu & egressu arcæ. 81.a
Noe magnæ virtutis testimonium, diuina scriptura tribuit. 77.a

Noe quã rectè sacrificium obtulerit, de seruatis cunctis animantibus. 82.b
Noe, quam requiem suo nomine significet. 77.b
Noctis atque diei nomina, quomodo Deus appellauerit. 10.a.b
Noctua quid. 316.a
Nubibus apostoli cur sint comparati. 602.b
Nubem ascensum suum quando Deus fecerit. 13.a
Nuditatem suam quare homo tandem commisso peccato erubuerit. 48.a
Nominum mutatio quàm diuersimodè facta sit in his tribus Patriarchis, Abraham, Isaac & Iacob. 162.a
Numerus compositus & incompositus quis. 73.a

O.

OBlatio omnis in cuius rei typum absq; fermento & melle esse debuerit. 293.a
Oblatio similæ & de craticula, in cuius rei figuram vtraq; absq; fermento, oleo conspersa esse debuerit. 292.a
Oblatio omnis, in cuius rei typum sale condiri præcepta fuerit. 293.a
Oblatio de craticula non comminuenda, cuius rei typus fuerit. 292.a
Oblatio pro peccato quid differat ab oblatione holocausti & hostia pacificorum. 294.b
Obeth quid. 336.b
Obsidionis Hierosolymitanæ quanta fuerit miseria. 655.a
Obstetricum Aegyptiarum mendacium à peccato asseritur. 200.a
Oculi protoparentum quomodo aperti esse dicuntur post peccatum. 53.a
Odollamita quid. 170.b
Offerre rectè non potest, qui nõ benè dimiserit. 309.a
Offerentis intentio facit, vt maioribus minora nonnunquam sint chariora Deo. 265.a
Oleum cur spiritus gratiam exprimat. 311.a
Onam quid. 170.b
Onyx quid. 42.a
Ooliab quid. 388.a
Opera bona non semper abscondi debere ab oculis hominum probatur. 395.a
Ophyr quid. 514.a
Ophni quid. 460.a
Oratione Isaac Rebeccæ sterilitas amota est. 134.a
Ossium Helisæi contactu in cuius rei exemplar mortuus homo reuixerit. 562.a
Othoniel quid. 434.b
Oza in cuius rei signum sit percussus à Domino, eo quod arcam tetigisset. 488.b
Oziæ regis temeritatem, quanta indignatione vltus sit Deus. 468.a
Oziel quid. 314.a

P.

PAcificorum oblatio vt legitima sit, tria requirit. 309.a
Pactum illud quod vel quale sit, de quo deus dicit: Ecce ego statuam pactum meum, &c. 86.a
Pactum, in quo deus cum hominibus pepigerit 86.b
Phadassur quid. 237.a
Panis triplex à Deo petendus est. 146.a
Panes azymi quid significent. 223.b
Pharao cur Iudæos abeuntes sit insecutus. 234.a
Pharao qua ratione diaboli typum prætulerit. 197.a
Pharaonis domum deus flagellans propter vxorem Abraham, quid mysticè velit intelligi. 93.b
Pharaone viuente cur non ingemuerint, nec vociferati sint filij Israel. 202.b
Phares quid. 171.b
Paradisus nihil pernicioſarum arborum aut herbarũ profert. 18.a
Paradisus quid. 38.b
Paradisum quomodo dicatur Deus plantasse à principio. 38.b.39.a
Paradisum terrenum propter solum hominem Deus plantauerat. 40.a
Paradisum verè terræ locum esse probatur. 38.b
Paradisum terrestrem ad exemplar paradisi cælestis esse plantatum, ostenditur. 40.a
Parentes suos homini relinquere licet, poscente causa, coniugem verò nequaquam. 47.a
Phase quid. 224.b
Passeres duos offerre pro emundatione leprosi, quid mystic è significet. 322.b
Passio Christi duo nobis cõdidit sacramenta, Baptismum videlicet & Eucharistiam. 756.b
Passio carnis cur à paucis vt pœna agnoscatur. 53.b
Pastores ecclesiæ quales esse oporteat. 148.a
Pastorib. Geraræ pro duobus puteis contendentibus, et pro tertio non, quid intus mysterij contineat. 138.a
Patres veteris Testamenti, quamobrem beatus Paulus peregrinos & hospites appellarit. 144.a
Patibulo crucis affixos ob scelera, cur lex sepeliri præcipiat. 397.a
Patientia Dei quanto tempore expectauerit, dum fabricaretur arca. 78.b
Paulus cur Timotheum circunciderit, & purificatus Iudaico more in templum cum oblationibus intrauerit. 796.b
Paulus Apost. quomodo in se absoluerit benedictiones Beniamin. 414.a
Paulus Apost. quanta fuerit gratia intellectus à Deo illustratus. 787.b (486.b
Paulus Apostolus quomodo sit præfiguratus in Abner.
Paupertas spiritus quàm eminenter splenduerit in Patriarcha Iacob. 144.a
Peccatum plebis, id est, subditi qua oblatione ac pœnitentia sit expiandum. 297.a
Peccatum suũ quis contra se habere dicatur 544.a
Peccatum suum quando quisquam apud se habere dicatur. ibid.
Peccatum generandi naturam non attulit, sed generationis instrumenta corripuit, & generi honorẽ eripuit. 30.b
Peccatum principis, id est, prælati quo ritu sit expiandum. 297.b
Peccati confessio indulgentiã inuenit, quam non habet defensio. 302.b
Peccata omnia deleri virtute passionis Christi probatur. 297.b
Peccatorum quatuor sunt incrementa. 56.a
Peccantibus in nobis quo moderamine disciplinam adhibere debeamus. 334.b
Pectusculum & armum dextrum cedere in vsus sacerdotum quid mystic è significet. 309.a

Pelles

Pelles arietũ rubricatæ in protectione tabernaculi, quid mystic è significent. 170.b
Pœnituisse quomodo dicatur Deum, quòd hominem creasset. 76.b
Persecutiones Christi quas à Iudæis prætulerit, quomodo fuerint præfiguratæ in Dauid. 476.b
Petra, qua percussa cunctis sitientibus aqua emanauit, quæ sit. 249.a
Petro cur Christus resurgens prius apparuerit, quàm B. Ioanni. 754.b
Phezieli quid. 337.a
Phiairoth quid. 233.b
Per Philistæos Iudæorum perfidia indicatur. 447.b
Phinees quid. 460.a
Phynon quid. 376.b
Pisces pennas habentes, quid significet mystic è. 316.a
Pythagoras ab omni animali atque legumine censuit abstinendum. 85.b
Plagis septem omnis generatio Iudæorum deleta est in deserto. 373.a
Platonis error de spiritu mundi refellitur. 5.b
Plaustrum nouum arcam domini portans, quid mystic è significet. 488.a
Pollutio nocturna ex varijs causis accidit. 391.a
Porticus vnde dicatur. 46.a
Porticus in facie maioris, porticus quid mystic è significet. 504.b
Porphyrion quid. 316.a
Porticus ante templum Salomonis, quid in Christo significauerit. 500.a
Porticus ante templum Salomonis, cur secundum altitudinem non describatur. ibid.
Præceptorum decalogi quatuor pertinent ad dilectionem Dei, sex verò ad dilectionem proximi. 255.b
Præceptorum decalogi & consiliorum, qualis sit adinuicem comparatio. 797.a
Prædicator cur gallo sit comparatus. 804.a
Prædicatio verbi Dei quomodo sit dispensanda.
Prædicatoribus verbi Dei quæ meritò stipendia debeantur. 605.b
Prælatus cur arieti comparetur. 804.b
Prælatorum vitam, à subditis temerè reprehendi nõ debere, exemplo ostenditur. 488.b
Prælatis erga subditos suos messe debet misericordia & iustitia. 281.a
Præuaricatione paterna, baptismatis sacramenta deleta, cur adhuc carne moriamur. 770.a
Primatum quando beatus Petrus acceperit. 716.a
Primitias cur Deus ad constructionem tabernaculi tolli præceperit. 265.a
Primogenitorum quæ lex fuerit. 230.a
Primogenitos omnes, à Sem primogenito Noë, quẽ & Melchisedech fuisse affirmant, Hebræorum sententia est. 136.a
Primogenita Aegyptiorum non medio die, sed nocte media cæsa, quid innuant. 226.b
Primogenita Ruben cur reputata sint Ioseph. 150.b
Prophetiæ spiritum non semper adesse prophetis ostẽditur. 141.b
Propitiatorium arcæ, dominicæ passionis signum fuisse probatur. 266.b
Psalmorum ter quinquaginta cum adiunctis titulorũ mystic is significationibus quis sit ordo. 248.b
Psalterij forma, quid mystic è significet. ibid.
Psalterij decachordi qualis sit mystica cõpositio. 471.
Ptolomæus Philadelphus antiquum Testamentum in Græcum verti curauit per Septuaginta Interpretes. 201.b
Phua quid. 201.a
Pudor Rebeccæ, quæ cõspecto Isaac pallio operuit se, quàm sit commendabilis. 132.a
Puer Aegyptius, quo duce Dauid inimicos suos Amalechitas persequens comprehendit, quid mystic è significet. 482.a
Pugna Gedeonis, cùm trecentis viris probatis contra Madian, quid mystic è significet. 441.a
Purgatorij ignis post hanc vitam assertio. 65.b
Puritas quæ in alijs quæritur per consilium, in sacerdotibus exigitur per præceptum. 305.a

Q.

QVadragenarium numerum cur in corripiendo homine, quantitas plagarum excedere non debeat. 395.b
Quadrupedes aues, quid mystic è significent. 316.a

R.

RAab meretrix, cuius rei typum gesserit. 426.a
Raab meretrix à mendacio defenditur ibid.b
Rachel cur in se contemplatiuæ vitæ typum prætulerit. 149.a
Ramathaim quid. 377.b
Rameſſe quid. 374.b
Raphidim quid. 375.a
Ratio quo sensu dicatur non esse apud inferos. 37.a
Ratio qua solus homo insignitur quid. ibid.
Rationalis creaturæ, duplex est paradisus. 41.a
Rationalis creaturæ quæ sit completio. 32.b
Rebecca quid. 130.a
Rebeccæ mors cur nusquam in sacra scriptura exprimatur, sed tantùm Debboræ nutricis eius. 162.b
Rebeccæ exemplum qualiter in ecclesia sit imitandum, dum Iacob pro Esau ad benedictionem informat. 140.a
Rebeccam Isaac introducente in tabernaculum Saræ, quid mystic è designetur. 132.a
Regem postulantes Iudæi, cur peccasse perhibeãtur, lege hoc non perhibente. 467.a
Regum primus & secundus libri, cur apud Hebræos Samuel vocentur. 455.a
Regina Saba ad Salomonem veniens, cuius rei figuram tenuerit. 514.a
Regnum Israel decem vicibus scissum fuisse, probatur. 545.
Regibus quinque à quatuor superatis duce Abrahã, quid mystic è significetur. 88.b
Religio Christiana sine vi construẽda probatur. 400.
Reptilia cur Deus ab aquis produci iubet in animam viuentem. 22.b
Reptile quid secundum mysterium. 316.a
Requieuisse cur Deus dicatur ab omni opere, q̃ creauit vt faceret, & non quod creauit & fecit. 35.a
Ressa quid. 375.b
Retributiones quis sequi dicatur. 567.b
Rethmonphares quid. 375.b.
Reuelationibus diuinis qui hominum digni censeantur. 158.b
Rhei quid. 497.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romam cur beatus Petrus alteram Babyloniam appellet. 121.a
Ros quomodo fluere dicatur. 402.b
Ruben quid. 150.b
Rubē benedictus à patre, quorum typū gesserit. 188.a
Ruben cur ablata sint primogenita, & translata ad Ioseph. 150.b
Rubus ardens & non combustus, cuius rei præsagium fuerit. 203.a
Ruminare, quid mysticè significet. 315 b

S.

SCiendi triplex est modus. 735.a
Scripturæ sacræ studijs quicunque accinctus incumbit, sensum verbi Dei tenere contendens, instar Iacob cum Deo luctatur. 161.a
Scirpus quid. 201.a
Secreta sua cur Deus quādoq; impijs reuelet. 684.a
Sedeur quid. 336.b
Segor primū Bale, deinde Salissa est appellata. 116.a
Segor quid. ibid.
Seyr quid. 411.b
Selmon quid. 131.a
Sem quid. 88.a
Sennaar quid. 89.b
Semei quid. 497.b
Sephera quid. 207.b
Septuplum puniri quid. 72.a
Sepulchra mortuorum vendere quàm sit damnabile. 127.a
Septuagies septies peccare quid. 72.b
Sermonis incontinentia laborans, quomodo sit ab Ecclesia tractandus. 325.b
Serpens quomodo in paradiso esse potuerit. 49.a
Serpens si vel extremæ plantæ hominis dentulum infixerit, occidit. 56.b
Serpentem qui loquebatur, vtrum irrationalem esse per naturam, homo nescierit. 49.b
Serpenti quomodo pro maledictione dictum intelligi debeat super pectus tuum gradieris, cū hoc prius à natura habuerit vt reperet. 26.a
Serpentes cuidam genti innoxiæ sunt. ibid.
Serpentum omne genus ex eo corruptum ac venenatum factum est, quòd diabolus illo ad hominis mortem est abusus. 26.a
Seruum emptitium Hebræum, cur Deus septimo anno liberum exire præceperit. 257.b
Seth quid. 67.a
Sydon quid. 547.b
Signorum quæ facta sunt coram Pharaone, quæ fuerint causæ spirituales. 197.a
Signorum quæ monstrabantur Moysi in signum, quæ fuerint mysticè rationes. 205.b
Symeon quid. 150.a
Symeon & Leui, quorum typum paterna benedictione expresserint. 188.a
Sin quid. 375.a
Simulæ oblatio sartagine minutatim dividenda, quid mysticè significet. 292.a
Sion mons, quid mysticè significet, iuxta sententiam B. Pauli. 254.a
Socoth quid. 161.b
Societas prauorum, quàm sit cuique vitanda probatur. 161.a
Societatem malorum quando quis patienter sustinere possit absque peccato. 560.a
Sodoma cum finitimis ciuitatibus subuertenda, cur Abraham deletionē deprecans à quinquagenario per intermedios descendendo in denario substiterit. 111.b
Sodomitæ domum Loth priusquam cubitum irent cingentes, typum gesserunt Iudæorum dominum Iesum comprehendentium. 113.a
Sodomorum subuersionem, cur Deus Abraham cælare noluerit. 111.a
Sodomorum peccatum typus fuit Iudæorum, qui dominum illudentes crucifixerunt. 110.b
Sol quid. 20.a
Sole sublato omnis factura mundi non solum infirma & egena, sed nulli viuentium sit habitabilis. 19.a
Solemnitas azymorum quo tempore anni, & quibus ritibus fieri sit præcepta. 328.a
Solemnitatum trium, Azymorum videlicet, primitiuorū, et congregatarum frugum, quæ causæ extiterint. ibidem
Somnium Pharaonis qualiter solus Ioseph interpretari potuerit. 175.a
Somniū Ioseph quomodo fratres adorantes impleuerint. 177.b
Sopor irruens super Abraham, & horror magnus & tenebrosus eum inuadens, quid mysticè significet. 109.b
Spicas virentes offerre, easq; igni torrere, oleumq; ac thus superimponere, quid mysticè significet. 293.b
Spicas de agro proximi cur frangere, & manu conterere, falce autem metere non liceat. 392.a
Spiritus quando sacramento baptismi testimonium dare incipiat in terra. 760.a
Spiritus Dei quomodo ferebatur super aquas. 5.a
Spiritus hominis quo differat à spiritu iumentorum. 38.a
Spiritus intellectus qualibus experimentis sit in beato Petro declaratus. 771.a
Spiritus intellectus quando vel qualibus hominibus sit datus. 772.a (360.b
Spiritus quando & vndè paracletus dici cœperit.
Spiritus sanctus cur magis in columbæ specie super Christum apparere voluerit. 729.b
Spiritum sanctum non à solo patre procedere probatur. 734.b
Stellio quid. 316.b
Stellæ m quadam signa sunt, quæ salua pietate homo Christianus queat suscipere vel attendere. 22.a
Stellis fatalia signa non inesse. 21.a
Stephanus quanta fortitudine præditus fuerit. 804.b
Stolas binas fratribus suis proferente Ioseph, quid mystice significetur. 183.a
Struthio quid. 316.a
Sue quid. 170.a *Suna quid.* 497.a
Sunamitis filium, cur puer ab Helizeo missus cum baculo, suscitare non potuerit. 558.
Superbiæ malum in cuius rei signum est per virgam germinantem cohibitum. 359.a
Sur quid. 102.b *Syria quid.* 559.a
Sabbata, cæteraq; Iudæorum festiuitates, cur Deus Sabaoth quid. 158.a (odisse dicatur. 336.b
Sabbata terræ, quo sint à Christianis spiritualiter obseruanda. 332.a *Sabbati*

Sabbati carnalis lex fuit sancta, et iusta, et bona. 36.a
Sabbatizandum est homini spirituali, non vno tantū hebdomadis die, sed omni tempore. ibid
Sabeæ quid. 122.
Sacerdotes euangelici, quomodo imitentur benedictionem Leui. 413.a
Sacerdotis sacrificium oblaturi quod sit officiū. 125.a
Sacerdotium Christi, dictu factuq; significatum esse tempore Hieremiæ probatur. 611.b
Sacerdotij Aaron & Leui, cur Iacob filijs suis benedicens non meminerit. 195.a
Sacerdotium cur in vnam tantùm Leuiticam tribū sit deriuatum. 328.b
Sacerdotiū vetus qūo in figura noui sacerdotij, Christi prius oleo, postea sanguine consecratū sit. 312.b
Sacrificiū oē in Christo et à Christo perficitur. 289.b
Sacrificium nostrum fides est. 303.b
Sacrificium panis & vini, veritatem carnis & sanguinis, & totam gratiam verbi incarnati continere probatur. 286.a
Sacrificium quale debeat homo Deo offerre. 82.b
Sacrificia omnia & Iudæorum festa, esse Deo odibilia probatur. 566.b
Sacrificiorum ritum nō necessarium pro tempore institutum fuisse probatur. 289.a
Sacrificiorum omnium princeps est Christus. 289.b
Sacrificia cur non nisi de armento pecoribus & volatilibus sumi iubeantur. 289.a
Sancti veteris Testamenti quid minus habuerint, quā nunc in nouo Testamento fideles habeant, ostenditur. 68.b (418.b
Sanctos omnes benedictiōe Aser benedici probatur.
Sanctificari hominem non posse hoc solo, quòd carnē sanctificatam in ora vestimenti portet, quid mysticè significet. 306.a
Sanctificationis præparatio in diem tertium mandata, quid portendat. 253.a
Sadoch quid. 497.b
Saga cilicina cortinas operientia, quid mysticè significent. 270.b
Sanguis quanta cum auctoritate tum vtilitate testimonium ferat sacramento baptismatis. 761.b
Sanguinem hominis quomodo dicatur Deus requirere de manu bestiarum. 85.a
Sanguinem Christi, sanguine vitulorum præfiguratum fuisse ostenditur. 261.b
Salomon cur iure reprehensibilis fuerit, quòd nō dies longos, sed sapientiam à Deo postulauerit. 544.b
Salomon quomodo Christi typum gesserit. 496.a
Salomonis regnum cur fuerit abscissum. 544.a
Salamiel quid. 336.b
Samariā Benadab Syriæ rege obsidente quanta fuerit in ea famis angustia. 407.a
Samuel vncturus Dauid in regem, in cuius rei typum vitulum clam secum adduxerit. 470.a
Sapientia quàm bene coram domino luserit, diabolo per passionem Christi iustè deluso. 751.a
Sapiētia Dei nequaq; ab oculis beatæ virginis Mariæ absconditа fuit, etiā passionis Christi tēpore. 750.b
Sapientiæ lampadem contemnentes, vndè apud beatum Iob diuites esse dicantur. 742.b
Sapientiam Dei qua ratione dicantur iumenta terræ nobis indicare. 743.a
Sapientia non eodē modo est apud Deum et in creaturis. 744.a
Sapientia Dei & sapiētia huius mundi, qualiter vsq; in finē seculi sibi inuicē aduersari nō desinat. 737.b
Sapientia quanta in Christo fuerit contra Iudæorum malitiam. 744.b
Sampson quomodo Christi typum gesserit, ostenditur. 443.a & deinceps.
Sampsonis matri in cuius rei typum inuncta fuerit continentia. 444.b
Sampsonem cur carcere inclusum, erutis oculis molere fecerint Philistæi, iuxta Iudæorum deliram fabulam. 448.b
Samuel sanctus magna fide & largo fletu matris cōparatus, fructus est orationis. 456.a
Sarai quid. 107.b
Sara quid. ibid.
Sara in domum Pharaonis sublata, quid mysterij significetur. 94.a
Satto Isaac quid mysticè insinuat. 138.a (469.a
Saul damoniacus, regnum peccati in se adumbrauit.
Saul in innocentia duobus annis regnasse probatur. 467.a
Saul culpabiliter holocaustum obtulisse probatur, cū ab eo expectari debebat Samuel. 467.b
Sathanas quid. 177.b
Sathan, vbi Iob tentandum expetebat, terram circuibat, cum verò Christum fecisset occidi, foras missus est. 739.a

T.

TAbernaculum Moysi, qua ratione beatus Paulus dicit fuisse exemplar cælestis tabernaculi. 264.a (tudo. 369.a
Tabernaculorum Israel quæsit spiritualiter pulchri-
Tabernacula Sem, in quibus habitauit Iaphet, quid mysticè designent. 88.b
Tabernaculum cæleste exemplar fuisse tabernaculi Moysi probatur. 264.a
Tabernaculū typum gessisse ecclesiæ probatur. 270.a
Tabernaculum secundum, eius q; structuræ quid mysticè significent. 272.a (269.b
Tabernaculi secundi quis fuerit situs atq; distinctio.
Tabulatū inferius in templo Salomonis, & superius cum suis dimensionib. quid mysticè significet. 500.b
Tabernaculorum priorum decalogi confractio quid mysticè significet. 279.b
Tapinosis quid. 609.a
Thaath quid. 376.a
Thamar parturiente, & geminorum altero manum prius proferente, et altero materiam destruente, quid mysticè significetur. 171.a
Thamar arrobonem accipiente donec mitteretur hœdus, quid mysticè significetur. ibid.
Thamar aduli era quid mysticè insinuet. 170.b
Thare quid. 376.a, 89.a
Thraces à Tyras filio Iaphet sumpserunt exordium.
Templū Salomonis, corporis Christi typus fuit. 499.a
Templum Salomonis in eo loco fundatum ostenditur, vbi immolandus erit Isaac. 123.b
Templum Salomonis quot annis sit ædificatū, & quid hoc in mysterio significet. 503.a
Templum pretiosissimū Salomonis, cur permissum sit Babylonico igne conflagrari. 612.b

Templi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Templi Salomonis euersionem, consilio Dei actam esse ostenditur. 615.
Templi Salomonis mensuræ, quid mysticè significent. 498.a
Templi vel altaris consecratio, non vanè per singulos annos festiuis laudibus celebratur. 146.a
Tenebræ quales fuerint super faciem abyssi. 4.b
Tentationū Iudaicarū cathalogus recensetur. 356.b
Terra quæ sit, quæ suscepit sanguinem mystici Abel, id est, Christi, super quā Iudaicus populus vagus & profugus est. 77.b
Terra quomodo dicatur à Deo fundari super stabilitatem suam. 16.b
Terra quomodo dicatur germinasse herbam virentem, cum nondum sol factus esset. 20.a
Terra quomodo inanis & vacua fuisse referatur. 4.b
Terra si æqualis vbiq; iaceret, non leuior quàm in mari ventorum tempestas, in ea regnaret. 17.a
Terræ quid opus fuerit, vt ascenderent montes et descenderent campi. ibid.
Terram & cælum cum Deus crearet, cur non dixerit, fiat cælum, et fiat terra, sicut dixit, fiat lux. 3.b
Testimonium dari in cælo & in terra quid sit. 759.a
Theos quid. 789.a *Theth quid.* 634.a
Therebyntus quid. 162.b
Theraphin quid. 154.b
Timor domini quomodo dicatur ipsa sapiētia. 749.a
Timotheum cur beatus Paulus circunciderit. 563.
Tyrannorum ea est lex violentiæ, vt eis quos opprimunt, liberationem optare, pro crimine audaciæ ac contumaciæ sit. 202.a
Trinitas increata extra se exemplar nullum habuit, vt conderet hæc tria, cælum, terram, & omnē ornatum eorum. 2.a
Trinitatis increatæ, triforme est iudicium. 77.b
Trinitatem personarum in diuinis, præmonstrari in capite libri Geneseos probatur. 5.b
Tribus Israel cur tantum duodecim esse dicātur, additis ad duodecim filios Iacob Manasse & Ephraim filijs Ioseph. 195.a
Trisleg a quid. 78.b (514.b
Thronus eburneus Salomonis, quid mysticè significet.
Tubæ duæ ductiles argēteæ, cur fieri iussæ sint. 348.b
Tunicas pelliceas, quomodo Deus protho parentibus nostris fecisse dicatur. 62.b
Turris Babylonica quo tēpore cœperit ædificari. 90.b

V.

Vacca trima, et capra trima, & aries annorum trium, turtur quoq; & columba, quid mysticè significent. 100.b
Vaccæ arcam domini portantes, in cuius rei signum in holocaustum sunt cæsæ. 465.a
Vaccis arcam domini portantibus, cur prædicatores sint comparati. ibid.
Vas fictile in quo cocta est hostia pro peccato, in cuius rei typum iubeatur confringi. 306.a
Vectes quibus arca iubebatur portari, quos mysticè designent. 265.b
Velamen positum super faciem Moysi, quid mysticè significet. 287.b
Verbo Dei aliquid apponere vel detrahere quám sit damnabile. 50.b
Velleris Gedeonis geminum signum, quarum rerum futurarum præsagium fuerit. 440.b
Vernaculorum Abrahæ 318. numerus, quid mysticè significet. 98.a
Vespere & mane quomodo factum sit dies vnus 11.a
Vestes Esau in benedictione Iacob, quarum rerum typum gesserint. 141.a
Vestes Aaron, quomodo adumbrarint spirituale indumentum Pontif. magni Iesu Christi. 277.a
Vestimentorum sacerdotalium veteris Testamenti, quæ fuerit mystica significatio. 275.b
Viæ Dei quæ sint. 596.a
Vigiliæ quatuor sunt noctis. 236.b
Vineam altero semine seri non debere, quid mysticè significet. 387.b
Vineam proximi ingredientibus, in cuius rei signum vuas intus comedere liceat, foris autem efferre nequaquam. 392.b
Vinum & omne quod inebriare poterat, in cuius rei commendationem prohibitum sit filijs Aaron tabernaculum ingressuris. 314.b
Vindicare bis in idipsum quid. 72.b
Vipera nequissimum genus reptile, murenæ ad coniugalem complexum sociatur. 26.b (cet. 235.a
Virga Moysi eleuata super mare quid mysticè signifi
Virtutes tres Theologicas, fidem videlicet, spem, & charitatem, qua via Salomon tribus libris commendet. 546.a
Visio Iacob quid mysterij in se contineat. 144.b
Vita Christiana duplex est, actiua videlicet & contemplatiua. 149.a
Vituli contriti puluis in aquam sparsus, & ad potandum exhibitus, quid mystice significet. 279.b
Vnctio Aaron & filiorum eius, quo sensu præcipiatur obseruari religione perpetua. 311.a
Vnctio Dauid prima, cur clam in domo patris sui facta sit. 469.b
Vngulā diuidere quid sit secundum mysterium. 315.b
Vocari hominem à Deo & respondere illi, vtilius ne sit, quā loqui hominē, & Deum respōdere. 746.a
Voluntate Dei nec homo perijt nec angelus. 8.b
Volatilia acutius sentire quā reptilia probatur. 23.a
Volatilia omnia cum aqua produxerit, cur nō omnia etiam sub aquis natalibus posint viuere. 23.b
Votum viri, & maritatæ mulieris, & eius quæ adhuc est in ætate puellari, quatenus obliget. 374.a
Vota temeraria exemplo Iepthe esse cauenda ostenditur. 442.b
Vota non adimplere, quàm sit graue peccatū. 335.b
Vpupa quid. 316.a
Vrbes tres fugitiuorum, quid mysticè significēt. 79.b
Vulgus promiscuum, & innumerabile cum filijs Israel ab Aegypto egrediens, quid innuat. 227.b
Vulpes trecentas, in cuius rei typum Sampson in segetes immiserit. 445.a

Z.

Zabulon quid. 150.a. 337.a
Zara quid. 171.b
Zelotypiæ lex, q̄d mysticè in Christo significet. 341.b
Zuar quid. 337.a

FINIS INDICIS.

PROLOGVS RVPERTI
IN LIBROS DE SANCTA TRINITATE ET OPERIBVS EIVS.

FACIES Moysi cùm vbique ex collocutione Dei splendida sit, & idcircò figuratiuis cum vocibus sensum suum, qui per faciem intelligitur, velare oportuerit, tum verò in creatione mundi tanti splendoris est, quantum ferre nequaquam potuissent vniuersi filij Israel, nisi illum grossiori textu literæ, quasi pannis infantiæ obuoluisset. Narrat enim nobis, inquantum homo ex prædicta Dei collocutione discere potuit, illam ineffabilem genituram filij Dei, de qua dicit ipse Deus pater in Dauid, Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribētis. Nihilo minus & illos septē spiritus Dei dinumerat, quos hodie missos in omnem terram sancta catholica nouit Ecclesia. Scilicet spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, & spiritum timoris Domini. Hæc sine dubio si absque velamine palam omnibus scripsisset, sicut nunc vbique in toto mū do prædicatum est, ex quo iam glorificato Iesu & spiritu dato, reuelata facie gloriam Domini speculari licet profectò nimis cornutam faciem, nimium Dei splendorem impatientibus lipporum oculis obiecisset. At ille velamen talis literæ, suæ faciei prudenter oppandit. Dixit Deus, fiat, & factum est. Septies dixit, & septies dictionis suæ bonitas sibi complacuit, & septimo die requieuit. Hoc talis literæ velamine subiecto inuenies illud quod ait, dixit Deus, fiat, hoc ipsum esse quod ait pater in Dauid: Eructauit cor meum verbum bonum, vel quod dixit Euangelista Ioannes de verbo, quod in principio Deus apud Deum erat, omnia per ipsum facta sunt. Porrò septem boni operis eius species, septem dies dei sunt. Quia videlicet propter bonitatem suam, quæ est septiformis spiritus sanctus, hoc verbum de corde suo pater genuit, quia septies dixit, & dicendo septem opera valdè bona fecit. Licet autē futura sit octaua dies, nihilominus tamen, operis dei septem sunt dies, quia videlicet homo, cuius vniuersalis resurrectio dies octauus est, non in alia, sed in ipsa qua conditus fuit specie, resurrecturus est.

Psal. 44.

2. *Cor.* 3.

HOrum dierum singuli ex vespere cōstat & mane, quia profectò omne quod factum est, in verbo Dei erat antequā fieret. Nam quod factum est, inquit Euangelista, in ipso, vita erat. Et vespere quidem erat, cùm adhuc quod factum est, solummodò vita esset in ipso: quia videlicet latebat in secreto Dei luminosa faciendi hæc omnia potestas vel præsciētia. Tunc autem mane splendidū venit, quando hæc vita quæ in ipso erat, in actum vel species rerum patenter effulsit. De his omnibus suis in locis plenius dicendum est.

Ioan. 1.

IGitur adorandam sanctę trinitatis gloriā, in hac peregrinatione quærentes, operū ipsius speculum sensib. nostris admouemus, vt quia pro cōditione mortalitatis infirmos adhuc oculos in splendorem maiestatis eius figere non valemus, saltem opera eius contuentes in lumine eius aliquantulo, sine errore ambulemus. Est autem tripartitum eiusdem trinitatis opus, à conditione mundi, vsque ad finem eius. Primum est ab exortu primæ lucis, vsque ad lapsum primi hominis. Secundum, ab eodem lapsu primi hominis, vsque ad passionem secūdi hominis Iesu Christi filij Dei. Tertium, à resurrectione eiusdē vsque ad seculi consummationem, id est generalem mortuorum resurrectionem. Et primum quidem patris, secundum autem filij, tertium verò spiritus sancti proprium opus est. Planè inseparabilis trinitas, vnus deus, inseparabiler operatur. Veruntamen singulis horum, id est, patris & filij, & spiritus sancti, sicut personæ proprietas, ita & in perfectione mūdi consideranda est actio propria, videlicet vt patris creatio, filij redemptio, sancti spiritus proprium sit opus creaturæ innouatio. Denique cùm pater per verbum omnia facit, & spiritus sanctus superfertur aquis, cooperantur quidem duæ personæ vni operanti, veruntamen ipsa verbi dictio, vel spiritus emissio, propria patris actio est. Item cùm filius, id est, verbum patris, ad saluandum mundum ingreditur, pater quidem illud de corde suo eructat in vterū virginis, & spiritus sanctus corpusculum illi de materna substantia compingit, & sic duæ personæ cooperantur vni operanti: veruntamen sola filij persona est, quæ carne induitur, pariterque moritur. Nihilominus cùm spiritus sanctus per eiusdem filij passionem in peccatorum remissionem datur, pater quidem vt ille procedat, viscera sua super nos hactenus iustè cōtenta, misericorditer laxat, & rediuiuus filius hominibus insufflat, & sic duæ personæ vni cooperantur: veruntamen propria spiritus sancti persona patris & filij donum vel gratia est, tota exornatio creaturæ rationalis est.

Tripartitū opus trinitatis.

ERit itaque in honorē patris, & filij, & spiritus sancti, hoc opus tripartitum. Pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma pars de primorum hebdomada dierum. Secunda, de hebdomada sequentium mundi ætatum. Tertia de gemina resurrectiõe mortuorum, vnde vtraque hebdomada supplebitur, & in octauam perficitur. Prima nanque resurrectione animarum, quæ est remissio peccatorum, mors peccati, quæ est post septẽ dies admissa, deletur: secunda resurrectione corporum mors omnis carnis per septem ætates mundi mortuorum absorbetur.

Apocal. 4. & 5. His ita propositis, iam nunc aspiciendum est ad ostium apertum in cælo, & ad sedem positam in eo, & supra sedem sedens, qui omnia condidit, exorandus est, per septẽ lampades ardentes, quas ante thronum suũ appendit, & per septem cornua, totidemque oculos agni, qui est in medio throni sui, vt prædictum creaturæ ornatum, ter septenarium dignè nobis disserere præstet, secundũ veritatem libri magni, quem de dextera eius idem agnus accepit, & aperiens vt solus erat dignus, septem eius signacula soluit.

FINIS PROLOGI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Quòd extra se sancta Trinitas non habuerit exemplar, vt conderet hæc tria, cælum, terram, & omnem ornatum eorum.

CAPVT I.

Scripturarum omnium vertex sublimis liber Geneseos sic incipit. (In principio creauit Deus cælum & terram.) Duobus istis scilicet, cælo & terræ postmodum adijcit tertium, dicendo: (Igitur perfecti sunt cæli & terra & omnis ornatus eorum.) Sanè cæli nomine, inuisibilis illa sanctorum angelorum patria, terræ autẽ vocabulo visibilis iste mundus designatus est. Porrò, ornatus cæli angelica creatura, terræ autem cum cætera quæ nascuntur vel sunt in ea, tum præcipuè genus humanum est. Quòd habuit exemplar faciens hæc tria, nisi seipsum, Deus vnus, qui est trinitas? Planè non ideas, id est, formas, quas philosophi, seculares effinxerũt, sed seipsum pater deus, seipsum (inquam) attendit Deus vnus pater & filius, cum eo, quo pariter vterque natura liter ornatus est, sancto spiritu: dũ non solũ cælũ incorporeum, sed etiam corpulentam creauit substantiam terræ, & vtrumque simili compsit ornatu, cælum, scilicet, angelicis spiritibus, terram autem implens hominibus, quos æquales angelis esset facturus. Cælum quippe & terra dum crearentur, iam tũc in consilio creantis, cui non accedit consiliũ nouum, illud placitum erat, vt Dei filius terrenam substantiam indueret, ac proinde cælum rectè secundum personam patris, terram autem creatam esse intelligimus secundum personam filij, vtriusque autem, scilicet cæli & terræ, ornatum eorum secundũ propriam personam spiritus sancti esse factum, ex eo maximè liquet, quia priusquam mundi creaturam ornari cœptum esset, spiritus Dei, inquit scriptura, ferebatur super aquas, & exinde septiformi ornatu expleto, requieuit (ait) Deus ab omni opere suo, videlicet eò quòd illam efficaciter creaturam in opere artis suæ esset assecutus, super quẽ requiescere haberet spiritus eius, qualem facere vel inuenire gestiẽs, ante super aquas ferebatur. Igitur non extrinsecus quæras, aut suspiceris fuisse exemplar, siue quas dixerunt sapientes huius seculi, creaturis adiutrices ideas, quia profecto, cùm præter Deum nihil existeret, sola sibi, vt hæc tria faceret, exemplar fuit trinitas.

Ideæ Platonis.

Cur dicatur Genesis.

CAPVT II.

IAm antequam ipsa scripturæ verba ingrediamur, quærendum est, vnde vel cur liber iste Genesis vocetur. Etenim titulus iste benè perspectus, verè secundum nomen suum libri huius celsum illuminat caput. Dicitur enim titulus à titane, id est, sole, quo mundus iste illuminatur, quia videlicet præscriptione, quam titulum dicimus, quasi præmisso lumine, libri sequentis introitus aperitur. Vnde ergo liber iste Genesis dicitur? A generationibus cæli & terræ, immò à generatione illius diei, quo istæ generationes creatæ sunt, antequam fierent, sicut in hoc libro scriptum est. Istæ generationes cæli & terræ, quãdo creatæ sunt, in die quo fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequã oriretur in terra, omnem herbã regionis priusquã germinaret. Quis est iste dies, in quo hæc creata sunt, anteq̃ orirẽtur siue germinarent, nisi ipse quem annunciamus, diem ex die, diem (inquam) ex die, id est, verbum ex patre, in quo (sicut ait Euangelista)

vita erat, quod factum est antequam fieret.

Duplex generatio verbi Dei. Huius enim verbi generationem geminam, liber iste continet: alterã, quæ diuinitatis: alterã, quæ humanitatis est. Diuinitatis nanque genituram (sicut iam in præfatione dictum est) in eo tetigit, quod ait de singulis, dixit Deus, fiat, & factum est. Porrò, generationem humanitatis in eo liber iste patenter exprimit, quod ad Abrahã loquẽs deus, benedicam (inquit) tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & benenedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Rectè igitur & nobiliter liber iste dicitur Genesis, quia cum generationibus cæli & terræ, vtramque loquitur generationem, vnius eiusdemque Dei, & hominis Christi filij Dei. Nunc demum ipsa libri verba audiamus, ait.

Gen. 22.

Quòd filius siue verbum, per quod cælum & terra creata sunt, principium sit.

CAPVT III.

IN principio creauit Deus cælum & terrã. Cùm ipsa creati principium mundi sit, cur sic dictum est, in principio creauit? Idem enim est, ac si diceretur, in principio principium fecit, sed si hoc modo vulgariter hic accipias principiũ, cùm dicitur, in principio creauit, vitium est in superfluitate dictionis. Benè ergo hoc loco principiũ sic accipitur, tanquam proprium quoddam filij vocabulum, quia videlicet sic ipse voluit, qui cùm interrogaretur à Iudæis: Tu quis es? Principium (ait) qui & loquor vobis. Nam verè in hoc principio creauit cælum & terram deus, quia omnia per ipsum facta sunt. Hoc & alia scriptura fatetur, cùm dicit, omnia in sapientia fecisti, quæ videlicet sapientia non est alia, quàm verbum Dei, verbum Deus, qui (vt iam dictum est) seipsum principium nuncupauit. Non quidem natiua scripturæ huius lingua, scilicet, Hebraica filium & principiũ eadem voce significat, filius quippe ben, principium verò reshith dicitur in illa lingua, sed & hoc dicimus quòd & si non voce, sensu tamen filius principium est. Filius est, quia de Deo natus, Principium, quia creaturarum omnium prima & efficiens causa esse probatur. Itaque in principio, id est, in filio, in verbo suo, in sapientia sua creauit Deus cælum & terram. Creauit, inquam, id est, non vt philosophi gentilium vanè putauerunt, sibi coæuam habuit Hylen, siue materiam, sed de nihilo fecit cæli & terræ substantiam. Quòd si quis obijciat, hominem quoq; cùm non de nihilo, sed de terra factus sit, creatum dici, sicut scriptum est: Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginẽ Dei creauit illum, vel quod item dictum est, creauitque Deus cete grandia. Dicimus ad hæc, rectè dictum, eò duntaxat respectu, quia iam ipsa, de qua productæ vel sumptæ sunt species, creata fuerat materia, quibus nominib. scilicet, cælo & terra (vt suprà dictum est) significari vniuersam creaturam visibilem & inuisibilem simul. Et nihil excipi, ex symbolo quoque comprobatur Apostolico, quo cũ dicimus, credo in Deum patrem omnipotentem, creatorẽ cæli & terræ, nihil creaturarũ adijcientes, cuncta his omnibus visibilia simul & inuisibilia, nos cõpræhendisse non dubitamus. Nam in alio nihilominus catholico fidei symbolo cùm dicimus: credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, statim exponẽtes quid dixerimus cæli & terræ, subiungimus visibilium omnium & inuisibilium. Igitur (quod dictum est) in principio creauit Deus cælum & terrã, idem est, ac si diceretur, per filium suũ Deus pater creauit omnium visibilium & inuisibilium substãtiam vniuersam, talem adhuc, qualem, subsecutus terram exprimit, terra autem erat inanis & vacua.

Ioan. 8.

Psal. 103.

Cur non dixerit Deus, fiat cælum, & fiat terra, sicut dixit, fiat lux.

CAPVT IIII.

QVare autem non dictum est, in principio dixit Deus, fiat cælum & fiat terra, & factum est ita: sicut postmodum dicitur, fiat lux, & facta est lux, & cætera. Ad quod tripliciter respondendum est: Primò, quia cũ (vt iam dictum est) ipsum principium verbũ Dei sit, superfluum vel ineptum fuisset dici, in principio dixit Deus, tanquam si diceretur, in verbo suo dixit Deus. Deinde quia verbum imperatiuum, quale est hoc quod dicitur fiat, incongruè promittit, vbi nondum est aliquid cui imperetur, vel præceptum ponatur. Nondum autem erat aliquid, si, vt verè credimus, & præsens scriptura testatur, cælum & terram creauit, id est, de nihilo fecit Deus. Ergò ne nihilo præceptum dedidisse diceretur Deus, quòd incongruè esset, rectè prius scribitur materiam qualemcunque cõfusam siue infirmam creauisse, & deinde præceptum rei iam existenti dedisse, vt discretas ac speciosas, quas non habebat, assumeret vel produceret formas. Tertium nihilominus & hoc sciendum, tantarum scriptorem rerum sic dicere debuisse, quatenus nulli vacaret suspicari, quod (vt suprà dictum est) quidam de corde suo finxerunt philosophi, scilicet, mundi quidem speciem, vel rerum quæ in mũdo sunt, formas diuersissimas fecisse: verùm Hylen, id est, materiam, de qua cuncta hæc facta sunt, non à Deo factam, sed Deo semper fuisse coæternam. Igitur quomodo dici debuit, sic dictum est, quia in principio creauit Deus cælum & terram.

Quòd non sit mutabilitati ascribendum, quòd fecit Deus mundum, contrà eos, qui dicunt, mundum Deo coæternum.

CAPVT V.

SEd hoc mutabilitati Dei assripserũt quidam, quòd fecit istum, quia non erat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundum, illi videlicet qui volunt, Deo mũdum esse coæternum. Dixeruntq;: Aut Deo coæternus est mũdus, aut certè mutabilis est Deus. Si enim tandem aliquando fecit, quod in tantis æternitatis suæ spacijs non fecerat, profectò nouo consilio vsus est: ac proinde mutabilis est. Ad hæc inquã: Verisimè, neq; mutabilis est Deus, neque Deo coæternus est mundus. Nunquid mutabilitate vtitur quis, quando sapientiam suam nolens esse occultam, pulchram orationem vel quippiã eiusmodi, quod vtiq; in mente habet secretum, describit in charta per atramentum & calamum, & aduocat multos vt audiant sapientiam & intelligant vtilem scientiam? Nũquid mutabilis animi vitio dicendus est, pro eo, quia quod occultum habebat, vtiliter fecit, in publico vt cognosceretur auditorio? Non vtique de mutabilitate culpandus, sed de beneuolentia collaudãdus est. At verò mũdus, & omnia quæ cælo & terra continentur, quædam clarissima sapientiæ Dei signa sunt, quæ videlicet sapiẽtia siue verbum sic erat in corde Dei, priusquam istã fierent, sicut in corde tua sapientia vel ars prius est, quàm notulis visibilibus aut opere aliquo illam significes. Vnde Euangelista cùm dixisset: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, statim adijecit, quod factum est in ipso, vita erat. Quæ videlicet sapientia Dei, vt sciretur: vt esset, vnde vel à quib. cognosceretur, creauit Deus cælum & terram, & posuit in cælo angelos, & in terra homines, qui ex seipsis & cæteris quæ facta sunt, tãtum artificem vtiliter cognoscerent: Ergo nisi tu nimium ingratus sis, non Deum in hoc mutabilitatis accusas, sed de magna beneuolentia collaudas, & supplices gratias agas ei, quia propter gratuitam bonitatẽ suã in principiõ creauit deus cælum & terram.

Quale in illo principio intelligendum sit cælum.

CAPVT VI.

Philip. 3. IAm quidem cùm audimus cælum & terram, animalis homo, qui nunquam in cælo conuersatus est, nec dicere potest cum Apostolo, nostra autem cõuersatio in cælo est, hic talis nec opinari potest qualis habitatio cælum sit vel fuerit, mox vbi creatum fuit, quippe cùm nec spiritualis homo quantumcunque cælestia contempletur, dum viuit, sufficienter dijudicare possit, nisi quia magnus & immensus locus, magna & spiritualis est patris domus, in qua ab initio mansiones multæ paratæ sunt beatis angelis, & sanctis hominibus, vbi localis est, & localiter sedet secundum verum hominis corpus, pontifex summus, qui penetrauit cælos Iesus Christus filius Dei. Cuius videlicet spiritualis habitationis comparatione terra est, quicquid carneis oculis cernitur, vt rectè per Psalmistam cælum cæli dicatur, qui cùm præmisisset: Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram, statim subiunxit: cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Cælum *Psal. 113.* cæli dedit, eò quòd cõparatione eius, hoc visibile firmamentum, quod secundo die factũ est, non iam cælum, sed terra, aut vt multum quidam terræ ornatus sit, quia videlicet illud inuisibile est, istud autem terrenis animantibus conspicabile est. Illud (inquam) cælum cæli, quale factum sit, animalis homo nec opinari potest: terra autem fortè statim animo eius talis occurrit, qualis in sua forma conspicitur, scilicet herba virenti, ligniſque, & pomiferis vestita arboribus, & diuersis animantium generibus plena. Proinde continuò sequitur: (Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciẽ abyssi.)

Quomodo terra inanis erat & vacua, & quales tenebræ erant super faciem abyssi.

CAPVT VII.

CReatis, inquit, cælo & terra, cælum quidem non omni ornatu inane vel vacuũ erat, quippe quod ex lumine diuinæ maiestatis resplenduit, sicut ad illius similitudinem cælum istud visibile & aer, solis huius refulgent lumine, verùm terra, id est, corpulenta substantia inanis erat & vacuá. Non quidem ipsa à diuina magnitudine remota erat, cùm *Esa. 6.* de illo verissime Seraphin clament, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: Plena est ồmnis terra gloria eius, sed eam maiestas eadem, & si iam potestate, nondum tamen actu impleuerat vel ornatu, licet hoc prophetícè de prædicatione Euangelij Christi dictum possit intelligi, qua effectum est, vt non iam vna gens Iudæorum tantum, sed omnis terra diuinitatis impleretur notitia. Cæterùm, secundum quod iam dictum est, terra erat inanis & vacua, quia nondum illam creator ab aquis aridam segregauerat, nondum firmauerat, nondum sydera cæli huius palla vestiuerat, nondum tot creaturarum generibus exornauerat. Itaque si diligenter literam consideres, non cum sua, quæ tunc apparet visibili specie, creata est in principio terra, sed erat inanis, inanis, scilicet, ab omni germine, quod nũc in ea radicatur: & vacua videlicet à cũctis animantibus, quæ nunc in ea mouentur. Præterea & tenebræ erant super faciem abyssi, id est, super profunditatem aquarum, quæ nondum diuisæ, neque vt appareret arida, congregatæ fuerant in vnum locum. Tenebræ, inquam, corporeæ, circa indiscretum mundi corpus erant, quia videlicet nondum firmamentum erat in medio aquarũ, nondũ ea quæ corporaliter lucent in eo, & terrã illuminant, sol, luna, & sydera facta fuerãt, quæ die quarto facta sũt. Itaq; summatim, breuiterque tota præscripta est creaturæ informitas, tam inops & vacua, vt frustra esset in principio, id est in filio creata,

creata, nisi quia spiritus Dei ferebatur super aquas, qui est tertia in trinitate persona. Sic enim protinus subiungitur: (Et spiritus Dei ferebatur super aquas.

Quomodo spiritus Dei ferebatur super aquas.

CAPVT VII.

DEinceps nanque creaturæ eiusdem formatio vel exornatio succedit, tantamque ex intentione spiritus Dei meliorationem, & tantum inopiæ suæ supplementum capit, quantum pro modulo suo melioratur ouum, in eo quòd calore volucris animatur, & pullum producit. Quid autem putamus esse hunc spiritum, nisi bonitatem, amorem que Dei, amorem nõ affectuum, sed substantialem: amorem, inquam, & vitam, virtutemque viuam in filio & patre manentem, vel ab vtroque procedentem, patri filioque consubstantialem. Hic nempe ferebatur super aquas, nihilominus & super aridam, quæ sub aquis latebat, quia videlicet, magno super creaturam suam creator affectu ducebatur, vt quia non poterat esse quod ipse qui creauerat: tales ex ea faceret formas, in quibus creatori coniungeretur, conuiueretque & conregnaret creatura. Hic amor, hæc bonitas creatoris, spiritus sanctus est. Quem ne- *Error Platonis de spiritu mundi.* sciens Plato, cùm hanc scripturam legisset, spiritum mundi, id est, aerem arbitratus est, qui secundum ordinem elementorũ, aquis, vtpotè leuior, supereminet. Et quia per cælum quoque, de quo iam dictum est, in principio creauit Deus cælum & terram, ignem significari suspicatus est, quatuor tãtum elementa, scilicet ignem, terram, aerem, & aquam, hoc loco dinumerata esse putauit, vtpotè spiritum hunc non cognoscẽs qui plane non spiritus est mundi, sed spiritus dei: præsertim cùm per tenebras, quæ erant super faciem abyssi, vicinius aer possit intelligi, qui desuper nullis adhuc luminibus radiabatur, & idcircò rectè tenebrarum nomine designatur. Quare autem cùm quatuor mundi elementa sint, hæc duo tantum, scilicet, terram & aquam scriptor sacræ huius historiæ suis nominibus expresit, & aerem non proprio, sed tenebrarum nomine significauit? Videlicet quia pertinuit ad propositum eius, species istas in ornatu creaturæ quæ tũc erat informis, tam diuersas, tamque multi- *2. Cor. 4.* plices tunc existentes, dicere vnde exortæ sint. Constat autem, quia de tenebris istis, quæ erant super faciem abyssi lux effulsit, testante Paulo, cùm dicit: Quia Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris. Non ait in tenebris, sed de tenebris deus lucem splẽdescere dixit. Porrò de terra & aquis productæ sunt omnium species rerũ quas nouimus. Sol° ignis, licet gignẽtib. terræ & aquis cooperetur, nihil tamen ex ipso gignitur, & proinde de hoc elemẽto nõ iniuria siletur, vsque in quartum diem, quo fons illius, scilicet, sol in firmamento libratur. Solem enim fontem esse ignis ætherei, physici quoque qui diligentiores fuere attestantur.

Quod in capite libri præmonstratur trinitas.

CAPVT IX.

IGitur in capite libri splendidè præmõstratur creatricis præsentia trinitatis: Etenim in nomine dei, pater: in nomine principij, filius intelligitur: & qui super aquas fertur, ipse est spiritus sanctus. Iam quid tantæ maiestatis intenta præsentia factura vel dictura sit audiamus. Sequitur.

Quòd lux quæ facta est, angelica sit creatura.

CAPVT X.

DIxitque Deus, fiat lux, & facta est lux.) Fortitudo & sapientia Dei magna & terribilis, intento spiritu suo vociferantis super aquas, & ineffabiliter clamantis in virtute & magnificentia, breuiter atque suauiter, cùm dicitur, dixit Deus, breuiter, inquam, nostris intimatur sensibus. Quid enim ex hac breuissima enunciatione colligimus, nisi quod certissimum est, quia per verbum suũ omnia Deus operatus est? Nec verò ita sensibus pueri sumus, vt putemus Deum vocalem, dentibus, palato, & labijs, cum plectro linguæ percussis, elemẽtari sono dixisse, fiat lux? sicut nec in eo, quòd spiritus Dei ferebatur super aquas, phantasma illud admittimus, quod stans, aut sedens in aliqua parte, magnum anhelitum suum super aquas omnes sufflando emiserit Deus. Non, inquam, sic infantiliter, aut carnaliter de creatore spirituum Deo sentimus. Sed nec illas affectiones, quibus mente promouemur, vt eo modo, quo dictum est, verba per aerem transcurrentia mittamus, incommutabili atque impassibili deo asscribimus. Quid ergo? Quid in eo quod dictum est, dixit Deus, nisi generationem verbi æterni, verbi Deo consubstantialis, de cuius effectu, & nos & angeli rationales sumus, significatum intelligere debemus? Verè enim sine voce natum, & omnia potentialiter continens verbum, tunc pater actualiter genauit, quando cælum & terram creauit, quãdo lucem, & cætera fecit. Eructauit ergo cor patris verbum bonũ, & ex vtero, id est, de suæ substantiæ secreto, ante luciferũ genuit illud, quando dixit: Fiat lux. Quid autem est hoc ipsum, quod dixit fiat lux? Quænam est ista lux? Videtur enim nonnullis, lucem tunc esse factam, non aliam quàm aeris illustrationem, & tenebras illas, *Psal. 44.* quæ erant super faciem abyssi, sic alterantibus nocte & die diuisas, vt peracto diurni *Psal. 109.* tẽporis spacio duodecim horarum scilicet, lux extingueretur, & tenebræ succederẽt, & itidẽ transacto nocturni tẽporis spacio, lux refulgeret, atque ita per triduũ dies, & nox absque luminaribus istis corporeis, sole scilicet, & luna, & stellis, vltro sibi inuicem cesse

Universidad de Deusto
Biblioteca

rint atq; succesſerint. Sed hoc ſenſu vnus hic dies, omnium dierum pauperrimus eſt, quippe cùm ſinguli dierum cæterorum ſubſtantiarum creatione vel formatione illuſtrati ſint, hic dies non niſi accidentis cuiuſdam colore inſtabili iniecto dimiſſus ſit, cùm dictū ſit, fiat lux. Nam quæcunque cæteris diebus facta ſunt, ſubſtantialia ſunt & permanent, illa autem accidentalis lux tertiò reaccenſa deinceps omninò deperijt. Et vide, vtrū condignum ſit tantæ maieſtati, vt cæterorū dierum opera, verbi gratia, ſolem, lunam, & ſtellas, quæ quarto die facta ſunt, & aquarum diuiſionem, quæ ſecundo die facta eſt, ſtatuerit in ſeculum & in ſeculum ſeculi, præceptumque poneret illis quod non præteribit, opus autē primæ lucis tale faceret, quod mutato conſilio poſt exiguum triduum fundit⁹ extingueret. Quid ergo? An idcircò ſpiritus dei ferebatur ſuper aquas, & dixit fiat, quod dictū, vt verè boni verbi eructatione, ſancta miratur vt concelebrat ſcriptura, vt talis tantummodo lux fieret accidens aeri mox interitura, & nulla crearetur ſubſtātia? *Pſal. 148.* Melius magni & nominatiſsimi patres intellexerunt naturam angelicam lucis nomine ſignificatam. Eorum ſenſum rationabilem magis approbamus & ſequimur, angelicam creaturam rectè lucem eſſe appellatam, lucē intellectualem, lucem, inquam, non ſolùm, quia vim diſcernendi habentem, verumetiā quia veri & incircūſcripti luminis gratia refulgentem.

Quod non pro ſimilitudine, ſed pro rè vera lux dicta ſit angèlica creatura.

CAPVT XI.

NEc verò pro ſimilitudine, ſed pro re vera lucē dicimus appellatā, id eſt, nō ideò quòd ſimilitudinem viſibilis huius lucis habeat. Nam iſta potius viſibilis lux, hæc aſtra viſibilia ſecundum ſimilitudinem lucis illius ſunt facta, vt cognoſcat ſpiritualis homo, ſic ſanctos angelos in eadem felicitate differētis eſſe honoris & gloriæ, ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, & ſic eos in comparatione ſolis æterni, ſcilicet, creatoris ſui, veram lucem non eſſe, ſicut ſtellæ circa ſolē, in toto hemiſphærio nequeunt ſuum lumen oſtendere. Hoc animaduerſo, iam non miramur hæſitantes, quid ſpiritus Dei ſuper aquas intenderit, quid vox domini ſuper aquas, quid, inquam, Deus maieſtatis dominus ſuper aquas intonuerit? Dignus enim eſt effectus hic qui totius trinitatis molimina conſecutus eſt, ſcilicet, ſpiritus ſancti, ſuper aquas ſpirantis, patris intonantis, & ipſius tonitrui, id eſt, verbi, quo dixit fiat. Siquidem talis creatura cauſa digna eſt, propter quam, vt fieret, verbum illud intonatum eſt, quod concutiens abyſſos vel aquas, & eas quæ ſuper aquas erant tenebras, huiuſmodi lucis fecit emicare cateruas. Quid enim? Nunquid putamus, quòd de cælo fuerint angeli, & non potius hic facti & in cælum tranſlati? Nempe non magis angeli facti ſunt in cælo, quàm homo plaſmatus in paradyſo, plaſmatus namque fuit homo extra paradyſum, & poſitus in paradyſo, ſicut ſcriptum eſt: Plantauerat autem Dominus deus paradyſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat. Ita nimirum & angeli extra paradyſum conditi, & in cælum tranſlati, non natura, ſed gratia cælum inhabitant. De cælo nanque nemo venit, niſi qui ſuper omnes eſt, & inde ſuperoēs, quia ſpiritus ſimplex eſt, & nullo cōpoſitus eſt, vnde & humanum ſpiritum cum corpore induere potuit, quod facere nemo potuiſſet ex ſpiritibus angelicis. Angeli autem etſi ad comparationem noſtri, ſpiritus dicuntur & ſunt, in comparatione tamen Dei corporei ſunt. Habent nanque, vt docti quoq; & magni viri perhibēt, corpora ex iſto aere craſſo atq; humido, q vēto flāte ſentitur impulſus, præſertim qualis erat cū adhuc tenebræ eſſent ſuper faciem abyſsi, de quibus (vt Apoſtolus ait) Deus lucem ſplendeſcere iuſsit. Cuius eorum conditionis experimētum capere licet ex eis, qui ceciderunt. Nam ſicut homo mortuus redeundo in terram palam facit, quia de terra ſumptus fuit, ſic iſti qui deſerto perenni fonte luminis extincti ſunt, obſcuritate ſua palam faciūt, quia de tenebris, cùm eſſent, non natura, ſed gratia ſplendidi facti ſunt. Quod benè idem Apoſtolus perſpiciens, non ait: Deus qui dixit in tenebris, ſed qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in faciem cordis noſtri ad illuminationem claritatis in faciem Ieſu Chriſti. Etenim vtriuſque propoſitiunculæ non parua diſtantia eſt. Nam ſplendet in tenebris lux vera Deus, cum ſedentibus in tenebris nobis illuminare dignatur. Splendeſcimus de tenebris nos, cùm ab infidelitate exeuntes, in faciem eius per fidem aſpicimus. Itaque cùm angelos, quamuis ſubtilia corpora, tamen ex ipſorum origine habere cōſtet, ex eo quoque liquet, quia & locales ſunt, & cùm volunt, hominibus apparent. Quòd ſi idcircò non permanent, ſed ad horam ſumptum de aere corpus habere putantur, quia non ſemper apparent, & cùm apparuerint, repentè diſparent, nos econtra dicimus, Dominum noſtrum poſt reſurrectionem tale corpus ſuum, vtique terrenum ſic exhibuiſſe, vt cùm vellet repēte hominib. appareret, & cùm vellet protinus euaneſceret, habent ergo angeli corpus, ex illo vtiqūe aere & humore, ſuper quem cùm ferretur ſpiritus Domini, dixit: fiat lux. Quare, inquis, non de cælo fecit Deus angelos, vt eſſent natura cæleſtes? Videlicet, quia non idcircò fecerat deus cælum, vt inde eos crearet, ſed vt creatos ſola in cælum gratia ſubleuaret. Sed de hoc latius poſtmodum dicemus.

1. Cor. 15. *Pſal. 28.* *Ioan. 3.* *Gen. 2.* *2. Cor. 4.*

Quòd illa lux confiteatur creatori, ſecundum verſi-

culum pſal. CIII. confeſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.

CAPVT XII.

IGitur non nouo conſilio vtitur in nos Deus, dum vt ſuprà primæ originis nos reparet dignitatem, & æquales faciat angelis, hoc neceſſarium proponit, vt renaſcamur ex aqua & ſpiritu Dei, baptizati in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Nam & in conditione angelorū dixit, id eſt, verbū ſuum, quod eſt filius ſuus, ædidit Deus, & tertia perſona ſpiritus S. ſuper aquas ferebatur. Item non minus illis, quā nobis humilitatis commonitio eſt, ipſa ſui cōditio, quoniam vt nobis terra, vel puluis, ſic & illis tenebroſa abyſſus exiſtendi principium vel materia fuit. De tenebris enim, iubente Deo, lux iſta reſplenduit, vt ſupra dictum eſt. Vnde non ingrati creatorem ſuum inceſſabiliter laudant, confitentur, amant, adorant: Huius eorum laudis vel confeſsionis aſsiduitatem & inceſſabilem intentionem mirificè Pſalmiſta his verbis exprimere contendit. Cōfeſsionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. Hoc proculdubio de huius lucis formatione dixit. Sequitur enim: Extēdens cælum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius, &c. Prius nanque dixit: fiat lux & facta eſt lux, deinde firmamentum extendit, quod & cælum appellauit, ergo de pulchritudine laudis angelicæ dixit, confeſsionem & decorem induiſti, adiungens, amictus lumine ſicut veſtimento. Magnificentiùs, & dignitatem eius qui laudatur, & eorum qui laudant inſtantiam, exprimere non potuit. Suo nanque indumento iure quiſque veſtitur, quia non alterius, ſed ſuum eſt, quod tūc illum nō dedecet, ſi ſecundum habitudinem corporis eius benè accommodatū eſt. Cum ergo dicit: cōfeſsionem & decorem induiſti, ampliſsimè gratulatur, & optimè dicit dignū illum eſſe tantis cōfitentium angelorum laudibus, & decere illum quicquid boni clamare poſsint, aut norint, eò quòd ipſa ſubſtantiæ vel vocis eorū organa ille fecerit, & in circuitu excelſi ſolij ſui in magno honore feliciter conſtituerit, vel ordinauerit. Cùm autem addit, amictus lumine ſicut veſtimento, nihilominus hanc lucem factā ab ea luce quæ fecit magnificè decernit. Amictus nanque corpus quidem ornat vel honorat, ſed ipſe de corpore non eſt. Hoc ergo cùm dicit, fatetur beatos ſpiritus lumen quidē eſſe, ſed tantum diſtare ab illo à quo creati ſunt incircunſcripto lumine, quantum diſtat amictus à corpore, id eſt, habere quidem verum lumen Deum in ſe, ſed de eius ſubſtātia non eſſe. Sequitur. (Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona, diuiſitque lucem & tenebras.)

Ioan. 3. *Pſal. 103.*

Quòd illa lux bona dicta ſit, non ſicut de cæteris operibus eſt dictum, & vidit Deus quod eſſet bonum.

CAPVT XIII.

NOtandum in primis, quod dictum eſt, vidit Deus lucem quòd eſſet bona. Nemo enim bonus, niſi vnus Deus. Porrò quicunq; bonus prædicatur, ſiue homo ſiue angelus, non niſi reſpectu boni Dei, rectè bonus prædicatur: quia cū nemo ſit bonus niſi vnus Deus, quicunque bonus eſt, vel eſſe dicitur, non niſi intantum bonus eſt, inquātum bono Deo participatur. Proinde non dictum eſt: Vidit Deus terram quòd eſſet bona, vel luminaria quòd eſſent bona, quia videlicet bonitatis capācia non ſunt. Dictum eſt autem de ſingulis, vidit Deus quod eſſet bonum, id eſt, bona res, bona, inquam, id eſt, vtilis res. Sola nanq; rationalis creatura diuinæ bonitatis, id eſt, ſpiritus Dei capax eſt, & ideò homo vel angelus tantummodo bonus abſolutè dicendus eſt, videlicet inquantum homo vel angelus boni Dei particeps factus eſt. Igitur & hoc ipſum iudicium, quo vidit Deus lucem quòd eſſet bona, lucem illam cogit intelligi quæ capax diuinæ eſt bonitatis, lucem rationalem, lucem intellectualem, angelicæ creaturæ ſplendidam dignitatem. Quomodo autem dictum eſt, & vidit Deus lucem quod eſſet bona? Nónne antequam faceret, hoc ipſum viderat, quia facere bonum erat? Nónne & Euangeliſta ſic dicit de verbo iſto in quo dixit, fiat, quia quod factum eſt, in ipſo vita erat? Ergo quod vidit, id eſt, iuſto iudicio pōderauit, & conſpectu ſuo dignam duxit. Sequitur enim. (Et diuiſit lucem & tenebras.) Diuiſio iſta lucis & tenebrarū, terribile Dei iudicium ſuper diabolum eſſe factum inſinuat. De quo Pſalmiſta: Tu terribilis es, inquit, & quis reſiſtet tibi? Extunc ira tua. tanquam diceret: Quis tibi reſiſtere poteſt, cū ex quo tibi quis reſiſtit, extunc terribilis exardeſcat ira tua? Nam ex quo diabolus reſiſtit, id eſt, reſiſtere voluit tibi, tu iratus es, & reſiſtere non potuit. Cecidit enim angelus & factus eſt diabolus. Hoc terribile iudicium per diuiſionē inſinuatur lucis & tenebrarum. Quæ enim ſunt iſtæ tenebræ, niſi omnes angeli Sathanæ, cū eodem ſuo principe? Has vtique tenebras Deus lucemque diuiſit, quia malos angelos à bonis ſeparauit, diuiſit, inquam, ſeparatione immutabili, ita vt nec iſti qui ceciderūt, reſurgere, nec illi qui cū peccare poſſent, peccando cadere noluerunt, vlterius vnquam habeant, vel poſsint peccando cadere. Verbo nanque Dei cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Iſta lux iſti ſunt cæli. Lux, inquam, quam Deus à tenebris diuiſit, & cæli quos verbo ſuo, quos ſpiritu, id eſt, amore ſuo Deus firmauit, vt iam obſcurari vel diſſolui non poſsint: congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos: quæ omnia ſecundum literam iam in illo exordio facta eſſe dubium non eſt. Timeat ergo dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quia pro-

Matth. 19. *Pſal. 75.* *Pſal. 32.*

fectò qualis tunc deſtruxit conſilia ſuperborum ſpirituum, talis & vſque in finem Dominus diſsipauit conſilia gentium. Reprobabit autem cogitatiões populorum, & reprobabit conſilia gentium. Vnde autem venerint iſtæ tenebræ, iam dictũ eſt, videlicet vnde venit prædicta lux, inde venerunt & iſtæ tenebræ, fuerunt enim lucẽtes angeli, & proprio vitio facti ſunt dæmones tenebroſi.

Quòd angelica creatura ſicut initium, ſic habuerit & profectum.

CAPVT XIIII.

HIciam cum admiratione quæri ſolet, quomodo bonæ ſubſtãtiæ vitium ſurripere potuerit, & lux in tenebras demutata ſit? Admirationis autem ea vel maximè cauſa eſt, quia non recogitant plerique quòd angelos equè vt homines mox vt creati fuerint innocentes quidem, ſed nõ repentè ſummos extitiſſe, nihilque præter Deum ſine profectibus in ſummo conſiſtere, vel firmamentũ appræhendere quieuiſſe. Hoc, inquam, plerique non recogitant magnitudine nominis angelici ſic præoccupati, vt nõ vacet illis ſcire, quia ſpiritualis creatura ſicut habuit initium, ſic habere debuit & profectum. & ex neceſsitate quidem habet eſſe, ſed ex voluntate tendere cœpit ad ſimilitudinem bonæ eſſentiæ. De hoc ergo paucis reſpondendum eſt.

Quòd voluntate creatoris, eiuſdem creaturæ pars quædam vitiata ſit.

CAPVT XV.

Deus nemi nem vult perire.

PRimò omniũ de creatore Deo piè ſentiẽdum eſt, videlicet quòd voluntate eius, nec angelus nec homo perierit, & non de vtero eius glacies egreſſa ſit, vel gelu de cælo ſic genuerit, vt vel malam creaturam creauerit, vel bonam naturam prior ipſe relinquendo, in malã demutauerit. Quid ergo, inquis? Si creaturam ſuam ſaluam eſſe voluit, quare non talem creauit, vt omninò non eſſet alicuius vitij perceptibilis ſiue paſsibilis? Ad hæc inquam, Huius rei à nota imagine Dei, ſcilicet ab homine, documentum capiẽdum eſt. Eccè homo & naturaliter generare, & operari poteſt volũtariè. Quod generat, aliud eſſe non poteſt, quàm quod eſt ipſe. quod operatur, nullatenus eſſe poteſt quod eſt ipſe.

Pſal. 103. Gignit enim homo non aliud quàm hominem. Operatur, verbi gratia, domum quam inhabitet, vel quã induat decoram veſtem. Horũ nihil eſt hoc ipſum quod eſt ipſe. Laudatur autem, ſi hæc operatur ſcitè vel commodè, ſicut eſt dignum ſe. Sic nimirum deus gignit quidem hoc ipſum quod eſt ipſe, ſcilicet, Deus deum, impaſsibilis impaſsibilem, immutabilis immutabilem, lux vera, nihilominus veram lucem, videlicet vnicum filiũ ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ante omnem creaturam primogenitum, imò & vnigenitum. Operatus eſt autem veſtimẽtum ſuum, de quo ſuprà dictum eſt, ſecundum pſalmum dicentem: Amictus lumine ſicut veſtimento, ſcilicet, angelicam creaturam, dicendo: fiat lux, & hanc mũdi fabricã, in qua fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quorum omnium nihil hoc ipſum eſſe debuit aut potuit, quòd eſt ipſe qui fecit, vel compar ei quod idem factor genuit: ſicut fabricatura vel pictura nullo modo idẽ eſſe poteſt, quod eſt faber aut pictor, vel quod ille de carne ſua genuit. Dignũ verò laude eſt, & curioſitati noſtræ debet ſufficere, quod talem creaturam potuit facere omnipotens, quæ capax eiuſdem factoris poſſit exiſtere, & diuinitatem quam non habet per naturam, valeat cõſequi per induſtriam. Igitur commutabilem oportuit eſſe angelũ & hominẽ, vtpotè de nihilo creatos, etẽnim illud vnde facti ſunt, de nihilo creatum eſt. Et creatus quidem eſt vterque purus & innocens, ſic videlicet, vt de ipſa innocentia, vel proficere ad ſumma, vel deficere ad ima poſsit. Profeciſſe nanque imò & adhuc proficere ſanctos angelos, Apoſtolus quoq; teſtis eſt, ſcribens ad Epheſios, vt innoteſcat (inquit) principatibus & poteſtatib. in cæleſtib. per eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Itaque in ẹo ſtatu factis omnibus angelis, vt proficiendo in Deo perficerentur: vel deficiendo, in idipſum vnde facti fuerant, id eſt, in tenebris eijcerentur. Alij quidem dilectionem creatoris recipientes, confeſsione & decore illum induerunt, & ſic eis creator amictus eſt ſicut veſtimento, aſsiduè clamantib. Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth, & ſic illis non exiſtentibus ingratis, vidit Deus lucem quod eſſet bona, & in operibus ſuis lætatus eſt.

De inuidia vel ſuperbia diaboli.

CAPVT XVI.

Eſa. INuidit magnus vnus de magnę curię principibus, cuius audiuimus ſuperbiam, quia ſuperbus eſt valdè, & ſuperbia eius, & indignatio eius, plus quã fortitudo eius. Initium nanque peccati eius ſuperbia fuit, qua tumẽs magnus nimis viſus eſt, plenuſque ſapientia, & perfectus decore, & nihilo indigens ſapiẽtiæ Dei, cùm in ſplendore ſuo complaceret *Ezech. 28.* ſibi. Vnde cùm improperio apud Ezechielẽ dicitur Cherub, id eſt, plenitudo ſapientiæ Dei, videlicet quia ſapientiæ Dei auſus eſt ſe ſe comparare, dicendo deus ſum ego, & in cathedra Dei ſedi, & dedit cor ſuum quaſi cor Dei. Et paulò pòſt dicit idem propheta cũ improperio & ironia. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decorè in delicijs paradyſi Dei fuiſti. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardis, topaſius, & iaſpis, chryſolitº, & onix, & berillus, ſardonius, carbunculus, & ſmaragdus. Aurũ, opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata ſunt. Tu Cherub extentus & protegens, &c. Hoc inquam, cum ironia dictum eſt, id eſt, non quòd reuera omnis lapis

mnis lapis pretioſus ornamentum eius fuerit. Etenim nouem angelorum ordines, qui per iſtos ſignificantur lapides, ſolius creatoris ornamentum ſunt, & ipſe amictus eſt hoc lumine ſicut veſtimẽto, qui ad laudem & gloriam ſuam creauit eos, ſed quia ſic ſibi cõuenire arbitratº eſt, in quo & falſus eſt. Quod videlicet ironicè eſſe dictum, ex alio prophetа clarum eſt, qui ſic illi improperat. Dicebas

Eſa. 14. in corde tuo: in cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedẽbo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonibus, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo. Nam per aſtra Dei ijdem qui per nouem lapides angelorum deſignati ſunt ordines. Ergo ſicut nunquam reuera ſupra aſtra Dei ſedem ſuam poſuit, vel ſimilis altiſsimo fuit: ſic non verè vnquam omnis lapis pretioſus operimẽtum eius extitit, ſed ſic ſibi arrogauit, ſic dixit, ſic putauit non verè lumen, ſed rebellis lumini. Huic ſenſui fortè illud repugnare videtur, quòd eadem auctoritate prophetica perfectus in vijs ſuis perhibetur, cùm dicitur. In medio lapidum ignitorum ambulaſti perfectus in vijs tuis, à die cõditiõis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.

Ezech. 23. Durum eſt hic aſſerere, illum non fuiſſe perfectum: durius autẽ affirmare, illum habuiſſe vnquam in ſe creatoris dilectionem, ſine qua nulla eſt perfectio viarum. Nam etſi propheta prædictus dixit: aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata ſunt, non tamen & hoc dicit vel vllo modo ſignificat, quòd eiuſdem foraminibus auri ligaturam recepit, quia videlicet cùm ſit rationalis creatura, vtiq; ingenium, intellectum, & memoriã habuit, quibus qua ſi foraminibus ſpiritum amoris Dei, quod eſt aurum optimum, recipere cùm debuiſſet, ſuperbè recuſauit. Ergo quod dicitur, perfectus fuiſſe in vijs ſuis, hypocriſin eius percutit, qua etſi conſubſtantiales ſpiritus allicere, & multos ſeducere potuit, Deum tamen latere nequiuit, cuius iudicium terribile innuitur, dicendo, donec inuenta eſt iniquitas in te. Igitur contra creatorem quærendum non eſt, cur nõ creaturã ſuã ſic fecerit, vt eſſet naturæ inconuertibilis, vel nullius vitij perceptibilis, quia videlicet tale hoc eſt, ac ſi quęras de figulo, cur nõ omne figmentum quod finxit, tale ſit, qualis eſt ipſe, vel filius quẽ genuit de ſeipſo.

Quòd creator bonus & clemens, iuſtè tamen fecerit quem malũ præſciuit, & de caſu eius.

CAPVT XVII.

SEd quæritur adhuc: Quare creator bonus & clemens illum fecit, quem periturum eſſe præſciuit? Mira & importuna, immò & violenta quęſtio, & ſic inepta, vt in ſenſu eius nulla ſit ratio. Quid enim, niſi quod futurũ erat præſcire potuit? Aut quomodo non fieret, quod ſic vel ſic futurum eſſe præſcitum fuiſſe? Vicinius rationi eſſet, ſi ſic diceretur: Quare ſubſtantiam malorum ſpirituũ Deus, vel hominum impiorum ſubſiſtere permittit, quoniam malè ſubſiſtit, & non ſic funditus interire facit, ſicut interit & eſſe deſinit ſpiritus iumenti? Poſſet nanque reſponderi, iuſtum eſſe vt ſemper ſit in pœna, cui propa ſua deſit vt non ſit ſemper in gloria. Porrò Dei iuſtitia nunquid mitior eſt, quàm eius præſcientia? Itaque ſicut non iniuſtum eſt, quod nunc vitiatæ creaturæ non interimit funditus ſubſtantiam: ſic non iniuſtum fuit, quòd & præſcitam damnauit malitiam, & tamen non omiſit bonam creare naturam. Verùm, quia nihil ſatis eſt inquiſitori contentioſo, iam nunc dicamus ei cum Apoſtolo: O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nũquid *Rom. 9.* non habet poteſtatem figulus facere, de eodẽ luto aliud quidẽ vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Illoque remoto, fateamur, quia cùm vidiſſet Deus lucem quod eſſet bona, iuſtè diuiſit lucem & tenebras, formoſam formans in cælo lucem, & deformes abijciendo tenebras. Sanctos enim angelos, quorum confeſsionem & decorẽ induerat, perpetua ſtabilitate firmauit, & pro parte illorum lætus eſt in operib. ſuis. Sathanas verò cũ ſatellitib. ſicut fulgur de cælo cecidit. Sicut fulgur *Luc. 20.* (in q̃) quia ſicut fulgur decuſſũ cũ tonitrui fragore, nubib. motis breue lucet, & repentè diſparet, ſic ille terribiliter indignatione Dei trementibus cunctis angelorum ordinibus, cælo excuſſus, in hunc aerem miſer cecidit, ab omni luce extinctus, & iam in æternum lucem Dei non viſurus: Et nunc quidem in hunc aerem illum eſſe deiectum, & omnes ſatellites eius, quos aereas cateruas dicimus, paſsim in ſcripturis habemus, verbi gratia, in

Ephe. 6. Apoſtolo dicente: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi huius rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Futurum eſt aũt, vt in infernum inferiorem, videntib. *Iob. 40.* cunctis, præcipitetur in ignem æternum, qui *Matth. 25.* præparatus eſt ei & angelis eius. Sicut enim homo propter primũ peccatũ de paradyſo, in quo nequaq̃ cõditus fuerat, eiectus eſt, vt operaretur hanc terram, de qua ſumptus fuerat. Sic & ille de cęlo, quo per gratiam cum cęteris ſpiritibus receptus fuerat, in hũc, de quo creatus fuerat, reiectus eſt aerẽ caliginoſum, vtpotè necdum ſole & luna, & ſtellis illuſtratum, cùm ille creatus eſt: in quo nec modò ſibi ad recipiẽdam lucem, ſol iſte prodeſſe poteſt, & inde cum angelis ſuis & malis hominibus, propter peccata perſeuerãtia, in die iudi- *2. Pet. 2.* cij præcipitandus eſt. Vtrunque iudiciũ eius Petrus Apoſtolus exprimens, peccantibus (inquit) angelis Deus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in diem iudicij cruciandos reſeruari. Infernum ſiue tartarum ſic appellauit iſtum aerem, videlicet ad comparationem cæli, de cuius altitudine

Universidad de Deusto
Biblioteca

titudine ceciderunt, qui tum & cælum dicitur, vnde & volucres cæli dicimus, ad comparationem illius inferni, de quo Psalmista. Et liberasti, inquit, animam meam ex inferno inferiori. Esaias quoq; propheta, cùm de primo eius iudicio dixisset, quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris. &cæt. continuò de secundo adiunxit: Veruntamẽ ad infernum detraheris profundũ laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.

Psal. 85.
Esa. 14.

De appellatione diei & noctis, & quæ sit illa dies, & & quæ sit illa nox.

CAPVT XVIII.

APpellauitque lucem diem, & tenebras noctem) Lucem (inquit) quam vidit quòd esset bona, appellauit diem: & tenebras, quarum esse bonum non est, appellauit noctem. Diligenter animaduertendum. Prius vidit lucem quòd esset bona, & deinde diuidens lucem & tenebras, cõdigna singulis imposuit vocabula. Si literæ ordinem ita contexuisset, dixit Deus fiat lux, & facta est lux, diuisitque lucem & tenebras, appellauitque lucem diem, & tenebras noctẽ, & vidit deus quòd esset bonum, putaremus tenebras siue noctem hic eo modo dici, quo in die quarto dictum est, fiãt luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, siue vt item inferius dicitur, lucem & tenebras, quorum vtique diuisio bonũ est, vt positis (iuxta Psal
Psal. 103. mistam) tenebris, & facta nocte in ipsa pertranseant omnes bestiæ syluæ. Orto autem sole exeat homo ad opus suum, nocturna refectus quiete. Nunc autem tenebras à laude boni seclusit. Primùm enim (vt iam dictum est) dixit, quia vidit Deus lucem quòd esset bona, & deinde diuisit, & vtrisque nomina inuicem optata dedit, quia lucem diem, & tenebras noctem appellauit. Ergo istę tenebræ
Esa. 45. sunt eiusmodi, in quib. nihil intelligitur boni. Et quidem tenebræ, de quibus istam lucẽ splendescere iussit, bonum aliquod erant in prouidentia Dei, quemadmodum lignũ vel ferrum bonum est in manu periti artificis. Proinde & illas laudi suæ asscribens. Ego, inquit, Dominus, & non est amplius formans lucẽ, & creans tenebras. Etenim tenebras, de quibus splẽderet formata lux, (vt iã dictũ est) creasse, quæ & ferebantur super faciem abyssi, bonum fuit: verùm formatam iam lucem in tenebras reuerti, pessimum & apostaticũ esse, nemo cui dubium sit. Igitur, ne longum faciamus disputationis circuitum, super appellatione diei & noctis, secundum spiritualium naturam oculorum, quales soli tunc erant, accipi oportet diem & noctem, spiritualem, scilicet noctem, & spiritualem diem, vi-
1. Tess. 3. delicet bonorum angelorum pulchritudinẽ, & malorum horridam tetramque fœditatẽ, quibus nominibus res easdem nunc vsque spirituales viri appellant. Verbi gratia, Paulus cùm dicit: Omnes vos filij lucis estis, & filij Dei. Non sumus noctis & tenebrarum. Et multa ad hunc modũ. Sed dicit aliquis: Hæc & huiusmodi per similitudines magis quàm secundum rerum naturam dicta sunt, id est, non quòd verè ciuitas illa cælestis Hierusalem, cuius filij sumus, dies, aut quòd illa ciuitas diaboli, cuius eramus quondã, verè nox sit, sed quod in illis quædam diei & noctis similitudo sit, & per metaphoram dicuntur, quæcunq; scriptura loquitur in huiusmodi. Ad hæc, inquam: Non illa inuisibilia istorũ visibilium, sed hæc visibilia illorum inuisibiliũ imagines & similitudines sunt. Non enim illa propter hæc, sed hæc propter illa facta sunt. Et in illis veritas, in istis vmbra, imò & vanitas est. Vidi (inquit Ecclesiastes) quæ
Eccl. 1. fiunt cuncta sub sole, & eccè vniuersa vanitas. Verùm quia apud sensus, eorum, qui de illis inuisibilibus imbuũtur, ista priora sunt, & prius ab exulibus nobis cognoscuntur, quàm illa prima nostra quam perdidimus, idcircò illa istius similia dicuntur, vt lippientes oculi, quia cælestium claritatem spectare nequeũt, imagines eorum in istis speculis cõtemplentur. Igitur lucem, id est, bonorum angelorum pulchritudinem, diem & tenebras, id est, malorum squalorem spirituum Deus (sicut iam dictum est) appellauit noctem.

Item, Quomodo appellationes illas Deus posuerit.

CAPVT XIX.

APpellasse autem diem & noctem dicitur Deus, non quia vel Hebraicè, vel Græcè, vel Latinè fuerit locutus, quippe, qui nec linguam, nec labia quæ moueret habuit, nec enim est corporeus siue localis, sed quia sententiam cuique parti firmam posuit, quæ vlterius mutari non posit. Hæc appellatio diei, stabilimentum est felicitatis, firmamentũ gratiæ & honoris, vt amplius lux illa, quæ hoc nomen ex ore Dei semel accepit, dieq; vocari meruit, iam non posit in tenebras conuerti, iam non valeat amoueri, à fonte lũminis æterni, tunc apostatantibus spiritibus lucifugis, in luce stare maluit, & idcircò iam in æternum, lux decoris & pulchritudinis huius prouecta erit eo, vt perfecta sit ad simi *Iacobi. 1.*
litudinem patris luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Econtra, noctis appellatio firma & stabilis est, ex ore eiusdem incõmutabilis Dei semel prolata tenebrarum damnatio, vt quia venit illis pes superbiæ, & de loco suo moti, sua sponte ceciderunt, & iniquitatem operati sunt, iam semel expulsi non possunt stare inconuertibiles apostatæ. Quamuis quorundam hæreticorum stulta compassio fuerit ausa promittere illis, nescio quod tempus pœnitentiæ. Grauissimè ergo dictum, sapienter *1. Reg. 15.*
est accipiendũ, quia deus, qui nõ est homo vt mutetur, aut filius hominis vt mentiatur, semel huiusmodi lucem diem, & huiusmodi tenebras appellauit noctem, & sic vtrinque sententiam posuit quæ non præteribit. Proinde quisquis cum illo sentit, dicat verè, quia lux illa dies est, & illæ tenebræ nox. Hoc enim intuenti, multa elucescunt in scripturis. Verbi gratia, vt illud beati Iob: Pereat dies
Iob. 3. in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Noctem illam tenebro sus turbo posideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensib. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Quod idem esse claret, ac si dixisset: Pereat ille, pereat, inquam, meritò, vt verè perijt, id est, lux siue dies desinat esse diabolus, in quo secundum Adam natus sum, qui non iam verè, sed simulatè dies, verè autem nox est, qui iam non cõputabitur in diebus anni, nec numerabitur in mensibus, quia videlicet semel obtenebratus, & nox effectus est, nulla vnquam mutatione, in pulchritudinem reformabitur illius lucis, quã Deus laude dignam ducens, diem appellatur. Tandem infertur.

Cur non dictum sit, factæ sunt tenebræ & nox, dies primus, sed factum est vespere & mane dies vnus.

CAPVT XX.

FActumq; est vespere & mane dies vnus.) Notandum hic in primis est, quòd non dixit, factæq; sunt tenebræ & lux dies vnus. Hoc benè & prudenter à scriptore sacro obseruatum est. Quæ enim Deus diuisit, quomodo coniungi, vel vnum quid efficere possint? Diuisit autem lucem & tenebras, appellauitque lucem diem, diem (inquam) totum & plenum absq; consortio tenebrarum. Benè ergo dictum est, factæ sunt tenebræ & lux dies vnus, quia (sicut iam dictũ est) quæ deo diuidente separata sunt, sociari vel vnũ quid efficere non possunt. Proinde quærèndum est, quod vespere, & quod mane factum sit, ex quibus sano intellectu, dies vnus valeat computari? Quod vt tandem expeditius fiat, primò illud sciendum est, quòd certam ob causam non dictum sit, dies primus. Quid enim? Nunquid istæ angelicæ claritatis dies, quamuis pulcher, quamuis decorus, dies est primus? Minimè. Absit hoc. Nam longè minor est illo die sanctificato & benedicto, in quo requiescit deus, de quo in hoc libro post cæteros dies, ita scribitur: Istæ generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt. In die quo creauit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam virentem priusquam germinaret. Quem enim putas hunc esse diem, in quo creatum est omne virgultum, & omnis herba priusquam oriretur, vel germinaret in terra, quem (inquam) vel quid putas esse hunc diem nisi verbum illud, in quo omne quod factum est, vita erat, priusquam fieret? Benè ergo dictus est hic non primus, sed vnus dies, quia videlicet ille alius primus dies, immò & dierum dies est. Dicis ad hæc. Si ille est primus, cur iste non dictus est secũdus? Videlicet quia dies ille non de ordine, nec de natura cæterorum dierum est, sed dierum originalis causa est, eorumque qui ex diebus cæteris creatorem cognoscentes glorificant, & gratias agunt, eorum (inquam) hic dies perpetua merces est, vt requiescant in eo, post laborem dierum istorum respirantes, & ideo rectè cæteris diebus in ordine nõ suppositus, sed superpositus est. Sed de hoc plenius suo in loco dicemus. Nunc demum quia iam sensus patet, videamus quomodo factum est vespere & mane dies vnus. Profectò quando dixit Deus fiat lux, vespere erat, quia sol dictionis huius in corde patris latebat, quia in verbo eius lux ista nondum in actu exposita, sed in meditatione illius solis abscondita vita erat. Quando autem facta est lux, tunc mane factum est, in quo & lucifer ille, qui cecidit ante diem, primus emicuit, & exinde dies plenus est, & in oculis omnium nostrum lucet. Omnes enim scimus, & terrifico exemplo nobis est, diuisio lucis & tenebrarum quæ illic facta est. Igitur factum est vespere & mane, vespere (inquam) & mane, nõ tenebræ & lux, & exinde perseuerat dies vnus.

Quis & qualis sit illa dies vnus.

CAPVT XXI.

HIc vnus dies causa originalis est, cur spiritus Dei qui ferebatur super aquas, vt fieret ista lux, rectè dicatur spiritus timoris Domini. Ab hoc enim facto primùm creatura Deo subdita didicit, quòd creator verè timendus sit. Vnde & Psalmista: Initium, in-
Psal. 110. quit, sapientiæ timor Domini. Quare ergo, *Esa. 18.*
inquis, alius propheta timorem in vltimo cõstituit, dicendo: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini? Vide licet, quia ille, in quem hæc dicuntur, cùm non tantum homo, sed & Deus sit, licet secũ-
Luc. 2. dum humanitatem sapientia, ætate, & gratia profecerit: attamen secundum in quod est & erat Deus, nullum profectum habuit: sed cũ esset ipsa sapientia, de supernis suis ad ima nostra descendit. Verùm creatura non solùm humana, sed & angelica profecit, vt superius iam dictum est, testante Apostolo, & proficit, & profectum eius initium est, habere timorem Domini, quia initium sapientiæ timor Domini. Et ab isto, scilicet, cognitionis eius initio, scilicet timoris, Græcè dicitur θεὸς, quòd nomen parcè detortum, Latinè dicitur Deus, eò quòd iure timeatur. Quod in sua licet vanitate, tamen sciens quidam Ethnicorum, dixit: Primos in orbe deos fecit timor. Verùm illos qui non erant timendi, stultus timor deos fecit appellari, creator autẽ quia solus iure est timendus, rationabili timore Deus nuncupatur.

De eo quod dixit Deus, fiat firmamentum.

CAP.

CAPVT XXII.

DIxit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitq; aquas, quæ erãt ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.) Iam confeſsionem & decorem indutus, iam intellactuali (vt ſupra dictum eſt) amictus lumine ſicut veſtimento, magnificus Dominus cælorum continens thronos, & tremẽda maieſtate ſedens ſuper Cherubin, ſocia terroris ſui pietate intuitus eſt abyſſos, & vt damna cæli repararet de profundis abyſsi, vehementius operatus eſt, & ſic opus ſuum incœpit. Extendens cælum ſicut pellem, & tegens aquis ſuperiora eius, ponens nubem aſcẽſum ſuum, & ambulans ſuper pennas ventorum. Faciens autem angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Hæc enim omnia
Pſal. 101. ſecundi opus eſſe diei, Pſalmiſta euidenter innuit, protinus ſubiungẽs opus diei tertij. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, nõ inclinabitur in ſeculum ſeculi. Primũ ergo, quid vel vnde ſit firmamentum, propter ſimpliciores dicendum eſt. Firmamentum non ſolidum quid, aut durum, vt vulgo putatur, ſed aer eſt extenſus, & adeo ſubtiliatus, vt licet videri queat, rectiùs tamen ſpiritus dici
Eccl. 1. poſsit, quàm corpus, teſtante Eccleſiaſte, cũ dicit in luminaribus, quæ viſibiliter in eo feruntur: Luſtrans in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Hoc itaque cũ ſolidum non ſit, ſed neque ita corpulentum, vt hæc inferior pars aeris, aliunde tamen ſcriptura illud nuncupauit firmamentum, videlicet eò quòd diuidat aquas ab aquis.

Quæ ſint illæ aquæ ſuper firmamentum.

CAPVT XXIII.

MAgnorum quoque & illuſtrium virorum, in hoc quoque capitulo ſcripta diſſentiunt, videlicet in eo quod dictum eſt. Et diuidat aquas ab aquis, diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Alij nanque, quod dictum eſt, qui tegis aquis ſuperiora eius, ſic accipiunt, vt dicant, Superiora cæli iuxta Geneſim ab aquis teguntur, aquas ſuper firmamẽtum poſitas eſſe dicat, quas angelorum multitudines intelligimus, iuxta illud: Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Verùm ſi hoc voluit citharœdus, præcentor ille laudum, Deum laudans de cælis, laudans eũ in excelſis, cur dicturus, & aquæ quæ
Pſal. 148. ſuper cælos ſunt laudẽt nomen Domini, præmiſit, laudate eum omnes angeli eius? Vniuerſaliter nanque dicendo, laudate eum omnes, neminẽ angelorum eius excepit, & proinde ſuperfluè repetiſſet, dicẽdo: & aquæ quę ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini, ſi aquarum nomine, multitudines angelorum voluit intelligi. Item & in hymno trium puerorum, cùm dicitur primò benedicite angeli Domini domino, & deinde, benedicite cæli Domino, benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt Domino, profectò nomine aquarum aliud quàm angelos ſcriptura cogit intelligi. Præterea ſi aquarũ nomine, quæ ſunt ſuper firmamentum, intelligi oportet angelos, quomodò vel in quo huiuſmodi aquæ, diuiſæ ſunt ab his, quæ ſunt ſub firmamento? Nempe iſtæ ſunt, de quibus poſtmodum dicit Deus: Congregentur aquæ quæ ſunt ſub firmamento in locum vnum, & appareat arida, &c. Quomodo ergo ab iſtis aquis angeli diuiſi ſunt? Denique ab illis potius, qui reprobi facti ſunt, ſpiritibus diuiſi ſunt, vtpotè angeli lucis ab angelis tenebrarũ, vnde iam dictum eſt in diuiſione lucis, & earundem tenebrarum. Porrò, alij doctorum, nomine aquarum quæ ſunt ſuper firmamentum, nihil aliud, quàm aquas ſimpliciter intelligi volũt. Eorum proculdubio ſententia iuſtius atque tutius placet, videlicet vt à ſacræ hiſtoriæ litera ſenſus non diſcrepet. Veruntamen non vſque adeo conſentimus, aquas eſſe ſuper firmamentum, vt concedamus etiam congelatas eſſe, quod aliqui magis coniecturaliter quàm rationabiliter opinati ſunt.

Quæ vel qualis æſtimanda ſit illarum aquarũ ſpecies.

CAPVT XXIIII.

QVòd ſi à nobis quæritur, in qua ergo ſpecie aquæ illæ ſuper firmamentũ ſunt, ſi congelatæ non ſunt? Interrogemus eos: in qua ſpecie fuerunt antequam fieret firmamẽtum? Verùm hoc reſpondere nequeũt, quia chaos erat, & confuſa moles, qualis ab humanis ſenſibus dijudicari non poteſt. Igitur ſcriptam mundi huius exiguam, quã in medio abyſsi magnæ, mirabilis artifex Deus excauando fecit, in qua nati ſumus, cùm vix attẽdere poſſumus philoſophando, quantum volumus, de circummanentium aquarum natura vel ſpecie taceamus, quia videlicet nec iſtis aquarum reliquijs, quæ poſtea ſpeciem vel formam ſuam acceperunt, omninò ſimiles probabiliter definire valem⁹, nec aliquid fingere dignum arbitramur, vt verbi gratia, congelatas eſſe (ſicut iam dictum eſt) opinemur. Vnum hoc vt certum teneamus, cameram huius mundi poſitam, eſſe in medio aquarum, quia videlicet firmamentum, quod quaſi tectum eiuſdem cameræ eſt, vndique ambiens auctoritate ſacræ ſcripturæ, factum eſt in medio aquarum. At enim, quia dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, Ad quid? Et diuidat (inquit) aquas ab aquis. Quod ne parum firmitatis haberet, ſemel dictum, iterum ſcriptura, hocipſum repetiuit, dicens: Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his
Deut. 19. quæ erant ſupra firmamentum. Itemq;, quia in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum, addidit, & factum eſt ita. Hæc enim trina repetitio in ſingulis operibus Dei ſecundum veſpere & mane, & totum diem obſeruatur, vnde iam dictum eſt, & adhuc dicendum eſt.

cendum eſt. Igitur quia ſpiritus Dei, qui ferebatur ſuper aquas, ſpiritus pietatis eſt, hoc verè dignum ſe opus fecit, vt inopem fundum abyſsi penetraret, & interiora ventris eius, tantis ornamentis illuſtraret, quorum nouiſsimum & optimum Deus & homo Chriſtus
Ephe. 3. eſt, adminiſtrationem principatuum & poteſtatem in cæleſtib. vt eius paulatim ſapientia
b. eis multiformis innoteſceret. Verè pius dominus poſt ruinam caducorum ſpirituum, adorantes dominationes, & trementes poteſtates, reſocillante pietatis opere erudiuit ad veram humilitatis ſapientiam, dum de interioribus abyſsi, ſuper cuius faciem erant tenebræ, regem & dominum ipſorum parans educere, talem hoc modo incepit fabricam. Hic ordo & nobis hodieque competit, vt omnis anima, prius timore, poſt amoris pietate compungatur. Etenim ſic vt nos prius angimur timentes gehennã, & poſtea pro modulo noſtro delectamur amãtes ęternã vitã, ſic illi & prius in caſu damnatorum angelorum, terribilem, & ex ſubſequentibus operibus Deum cognouerunt amabilem. An parũ hoc illis profeciſſe putas ad pietatẽ, quod viderunt in tali firmamento ſuæ firmitatis ſimilitudinem? Etenim ſicut illæ aquæ quæ ſuper firmamentũ ſunt, non delabuntur, & quæ ſub firmamẽto ſunt ſuper illud nõ leuãtur, ſic nec illi beati ſpiritus vltra caſuri, nec iſti reprobi ſunt amplius in ſtatum propriũ vlla mutatione reuocandi.

Item, de non impoßibili aquarum poſitione ſuper firmamentum.

CAPVT XXV.

ITa vehementer (vt ſupra dictum eſt) magnificatus eſt Dominus Deus noſter, primum amictus lumine ſicut veſtimento, deinde extendens cælum ſicut pellem, & tegẽs aquis ſuperiora eius. Et mirum quidem opus magnifici Dei, quod aquarum molem, ſubterfuſi ſuſtinet firmamenti natura ſubtilis: Veruntamen hæc ipſa admiratio ex præſenti exẽplo tolerabilior fit, ne illud cuiquam incredibile ſit. Quid enim terram grauiſsimam, de qua poſtmodum dicẽdum eſt,
Pſal. 135. aliud ſuſtinet, niſi vndiq; circumfuſus aer, idẽ licet craſsior, & aquæ partim circumfluentes. Hoc enim admirans Pſalmiſta: Confitemini (inquit Domino qui facit mirabilia magna ſolus, qui fecit cælos in intellectu, qui firmauit terram ſuper aquas.

De eo quòd ſcriptum eſt in Pſalmo memorato, qui ponis nubem aſcenſum tuum.

CAPVT XXVI.

Pſal. 103. QVid verò eſt, quod vbi idem propheta dixit: qui tegis aquis ſuperiora eius, protinus adiunxit: qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum, qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem: Etenim myſticè quidem prophetia eſt, de hoc ipſo qui cælum extendit magnificentiſsimo Deo, dei verbo, quia homo factus eſt & mortuus, poſt reſurrectionem ſuam in cælum aſcendit. Tũc enim poſuit nubem aſcenſum ſuum, & ambulauit ſuper pennas ventorum, videntibus quippe Apoſtolis ſuis, eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Verùm hic nos literæ ſenſum quærimus, vt certum hiſtoriæ fundamẽtũ teneamus. Quid ergo eſt, qui ponis nubẽ aſcẽſum tuum, &c. niſi quia *Actor. 1.* diuerſos ſub eodẽ firmamento cæli huius. i. aeris, motus huic habitationi neceſſarios beneficio cõditoris fieri, cõmẽdari debuit. Tũc enim ponit nubem aſcẽſum ſuum, & iterum ambulat ſuper pennas ventorum, quando ad temperandum cæli feruorem aquæ de mari, ſiue fluminib. ſtagniſq; & paludibus exhalatæ glomerãtur, actæq; flabris ventorum iterum in terram per cõcretas pluuiæ guttas deferuntur. Hoc modo & planè ponit nubẽ aſcenſum ſuum, & ambulat ſuper pennas vẽtorum, nõ quidem vagando in circunſcripta eius ſubſtantia, ſed cõpetens auxilium conferendo, quando vult & prout vult, ad regendum ea quæ condidit, prouidentiæ eius ſemper indigentia. Hoc (inquam) modo facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Et ſi rectè iuxta præſentis loci cauſam accipias, magnificentius dici non poteſt. Spiritus nanq; procellarum hic intelligendi ſunt, qui tam certis effectibus faciunt verbũ eius, & non magis aberrant à voluntate vel arbitrio eius, quàm rationales ſpiritus, quos angelos. i. nũcios dicim⁹. Proinde q facit (inquit) angelos ſuos ſpirit⁹, & miniſtros ſuos ignẽ vrentẽ. i. qui ſpiritib. tẽpeſtatũ, ſiue ꝓcellarũ ꝓ angelis vel nuncijs ſuis, & igne vrente ꝓ miniſtris ſuis vtitur. Quod etſi aliũ ſenſũ habere videtur. ſ. quod ratiõales angeli, ſecũdum propriã vitã ſpiritus, & ſecũdum corpora ſua ignis vrẽs fieri dicãtur, vt quibuſdã dubiè viſum eſt, illud tamen verum & certũ eſt, quia hæc q̃ dicta ſunt, ſic dño mundi miniſtrãt, vt cõſuetudine nunciãdi, tẽpora nobis nota fecerint, & perſeuerãtia miniſtrãdi illi nũc vſq; creatura eius enutriãt. Et notandũ, q̃ nõ in præterito dixit, qui poſuiſti nubẽ aſcenſum tuũ, qui ambulaſti ſuper pennas vẽtorum, qui feciſti angelos tuos ſpiritus: ſicut poſtmodũ ait, qui fundaſti terrã ſuper ſtabilitatẽ ſuam, & terminũ poſuiſti aquis quẽ non tranſgrediẽtur, & fecit lunã & tẽpora, & poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. Sed præſenti tẽpore dixit, qui ponis nubẽ aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorũ, qui facis angelos tuos ſpiritus. Non em̃ de creaturę alicuius cõſtitutione hic agitur, ſed de accidẽte motu creaturæ. ſ. cæli huius, quia videlicet ſpiritus iſti. i. venti, nõ p ſe ipſi creaturæ, ſed quaſi quidã anhelitus ſufflantis naturæ vel creaturę motus ſũt. Quæ cũ ſemper moueatur eodẽ nutu creatoris, quo & firmamẽtũ ſuperi⁹ ſẽper voluitur, & inferi⁹ aquę fluuiales ſemper labũtur, nõ tamen ſemper æqualiter,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel constante motu, sed nunc animosius, nũc tranquillius agitur. Solum firmamentum eadẽ semper & inuariabili celeritate voluitur, sicut cõtra, terra semper immobilis tenetur, nisi quod singulis annis secundum superiorẽ speciem permutatur. Media autem, scilicet aqua, & qui terræ est proximus aer, nunc quidem segnius, nunc verò rapidius feruntur. Agente Deo, cuius aspectus nullam in republica sua nuturam ociari patitur. Sunt autem omnes huiusmodi spiritus duodecim, quatuor principales, & octo laterales, bini singulis principibus, dextra leuaque adhærentes, certis regionibus & nominibus suis ex longa consuetudine sui ministerij multis, & maximè pelagi cursoribus, iam cogniti Suntque in amplissima mundi huius domo, quasi magni patris familias scopæ grandes, cunctas aeris corruptiones, suo quique tempore certatim euerrentes.

Item de igne vrente, tonitruq;, ac fulmine.

CAPVT XXVII.

INterdum etiã, si quando ignis vrens, qui & ipse pro parte sua necessarius minister est, nimis importunus extiterit: non vnus, sed plures è diuerso insiliunt, & inter se obuersis viribus animose constringunt. Fit fragor illis colluctantibus, quã tonitruum dicimus, & inter eos ignis coangustatus dissipatur, ac per scintillas fulgurando desilit, aut etiam nimis exasperatus fulminando terram ferit. Pauidum vulgus firmamentum cõfringi, vel cælum ruere arbitratur. At illud secũdũ nomen suũ firmiter stat, & nequaq; vllã tempestatis vi contingitur. Nam nec infimũ lunæ circulum iste tumultus excedit. Rectè igitur præterito quidẽ tempore dictum est, quia fecit Deus firmamentum, extendens illud sicut pellem, præsenti verò, qui ponit nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas vẽtorum, qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.

De eo quod dictum est, vocauitq; firmamentum cælũ.

CAPVT XXVIII.

Gen. 9. Gen. 15. VOcauitque Deus firmamentum cælũ.) Vbi vel quando vocauit Deus firmamentum cælũ? Et quidem quando ad Noe loquens: Ponam (inquit) arcum meũ in nubibus cæli, vel quod certius est, ad Abraham: Suspice (inquit) cælũ, & numera stellas si potes, non enim in quocunque cælo, sed in firmamento stellæ suspiciuntur, tunc sine dubio vocauit Deus firmamentum cælum. Veruntamen quid hoc sibi vult, quòd scriptor ipsum Deum astruit firmamentum cælũ vocasse? *Gen. 2.* Non enim sine causa esse putandũ est, quòd de animantibus loquens quæ sine dubio prætereũt, adduxit (inquit) ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim q̃ vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Lucis aũt nomen, id est, diẽ, & tenebrarum. i. noctem, ipse Deus posuit, de quib. sanè dubium nõ est, quia præterire vel mutari non possunt. An & cæli & terræ perennitatem ex eo scriptor idẽ innuit, quia Deus firmamentum cælũ, & aridã terram nominans, per seipsũ vocabula imposuit? Fortè dicis ad *Matth. 24* hæc: Cælũ quoq; & terra transitura sunt. Ait emidẽ Dns: Cælũ & terra trãsibũt. Verba aũt *Eccl. 2.* mea nõ trãsibũt. Sed rursus alia scriptura dicit: Generatio præterit, & generatio aduenit, terra aũt in æternũ stat. Proinde est distinguẽdum, quod cælũ, aut quæ terra, siue quomode transitura sit, quoniã vtranq; scripturam verã esse oportet, scilicet, & eã quæ dicit: Cælũ & terra transibũt, verba aũt mea nõ trãsibunt, & illã, quæ ait. Terra autẽ in æternum *2. Pet. 3.* stat. Pet. Apostolus cũ dixisset in epist. sua, latet emẽ eos hoc volẽtes, quod cæli erãt prius, & terra de aqua, & per aquã consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt, ita subiunxit: Cæli aũt qui nunc sunt & terra eodẽ verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Patet sentẽtia, quia illam terram & illos cælos, qui diluuio perierunt, & post diluuium repositi sunt, igni vltimo perdendos asseuerat. Cùm itaq; dicit Dominus: Cælum & terra transibunt, non substantiam terræ, sed eam quæ nunc est, qualitatem eius transituram asserit, quippe cùm de tempore illo quo certum est substantiam eius non periisse dicat Apostolus, per quæ ille tunc mũdus inundatus perijt aqua: multò magis nec pro eo quod dicit Psalmista: Initio tu Domi- *Psal. 101.* ne terram fundasti, & opera manuum tuarũ sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes: æstimandum est quòd firmamentum peritum sit, præsertim cùm & tunc pereuntibus cælis secundum quantitatẽ & speciẽ huius aeris, quos aqua excrescẽs occupauit, firmamẽtum nihilominus steterit. Sunt autẽ cæli superiores, in firmamento videlicet, per quos feruntur sol & luna, & præter hæc quinq; stellæ quas dicunt planetas, id est, erraticas, sed vtrum & ipsi sint perituri igne, an hi soli qui etiam diluuio perierunt, disputatio est aliquã to scrupulosior inter doctos. Verũtamẽ cùm *Matth. 13.* veritas dicat, tũc iusti fulgebũt sicut sol in regno patris eorũ, de resurrectiõe loquẽs mortuorũ: quid ibi faciẽt sol & luna, vbi quasi tot erũt soles, quot iustorũ corpora? Nempe etsi supererunt, lucere nõ valebunt, tã multorũ corporum claritate reuerberante lumen ipsorum. Sed & Ioannes dicit: Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis. Proinde scrupulosa (vt iam dictum est) inter doctos disceptatio est, vtrum & ipsa luminaria cùm ipsis per quos *Apoca. 21.* feruntur cælis, siue circulis peritura sunt? Igitur eorum quibus nomina per semetipsum Deus imposuit, & ipsorum quibus homo vocabula dedit, hæc obseruanda distantia est: quia illa quidem, quamuis mutata permanent, hæc autem transitoria sunt. De solo mari, pro eo quod dictum est in Apocaly- *Ibidem.* psi, &

psi, & mare iam non est, vtrum illo magno incendio, cùm iudicabitur seculum per ignẽ, exiccetur, an in melius commutetur, non fa- *Ibidẽ. 20.* cile quis dixerit. Potest tamen intelligi, quòd de turbulento præsenti seculo dixerit, & mare iã non est, quia videlicet vt supra) cũ dicit: & mare reddidit mortuos suos, sub eodem nomine hoc seculum intelligi oportet.

Item quare vocauit firmamentum cælum.

CAPVT XXIX.

QVare vocauit Deus firmamentum cælum, cùm posset (vti faciendo cœperat) vocare firmamentum? Videlicet, quia firmamentum ad aliquid dicitur, & relatiuum nomen est. Omne nanque firmamentũ alicuius firmamentum est. Et cùm dicitur hoc firmamentum, oportet dici vel subaudiri, diuisiones aquarũ, quia videlicet ad hoc illud Deus fecit, vt diuideret aquas ab aquis. Sed hoc vulgus nescit. Cælum autem absolutum nomen est, etenim cùm dixeris cælum, cuius sit cælum non opus est quærere, sicut cùm dicitur, terra vel mare, non necesse habes quærere, cuius terra vel cuius mare. Proinde quia communi sermoni commodius est vno in eadem re vti vocabulo, quàm multis, rectè vocauit Deus firmamentum cælum, quia sic magis absolutum vocabulũ est cælum, quã firmamentum, sicut homo & Adam magis absolutum est, quàm creatura vel figmentũ. Cælum autem à cernendo est dictum, congrua scilicet causa, quia videlicet oculos habẽtium neminem latet. Vnde & Græcè vranos dicitur.

Quòd factum est vespere & mane dies secundus, & quid sit dies secundus.

CAPVT XXX.

ET factum est vespere & mane dies secundus.) Dies iste reuelatio creatoris est, dies (inquam) iste gentilium quoque oculis Deum manifestauit. Inuisibilia enim eius (inquit Apostolus à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, quorum hoc vnum vel maximum est, per quod cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Et factũ est (inquit) vespere & mane, quia videlicet non casũ factum est, sed vespere, id est, in illa occulta Dei sapientia dispositum, & factum est, priusq; in actũ risibile exiret, & mane factum est, videlicet vt quod in oculis dei erat, in publicũ per euidens opus exiret, sicut iam de anteriori die dictum est. In hoc secundo die notandum est, quia secundũ Hebraicam veritatem, operis laudatio deest, quæ in cæteris diebus apposita est. Et vidit Deus quòd esset bonum, sed in LXX. additum est. Cur ita scriptori, imò spiritui sancto, qui per illũ scripsit, complacitum sit, meritò quæri solet. Ad quod primo respondendum est, quia decet vnum quid totũ esse, quod iure dicatur benè factum esse. At verò firmamentum vna quidem & pulchra species est, veruntamen iuxta intentionẽ operantis vnũ quid totum non est. Quid enim intendebat ille architectus Deus, cùm dixit, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis? Hoc vtique, vt faceret mundi huius amplum domum, pulchram domum, cuius quasi tectum hoc firmamentum est. Et sicut tectum domus pulchrum quidem opus esse potest, sed nondum domus, nisi quando fundamento, & parietib. superpositum est, atque idem non totum quid est: sic firmamentum pulchra quidem pars mundi, sed nõdum mundus erat, antequam terra & mare proprias haberent species, quibus firmamentum præeminet. Itaq; iam laudare, iam dicere: vidit Deus quod esset bonum, nimis festinum fuisset. Quare ergo, inquis, non sicut hoc, ita distulit dicere & illud, factum est vespere & mane dies secundus? Cur vni mũ do nõ vnum tantum, sed duos ascripsit dies? Ad hæc, inquam. Nunquid duos tantum, & non etiam tres in compositione mundi digesit dies, secundum tres ipsius partes? Nempe anterius dixit, & tenebræ erant super faciem abyssi. Quam videlicet abyssum, confusam aquarum multitudinem, & profunditatem oportet intelligi, & in hoc secundo die dixit, quia diuisit Deus aquas ab aquis. Nec hoc nec illud quod bonum esset Deum vidisse dixit, donec tertio die dicat Deus, congregentur aquæ quæ sub firmamento sunt in locum vnum, & appareat arida. Tunc enim dicturus est, & vidit Deus quòd esset bonum. Adde quod ad eundem diem pertinet, quia cùm dixisset: Germinet terra herbam viridentem, &c. subiunctũ est, & vidit Deus quòd esset bonum. Et eccè sicut tres mundi partes, & tres dies, sic nihilominus tria bona habes, formationem bonæ lucis, distinctum opus mundi, plantationem paradysi. Et nota, quòd cùm sint bis terni dies, præter septimũ, qui est diei requies, tam tertius primorum, quàm & tertius sequentium duplici bonitatis laude decorati sunt, vt sicut septem dies, sic & septem sunt bonitatis species, septiformem spiritum Dei mirabiliter ex semetipsis contestantes. Illius, id est, tertij diei, nunc opus ingrediamur.

De die tertio, & cur ibi dictum sit, vidit Deus quòd esset bonum.

CAPVT XXXI.

DIxit verò Deus: Cõgregẽtur aquæ quæ sub firmamento sunt in locum vnũ, & appareat arida, factũq; est ita. Et vocauit deẽ aridam terrã, congregationesque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd esset bonum.) Hinc tandem scriptor dei, immò & auditor trinitatis, tribus partibus, id est, cælo, terra, & mari mundum habens explicitum tertia die, rectè & oportunè dixit, quia vidit Deus quòd esset bonum. Notandum quippe super aquas ternarium potentiæ creatricis imperium. Primò, tenebræ erãt super

Universidad de Deusto
Biblioteca

abyssum in principio creatam, & non dictum est quòd esset bonum, deinde interposito firmamento diuisæ sunt aquæ, neq; tũc dictum est quòd esset bonum, tertiò congregatæ sunt aquæ in locum vnum, & ita apparente arida, dictũ est, quia vidit Deus quòd esset bonum. Hoc enim verè bonũ est, quia trinitati gratię suæ thesauros sub abyssо quærenti, opus efficacissimum est. Sed iam nunc ipsa perscrutatis abyssum verba perscrutemur. Congregentur (inquit) aquæ quæ sunt sub firmamento in locum vnum, & appareat arida. Aquæ profectò quæ sub firmamẽto sunt, reliquię, vel pars aquarum sunt, quæ sunt super firmamentum. Sic enim dictum est, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & cæt. Ergo diuisio aquarum, de qua supra dictum est, simpliciter siue literaliter accipi debet, id est, non ea quã dicunt philosophi diuision em vocis, in plúres significationes: sed ea quam dicunt totius in partes diuisionem.

Quomodo dictum sit, congregentur aquæ in locum vnum.

CAPVT XXXII.

COngregẽtur (inquit) aquæ in locum vnum. Quomodo congregentur dixit in locum vnum, cùm vna non sit congregatio aquarum? Nec enim sic dictum est, congregationemque aquarum appellauit maria, sed congregationesque aquarum appellauit maria. Quomodo ergo congregentur dixit in locũ vnum, nisi ac si diceret, secedant hinc & hinc aquæ, & confluant seorsum & seorsum, nullumque operi proposito faciant impedimentum? Quo enim tendebat summa artificis industria, nisi ad hoc quod ait, & appareat arida? Aridam quærebat iamdudum latentem in profundo abysi, antequam diuideret & aquas ab aquis, quam solus ibi esse nouerat, qui solus creauerat. Quærebat (inquam) aridam, magni & pulcherrimi operis materiã, quod apud se pertractabat miro & ineffabili consilio, de infima & ignobili massa cæli sui superioris aurea perornaturus pallacia.

Psal. 84. Hac ergo inuenta, vidit Deus quod esset bonum, vidit, inquam, nec suus eum visus fefellit. Nam sicut tũc vidit, ita nunc factũ est, quã videlicet de arida veritas orta est, quæ ortũ in cælo superaret. Et vocauit, inquit, Deus aridam terram, congregationesq; aquarum appellauit maria. Iam superius dictum est, quã virtutem innuat positio diuinæ vocationis, videlicet: quòd earum substantiam quibus nomina per semetipsum Deus imposuit, transituram non facile quis dicere possit. Et terram quidem secundum naturam quã condidit ipse, constat esse aridam. Etenim reuera naturaliter arida est, & nisi ex humoris temperamanto solidaretur, puluis esset, omnique vento leuiter cederet. Proinde sicut aliunde iuuatur, & nunquam omininò in sua inopia relinquitur, rectè illi nomen quoq; mutatũ est, vt iam non arida, sed terra vocetur. Item & quod iam cõsuetudinaliter mare dicitur, naturaliter congregationes aquarum est.

Item de congregatione aquarum, & de arida, & de eo quod dictũ est in eodem psal. Qui fundasti terrã. s. s. s.

CAPVT XXXIII.

HOc mirabiliter dixit mirabilis Deus, *Psal. 103.* hoc imperium protulit æterni verbi genitor. Hoc dixit antiqua & secreta atq; incõprehensibili dictione, & ita factũ est. Et hoc admirans inclytus psaltes Dauid, organista Dei: Qui fundasti (inquit) terram super stabilitatẽ suam, non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Ascendũt montes & descendũt campi in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terrã. Quid mirabiliùs dici potuit, eò quòd ait: qui fundasti terram super stabilitatem suam. Sed & huic simile est, quod in alio psalmo, dũ cõfessionis huic diuinæ bonitati decãtat, dicens: qui fecit cælos in intellectu, *Psal. 135.* statim subiunxit, qui firmauit terram super aquas? Quid enim mirabilius dictũ est, qui fundasti terram super stabilitatẽ suam, an qui firmauit terrã super aquas? Imò cũ vocib. hæc diuersa sint, sensib. æquipollẽtia sunt: quis. n. nesciat, non terrã aquis, sed aquas terra sustineri? Vndiq; aquis orbis terræ cinctus est, vndiq; circũfuso aere vallatus est. Quòd si antipodes nostris sub terra obuersi pedib. essent, vt gentiliũ philosophi opinati sunt, nõ magis illis timendũ foret, ne caderẽt deorsum, q̃ nobis pauendũ est, ne ruamus in cælum. Omnia nãq; pondera, in terram nisũ feruntur, & vndique à terra aquæ supportantur. Quid ergo dictũ est qui firmauit terram super aquas, nisi ac si diceretur, qui firmauit terram, nullũ habentem fulcimẽtũ, nisi ipsas quas potius ipsa portat aquas? Ergo firmauit terrã super semetipsam, ergo fundauit terrã super stabilitatẽ suam. Verũ scioli huius mũdi philosophi hoc ipsum sciẽtes, scilicet terrã quasi centrum super inane pendere in medio mundi, olim irridebant sacram scripturã quasi de imperitia & sensu puerili, quòd terram super aquas firmatam esse dixerit, cũ potius admirari vera sapiẽtia & philosophia sit, q̃ super nihili nisi super humidũ aerẽ grauẽ terram creatoris imperiũ firmiter atq; immobiliter stabilierit. Iam verò cũ de cõgregatione aquarum dicit. Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt fortitudinem verbi, maiestatẽ imperij, per quod illud factum est, quantum potuit homo conuenienter cum figura, quæ metaphora dicitur, expresit. Nunquid enim aquæ animatæ sunt, aut sensibiles, vt dicerent ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt? Simulque notandum, quod dum rem amplificare vel exornare nititur, sapiens quidem, sed pro rei quantitate infantulus, sõlœcismo quoque vsus est, pro tempore præterito ponens futurum, fugient & formidabunt, pro eo vt diceret, fugerunt & formidarunt. Quod tandem ait, terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram, hoc ita verum est, vt nec in diluuio terminum suum

Gen. 9. mare transgressum fuerit, quo terram operiret. Sed rupti sunt (inquit scriptura) omnes fontes abysi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, factaque est pluuia super terrã quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Quanto magis terminum suum maria iam non transgredientur, postquam per semetipsum iurauit Dominus, dicens: Non adijciã vltra aquas diluuij super terras, ponam arcũ meum in nubibus cæli, & recordabor fœderis mei, vt non perdam aquis diluuij omnem carnem? Igitur mirabiles quidem elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus, qui circundedit illud terminis suis, posuitque vectẽ

Psal. 92. Iob 38. & ostia, & dixit: Hucusque venies & hic confringes tumentes fluctus tuos. Commouea-

Gen. 9. tur mare, & plenitudo eius, quoniam ita expedit, aliter enim nõ valerent putentes aquæ eius, nec aptæ essent alendis piscibus, præsidẽ suum hominem pascentibus. Commouetur (inquam) nunc ventorum impulsu, nunc naturali accessu vel recessu, sic aquæ vegeten-

Psal. 95. tur, quæ in ocio vel quiete morerentur. Tutam quippe reddidit Deus aridam, quod positum sibi terminum non transgredientur, neque conuertentur operire terram.

Quid opus fuerit aridæ, vt ascenderent montes, & descenderent campi.

CAPVT XXXIIII.

PORrò, quid opus erat eidem aridæ, id est, terræ, vt ascenderent montes, & descenderent campi, in locum, inquit, quem fundasti eis? Hic planè illud sciẽdum est, quia si terra æqualis vbique iaceret, non leuior quàm in mari ventorum tempestas in ea regnaret.

Psal. 103. Nã solet & nũc in locis illis, qui mõtib. carẽt, videlicet maximè Libia, tẽpestas, non minus quàm in pelago turbare foris deprehensos quoscunque tam pedites quàm equo sedentes. Etenim vbi per loca æqualia & nuda gignentium, ventus coortus arenam humo excitauit, magna via agitata, ora oculosque implet, & ita profectum incessumque impedit, vt in nullo mari maius naufragiũ. Quid si nulli vsquam montes ascendissent, si cuncta in planum terra descendisset? Si vbi paululum ventis currere licet, tantas vires breui colligunt, quid possent, si nullum in toto mundo haberent repagulum? Ergo nec istud magnifici Dei laudibus deesse debuit, quod ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem ille fundauit eis, fundauit, inquam, videlicet vt neque montes semel aſtẽdere iussi descendant, neque campi semel depressi consurgant. Cùm ita terræ fundator abyssum, quæ sicut vestimentũ amictus eius erat, dispulit, eadem ipse potentia competens aquarum subsidium per intimas eius venas largè diffudit. Non enim sic ab increpatione eius aquæ fugerunt, & congregatæ sunt in locum vnum, vt hæc apparẽs sic de vtero abyssi proijceretur, tanquam abortiuum. Sed indesinenter trahens aquas in omnes venas, copiosam sugit abysi mammam, & ascendentẽ per nubes, rursusque labentem temporaneã & serotinã accepit de cælo pluuiem. Alitur intrinsecus dulcescentibus aquis, rigatur extrinsecus de superioribus suis. Item scatent fontes, fluunt amnes. Quod itidem laudans Psalmista: Qui emittis (inquit) fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibũt aquæ. Proinde & Ecclesiastes, aquarum fluentium originem considerans: Omnia (inquit) flumina intrant mare, & mare non redundat. Quare? Videlicet, quia non influit illuc, nisi quod exinde prædictis modis sumitur. Sed iam super terram emissum verbi potentis audiamus imperium.

De eo quod dictum est, germinet terra herbam virentem, & de cuiusq; dictionis triplicatione.

CAPVT XXXV.

GErminet terra herbam virentem & affe-

Psal. 95. rentem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Factumque est ita. Et protulit terra herbam virentem, & afferentem semen iuxta genus suum, lingnumque faciens fructum, & habens vnũ quodq; semen secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Factumque est vespere & mane dies tertius) Quia creatricis trinitatis hæc sunt opera, benè testimoniũ suum sancta scriptura vbique triplicat. Tria nempe dicta sunt, immò ter vnum idemque dictum est. Dixit Deus, cuius dixisse fecisse est. Factumque est ita, & protulit terra. Et primum quidem secundum vespere est, id est, verbi Dei secretum, in quo vita erat: quic quid mane, id est, substantiali rerum productione: factumq; est aliud secũdũ hoc ipsum mane, tertiũ secundum diẽ continuũ quomodocunq; perseuerantis creaturæ. Hoc in cunctis sex dierum operib. inuenies. Dixit deus, fiant luminaria, & factũ est ita, & fecit Deus duo luminaria magna. Itẽ, producant aquæ reptilia, creauitq; Deus cete grãdia, Benedixitq; illis deus, &c. Sed in creatione lucis dixit deus fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucẽ & tenebras. Vbiq; tria cõsonant testimonij verba, quia tota vbiq; vespere & mane & tota die creatrix operatur trinitas. Et hæc est sanctæ ac iustæ legis originalis causa, qua scriptor idẽ sanxit, vt testibus plus quàm tribus nulla iudicialis indigeat causa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item de herba virēte, & herba semeu afferente, de ligno pomifero, & de ligno, cuius solum semen est in semetipso.

CAPVT XXXVI.

GErminet (inquit) terra herbam virentē, &c. Omnis herba & omne lignum primò bifariam diuiditur. Est enim herba solùmodo virens, vt fœnum quod producit terra iumentis. Et est herba semen suũ afferens, vt triticum vel apium, cæteręq; species quas producit seruituti hominum. Item, est lignũ nullum afferens fructum, sed solum semen suum, vt fagus aut ilex, cæteraque ligna cam-
Psal. 103. pi, & cedri, libani, vbi iuxta Psalmistã, passeres nidificant, quæ arbores nequaquam propriè dici possunt. Et est lignum pomiferum quod arborem dicimus, vt malus siue pyrus, vel quodcunque tale afferens fructum, & in fructu semen iuxta genus suum. Horum omninò nil Dei præceptum omittit, in hac scriptura. Non enim dixit solummodò herbam afferentem semen, sed & præmisit quod vniuersalius est, herbam virentem. Item, non dixit solummodo, & produxit terra lignum pomiferum & faciens fructũ, sed addidit, & afferens semen, vnumquodque in genere suo.

De plantatione paradysi, & de eo quod dictum est, qui viuit in æternum, creauit omnia simul.

CAPVT XXXVII.

AB hoc ornatus terræ principio plantauerat Dominus Deus (vt inferius scriptum est) paradysum voluptatis, in quo formatum homine posuit, plantauerat (inquã) non surculos aliunde petens, sed huius præcepti sui vim semel infigens, vnde natura vel virtus germinãdi terræ innata est. Cuius plãtationis, quia mentio nunc se obtulit, quam uis suo loco plenius debeat dici, iam nunc tamen quærendum est ab eis qui omnem creationem repentinam, & commixtam fuisse volunt, quomodo accipiant illud quod dictum
Gen. 2. Eccl. 18. est: Plantauerat paradysum voluptatis à principio. Nam propter illud quod alibi scriptum est: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, volunt repentè & absque vllis profectibus herbam maturam, & ligna robusta, cum pomis & seminibus suis constitisse, simul luminaria in firmamento, simul reptilia maris, & volatilia cæli efferbuisse, simul nihilominus animantia terræ & ipsum hominem subitò obambulasse in pedes. Hoc planè à ratione dissentit, nec huiusmodi sensum præsentis lectionis textus admittit. Nam à principio iã dictum est, quia plantauerat Dominus Deus paradysum voluptatis, & homo nõ erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Cæterùm & illud. Qui viuit in æternũ creauit omnia simul, quomodo accipiendum sit, saluo ordine lectionis huius, oportunius dicemus, cùm ad illam creationis conclusionẽ venerimus, qua sic dicitur: Istæ generationes cæli & terrę quando creatæ sunt, &c. Núc illud dicendum fuit, quòd ab hoc ornatus terræ principio paradysum deliciarum plantauit dominus Deus, quia profectò in eius plantatione longè glorioſius effusum est hoc Domini gratioſum imperium, dicentis, germinet terra herbam virentem, & afferentem semen, lignumque pomiferum, quàm in isto penurioſo humani generis exilio, vbi terra homini laboranti in sudore vultus sui persæpe non dat fructus suos. Nam in illo deliciosò terræ locò, & cælis proximo, salubria cuncta sunt herbarum siue lignorum semina: in hac autem terra, de qua sumptus & in quam propter peccatum reiectus est homo, pleraque nascuntur eidẽ homini noxia. Nec mirum, maledicta enim (inquit) terra in opere tuo, cùm operatus fueris eam, non dabit fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Si maledictionis est, spinas & tribulos germinare pungentes: quantò magis à maledicto est, afferre herbas & succos occidentes? Nónne vnde est homini superfluã, & ad benedictionem, quæ in paradyso data est, non pertinentem gignere sobolem, dicente mulieri Domino, multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: inde & terræ eius accidisse credendum est, vt diffundat humores varios & noxios non pertinentes ad hæc benedictionis verba, germinet terra herbã virentẽ, &c.

Item de eo quod dictum est, vnumquodque iuxta genus suum, & consubstantialem esse Deo patri filium.

CAPVT XXXVIII.

QVis in his & in huiusmodi adiuuit spiri- *Esa. 40.*
tum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Quis (inquam) ostendit illi, vel quo instructus fuit ab exemplari, mãdare terræ, vt afferret herbam, lignumque vnumquodque cum semine generis sui? Quærimus hoc à Iudæis, pariterque ab hæreticis, quicunque impio sensu Deum patrem omninò sterilem esse volunt, negantes eum cõsubstantiale sibi protulisse verbum, non credentes eum coæqualem sibi genuisse filium. Vos Iudæi, nullum, vos Arriani dissimilem dicitis illum habere filium. Vnde ergo non solùm animantibus, sed etiam herbis terræ dedit habere singulis in semetipsis semen generis sui, si in semetipso nihil talis naturæ vel vigoris habuit? Sitis igitur vos fœnum, quod Behemoth, id est, animal, scilicet, diabolus sicut bos comedat: sitis (inquam) sicut ligna syluarum, quæ fructum non ferunt, ad nihil vtilia, nisi vt excidantur, & in ignem mittãtur, quicunque Deum creatorem omnium, *Iob. 40.*
aut nullum, aut dissimilem sibi genuisse blas- *Matth. 7.*
phemãtes dicitis filium. Natura nanque dei, neque sterilis est, qui creaturæ suæ fertilitatẽ dedit: neque genitura eius degenerauit, vt gigneret aliud Deus quàm Deum, qui dixit & factum est, vt vnumquodque lignorum siue herbarum afferret in semetipso semen non aliud, quàm secundum genus suum.

Item, de die tertio.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

IN hoc die tertio species illa diuinæ bonitatis fulget, vnde sanctus septiformis spiritus tertio loco ascendentibus, post timorem & pietatem, spiritus scientiæ nuncupatur. Pulcherrimæ nanque scientiæ est, quòd illũ paradysum deliciarum talis ac tantus plantauit hortulanus, scientiæ (inquam) cuius spe inflatus est homo, dicente sibi diabolo, comedite & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Indignabatur enim miser, inspiratus à diabolo, quòd alienum hortum sub alieno custodierit imperio, aliquo sibi lignorum interdicto, & ideò tanquam medicinam captabat, vt haberet & ipse scientiã plantandi sibimet paradysos. Sed de hoc aliàs. Planè & in cæteris septem dierum operibus absque sciẽtia nihil operatus est Deus. Veruntamen secundũ proprias distinctiones, singula de singulis potentiæ septiformis vocabula magis propriè sumpta sunt. Verbi gratia: Pisces quoque maris scientissimè fecit, & volatilia cæli. Verùm in istorum natura iam illa creatricis potentiæ virtus cognoscitur, quæ spiritus consilij nuncupatur. Habent enim naturale quoddam mutui amoris consilium, quo concilientur inuicem, qui consociet masculũ & fœminam, & amantes conueniant, vt pariter nidificent, vt fœtus alant. Sic & in singulis cæterorum dierum operibus, præter sciẽtiam Dei, aliud magis propriè consideratur & prædicatur. At verò ex opere huius tertij diei, nihil melius quã multiplex prædicatur scientia Dei, quia videlicet præter suum esse nihil adhuc operantur extrinsecus, nisi quod significant tanti scientiam plantatoris. Factũ est igitur vespere & mane dies tertius, sicut supra dictum est. Hoc opus scientiæ Dei subsequitur aliud opus cum euidentia magnæ fortitudinis.

De die quarto, de luminaribus, & virtute maioris luminaris.

CAPVT XL.

DIxit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factũ est ita. Et fecit Deus duo luminaria magna. luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti.) Hoc planè dixit & fecit Deus in spiritu fortitudinis. Nam vt taceã de luna & stellis, quarum potentias penè soli vtcunque nouerunt Physici, de sole quis ruricula nescit, quòd sine illo factura mundi, non solùm infirma & egena, sed & nulli viuentiũ sit habitabilis? Cũ ab hac regiõe habitabili paulò lõgius abest, nulli lignorum siue herbarum semini tellus idonea est. Pigrescunt arua, constringuntur flumina, frondiflua moriuntur nemora, piger ad focos agricola damnosa ducit ocia. Quid si idem sol diutius in longinquo abssisteret, aut omninò nullus esset? Pro inde cũ propius ascensu suo nos visitans, aruorum duritiam radijs inualescentibus effringere cœperit, comparatur arieti. Cumq; altius ascendens boum labores apparere fecerit, tauro dicitur similis, & cũ segites maturas, vrgente desuper calore, solidauerit, comparatur leoni.

Item de eodem, & quòd ante illud paradysus deliciarum floruerit, & quòd illa sit terra promissionis.

CAPVT XLI.

HIc iam prætereundum non est, quo de hoc magno præside huius cæli eleganter prædicare solent physici, quòd sit fons ignis ætherei, cor cæli siue mens, & temperatio mundi. Nam quòd mundum verè temperet, inquiunt, ratio in aperto est. Ita enim non solùm terram, sed ipsum quoque cælum temperare sole certissimum est, vt extremitates, quæ à via solis longissimè recesserunt, *Psal. 74.*
omni careant beneficio caloris, & vna frigoris perpetuitate torpescant. Hanc eorũm rationem contemnere difficile est. Nam hoc ipsum Psalmista tetigisse videtur, cùm dicit: Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus. Desertos quippe montes australi atque boreali polo subiacentes terras appellat, ob longinquitatem solis perpetuo gelu rigentes, quos inter mediãq; zonã, quam perustam vocãt, duas aiunt esse, hinc frigore, hinc calore tempe ratas, vt sint habitabilibus. Quæritur itaque, qualiter antè factum solem germinarit terra lignum pomiferum, herbamque virentem, & afferentẽ semen: cũ & nunc tamdiu, sole in cælo flammante prædictæ partes perpetuò frigore steriles permaneant propter hoc solũ, quòd ab eo longius remotæ sint. Ad quod ecclesiasticis auribus facilè respondetur, quia quòd notum vel creditum non fuit curiosis illis mundanæ creaturæ scrutatoribus, paradysus ille, quem plantauit Dominus Deus à principio dicendo: germinet terra herbam virentem, & afferentem semẽ, lignumq; pomiferũ, &c. Hoc enim principium fuit omnium quæ in mũdo nasci iussa sunt, paradysus, inquã, ille, quem hac verbi sui dictione plantauit Dominus Deus, paradysus voluptatis est, paradysus deliciarum est; alterius cæli, alterius temperiei, non vicibus subiacens æstatis & hyemis, aut veris & autumni, sed perpetuæ voluptatis & permanentium deliciarum paradysus est, semper floridus, semper lucidus, sempiterna suauitate, visu delectabilis ac gustu. Cuius perpetuas delicias hic idem scriptor sub nomine illius terræ repromissionis, ad quam rudem Dominus introducebat po- *Deut. 8.*
pulum, ita gratioſis descriptionibus commẽdat. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarũque & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi, terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & oliueta nascuntur, terram olei & mellis, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

mellis,&c. Item terra enim quam ingredieris posidendam,nō est sicut terra Aegypti, *Deut. 11.*
de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ,sed montuosa est & campestris, de cælo expectans pluuias,quam Dominus Deus tuus semper inuisit,& oculi illius in ea sunt à principio anni, vsque ad finem eius. Hæc idcircò nunc dicta sunt,vt certum sit ante hunc solem germinasse terram ad præceptum DOMINI, quia videlicet terra illa,cuius plenitudo tantis non potest exprimi descriptionibus vmbraticis,nō indiget vt reflorescat visitatiōe solis, quam semper inuisit Dominus Deus, in qua sunt oculi illius à principio anni vsq; ad finem eius. Sed iam potestatem eiusdem solis ac lunæ secundum ipsa creatoris verba contemplemur.

Item de luminaribus & eorum magnitudinibus.

CAPVT XLII.

FIant(inquit)luminaria in firmamento cæli,&c.) Luminaria solem & lunam dixit. Sic enim sequitur:(Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei,& luminare minꝰ vt præesset nocti.) Vtraq; luminaria magna sunt relatione stellarum, quæ vtique minoris potentiæ sunt,ad alterutrum autem relatione vel comparatione facta, luminare maius sol, & luminare minus est luna. Nam sicut curiosi huius mundi philosophi inuestigauerunt,terra quidē maior quā luna est, sed terræ magnitudine sol qui præ altitudine circuli sui, nostrorumq; paruitatem oculorum, quasi paruus conspicitur,octies(inquiunt) est maior. Amplius autem ex eo sol luminare maius est, quā luna, quia lucet luce propria,nam luna relucet ab illo,luce scilicet non sua, sed aliena. Solis enim lumen corpus lunæ insunditur,& in de resplendescens solam refundit claritatem non calorem,sicut & speculum cùm splendorem de se vi oppositi eminus ignis emittit, solam ignis similitudinem, carentē sensu caloris ostendit. Alij tamen dicūt eam propriū lumen habere, sed globum eius dimidium lucere, dimidium autem obscurum esse, dūque mouetur in circulo suo,partem eandem qua lucet paulatim ad nos conuerti,vt videri à nobis possit,& ideò prius quasi corniculatam apparere. Vtralibet opinio vera sit, maius quidem luminare est sol,tam orbis sui quantitate,quàm luminis, sed hæc duo luminaria magna sunt, videlicet comparatione stellarum quæ longè minus illuminant mundum,& minoris potestatis sunt.

De luminarium atque stellarum diuersa positione in firmamento.

CAPVT XLIII.

SCiendum verò, quòd licet cùm dixisset: Fiant luminaria: subiunxit,in firmamento cæli,pariterque de stellis,& posuit eas in firmamento cæli: quamuis non diuersa sit dictio: diuersa tamen horum est positio. Nam quod astronomici melius experti sunt,stellę quidem omnes præter quinque planetas, id est,erraticas, & præter hæc duo luminaria magna,in firmamento fixæ sunt, & cum firmamento feruntur. Siquidē luminaria hæc, & stellę quinque(vt prædictum est)quas idolorum suorum nominibus sacrauerunt,scilicet, Saturni, Iouis, Martis, Veneris, atque Mercurij, circos habent proprios, qui contrario motu feruntur,voluuntur enim contra firmamentum. Horum altior circus Saturni,inferior Lunæ circulus habetur. Benè, inquit, fiant luminaria in firmamento cæli, id est, vnumquodque in sui firmamento cæli.Dicuntur enim & istorum luminarium & cæterorum planetarum circuli cæli,qui laudant Dominum, iuxta Psalmistam dicentē: Laudate eum cæli cælorum, id est,cæli, vel circi maiores, minorum complexui circulorum.Non enim parua materia diuinæ laudis est firmamētum, cursus eorum quē nunquā excedunt,incessanter currendo,seque in circulos suos reflectendo motu duplici, videlicet motu superioris firmamenti, quod dicūt aplanen,& motu proprio, quo contra ipsum iugiter feruntur. Vtrumque motum Eccle- *Eccl.1.*
siastes de sole loquens, exprimit his verbis: Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur,ibique renascens girat ad austrum, & flectitur ad aquilonem. Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Hoc idem de Luna & cæteris est sentiendum,quæ quanto maiores vel minores circulos habēt,tanto plus vel minus temporis gyrando & regyrando expendunt.

De diuisione diei & noctiū,& potestate luminarium.

CAPVT XLIIII.

AD quid fiant hæc luminaria? (Et diuidant(inquit)diem & noctem &c.)Hæc præcipua causa est cur facta sint luminaria. Vnde & tertio repetitur,cùm dicitur:Luminare maius vt præesset diei,& luminare minus vt præesset nocti. Itemque postmodum, vt lucerent(inquit) super terram, & diuiderent lucem & tenebras.Si iam ante per semet ipsum diuiserat deus lucem & tenebras,quid necesse erat vt luminaria diuiderēt diem & noctem,siue lucem & tenebras?Immò,quomodo diuiderent, quod iam Deus diuiserat, & nemo rursus confuderat?Ergo illic de intellectuali luce,& spiritualib. tenebris dictū est, nam hic de corporeæ visionis luce & tenebris sermo est. Et has quidem tenebras, Deus benè posuit, quippe cuius positione & præcepto,ꝙ nō præteribit, sol deorsum descendit,& tunc ex vmbra terræ superius hemisphærium tenebrescit & nox fit,vt in ipsa *Psal. 103*
pertranseant omnes bestiæ syluæ, catuli leonum rugientes,vt rapiant, & quærant à deo escam sibi,vt orto sole congregētur in cubilibus suis,exeat autem homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Benè(inquam) hoc inter ea, quæ valdè magnifica

magnifica sunt,opera tua Domine in sapientia fecisti.Proinde has tenebras scriptor præmisit,vt diuiderent,inquiens, lucem & tenebras,ac deinde subintulit,& vidit deus quòd esset bonum.Illas autem tenebras à laude boni secluſit prius dicendo, & vidit Deus lucē quòd esset bona, & tunc demum diuisit(inquit) lucem & tenebras. Diuidant(inquit) diē & noctē,ita videlicet vt luminare maius præsit diei, & luminare minus præsit nocti. Hoc & Psalmista conscribens in confessionibus Domini:Confitemini(inquit) Domino, qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei,lunam & stellas in potestatē noctis.
Psal. 135. Et in Psalmo superius memorato: Fecit(in-
Psal. 103. quit) lunam in tempora, sol cognouit occasum suum.Itaque si quæras quomodo luminare maius præsit diei, occidendo videlicet præest & renascendo. Nam sol cognouit occasum suum, quod metaphoricos dictū est, videlicet quòd ita certo tempore occidat,& tanquam sciens,quid agat,certa nihilominus hora reuertatur ad ortum,& secundum eundem occasum certis ex causis nunc certiorē, nunc tardiorem alternatim variatur longitudo breuitasque dierum. Nam altius ad aquilonem progrediendo,quia nobis tardius occumbit,diem producit. Rursusque ad Austrum descendendo,quia nobis citius abscondit,diem breuiorem efficit. Non enim aliunde dies, nisi quia sol super terram est,sicut econtra,nox nō aliunde, nisi quia sole sub terram demisso,vmbra terræ soli obiecta super nos exaltata est.Etsi antequam solis globus horizonti emergat, mane lucet illustratus aer,& dies est,hoc de vicinia solis fit,sicut econtra vespere cùm iam nobis absconditus fuerit, non continuò, sed paulatim dispareret,quæ supersunt reliquiæ luminis. Ita luminare maius præest diei semper.Luna verò temporaliter præest nocti. Vnde & pulchrè Psalmista: Fecit,inquit, lunam in tempora. Non enim cunctis noctibus vel toti nocti præest,sed pluribus noctibus,& plurimæ parti noctis deest. Crescit quippe temporaliter, decrescit nihilominus temporaliter. Item & aliter hic diei, atque aliter illa præest nocti. Hic enim præest diei, quia de seipso diem efficit:illa præest nocti, quia tenebras eius aliquantulum superat, præsidio mutuati à sole luminis.Igitur diuidant diem & noctem,inquit, scilicet,vt ille omnem diem suo lumine efficiat.Hæc aliquas noctes, vel aliquantulū noctis illustret.

De eo quod dictum est, & sint in signa & tempora, & dies & annos.

CAPVT XLV.

ET sint,inquit, in signa & tēpora, & dies & annos) Quatuor dicta sunt,signa,tempora, dies, & annos. Horum tria,scilicet signa,tempora, & dies, ad solem pertinent, quia videlicet ex ipso percipiuntur,maximè horarum signa,quas cùm obseruet rusticana quoque plebecula,magis ad seruiendum deo religiosa considerat Christi ecclesia,& secundum ipsum variantur veris, æstatis,atq; autumni,& hyemis tempora. Porrò, quòd in dies hoc luminare sit,omniū palam subiectū est oculis. Per singulos nanque ortus suos, singulos dies efficit.Porrò,lunę deputantur anni,cum suis partibus,id est,mensibus duodenis.Hebræi nanque(quibus data, vel à quibus profecta est hæc scriptura ad nos) solos nouerunt lunares menses & annos. Est autē mensis viginti nouem dierum ac semissis. Annus autem siquidem cōmunis,id est,duodecim mensium sit, CCCLIIII. dierum.Si autem embolismus, id est, tredecim mensiū sit,CCCLXXXIIII.dierum est.Romanis tamen luminare maius in annum est. Solarem namque computant annum CCCLXV.dierum,superaddito diei quadrante.Sed hic annus non adeo naturalis est,quippe cuius partes,scilicet menses non naturaliter currunt, sed ad placitum dispositi sunt. Lunaris autē annus naturalis est, quippe cuius partes,id est, menses itidem lunares à natura veniunt: vnde & cuncti quantitatis eiusdem sunt,nisi quod semissem qui XXIX. diebus supereſt, quia pro integro die computari non potest, seruari oportet.vt alter XXIX. alter XXX. dierum mensis habeatur. Hos annos,vel huiusmodi mēses ante fidem Christi,Romanus orbis non obseruabat,sed & nunc indoctum vulgus ignorat.Proinde & in communi vsu annum computat Christi ecclesia,qualem scripturæ huius ignara constituit gentilitas,& pro legitimo ritu festi paschali, menses & annos Hebræorum secundum lunam, tam communes,quàm embolismales rationabiliter obseruat.

Quare postremo dictum sit,& illuminent terram.

CAPVT XLVI.

QVare autem post hæc omnia continuò subiunxit?(& illuminent terram)Videlicet ne putes, ante hæc luminaria terram aliqua luce corporea fuisse illuminatam.Nam fortè diceres: Iam & antea terra illuminata fuerat, sed nō in signa & tempora,nō in dies & annos distincta vicissitudine lux illa obseruabilis erat.Vt ergo superadijcerētur ista, id circò facta sunt ista luminaria. Hunc omninò sensum literæ textus excludit, dūm hoc etiam ādijcit, & illument terram. Nam ex hoc quoque palam datur intelligi, quia super hāc terram nulla prius erat lux visibilis. Verūtamen de illa terra paradysi illud sciendum est,quia mox(vt dixit Deus) congregentur aquæ quæ sunt sub firmamento in locum vnum,& appareat arida,sic apparuit,vt postea nunquam disparuerit, sicut nihilominus mox(vt dixit Deus)germinet terra herbam virētem,&c. sic germinauit, sic floruit, & fronduit,fructumque attulit,vt iam vltra deflorescere non possit. Nam vt taceam de luce angelicarum specierum,quæ nunquam ibi desunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibi desunt, si in hoc exilio quædã terræ huius particulæ, scilicet precioſi lapides, quales maximè carbunculi sunt, sic apparent, vt in nocte pro lucernis esse possint, quàm splendidè putas terram illam apparuisse, vbi neque huiusmodi lapidum, neque alicuius boni quod visum delectet quicquam potest abesse? Hũc ergo mundum tantummodò luminaria hæc illuminant. De quibus nec illud prætereundum est, quòd maximè horum causa firmamentum volubile esse oportuit, videlicet vt sol, qui tanti est feruoris, vt (sicut superius dictum est) fons ignis ætherei appellatus sit, ad hoc factus, vt non solùm illuminatio, sed & temperatio mundi frequens esset, & cunctis partibus adesset, & stellarum ordo notabilis toties regyrans notior existeret. Siquidem multo melius nunc est, cũ sol feruidus breuiter quidem, sed frequenter adest, quàm si spacio sex mensium desuper terras exurens, itidem sex mensium spacio sub terra delitesceret, tanquam longam noctem cum eadẽ prolixitate, frigoris nobis relinqueret. Duodenis nanque mensibus Zodiacum circuit quo circuitu solo circunferretur, cessante motu firmamenti, & proinde quod nũc annus est, hoc tunc vnus cum nocte sua, dies existeret.

Cur firmamẽtũ volubile esse oportet.

Cur dicendo, & stellas non addidit, & sint in signa & tempora, & de eodem die quarto, & quid sit dies quartus.

CAPVT XLVII.

ET fecit, inquit, Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Et stellas. Notandum in hac repetitione, cùm dicit, & fecit Deus duo luminaria magna, & stellas, non addidit in signa, videlicet ne occasionẽ daret illis qui putant in stellis signa esse fatalia, homines quippe creaturæ magis, quàm creatoris imitatores, & à creatura mundi cognitum Deum non sicut Deum glorificãtes, aut gratias agentes, in isto quoque dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, dum stellis penè omnem creatoris asscripsere potestatẽ, ita vt dicerent ex earũ momẽtis vitæ & mortis sui fatalem pendere necessitatem. Huiusmodi suspicio de hac scriptura nasci non potuit. Nam cũ dixisset, & fecit Deus duo luminaria, sic subiunxit, & stellas, vt in signa subaudire non liceat. Attamen & stellæ in quædam signa, & in quædam tempora sunt, quæ salua pietate Christianus homo suscipere vel attendere queat, verbi gratia, de qualibus loquitur scriptura: Quis fecit arcturum, & hyadas, & oriana? Item, nunquid coniũgere vales micantes stellas pleiades, aut gyrum arcturi dissipare poteris? Nunquid produces luciferum in tempore suo, aut vesperum super filios terræ congregare facies? Hæc & his similia suscipere, & ex illis serenitatis vel procellæ significationes attendere perniciosum non est, immò pauidis maximè nautis vtile est. Amplius autem ex huiusmodi positionibus vel significationibus stellarum spirituàlem sensum per idoneas similitudines capere laudabile est. Item, & tempora noctis de altitudine cuiuslibet stellę, ex his quæ fixę cũ firmamento fuerunt, admoto horoscopo, de prehendere iucundum artificium, atque innoxium exercitium, imò & nocturnæ laudis Dei, quibus horis fiat, pulchrum expectaculum est. Sed de huiusmodi ad præsens negotium non pertinet. Nam qui verè sapientiam quærit, & à creatura mundi creatorem cognoscere, glorificare, & gratias agere cupit, hoc solum de illa scire cõtentus est, quod sacra testante scriptura, creatrix diuina instituit, videlicet, quòd ad hoc posuerit ea quæ prædicta sunt, id est, luminaria, & stellas, in firmamento cæli, vt lucerent super terram, vt præessent diei ac nocti. Et vidit Deus quòd esset bonum, vidit, inquam, & verum vidit, neque in suo visu falsus est. Nam verè bonitatis eius bonus hic effectus, bona, inquã, & pulchra boni operis eius quarta hæc species est, factumque est hoc vespere & mane, quia videlicet & erat prius in occulta & inuisibili dispositione, & nũc est in hac visibili specie præclara dies verbi æterni, pulchra & lucida clarificatio vnigeniti filij.

Rom. 8.

Iob. 9.
Iob. 38.

De die quinto, & quid sit dies quintus.

CAPVT XLVIII.

DIxit etiam Deus, producant aquæ reptilia animæ viuentis & volatile super terram sub firmamento cæli. Creauitq; deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque mutabilem, quã produxerant aquæ in species suas, & omne reptile secũdum genus suum. (Sicut iam superius dictum est, in hac specie creaturæ, id est, in reptilibus maris, & volatilibus cæli, quoddam naturale vel affectiuum consilium est, quia videlicet dictante genitali amore, masculus & fœmina conueniunt, & successioni propagandæ, tanto studio consulunt, quantum satis sit ad hoc prouidendum vel efficiendum, ne deficiat quasi desiderata posteritas ipsorum. Proinde indubitanter pronunciare licet, hanc speciem boni operis Dei ad spiritum pertinere consilij, sicut supra memoratum, & ante hoc præcedens opus esse monstratum est, de spiritu fortitudinis. Porrò cur ab huius operis quinto die scriptor exceperit iumenta & reptilia vel bestias terræ, cũ illorum non altior quàm horum essentia sit, pariter quippe funguntur quinque sensibus corporis, oportunius suo in loco dicendum est.

Sup. ca. 31.

De eo quod dictum est, producant aquæ reptilia animæ viuentis.

CAPVT XLIX.

PRoducant, inquit, aquæ reptilia animæ viuentis. Mirum quidem de fluxo aquarum elemento solida nasci vel produci corpora, sed mirabilius est, quòd de nihilo potens conditor iam ipsum aquarum elementum fecerat. Cùm autem dicit, producant aquæ reptilia, quid opus est adijci animæ viuẽtis? cùm ipsum nomen reptilium viuentem animam satis exprimere possit: Etenim viuit & sentit omne quod repit, quamuis non omne quod viuit, repat, vel repere possit. Viuit nanque herba, virens & afferens semen, quam terra germinat. Viuit omne lignum pomiferum, vel habens semen suum in semetipso quod terra producit. Sed vita huiusmodi sicut sine sensu, ita & sine motu est. At verò omne quod repit, vt iam dictum est) etiam viuit. Quid igitur cùm dixisset, producant aquæ reptilia, addidit, animæ viuentis? Videlicet, vt animam reptiliũ distingueret ab anima hominũ. Cùm enim dicit, animæ viuentis, subaudiri vult, & non etiam discernentis. Nam eo quidem vita reptilium vitam superat herbarum atq; lignorum, quòd sensibilis est, nam & illa viuunt quidem, sed non sentiunt: verùm longè inferior est, quàm vita hominis, quia non solùm sic viuit homo, vt sentiat, sed & viuit, & sentit, & quod dignissimum est, discernit. Hoc ergo cũ dicitur: producãt aquæ reptilia, mox oportunè subiungit, animæ viuẽtis: viuentis, inquam, tantummodò, non etiam discernentis. Itemque & volatilia, subauditur, producant aquæ animæ viuẽtis, nihilominus & nõ discernentis. Nam acutius quidem volatilia quã reptilia sentiunt, sed nihilominus discretione vel ratione carentia sunt. Acutius autem illa sentire, non dubium est. Nam & acumine sensus illorum intantum maligni spiritus abusi sunt ad augendum errorem gentilium, vt auspices quoque, siue augures ex eo constituti fuerint, quòd ab auiũ garritu siue inspectu, ventura sibi crederent bona, siue mala spectanda præsignari. Contra quod eximius eorum poeta paulò melius sentiens, ait: Haud equidem credo, quia sit diuinius illis Ingenium, aut fato rerum prudẽtia maior. Verũ vbi tẽpestas & cæli mobilis humor Mutauere vias, vertũtur pecudes, & ouãtes gutture corui. Dixit aues nõ sciẽter diuinare, sed pro cæli qualitatibus, diuersos motus cõcipere. Quippe quæ spreta grauiore terra, sursum spaciãtur, & aere leuiore feruntur, mobiliq; corpore minus prægrauatam supernè ducunt agilem vitam. Econtra, reptilia grauior deprimit natura, tantoque in acumine sensuum prædictis volatilib. cedunt, quãto aeris natura crassius aquarum est elementum. Cùm itaque dixisset, producant aquæ reptilia animæ viuentis, notandum quia nihil addidit: volatile autem, inquit, producãt, & addidit, super terram. Sed & hoc nondum satis fuisset, nam & reptilia sub aquis terræ incubant, nec enim semper natant, & de terra siue arena victum quæritant. Ergo benè & hoc addidit, sub firmamento cæli. Hæc productionis volatilium plena & sufficiens definitio est, quia videlicet produxerunt aquæ reptilia animæ viuẽtis, produxerunt, inquam, non etiam emiserunt, licet quædam ex illis, vt delphini siue phocæ ad horam patiente natura foras prodire audeant. Volatilia autem & produxerunt, & super terram sub firmamento cæli emiserunt. Vna nanque hæc animantium species nihilo magis gaudet, quàm libertate volandi, natabundis, sub firmamento cæli, spaciando pennulis, sicut cætera reptilia quæ retinuerunt aquæ, in semetipsis earundem aquarum profundo, & maximè fluuialib. vndis. Porrò, volatilium quæque species, prout pẽnas densiores, & minora habent corpora, ita & sub firmamento cæli altius atque celerius euolant, verbi gratia, vt accipiter, ardea, siue aquila. Nã econtra, quorum corpora densa, pennæ verò raræ vel paruæ sunt, tardius leuantur, & minus volant, vt vultur, aut certe struthio, quæ etsi pennas habet, nullatenus tamen volare potest.

Virgil. in Geor. lib. 1.

Cur cùm omnia volatilia aquæ produxerunt, non etiam sub aquis viuere possunt.

CAPVT L.

QVæri nunc potest, cur cùm omnia volatilia aquæ produxerint, non etiam sub aquis natalibus eadem viuere possint? Nam sunt quidem quæ dicantur aues marinæ, vt fulicæ, siue parua quidem sed nobilis halcione, quæ nidificare dicitur in littoribus patiẽtia maris expectante, in tantum, vt per bis septem dies, donec pullos educat, nullatenus moueatur vel perturbetur fida trãquillitas. Sed hæc vel cætera cùm de aquis producta sint, non etiam sub aquis viuere possũt. Cur ergo natura illis quasi à materno vtero tã diuersa succedit? Cur illic vitã retinere nõ possũt, vnde vitam sumpserũt? Et quidẽ quę stio hæc difficilis soluitur, si aquarũ nomine vnis tantũ elemẽti gurgites accipimus. Nunc autem & aer, aqua potest rectè dici, quippe qui ex aqua vel per aquam consistit. Vnde dicitur in epistola Pet. Apostoli: Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant prius & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo. Alia editio sic habet: Cæli erant olim de aqua, & per aquam constituti, significat autem aerem istum humidum, atque turbidum. Hunc ergo cælum appellare scriptura consueuit. Vnde scriptum est. Miluus in cælo cognouit tempus suum. Potest itaq; & aer simul cũ aquarum elemento intelligi. Sed cõtra fortè dicitur: Posset hoc sensu & sic dici: Producant aquæ reptilia animæ viuentis, & volatilia, atque iumenta siue bestias. Nam & terra (vt prædictum est) de aqua & per aquã cõsistet. De aqua videlicet, quia dixit Deus, congregentur aquæ in vnum locum, & appareat arida. Et factum est ita. Per aquam verò quia diuina dispositione venis aquarum tota intrinsecus plena est, sicut corpus animãtis redundat venis sanguinis, ne videlicet aridate deficeret, si aquarũ irrigatio cessaret. Ad hæc, inquam, postquam Deus aridam apparere iussit, eamq; terram appellauit, non licet

Cur aues in aquis viuere non possint.

Resp̃sio.

2. Pet. 3.

Hier. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet illam aquæ nomine signari. At verò aeris nomẽ eadem auctoritate nõ est positum, sed ab hominibus dictus est aer ab altitudine: ἀείρω nanque græcè, sursum tollo dicitur latinè. Per hunc feruntur aquarum globi mari exhalante subuecti, ne putes hanc partem nomine firmamenti signatam, cùm firmamẽtum diuidat, aquas ab aquis, per hunc autem aerem palam fit densa aquarum volumina ferri, vt nubes penè flumina sint. Cùm ergo dicitur: producãt aquæ, licet aerem quoque simul intelligi, quia videlicet, cum ascendentes aquæ per aeris spacia, vi frigoris vertantur in niues, eadem facultate per virtutẽ præcepti potuerunt verti in aues. Itaque & de aquis productæ sunt, & tamen sub aquis viuere non possunt, quia fortè nequaquam sub densis fluctibus vitam sumpserunt, sed de rarioris & per nubeculas volantis aquæ globis volantium auium corpuscula facta sunt. Verùm quocunque modo produxerint, illud constat, quia produxerunt aquæ reptilia animæ viuentis, & volatilia super terram sub firmamento cæli, naturæ suæ terminis ab eo, cuius præceptum quod semel posuit nõ præteribit, triformiter ibi definitis. Nam sequitur.

De triplici distinctione creaturæ, quam produxerunt aquæ.

CAPVT LI.

CReauitque Deus cete grãdia, & omnem animam viuentem atque motabilem quam produxerãt aquæ in species suas, & volatilia secũdum genus suum. Cur ita distinxit: Creauitque Deus cete grandia, & omnẽ animam viuentem atque motabilem: cùm & cete grandia comprehendi vel consignificari potuissent, si hoc solùm dixisset, creauitq; Deus omnem animam viuentem atque motabilem? Etenim hoc dicto, nec cete grandia, nec paruos spiniculos excepisset. Cur ergo sic distinxit? Videlicet vt hoc etiã creatricis opus trinitatis in tres diuisum esse species insinuaret. Viuẽtium nanq; siue motabilium, alia per fœtũ veniũt, id est, catuligena sunt, quorum cete maxima sunt: alia per ouum veniunt, quorũ multò plura genera sunt. Quibus adde, & omne volatile secũdum genus suum: Et eccè habes huius quoq; creationis opus tripartitum. Porrò quod cùm dixisset, creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabilem, adiunxit dicens, quam produxerant aquæ, congruè & insingulis operibus dici potuisset: Creauit enim & luminaria quæ fecerat, & cætera omnia quæ fecerat distinctè, Deus idem fecerat simul, eo videlicet respectu, quia sicut iam dictum est, quicquid factum est in ipso, vita erat. Quapropter & de omnibus in fine generationum istarum sic dicitur. Istæ generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt: In die quo creauit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur, &c. Quo modo intelligendum est illud, quod creauerat Deus omne virgultum antequam oriretur, sic & quòd nunc dicuntur aquæ iam produxisse omnem animam viuentem atq; motabilem cùm crearet illa Deus. *Gen. 2.*

Item de eodem quod dictum est: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris.

CAPVT LII.

BEnedixitq; illis Deus, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesq; multiplicẽtur super terram.) Eccè hic manifestius elucet, cur in istis operibus Dei singulorum factura operum tertio repetita sit. Videlicet quia quod factum est in ipso, vita erat, primo dixit Deus, producant aquæ reptilia animæ viuentis, & volatilia super terram sub firmamento cæli. Deinde quia quod in ipso vita erat, per visibiles essentias in actu demonstratũ est. Et creauit, inquit, Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atq; motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & volatilia secundũ genus suũ. Et quia per successiones sũas eadem creatoris potentia subsistere vnumquemq; oportebat, benedixit Deus illis, inquit, dicens: Crescite & multiplicamini, &c. Tria sunt verba benedictionis, crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, sed vnus idemq; sensus est, quippe qui vno tantum verbo rursus exprimitur, cùm subiũgitur, auesq; multiplicẽtur super terram. Nec mirum. Etenim tria nomina siue tres sunt personæ eius qui benedixit, sed vnus idemq; Deus est. Quare autẽ qui multiplicationes horum in benedictione fieri mandauit. Herbam quoq; virentem & afferentem semen, lignumq; pomiferum & habens vnumquodq; semen suum in semetipso cùm iussisset produci è terra, nõ benedixit itidem dicendo, crescite & multiplicamini, & replete terram? Aut vnde illis tanta crementi aut benedictionis in multiplicatione copia, cùm non eis quoq; benedixerit Deus? Etenim ipsa quoq; crescunt & multiplicantur, & secundum genus cuiusq; passim noua veterib. tenera robustis, plantaria, verbi gratia, fagis aut quercubus, de paruo semine succrescunt, & celsa in auras paulatim cacumina surgunt. Quid ergo amplius reptilibus maris, siue volatilib. cæli, quid, inq̃, amplius quàm terræ virgultis in suo genere benedictio compotens fuit, vel in quo eius effectus certius cognoscendus erit? Ad hæc inq̃, crescit quidem & multiplicatur herba virẽs, lignumq; pomiferum vnumquodq; in genere suo, sed differt crementorum ratio pro diuersa essentiarum qualitate. Etenim herbam virentem siue lignum pomiferum, eadẽ terra, quæ germinat vel producit, multiplicat, & semen illis ipsa importat, & cadentia recipit, etiamsi serentis manus fortè desit, & ideò multiplicandæ posteritati, solum ipsorum esse sufficit. Verùm reptilibus siue volatilibus si nullus fuisset appetitus, nõ ipsa crescerent aut *Tria verba benedictionis.*

Iohan. 1.

rent aut multiplicarentur, & non stetisset eorum genus. Cùm ergo initium existendi accepissent, oportuit eiusdem creatoris imperio naturalem illis medullitus inseri amorẽ vel appetitum, vt masculus ardens ad semen ingerendum, fœmina nihilominus auida foret ad recipiendum. Hoc illis benedictio contulit, & ob hoc necessaria fuit, nam inde reptilia creuerũt, & multiplicata sunt, & repleuerunt aquas maris, auesq; multiplicatæ sunt ex eis. Ad hoc, tenet hæc animantia vinculo amoris magna huius benedictionis vis. Quã diu enim emittentur fontes in conuallibus, & inter medium montium pertransibunt aquæ: tam diu super ea volucres cæli habitabunt, & de medio petrarum dabunt vocem. Et quamdiu irriguis superioribus & pingue dine terræ saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit: tamdiu illic passeres nidificabunt. Et eodem amore vel desiderio & gallina languida vocem mutabit, & luscinia lætabunda paruulis ouis supersedens tota peruigil nocte decantabit, tanta cantilenæ suauitate, vt tibi videatur hæc esse summa eius intentio, quò possit non minus dulcibus modis fœtus animare, quàm fotu corporis. Hinc educta progenies vespere & mane, & meridie quodam modo narrabit, & creatoris laudem non ingrata natura annunciabit: & ei qui dat escam omni carni, tanto concentu confitentur Deo cæli, vt erubescere debeat homo rationalis, si vnquam dona creatoris in escam mutus ab eius laude percepe-rit. Item & quamdiu steterit hoc mare magnũ & spacioſum manib. in quo naues pertranseunt, quod qualiter transiturum sit, nouit ipse qui dixit, cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibũt: tamdiu perseuerante huius benedictionis virtute, illic erunt reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis, & omnia non frustra à creatura expectabunt, vt det illis escã in tempore, & eo dante illis colligent, & aperiente illo manum suam omnia implebuntur bonitate, tam balena, quã rana, tam crocodilus quàm murena. *Psal. 103.* *Matth. 24*

Cur non dictum sit, vidit Deus volatilia seu reptilia quòd essent bona, sed vidit quòd esset bonum.

CAPVT LIII.

ET vidit Deus quòd esset bonum, factũq; est vespere & mane dies quintus.) Sitã stabili iustitia viueret homo, quàm certo ordine seruant ea quæ prædicta sunt, statutum benedictionis imperium, rectè formato homine, sicut dictum est, & vidit Deus lucem quòd esset bona, sic nihilominus singulariter diceretur, & vidit Deus hominem quòd esset bonus. Veruntamen nec dixit, nec dicere scriptura debuit, & vidit Deus volatilia cæli, siue reptilia maris, quòd essent bona. Sed vidit Deus (inquit) quòd esset bonum, subauditur sic esse factum, in quo non creaturæ huius (quod nullum est) laudatur meritum, sed bonum creatoris ponderatur ingenium. Similiter cùm dicitur: & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, non creaturarum prædicantur merita, sed (quod longè aliud est) creatoris cõmendatur sapiẽtia. Sola lux, quia volũtatem habere potuit, & voluntariè suam ad Deum essentiam direxit, bona dicta est, vtpotè boni Dei capax, quem quia cũ amore exceperit, rectè illi diuinæ bonitatis communicata est laus.

Cur iumenta siue terræ animãtia operis diei sextæ, cum homine deputentur.

CAPVT LIIII.

SExta creaturæ Dei species, homo est, cuius essentia is qui à timore sextus est intellectus manifestè præfulget. Hoc perspicuum est, rationalis enim creatura est, & non solũ intellectum, sed & ingenium atque memoriã habet, vnde ad spiritualium cognitionem & Dei sapientiam peruenire potest. Sed cur iumenta cũ irrationabilia sint, sexto diei cũ illo deputantur? Nihilo enim magis iumenta quã reptilia maris siue volatilia cæli, quinque corporis sensus excedũt, nec minus aut magis quàm illa hæc rationis expertia sunt. Ad hæc inquã. Et si in eodem essentiæ gradu iumenta, in quo & volatilia siue aquarum reptilia tenenter, quia pariter corpora sunt animata & sensibilia, nec vltra valent: rectè tamen cum homine diei sexto computãtur, quia cuius homo, eiusdem partis mundi, scilicet terræ, ornatus quoque iumentorum genus est, & eius potissimum substituta seruitio sunt, sicut videmus, quia neq; volatilia, neque reptilia, quæ produxerũt aquæ, sed sola iumẽta homini cooperãtur & collaborãt. Cũ itaq; illis, id est, volatilibus siue piscibus, pro cõditionis æqualitate: huic autẽ, id est, homini pro materiali origine iumentorum genus contiguum sit, rectè potiori, id est, homini cessit, vt cùm illo vnus diuinæ operationis sit dies, cum quo vnius partis mundi, scilicet terræ ornatus est. Sed iam ipsa creantis imperij verba consulamus.

De triplici specie iumentorum reptilium atque bestiarum.

CAPVT LV.

PRoducat, inquit, terra animam viuentem in genere suo, iumenta, reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ secundum species suas, & iumenta, & omne reptile in genere suo.) Sub vno genere animæ viuentis, quã terra producit, tres species manifestè scriptura distinxit, iumentorũ, reptilium, atque bestiarum, & nota diligenter præiudiciorũ Dei inuestigabilium prouidẽtiam. Ab vna nanq; specie, id est, à reptili homo seductus est: ab vna, id est, à bestijs terræ, iustè peccator idẽ infestatur: ab vna id est, à

Universidad de Deusto
Biblioteca

iumentis, eiusdem miseri hominis debilitas, misericordia Dei resouente, iuuatur. Dicuntur enim iumenta, quòd sint quædam hominis adiumenta: reptilia verè repentia, siue serpētia: bestiæ quasi festiæ, per antiphrasim, quòd sint infestæ. Hic iam quæritur, quomodo serpenti dicatur pro maledictione, super pectus tuum gradieris, cùm hoc à natura prius habuerit vt reperet, quod est super pectus suum graderetur. Etenim sicut iumenta, sic & reptilia, iam fuerant iussa produci. Sed de hoc suo in loco oportunius dicendum erit.

Quòd omne genus serpentum corruptum ex eo, siue venenatum sit, quod diabolus illo vsus est ad mortem hominis.

CAPVT LVI.

NVnc illud sciēdum, quia repebat prius vt nunc omne huius speciei vel generis animal, sed reptatus eius nullum horrorē haberet, si non illo diabolus ad mortem Domini eius hominis vsus fuisset. Multò magis verò, nec virus pestiferum vomeret, vel in seipso haberet, si non illum idem creaturæ Deo adulterator veneficus illo suæ malitiæ veneno polluisset, & per os eius homini (vt iam dictum est) mortem insibilasset. Eccè hodieque (vt taceam quod multis sanctorum Christi seruorum non solùm innocuos, sed etiam obedientes legimus fuisse serpentes) gens tota esse traditur, quæ in medijs tutam agat vitam serpentibus. Vnde ait, quidam Romanorum auctor nobilissimus: *Lucan li. 9. phras.* Gens vnica terras incolit à sæuo serpentum innoxia morsu. Marmaridæ Psylli, par lingua potentibus herbis. Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus. Vel cantu cessante, potest. Quantò magis tunc homo cunctorū animantium præses & dominus, reptilibus quoque terræ ordine legitimo imperitaret, si vel diabolus per os serpentis nunquam sibilasset, vel si ipse homo cùm in honore esset, sic intellexisset, vt venenum suasionis eius non admisisset? Ergo bona quidē creatio cunctorum, sed homini, quia Deo contrarius factus est, existens sibimetipsi grauis, in malum iure versa sunt, ea quæ bene facta erant. Cæterùm quia præscientiam eius qui fecit quæ futura sunt, nec illud latebat, quod alius, id est, homo siue diabolus facturus erat, non mirum si truces homini peccatori bestias, & venenata præparauit animalia, qui infernum quoque futuris dæmonum vel hominum peccatis præparauerat. De istis enim æquè vt de cæteris, non est dubiū, quia in illo secreti sui vespere dixit Deus, producat terra animam viuentem in genere suo: & mane, id est, in primæua generis huius creatione, factum est ita, & per successiones posteritatis singulorum nunc vsque facit Deus bestias terræ in species suas, & iumenta, & omne reptile in genere suo.

De adulterina permixtione iumentorum.

CAPVT LVII.

PErseuerat hæc posita semel naturæ lex, quibusque posteritatem suam propagantibus in genere suo, vt verbi gratia, nec de equina specie nascātur asini, nec de leonibus generentur vrsi, nec de bobus cerui, nec de camelis procreentur elephanti, aut de bubalis onagri. Fiunt tamen quædam naturarum ex inæquali permixtione adulterina, cū (verbi gratia) de equa & asino mulus, de hirco & oue nascitur tityrus, quod hominū instinctu fieri lex vetat, cùm dicit: Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus. *Leuit. 19.* Hoc primus fecisse fertur Ana, filius Sebeon filij Esau scilicet, quòd equarum greges ab asinis in deserto fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua, contra naturam, animalia nascerentur. Verūtamen & bestiæ, quæ suo hominum magisterio non sunt, contra naturam diuersis ex speciebus permiscētur, vt leo dū permiscetur pardæ, & nascitur leopardus: & dū lupus ceruæ commiscetur, lynces generantur. Et in reptilibus quoque permixtionis inordinatio reperitur. Tradūt enim physici, quia vipera nequissimum genus reptile, & super omnia quæ serpentini sunt generis, astutior, vbi coeundi cupiditatem assumpserit, murenæ maritimæ copulam requirit, progressaque ad littus, sibilo testificata sui præsentiam ad coniugalem amplexum illam euocat. Murena inuitata non deest, & venenatę serpēti expetitos vsus suæ coniunctionis impartitur. Et de his quidem iam satis dictum. Deinceps ad hominis creationem (quæ nostra criminosa & laboriosa dies est) articulum promoueamus.

FINIS LIBRI PRIMI IN GENESIM.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

De dignitate creaturæ hominis, & quod cum consilio prouidæ trinitatis factus est.

CAPVT I.

ET vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā, & præsit piscib. maris, & volatilibus cæli, & bestijs vniuersæ terræ, atque omni reptili quod mouetur in terra.) *Eccl. 24.* Eccè artificem omnium, Dei sapientiam, gyrum cæli solam circumeuntem, & in fluctibus maris solam ambulantem à longè prosecuti, tandem ad eam quæ propositi vel operis huius summa est, peruenimus causam, scilicet ad nos homines, quos creator noster facere dignatus est, ad imaginem & similitudinem suam. Quid enim propositum est, nisi sanctæ trinitatis gloriā per opera ipsius quasi per speculum contemplari? Et cuiusq; personæ proprietatem agnoscere ex proprij qualitate operis? Hęc planè humana, scilicet, creatura illud potissimum opus est, quod eadem beata trinitas, magna sibi dignatiōe diuisit, vt pater conderet, filius redimeret, spiritus sanctus igniret. Huius ergo creationis dignitatem, non per qualemcunque iudicem, sed per digitum Dei, cuius est scriptura hæc, diligenter expressam, reuerenter (vt dignum est) audiamus. Ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Mutauit vocē suā, quippe q hactenus de singulis dixit, fiat, & factum est, producat terra, producāt aquæ, & factum est. Nunc autē tanq̄ à circuitu terræ, cæli, & maris, lassabundus resederit, & inter respirandum in mentem illi venerit, adhuc vnū deesse quod deceret vel oporteret fieri: Faciamus (inquit) hominem ad imaginē & similitudinē nostrā. Dñe, inqt propheta, consilium tuum antiquum, verū fiat. An tibi paruum videtur consilium, his paucis sanctæ trinitatis dictiunculis esse significatum? Magnum planè consilium in illo sapientiæ consilio, in illo talium personarum, patris, & filij, & spiritus sancti, non tam senatu quàm soliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum est. An putas eorum quicquā quæ circa nos acta vel agenda sunt illic defuisse? Planè ibi omnis nostra in medio causa posita est, mors vel perditio nostra quæ futura erat, illic perspecta est, & inde totum consilium habitum, vt vnaquæque persona suam operis partem susciperet, vt, scilicet (sicut iam dictum est) tunc quidem pater conderet, postea in plenitudine tempotis filius perditum redimeret, spiritus sanctus remissionem peccatorū, & carnis resurrectionem perficeret, atque ita communi trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta seculorum, & fundamenta generationis & generationis suscitarentur. Laus sapientiæ creatoris, honor gratiæ liberatoris, gratiarū actio pietati illuminatoris, adoratio vni indiuisæ creatrici, liberatrici, & gubernatrici omnium Trinitati. Repleatur os nostrum laude, vt tantam eius gloriam, tantam eius magnitudinem tota die cantemus. *Psal. 70.*

Quæ distantia sit imaginis atque similitudinis, in eo quod dictum est: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

CAPVT II.

PRimum illud quæsitu dignum est, quænam distantia sit imaginis atque similitudinis: & deinde clarebit, quod non casu, sed pro rationis intuitu litera sic ordinata sit, vt non diceretur: faciamus hominem ad similitudinem & imaginem nostram, sed ad imaginem & similitudinem nostram. Imago & similitudo hoc differunt, quòd imago vnius imago est, similitudo autem nunquam minus quàm duorum similitudo est: *Col. 1.* Est autem imago Dei filius eiusdem Dei patris. Sicut de illo Apostolus, qui est (inquit) imago Dei inuisibilis. Imago (inquiam) dei inuisibilis est, filius æquè inuisibilis. Multis tamen modis imago dicitur. *Hebr. 1.* Est enim imago hominis vel equi pictura in pariete, vel sculptura in ligno vel lapide: videtur in puteo imago solis vel lunæ. Non sic imago Dei dicitur filius, sed ita, vt sit (sicut in alio loco dicit Apostolus) figura substantiæ eius, quia videlicet sicut substantia quælibet ex conspecta figura sua cognoscitur: sic Deus pater per verbum suum, quod est filius, cognoscitur. Dicitur tamen & imago hominis proprietas substantiæ eius, quo sensu illud de primo homine dictum necessariò intelligitur. Vixit autem Adam centum triginta annis, genuitque filium ad similitudinem & imaginem suam, & vocauit nomen eius Seth. *Gen. 5.* Est ergo filius imago patris. Sanctus autem spiritus similitudo patris & filij, communis enim bonitas siue charitas est patris & filij:

Universidad de Deusto
Biblioteca

tris & filij. Ergo nō rectè dici putes potuisse, Faciamus hominem ad similitudinē & imaginem nostram: quia profectò, filius, sicut nō patris simul & spiritus sancti, sed solius patris filius est: sic non patris & eiusdem spiritus sancti, sed solius patris imago est. Econtrà rectissimè dictum est, ad imaginem & similitudinem nostram, quia videlicet spiritus sanctus sicut patris & filij communis bonitas vel dilectio, sic eorundem cōmunis similitudo est.

Item de eodem.

CAPVT III.

QVid tandem est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, nisi, faciamus hominem, qui trinæ operationis nostræ in semetipso habeat euidentiam? Nam aspice hominem quempiam benè constitutum, verbi gratia, qualis nunc est is ipse, qui scripsit hæc, imò quales erant electi omnes, à quibus hæc eadem beata trinitas in gloria sua videnda est. Vtiq; viuunt, quod commune illis est cum iumentis: & discernunt, quod commune illis est cum hominibus reprobis, vel etiam malignis spiritibus: & sancti vel iusti sunt, quod proprium est filiorū Dei. Ergo quod ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, hoc dicere est, faciamus hominem viuentem, rationalem, Deo similem. Paulò ante de brutis animantibus loquens: producat (inquit) terra animam viuentem in genere suo. Eiusmodi animam duplici honore præcellit homi-

In quibus homo præcellit bruta

nis conditio, dum dicitur, ad imaginem & similitudinem nostram. Ad imaginem videlicet, vt sit rationalis: ad similitudinem nostrā, vt rectus sit, sectando iustitiam Dei. Horum altero, scilicet, rationalitate carere nō potest: alterum, id est, diuinæ rectitudinis vel iustitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest. Sed ea, qua carere non potest homo, facultas rationalitatis, instrumentum est siue oculis quidam ad quærendam similitudinem Dei. Est ergo inexcusabilis, cùm ad similitudinem Dei non peruenerit: quia videlicet bono instrumēto, ad hoc, propter quod sibi datum est, vti noluit. Verùm cū primum fecit Deus hominem, non solùm rationalē, sed & similitudinis suæ fecit honore pollentem. Deus enim (inquit scriptura) fecit ho-

Eccl.7.

minem rectum, ipse verò implicuit se multis quæstionibus. Nunc autem seductus perdidit quidem honorem similitudinis Dei, sed facultas rationis in eo remansit, per quā reuocantem audire, & ad restaurationem sui ducem ac præceptorem valeat sequi.

Quod non dictum sit, ad similitudinem & imaginē nostram, sed ad imaginem & similitudinem nostram.

CAPVT IIII.

IGitur rationalem & sanctitatis suæ participem Deus hanc esse volens creaturam: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non dixit scriptura, quia dixit Deus, fiat homo ad imaginem & similitudinem nostram, & factus est homo, sicut dixit, fiat lux, & facta est lux. Quare? Videlicet quia non repentè, sed operosè agendum erat, vt consummatus homo staret ad creatoris sui imaginem & similitudinem. Angelica nanque creatura, semel facta, iam nec in illis qui steterunt commouebitur: nec in illis qui ceciderunt, in antiquum resti tuetur. At verò homo post primam sui facturam casurus, & miserantis recreatione erat innouandus. Idcircò tres personæ quasi mutuo se cohortantur, dicendo: Faciamus. Sciendum tamen, quod & illa pauciora verba, quibus dictum est, fiat lux, & facta est lux, & hæc plura, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, parem angelorum & hominum electorum dignitatem vel gloriam significant. Nam & electus angelus, quia lux est, ad imaginem & similitudinem Dei factus & perfectus est: & homo qui ad imaginem & similitudinem Dei factus & refectus est, lux est. Et quia vterque rationalis est, ad imaginem Dei factus est: & quia benè constitutus ac Deo subditus est, ad similitudinem Dei factus est. Proinde sicut ille lux, vel angelus lucis: sic & iste lux dicitur, & filius lucis. Nihilominus sicut quod dictum est, fiat lux, solos electos angelos creatori curę esse innuit, & angelos tenebrarum excludit, quanquam & ipsos creauerit: sic & ista dictio: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, solos eos amplectitur, quos prædestinauit ad vitam, nec illos admittit, qui superfluè de vitiata postmodum radice super numerum nascituri erant. Itaque si quæratur, cur intulerit scriptura Deum sic dicentem, fiat lux, dum dicere posset. Fiant angeli, vel fiant spiritus? interrogemus cur hoc totum dixerit idem Deus, faciamus hominem ad imaginē & similitudinem nostram, cùm dicere posset solummodo, faciamus hominem, & intellectui communi sufficere posset ad indicandum, quòd eam, quæ nos sumus substantiā significaret. Paria nanque sunt, vt vtrinque rectè respondeas, quòd ad os Domini non pertinuerit mandare de illis, quos ipse nescit. Nullo autem nomine solos qui ad se pertineant, melius exprimere debuit angelos vel spiritus, quàm nomine lucis: nulla nihilominus definitione illos homines quos præordinasset ad vitam æternam, melius designasset quàm ista, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Igitur hic & illic suos angelos, suos homines congruis Deus vocibus in scriptura sua, per hunc interpretem suum expresit, & ab alijs, qui ad se non pertinent, sufficienti sermonis parcitate distinxit. Nunc iam literæ ordinem prosequamur.

De præ-

De præsidatu hominis, quòd dictum est, & præsit volatilibus cæli, & piscibus maris, & bestijs terræ.

CAPVT V.

CVm dixisset Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā, continuò subiūxit: & præsit volatilibus cæli & piscibus maris, & bestijs vniuersæ terræ, atque omni reptili quod mouetur in terra. Hæc diuinæ dictionis pars latius patet, quā illa quæ prædicta est, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Omnem enim hominem complectitur. Vnde enim piscibus maris, & volatilibus cæli, bestijs quoq;, & reptilib. terræ, homo præest, nisi ex eo quòd ipse rationalis est, illa autem irrationalia sunt? Hæc nempe differentia multum omnibus illis hominem præponit, quia non quomodocunque illis præest, vt solummodò dignior sit, sed ita etiam, vt omnium illorum naturas domare possit. Ergo ad hoc vt illis præsit homo, rationalem illum esse satis est. Verùm illud nimis certum est, quòd maxima pars hominum cum ratione polleat, à similitudine dei vacui sint, & cum omnibus animantibus (vt iam dictum est) omnes vtpotè ad imaginem Dei facti præsint, Deo sunt rebelles, & non subditi quamplurimi, vnde & longè sunt à similitudine Dei. Itaq; quod dictum est, & præsint volatilibus cæli, & cætera, latius excedunt dictionem illam: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram, quia videlicet iumentis omnes homines præsunt: ad imaginem autem, simul & similitudinem Dei, soli electi facti, immò & perfecti sunt. Præsint igitur natura homines iumentis, ipsis autem hominibus gratia

Psal.48.

præsint homines Dei. Immò quia cùm in honore essent non intellexerunt, comparentur pro vitio suo homines iumētis: qui aūt dignitate naturæ suæ Deū glorificauerūt, aut gratias egerunt, similes Deo sint, filij Dei nominentur, & sint, vt Ioannes Apostolus ait. Se-

1.Ioan.3.

quitur.

Cur subsecutus scriptor non dixerit, & creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, sed tantum ad imaginem.

CAPVT VI.

ET creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illū, masculum & fœminam creauit eos.) Quidnam id est, quòd scriptor iste cū retulisset Deum dixisse: faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostrā, subsecutus vnū ex his duob. omisit, dicendo: & creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum? Nunquid casu vel obliuione tam magna parte cōditionem hominis in suo sermone diminuit, quā in Dei dictione tam nobiliter vtraque parte extulit? Non vtiq;, sed scienter quid Deus intendisset, in verbis eius expresit, & quid accidisset ipse in suo sermone prudenter obseruauit. Cùm enim diceret Deus, faciamus hominem, ipse vtique illum ad imaginem & similitudinem suā facere intenderat: cùm autem hoc ipse scriberet, homo per peccatum, Dei similitudinem amiserat. Et quidē nouerat iste, quòd illud dei propositum nullus auertere posset, & in hac fide vel scientia, dùm respiceret in eū Dominus, facies eius splenduerat, verūtamen certa nō dum persona consurrexerat, in qua absque vlla contradictiōe recuperata monstraretur illa diuinę similitudinis gloria, quæ in illa primi hominis persona deperierat. Erāt sācti, erāt homines iusti, quorū ex precipuis erat hic ipse Moyses, sed non nisi ex fide & spe venturi hominis, qui sic ad imaginem Dei & similitudinem fieret nascendo de virgine, vt in filios Adæ perditam Dei similitudinem refunderet, vbi sibi consimiles suosque filios efficeret abolita vetere, reddita noua origine. Proinde ergo, cū scripsisset dixisse Deū: faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostram, hoc solummodò subscripsit, creauit Deus hominem ad imaginem suam, vt subaudias, recreaturus aliquando ad similitudinem suam, nam illum quodāmodo non dum fecerat ad imaginem & similitudinem, sed tantū ad imaginem suā, qui euanuerat & perdiderat illius similitudinis gloriā. Notandum quippe, quod quæcunque Deus fecisse dicitur manent: & quibuscunque nomina posuisse scribitur, stabilia sunt. Dictum est, quia fecit Deus firmamentum, & vocauit cælum, & ipsum manet: dictum est, quia plantauit paradysum, & ille manet. Sic, &c. Econtra, quæ mouētur in terra, & in mari non manent, sed semper alijs succedentibus alia decedunt, & idcircò cautum est, vt non diceret scriptura: Dixit Deus, fiant reptilia maris, & bestiæ terræ, quorū esse citò præterit, sed dixit Deus, producant aquæ reptilia, producat terra iumenta vel bestias. Et rectè, manent enim ipsa producendi natura. Itaq; certo teno re seruato, dictum est: quia creauit Deus hominē ad imaginē suam, ꝙ iam ita factum fuerat, vt deesse vel defieri non posit, rationalis enim est homo & æternus, quia factus est ad imaginem Dei: non dixit hoc totum, & creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, quia nondum factum fuerat, vt mutari nō potuisset.

Exod. 34.

Quòd mulier, æquè vt vir, ad imaginem facta sit.

CAPVT VII.

PORrò, cur hoc ipsum secundo repetijt, dicens: Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, ipse statim aperuit subiungendo, masculum & fœminā creauit eos. Nā quia homo nō vnius tantū, sed vtriusq; sexus nomē est, & vterq; sexus ad imaginē Dei creatus, quia vterque rationalis & æternus est, rectè propter sexus duos, duplicē posuit enunciationē creationis secundum imaginem Dei. Proinde vir quidem (vt cautissimè ait Apostolus)

Universidad de Deusto
Biblioteca

non debet velare caput, quoniam imago & gloria est Dei: subsecutus, adiunxit idē: Mulier autem gloria est viri. Non dixit, mulier imago & gloria viri est, sed mulier, inquit, 1.Cor.11. gloria viri est. Et causam reddens, non enim inqt, vir ex muliere est, sed & mulier ex viro. Etenim mulier æquè vt vir imago dei est, verùm pro conditionis causa vel materia, mulier quædam viri gloria est. Igitur dū secundo repetijt, ad imaginem Dei creauit illum, & continuò subiungit, masculum & fœminam creauit eos, aperta significatione innuit, quod tam masculum, quàm fœminā, vel quòd non magis masculum quàm fœminam fecit Deus ad imaginem suam, quia videlicet ibi (sicut ait idem Apostolus, ibi inquam, vbi factus est homo ad imaginē Dei, non est masculus neq; fœmina, vt verbi gratia, piscibus maris, & volatilibus cæli, cunctisque animantibus terræ magis præsit masculus, quàm fœmina.

De benedictione, qua dictum est: Crescite & multiplicamini.

CAPVT VIII.

BEnedixitque illis Deus, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouētur in terra) Huius benenedictiōis Rom.8. gratia profectò illud ppositum Dei resonat, quod Apostolus intendens, cùm dixisset: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, statim subiunxit, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Quod propositum, quia nequaquā malis intercurrētibus auerti potuit, pulchra deinde gradatione prouentus ordinem ita subter annectit. Nam quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratrib. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Illud (inquam) Dei propositum hæc benedictio commendat, qua solus ad gratiam suam pertinentes, iam ante secula præscitos, & prædestinatos præ oculis habens, tunc in illis generis nostri primis radicibus masculo & fœminæ benedixit, quos tandem in plenitudine temporis vocatos & iustificatos magnificabit, dicens illis congregatis, & ad dextram suam constitutis. Venite benedicti patris mei, percipite Matth. 25 regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Cæterùm superfluitas perditorū nō ignorata, sed iam damnata, illic designata est, vbi post peccatum mulieri loquens dicit idē Deus: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.

Item quid sit: Crescite & multiplicamini, vel in quantū, si non peccassent homines, debuissent multiplicari.

Gen.3. CAPVT IX.

CRrescite (inquit) & multiplicamini. Crescite videlicet virtutū dignitate, & multiplicamini numerosa quantitate. Crescite (inquam) & multiplicamini, subauditur, vsque ad cæli regnum, certumque numerum, qui vtiq; solius eius scientiam non latet, cui capilli quoque capitis nostri omnes numerati sunt. Porrò quod sequitur, & replete ter- Matth. 10. ram, commune quidem est electis cum reprobis, qui omnes eodem modo nascendo pariterque viuendo replent terram, sed in eo discernuntur, quod sequitur, & subijcite eam. Soli namque electi, quorum est terra viuentium, hanc terram, quam corporibus repleuerunt, libertate animorū sibi subijciunt, quippe qui solum Deum præponentes, terrena omnia fortiter contemnunt. An & reprobi terram sibi subijciunt, dum illam aratro vertunt, aut etiam armis capiunt: Ita plane qualicunq; modo terram subijciunt, sed hic vel ille subijciendi modus de benedictione Dei non est, cùm econtra propter peccatum dictum sit homini, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et arma non benedictionis gratia, sed cupiditatis inuenerit immanitas. Itaque & hoc quod dictum est, & subijciet eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs vniuersæ terræ, & omni reptili quod mouetur in terta, benedictionis est fructus, qui in electis manifestius apparet, quippe quos terræ vel brutis animātibus, cupiditas subijcere non potest vel poterit, quemadmodum reprobos, de quibus scriptum est: Homo cùm in honore esset, nō intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Attamen illi quoque cunctis præsunt animantibus ratio- Psal. 48. nis dignitate, præstat, inquam, solummodo: isti autem non vtcunque præsunt, sed etiam dominātur in illo, quo Deo piè subditi sunt, honore. Et hæc benedictio primis hominib. data crementi & multiplicationis causa effectiua est. Cæterùm fuere nonnulli, qui putarent eosdem homines non fuisse generatos, nisi admisso peccato fuissent electi de paradyso. Hi proculdubio quod valdè absurdum est, Deo volenti vt homines nascerentur, peccatum hominis existimant fuisse necessarium, quasi non potuisset ipse talē eius facere naturam quæ generaret, nisi adiuuisset peccatum. Verùm contra hæc longa dissertatione opus non est, cùm dicat Deus: crescite & multiplicamini & replete terrā, cuius dictio naturæ compositio est: nec solum naturæ hominis ad generandum, sed etiam naturæ terræ ad germinandum, suauius est hoc sentire, quòd si homo nō peccasset, tam multa, tamque vitiosa progenies de carne eius nō pullulasset, sed solum prædictæ benedictionis fructū, id est, electos omnes & solos germinasset, non more iumentorum ruendo in libidinem, sed rationis imperio per mundam carnis naturam ædificando prædestinatam cæli progeniem. Peccatum quippe, generandi naturam non attulit, sed generationis instrumenta

strumenta corrupit, & generi honorem eripuit. Consideremus cur oportuerit iumentis medullitus inseri libidinis ardorem, & indubitanter agnoscemus, non pertinuisse ad hominem, vt eundem ad generandum acciperet, in carne sua monitorem. Nempe quando dixit Deus cæteris animantibus: crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur ex eis, ipsa non intelexerunt quid vellet Deus, vel quòd posset de commixtione masculi & fœminæ propagari cuiusque ipsorum genus. Propterea, necessariò monitorem acceperunt, vrentem carnis suæ stimulum, vt insiliat masculus in fœminam rabido libidinis turbine, nulla cōscientia posteritatis propagandæ, sicque creatori scienti seruiat bruta ignorantia creaturæ. Verùm homo rationalis est, & proinde si creatorem dilexisset, domumque eius pia charitate ædificare voluisset, nullo alio monitore indiguisset: sciens enim & prudens cæleſti reipub. militaris ciues gigneret, & ad hoc opus carnis suæ ministerium eadem pietate impenderet, qua nunc linguam vel vocem suam ad hoc impendit sacerdos vel pōtifex, vt malè natos huic mundo, Deo per Christi gratiam benè regeneret. At ille spiritu depraua tus diabolico, non Deo generare, sed sicut Deus ipse voluit esse: tanta peruersitate abductus, vt mallet ad honorem vel nomen suum, quā ad gloriam creatoris sui filios facere. Non enim arbitrandum est, illud promissum serpentis, quo dixit, eritis sicut dij, sic esse dictum ac si diceretur, eritis sicut angeli, cū præsumptionem eius & vanam spem grauissima Deus ironia percutiens dixerit: eccè Adam quasi vnus ex nobis factus est, eandem in se vno pluralitatem personarum indicans, quam & supra cū diceret: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. An ille ad honorem Dei generare cuperet, & non potius à generationis opere vocare mallet, qui ipse sicut Deus esse appetisset? Rectè ergo Deus vindex aduersus contumacem insurrexit, & bestialis arma libidinis in aduersarium coniecit, vt seruiliter vinctus & catenatus in pœna & verecundia sua generet, qui in honore & charitatis delicijs Deo generare potuisset. Cuius libidinis tumultum barbaricum, quoties eru- Psal. 37. ditus quisq; sentit, rectè illud cùm Psalmista clamat & dicit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam, non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, &c. Sed de his vel huiusmodi locus postmodum oportunior ad loquendum erit. Nunc illud dixisse satis est, quòd non per peccatum, sed per Dei Epilogus. benedictionem generandi vsus homini datus sit, & per illam missos fuisse solos electos generari vel nasci, ita vt quandoque absque transitu mortis in æthereum translati paradysum beatis consocientur angelis in gloria, quā præuaricator angelus perdidit.

De eo q̄ dictu est, eccè dedi vobis omnē herbam, &c. vt sint vobis in escam.

CAPVT X.

DIxitque Deus: Eccè dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terrā, & vniuersum lignum, quod habet in semetipso semē generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli: & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Factumque est ita) Sicut de homine loquens quem creauit Deus ad imaginem suam dixit: quia masculum & fœminam creauit eos, & non dixit: quomodo vel quo ordine prius virum, & deinde mulierē fecit de viro, sic & nunc eadem narrat scriptura, communiter homini, cunctisque animantibus terræ dixisse Deum. Eccè dedi vobis omnem herbam semen afferentem super terram, & vniuersum lignum quod habet in semetipso semen generis sui, vt sint vobis in escam, & dicit, quòd ligna non qualiacunq;, sed ligna paradysiaca, quæ cunctas huius seculi longè superant diuitias, homini dederat ad vescendum, & quòd vnum ex omnibus eidem interdixerit. Nondum enim plena historia est, sed distinctio dierum, qua certè & clarissimè operis Dei distinguuntur species, quibus explicitus tunc demum cæteris omissis, historia de homine ordienda est. Eccè (inquit) dedi vobis: hoc sanè datum Dei, naturæ positio vel constitutio est. Nec enim sola hominis ratio sapit, sed & gula eius, & cūctorum animantiū auida natura sentit, quòd hæc sibi in escam data sunt. Appetunt quippe motu naturali, ita, vt videas maximè in gulosis auibus stomachum quoque ad guttura hiantia subsilire, dum festinant ad oblatam rapiendam escam sibi datam, natura teste. Itaque dicendo, eccè dedi, nō herbam omne lignum digito ostendit, sed naturalem eorum appetitum animantibus in stomacho istorum fundauit, nec solum animantibus, quæ animātia siue animalia nōtum est esse vel dici, sed etiā in vermiculis, quæ vsus publicus animantia siue animalia nūcupare dignatur. Proinde non contenta fuit scriptura dicere & cunctis animantibus terræ, sed addidit, & vniuersis quæ mouentur in terra. Adhuc aūt, ne quid deesset, addidit, & in quibus est anima viuens. Sunt enim quædam viuentia quidem, sed immobilia, quibus solus cesit sensus cunctis alijs cogitationibus destitutus, quales sunt conchæ maris, aliaque quæ saxis hærentia nutriuntur. Nec ista diuinam excepisse prouidentiam scriptura indicat, dum non contenta dixisse & cunctis animantibus terræ, & vniuersis quæ mouentur in terra, addidit insuper, & in quibus est anima viuens. Et hæc creatoris dictio sicut iā dictum est, naturalis appetitus cōstitutio est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde & signanter continuò ait: Factumque est ita. Quid enim factum est ita, nisi quòd secundum dicentis nutum perseuerat nascentium & euidentiũ natura, producens (vt ait *Psal. 103.* Psalmista) fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum, vt educat panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominibus confirmet, vt saturentur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit? Aliter nanque non viuerent, sicut & ipsa herba, siue quodcunque lignum, neque virens, neque pomiferum esset, nisi certatim veluti ore sugens radicibus suis terræ succum traheret. Hoc est commune quidem, sed mirabile cunctis, quæ de terra nascuntur, paratum à Deo conuiuium, vt maternũ terræ succum suis germina eius radicibus cõbibant, & in grano herbarum pomoque lignorum, paulatim adultum atque grossatum succum eundem in ora, dentesq; traducat cunctorum animantium. Contenta enim esset his epulis natura, nisi consuetudine gulæ, tam in hominibus, quàm etiam in bestijs soluta creuisset edacitas. Quod gentilium quoque quidam nobilis auctor ita de- *Luca lib. 4 Phras.* clamat: O prodiga rerum, Luxuries nũquã paruo contenta paratis. Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum. Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ. Discite, quàm paruo liceat producere vitam. Non auro myrrhaq; bibunt, sed gurgite paruo. Vita redit, satis est populis, fluuiusque, ceresque. Veruntamen omnis creatura Dei bona est (inquit Apostolus) & nihil reijciendum, quod cum gra- *1. Tim. 4.* tiarum actione percipitur. Nam eiusdem dei *Gen. 9.* auctoritas miseris, & nunc infirmioribus quã in paradyso fuissent subuenit hominib. Loquitur enim Deus ad Noe, omnes pisces maris manui vestræ tradidi, & omnia quæ mouentur & viuunt, erunt vobis in cibũ. Quasi herbam virentem tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis, &c.

Quòd vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, & cur non dictũ vidit hominẽ quod esset bonus.

CAPVT XI.

ET vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valdè bona) In homine terrenarum omnium rerum præside cuncta quæ hactenus facta singillatim complacuerant, nunc simul vniuersali bonitatis laudatiõe decorata sunt, dicente scriptura: & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Et notandum, quod licet homo diuinæ sit capax bonitatis, vtpotè rationalis, non tamen dictum est, & vidit Deus hominem quòd esset bonus, sicut dictum fuerat, & vidit Deus lucem, quòd esset bona, quia videlicet homo qui non intellexit, quòd sibi adhærere Deo bonum esset, nondum singularem laudem meruerat. Attamen & hic, & cætera quæ tantus opifex fecerat secundum sapientiam eius, dicta sunt valdè bona. Et rectè in vltima hominis creatione, cuncta collaudata sunt. Nam & propter hominem cuncta hæc sub firmamento cæli facta sunt, & omnium essentias in se homo continet, & adhuc vno, quod optimũ est, rationalitatis priuilegio cuncta superat. Nam vt essentiarum incrementa manifestius pateant, iam à principio mũdanæ huius creationis, repetendum est firmamentum, diuidens aquas ab aquis: est quidem, sed esse eius soli ex omnibus sensib. visui subiectum est. Terra verò est, & esse eius visu simul & tactu compræhensiuum est. Luminaria sunt, & esse illorum & visu nostro, & calore suo noscibile est, insuper & semper in motu est. In motu (inquam) locali, non simpliciter, vt firmamentum, neque vt terra in motu mutabilium qualitatum, sed in motu locali secundum duplicem modum. Nam & motu firmamenti quotidie circumferũtur, & præter hoc sicut iam superius dictũ est, incessanter currendo proprijs motibus in circulos suos reflectuntur. Horum esse animantium essentia superat, quippè quæ non solùm nostris subiecta sunt sensibus, sed & ipsa funguntur quinque sensibus, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Homo tandem super hæc omnia & supra quinque sensus corporis, hoc etiam habet, quòd ratione vtatur. Igitur in eo cui cuncta hæc subiacent, & qui dignitate præest omnibus, rectè cuncta complacent, & valdè bona iudicantur.

Item de die sexto, & quid sit dies sextus.

CAPVT XII.

FActumq; est vespere & mane dies sextus. *Esa. 11.* Rectè à spiritu timoris (vt iam dictũ est) sexto loco spiritus intellectus per prophetã constituitur, quia videlicet hic à iudicio superborum atque damnatorum angelorum sexto loco, id est sexto die, homo, in quo manifestè viget intellectus, creatus inuenitur. Magnus hic dies magnum atque longũ mũdo atque angelis, & hominibus spectaculum *Ephesi.* præbet. Etenim per huius creationis opus, principatibus, & potestatibus in cælestibus maximè innotescit multiformis sapiẽtia dei. In hoc hactenus, & ex hoc nunc & vsque in seculum mirabilis est Deus, mirabilis & gloriosus, terribilis atque laudabilis, & faciens prodigia quæ nos miremur. Sed prius diem septimum huic sexto superpositum aspiciamus, de quo protinus subditur.

De die septimo, & quid sit dies septimus.

CAPVT XIII. CAP. II.

COmpleuitq; Deus die septimo opus suũ quod fecerat, & requieuit die septimo ab omni opere suo quod patrauerat. Et bene dixit diei septimo, & sanctificauit illũ, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret. Istæ generationis cæli & terræ quando creatæ sunt? In die quo creauit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.) Tota hæc litera diem septimum cõmendat. Et quis iste sit dies, iam superius in initio dierum dictũ est, videlicet, quia primus *Dies septimus Dei filius est.* est dies, & quia cæteris diebus non tanquam minor postpositus, sed vt longè dignior superpositus est. Etenim dies iste splendor paternæ gloriæ, lux lucis, & fons luminis, dies dierum illuminans, solipse verus & indeficiens, dies non factus, sed omnem diem efficiens. Huius diei proprietas vel propria dignitas, diligenter nobis hoc loco spectanda est: Primũ hoc à cæteris dieb. differt, quod vespere & mane non habet, nec enim dixit scriptura, qui factum est vespere & mane dies septimus, sicut dixerat: factũ est vespere & mane dies sextus, factum est vespere & mane dies quintus, similiterque de cæteris omnibus. Sed nec hoc saltem dixit, & factus est dies septimus. Sic omninò dicendum fuit se (vt dictum est) catholica fides consentit. Dies enim iste natus, non factus est: genitus, non creatus est. Quomodo ergo vespere & mane haberet, vel quomodo factus rectè diceretur? Nam de singulis quidem cæterorum dierum erat, quando non erat, rectè dicas, quia videlicet erat vespere quando non erat, & factum est mane, quando quilibet eorum cœpit existere. At verò de hoc die dicere, erat quando non erat, vel putare quod vlla eum vespera præcesserit, aut quod vnquam mane nouum essentiale eius fuerit, hæreticorum est. Nã catholica fides nihil aliud de hoc die nouit, nisi quia est. Igitur magna huius, cæterorum dierum quoque in hoc distantia est, quod de illis sic dicitur, factũ est vespere & mane dies vnus, dies sextus. Hic autem repentè quippe qui factus non est, sed erat, & est ante omnes, sic infertur. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit, & cætera.

Item de differentia diei septimi & cæterorũ dierum.

CAPVT XIIII.

DEinde & hoc à cæteris diebus iste differt, quia cæterorum dierum opus in illo completum est. Sic enim ait. (Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit ab omni opere suo quod patrârat:) Et notandum diligenter, quod nõ dictum sit, compleuitque Deus die septimo omne opus suum, quod fecerat: sicut dictũ est protinus, & requieuit ab omni opere suo quod patrârat: sed compleuit (inquit) Deus opus suum, quod fecerat. Etenim non omne opus Dei quod fecerat ipse, hoc felici & glorioso die completur, sed solum rationalis creaturæ opus, gloria eius impletur. Deniq; non hoc firmamentum vel cælum, non mare & arida, non terra germina siue plantaria, non sol & luna, non reptilia maris, siue volatilia cæli, non iumenta, aut bestiæ, siue reptilia terræ, sed sola rationalis creatura, id est, angelica lux, & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, sanctam huius diei claritatem intuentur. Bene ergo nõ dictum est, compleuitque Deus die septimo omne opus suum, sed, compleuit die septimo opus suũ, quod fecerat, quoddam opus suũ, quandam creaturam suam, rationalem creaturam suã quam fecerat. Requieuit autem ab omni opere suo quod patrârat. Ab omni (inquam) opere suo requieuit, quia nullam deinceps nouã creaturæ speciem fecit: quoddam autem opus, id est, angelicam creaturam iam tunc in hoc septimo die compleuit, in quo & ipse requieuit, quandoque completurus eodem die eadem felicitate sapientiæ præelectam, & ex illis duobus, masculo & fœmina, nascituram multitudinem humani generis. Quæ est enim completio creaturæ rationalis, nisi videre æternaliter siue immortaliter claritatem huius diei? Eò nanque tendit tota prædestinatio Dei, super his quos præsciuit, tam hominibus, quàm angelis, quicunque secundum propositum eius vocati sunt sancti, vt conformes eos faciat imaginis filij sui. Hac tamen differentia, vt ille quia vnigenitus, id- *Rom. 8.* circò & primogẽitus in multis fratribus sit. Ibi planè cõpletur opus dei, vbi isti per quẽ facti eidem sunt reformati. Hoc est principium, & hic finis operis. Vnde dicit ipse sic: *Apocal.* Ego sum α & ω primus & nouissimus, initiũ & finis. In illo die suo tãtus operarius deus requiescit, sanctos iamdudum angelos, participes habens suæ requietionis. Illo nanque in die firmati, illo in die remunerati, & in suo quisque ordine glorificati sunt.

De nouem ordinibus angelorum.

CAPVT XV.

SVnt enim eorum nouem ordines ex authenticis scripturis nominati, scilicet, Angeli, Archangeli, Throni, Dominatiões, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim, atq; Seraphim. Quorum ad societatem, quia constat electos homines colligi, vnumquemque in suo ordine, & eisdem sanctis angelis similes fore, alios alijs, secundum diuersos ordinationis eorum gradus differentiasque claritatis, quæ intelliguntur ex ipsorum ordinum nominibus præscriptis, consequens esse putant plerique, quòd de angelorum ordinibus cũctis peccantes angeli ceciderint, quod nulla scriptura prodit. Quasi verò aliud sit, sanctos angelos firmari, aliud nouem ordinibus distingui. Verbi gratia: Si antequam firmati fuissent electi spiritus, illi iam erant, alij throni, alij autẽ Cherubim, & alij Seraphim, quid post hæc pro firmamento acceperunt? Quid enim huic firmitati vel firmamento potest adijci, quod est incendium diuini amoris, quod intelligitur p nomẽ Seraphim: vel in quo potest altius creatura firmari, quã in eo vt sit thronus Dei? Ergo non ante quã *Luc. 15.* caderent apostatæ angeli, iam erant ordines distincti: sed illis cadentibus, isti qui permanserunt, in ea qua firmati sunt remuneratione sunt & ordinati, nouemq; ordinibus distinc-

ti. Alio

Universidad de Deusto
Biblioteca

cti. Alioquin non iam decem tantum, sed vn decim drachmas illa euangelica mulier habuit, & non vna tãtum, sed duæ perditæ fuerunt, & cæteræ quoque diminutæ sunt, si angelorum iam ordinatorum vnus ordo cecidit, & de cæteris ordinib. partes secum abstulit. Sed absit hoc, nã decem tantum drachmas habuit sapientia Dei, & ista quæ requiritur, antequam perdita, imò & antequã creata fuisset, secundum præscientiam vel prædestinationem Dei decima & vna erat ex illis. Igitur sanctorum ordines angelorum in sabbatho sunt, & ex eo throni, dominationes, principatus, & potestates, virtutes, cherubim, & Seraphim sunt, ex quo requieuerũt, & eodem die quo requieuit Deus, ipsi quoque beata requie completi sunt, quam in requiem quisquis semel introierit, non laborabit in æternum.

De eo quod dictum est, benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.

CAPVT XVI.

ET benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.) Dubium ne hoc est, quòd hunc æternitatis diem pater benedixerit & sanctificauerit? Primus ipse benedictus & sanctificatus dicit Iudæis. Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura: quẽ pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixit filius Dei sum? Nunquid hoc sine auctoritate vel testimonio scripturæ dixit? Planè sicut interrogatus ab eisdẽ Iudæis dicentibus: Tu quis es? ad hanc scripturã respexit, & dixit: Principiũ qui & loquor vobis. In principio quippe non alio quã in verbo suo creauit Deus cælum & terram. Sic nihilominus cùm dixisset: ego & pater vnum sumus, dicentibus illis, quòd blasphemaret, & hãc respiciens scripturam, hæc dixit: Quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Non enim sic dixit, quem pater misit in mundum, & sanctificauit, ne dictum putes, de benedictione assumptæ carnis, siue sanctificatione humanæ naturæ quam assumpsit, sed sanctificauit (inquit) & deinde misit in mundum. Et propheta in Psalmo, venturum esse hunc diem, & illuminaturum omnem mundum. Hæc est (inquit) dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Et continuò: O Domine saluum me fac, ô Domine benè prosperare, benedictus qui venturus es in nomine domini. Hunc diem, quem fecit Dominus, benedictum dixit, eundemque venturum esse in nomine Domini, de quo clarum certũq; est, quia iam venit. Et subinde gratulabundus, Deus (inquit) & Dñs, subauditur est hic dies & illuxit nobis. Constituite diem solennem in condensis vsque ad cornu altaris, id est, vacate à seruili opere peccati, contemplãdo in condẽsis, id est, multiplicitate bonorum operum, hunc diem esse principem altaris, qui cùm sit Deus & Dominus, rectè debeat adorari. Quid ergo inquis? Nonne & cunctos dies, qui iam ante hunc septimum diem descripti sunt, idẽ Dominus fecit? Nam nisi aliter fecisset alios, & aliter hunc, quomodo diceret, de isto solo, hæc est dies quam fecit Dominus, manifestè propriã hanc eius esse volens differentiam, quòd eum fecit dominus. Fecit planè, sed aliter hunc, atque aliter illos fecit. Nam alios creando, hunc autem diem de semetipso fecit gignendo, videlicet quomodo diem visibilem hunc facit, hic visibilis sol. Non facit enim extra se operando, sed de seipso splendorem emittendo. Igitur iste dies quem fecit Dominus, qui tunc quidem, quando propheta hæc quæ prædicta sunt de illo scripsit, venturus erat: nũc autem benedictus iam venit in nomine Domini, ipse est quem fatemur filium patris, ante secula benedictum, qui est (vt Apostolus ait) Christus super omnia Deus benedictus in secula. Benedictus (inquam) & sanctificatus: pater enim illum (vt iam dictum est) sanctificauit, & misit in mundum.

Quæ sit illa requies diei.

CAPVT XVII.

QVid autem opus erat dici vel scribi, q hunc, in quo totius benedictionis & sanctitatis summa consistit, pater benedixit & sanctificauit? Quidnam (inquam) opus erat hoc scribi, nisi vt significaretur, q in isto tali die requiescere non habent maledicti & non sanctificati, quicunque malè vtuntur diebus terræ & malis. De talib. enim dicit: Ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Et benedictus & sanctificatus est hic dies requiei, lætitiæ, & exultationis: quia benedictis Dei patris, sanctificationem spiritus custodientibus, paratus est ab origine mundi. Sciendum tamen, quòd in illo die tam bono, tam felici, aliter nos, aliter Deus requiescit. Nos enim verè lassi, verè peregrini, & captiui, soluta captiuitate præsenti, respirabimus illic, sicut consolati: & hic post labores & onera reficiemur, inuenientes requiem animabus nostris. At verò Deus in illo die sic requiescit, vt tamen nunquam laborauerit, quippe qui dixit tantùm, & omnia facta sunt. Quid ergo est, & requieuit Deus in die isto, nisi quia comparatio diei huius ad cæteros facta est? Nam appende dies omnes supra scriptos, & præter duo, scilicet, præter angelum & hominem, nihil est quod in seipso nouerit parare locum Deo. Et in istis quidem inhabitat Deus, sed oportet vt prius sibimet in illis mansionem paret ipse Deus, vt in brachio suæ fortitudinis operetur, & gratiam construat, in qua ad requiescendũ nominis sui gloria dignè collocetur. Nullus enim angelorum vel hominũ aliter, nisi per

Ioan. 10. *Ioan 8.* *Psal 117.* *Rom. 9.* *Psal. 94. Matth. 25* *Psal. 125. Matth. 11.*

nisi per operosam ipsius gratiam habitationi eius sit idoneus. Operatur itaque in illis ipse primus, & antequam domus vel mansio sua perficiatur quasi laborat, vnde & lassabundus quærelam depromens, laborauit (inquit) sustinens. At verò solũ hunc diem, id est, vnicum filium suum, sicut non creauit, sed genuit, ita nec accidentali dono bonũ fecit, sed essentiali bonitate bonum semper habuit, soluséque hic est, in quo iustificando nihil omninò laborauit, aut profectum eius expectando, patienti, patientiam aliquando habuit. Ad creandos angelos & homines sapientiæ suæ impensas contulit, & propter illos saluandos siue discernẽdos, misericordiã & iudicium, hinc & inde magnis impendijs ædificauit, vt totus miratur orbis, & vniuersa iamdudum magnificat curia cæli. In isto solo nihil vnquam fuit quod resisteret ei, siue ille in sinu eius pausauit, siue militaturus iussu ipsius naturam nostræ carnis induit. Igitur hic vnus est, in quo Deus requieuit, & sic super nos requiescit, non nisi pro quanto conformamur huic, pro tanto super nos requiescit. Ait itaque hæc sacrosancta non hominis, sed digiti Dei scriptura. Et requieuit Deus die septimo ab omni opere suo quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.

Esa. 1.

Quòd non dictum sit, ab omni opere suo quod creauit Deus & fecit, sed quod creauit vt faceret.

CAPVT XVIII.

MAgna ad hæc etiam nolentibus vel dissimulantibus, magna, inquam, hic & mira sententia ingeritur, ita dicendo, quia in ipso cessauit ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret. Non dixit ab omni opere suo quod creauit aut fecit, sed quod creauit vt faceret, quia videlicet antequam in illis diebus essentiarum, quæ supra distinctæ sunt, omnia faceret, in isto septimo die creauit, creauit (inquam) cælum & terram antequam faceret, creauit omne virgultum agri antequam oriretur. Ergóne, inquis, prius creauit, quod post faceret? Planè ita est. Hũc enim litera sensum ingerit, & auditorem cogit. Quod si non audisti, si fortè dormitasti, ipse protinus scriptor interrogationis suæ manu te vellit atque percellit, & quod interrogare tu debueras, interrogat dicens: Istæ generationes cæli & terræ quando creatæ sunt? Et continuò respondet. In die quo creauit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur, omnemq; herbam virentem antequam germinaret. Benè ergo & excellenter dictum est, quod creauit Deus vt faceret. Nam (vt sæpe iam dictũ est) quod factum est in ipso vita erat. Proinde cũ dicitur: qui viuit in æternum, creauit omnia simul, subaudiamus, antequam faceret. Sic etenim hic habemus, creauit vt faceret, creauit (inquam) omnia simul in sua sapientia, vt vnumquodque illorum in sua propria faceret essentia. Nam ne putes sic esse dictum, creauit omnia simul, vt intelligendum sit, repentè in proprijs speciebus vel formationibus constitisse omnia simul, nec herba virens, nec ligna pomifera cælo & terra vel vno momento minora existerent. Sequitur, & dicit. Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat è terra, irrigens vniuersam superficiem terræ. Ergo cũ iam essent cælum & terra, nondum statim erat omne virgultum agri, & omnis herba virens, sed paulatim creuerunt eadem virgulta agri, quæ spontè nascuntur, & operante homine germinauit humus multa, quæ non spontè produceret hæc terra peregrinationis eius. Igitur hic dies benedictus & sanctificatus ille est, in quo creauit Deus omnia simul, omnia in illo præsentia vidẽs simul, quę distinctè esset facturus, & in illo requieuit in quo creauit, per quem omnia fecit. Et hic dies septimus sapientia nominatur & est, vnde in sæpedicto propheta, septimus à timore spiritus sapientiæ ponitur. Proinde ipsa sapiẽtia sic loquitur: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequã quicquam faceret, à principio ab æterno ordinata sum, & ex antiquo antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta erã, nondũ fontes abyssi eruperant, nec mõtes graui mole cõstiterãt, ante colles ego parturiebar. Et post pauca. Cũ eo eram cũcta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Ergo non tunc primùm, postquam omnia facta sunt, in hoc die suo Deus requieuit, sed antequam quicquam faceret, requiescebat in illo tali requie, quales rectè vocetur ludus & delitiæ sapientiæ. Per singulos dies ludebat ista sapientia, & per singulos ludos vidẽs & delectatus Deus dicebat, quia bonum est. Sic enim scriptum & supra dictum iam est, quia vididit Deus quòd esset bonũ, & quia vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, multum sibi ipsi in ista sapientia artifex Deus complacebat. Hinc est illud, quod cùm baptizaretur hæc ipsa sapientia incarnata, tali illam voce testificando declarauit: Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui. Non dixit, in te mihi cõplaceo, ne putes hoc solum placere illi, quod inciperet mundum saluare in illo, quanquam hoc opus magnæ laudis sit, sed in te (inquit) mihi complacui, contestans, quòd hic ille sit, per quem cùm faceret omnia, complacebat sibi per singula, bonus operarius vidẽdo quòd esset bonum. Ipse qui incarnatus est, qui venit benedictus in nomine Domini, ipse, inquam, dies septimus est, in quo Deus requieuit, in quo priusquã faceret, omnia creauit, nõ alius q̃ verbũ dei, verbum Deus, filius Dei vnigenitus.

Gen. 2. *Eccl. 24.* *Esa. 11.* *Ludus sapientia.* *Matth. 3.* *Eccl. 18.*

De lege

Universidad de Deusto
Biblioteca

De lege sabbati carnalis.

CAPVT XIX.

PRoinde lex etiam sabbati carnalis, lex
Rom. 7. fuit sancta, & iusta, & bona: Nam sicut signum circunciſionis incarnationem, & immolatio paschalis agni passionem futuram prædicabant eiusdem vnigeniti filij Dei, sic & sabbatismus ille requiem annũciabat, quæ post hãc vitam reposita est sanctis & electis, vbi Deus in luce sapientiæ suæ requiescit, qui & ipsam requiem illis pro mercede præparauit. Porrò spiritualis homo non vno die hebdomadis, sed omni tempore sabbatisare satagit, semper intentus verbo Dei, iuxta
Psal. 45. Psalmistam qui de hoc sabbato loquitur: imò per quẽ loquitur ipse sabbatorũ Dominus: vacate, inquiens, & videte, quoniam ego sum Deus. Vacate nanque à seculi actib. & in sancto & quieto studio videte, quoniã Dominus est Deus, illius inchoatio sabbati est, quam & cõtemplatiuam vitam dicimus, quam optimam partem esse testatur ipsa veritas. Maria (inquiens) optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Cuius suauitatem iam in præsenti suis amatoribus dulciter aspirantem, sciens idem Dominus alibi
Luc. 10. loquitur: Venite ad me omnes qui laboratis
Matth. 11. & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Hactenus sex diebus generationum cæli & terræ dinumeratis, cũ septima quæ est requies Dei, nunc demum ad sextum, id est, ad hominem scriptura redit, historiamque orditur ab ea, quam superius iam attigit, conditione eiusdem hominis. Nam sequitur.

Quòd hominẽ Deus de limo terræ fecit, & de eo quod dicit Apostolus: O homo tu quis es, qui respõdeas deo?

CAPVT XX.

FOrmauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentẽ.) Supra iam dixerat, quia creauit Deus hominem, sed non dixerat, quomodo, & vnde fecit eum. Dixerat, quia masculum & fœminam creauit eos, sed non dixerat, quòd fœminam fecit de masculo. Et quidem de creatione masculi & fœminæ si nihil amplius diceret, quàm quod supra dixerat masculum & fœminam creauit eos, fortè & de isto similiter opinaremur, quòd ita Deus masculum & fœminam creauerit simul, vt neuter altero prior crearetur, repentè exorti, mutuos sibi præbuerint conspectus: sic ut (verbi gratia) de sole & luna hodieque inter doctos diuersa sententia est: alijs dicentibus, quod lunam creans deus, statim plenam ostenderit, soli opponens remotam dimidia parte cæli: alijs econtra asserentibus, quòd vtrumque vt simul fecit, ita & in coitu posuerit, vt paulatim luna de sub latere solis emergeret, cum crementò mutuati luminis. Sublata est huiusmodi dubitatio historica narratione, quæ sic inchoatur: Formauit igitur dominus hominem de limo terræ. Solum nanque masculũ hic intelligi oportet, quia post modum de masculo fœmina formata est. Formauit, inquit, de limo terræ. Duo dicta sunt, quæ & diligenter aduertere operæpretium est, quia videlicet formauit, & non vndecunque, sed de limo terræ formauit. Hoc nanque (sicut dignum erat) perpendentes homines sancti, pulchra plasmata in gloriam & honorem præparata, hunc ipsum creatorem suum plasten, seipsos autem lutum appellauerunt, eleganti confessione, lachrymosa de
Esa. 64. clamatione. Et nunc Domine (inquit Esaias) tu pater noster es, & nos lutum: & fictor noHier. 18. ster, & opera manuum tuarum omnes nos. Et ad Hieremiam loquitur idem plastes noster Deus: Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel? Eccè sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea domus Israel, &c. Ostenderat enim illi figulum facientem opus suum super rotam. Et dissipatum est (inquit) vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis. Conuersusque fecit illud vas alterum sicut placuerat in oculis eius vt
Esa. 45. faceret. Hinc idem qui supra dicit Esaias: Vę qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terræ. Hæc & illis similia sciens ille iurisperitus cælestis Paulus ait? O homo tu quis es qui respõdeas Deo? Nunquid potest figmẽtum dicere ei qui se finxit, quare me fecisti sic? Aut nunquid non habet potestatem figulus facere de eodem luto aliud quidẽ vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Itaque & nos cùm legimus, quia formauit Dominus hominem de limo terræ, non discutiẽ-
Rom. 9. dum nobis est, cur ita fecerit, sed potius illud timendum vnicuique nostrum de seipso, ne vas quod fecit ipse, disipetur in manibus eius, & hoc abiecto faciat aliud vas, sicut placuit in oculis eius, vt faceret. Attamẽ sobriè quærere, id est, mirari licet, cur Deus posset ruinas angelorum nouis angelis reædificare, & totidem quot ceciderunt simul creare & in cælũ leuare, vt vnius generis esset plebs cuncta omnisque nobilitas cælestis patriæ: cur homines alterius naturæ vel conditionis fecit, quos reponeret pro angelis, & non cũctos aut multos simul, sed vnum tantummodò plasmauit, de quo propagarentur cæteri? Hoc (vt prædictum est) & similia sobriè quærentibus nobis non incongruit, neque propter nos facta vel dicta est illa Apostoli obMatth. 7. iectio: O homo tu quis es qui respõdeas deo? Deut. 33. nec illa sententia Domini, qua propter irrisõres dictum est Apostolis: nolite margaritas vestras mittere ante porcos. Quærimus enim non alta sapiẽtes, vt Deo respondeamus, aut iudicia eius comprehendere præsumamus, sed vt appropinquantes pedibus eius, de doctrina illius accipiamus. Vnde & hoc in præsenti responsum accipimus, quo dignum est vt con-

tenti simus, quia quod habuit hoc de thesauro cordis sui protulit, omnium artiIoan. 1. fex Deus. Dicit nobis Euangelista de verbo eius, quod factum est in ipso vita erat. Nõne ergo qualis in ipso vita erat, talia foris opera fieri oportebat? Eleua si habes oculos, & vi-
Eccl. 2 4. de non in angusto theatro, sed in orbe terrarum ludentem, & cum filijs hominum, deliciantem Dei sapientiam, & recogita sic ludendo cum filijs hominum, quæ vel quanta fecerit, quæ vel qualia dixerit: Cæli eruditi sunt spectando hoc terrarum circo eius ludum, vel delicias habitas cum filijs hominum, & aliquis homuncio fastidit quasi ludum superfluum? Nempe ex hoc spectaculo
Ephe. 3. innotuit (vt Apostolus ait) principatibus vel potestatibus multiformis sapientia Dei.

De eodem quod prædictum est, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

CAPVT XXI.

IGitur quia sic voluit, & sic sapientia dicta
Gen. 3. uit, vnum de quo cæteri propagarentur, formauit hominem de limo terræ. De limo, inquam, terræ. Manifestum est hoc, quia secundum corpus homo terra est. Terra enim (inquit Dominus) es, & in terram ibis, & ex hoc satis arguitur terram esse, quod in terram it. Sed non itidem apertè innuit scriptura qualis substantia, vel quæ materia sit ani-
Eccl. 3. mæ. Hoc tantum dicendo, & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ. Nihilominus & supra cùm dicit, producat terra iumenta animę viuentis, materiam corporis iumentorum terram esse satis exprimit: sed non etiam viuentis animæ illorum materiam definit, quã tamen dubium non est de aere sumptam in tenues auras rursus disipari, & ita mori vt non sit. Dicit autem ecclesiastes. Idcircò vnus interitus est hominis & iumẽti, & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta iacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta sunt, & in terram reuertuntur. Quis nouit si spiritus filiorũ Adam ascendit sursum, & si spiritus iumẽtorũ descendit deorsum? Ergo non iuxta Platonicos de cælo cecidimus nos humanæ animæ, sed æqua, inquit Ecclesiastes, æqua inquam, vtriusque, id est, hominis & iumenti conditio est, & similiter spirant omnia. Aequa est conditio eorum, & similiter spirant, & vnus est vtriusque interitus, sed non vnus idemq; finis. Nam spiritus iumentorum finitur, descendit enim deorsum, id est, hunc infimũ extinctus reuoluitur aerem: humani autem spiritꝰ nullus est finis, reuertitur enim ad eũ qui fecit illum. Dicendo nanque, quis nouit, non ipse dubitat, sed tanquã cõcionator paucitatem miratur illorum, qui hoc attendere curent. Nihil, inquit, habet homo iumento amplius, æqua enim est vtriusque conditio, & vnus interitus. Quid ergo est ratio, qua solus homo insignitur? Quoddã munꝰ, quod dam talentũ à creatore cõmissum. Quod sentiens etiã quidam auctorũ secularium, dixit: Infra lunam nihil est nisi mortale & caducũ, præter animos munere deorũ hominum geLuc. 19. neri datos. Cõmissum, inquã, est homini rationis talentum, quod si benè expenderit, ipse remunerabitur: si autem in terram defoderit, auferetur ab eo, & ipse punietur. Nunquid enim ratio erit apud inferos? Quodcunque potest manus tua (inquit, idẽ qui supra Eccleſiastes) instãter operare, quia nec opus, Eccl. 9. nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas, non quia deficere possit hominis rationalitas, sed quia sempiterna illic fatiganda erit insania. Hoc ergo differt spiritus hominis à spiritu iumẽtorũ, quòd hic rationalitatẽ accepit munere Dei, ille autem brutus permansit. Hoc, inquã, differt, quia hic tanquã cera sigilli testatoris imagine signata, sic imagine dei signatus est: ille autem signatus non est. Quã signationẽ & supra innuit scriptura dicendo: & creauit Deus hominẽ ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, & nunc vbi cùm dixisset: Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, confestim addidit: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Quid enim est, inspirauit, nisi vt in alia æditiõe habetur, insufflauit in faciem eius spiraculũ vitæ? Nunquid corpus est Deus, & collectum aerẽ contractis buccis in faciem plasmatis sui insufflasse putabitur? Hoc nempe ridiculum est. Sed inspirauit dictũ est, quia verbi eiusdem imperio, quo de tenebris lucem splendescere iussit, per quam intelliguntur angeli, substantiam sibi subiectam ipse citauit, & oculos ratiões assumere vel aperire fecit, occultisq; viscerib. plasmati hominis velociter inseruit. Similiter & cũ legimus, quia immisit dñs soporem in Adã, & tulit vnã de costis eius, & ędificauit costã quã tulerat de Adam, in mulierẽ, subaudiendum est, quia inspirauit in faciẽ eius spiraculũ vitæ. Ambos enim creauit, masculũ, inquã, & fœminam creauit eos. Isti nẽpe creati, cæteri qui ex ipsis nascũtur, rectè dicũtur procreati. Quorũ animas nõ ex traduce fluere, omniũ orthodoxorũ vna est sentẽtia, ne (q̃ ridiculum est) tot cõsequatur quotidie animas perire, quot pereũt semina. Quare ergo, inquis, oẽs in Adam moriũtur, si non ex traduce. i. ex viro semen transfundẽte pariter & animę deriuãtur? Ad hęc, inquã. Nunquid auctoritate dei solus masculus & non etiã fœmina Adã dicitur? Sic enim 1. Cor. 15. scriptũ est: Hic est liber generationis Adam in die quo creauit Deus hominẽ, masculũ & fœminã creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomẽ eorũ Adã, in die quo creati sunt. Gen. 5. Nã quomodo in Latina lingua homo, sic in illa lingua Adã, de vtroq; sexu dicitur. Porrò q̃ Latinè dicitur vir, hoc Hebraicè dicitur Ischin quo discretio est sexus masculini: q̃

Universidad de Deusto
Biblioteca

aũt latinè mulier, hoc hebraicè dicitur Ischa. Cùm ergo Eua concipit, inanimatum quidé prævaricatoris masculi semen susc ipit, sed ipsâ nihilominus prævaricatrix est, de cuius corpore viuo, semen ipsum viuificatur in genere suo per benedictionem qua dictum est: Crescite & multiplicamini. Vnde & vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam, eò quòd esset mater cunctorum viuentiũ, id est, quòd ex ipsa nascentium vita sumeret exordium. Eua enim transfertur in vitam. Quia verò vterq; scilicet, masculꝰ & fœmina prævaricator, & vterq; Adâ est, rectè is qui nascitur, & moritur in Adâ mori dicitur: quia videlicet hæreditate vitæ, quâ parens vterq; iustè perdidit, filius iustè priuatur.

Ratio peccati originalis.

Cur hoc tantũ dictum sit, & factus est homo in animam viuentem.

CAPVT XXII.

IGitur hoc dicto, quia formauit dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ, dignitas pulchrè exprimitur conditionis humanæ, quæ à cunctis longè diuersa sit animantibus, tam formatura corporis, quàm viuificatione Dei inspirantis. Vtrumque pespicuum est. Forma corporis in hoc solo animante sursum caput attollit, cælum intuetur, terramque calcans pedibus recto pectore incedit, & sydera vel cælestia regna supernè posita meditari commouetur oculis. Animus verò siue spiraculum, quod spirauit Deus in faciem eius, multarum artium bonarum atque vtilium repertor est, ex dono rationis quod sibi collatum est.

Sed eo magis attendendum est, quod subauditur, & factus est homo in animam viuẽtem. Hæc enim dictio re, quæ supra descripta est, longè minor est. Siquidem iumentũ quoque in animam viuentem factum est, dicente Deo: Producat terra iumenta animæ viuentis. Cùm autem dixisset Deus. Faciamus hominem, addidit, ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs vniuersæ terræ, & omni reptili quod mouetur in terra, quare ergo tantum honori huius factura detractum est, hoc solum dicente scriptura, & factus est homo in animam viuentem? Videlicet, quia qui factus est homo, rationis dono non benè vsus est, & honorem suum non intellexit, sed comparatus est iumentis: rectè illi iam formato à scriptore quasi detractum est illud, quo superior est iumẽtis. Quod sentiens Apostolus: Factus est (inquit) primus homo in animam viuentem, nouissimus verò in spiritum viuificantem. Qui habet aures audiendi, audiat pulchram musicæ huius consonantiam, id est, scripturarum concordiam, dum hic præcentor ait: Factus est primus homo in animam viuentem, & alius succinit: nouissimus verò in spiritum viuificantem. Non ergo casu, sed sancta & prudenti industria primus ille imperfectum emisit canticum, tamdiu decantandum, donec veniret qui scirent supplere & ad finalem perducere sonum: sicut hodie fit, cùm iam in frequenti & celeberrimo vsu habemus dicere: factus est primus homo in animam viuentẽ, nouissimus Adam in spiritum viuificantem, addẽtes adhuc. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Sequitur.

1.Cor. 15.

De plantatione paradysi, & quòd homo non formatus in paradyso, sed positus fuerit.

CAPVT XXIII.

PLantauerat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.) Ius possessionis Dei pulchrè scriptura defendit, tali verbo vtens: plantauerat autem Dominus Deus paradysum voluptatis. Item & hominis infirmam legem vel causam insinuat dicendo, in quo posuit hominem quem formauerat. His nanque verbis quodammodo declarat solum Deum (quod verum est) legitimum esse paradysi Dominum, hominem autem in eodem paradyso aduenam, & Domini dei fuisse colonum. Quod idem Dominus populo suo patenter inculcat sub imagine terræ Chanaan, de hoc paradyso voluptatis loquens, quem reuera constat esse terram & lacte & melle manantem. Terra (inquit) mea est, vos autem aduenæ & coloni mei estis. Ergo gratiæ fuit, quòd hominem foris plasmatum in paradyso posuit: iustitiæ verò quod datum peccanti rursus abstulit. Cur autem illum in paradyso posuerit, postmodum scriptura dicit, videlicet vt operaretur & custodiret illum. Paradysus autem Græcè, hortus dicitur Latinè, qui quantæ voluptatis, siue quantarum sit delitiarum, quod Hebraicè dicitur Eden, item scriptura statim manifestat cùm dicit: Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradysi.

Leuit. 25,

Item de paradyso, quòd verè terræ locus sit.

CAPVT XXIIII.

SEd iam hic antequam in hunc sermo noster paradysum progrediatur, nullatenus prætereundum est, de isto quoque pulcherrimo delitiarum Domini hortulo, scrupulosè disseruisse magnos & illustres viros, sensu longè diuerso. Nam alij spiritualem omninò sequẽtes intelligẽtiã, narrationẽ huius sacræ scripturæ neglexisse videntur historicã, tanquam visibilia illa & corporalia non fuerint, sed intelligibilium significandorũ causa hoc modo dicta vel conscripta sint, arboresque istas, & ligna pomifera siue fructifera in virtutes vitæ moresque conuertunt: quasi propterea non potuerit esse paradysus corporalis, qa potest etiã spiritualis intelligi. Alij verò consul-

De paradyso duplex opinio.

tò consultius scripturæ veritati adhærentes, hæc inquiunt, & si qua commodius dici possunt de intelligendo spirituali paradyso, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima, rerum gẽstarum narratione commendata credatur. Non enim idcircò non fuerũt duæ mulieres Agar & Sara, & ex eis duo filij Abrahæ, vna de ancilla, & vnus de libera, quia duo testamẽta in eis figurata dicit Apost. aut ideo de nulla petra, Moyse percutiẽte, aqua defluxit, qa potest illic figurata significatione etiã Christus intelligi, eodem Apostolo dicente: Petra autem erat Christus. Porrò, illis qui literam vel historiam hoc loco præterire volũt, istud maximè scrupulũm mouet, quòd de quatuor fluminibus ex paradyso fluentibus duo, Tigris & Euphrates esse scribuntur. Nam Salustius (inquiunt) auctor certissimus asserit, tam Tigris quã Euphratis in Armœnia fontes demonstrari, ex quo animaduertimus, aliter de paradyso & fluminibus eius intelligendum. Sed esto. Etiam si Salustius ille auctor certissimus sit, & verum dicat, horum fluminum fontes in Armœnia demonstrari: non infirmatur tamen literæ veritas, quæ dicit paradysi fluuium in quatuor capita diuidi, quorum hæc duo sunt. Siquidem omnes aquæ potabiles atque salubres, vbicunque fluant, vel vndicunque appareant, de fonte paradysi per occultos meatus originem trahunt, & ex eius dulcedine hoc habẽt, vt potabiles siue salubres sint. Nam & supra hoc modo dictũ est. Sed fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ, superficiem, inquam, quia profectò in superficie patet effectus, siue fructus irrigationis in herbis virentibus, in lignis pomiferis. Hoc denique notandum est, quòd nõ dictum sit, & fluuius egrediebatur de paradyso, qui deinde diuiditur in quatuor flumina, sed qui deinde diuiditur in quatuor capita. Nam ille fons vniuersam (vt iam dictũ est) terram irrigat, & quemadmodum iecur in corpore animalis, quod dicũt Physici fontem esse sanguinis, cunctis venis sanguinem ministrat, vitamq; animantis hoc ministerio retentat: sic ille fons vniuersam terrã p venas occultas vegetat, & in multos redundat fontes & flumina, sed eorum omnium quatuor ista sunt capita, id est, principalia flumina. Igitur & fontes horum, scilicet, Tigris & Euphrates, sibi libet, in Armœnia demonstrentur, & tamen per viam quã nouit auctor fluminum deus, de paradyso secundum veritatẽ scripturæ huius manare credantur.

Galat. 4

1.Cor. 16.

Solutio.

Gen. 2.

Item de paradyso, qp eum plantauit Deus à principio.

CAPVT XXV.

SEd quomodo hunc paradysum plantasse dicitur Dominus Deus à principio? Si enim dixerimus, sic esse dictum à principio, quòd antequam cælum & terram faceret, paradysum plantasset, hoc humana ratio sentire non potest, quippe cùm paradysus localis & terrenus est locus, immò & quidam terræ ornatus. Et quidem à principio sic intelligi potest, quia (sicut superius iam dictum est) omne virgultum agri & omnem herbam regionis creauit Dominus antequam oriretur, vel priusquam germinaret, in die quo creauit cælum & terram, scilicet eo modo, de quo & scriptum est: quia quod factũ est, in ipso vita erat. Verùm hoc itidem de cælo & terra, & de omnibus quæ facta sunt dici potest, quia sic à principio cuncta fecerat dominus Deus, quia qui viuit in æternum creauit omnia simul. Hoc ergo promptiùs intelligi potest, quia à principio dominus Deus plantauit paradysum, idem esse ac si diceretur: ab initio mundanæ exornationis, quando illo iubente, terra herbam lignumq; germinauit. Distinctis nanque tribus partibus mundi, id est, cælo, terra, & mari, primus ornatus fuit plantatio paradysi, dicente Deo: germinet terra herbam virentem, &c. Ipsam plantationem delicioſam breuiter hoc modo describit: Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradysi, lignumq; scientiæ boni & mali. Palam est sanè intellectui, plantationem huiusmodi paradysum, id est, hortum esse magnæ voluptatis, in quo scriptura, siue horum scriptor digitus Dei, tam diligenter quasi studiũ plasmatoris commendare curauit. Sic enim singula penè verba posita sunt, vt propè sub oculis legentium Deum designauerit operarium diligentem ac solicitum, plantantẽ ac radicantem summaque cura conquirentem omne quod pulchrum visu, & ad vescendũ suaue fore crederet, taliaque deliciarum instrumẽta excogitantẽ, quib. consitis, ipsius q plantassẽt, scientia merito laudari debuisset.

Eccl. 18.

Item de eodẽ, qp propter hominẽ plantauit eum deus.

CAPVT XXVI.

ET quidem qp dixit scriptura, plantauerat Dñs deus paradysum, hoc repetiuit, dicẽdo. Produxit deus de humo omne lignũ, & quod dixerat paradysum voluptatis, hoc aliquantisper exposuit, dicendo: omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignũ etiam vitæ in medio paradysi. Veruntamen dicendo, plantauerat Dominus Deus paradysum voluptatis, rei dignitatem altius declamauit. Nam quod ait: Produxitque deus de humo omne lignũ, &c. Mediocris sermo narratiõis est, verbo plãtantis felicis rei æternitatem, nomine voluptatis eleganter eiusdẽ expressit iucunditatem. Verbum nanq; plantantis, plantatoris eius siue hortulani studiũ innuit, qui nunquam transitorijs rebus studuit, ita vt cura sibi sit de illis, testãte Apostolo cũ dicit: Nunquid de bobus cura est Deo: Nomen autem voluptatis omnis indigentiæ sensũ excludit, quia videlicet nõ sicut hic, ita ex necessitate mãducabitur & illic. Etenim

1.Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hac hominis peregrinatione, cibus est mortalitatis solatiũ, illi c autã immortalitatis delectamentum. Et hoc sciẽdum, quia propter solum hominem hũc terrenum paradysum plantauit Dominus Deus, illum autem paradysum cælestem & angelis plantauit, & hominibus. Nam angelus qui terrenum non habet corpus, vnius spiritualis paradysi delicijs est contentus: homo autem qui ex corpore constat & spiritu, duplici paradysõ deliciabitur. Illic æterna resurrectione beatificatus, secundum animam sola cibabitur diuinitatis felici visione: secũdum corpus autem vescetur omni ligno pulchro & suauissimo, non pro necessitate, sed pro magna & ineffabili voluptate. Nunquid enim ex necessitate dominus noster post resurrectionem suam mãducauit coram discipulis suis? Non vtiq;, sed ex potestate. Et nunc quidem quia potuit, mandũcauit immortalis propter mortalium vtilitatem: nunc autem & in æternum poma sui paradysi manducare potest, propter suã voluptatem. Attamen quia sancti angeli (sicut alio loco iam dictum est) qualiacunque habeant corpora, & sanctorum hominum hospitali charitate interdũ adeò delectati sunt, vt appositos cibos manducasse legantur, potest credi, quòd eadem potentia multò magis tunc epulis nostris sint condelectandi, vbi viderint nos simul congregatos hæreditate patris nostri cibari, quos cùm viderent in primo parente præiudicatos exulare, amica condoluerunt charitate, per ampla septa vacui paradysi. Si rempublicam suam sic disposuit Dominus, si domum suam sic ordinauit prudẽs paterfamilias deus, & ipsi velim⁹.

Quòd paradysus terrestris ad exemplar plantatus sit cælestis paradysi, itemq; de ligno paradysi quod in medio erat.

CAPVT XXVII.

SCiendum autem est, hunc paradysum terrenũ, ad exemplar cælestis paradysi fuisse consitum, in quo, quasi ligna pulcherrima fuêre angelicæ fortitudines, & lignum vitæ Deus ipse, cuius felices angeli beata semper viuunt visione. Quod maximè Ezechiel propheta commendat his verbis, loquens contra principem tenebrarum diabolum, sub nomine regis Pharaonis inter cætera: Cedri non fuerunt altiores illo in paradysõ Dei, abietes non adæquauerũt summitatem eius, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius. Omne lignum in paradysõ Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius, quoniam speciosum fecit illum, & æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradysõ Dei. Et post pauca: Cui assimilatus es ô inclyte & sublimis inter ligna voluptatis? Eccè deductus es cum lignis voluptatis ad terrã vltimam. Hæc & huiusmodi propheta cũ dicit, non vtiq; veritatẽ infirmat huius historicæ narrationis, sed pulcherrimam rationem consilij diuini nostris in hoc paradyso sensibus subluceſcere facit. Igitur primũ illud quærimus, in quo maximè terrenus hic paradysus cælesti similis sit, & tũc demũ literaturæ vestigia prosequemur. Similitudinẽ cælestis paradysi duo maximè huius paradysi præferunt ligna, causas cõtrarias habẽtia, scilicet, lignũ vitæ in medio paradysi, lignũque sciẽtiæ boni & mali. Hæc enim causas habere contrarias rectè dixerim, quia videlicet si causam ritè perpendas, sicut hoc lignũ vitæ, sic illud reuera dicẽdum est lignũ mortis. Ironicè enim dictũ esse lignum scientiæ boni & mali, perspicuum erit. Dixit enim Deus, quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini, & verũ dixit. Dixit ecõtra serpens, comedite, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum, & falsum dixit. Deus, inquã, verum, & serpens falsum dixit. Nec enim cõedendo dij facti sunt, aut scientiã ampliorem acceperunt, vt bonũ & malum omninò scirent, sed iuxta veritatem dei statim & in anima mortui, & in corpore mortales, effecti sunt. Hoc itaq; lignum ironicè dictum est lignum scientiæ boni & mali, vt ipso nomine suo monumentũ legentib. repræsentet diabolici mendacij. Nã verè palam est, quia per inobedientiam manducantis homini lignum mortis extitit, quæ tamen mors non ex ligni natura, sed ex manducantis culpa processit. Ita pulcherrima quidem, sed non minus terribilis, quã pulchra, consilij diuini ratio per hęc nobis eluceſcit: quia videlicet sicut ad examinandam omnem angelicã creaturã diabolum in cælo cum electis angelis posuit, sic ad examinandum hominem in hoc paradyso cum ligno vitæ lignum interdicendũ plantare voluit. Vtrunq; præ cæteris pulchrum, & illud lignum, & illum fecit angelum. Et quidem pro specie sua vanis & superbis angelis plusquã deus: hoc aũt interdictum lignũ pro sua pulchritudine, plus q̃ non interdictũ lignum vitæ, primis hominibus complacuit. Nã de appetita pulchritudine ligni, scriptura sic dicit: Vidit igitur mulier q̃ bonũ esset lignũ ad vescendũ, & pulchrũ oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius & cõedit. De illo autẽ vanitatis principe, ppheta prędictus sumpta similitudine ab huius paradysi lignis. Omne, inqt, lignũ paradysi Dei, non est assimilatũ ei, & pulchritudini illius, quoniã speciosum fecit eum, & multis condensisq; frondibus, & æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis quæ erant in paradyso dei. Ligna, inquit, voluptatis, non quæ sunt, sed q̃ erant in paradyso dei, æmulata sunt eũ, quia videlicet spiritꝰ illi q̃ æmulati sunt speciẽ superbiæ eius dicentis: Ero similis altissimo, eiusq; vanitatem plus q̃ Dei sapientiam mirati vel sectati sunt, erant quidẽ in paradyso dei, sed modo ibi nõ sũt. Igitur quomodo in illo cælesti paradyso: deus verè lignũ vitę, qui sanctos angelos, sua pascit dulcedine, secum assumpsit in cælum: illum rebellẽ suũ, regem

Ezech. 31.

Gen. 3.

Ezech. 31.

Esa. 13.

regẽm superbiæ, sic idem magnus & metuẽdus Deus, terribilis in consilijs super filios hominum, cũ ligno vitæ in isto paradyso plantauit, & lignũ hoc, in quo contumax homo depræhenderetur per culpam inobediẽtiæ, sicut illi omnes spiritus qui filij essent superbiæ, conuincerẽtur & iudicarentur in suo rege, Deo rebelli. Illic & omnes principes cælorum fuerunt, quorũ nulli propriũ nomen positum inuenitur, nisi illi qui æquè, vt deus voluit esse & magnus nominatus. Alij nanque communi nomine lux, ille autem cũ sit tenebrarum portitor, per contrarium Lucifer est appellatus. Hic itidem & omne lignũ pulchrum visu, & ad vescendum suauе produxit de humo Dominus, circa lignum vitę, & nullũ eorum proprio nomine nũcupatur, nisi hoc solum, quod reuera (vt iam dictum est) lignum mortis extitit, per contrariũ autem lignum nuncupatum est scientiæ boni & mali. Non enim, vt nõnulli arbitrati sunt, proprium cuiusdam ligni vocabulum est omne, vt per hoc quod dictum est, produxitque deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, vnũ lignum debeat accipi, sicut & per lignum vitæ non nisi vnũ, & p lignum scientiæ boni & mali nihil ominus non nisi vnum oportet intelligi. Nã & infra cùm dixisset callidus serpens, cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradysi, videlicet permixto mẽdacio suæ quæstioni mulier respõdit. De fructu lignorũ quæ sunt in paradyso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio paradysi, præcepit nobis Deus ne vesceremur. Cùm ergo dicat de fructu lignorum, multa intelligenda sunt in eo, quod dicitur omne lignum. Et nota, quod nõ modò lignum vitæ, sed etiam hoc lignum quod interdictum est, dicitur esse in medio paradysi, quia videlicet, in hoc quoque quædam similitudo est Dei & aduersarij eius diaboli. Cùm enim rectè dominare deberet in medio creaturæ suę Deus, non tulit æmulus maiestatis, ille aduersarius, vt hic dominaretur solus, sed præsumpsit velle vt & ipse dominaretur, sederetque medius quasi altissimus, & millia milliũ starent vel ministrarẽt in circuitu throni eius.

Gen. 3.

Quòd fons ascendebat de terra, qui inde diuiditur in capita, itemq; de triplici significatione paradysi.

CAPVT XXVIII.

QVid tandem illud sibi vult, quòd fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ, qui & inde (vt postmodũ dicendum est) diuiditur in quatuor capita? Planè non minus in hoc fonte, quã illo ligno vitæ mirabilis creator mysteriũ meditatus est. Quid enim? Nõne propheta supra dictus ab aquis fontis huius, similitudine deriuata dicit, de eodẽ (de quo supra) eratq; pulcherrimus in magnitudine sua, erãt enim rami eius iuxta aquas multas? Et de his humilibus mẽtẽ spiritibus, qui illo superbiente & deiecto, stabiliti sunt & firmati. Et consolata sunt, inquit, in terra infirma omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano vniuersa, quæ irrigabantur aquis. Quæ autem sunt aquæ illæ, quibus irrigantur ligna hæc, infirma quidem, sed præclara, infirma quidem, sed tamen egregia? Illorum nanque infirmitas, quia humilitas est, vera fortitudo est: sicut contrario modo, fortitudo robusti illius, contra quem hæc dicuntur, vera infirmitas est. Quæ, inquam, illæ sunt aquæ, quibus irrigata & consolata sunt hæc ligna, nisi inundationes charitatis, nisi emanationes spiritus sancti, qui sic illos sua dulcedine impleuit, vt rectè dicantur ligna voluptatis? Igitur dum talem hunc Dominus Deus plantauit in terra paradysum, & diuidendum in omnes terras fecit inde ascẽdere fontem, magnũ meditatus est mysterium, magnæ gratiæ fudit imaginem. De qua re tunc oportunius dicemus, cùm ad glorificationem Domini Iesu, & datũ spiritus sancti peruenerimus, quæ iuxta propositũ, tertia pars erit operis huius.

Ezech. 31.

Nunc interim sciendum est, duos rationalis creaturæ esse paradysos, vnum scilicet, sanctorum societatem angelorum, & alium ecclesiã electorum hominum, & horũ vtriusque hunc de quo loquimur, terrestrẽ paradysum imaginem esse vel similitudinem. Etenim sicut in isto, lignum vitæ plantatũ fuit, & lignum per quod mors introiuit in mundum, sic in cælo contra Deum vitæ auctorẽ diabolus auctor mortis extitit, sic nihilominus in genere humano lignũ vitæ Christus, & contrarium eius lignum mortis Antichristus erit, qui iamdudũ per membra sua ministerium operatur iniquitatis. Item, sicut de hoc paradyso terreno fons ascendit, irrigans vniuersam superficiem terræ, qui & inde diuiditur in quatuor capita, omnemque terrã reddit aptam frugibus alendis, sic & de illo cælesti paradyso fons manare dignatus est, id est, gratia spiritus sancti, tanta copia rigãs massam generis humani, vt cũ sanctorum & electorum omnium cedris, oliuis, & vineis, vitæ quoque lignũ. i. Christũ deũ & hominẽ fecerit terra nasci virgineæ carnis, circa quæ fluẽta scripturarum in quatuor capita diuisit, quæ propheta in quatuor animaliũ diuersas facies distinguit, scilicet, hominis, leonis, vituli, atq; aquilę volantis. Non enim solum modo quatuor euangelia, sed & omnis scriptura diuinitus inspirata, certã hãc habet intẽtionis suæ quadrifidam faciẽ, vt eundẽ dominum nostrũ ostendat mansuetum nobis, vt verè hominẽ: fortem contra diabolum, vt leonem, id est deũ omnipotentem: immolatũ pro nobis vt vitulum electum atq; saginatũ: resurrexisse atq; in cælum ascendisse, vt volantem aquilam. Sed de his aliàs dicendum erit. His breuiter de paradysi pro veritate historiæ decursis, nunc demum cœptum literæ prosequamur ordinem.

Ezech. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item de eodem fonte & fluuio qui egrediebatur de paradyso.

CAPVT XXIX.

ET fluuius egrediebatur de paradyso, qui inde diuiditur in quatuor capita.) Sicut superius iam dictum est, non dixit qui inde diuiditur in quatuor flumina, sed in quatuor, inquit, capita, id est, principalia flumina. Non enim fons, qui (vt supra scriptura dixit) ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ, quatuor fluminibus disipatur in exitu paradysi, sed irrigans vniuersam superficiem terræ, quã multos fontes efficit, & in quam plura redundat flumina, quarum ista sunt capita. Et in hoc, miram terræ paradysiacæ dulcedinem commendare intẽdit, quia videlicet aquarum natura salsa est, nec potui habilis, sicut in semetipso mare ostendit. Ascendens autem de abysso in illam quasi magni corporis terræ mammã, id est, paradysi fontem, quodammodo lacteam assumit dulcedinem, & irrigat vniuersam terræ superficiem, vt iuxta Psalmistam: Potent omnes bestiæ syluę, & expectent onagri in siti sua, immò vt dulcesceret omnis terra, ad nutricandam herbam virentem, lignumque pomiferum, quod producere iussa fuerat. Quod maximè valet in terris orientalibus, non solùm panis & vini, sed & precioſorum aromatum fertilibus, quia cùm ex optimis quõdam Sodomorum & Gomorrhæorum terra fuit, quæ antequam subuerteret Dominus Sodomem & Gomorrham, sicut hæc ipsa scriptura testatur, irrigabatur sicut paradysus Domini. Nomen, inquit, vni Physon, ipse est qui circuit totã terrã Euilat, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimũ est, ibique nascitur Bdellium, & lapis Onychinus. Physon ipse est, quem nostri, mutato nomine, Gangẽ vocant. Porrò, Euilat regio est Indię, nomen habens ab Euila filio Iectã, vbi inquit, nascitur aurum. Et alibi quidem nascitur aurum, sed aurum terræ illius optimum est, ibique Bdellium inuenitur, & lapis Onychinus. Bdellium arbor est aromatica, de cuius natura Plinius plenissimè scribit. Onyx autem gemma est, sic appellata, quòd habeat in se, permixtum candorem in similitudinem vnguis humani, Græci enim vnguem onychem dicunt. Præterea & aliæ gemmæ multæ precioſissimæ, carbunculus, smaragdusque ibi nascuntur. Et nomen fluuio secundo Gyon, qui & Nilus dicitur, Aethiopiæ fluuius. Ipse est enim, inquit, qui circuit omnem terram Aethiopiæ, tantæ commoditatis fluuius, vt eum pro maximo Deo suo, quondã coluerit Aegyptus, quippe cui fluentis irrigata, cunctisque exinde copijs saturata, nunquam superne fusis indiguit imbribus. Nam sub maximo solis æstiuo feruore, crescentibus vndis diffunditur, nec ante autumnale æquinoctium decrescendo ripis suis iterum restringitur. Vnde Lucanus: Nilus nequè suscitat vndas ante canis radios, nec ripis alligat amnem. Ante parem nocti libra sub indice Phœbum. Et de his quidem nulla potest opinio refragari, huic veridicæ historiæ, quoniam de paradyso oriantur. Nam aliud non habet quod dicat quis. Proinde de Nilo, qui & Gyon, ait idem qui supra. Nullaque non ætas voluit conferre futuris Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi: De Gange autem qui & Physon. Mouit & Eoos bellorum fama recessus. Qua colitur Ganges toto qui solus in orbe Oltia nascenti contraria soluere Phœbo Audet, & aduersum fluctus impellit in Eurum. Cæterorum, id est, Tigris & Euphratis ortum Armœnia vel Perside monstrari, & nihilominus tamen scripturam hanc, siue historiam veracem esse, superius iam dictum est. Sanè Tigris propter velocitatem cursus sui, nomen à velocissima bestia tigride sumpsit. Euphrates verò fertilitas interpretatur, sic appellatus, pro eo quòd in morem Nili per agros diffundatur, terrasque fertiles efficiat. De quorum natura dicit idẽ qui supra. Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus Euphrates, quos non diuersis fontibus edit Persis, & incertum est, tellus si misceat amnes. Quod potius sit nomen aquæ, sed sparsus in agros fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur vndę. At Tigrum subito tellus absorbet hiatu. Occultosque tegit cursus, rursusque renatum. Fonte nouo flumen pelagi non abnegat vndis. Sequitur.

Psal. 103.

Gen. 13.

Gen. 10.

Pli lib. 12. cap. 9.

Luca. li. 3.

Luca. li. 7

De præcepto homini dato, ne comederet de ligno scięntiæ boni & mali.

CAPVT XXX.

TVlit ergo Dominus hominem & posuit eũ in paradysum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradysi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die cõederis ex eo, morte morieris) Apostolus cùm dixisset: O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, contituò subiunxit: Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius fuit, & ostendit illi? Aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum Amen. Eccè qui sunt, quibus dedit Deus? Angelus & homo. Cùm cæteris creaturis suis sanè nullam Deus dati aut accepti rationem habuit, quippe quibus præter naturalem essentiam nihil dedit. Angelis cælum, homini autem paradysum dedit. Huic & huic dedit, & huic & huic prior dedit. Quid enim hic vel hic prior dederat illi? Primus ergo ille dedit, conditione tamẽ præscripta, vt retribueretur sibi. Quid autem retributionis ab angelo, nisi dilectionem: quid ab homine exegit, nisi fidem per dilectionem operantem? Ait enim scriptura: Tulit

Rom. 11.

Luca. li. 10 Phar.

ra: Tulit ergo Dominus hominem, & posuit eum in paradysum voluptatis, vt operaretur & custodiret eum. Quid enim operaretur, aut à quo custodiret eum? Operaretur vtique opus Dei, quod non est aliud nisi opus fidei, nisi officium spei, nisi obsequium charitatis. Dicat aliquis: Cur non absque vlla conditione, absque vllo præcepto posuit illum in paradysò? Nonne melius fuisset, nullum dedisse præceptum, quàm positione præcepti facere præuaricationi locum? Vbi enim præceptum non esset, nec præuaricatio. Ad hæc inquam. Vnde ergo homo copularetur Deo, si non illi subligaretur obediẽtiæ iugo, si nõ acciperet commissum, in quo deberet fidelis existere Deo? Vbi enim nullum commissum est, ibi & nulla comparet fides. Porrò, sine fide impossibile est Deo placere. Quasi verò nunc aliter agat Deus, aut aliter quempiam acceptum habeat, nisi per fidem. Itaque vt operaretur per fidem, idcircò tulit eum in paradysum, & vt custodiret eũ, scilicet, ne deserta fide, vel dilectione creatoris, simul perderet datum optimũ. Igitur & verè bonus & sapiẽs Deus, & prior dedit, & cum rationabili conditione dedit paradysum homini. Sed pergunt quærere adhuc homines, curiosi Dei, negligentes autem sui, volentes cognoscere sensum Domini, & audentes cõsilium dare illi. Si, inquiũt, Deus saluum aut beatum volebat esse hominem, cur non fecit inconuertibilem? Cur nõ fecit immutabilem? cur non statuit illi naturam nullius rationis passibilem? Verùm contra huiusmodi obiecta superius paucis respondimus, cùm de primogenito perditionis, vel principe mortis diabolo loqueremur, videlicet nihil præter Deum inconuertibile, vel incommutabile esse per naturã, nullamque nisi proficiẽdo vel operam cum gratia Dei adhibendo, statum virtutis incommutabilem assequi creaturam. Nunc oculis nostris, non persuasione serpentis, sed in spiritu sancto apertis, mandatum creatoris, quod ille infeliciter præuaricatus est, intueamur, Ait: Ex omni ligno paradysi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Magna largitas donorum, & non graue largitoris, mãdatũ. Ex omni, inquit, ligno paradysi comede, de ligno autem vno ne comedas. Leuis in tanta copia fuisset continentia, si non defuisset continentiæ dux benuolentia. Illud sanè sciendum est, per anticipationem, (quod schema græcè prolepsis dicitur) dictum hic esse lignum scientiæ boni & mali. Non enim ex ore præsentis veritatis Dei dicentis, in quocunque enim die cõederitis ex eo, morte moriemini, sed ex posteriori fallacia diaboli, nominis huius origo manauit (vt superius iã dictũ est) qui mandu care persuadens, eritis, inquit, sicut dij, scientes bonum & malum. Dolenda scriptor memoria lignum illud notauit, tanquam dicere: Ex omni ligno paradysi edendi licentiam dedit, solum illud quod ex euentu per contrarium dicitur scientiæ boni & mali lignum, interdixit.

Cur Deus Adæ præceptum dedit

Hebr. 11

Quòd fidem, spem, charitatem, homo Deo debuit, sed ingratus non exhibuit.

CAPVT XXXI.

EX omni, inquit, ligno paradysi comede, &c. Tria duxit digna imperare maiestas trinitatis, ex omni ligno comede, & de hoc ne comedas, & in quocunque die comederis ex eo, morte morieris. His tribus propositionibus tres ab homine virtutes exigens, id est, charitatem, spem, & fidem: quas nunc, reciprocato ordine, à nobis exigit eadem trinitas vnus Deus, fidem, spem, & charitatem: quia illa cadendo descendit, nos resurgentes à fide, per spem ad charitatem Dei ascendamus. Nam in eo quòd hominem gratis fecit, & gratis nihilominus in illo voluptatis loco, in illo tali paradysò delicijs affluenti, patrem futurum multitudinis sanctorum posuit, planè debitorem magnæ charitatis eundem sibi efficit hominem, & valide suis beneficijs obligauit. At ille ingratus tantæ gratiæ debitũ charitatis non rependit, in quo ob magnitudinem nequitiæ nullus est, qui æstimare possit. Item in præcepto dicentis, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, spẽ insignem exhibere debuit. Spem, inquam, habere, & de bono deo sperare debuit, quòd is qui gratis tanta iam bona sibi contulerat, profectò subiectionem & obedientiã in præcepto custodienti, maiora quæ promittebat, id est, cælestem paradysum & sanctorum angelorum societatem, quandoque conferret. At ille proculdubio spei huius virtutem nõ habuit de futuris, quia videlicet, (sicut iam dictum est) charitatem non habens, primũ ingratus erat præsentibus bonis. Item in cõminatione dicentis, in quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini, fidem habere debuit, fidem, inquam, habere & firmiter credere, quòd non inuidendo diuinitatem homini, Deus tale lignum interdixisset se, ineuitabilem præuaricationis pœnam veraciter prænunciasset. At illa infelix mulier, infelicis viri socia, tam in pœna quã in culpa, serpenti magis quã Deo credidit, serpenti, inquam dicenti, nequaquã morte moriemini, scit enim Deus, quia quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malũ, magis quã Deo credidit, & hunc veracem, Deum autem (quod auditu quoque scelus est) per inuidiam mentitum fuisse putauit. Ita Deus bonus, sapiens, & iustus, naturam suam obseruauit, diuinitatem suam attendit, propositumque tenuit, dum in vno præcepto suo tres à creatura sua similitudinis suæ virtutes, id est, fidem, spem, & charitatem, quas offerri sibi dignum erat, rectè exegit. Nos igitur vnum locuti & aliud, quippe qui in illo

Tria exigit ab homine Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

in illo vetere parente noſtro perdidimus,& in gratia noui parentis noſtri ſecundi hominis Ieſu Chriſti miſerè negligimus, nõ addamus vltrà loqui, quod nequiſsimũ eſt, diſcutiendo Dominum Deum noſtrũ, cur ſic vel ſic fecerit: cur homini tale præceptum dederit, vel cur non potius illum, quaſi pullum onagri, liberum natum eſſe permiſerit. Quid ergo, inquis? Nónne ſcriptura dicit: Omnia quæcunque voluit fecit, in cælo & in terra? Quomodo ergo omnia quæcunque voluit fecit Dñs, qui nec illud ꝙ præcepit, quod vtique niſi fieri voluiſſet nequaquã præcepiſſet, ad effectum perducere valuit? Etenim in iſto plaſmate ſuo, fidẽ, ſpem, & charitatẽ, ſecundum præceptum ſuum non inuenit. Ad hæc, inquam. Nequaquam fruſtratũ eſt conſilium vel poſitum Dei, valenter e-
Pſal. 113. nim de trunco illo virtutes illas reſloreſcere fecit. Nam ille quidem ad hoc opus Dei mãcus extitit, & contra opus vel præceptũ dei, manus incontinentes, per concupiſcentiam extendit, ſed inuẽtus eſt de genere eius homo ſecundum cor Dei, qui contentas ab omni concupiſcentia manus ad pœnalem ſibi obedientiam in ligno crucis extendit, & ſub pedibus ſuis conculcato peccato, legenda virtutis exempla multis millibus ſequentium ſe propoſuit.

De eo quod dictum eſt, non eſt bonũ eſſe hominẽ ſolũ, quodã, nec mulier in paradyſo facta ſit.

CAPVT XXXII.

DIxit quoque Dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſui. Siquidem talis eſſe putatur ordo rerum, qualis eſt verborum, videlicet, quòd prius tulerit Dominus hominem in paradyſum voluptatis, & præceptum illi dederit, quã hoc ab eodem dictum ſit, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſui, item & illud exiſtimandum erit, quòd mulieri non præceperit, & proinde, quod abſurdum eſt, conſequenter dici potuerit, illam non fuiſſe præuaricationis ream, cũ præceptum nequaquam acceperit. At illa ſibi quoque præceptum fuiſſe, patenter oſtendit, ita reſponendo ſerpenti. Ex frũctu lignorum quæ ſunt in paradyſo veſcimur, de ligno autem quod eſt in medio paradyſi præcepit nobis Deus ne comederemus. Præterea ſi antequam hæc diceret Dominus Deus, iam hominem in paradyſo poſuerat, ergo & aſini, & equi, cæteraque animantia terræ munda, ſiue immunda in illo erãt voluptatis loco, quem pro magno reputat gratiæ Dei beneficio, ſi adipiſci queat ratiõalis homo. Nã poſt hęc verba dei, continuò ſcriptura ſubiungit: Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animãtibus terræ, & volucribus cæli, adduxit ea ad Adam, &c. Melius itaque hæc dictio Domini Dei. Faciamus ei adiutorium ſimile ſui, ſuperiori loco conjungitur, vbi dictum eſt, formauit igitur Dominus hominẽ de limõ terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculũ vitæ, imò & adhuc altius, ſcilicet, vbi dictũ eſt: Faciamus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Quare ergo, inquis, tam diu mulieris facturam ſcriptura narrare diſtulit? videlicet vt ſingulas hiſtoriæ partes ſecundum proprias cauſas rationabiliter ordi *1. Tim. 2.*
naret. Conſtat enim, quia non propter mulierem vir, ſed mulier propter virum facta, & cum illo in paradyſo poſita eſt. Idcircò benè prius cum formatione viri narrationẽ digeſsit, quòd eum Dominus Deus tulerit, & in paradyſum poſuerit, & ipſum paradyſum deſcripſit. Item vir non eſt ſeductus, ſed mulier. Etenim non per virum mulierem, ſed virum per mulierem, decepit diabolus. Idcircò formationem mulieris, nunc vſque diſtulit, vt continuaret hiſtoriam infelicitatis, quæ per mulierem ad virum peruenit. Hunc modum narrationis Tichomus recapitulationem dicit, vbi ad intelligendũ difficultatem ſcripturarum, ſeptem regulas valdè vtiles conſcripſit. Ad hunc modum illud pertinet, quod hac eadem ſcriptura poſtquam dictum eſt, ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundum linguam & familias in nationibus ſuis, poſt aliquanto ſic dicitur. Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorundem. Et tunc narratur quomodo diuiſæ ſint linguæ, quas iam ante dixerat diuiſas fuiſſe. Cũ que proficiſcerentur, inquit, de oriente: ve- *Gen. 10.*
nerunt in campum de terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres & coquamus eos igni, & reliqua. Igitur formato homine hoc etiam dixit Dominus deus, dixit, inquã, eiuſdem ſapientiæ ſuæ dictione, in qua dixit omnia, in qua fecit omnia. Non eſt bonum, *Gen. 11.*
eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutoriũ ſimile ſui. Non, inquam, eſt bonum, non eſt vtile, non conducit ad propoſitum noſtrum, eſſe hominem ſolum. Propoſuimus enim præſcitos & prædeſtinatos de primo homine propagare, ſanctos imagini ac ſimilitudini noſtræ conformes futuros. Ergo vt propoſitum iſtud impleatur: Faciamus ei adiutorium ſimile ſui. Adiutorium, inquam, ad multiplicandam prædeſtinatam progeniem ſanctorum. Et notandum, quòd ad faciendum huiuſmodi adiutorium eadem loquitur pluralitas perſonarum, quæ ad faciendũ locuta eſt virum. Dicit & nunc eadem trinitas vnus Deus: Faciamus ei adiutorium. Ad dẽdo aũt, ſimile ſui, cũcta cõprehendit quæ in faciendo viro dixit, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris & beſtijs vniuerſæ terræ, & omni reptili ꝙ mouetur ſuper terram. Præter ſexum enim in nullo ſubſtantia mulieris differt à ſubſtantia viri, videlicet, quòd minus mulier quàm vir cunctis animãtibus præſit dignitate conditionis,

ditionis, quia non minus eſt rationalis, nec minus illis aſpirare licet ad ſi militũdinẽ creatoris, ſicut iam ſuperius dictum eſt, vbi ſcriptura de hac factura loquens in die ſexto, maſculum, inquit, & fœminam creauit eos.

De eo quod dictum eſt: Adæ verò non inueniebatur ſimilis eius.

CAPVT XXXIII.

HIs ita à Domino Deo dictis, magnum nobis continuò ſcriptura ſpectaculum fecit, vt meritò arrectis animis quęramus, qd Dominus faciat, quid velit, quid intendat? Formatis, inquit, Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam. Et paulò pòſt: Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Ergóne iſtud neſciebat dominus deus, quòd in cunctis animantibus terræ, aut volatilibus cæli, nullum homini ſimile haberetur, quod competens illi copularetur adiutorium ad propagandum ſicut volebat, vel ſicut propoſuerat genus humanũ? Hoc ciñe, inquam, ille neſciebat, niſi quodammodo arrepta minatoria virga coram ſe cuncta minaſſet ad Adam, vt quaſi communi inquiſitione Deus cum homine conſultaret, quærens ſi quid fortè ſimile eius inter omnia iſta reperiri poſsit? Nam ac ſi ceſſato labore deſeciſſet Deus, Adæ verò (inquit ſcriptura) nõ inueniebatur adiutor ſimilis eius. Quid ergo in hoc tanto ſtudio, Dominus intendit, niſi oſtendere homini, vt intelligeret honorem ſuæ cõditionis, quòd nihil ſibi compar eſſet, in iumentis ſiue cæteris animantibus cuiuſlibet generis? Hoc enim ad amorem creatoris rationali homini proficere debuit, quòd cõgregatis omnibus coram ſe, ipſe abſque dubio polleret honore ſingulari, non ſolùm ſecundum priuilegium rationis, verum etiam ſecundum figuram corporis, quia cũ cuncta videret humi prona ſiue quadrupedia, caudãq; trahentia, aut etiã toto corpore repentia: ſolum ſe recta ſtatura, liberoque pectore principatum omnium obtinere gloriari poterat, ſi in Domino Deo ſuo gloriari voluiſſet. Hoc ergo intendente Deo, vt digna ſibi à plaſmate ſuo gratia haberetur, quæ profectò eidem eſſet fructuoſa, benè ſcriptura ſtudium eius inſinuans, formatis, inquit, dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, id eſt, vt videret, quòd nulliùs eorum digna eſſet natura ſortiri vocabulum ab hominis nomine pro aliqua ſimilitudine natum vel detortũ: Omne enim, inquit, quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius. Et ad huc ſubiungitur: Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia, & omnes beſtias terræ. Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Videlicet ſingulorum conſiderauit naturas, & exqualitatibus diuerſis, diuerſa fomauit vocabula, vt (verbi gratia) Latinus caballum à cauando nuncupat, eò quòd terram cauet vngula. Aſinum ab aſſidendo: porcum quaſi ſpurcum, eò quòd ſpurcus ſit: & canem, eò quòd canorum continet venando latratum. Et multa huiſmodi. Ita nimirum ille in lingua primitiua, quæ facta diuiſione linguarũ in gente remanſit Hebræa, nomina formauit ſingulorum, conſideratis proprietatibus naturarum, & nullius naturam talẽ eſſe perſpexit, vt rectè nomẽ illi dare haberet cognatum ſuo nomini, ſicut de muliere poſtmodũ rectè dixit. Hæc vocabitur virago, quia, inquit, de viro ſumpta eſt. Et hoc (vt iam dictũ eſt) reuera homini ad amorem creatoris, & ad gratiarum actionem plurimùm valere debuiſſet.

De coſta Adæ, & de coniunctione viri & vxoris ſuæ.

CAPVT XXXIIII.

IMmiſit ergo Dominus ſoporem in Adã. Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit coſtam quam tulerat Dominus de Adã, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Ergo, inquit, quia non erat bonum, eſſe hominem ſolum, adductis autem cunctis animantibus ad Adam, ipſo perſpiciente non inueniebatur illi adiutor ſimilis eius, idcircò quaſi recurrit creator ad operoſum omnipotentiæ ſuæ verbum, dicendo: Faciamus ei adiutorium. Sopor vtique quem Dominus Deus immiſit, non vigilias rationis claudere debuit, ſed obturatis quinque ſenſibus corporis, ſenſum mentis liberum reliquit, vt ſcire poſſet, quid erga ſe ageret omnium artifex ſapientia Dei. Vnde & poſtmodum, muliere ſibi adducta, dicere potuit. Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Fortaſsis idcircò ſeptuaginta pro verbo artdema, ꝙ apud Hebræos profundum ſoporem ſignificat, extaſin, id eſt, exceſſum mentis tranſtulerunt.

Quid autem hoc ſibi vult, quòd cùm poſ- *Cur mulier ex coſta Adæ formata eſt.*
ſet mulierem æquè vt virum, formare de limo terræ, maluit coſtã viro ſubducere, eamque in mulierem ædificare? Quid, inquam, hoc voluit, niſi vt firmam & inſolubilem debere eſſe oſtenderet vnici coniugij charitatem? Proinde cùm à phariſæis tentaretur dominus de dimittenda vxore dicentibus, quia Moyſes mandauit nobis librum repudij, reſpondens ait: Non legiſtis, quia qui fecit ab initio maſculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna? Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et iterum dixit diſcipulis ſuis: *Matth. 19*
Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliã duxerit, adulterium committit ſuper eam. *Marc. 10.*
Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchabitur. Non ergo ô coniuges mandatum nouum ſcriptum eſt vobis, dum

præcepit

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcipit Dominus vel Apostolus eius, mulierem à viro nō discedere, non, inquam, mādatum nouum scriptum est vobis, sed mandatum vetus, quod ab initio audistis. Eccè enim vetus & ab initio coniugij constituta rationabilis, immò & naturalis causa mandati. Eccè, inquam, quia non vndecunque, sed de costa viri fecit viro auctor coniugij deus, adiutorium huiusmodi. Nunquid absque iniuria factoris sui vir costam suam abijcere poterit? Si cæcus, si claudus, si vel paruo vel grādi, vel toruo naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, vel quamlibet eiusmodi habens maculam, non accedet ad ministerium Domini secundum mandatum legis, quantò magis qui costam integram corpori violenter exemit vel abiecit, meritò ab altari, imò & à cōmunione totius ecclesiæ Dei debet arceri? Etenim mox vt pro adiutorio huiusmodi quilibet vir, quamlibet mulierem assumpserit, mediante fide & testimonio eius, qui hanc mulierem ad hunc virum adduxit, costa eius est, os ex ossib. eius, & caro de carne eius est. Igitur si illā vltro reliquerit pro qualicunque causa, excepta causa fornicationis, iam apud Deum vir non erit, nec pro integro corpore reputabitur, quia videlicet, vna est costa mutilatum: costa, inquam, non qualicunque, sed benè ædificata, diminutum est corpus. Item & mulier, si virum reliquerit, iam apud Deum in numero nō erit, quia non corpus integrum, vel tota caro, sed pars esse conuincitur ex lege conditionis, quia de viro sumpta probatur.

1. Cor. 7.

Leuit. 21.

Item de eo quod dictum est, quòd Deus coniunxit, homo non separet.

CAPVT XXXV.

SOla causa fornicationis vtrunque excūsare poterit, quia videlicet in fornicatoribus & adulteris perit omnis causa coniugij. Quam enim ob causam viro deus mulierem fecit? Videlicet vt esset in adiutoriū illi. Cui? quæso in adiutorium rei vel operis? Vtique in adiutoriū propagandæ sobolis, secundum benedictionem, quam super masculū & fœminam Deus idem dederat, dicendo: Crescite & multiplicamini, & replete terram, &c. Huic autē causæ non studere, sed potius suæ libidini intendere conuincitur, quicunque vir siue mulier legitimū thorum transgreditur. Etenim mulier multis subacta viris, nō fœcundior, sed turpior fit. Vir autem multis mulieribus impensus, plures quidem potest procreare liberos. Sed iamdudum spinis & tribulis generis nostri plenus orbis, tali studio non indiget. Olim in sanctis hominibus, nec licentia non solum venialis, verùm etiam inculpabilis extitit, vt (verbi gratia) in patriarcha Iacob, cuius ex semine benedictionis auctor venturus erat Christus Deus super omnia benedictus, qui sicut destruere habebat Adæ peccatum, sic etiam reformare debeat honorabile connubium & thorem immaculatum, imò & de satione coniugum temporaneā & serotinam metere frugem virginum. Igitur sola fornicationis causa rectè coniugatorum excusantur diuortia, ita tamen, vt aut permaneant sic, aut reconlientur qui ab inuicem discessere pro huiusmodi causa. Hoc tamen modo illud obserua ri fas est, quod ait tam fortiter quā suauiter ipsa sapientia, per quā, vel in qua factum est hoc. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Homo nanque separat, quod Deus coniunxit, cùm per odium vel propter nouam luxuriam, seu pro simili qualicunque causa diuortium fit.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

Quòd Deus, vel quomodo solus Deus legitimè separat, quod ipse coniunxit.

CAPVT XXXVI.

QVid, si separet ipse qui coniunxit? Hoc planè legitimum est, nec enim separatio vel diuortium, sed honesta mutatio coniugij, cùm causa dei discedunt ab inuicem, vt vacent orationi casti coniuges, amorem spiritus carnali copulæ præferentes. Quod vbi concorditer inter vtrunq; conuenit, per qualemcunque hominem cohortantem, forisque verba facientem ad hoc excitati sint, nō homo separat quod Deus coniunxit, immò quod Deus benè in carne coniunxit, Deus idem in spiritu melius coniungit. Et hoc dum taxat tunc ritè procedit, si vna voluntas, idē que propositum in vtroque coniuge fit. Nā altero ad sanctum otium, ad vacandum orationi tendente, si alter concedat quidem, rectè procedit: sed si alter diuersæ intentionis sit, nec eiusdem militiæ fidem vel militiæ illius propositum profiteri velit, profectò nō Dei, sed hominis consilium est, & idcircò statim reclamandum est, quod Deus coniunxit homo non separet. Quòd si quis eiusmodi sic dimidiatus, aut mutilatus, tonsuram etiā ecclesiasticam acceperit, & sacri Christi militiæ iam singulo redimitus incesserit, reclamante illa, quæ in seculo relicta est, corporis parte, militare pro suo voto non poterat, sacrorum canonū iure coercitus, ne sua sanctitas fiat compari suæ adulterij causa. Adeò valenter dictum est, quod Deus coniunxit homo non separet. Cui dicto Apostolus cō sentiens: Alligatus es, inquit, vxori, noli quærere solutionem, subauditur per hominem. Nam nisi Deus, quo teste legemque ferente alligatus es, te soluerit vxoris animū præparando, vt idem habeat votum, vel propositum castitatis, tu solutione nullatenus inuenire poteris. Hanc legē præeūte natura, statim & ptoplasti sanxit sentētia. Ait enim, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

1. Cor. 7.

Quomodo vel vnde scire potuerit Adam, hoc nunc os de ossibus & caro de carne mea.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

QVamuis soporatus fuerit Adā, tamē nō clam illo fuisse quod factū est, hæc eius dicta manifestè comprobāt. Hoc nūc, inquit, os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Tanquam diceret. Hoc paulò ante tantummodo os ex ossibus meis, id est, costa fuit de costis meis, nunc autem & caro est. Proinde sicut prius os meum erat, ita & nūc postquā costa ædificata est, rectè caro mea, caro inq, de carne mea est. Non ergo vt ille quid ageretur nesciret, sed vt magnum sacramentum in eo profiguraretur, immisit in Adam sopo rem Dominus. Quod Apostolus perspicies, magnum, inquit, sacramentum hoc est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Non, inquit, sacramentum hoc esse dico, in illo viro, & in illa fœmina, non, inquā, in eo quòd de viro sumpta est fœmina, quòd misit Dominus soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius, & ædificauit costam quam tulerat de Adam in mulierem, & quòd dixit Adam, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. Nā illa carnalia sunt facta, & ab illo Adā carnaliter dicta, scilicet, absque spiritualium futurorum conscientia. Cæterū in Christo & in ecclesia sacramentū magnū hoc est, quia sic admisit in se Christ⁹ soporē mortis susceptā pro volūtate patris obedientia, & tulit Deus de latere eius sanguinem & aquam, de latere, inquam, eius dormientis, id est, iam mortui, sanguinem & aquam per lāceæ vulnus eduxit, vnde extunc vsque ad finem seculi ædificare non desinit, vt gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam exhibeat illi. Igitur alio quidem respectu in alia editione benè scriptum est, immisit ergo Dominus extasin in Adam, quia videlicet occlusis sensibus corporis, ratio tamen vigilauit, vt non nesciret, quod os ex ossibus suis sublatum, & caro de carne sua ædificata fuerit. Alio autem nihilominus rectè dictum est, quia immisit Dominus soporem in Adam, soporem, inquam, id est, grauem & profundū somnum, quod Hebraicè dicitur tardema, scilicet, quia de profundo mortis somno regeneranda erat nouo Adæ, noua coniunx ecclesia.

Ephe. 5.

Deut. 33.

De eo quod dictum est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.

CAPVT XXXVIII.

HAEc, inquit, vocabitur virago, quia de viro sumpta est, hoc ad illud respicit q̄ supra dictum est, quia formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, quærendo, videlicet adiutorium illi, sicut deinde subiungitur. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ, & nulli eorū hominis vocabulo cognatum nomen posuit, scilicet, quia nullum eorum simile sibi esse perspexit. At verò in hāc similitudinem sua recognoscens, vidit quid vocaret eam, & vocauit nomen eius virago, dicens, quia de viro sumpta est. Nam quia de viro sumpta est, congruè nomen quod illi poneretur à vocabulo viri, deductum est. Sciendum autem, quòd in Hebræa quidem lingua manifestā nominis etymologiam siue deriuationem literatura resonat. Vir nanq; hebraicè Isch, & mulier Ischa dicitur. At verò latinè vir & mulier secundum vocem siue literalem sonum commune nihil habent, sed pro muliere virago positum est, quod nomen à viro sumptum est. Benè itaque suam vir in muliere recognoscens substantiam, hæc, inquit, vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Et adiecit. Quamobrem relinquet homo patrē & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc pro lege habetur, vt patrem & matrē, homini relinquere liceat, poscente causa idonea: vxorem autem nemini nisi volentem relinquere, nec humana cō cedit lex, nec diuina, nisi pro sola (vt superius dictum est) fornicationis causa. Proinde cū dicit, lex, qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquiū tuum, pactum tuum seruauerunt, cùm, inquam, hæc dicit sancta & iusta lex, notandum quòd solam vxorem præterit, quia videlicet patrem & matrem, fratres & filios nescire licet ei, qui custodire eloquiū & pactum eius cupit, & quanquam reclamantes vel inuitos relinquere iure licebit: sola autem vxor est, quam nisi volentem, & idem propositū amplectentem, dimitti fas non est. Ergo dum dicit, quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, coniugij copulam omniū carnaliū necessitudinē maximam atque fortissimam fore pronunciat, adeò vt semel copulati iam nō sint duo, sed caro vna.

De ingratitudine hominis, qui in omnib. à laude creatoris mutus extitit.

CAPVT XXXIX.

HIc tandem animaduertendum est, quā pertinaciter homo primus, homo terrenus, à creatoris laude mutus perstitit, quā obstinatis labijs ab omni gratiarum actione abstinuit, & ingratum Domino Deo silentiū dedit: formante Deo & inspirante spiraculū vitæ, factus in animam viuentem, non suspirauit eodem spiraculo vitæ acceptæ in plastę sui faciem, vt adoraret, & eum glorificaret, & ei gratias ageret. Item ab eodem Domino Deo positus in paradysum voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturna ingratitudine tātū tamque facilem delitiarum Dei locum, quasi rapinam arbitratus occupauit. Eccè nunc tertio diuinę dignationis dono locupletatus est, in eo quòd fecit ei adiutorium simile sui, adiutorium, inquam, ad hoc vt crescere & multipla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

multiplicari posset, & de se vno propagata felici progenie terram viuentium repleret. Siue hoc tertium, siue secundum (vt supra dictum est) beneficiũ Dei fuerit, tribus planè diuinę beneficentię dilatatus muneribus, tacet adhuc, & nihil quod laudem Domini resonet, eloquitur, nec vllum dilectionis vel gratiæ verbum in ore eius fuisse scriptura testatur. Qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum quòd ad hoc vt & peccaret, & peccatum suum non agnosceret, quia res vicina est. Eodem quippe intuitu & suum malefactum, & diuinum erga se cognoscit homo beneficium.

Eccl 7.

De eo quòd nuditatem suam non erubescebant.

CAPVT XL.

ERat autem vterque nudus, Adam, scilicet, & vxor eius, & non erubescebant.) Non erat hoc ignominiæ, sed honoris, quòd nudi erant, non erat insipientiæ, sed securitatis, quòd nuditatem suam nõ erubescebant. Quid enim? Nunquid hoc à factore suo accepit, quòd confusibilis & verenda est factura Dei? Aut nunquid confusionem huiusmodi natura & non potius conscientia facit: Est quidem quasi in naturam versum hoc tormentum confusionis, veruntamen non ex cõditione primæua, sed ex iuniori culpa origo eius pullulauit. Etenim idcircò nuditatẽ nostram erubescimus, quia conscij nobis sumus, quantam infirmitatem, immò quãtam aduersum nos rebellionẽ carnis nostræ portemus. At verò tunc sana erat cordis conscientia, quippe quã nulla sollicitabat oculorum concupiscentia. Siquidem cõcupiscentia carnis, pœna est peccati, qua præcedens punitur superbia mentis: Deus (inquit scriptura) fecit hominem rectum. Hoc planè testimoniũ verum est, quia rectissimus Deus hominẽ non nisi rectum fecisse creditur. Rectitudo autem hominis eo est, vt carni spiritus, vtpotè inferiori superior præsit & imperet, & hęc illi iussa adsit atque obtemperet. Medius nanque inter Deum & carnem suam rationalis spiritus hominis positus est, vt Deo parêret & carni imperaret. Quem ordinẽ quia prior ille turbauit & rupit, abijciendo præceptum Dei, subditus est, qui erat superior spiritus, infimæ carni: vt iusta pœna inferiori subiaceat, qui superiori rectè subesse contempsit. Hinc illa confusio faciei de conscientiæ secretis ad publicos oculos prorumpens, & sub misera velamentorũ solatia pœnalem ignominiam ire compellens. Hæc, inquam, infirmitas, vel rebellio carnis aduersus spiritum nondum erat. Benè igitur nudus erat vterq; & non erubescebant, quia quod erubescerẽt non habebant. Illa nuditatis securitate perdita nos ingemiscimus, eò quòd gloria & honore spoliati, & panniculis obuoluti simus. Nam ita vestiti verè incedimus nudi, etiam (si quod impossibile est) sic vestiamur, sicut vestiuntur lilia agri. Etenim nec Salomon in omni gloria sua vestitus est, sicut vnum ex his. Si, inquam, vestiri possimus sicut hæc vestiuntur, sic quoque spoliati & nudi sumus. Vnde & saluatorem expectamus (inquit Apostolus) Dominum nostrum Iesum Christũ, qui reformabit corpꝰ humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ. Nũquid enim quando fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui, tunicis operientur & pallijs? Non vtique, sed ad gloriam figuli vel factoris sui quæcunque illic fuerint vasa misericordiæ, mutuis cum gloria conspectibus parebunt, foris fulgidi, & intus iucundi: corpore integri, & animo læti: corpore, inquam, simul & anima beati.

Matth. 6.

Philip. 3.

Matth. 13.

FINIS LIBRI SECVNDI IN GENESIM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

De calliditate serpentis, & quòd homo prius per superbiam tumuit intus, quã foris per serpentẽ tentaretur.

CAPVT I.

Psal. 118.

HVMANI generis vox illa est in Dauid: Priusquam humiliarer ego deliqui. Hoc verè dixit, non ꝙ iuxta quosdam hæreticos anima cuiusque nostrũ, priusquam in corpore humiliaretur, sublimis fuerit in altitudine cæli, & ibi deliquerit, & propter delictum suum humiliata, id est, proprij corporis carcere conclusa sit. Peruersus hic sensus est. Sed priusquam humiliarer ego deliqui, subauditur secundum Adam, id est, priusquam comparer iumentis, & similis fierem illis, ego in honore positus non intellexi, non auctorem honoris mei Deum glorificaui, aut gratias egi, quin & præceptũ eius transgressus sum, & in hoc deliqui. De quo delicto diligenter notandum, qualiter scriptura narrationem inceperit. Ait: (Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.) Gloriam siue honorem & securitatem hominis præmiserat dicens: Erat autem vterq; nudus. Adam scilicet, & vxor eius, &

Psal. 48

CAP. III.

eius, & non erubescebant. Et continuò subiungit: Sed & serpens erat callidior cũctis animãtibus terræ. Quidnã hoc sibi vult, quod non solummodo dixit, sed serpens erat callidior, sed coniunctiunculã interposuit &, dicendo, sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ? Hoc vtique intendit, & ad hoc auditorem trahit, vt non putet initiũ peccati siue tentationis Adæ vel vxoris eius cœpisse ab exteriori persuasione serpentis. Prius nanque intus ad cor hominis per semetipsum locutus est spiritus diaboli, vt superbiret, Deumque præceptorem ferre, vel mandatum eius portare despectui haberet. Nisi enim intus per superbiam prius tumuisset, foris tentatus tam facilè non cederet. Vt ergo duplicis substãtiæ creatura, scilicet, homo, qui ex corpore constat & anima, duplicẽ corporis & animæ pertraheretur ad mortẽ, prius in anima spirituali corruptus est superbiæ vitio, deinde & corporeo cõtra Dei mãdatum infectus est cibo. Quod & ipse nostrę reparator substantiæ Dominus noster Iesus Christꝰ pulchrè parabolica insinuatiõe testatur cũ dicit. Homo quidã ascendebat ab Hierusalẽ in Hiericho, & incidit in latrones. Nõ dixit solummodo, homo quidam incidit in latrones, sed descendebat, inquit, ab Hierusalem in Hiericho, & tunc demum incidit in latrones. Nisi enim descenderet, non incidisset, quia videlicet, nisi mente superbiret, dati præcepti præuaricationem non incurrisset. Descendebat, quia mente tumebat, tumore nanq; ascendere, veraciter descendere est, quia videlicet vbi mẽs eleuatur ipsa eleuatiõe deijcitur. Vnde Psalmista: Deiecisti, inqt, eos dum alleuarentur. Igitur cùm dictum est. Erat autem vterq; nudus, & non erubescebãt, illicò subaudiendum fuit, quia tantis ingrati beneficijs, Deo subesse despiciebãt, & conscij quantæ generationis forent patres & principes, iam sicut dij, id est, reuera dij haberi volebant. Sicut enim nõ semper pro similitudine, sed aliquando ponitur pro veritatis ostẽsione, vt illic: In cõuertendo Dominus captiuitatem Syon, facti sumus sicut consolati. Sicut consolati, inquit, id est, verè consolati. Hoc, inquam, subaudiendum est, & cõtinuò subiungendum. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Et est sensus: Per semetipsum intus corrupit hominem, diabolus, & non solũ per semetipsum intus, sed & per serpentem circumuenit exterius.

Luc. 10.

Psal. 27.

Psal. 125.

Vtrum serpens in paradyso esse potuerit.

CAPVT II.

QVæritur autem, quomodo serpens in paradyso esse potuerit, si non nisi homini habitatio credenda est, eidẽ pro magna gratia creatoris data boni operis & diligentissimæ custodiæ, sicut superius dictũ est, cõditione interposita. Nã si serpentibus cõmunis erat paradysus, consequitur ꝙ & lupis atque leonibus cæterisq; bestijs non careat ille deliciarũ locus, & inde nec tantæ beatitudinis existimabitur, vt meritò paradysus voluptatis, vel ab ipso Domino Deo plantatus fuisse dicatur? Et quidẽ huiusmodi obiectio difficilius solueretur, si hoc apertius scriptura dixisset, quòd infra septa paradysi serpens mulierẽ fuisset allocutus. Nunc aũt cũ ita dicat, sed & serpens erat callidior cunctis animantib. terræ, quæ fecerat Dñs Deus, & deinde subiungit, qui dixit ad mulierẽ, &c. libera nobis relinquitur facultas, asserendi, ꝙ non serpens præsertim à diabolo corporaliter inuadente possessus in paradyso fuerit, sed mulier corpore & oculis vaga dum incontinenter deambulat, fortè prospectans, qualis extra paradysum mundus haberetur, & serpẽs, vtpotè astutꝰ, dulcedini terræ ꝓpius vel ambitiosius innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta vnde tentaret. Et sciẽdum, quòd serpens antequã fieret organũ diaboli ad perditionẽ hominis, sapiẽs vel prudens poterat dici. Vnde & in alia editiõe scriptũ est, sed & serpens erat sapientior cunctis animãtibus terræ. Postquã autẽ prudentia eius malitiæ diaboli cõiuncta est, & opportunũ ministerium mortis præbuit, callidus & nequã siue versipellis rectius potest nũcupari. Prudentia nanq; eius antequã illi patri mendacij ministeriũ præbuisset, talis erat, vt discipulis Christi, ipso teste Christo, adhuc immutabilis sit. Ait enim: Estote prudentes sicut serpẽtes, & simplices sicut colũbæ. Prudẽtes, inqt, non etiã nocentes, quemadmodum illi venenum habentes in accidenti pollutione diaboli, sed econtra, simplices sicut columbæ.

Matth. 10.

Item, vtrum serpentem qui loqui videbatur, homo irrationalẽm per naturam esse nescierit.

CAPVT III.

ITem & illud quæritur, vtrum nescierit mulier, quòd serpens æquè vt cætera animantia, irrationalis esset, & sua facultate loqui non posset. Si hoc nesciuit, minorem (quod absurdum est) intelligentiam in illo lucido Dei paradyso habuit, quàm nunc habet in hac obscuritate vitæ plenæ miserijs, vbi licet caro quæ corrumpitur aggrauet animam, scit tamen nullam præter suam rationalem esse vitam. Si autẽ (quod verũ est) sciuit serpentem nõ nisi alieno spiritu potuisse loqui, profectò in eo mire seductionis immensitas est, quòd quasi omnipotentiam spiritus eius mirata est mulier, qui per irrationabile animal, humana formare verba potuisset. Quod si ita est, immò quia ita est, nõ iam dubium remanet, qua ex radice tam vasta, tamq; amara idololatriæ arbor pullulans expanderit se in omnes gentes, vel vnde miseris hominibus innatum fuerit, quòd tanta instantia, tamq; dementi & stulta reuerentia voces articulatas, astutia dæmonũ formatas

Sap. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per innumera quæsierunt simulachra, pro Deo diabolum, pro veritate colentes mendacium. Hoc, inquam, dubiũ iam nõ remanet, vnde tanti erroris vitium, ram tenaciter hominibus inhæserit: quia videlicet mater nostra, mater cunctorum viuentium Eua, prima felle huius nequitiæ intrinsecus amaricata est, quando in illa facundiã malè diserti serpentis, quasi diuinam diabolici spiritus sapiẽtiam mirata, & stultè venenata est. Igitur diabolus quidem, siue Sathanas, ipse draco magnus & serpens antiquus est. Veruntamen non solus, sed alio serpente, id est, terreno animante inuectus, dupliciter hominem decepit infelicem, dum & mentem eius suggestionis veneno, & carnem vetito inficiens cibo, duplicem nihilominus animæ & carnis intulit mortem. Terrenum quippe animal nos litera cogit intelligere, dum dicit, quia serpens erat callidior cunctis animantib. terræ. Et huius deceptionis intuitu diabolus in scripturis sanctis, nõ leo, sed serpens siue draco dicitur, quia videlicet nõ per vim, sed per calliditatem effectum nostræ mortis est adeptus, quippe qui in homine nihil adhuc iuris habuerat, nec inuitum ad aliquod peccatum pertrahere poterat. Nõdum enim erat illud, quod congemiscens Apostolus: Video, inquit, aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quę est in membris meis. Quãtò nec magis illud erat, quod nũc aperta quoq; interdum persecutione rugit? Proinde quia non in pugnando coegit, sed blandiẽdo primũ hominẽ ad peccatũ illexit, exinde serpens antiquus, siue serpẽs tortuosus dicitur. Quia verò semel admissus, deinceps crudeliter & furiosè super genus humanum tyrãnizauit, leo dictus est, vtrunq; habens malignitatis & sæuitiæ nomen, iuxta Psalmistam dicentem: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconẽ. Sed iam subsequentem nostræ proditionis cõsideremus ordinem.

Rom.7.

Psal.90.

De percunctatione serpentis dicentis ad mulierem, cur præcepit vobis Dominus, ne comederetis.

CAPVT IIII.

QVi dixit ad mulierem. Cur præcepit vobis Dominus, ne comederetis de omni ligno paradysi? Cur? nisi quia caupo nequissimus est, suam interrogationem mendacio polluit dicendo, cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradysi? Quamuis enim quod sub interrogatione profertur nec verum nec falsum sit, mendacium tamẽ hic serpẽs manifestè sibilauit, rem sicut erat, se nescire simulans, vt paulatim felle suo, misera audientis venenaret animam. Non dixit, cur præcepit vobis Deus, ne de illo vno comederetis, sed de omni, inquit, ligno paradysi. Cur ergo nisi vt (sicut iam dictum est) paulatim serpendo venenum odij, quo ardebat ipse cõtra creatorẽ magis ac magis injceret homini, & cũ aggeratione quasi indigni præcepti conflaret indignationẽ, excitaretq; audaciã rebellandi? Et vide quanta subtilitas fallaciæ deceptoris. Tria nempe dixerat Dñs Deus: Ex omni ligno paradysi cõede. Hoc vnum est. Aliud verò: De ligno aũt scientiæ boni & mali ne comedas. Tertiũ quoque: In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Hoc vltimum q̃ait, in quocunque die cõederis ex eo, morte morieris, quasi nesciat, dicit, cur præcepit vobis deus? Superiora duo. s. ex omni ligno paradysi cõede, de ligno aũt illo ne comedas, cõfundit ac permiscet, & de duobus veris vnũ falsum complet dicendo, ne cõederitis de omni ligno paradysi. Verũ dixit veritas, quia ille homicida fuit ab initio, & in veritate nõ steti t: Cũ loquitur mẽdaciũ, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius, subaudi mendacij, quod loquitur. Etenim cũ omnia secundum auctoritatẽ scripturarum loqueretur Christus veritas, in hoc quoq; dicto scripturarũ, proculdubio presens caput attendebat cũ diceret, quia ab initio diabolus homicida erat: Tanquã diceret. Ab initio suæ cõfabulatiõis cũ homine diabolus homicida est & mẽdax, quia videlicet eccè in initio suę locutiõis inuenitur mẽdax, & homicidiũ intentat. O igitur antiquũ peccatorẽ & vetustum homicidã, verè serpẽtem, & verè versipellẽ & nequã. Sed antequã eius, psequamur malè facetã nequitiam, audiamus in respondendo mulieris insipientiam.

Ioan.8.

De vitiosa responsione mulieris.

CAPVT V.

REspondet ei mulier: De fructu lignorũ quæ sunt in paradyso vescimur, de ligno autẽ quod est in medio paradysi, præcepit nobis Deus ne vesceremur, & nec tangeremus illud, ne fortè moriamur.) Hæc verba iam vitiatæ mentis indicia sunt. Nam quãtum in se erat, deprauauit mulier verba præceptoris Domini tribus modis, quibus vsq; hodie deprauare nititur sanctam scripturã omnis qui est ex parte diaboli, scilicet, appositione, diminutione, mutatione. Apposuit nanque dicendo, nec tangeremus illud, quia videlicet Dominus Deus hoc tantum dixerat, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Diminuit verò, quia cũ certa & affirmatiua enunciatione dixerit Deus: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris, hæc, dubium vel friuolum volẽs esse illud, ne fortè, inquit, moriamur. Mutatione autẽ, quia cùm dixerit Dominus, ex omni ligno paradysi comede, & vnum solũ modo interdixerit, lignum scientiæ boni & mali, hæc ait, de ligno autem q̃ est in medio paradysi præcepit nobis, & mentita est. Nam & lignum vitæ erat in medio paradysi, quod Dominus Deus non interdixit. Ergo iam impatienter ferebat, & murmurabat, q̃ quasi parcus

parcus vel auarus deus preciosa medij paradysi reseruaret, & viliora quęq; per circuitũ cõlligẽdo in cibũ homini cõcelsisset. Sic, inq̃, tribus modis. i. appositione, diminutione, & mutatione sanctũ præceptũ dei mulier stulta deprauare cõtendit. Porrò quãtæ damnationis sit, apponere q̃d, vel diminuere de verbo dei, Ioan. testatur in Apo. cũ dicit: Si quis apposuerit ad hæc, apponat super illũ deus plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis, pphetiæ libri huius, auferat Deus partẽ eius de ligno vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quę scripta sunt in lib. isto. Igitur veraciter (vt superius iã dictũ est) antequã per corporeum vel visibilẽ serpentẽ diabolus loqui inciperet, iam per semetipsum intus ad auré cordis locutus fuerat, pronãq; voluntatẽ vel cõsensum ad exterius peccati opus peragendũ fore presenserat. Proinde cætera quę sequuntur, sic nobis accipienda sunt, tanquã stupri vel adulterij diabolici opus consummatum, nam antehac, veluti quædam conditiones occulta inspiratione vel suggestiõe cõ delectante animo factæ sunt. Sequitur.

Apoc. 22.

De blasphemia diaboli, qua Dominum mendacem æstimare voluit, dicendo, nequaquam mor.

CAPVT VI.

DIxit aũt serpens ad mulierẽ. Nequaquã morte moriemini. Scit enim Deus, qa in quocunq; die cõederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonũ & malum. Quid hac intẽtione funestius, sermone malignius, præsumptione atrocius? Quid enim Eccè execrabamur superbiã diaboli, quã tumens dixerat, in cælum conscendã, super astra Dei ponã solium meum, ascẽdam super altitudinẽ nubium, ero similis altissimo. Hoc, inquã, execrabamur, quòd hic rebellis luminis altissimo se fore similem dixit. Quid dicemus, quando ecõtra altissimũ sibi similẽ facere cõtendat? Mendax enim ipse est, inuidus ipse est. Mendax aũt sibi similem, id est, mendacẽ vult facere deũ, dum dicit: Nequaquã morte moriemini. Quid enim hoc aliud est, nisi mentitus est ille qui dixit, morte moriemini? Item verè inuidus, præcepti Dei causam esse inuidiã audet asserere, cũ dicit: Scit enim deus, quia in quocunq; die cõederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Nã cũ dixisset, nequaquã morte moriemini, quasi quæreretur, quare ergo tã seuerè interdixit, quare tam minaciter prohibuit: scit enim (inquit) quia aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut dij. Quid ergo hac blasphemia draconis horribilius? Quid hac præsumptiõe nequissimi nebulonis sceleratius? Quasi parum fuerit, quòd superbiendo Dei similitudinẽ perdidit, adhuc detrahendo similẽ sibi deum asserere præsumit: imò deũ mendacem, se autẽ veracẽ habendum esse, misero persuadet homini. Non ergo manus domini vindicta simplici contenta sit, quæ illum de altitudine cæli deiecit, sed exaltetur adhuc, & super huuc inimicum suum cõfortetur, vt mittat eum in gehennam ignis. Sed iam singula serpentis verba prosequamur.

Matth. 25

Quòd nequiter mendax illuserit, dicendo: aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.

CAPVT VII.

NEquaquam morte moriemini. Iam derisor est, & dubia respondet, vt cũ Dei veritas impleta fuerit, nihilominus tamen ipse veracem se esse cum hostili cachinno cõfirmet. Nam cùm duæ mortes sint, altera animæ, & altera corporis, quadam morte nõ statim erant morituri, scilicet ea, quæ animã à corpore diuidit. Non enim quia comederunt, idcircò eodem die corporaliter mortui sunt: sed quia comedendo mortem animæ sibimet eodem die conscíuerunt, idcircò misericordia Dei corpore mortales facti sunt, ne, sicut ipse diabolus, irrecuperabiles essent, malè & miserè viuendo in æternum. Igitur quemadmodum Apollo Delphicus, fertur solitus fuisse incertis ludere ambagibus, sic iã nunc ludebat idem dei & hominum inimicus, æquiuocatione mortis nequiter abusus, odibilium sophistarum maximus. Qui enim sophisticè loquitur odibilis est, vti ait sapiẽs quidam. Nihilominus & cætera quæ sequuntur æquiuocando cuncta confundit ac perturbat, alio sensu loquens, & alio sua dicta intelligi volens. Scit enim Deus (inquit) quia in quocunque die comederitis ex eo, aperiẽtur oculi vestri, &c. Hoc vtique volebat intelligi, quòd claritatem omnis sapientiæ, diuinitatem quoque & omnium scientiã Deus inuidens homini, tale lignum illi interdixit. Hoc, inquam, intelligi volebat in suo sermone, cùm sentiret ipse aliter euenturum esse, qui tamen sensus eius circa hæc ipsa verba penè ineffabili versabatur auersione. Aperientur (inquit) oculi vestri, videlicet in agnitionem vestræ cõfusionis. Est enim quædam infelix oculorum apertio, qua reuelati erunt oculi impiorum, quando sicut liber sapientiæ testatur, videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, & gementes præ angustia spiritus, dicent intra se pœnitentiam agẽtes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij, & cætera. Sed & apud poetam eximium secundũ hanc apertionem oculorum loquitur insultando inter tormenta tyrannus inferorum. Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos. Item, cùm diceret: & eritis sicut dij, falsis vtique dijs, id est, sibi suisque sequacibus angelis apostaticis similes illos facere intendebat, cùm aliud (sicut iam dictum est) intelligi vellet in hac promissione sua, cui nimirum suauiter sonanti, quasi vino venenũ mortis commiscuerat. Nihilominus & addẽ-

Eccl. 37.

Virg. lib. 6. Æneï.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do scientes bonum & malũ, hoc moliebatur, vt eos habere faceret, & boni perditi memoriam, & mali inuenti experientiã, cùm hoc aliud vellet intelligi, quòd omnem per illum cibũ consecuturi essent sciẽtiam, & nihil eos lateret, quæ profectò scientia solius dei est.

Quod eodem vitio diabolus hominem decepit, quo ipse cecidit de cælo.

CAPVT VIII.

COnsidera nunc quanta hic alleuatio iuxta sensum eius, qui decipitur, quanta fit deiectio iuxta sensum eiꝰ qui decipit. Sub eadem pollicitatione dum dicitur: aperientur oculi vestri, hæc sapientiæ altitudinem, ille cogitat conscientiæ confusionem. Sub eadem dictione dum dicitur & eritis sicut dij, hæc rapere dei celsitudinem, ille suimet similem cogitat inuenire damnationem. Item sub eadem pollicitatione scientiæ boni & mali, hæc plenitudinem scientiæ, ille cogitat experimentum miseriæ. Molestissimum hoc fallaciæ genus est, in quo is qui decipit & palmam obtinet mẽdacij, & gloriatur quòd verus sit, verumq; dixerit. Qui autẽ decipitur, non habet vnde insultãtem fallsitatis arguere possit, quamlibet ille fallacissimus sit. Laborat hic sensus noster in baratro tanti huius mali, quia videlicet tantæ caliginis, tantæque profunditatis est, vt sapientium quoque oculis vix conspicabilis sit, Quid enim? Quis hic ita decipientem accusare potest, vt excuset eum qui deceptus est? Deus qui decipientis intentionem & decepti spẽ considerat, sicut scriptum est ipse nouit, & decipientem, & eũ qui decipitur: nunquid hic alterum magis alter excusatum haberet salua iustitia, nulla satisfactione placatus? Cur enim diabolum deiecerat è cælo, nisi quia superbiendo dixerat: ero similis altissimo? Nempe hoc eodem flatu tumida, dixit mulier: dixit, inquã, quia putauit quod comedendo fieret similis altissimo. Quis ergo inter vtrumque postularet & auditorem, vel iudicem, siue defensorem Deum, cùm vtrunq; constaret Dei factũ esse inimicum? Siquidem iuxta veram rationẽ iustitiæ, deceptum prius oportebat reconciliari, tunc demũ postulare iudiciũ super impio, crudeli & sanguineo scelere deceptoris. O ergo verè necessarium hominibus aduentum mediatoris Dei & hominum, qui solus potuit & pacem inter Deum & homines reformare, & deceptoris hominum dolosam præsumptionẽ in iudicium adducere. Sed de hoc aliàs, nunc instantia percurramus.

Iob. 12.

Quomodo vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & quomodo viro suo dederat, ideoq; duplici pœna quàm vir eius mulctata sit.

CAPVT IX.

VIdit igitur mulier, quòd bonum ẽsset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuq; delectabile, & tulit de fructu eius & comedit, deditq; viro suo qui comedit, & aperti sunt oculi amborum. Edici sanè non potest q̃ non leuiter dictũ sit, vidit igitur mulier. Quasi nondum vidisset, sicut nunc vidisse dicta est. Et reuera nondũ eo modo viderat, quia cum hac præsumptione qua nunc intuita est, necdum considerauerat. Notandum quippe, quòd non dixerat scriptura, vidit gitur mulier lignum & tulit de fructu eius & comedit, sed vidit mulier (inquit) quòd bonum esset lignum ad vescẽdum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius & comedit. Vidit igitur, id est, considerauit, diligenter intuita est, curiosius attendit, & iudex eorum quæ audierat ipsa esse voluit. Audierat quod dixisset Deus: in quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini, audierat serpentem econtrario dicentem, nequaquam moriemini. Inter hæc anceps, naturam ligni proprijs sensibus dijudicare voluit, vt sciret cui potissimum, Deo videlicet vel serpenti palmam cõcederet veritatis. At illi qui de hoc iudicare debuerãt, interiores oculi exteriorũ iã erãt oculorum cõcupiscentia præpediti, vt nõ viderent, neq; solam mortem corporis, vel quod duplicem illatura esset mortem: non natura ligni, sed transgressio mandati. Itaq; solis exterioribus oculis naturam ligni considerauit, & deprehendit malè cauta, quòd in fructu ligni non esset venenum mortis: erat enim bonum ad vescendum, & pulchrũ oculis, aspectu delectabile. Hæc omni sermoni quem dixerat Deus repugnantia iudicauit esse, magisque sermoni serpentis concordare, veramque assertionem eius demonstrare. Sic vidit, & sic sacrilega temeritate diabolo magis quã Deo, serpenti magis quàm creatori credidit, & tulit de fructu ligni & comedit. Nec satis illi hoc fuit quòd comedit, sed insuper & viro suo dedit. Quomodo autem dedit, nisi iam abusiuo imperio vel importunitate muliebri? Non enim persuasit illi, vt in eo sibi crederet, in quo crediderat ipsa serpenti. Vir nanque (inquit Apostolus) non est seductus, sed mulier. Qualis autem vel quanta sit muliebris importunitas, passim non solum diuina, sed etiam humana testantur exemplaria. Ergo cogendo potius quàm seducendo: imperando magis quàm aliquid fingendo hoc effecit, vt obediret vir suæ voci plus quã Dei. Vnde & à dño deo dicitur illi. Quia audisti vocẽ vxoris tuæ, & ex ligno de quo præceperã tibi ne cõederes, cõedisti: maledicta terra in opere tuo. Mulieri quoq; redditur adordinati pœna imperij, dicente eodem Deo: Et sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Proterea duplicis verecundiæ pœna mulier, vir autem simplici dedecore affectus est. Viro nanque in solas genitales corporis partes: mulieri autẽ quæ non tantummodo deum offendere, sed & viro imperare præsumpsit: sicut illas partes, sic propè & caput non velare turpe est. Et hoc omninò ꝓp turpitudine haberi, quia à vindice Deo positum est, pro turpitudine inquã hoc haberi ipsa natura docet. Vnde Apost. cũ dixisset: ideo debet habere mulier velamẽ super caput suũ, ppter angelos, subinde ait: vos ipsi iudicate. Debet mulier nõ velato capite orare Deũ? Hoc, inquit, ipsa natura docet nos, quia profectò naturale nobis iudicium est, mulieri non velanti caput idẽ esse, ac si decaluetur. Nam si non velatur (inquit) mulier & tondeatur, subauditur, quòd turpissimum est. Si autem turpe est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suum. Econtra, vir si comã nutriat, ignominia est illi: & si velato capite orat, deturpat caput suũ. Itaque iam nõ quæstione opus est, vtrũ vir mulieri, an viro mulier debeat principari: quia videlicet ipsa natura docet, adeò minoris capitis esse mulierem quàm virum, vt hic velando, illa nõ velando deturpet caput suũ. Igitur quod imperiosa temeritate mulier viro vetiti ligno fructum dederit, ipsa docet diminutio capitis muliebris, dicente Deo: Et sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

1. Tim. 2.

1. Cor. 11.

CAP. III. Cur mulier caput velare debeat.

Quomodo dictum sit, & aperti sunt oculi amborum, & quòd confusio libidinis illius peccati pœna sit.

CAPVT X.

QVomodo tandem dictum est, & aperti sunt oculi amborum? Nunquid cæci erant, antequam comederent, & comedendo illuminati sunt? Non vtiq;, iam enim & mulier viderat quod bonũ esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile. Iam & ad Adam adduxerat Dominus cuncta animantia vt videret quid vocaret ea. Non ergo exteriores, sed interiores, quos contra Deum clauserant, aperti sunt oculi amborum, quia videlicet veracẽ Deũ, serpentem verò in sua miseria falsissimum cognouerunt. Nam protinus sequitur: Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Ergo id quod dictum est: & aperti sunt oculi amborum, duplicem constat habere sensum. Nam si ad expectationem illorum respicias, quã ex promissione serpentis conceperant, dicentis: aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum, acerba nimis ironia est, & gemituosa conquestio scriptoris dicentis: & aperti sunt oculi amborũ, quod idem est, ac si diceretur, & non iuxta promissum serpentis aperti sunt oculi amborum, nisi quòd acerbius nunc sub affirmatione ironica dicitur, quasi aperta voce negaretur. Porrò, si verum euentum expectes, magnæ confusionis demonstratio vel agnitio est, de qua & protinus subinfertur, quod iam dictum est. Cumq; cognouissent se esse nudos, &c. Cùm (inquit) nudos se esse cognouissent, id est, cùm se honore in quo positi erant & conditi, spoliatos & iumentis comparatos, sine omni protectione Dei nudatos esse animaduertissent. Nam tale est & illud, quid item dicit scriptura hæc veridica, quæ veris nominib. res appellata, & congruis acta verbis prout oportet enũciat. Vidẽs igitur Moyses populum quod esset nudatus, spolia uerat enim eum Aaron propter ignominiã sordis, & inter hostes constituerat nudum, &c. Igitur duplex qũidem sensus in eo quod dictum est, & aperti sunt oculi amborum, sed verus vt robiq; gemitus, magnum vndique ex mutuæ confusionis opprobrium, deꝰ iratus, diabolus risu cachinno dilatatus, vterque sexus ignominia percussus: & inter hæc omnia reorum & animi torquebantur, & oculi confundebantur. Statim nanque genitalis pars corporis, vtrũque peccatorem ob superbiæ meritum iniusis motibus similiter colaphizare incœpit. Ignominiam huius 2. Cor. 12. passionis pudendam esse natura sponte cognoscit, sine doctore intelligit, vltranea fuga confitetur. Cur hoc? quia rationali creaturæ inesse non debuit, sed ab offenso Deo non intelligenti honorẽ suum imposita est, vt compararetur iumentis. Quicquid enim homini à Deo siue propitio siue irato institutum est, hoc omninò natura hominis nescire nõ potest. Idcircò sicut ratiõe, quã propitiꝰ Deus dedit, carere nõ potest, sic istã passionẽ libidinis confusibilem esse, nescire illi impossibile est. Erubescit in ipsis cõiugibus, & mutuum alterutræ nuditatis refugit intuitum, sicut & isti coniuges primi, qui nondũ habẽtes quos erubescerent nisi semetipsos, qui erant caro vna, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, id est, succinctoria.

Exod 32.

Quòd exinde filij iræ fuerimus, quia de peccato, & iusta peccati pœna generati sumus.

CAPVT XI.

VEruntamen hac pœna sua rari sunt, qui libenter velint carere. Est enim miro modo & pœnaliter dulcis & dulciter pœnalis, ita vt plurimi nec illud saltem agnoscere queant, quòd plaga sit, quòd contumelia naturæ ratiõalis, & ignominia superborum sit. Vnde & rarus est, qui sub hoc flagello scienter dicat: Dñe ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniã sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, &c. Pauci tamẽ qui sub hac percussione dolent, deũq; suppliciter pro remedio sanitatis orant, tandem aliquando post laborem in pace sua, miserantis experiũtur gloriam, his non dubium est hanc passionem carnis Dei furorem esse vel iram, quia videlicet quantum profecerunt ipsi in amore creatoris, tantum frenare quærunt motũ libidinis, & quantũ Deo subiecta est anima, tantum eidem animæ subijcitur caro propria. Itaq; quia nos oẽs tali ex natura, cui deꝰ iratꝰ est, nati sumus, rectè filij iræ dicebamur, tam Gentes q̃ Iudæi, testante Apostolo, cùm dicit: Eramus & nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri. Proinde quis est cui secundum carnẽ liceat gloriari, quod sit dei? Quotus enim est patrum nostrorum carnalium,

Passio carnis à paucis vt pœna agnoscitur.

Psal. 37.

Ephe. 2.

qui idcircò generet, vt Domino Deo seruos, & paradyso eius colonos multiplicet? Nempe vix aliquis est, cui summa sit intentio concubendi, vt liberos faciat saltem sibi, & augeat numerum cognationis. Penè omnes vna causa trahit, scilicet, ardor explendæ libidinis, non solùm respectum Dei, sed & ipsam obruens memoriam posteritatis. Igitur qui non propter Deum generari tali ex conditione nascimur, non debiti, sed gratiæ est quòd patrem Deum habemus, quòd filij Dei nominamur & sumus. Nam natura filij iræ fuimus. Verùm quàm iustè hæc ira generi humano superinducta fuerit, ex subsequentibus amplius apparebit.

Quia hoc ipsum quòd se absconderunt à facie Domini, infidelitatis & impœnitentiæ fuerit.

CAPVT XII.

CVmque audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradyso ad aurã post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini dei in medio ligni paradysi.) *Psal. 138.* Abscondendo se vterque de Deo malè sensit, & sibi insipienter prouidit, tanquam impœnitens, tanquam infidelis. Nam econtra fidelis homo dicit: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælũ, tu illic es: & si descẽdero ad infernum, ades. Si assumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Hic Deum vbique præsentem adesse confidit, nec loco quenquã, sed iniquitate ab illo longè, fieri. Et cùm paulò suprà dicat: Intellexisti cogitationes meas à longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti: hoc planè confitetur nouus homo, homo fidelis, quia Deus in omni loco bonos & malos respicit, & vniuersas quoque mentium cogitationes intelligit. Et vt verè pœnitens *Psal. 37.* in alio loco dicit: Quoniam iniquitatem meã *Psal. 87.* annunciabo, & cogitabo, pro peccato meo. Item: Et ego ad te Domine clamabo, & manè oratio mea præueniret te. Hæ voces noui hominis sunt. Nam iste vetus homo longè alio sensu abscondit se à facie Domini Dei, malè de oculis omnia videntis sentiens vt infidelis, & vt impœnitens non solũ iniquitatem suam non annunciauit, & non solùm otio eius Dominum Deum non præuenit, sed audita voce eius adhuc latere voluit, immò & præueniẽte Deo redargutus transgressor, *Vitiosa ra dix.* seipsum potius defendendo, Deum incusauit. Ergo de tam vitiosa radice arboris non mirum, vitiosos fructus erupisse, malũ succum radicis referentes in semetipsis, cùm declinant cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, vel cũ operantes iniquitatem latibula requirunt, quasi Dei fallere possint oculum, verbi gratia, cũ *Psal. 148.* iuxta beatum Iob oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiens vultum suum perfodit in tenebris, sicut in die condixerant sibi. Sed vbi se absconderunt? In medio (inquit ligni paradysi. Hoc impropriè videtur dictum, quia nõ ait in medio paradysi, vel in medio lignorum paradysi, sed in medio ligni paradysi. Quod enim medium habet vnum lignum, in quo abscondi valeant corpora duorũ hominum? Absconsionem ergo hic oportet intelligi non tam corporis, quã animi, quem Deus maximè requirit. Quomodo secundũ animam absconderunt se in medio ligni? Vi delicet amando concupiscentiæ vitiũ, quod contraxerant per fructum ligni. Nam quam diu peccator blandum amat vitium, tam diu clausus & absconditus animus pressum tenet oris ostium, & ad Deũ vocantem non egreditur per simplicem confessionis occursum. Vnde ipse Dominus: Omnis (inquit) qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Hoc verè est abscondi à facie Domini Dei, nõ quod *Ioan. 3.* talis effugiat oculos Domini, cùm scriptum sit: Vultus autem Domini super faciẽtis mala, sed quòd talis non mereatur videre faciẽ *Psal. 38.* Domini, eò quòd se ab illo, quantum in ipso est, abscondat. Et rectè quisque in eo vitio dicitur absconditus, quo delectatus, per confessionis ianuas nusquam egreditur, cubante cum illo deceptore suo diabolo, sicut ad *Iob. 40.* beatum Iob loquitur dominus, quia sub vmbra dormit in secreto talami, in locis humẽtibus. Adam igitur & vxor eius absconderũt se in medio ligni paradysi, quia videlicet vsurpationem ligni, quod erat in medio paradysi, maluerunt apud se continere, quã Domino Deo confiteri.

Quomodo Deus in paradyso ad auram post meridiẽ deambulasse dicitur.

CAPVT XIII.

QVid tandem illud sibi vult, quod interposuit scriptor, dicens: (Deambulantis *Quomodo* in paradyso ad auram post meridiem?) Exi- *Deus dor-* lia quidem secundum maiestatem Dei vidẽ- *mire dici-* tur hæc dicta, quòd tanquã homo post curas *tur.* vel post laborem pransus dormiat, & sopori suo vel quieti suæ deputatas habeat horas meridianas, ac deinde post somnum deambulando graue corpusculum, recreat, ac dulci releuat aura. Sed ne mireris, nam reuera tũc homini Deus nimium dormierat. Si enim tunc non dormisset is de quo nunc dici- *Psal. 120.* tur: Eccè non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israël, nequaquam tantum malum accidisset, nequaquam tantum damnum rei familiari, fur diabolus intulisset. Igitur quod dictum est, cùm audissent vocẽ Domini dei deambulantis in paradyso ad auram post meridiem, non sermonis vacui superfluitas, sed grauissima oportuno in tempore quærela est. Quo exemplo licet nobis cũ propheta di- *CAP. III.* cere: Exurge, quare obdormis Domine? Exurge. Si enim eidem Psalmistæ rectè licuit dicere. Et excitatus est tanquam dormiens dominus,

minus, tanquam potens crapulatus à vino, *Psal. 43.* p eo quòd tardiusculè subuenit, capta quip- *Psal. 77.* pe fuerat iam arca Dei, & sacerdotes eius in gladio ceciderant, Ofni & Phinees: quantò magis tunc tanquam crapulatus à vino, toto meridie dormisse dicendus est, quando illo tacente, tantum malum vniuerso generi humano partum est. Et notandum, quòd non post noctem, sed post meridiem Dominus Deus excitatus deambulasse dicitur. Dominus enim lux est, & tenebræ in illo non sunt *1. Reg. 4.* vllæ. Proinde siue cũ vigilat, siue cũ nobis dormit, nunquam noctem, sed semper habet meridiem, quia semper lux ipse est. Quid ergo, inquis? Culpandusnè est Deus, quia toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centesimam tulit? Non vtique, sed tota culpa illius est, quia custodem suum dormire permisit. Nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illũ ne dor- *Esa. 6.* mitet aut dormiat, inquietare debet. Vnde & per prophetam spiritus eius dicit: Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Quomodo non dandum est silentium ei? Videlicet toto die & tota nocte non tacendo laudare nomen Domini. At ille, scilicet, Adam, & vxor eius vterque pari pertinacia silentium tenuit, quia sicut superius iam dictum est, neque quia formauit, neque quia in paradyso Deus hominẽ posuit, neque quia ad propagandum genus humanum, vtrunque, scilicet, masculum & fœminam coniunxit, vllam gratiarum actionem reddidit, nec vllum pię confessionis verbum de ore cuiuslibet eorum sonuit in aurib. dei. Itaque nec eius culpa est, qui dormiuit, sed eius qui tam ingratum silentium, vt meritò dormire possit, ei præbuit. Igitur magnitudine negligẽtiæ hominis & iustitiæ Dei, scriptura valenter & propriè satis expressit, dũ Dominum Deum assimilauit homini tam quietè tamque licentiosè in meridie dormiẽti, vt peracto somno, etiam deambulare ad auram & spaciari vacet sibi, nemine interpellante, vel curam afferente alicuius negocij.

Quòd non Adam prior inuocauit Deum, sed Deus prior vocauit Adam.

CAPVT XIIII.

VOcauitque Dominus Deus Adam & dixit: Adam vbi es? Dixitque Adam: Vocem tuam audiui in paradyso & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.) Nõ reus & præuaricator Adam, Deum prior inuocauit, sed deus iudex præuaricatorẽ prior vocauit, cùm hoc illi magis expediret, vt præ- *Iob. 7.* occuparet faciem eius in confessione, & dignam satageret saltem post peccatum satisfactionem offerre. Rectèque dicitur illi, vbi es? quia videlicet mouit pedem suum, & in loco suo non est. Locus enim hominis deus est, extra quem nusquam benè est. Vnde & beatus Iob cùm dixisset: Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, continuò subiunxit: neque cognoscet eum amplius locus eius. Non dixit, neque cognoscet amplius locum suum, sed neque cognoscet eum (inquit) amplius locus eius, quia profectò postquam semel dixerit, nescio vos, neminem damnatorum cognoscet Deus, neminem perditorum requiret amplius. Benè ergo locus suus post lapsum hominem, locus, inquam, suus, id est, Deus requirens dicit: Adam vbi es? Sanè qui vltro nolebat agnoscere vbinam esset, id est, quantum in malum decidisset, hac saltẽ percunctatione Dei pulsatus euigilare & videre debuerat vbi esset. Hoc enim benignitas quærentis intendebat, vt is qui quærebatur seipsum inueniret, & sciret quid perdidisset, quid commeruisset. At ille id quod quærebatur non respondit, Dixit enim: Vocem tuam audiui in paradyso & timui, & abscondi me. Nõ dixit: Eccè assum. Nec enim Deo aderat, aut obedienter adesse volebat, qui post inobedientiam se absconderat. Et notandum, quòd culpam suam tacuit, quæ causa sibi erat pudendæ nuditatis, & ita nudum se esse quæstus est, vt Deũ potius incusaret, quòd talem facturam hominis formasset. Non enim dixit: vocem tuam audiui in paradyso & timui, eò quòd præceptum tuum præuaricatus essem, sed timui, inquit, eò quòd nudus essem. Non ergo factum suum, sed factura Dei in semetipso reprehendit. Et quàm peruersus hic timor est, qui non facti sui gerere pœnitudinem, sed solam pœnæ suæ se fatetur habere confusionem. Perseuerat hæc vsque hodie peruersitas in filijs Adæ, vt aliqua pœna ꝓ suis malefactis affecti, nõ quod ipsi fecerint, sed semper accusent quod sibi à *Esa. 28.* iudicibus suis factum sit, donec penitus atteratur spiritus rebellis, & humilieter vulnere intolerabili, stultitiã suam non agnoscunt, quemadmodum scriptum est: & sola vexatio dabit intellectum auditui. Quinetiam deprehensi atque conuicti culpam dum negare nequeunt, proteruè defendunt, vnde & inexcusabiles sunt. Nam audi qualiter isti deprehensi, culpam defenderunt. Sequitur.

Quòd vterque, scilicet, Adã & Eua peccatum suum defenderit.

CAPVT XV.

CVi dixit: Quis enim indicauit tibi, ꝙ nudus esses, nisi quia de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitque Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & cõedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierẽ: quare hoc fecisti? Quę respondit: Serpens decepit me & comedi.) Quia suæ nuditatis (vt supra dictum est) homo tacuit, idcircò Deum loqui, & eandem in homine causam arguere oportuit. Est autem hæc regula diuinæ æquitatis, vt homo si iustificari velit, id est, si seipsum accusẽt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustus enim in principio accusator est sui, tũc mitius ac mãsuetius agat cum illo misericordia Dei. Si autem homine tardante, priorem Deum oporteat loqui, & narrare quid homo fecerit, tunc districtius arguat atque corripiat, non in mansuetudine atque misericordia, sed in furore & in ira sua. Benè ergo non suauiter dixit: tu enim de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti: sed acriter inuectus est, iudiciario more interrogans, reumque dissimulantem aspera quæstione pulsans. Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Ac si diceret. Hæc ipsa scientia qua nudum te esse perspexisti, culpa est, quia rapina est. Vnde enim tales tibi aperti sunt oculi, quos & concupiscentia commoueret, & conscientia reuerberaret, atque ita ferre non possent vt nudus incederes? Vnde, inquam, hunc visum accepisti, quo indice tuam nuditatem inuenisti, nisi quod ex eo ligno de quo præceperã tibi ne comederes, comedisti, & hanc mercedem iniquitatis quam oportuit, in temetipso recepisti, vt confusionem tuam cõcupiscas, & ex concupiscentia tua confundaris? Quid ad hæc ille? Mulier (inquit) quã dedisti mihi sociam, dedit mihi & comedi. Antequam diceret comedi, scutum defensionis arripuit dicens: mulier dedit mihi, statim interponendo, quã dedisti mihi sociam, procaciter deum percusit linguæ acumine. Vtinam qui peccauerat, & peccatum suum à Dei annunciatione redargutum & cognitum nouerat, saltem hoc solum diceret: comedi, & magni debitor commisi, id est, magni reus peccati, pcidẽs rogaret eum dicens: pátientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Sed (vt iam dictũ est) scutum defensionis prætulit, dicens: Mulier dedit mihi, quasi firmitatis aut rationis haberet aliquid hæc defensio, & non potius accusatio esset, quàm excusatio, quod se mulieris datum, fatebatur dei prætulisse imperio. Ita sale rationis infatuato, in Deum quoque culpam retorquere voluit, pro eo quòd mulierem sociam dedisset sibi. Et non dixit: Mulier quã dedisti adiutorium mihi, cùm dixerit Deus. Faciamus ei adiutorium simile sui, sed vt totus erat in felle amaritudinis, dulcio ra nomina vel verba fugiens, pro eo vt diceret, quã fecisti adiutorium mihi, quam dedisti mihi sociam, inquit. Eadem pertinacia mulier non absolutè dicit: comedi, sed scutũ prætendens ad excusandas excusationes in peccatis, serpens, inquit, decepit me, & comedi. Quasi verò Dominus Deus requisisset, quis persuaserit, & non potius quare hoc fecerit: sciens vtiq; quod sacrilega mente hoc fecisset, credendo serpenti, in eo quod ait: & eritis sicut dij. Dicendo nanque quare hoc fecisti? mulierem ad conscientiam vocare voluit, vt recogitaret & diceret, quid feci? At illa intelligere nolens, respondit alia pro alijs. Non enim dixit, quia decepta spe huiusmodi sic feci, sed serpens decepit me, & comedi.

Prou. 18.

Matth. 18.

De quatuor peccati eiusdem incrementis.

CAPVT XVI.

INterea reus circumuolãdo laborabat misericordia, sed vndique obtrusa resistit, aditumq; illi denegat vitiata creatura. Quarto nanque peccati incremento fit, vt nullus veniæ locus sit, scilicet cũ cogitationi opus, operi consuetudo, & consuetudini adijcitur defensio. Vnde & nũc per prophetam Amos idem Dominus dicit: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum, &c. Videlicet sub nominibus Damasci, Gazæ, & Tyri, cæterarumque gentium cuilibet peccatori tertio peccãti, deum indulgentiam dare posse significat, quem quarto peccantibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiã esse daturum enũciat. Quæ peccati quatuor incrementa beatus Iob mystice deplorans in istis primis hominibus adimpleta dicit ex persona generis humani. Quare non in vulua mortuus sum? Egressus ex vtero non statim perij? Cur exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, &c. Peccatum nanque primorum hominũ, antequam pareret in effectu operis, id est, in præsumptione vetitæ arboris, latebat in secreto animi superbientis, & Deo ingrati, quẽ admodum puer antequam nascatur in mũdum, coalescit intra tumentem matris vterum: nisi enim intus prius tumuisset, sicut alio in loco iam dictum est, foris tentati tam facile non cessissent. Item, quomodo infans editus excipitur genibus & colligatur, & deinde vt duret, blandis nutriculę lactatur vberibus, sic ijdem peccatores peccatum suum, & eandem carnis suæ pœnam pro qua nuditatem suam erubescebant, amplexati sunt, libidine oblectati, & deinde redarguti à deo, sibimetipsis blandientes, factum suum defendere ausi sunt. Itaque repulsa venia, iustè tandem super illos datur sententia, & primò in ipsum peccati principem, à quo totius mali initium emanauit. Nam sequitur.

Quatuor crementa peccati.

Amos. 1.

Iob. 3.

De inimicitijs inter mulierem & serpentem positis, & quòd de peccato serpentis Deus non quæsierit, dicẽde: quare hoc fecisti?

CAPVT XVII.

ET ait Dominus Deus ad serpentẽ: Quia hoc fecisti, maledictus eris inter omnia animantia & bestias terræ.) Ab homine, cui cùm iratus est, misericordiæ recordari habet, Dominus Deus requisiuit, & cũ eo de facto ratiocinari dignatus est: cũ serpente autẽ sibi eiusmodi nulla ratio est. Scriptum est enim, quia secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Scimus autem quia super antiquum serpentem diabolum, ira Dei multa & interminabilis est. Ille verò serpens per quem ille draco locutus est, id est, terrenum animal, nullam omninò rationẽ Deo redditurus est, quippe qui creatura irratiõalis est. Igitur

Psal. 9.

Igitur benè absq; requisitione causæ vel facti, sententiam super serpentem iudex Deus edicit, quam & in vtrunque serpentem clara & aperta enunciatione spargit sic: Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. Inimicitiam ponam inter te & mulierem, &c. Non imprecantis animo dixit, maledictus sis, sed enunciatiua designatione maledictus es, inquit. Hoc nempe more Domini obseruandum est, quòd is qui omnia fecit valdè bona, nullã corrumpit creaturam maledictione à semetipso effusa. Cũ igitur ad serpentem dicit, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ, malũ eius meritum iudiciaria æquitate tali sententia denunciat. Odibile nanque illud genus animantis factum esse denunciat, super cuncta animantia & bestias terræ, ex eo quòd minister diabolo extitit ad perditionẽ eius, qui ita est factus, vt præesse debeat cunctis animantibus & bestijs terræ. Non enim idcirco serpens malitiosus & venenatus est, quia dixit Deus: maledictus es, sed quia diabolo polluente, omninò odibilis factus fuerat, idcirco sic à Domino Deo pronunciatum est. Dicit enim Pythagoras, de medulla hominis mortui, quæ in spina est, serpentem creari, q & alius quidam in libro suo commemorat, dicens: Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro. Mutari credãt humanas angue medullas. Quod si creditur, meritò euenit, vt sicut per serpentem mors hominis, ita & hominis morte serpens nascatur. Fertur autem, quod nudum hominem non sit ausus contingere.

Vnde generantur serpentes.

Quomodo dictum sit, super pectus tuum gradieris.

CAPVT XVIII.

SEd quid sibi vult quod sequitur, & dicit? (Super pectus tuum gradieris?) Nunquid antequam diabolus per os eius locutus fuisset, pedibus aut cruribus ambulabat pectore à terra sublato, & postea pedibus adeptis super pectus suum gradi cœpit, squamis suis & costis pro pedibus & cruribus vtens, & præsso repens incessu? Nónne & antequã hominem fecisset Deus dixit: producat terra iumẽta & reptilia & bestias in genere suo. Quomodo ergo nunc pro pœna infertur? quod à natura illum prius habuisse negare; non possumus? Igitur sub nomine serpentis quẽ inuasit diabolus, ipse percutitur, & qui per superbiam suam similem se altissimo so reputauit, propter malitiã suam infimæ creaturæ, quam ipse vitiauit, iudicatur fieri pœnaliter similis. Super pectus tuum gradieris, inquit, tãquã diceret: Sicut hoc reptile cuius calliditate abusus es, super pectus suũ graditur, & seipsum in terram premit: sic tu diabole, cùm sis rationalis spiritus, rationale tuum semper graui fatuitate onerabis, & quocũq; te verteris semper intentionem tuam deorsum conferes, & factis premes cõtrarijs. Verbi gratia: Inuidendo euacuasti meritum hominis, sed hoc facto gratiæ Dei locum aperuisti, cui amplius inuidebis, dum homo seipso tanto fit altior, quantò gratia Dei, cuiuscunque creaturæ meritis est maior. Ab hinc vsque in finem, dum Deo volens aduersaris, Deo nolens cooperaris, & ita circulum habens in naribus tuis super pectus tuum gradieris, quia miro modo & mala intendis, & bona facis, dum persequendo hoc ipsum quod vt destruas persequeris, dum quasi malleolus aurum Dei nequiter affligis, & affligendo ad gloriam extendis. (Interea terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.) Terram, inquam, comedes & non cælum, id est, nó quorum conuersatio in cælis est, sed terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt. Malus operarius, & nequam seruus, Deo tamen vtilis, fatigationem iracundiæ tuæ talium deuoratione consolaberis.

Iob. 40.

Item de eo quod dictum est: inimicitias ponam inter te & mulierem.

CAPVT XIX.

INimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.) hoc à fraudibus inimicitiæ differunt, quòd fraudes pacatam sermonis vel cuiusli bet rei prætendunt superficiem. Inimicitiæ verò manifestam contrarietatis habent intẽtionem. Constat autem, quod subdolus diabolus in serpente mulieri non tanquam armatus aduersarius occurrit, sed tanquam fidus consiliarius lateri eius in via sese adiunxit. Cùm igitur dicit Deus, ponam inimicitias inter te & mulierem, profectò magnum gratiæ suæ opus promittit, quòd victorem diabolum qui vicerat fraude, victa nunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine. Porrò hæ inimicitiæ non per ipsam mulierẽ, sed per semen illius exercendæ, & vsque ad victoriam perducendæ sunt. Proinde cùm dixisset, inimicitias ponam inter te & mulierẽ, continò subiunxit, & semen tuum & semen illius. Quo enim de semine hæc dicuntur, nisi de vno qui est Christus? Ipse nanque solus ita semen mulieris est, vt non etiam viri semen sit, quare recta additio est, cùm dictũ sit à Domino Deo, inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen illius, subauditur Christus. Nam hic planè cum illo antiquo serpentẽ fortiter sese exercuit, nec vnquam illi in aliquo consentaneus fuit. Vnde & liberior atque expeditior fuit, accinctus gladio super fœmur suum potentissimus, speciosus & pulcher, intendit prosperè, processit, & regnauit, hostemque publicum ante pedes suos productum cõtriuit & vulnerauit, iuxta Psalmistam dicentem: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum in virtute brachij tui. Tunc adimpletum est mulieri, in isto semine suo, quod hic fuerat prædictum, ipsa conteret caput tuum. Vnde in alio Psalmo propheta dicit: Tu contribulasti capita draconum in

Psal. 44.

Psal. 38.

Psal. 73.

Universidad de Deusto
Biblioteca

draconum in aquis,tu confregisti capita draconis. Quis omnium nostrum, quicũq; viri pariter ac mulieris commixtum semen sumus,inimicitias cum isto deceptore integras se habere gloriabitur? Nónne omnes dei potius inimici fuimus, nisi quia per hoc vnicũ vnius mulieris semen reconciliati sumus? Ergo secundum illius quidem gratiam,nunc filij vel amici Dei sumus,& cũ illo dracone inimicitias habemus, secundum nosipsos autem, vel secundum primos parentes nostros socij &,consentanei rebellionis eius fuimus, & necdum perfecta fide,adulterinas eius blãditias respuimus. Nam quoties ad aliquod peccatum pertrahimur, ille primùm nobis capite blãditur,deinde nos ventre oblectat, tandemque cauda ligat,quia videlicet tribus modis omnis eius tentatio perficitur, suggestione, delectatione,consensu. Inter hæc pro culdubio nequaquam veras contra illum inimicitias habemus. Certissimè igitur hic illius semen mulieris promittitur, quod est Christus,per quod sexus idem qui deceptus est,deceptoris caput omne contriuit,quando ad destructionem peccati beata virgo sine peccato,nouum hunc & cælestem hominem mundo ædidit. Et tu (inquit) insidiaberis calcaneo eius, id est, ingeres te in extremis vitæ illius,insidiaberis, inquit, sed non etiam mordere poteris. Hoc planè licet sub audiri,quod verbis alijs idem filius mulieris euidenter astruit, dum mox ducendus ad passionem,dicit: Venit enim princeps mundi huius,& in me non habet quicquam.

Ioan.14.

Item de eo quod dictum est,ipsa conteret caput tuum, & tu im. &c.

CAPVT XX.

PRæterea inter mulierem & semen eius, & hoc genus animãtis,per quod mulier seducta est, grandes inimicitiæ positæ sunt. Vtrinque non tam rationis iudicium quàm sensus naturalis perpetuum seruat odium. Hæc enim et si non semper actu, semper tamen potestate quadam conterit caput illius: ille autem, vtpotè humi depressus & non arduus,calcaneo huius insidiatur. Nam si nuda mulieris planta dentem serpentis præuenerit,& viuacissimum caput eius vel leuiter presserit,statim totum cum capite corpus repentè interit,ita vt nullus omninò motus, nullus sensus in aliqua parte resíduus sit,q̃ nec malleis aut vectibus certè, nec gladijs concidentibus,citò aut leuiter effici potest. Siquidem excisum caput, cũ tribus aut duobus digitulis, viuere & abire phibetur. Hoc quoque quod prædictum est,ita esse ipsorũ qui per industriam explorauerunt,fida relatione comperimus. Vnde & fertur,quòd nudum corpus eius contingere non ausus, sit. Econtra,ille quamlibet exiguus sit,si vel ex tremæ plantæ dentulum infixerit, occidit. Morsu nanque infusa pestis per venas vegetatione corporis aucta discurrit, animamq̃ eximit. Adeò graues inter vtranq; naturam inimicitiæ positæ sunt, antiqui mali super nouum exhibentes monimentum. Mox vt venenum morsu iniectum sanguinem homi nis tetigerit,paulatim serpit & inimicum suę naturæ animal interficit. Vnde sic ait,quidã: Noxia serpentum est admixto sanguine pestis. Morsu virus habent, & fatum in dente minantur. Omne enim venenum frigidum est,& idcircò anima quæ ignea est, fugit venenum frigidum. Serpentum verò quot genera,tot venena: quot species, tot pernities: quot colores,tot habẽtur & dolores. Maledictum quippe animal est,ex quo diabolo ad ministerium mortis propria calliditate suffragatum est,& exinde homini naturaliter inimicum est. Sed quid mirum,hoc malum à Deo permitti homini, cùm & ipse homo ad interfectionem proximi, serpentum sese armet venenis,& quod non habet natura virus, acquirat peruicacia, comparet pecunia? Hoc enim auctor idem qui supra tali execratione declamat. Sed quis erit lucri nobis pudor? inde petuntur Huc Lybicæ mortes,effecimus aspida mercem. Proinde quia homines ipsi quodammodo serpentes fiunt, dum non tantum spiritualiter venenum aspidum sub labijs eorum, sed realiter quoque venenum aspidum in fistarcijs eorũ patiantur,& ipsi nec murmurent, quod venenantur,& intereunt tot homines pestibus serpentum.

Morsus serpentis exitialis.

Luca. lib. 9. Phar.

Veneno abutuntur homines.

Luca. li. 9. Phar.

De tribus in mulierem quasi verberibus sententiæ dei.

CAPVT XXI.

MVlieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas,& conceptus tuos, in dolore paries filios tuos,& sub viri potestate eris,& ipse dominabitur tui.) Hæc tria diuinæ sentẽtiæ verbera nimium notis ærumnis, sexum fœmineum indesinẽter cruciãt. Nouissima tandem super hæc peccati eius pœna mors est. Verùm hoc illi malum cum viro commune est. Quare (inquis) mulier, præter hoc,in sexu proprio triplicẽ pœnam habet? Videlicet quia peccati quantitas in mulierẽ triplo maior,quã in viro est: primo,quia credendo serpenti plus quã Deo seducta est. Secundo quia pulchritudinem & suauitatem ligni delectabiliter concupiuit: tertio, quia non cõtenta trãsgressione propria, postquã comedit, viro quoque dedit. De quo notandum,quia cùm requireretur à Deo dicente: quare hoc feciſti? id est, quare viro tuo dedisti,non habens quid saltem vanæ defensionis obtenderet,aliud pro alio respondit, dicens: serpens decepit me,& comedi. Itaque triplici peccato, triplex quoq; vindicta præter communem sibi cum viro mortem reddita est. Nam quia serpenti credidit,dicenti: eritis sicut dij,iustè ipsa cõtra hoc,quod deus viuorum & non mortuorum Deus est,non viuorum, sed mortuorũ mater esse meruit, dicente Deo: multiplicabo conceptus tuos. Omnis enim conceptus eius anima & corpore in pec

CAP. III. re in peccato ipsius moriuntur, & nemo illorum Deo viuit,nisi viuificentur in Christo. Item,quia vidit quòd bonum esset lignũ ad vescendum & pulchrum oculis,aspectuq̃ delectabile,pro illo visus sui delectamento contrarius hic redditur vteri dolor,nam in dolore,inquit,paries filios tuos. Tertiò quia viro suo dedit,& eum ad comedendum illexit,importunitate muliebri,idcircò sub viri

2.Tim. 2. potestate (inquit) eris, & ipse dominabitur tui. Ita pro seductione, vir enim (inquit Apostolus) non est seductus, sed mulier, pro seductione,inquam, quia seducta est,conceptuum multiplicitas,pro gulæ oblectamẽto vteri dolor,p̃ temerario imperio seruitus illa pœna ei reddita est. De subiectiõe viri qua mulier ei subiecta est, & dominatiõe eiusdẽ, qua mulieri dominatur, iam superius dictũ est. Sed adhuc rectè quæri potest: quid illud sit,mulierem viri sub potestate esse, & virũ mulieris Dominum esse, quoniam vtrunq; dixit: & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui? Ad hoc respondendum valentioris esse dominationis,mulierem sub domino,quã sub potestate viri esse. Nam & secundum Romanas leges, sub viri potestate est mulier,antequam in manum viri conueniat, sub potestate,inquam viri, veruntamen nõ tanquam Domini, sed tanquam tutoris,ita vt sine auctoritate eius testamentum illi facere non liceat. Quæ autem in manu viri cõuenit,multò magis quamdiu vixerit vir, testamentum illi sine viro facere non licebit, vnde & capite diminuta dicitur mulier,quæ in manum viri conuenit. Adeò apud gentiles quoque,qui hanc scripturam non legerant, vel huius veri dei præcepta nõ obseruabant,hæc lex naturaliter valuit, quã Dominus naturæ imposuit, dicens mulieri: & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Quædam tamen barbaræ nationes, sicut cætera,ita & hunc nuturæ ordinem confuderunt, vt mulier sine capite, id est, sine viro suo,super viros ageret potestatem & dominium. Vnde & apud Romanum defensorẽ, mulier causam suam tuetur, sic inter alia dicendo: Non vrbes prima tenebo Fœmina

Luca.li.10. Niliacas,nullo discrimine sexus, Reginam scit ferre Pharos. Verùm hoc non tam ius aut lex,quã vsurpatio dicenda est. Rectè ergo non tantum dixit: sub viri potestate eris, nam & puerulus masculus sub viri,id est,tutoris potestate est, sed addidit: & ipse dominabitur tui,scilicet, vt nunquam mulier libera sit,de subiugo viri,sed eius, tam ætas quã conditio primum sub potestate viri tutoris, & deinde cùm in manum viri per legitimas coniugij tabulas venerit, sub dominio viri sit. Verùm castis & fidelibus mulieribus hãc tertiam pœnam beneuolentia nullam aut leuissimam efficit. Et non solùm non obest sed etiam laudi est. Propter quod & Petrus

1. Pet.3. Apostolus mulieres ad subiectionem spontaneã cohortans dicit: Similiter mulieres subditæ sint viris suis. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se proprijs viris,sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans,&c. His ita dictis adhuc de multiplicatione conceptuum aliqua dicenda sunt.

Item de eo quod dictum est, multiplicabo ærumnas tuas & cõceptus tuos.

CAPVT XXII.

MVltiplicabo (inquit) ærumnas & conceptus tuos, subauditur, super numerum. Nam & electorum quidem numerus multiplex est, sed eorum multiplicatio tota ex benedictione est Dei dicentis, vt supra iã dictum est: crescite & multiplicamini, & replete terrã, &c. Hęc autem multiplicatio nõ benedictionis, sed damnationis est: non gratiæ, sed iræ: non clementiæ, sed vindictæ. Vnde & non ait tantum: multiplicabo conceptus tuos, sed multiplicabo (inquit) ærumnas tuas & conceptus tuos. Mulier quippe quanto fœcundior, tanto ærumnosior. Post singulos cõceptus dolor cruciat, per singulos partus, suus eam sanguis fatigat, quippe q̃ & cũ sana videtur, mẽstruis fluorib. laborat. Mulier nanque vnum & solum est menstruũ animal. Quãta putas hæc ira, quãta est vindicta, concipi vel nasci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum vel vitam æternam non pertineant, quibus proinde melius erat si nati non fuissent? Nempe si incorrupta naturæ nostræ terra permansisset, si non Dei benedictionibus pestem maledicti serpentis superinduxisset, solas bonas arbores, id est, solos bonos germinasset homines, & nullum agrestium lignorum, quæ ad hoc nata sunt, vt excidantur & in ignem mittantur, quia fructum non ferunt, succi eius abundãtia produxisset. Hæc fortis atque terribilis nimis, & timenda magis quã discutienda diuini iudicij seueritas est.

Ærumnæ mulierum.

Item de multiplicitate conceptuum, & quòd inde fuerit, vt Rebecca quoque conciperet Esau & Iacob.

CAPVT XXIII.

NImium pij homines & insulsa pietate hanc ipsam Dei seueritatem reprehendentes, mallent non nasci, & omninò non esse homines, qui sic malè nati sunt, vt sint diuinæ benedictionis exortes. Hi ergo quare generant? Quare ipsi vel parentes ipsorum magis in carne sua, quã in benedictione Dei seminant, dum magis pro explenda libidine, quàm pro multiplicanda Domini Dei familia opus generationis perpetrant? Nempe sic ut iam longè superius dictum est, ex mentis superbia profecta est carnis incontinentia, & ex carnis incõtinentia pullulat conceptuum multiplicitas. Sed dicit quis: Nunquid non in sanctis & continentibus hominibus inuenitur progenies ab ipsis educta super numerũ? Nõne (verbi gratia) Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, alterum electum, alte-

Gen.25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum,alterum reprobũ edidit, sicut scriptũ
Malac.1. est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui?
Ad hæc,inquam? Nónne omnes & quæ sanctæ dicuntur mulieres, præter vnicam filij
Dei genitricem,in iniquitatibus, & in peccatis conceperunt vel concipiunt? Non dero
gatur quicquam hic beatis matribus sanctorum,quæ magna fide beatam progeniem,de
qua Deus & homo Christus natus est ædificauerunt. Veruntamen sicut in dolore pepe-
rerunt filios suos,sic & in iniquitate non solùm originali, verumetiam in propriæ libidi
nis peccato cõceperunt. Peperisse autem &
Rebecca. hanc ipsam Rebeccam in magno dolore,
Gen.25. ipsa scriptura testatur,dicens: Deprecatus est
Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis. Qui exaudiuit eum, deditque cõ
ceptũ Rebeccæ,sed collidebantur in vtero
eius paruuli. Quæ ait: Si sic mihi futurũ erat,
quid necesse fuit concipere? Itaque,nec sine
peccato libidinis concepit,quæ in tanto do-
lore peperit, vt penè non concepisse maluerit. Quod ne de hac admodum iuuencula du
bium adhuc esse putes, dicit ipsa quæ prima
nostræ fidei mater est,Sara iam anus,cui præ
senectute muliebria,id est,menstrua iã fieri
desierant. Postquã consenui, & Dominus
Sara. meus vetulus est, voluptati operã dabo? Igi-
Gen.18. tur cũ repræhẽdant homines deum, q̃ infau
stos mulieris conceptus multiplicet: seipsos
potius, vel parentes suos accusent,quòd suos
ipsi concubitus multiplicent non gignendæ
proli ad honorem Dei, sed suæ potius studẽ
tes libidini. Non enim quia dixit Deus: mul-
tiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos,
idcircò natura mulieris, conceptibus super-
fluis fluxa facta est: sed quia peccauit mulier,
& peccato suo vitiata est, idcircò prædixit
Deus,quid illi ex vitio suo esset prouenturũ.
Etiam si vno ex concubitu habuit Rebecca
geminos, Iacob & Esau, sicut prædictum est,
quanquam non incongruè possit intelligi ex
vno concubitu id esse, ac si diceretur ex v-
nius concubitu: non quæstionibus ventilan-
dum, cur non vtrunque dilexerit Deus,sed
gratiæ illi agendæ sunt,quòd duobus vermi
culis de vna massa peccatrice scaturientibus,
saltem vnũ eorum dilectione sua dignũ fe-
cit,quia qui vtrunque iustè relinquere pote-
Supra 1. rat,alterum misericorditer diligens assum-
1.Cap. 17. psit,alterum iustè odio habens reliquit. Sed
iam de eiusmodi aliàs dictum est, videlicet q̃
ineptè quærat quis,cur deus vel illos angelos
creauerit, vel homines illos permittat nasci,
quos malè acturos vel perituros esse nouit.

De sententia quæ dicta est in virum, & quòd vtile fuerit, hominem post laborem reuerti in cinerem propter edomandam eius superbiam.

CAPVT XXIIII.

ADæ quoque dixit: Quia audisti vocem
vxoris tuæ,& de ligno ex quo præcepe
ram tibi ne comederes, comedisti: maledicta
terra in opere tuo. In laboribus comedes ex
ea cunctis dieb. vitæ tuæ: Spinas & tribulos
germinabit tibi,& comedes herbas terræ,in
sudore vultus tui vesceris pane tuo,donec re
uertaris in terram, de qua sumptus es, quia
puluis es & in puluerem reuerteris) Quia au
disti (inquit) vocem vxoris tuæ. Tanquam
Num.14. diceret: Quia mulier quã ego dedi tibi sociã,
dedit tibi,& comedisti: maledicta terra in o-
pere tuo,&c. Huiusmodi dictio in libro Nu-
merorum legitur hoc modò. Quoniam A-
malechites & Chananæus habitant in valli-
bus,cras mouete castra, & reuertimini in so-
litudinem per viam maris rubri, & reliqua.
Tali occursione prolata sententia, manife-
stissimam habet iustitiam. Nam hoc modo
reus ex ore suo iudicatur,eademque respon
sione qua defendi se arbitratur, concluſus
apud iudicem suum tenetur. Quid enim?
Nunquid mulier maior erat Dño Deo? Male-
dicta ergo terra in opere tuo. Non ait male-
dicta terra in semetipsa, quippe quæ cũ res
sit inanimata & insensibilis, nec benedictio-
ne, nec maledictione secundum semetipsam
digna est, vel eius perceptibilis. Sed male-
dicta,inquit,in opere tuo, id est,propter opus
tuum quod est peccatum tuum. Vel maledi
cta in opere tuo,id est, laboriosa sit tibi ope-
ratori vel cultori suo. Hoc enim sequẽs ver-
siculus patenter innuit, quo exponens quid
dixerit,ipse in laboribus (inquit) comedes ex
ea cũctis diebus vitæ tuæ. Quid enim affert,
si non laboraueris,si non operatus fueris? V-
tique spinas & tribulos germinabit tibi, &c.
talia quæ spõtè producit, & comedes herbas
terræ,id est,fœnum quod itidem sponte pro
ducit iumentis. Itaque in sudore vultus tui
vesceris pane tuo,id est, si sudaueris, si aran
do & serendo laboraueris, tunc demum pa-
nem tuum,id est,tibi necessarium dabit. Se-
cundum hebraicam veritatem non sic dictũ
est,cùm operatus fueris terram,nõ dabit fru
ctus suos, sed spinas & tribulos germinabit
tibi. Sed sic se habet ordo literæ. In laborib.
comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Sic-
que subiunctũ est, spinas & tribulos germi-
nabit tibi, vt subaudiri debeat,si non labora-
ueris,si non operatus fueris. Itaque in sudore
vultus tui vesceris pane tuo. At ille tuus pa-
nis, vitam tibi nequaquam perpetuabit, sed
infirmitatem tuæ mortalitatis aliquandiu
sustentabit, donec reuertaris in terrã de qua
sumptus es,quia puluis es & in puluerem re-
uerteris. Eccè vltima percussio mors carnis
est. Saltem hæc plaga superbiam cineris do-
mare,& redigendas in lutum ceruices,quãn-
doque flectere habebat. Iam antea quidem
miser homo verè mortuus, quia Deo mor-
tuus erat, scilicet, morte peccati,quæ animã
à Deo separat. Dixit enim Deus,quia in quo
cunque die comederis ex eo, morte morie-
ris. At ille recenti petulantia carnis delibu-
tus,eius mortis amaritudinem non sentie-
bat: quemadmodum & nos hodie, cùm tam
multos

multos quotidie carne quoque moriẽtes vi-
deamus, lasciuiete adhuc sanguine iocamur
& ridemus, iamque gaudijs æternis priuati,
CAP. III. & mox temporalibus quoq; priuandi, tamẽ
læti sumus. Quid si nunquam carne moritu-
ri essemus? Quomodo animæ morte,& futu
rum in fine seculi iudicium, surdis aurib. præ
teriremus, qui cras morituri, hodie superbi-
mus? Quid,inquam, si interim,dum viui-
mus absque laborib. & absq; sudore vultus
sui omnis homo pane suo vesceretur,cũ sem
per in solicitudine famis & alternãte diuersa
rũ rerum penuria, præterea nunquã de im-
minente morte nobis incertis, tamen adhuc
semetipsam caro nostra præ superbia nesciat
Vtile est hominem laborib. exerceri. & libidinibus diffluat? Benè ergo Deus bo-
nus,ne malã mortem animæ suæ homo ne-
sciret, & securus vsque ad vltimi iudicij
diluculum in suis voluptatibus dormiret,
morte carnis illũ percellit, vt saltem eius in-
stantis metu aliquis euigilet. Et interim
quia saturitas panis & ocium, istam quoque
posset abolere solicitudinem, voluit illũ non
sine laboribus & sudore vultus sui vesci pa-
ne suo, quinetiam fortiter laborantem non-
nunquã sterilibus annis magna ex parte pri-
uari fructu suo. Hoc non inutile homini es-
se, adeò verum est, vt gentiliũ quoq; poeta
Virg. li. 1. Georg. eximius dicat: Pater ipse colẽdi Haud facilẽ
esse viam voluit, primusq; per artem Mouit
agros, curis acuens mortalia corda, Nec tor-
pere graui passus sua regna veterno. Inutile
testatus est esse regno patris, quẽ Iouẽ esse di
cebat, torporem vel otiũ, quamuis vtpote gẽ
tilis præteat, quòd ex ocio nascitur pecca-
Virg. in Bucol. AEglo. 4. tum. Qui tamen gloriabundus, alio loco, &
cuiusdam infantuli adulatorijs vacans blan-
ditijs, pro magna felicitate spontaneas diui-
tias sic inter cætera promittit: Molli paula-
tim flauescet campus arista, Incultusque ru
bens pendebit sentibus vua, Et duræ quer-
cus sudabunt roscida mella,& reliqua. Sed
non mirũ de hoc nullius bonæ professionis
homine ethnico, cũ & pleriq; nominis Chri-
stiani professores fuerunt, qui non ignoran-
tes saturitatem panis & ociũ peccatum fuisse
Ezech.16. Sodomorum, mille annos Christo rege futu
ros esse prædicauerunt, dicentes: tunc nobis
centupla omnium rerum, quas dimisimus
Matth. 19. carnaliter esse reddenda: non recogitãtes, q̃
si in cæteris digna sit retributio, in vxoribus
appareat turpitudo, vt qui vnam pro Domi
no dimiserit, centum recipiat in futuro.

Quòd non iræ, sed miserantis fuerit gratiæ, quòd Deus mortalem voluit esse hominem.

CAPVT XXV.

Matth. 25 IGitur non iratæ iustitiæ, sed miserantis est
gratiæ, quòd vitiatum hominẽ Deus mor
talem esse,& interim dum viuit in laboribus
pane suo vesci voluit, vt videlicet antequã
veniat dies iudicij, quo cùm antiquo peccato
re diabolo damnandi sunt omnes iniqui, re-
sipiscant aliqui laboribus & doloribus, tan-
demque ipsa morte eruditi, quatenus vel so-
la vexatio det intellectũ auditui. Quod gen-
tilium quoq; quidam philosophus Plotinus
Esa. 28. sentiens,& rationabiliter vtilem esse arbitra
tus hominib. mortalitatẽ: Tũc pater (inquit)
misericors mortalia illis condebat corpora.
Adeò hoc expedire persensit, vt Deum in eo
misericordem assereret, q̃ homines morta-
les esse voluit. Porrò, illorũ qui nec tantis pa
ternæ disciplinæ verberib. afflicti resipiscũt,
damnatio iusta est, quia culpa inexcusabilis
Esa.1. est. Quid enim vltra faciat Deus, vt eos à ma
lis coerceat? Super quo (inquit) percutiã vos
vltra, addentes præuaricationẽ? Et subinde
terra vestra deserta,& ciuitates vestræ succẽ
sæ igni. Regionem vestram corã vobis alie-
ni deuorant,& desolabitur sicut in vastita-
te hostili, &c. Hæc cùm per prophetam di-
cit, profectò illud patenter innuit, q̃ & vni-
uersum genus humanum & ipsa tandẽ mor
te percusserit, vt non sicut immortalis diabo
lus, adderẽt præuaricationẽ, sed potius ab an
tiquæ præuaricationis superbia, per humilita
tem pœnitentiæ refugerent. Ad hoc valet &
illud, quòd eiusdem mortis diem vel horam
homini incognitam esse voluit, vt dum ne-
scitur quando sit, quæ sine dubio futura est,
semper sollicitum reddat, semperque suspe-
ctum superbire non sinat. Dixit enim indefi
nitè, donec reuertaris in terram de qua sum-
Psal.49. ptus es,& non dixit vsque ad tot annos vel
tot dies, quibus transactis statim reuerteris
in terram de qua sumptus es. Ita ergo viuere
hominẽ voluit, quasi altera die iudicandum
& rationem de proprijs factis redditurum.
Et vide, quàm terribiliter hominem, qui ex
istimauit iniquè quòd esset Deo similis, ar-
guat,& statuat eum contra faciem suam, di-
cendo: quia puluis es,& in puluerem reuer-
teris. Huius sententiæ persecutionẽ adeò na-
tura sentit, vt hominibus antiquitus in sum-
ma afflictione pro maximo doloris instru-
mento capita cinere aspergere solenne fue-
rit. Verùm hæc propriæ conditionis recorda
Ionæ.3. tio, tunc vtiliter se aperit, cùm ex sapienti hu
2.Reg. 13. militate procedit, iuxta exemplum patris A-
Gen. 18. brahæ, dicentis: Loquar ad Dominum meũ
Psal.102. cũ sim puluis & cinis. Cùm enim hoc humili
ter nos recordamur, misericorditer & ipse
recordatur, sicut scriptum est: Quomodo mi
seretur pater filiorum, misertus est dominus
timentibus se, quoniam ipse cognouit figmẽ
tum nostrum,& recordatus est, quoniã pul-
uis sumus. Sequitur.

De eo quòd vocauit Adam nomen vxoris suæ Euam.

CAPVT XXVI.

ET vocauit Adam nomen vxoris suæ E-
uam, eò quòd mater esset cunctorum vi
uentium.) Mira narrantis digressio. Nec-
dum sententia terminata est tantæ calami-
tatis, vt vacet hinc diuertere ad dicendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis,quo nomine reus iam conuictus & pẽ dens ſub iudicis manu,ſuã vxorem nuncupa uit.Narrauerat dixiſſe deũ,in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in ter ram, de qua ſumptus es:quia puluis es & in puluerem reuerteris, moxque dicturus erat Deus:eccè Adam quaſi vnus ex nobis fa ctus eſt.Quis hic locꝰ erat, vt inſereret,quia appellauit Adam vxoris ſuæ Euam?An for tè non digreſsio,ſed ſic ſe habet ordo rerum, ſicut ipſa narratio?Si ita eſt,imò quia ita eſt, nec enim negligenter, ſed maximè prudẽter hic interpres Dei narrationẽ ſuã proſecutus eſſe credẽdus eſt,mira peccatoris ſimul & cõ temptoris ſurditas, & ſuperbæ mentis eius duritia breuiter deprompta eſt. Quid enim inſanius,quã in tali articulo Euam dicere eã, quæ nõ habet vitam? Eua nanq; transfertur in vitam.Dixerat autem Deus, in quocunq; die comederis ex eo,morte morieris.Et illa comederat,ac viro ſuo dederat, & dando oc ciderat,& nũc in præſentiarum dicebat,quia puluis es & in puluerem reuerteris, & ſic vtraq; morte,corporis.ſ.& animæ iã mortuus & adhuc moriturus erat, tam ipſe quã vxor ſua. Quid ergo inſanius,quã in illo talis cauſæ iudicio illam nuncupare Euam, id eſt,vi tam,quæ nec ſalté habebat vitam,dicere ma trem cunct orũ viuentium eam,quæ potius mater eſt cunctorũ morientium? Oẽs enim in peccato eius moriuntur, & nemo filiorũ eius viuit, niſi qui per vnum hominẽ Chri ſtum viuificantur.Et quidem ſi hoc aliàs di xiſſet,verbi gratia,ſuperius vbi dixit:hec vo cabitur virago, quia de viro ſumpta eſt, ſi (inquam) tunc dixiſſet, hæc vocabitur Eua, quia mater cunctorum viuẽtium eſt,nullã nobis admirationem feciſſet, quia videlicet & ſecundum ſenſum eius cunctorum viuẽ tium,id eſt,hanc infelicem vitam ingredien tium mater eſt. Nunc autem in eo mirabile eſt,quòd vbi mortis corporeæ ſententia fe rebatur,iam ſpirituali morte mortuus, illic vxorem ſuam Euã, id eſt, vitam,appellauit. Similiter & hoc notandum, quòd nuſquam ſacra ſcriptura nomen iſtud, quod eſt Eua, commemorat, niſi hoc loco, & paulò infrà, cùm dicitur, cognouit Adam Euam vxorẽ ſuam.Ibi ſicut & hic,ſi ritè perſpicias,miran da cordis impœnitentis duritia eſt,mira quo que carnis innuitur ſuperbia,gloriãtis adhuc in ipſa pœna ſua de poſteritate futura. Hoc inter nominis vtriuſq; poſitionẽ, quæ ſunt, ſcilicet, Adam & Eua, diſtare manifeſtum eſt,quia nomen hoc quod eſt Eua, præſum ptor homo ſuperba æſtimatione adinuenit: illud autem,ſcilicet Adam, Dominus Deus vtriq; ſexui poſuit, ſicut poſtmodũ ſcriptum eſt,maſculũ & fœminã fecit eos, & vocauit nomen eorum Adam in die quo cõditi ſunt. Igitur quòd cùm dixiſſet Deus, quia puluis es,& in puluerem reuerteris, continuò ſub iunctum eſt,& vocauit Adam nomen vxo ris ſuæ Euam,eò quòd mater eſſet cunctorũ viuentium,idem eſt ac ſi diceretur.Sicut ſu perius dicente Deo,in quocunque die come deris ex eo, morte morieris, non credidit, ſed comedit, quia mulierem, quæ prior cõ ederat,non ſtatim corporaliter mortuã eſſe vidit:ſic & nunc dicenti, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris, adeò non credidit, vt econtrario vocaret nomen vxoris ſuæ E uam,id eſt, vitam, eò quòd mater eſſet cun ctorum viuentium.

Differẽtia nominum Adam et Euæ.

Gen.5.

De tunicis pelliceis, quas fecit illis Deus.

CAPVT XXVII.

FEcit quoq; Dominus Deus Adæ & vxo ri eius tunicas pelliceas, & induit eos, & ait:Eccè Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt,ſciens bonum & malum.) Et hoc leuiter dictum, ac penè riſui proximum videtur, quòd dominus Deus tunicas pelliceas fece rit Adæ & vxori eius. Nec enim eiuſdem di gnitatis eſt,detractas mortuis animãtib. pel liculas conſuere,& tunicas facere,cuius ſunt ea quæ hactenus de Dño Deo dicta ſunt, ver bi gratia,cælũ ſicut pellẽ extendere, terram fundare,ſolẽ,lunam,& ſtellas in firmamen to ponere,poſtremò ipſorum animantium, quorum pelliculæ ſunt, naturas condere. Vndè & nõnulli hoc opificiũ Deo aſſcribere in tantũ refugerunt, vt dicerent,tunc primũ corpora illis facta eſſe, & idcircò ,p corpori bus,tunicas pelliceas eſſe dictas, quia ſicut nunc tunicis veſtiũtur corpora, ſic tũc Deus propter peccatum corporibus veſtierit ani mas.Sed hic error verius omni irriſione di gnus,iamdudum exploſus eſt. Melius ſape re oportet terrena corpora quaſdam quidẽ eſſe animarũ tunicas, veruntamen ipſa prius eſſe facta quàm animas.Sic enim ſupra ſcri ptum eſt,quia prius formauit dominus deus hominem de limo terræ,& deinde inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Quid ergo inquis? Nunquid Dominus Deus ſutor aut pellifex erat, & impenſa artis opera tunicas fecit pelliceas?Fecit vtique tunicas pelliceas, quia ſic præſens teſtatur ſcriptura,non tamẽ & cogit nos cõfiteri,quòd eo modo quem ri deant,ſed eo modo quem flere debeant om nes tunicati,fecerit illas.Fecit enim,id eſt,fa ciendi neceſsitatem illis impoſuit.Talia quip pe tamq; miſera propter peccatum corpora eſſe voluit,quæ ſine tunicis pelliceis durare non poſsint.Et notandũ,quòd non qualeſcũ que tunicas, ſed tunicas fecit illis pelliceas. Hoc optimè dictum eſt. Nec enim ſolum modo ob libidinem turpia vel pudenda,ſed etiam ad patientiam frigoris infirma ſunt nuda ſexus vtriuſque corpora. Benè er go non tantum tunicas, ſed tunicas pelli ceas illis feciſſe dicitur Dominus Deus,quia iuſtè talia voluit illorũ eſſe corpora,quæ nõ ſolũm tegi propter turpitudinem,ſed etiam calefieri

Pſal. 103. Origenis et vor.

calefieri opus eſſet propter infirmitatẽ. Ha bes itaque duo miſeriæ ſolatia cum labore & indigentia homini propoſita, victũ ſcilicet, & veſtitum. Victum,vbi paulò antè dixit,in ſudore vultus tui veſceris pane tuo: veſtitũ, vbi nunc dictũ eſt,fecit quoq; dñs deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.

De eo quòd dictum eſt, eccè Adã quaſi vnus ex nobis factus eſt.

CAPVT XXVIII.

CAP. III. ITa demum iam ſpiritualiter homine mor tuo,& corporaliter morituro, victus quo que pariter & veſtitus indigente effecto,idẽ Dominus Deus exclamat:Eccè Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonũ & ma lum.Eccè(quod eſt oſtendẽtis aduerbiũ) cũ dicit Dominus Deus, magnum in præſenti fragorem incutit cunctis aures audiendi ha bentibus. Quid enim oſtẽdit? Adam,inquit, quaſi vnus ex nobis factus eſt. In Adam(q̃ interpretatur terrenus) virum ſimul & mu lierem intellige,quia viri pariter & mulieris commune nomen eſt, ſicut iam dictum eſt. Quid eſt,quaſi vnus ex nobis factus eſt? Qua ſi Deus factus eſt. Eadem enim trinitas hic loquitur,quæ & ſuperius locuta eſt pluralis ter ad ſemetipſam,dicendo:Faciamus homi nem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. Eadem,inquam,trinitas hic oſtendit, qualis Adam vitio ſuo factus ſit, quæ ſupra propo ſuerat, qualem illum facere voluerit. Dicit ergo, quaſi vnus ex nobis. Nempe ex tribus perſonis trinitatis, vnus eſt pater, vnus eſt fi lius, vnus eſt ſpiritus ſanctus. Et hi tres vnũ quidem ſunt, ſed non vnus. Alius enim eſt pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Adã ergo (inquit Dominus Deus) quaſi vnus ex nobis factus eſt, vt iam non ſimus nos trini tas, ſed quaternitas, quanquam non cum deo Deus, ſed cõtra deum affectauerit eſſe deus. Grauiſsima hæc more Domini Dei & acer ba nimis ironia eſt: Quis enim vel qualis A dam? Adam in anima iam mortuus, & corpo re quoq; in breui moriturus, indigens victu & neceſſario coopertus atque cooperiẽdus veſtitu. Sed enim quilibet ex nobis, ſiue pa ter, ſiue filius, ſiue ſpiritus ſanctus, neq; mor tuus eſt, neq; morietur, neq; propter famem victu, neq; propter turpitudinem aut frigus indiget veſtitu. Ergo non verè, ſed ironicè dictum aut dicendum eſt, quia hic talis qua ſi vnus ex nobis factus eſt. Et cur tali ironia irridendus eſt? Videlicet quia ſtultè & ſuper bè fallaciſsimo diabolo credidit, dicenti: & e ritis ſicut dij. Eccè quomodo ſicut Deus vel quaſi vnus ex nobis factus eſt, quomodo ſciens bonum & malũ factus eſt. Non quo modo ipſe ſperauit,ſed ſic factum eſt iſtud, quomodo deceptor voluit. Nõ ſic ſcit bonũ & malũ, quomodo omnia proſpiciẽs deus, ſed iam expertus bonum, ſic nunc experitur & malum, quomodo non Deus. Hoc modo quaſi affirmatiua enunciatione dictũ, graui tate dicentis adiuuante, multò acerbius dẽ negatum eſt, quàm ſi negatiua dictione ex clamaſſet, ſic dicendo: Eccè Adam nequa quam vt ſibi promiſſum fuerat, quaſi vnus ex nobis factus eſt. Et quidem ille non ſolũ nequaquam ſicut Deus, ſed penè factus erat ſicut diabolus, ſed accelerauit & præuenit miſerator Dominus Deus,ne deo mortuus, ſic immortalis permaneret homo, ſicut dia bolus.

Supra eod. cap.26.

De eo quod dictum eſt,videte,ne fortè mittat manum ſuam & ſumat etiam de ligno vitæ.

CAPVT XXIX.

NVnc ergo ne fortè mittat manum ſuã, & ſumat etiam de ligno vitæ,& come dat & viuat in æternum,emiſit eum Domi nus Deus de paradyſo voluptatis, vt opera retur terram de qua ſumptus eſt.)Ecliptica, id eſt,defectiua locutione pro re & tempore ſcriptor in perſona Dei vſus eſt, quem locu tionis modum cùm grauitas adiuuat pronũ ciantis,hoc ipſum in quo deficere videtur, valentius exprimit. Vbi enim dixit, nunc er go ne fortè mittat manum ſuam & ſumat et iam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æ ternum, deficit quidem ſermo,ſed grauiter deficit,& ſubaudiri promptũ eſt,emittamus eum de paradyſo voluptatis. Sequitur enim ſcriptor in ſua perſona, Vbi Dominus Deus deficit ſermone,& continuò dicit.Emiſit eũ Dominus Deus de paradyſo voluptatis.Er go,inquit, quia quaſi vnus ex nobis factus eſt,immò quia ſimilitudinis noſtræ gratia priuatus eſt,quia comedit & mortuus eſt,& exinde aperti ſunt oculi eius, & cognouit q̃ nudus eſſet,iam nunc illum de hoc paradyſo voluptatis emitti opus eſt, & illi expedit quia talis factus eſt,quem iam ſaturitas & o tium non iuuet. Vt quid hoc tantopere agen dum eſt? Videlicet ne fortè mittat manum ſuam & ſumat etiam de ligno vitæ,& come dat,& hoc facto talis,tam miſer factus Adã, viuat in æternum. Quid enim ſi cùm talis factus ſit, viuat in æternum? Vtique nil niſi malum æternum, Iam enim miſer factus, ſi æternus quoque ſit,quid niſi miſeriam æ ternam habebit? Parcamus illi,ne hoc modo malè ſit quaſi vnus ex nobis, ne ſicut quiſ que noſtrum æternus eſt: æternus enim pa ter,æternus filius, æternus ſpiritus ſanctus, ſic & ille æternus ſit,& ob hoc veracẽ ſe eſſe, rideat oculus neq; diaboli, qui dei ſimilitudi nem illi repromiſit.Etenim malũ quidem il li eſt temporalẽ eſſe,ſed peſsimũ eſſet æternũ eſſe. Mala nimis & falſa eſt hæc ſimilitudo Dei,multò melius illi eſt eſſe omninò diſsi milem dei.Quomodo? Videlicet vt quia mi ſer eſt, ſit etiam temporalis. Hoc eſt eſſe o mninò diſsimilẽ dei,deus enim & æternꝰ eſt, & felix,& eſt eius æterna felicitas,felix æter nitas.Horum alterum, id eſt, felicitatem per didit diabolus,æternitatem verò nõ amiſit, & eſt eiꝰ æterna infelicitas,infelix æternitas.

Sermo ecli pticus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Parcamus, inquam, homini, & quia felicitatē perdidit, æternitatem quoque præripiamus infelici, vt in neutro sit quasi vnus ex nobis. Vobis est æterna felicitas, felix æternitas, sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas, vt tunc illi commodius reformetur æternitas, cùm fuerit recuperata felicitas. In magna ergo ira magnæ misericordiæ Dominus Deus recordatus est, in hoc ipso, quòd lignū vitæ nō concesserit misero homini, quippe quem voluit sic esse similem sibi, vt esset vtrobique dissimilis diabolo, id est, ne viueret homo æquè vt diabolus, vsq; ad vltimum iudicium, & æquè vt ille absque temporali morte transiret ad æternum incēdium. De hoc iam superius diximus, vbi secundum eandem misericordiam dicit, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Item de eodem ligno vitæ, & quòd Adam nesciuerit esse lignum vitæ.

CAPVT XXX.

NVnc illud notandum, quòd non dixerit solū, ne mittat manum suam, sed ne fortè, inquit, mittat manum suam. Planè per hoc liquet, quòd non sic fuerit illud lignum vitæ, lignum vt est herba aliqua sanitatis medicamentum. Siquidem medicinalis herba fortè sumpta, non perpetuam confert sanitatem, sed studio prouisa seruatur contra fortè redituram infirmitatem. De hoc autem ligno dicit, ne fortè comedat, & viuat in æternum. Ergo nequaquam (vt nonnulli arbitrātur) frequentandum erat necessariò lignum, tanquam perpetuandæ vitæ transitiuum medicamentum, sed semel hoc sumpto viueret corpus in æternum. Nihilominus & per hoc intelligitur, quòd hactenus Adam nescierit lignum illud, lignum esse vitæ, dum dicitur, ne fortè. Ille nanque fortè fecisse quid, vel inuenisse dicitur, qui in conscientia non habuit, esse in loco vel in re hoc ipsum quod cō sequitur: veluti qui terram vertit, serere volens, nec aliud intendens & thesaurum inuenit. Dixit aūt deus, ne fortè mittat manū suā, tamē certus q̄ nō scienter mitteret, licet quasi dubitans aut sollicitus velut homo, ne casu id eueniret. Igitur nec Adā cognouit, nec ipse serpens diabolus sciuit, quòd etiā lignū vitæ plantasset Dominus Deus in medio paradysi. Si enim vel ille scisset, nunquā consilium suæ malignitatis ita dimidiasset, sed sicut illud lignum temerare persuasit, vt miseros faceret, sic & istud præripere suasisset, vt æternaliter miseros, vel miserè æternos efficeret. Nec verò sic mirandum tanquā incredibile, quòd inanimatū & insensibile lignum viuacitatis æternæ, fructū potuerit afferre. *Gen. 30.* Nunquid enim nō & in hoc paupertatis nostræ exilio, multa nascūtur, quæ naturali virtute mortalitatis nostræ naturā in statū meliusculū permutae cōprobantur? Nonne circa ea maximè, quæ in terra radicātur, medicina quę non nisi à deo, versatur? Vt de cæteris taceam, nōnè mandragorarum potenti auxilio sterilis vterus Rachelis adeò melioratus est, vt cōciperet & pareret, primūq; Ioseph, & secundū Bēiamin, licet cū periculo mortis enixa est? Sed & vsque hodie medici pro cōmendatione artis nō fabulosum, sed verum illud fuisse contendunt, quod in libris gentilium legitur, Aesculapiū medicamentib. herbarū suscitasse mortuū, & ob hoc illum esse fulminatū, videlicet ne assuescerēt homines artē, per quā effugerent vtile sibi mortis edictū. Cur igitur incredibile videantur cuiq; in ille paradyso voluptatis (quod plantauit dominus Deus) materiale lignum vitæ esse potuisse, quod virtute sua manducantē hominē defenderet à corporali morte, donec emeritus post obedentiā, plenus iucūditate cū beatis angelis frueretur diuinæ maiestatis visione. (Sed iam cœptum prosequamur ordinem.)

Quòd de salute Adæ à multis dubitetur, & quod emissus à paradyso, in Ebron sepultus est.

CAPVT XXXI.

EMisit, inquit, eum Dominus Deus de paradyso voluptatis, vt operaretur terrā, de qua sumptus est. Eiecitq; Adam: (Repetitio sententiæ confirmatio est. Nam quod dictum fuerat hoc modo, emisit eum Dominus Deus, hoc repetitum est, dicendo. Eiecit) *Repetitio.*

que Adam. De quo vtrum aliquando per Christum misericordiam consecutus sit, per quem saluati & liberati sumus, hodieque nō nulli dissertāt, pro eo quia videlicet nuspiā canonica scriptura testatur, illum egisse pœnitentiam. In eo duntaxat qui inscribitur liber Sapientiæ, de illo sic scriptum est. *Sap. 10.* Hæc (subauditur sapientia) illum, qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, eduxit illū à delicto suo, & dedit illi virtutē cōtinendi omnia. Verū hęc scriptura neq; de canone est, neq; de canonica scriptura sūpta est sententia hæc, quomodo cętera quæ de patrib. in eodē libro cū laude sapientiæ commemorantur: Verbi gratia, hæc venditum iustum, subaudis Ioseph, non dereliquit, & reliqua. Quod ergo illic dictum est, eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia, maiore libertate paruipenditur, quàm suscipitur, quia quando vel vbi peccatum suum agnouerit, aut pœnitentiæ satisfactionem attulerit, non ostenditur. Amplius autem, quod dictum est, & dedit illi virtutem continendi omnia, nullum certum sensum presentat, quia profectò præter vnicum hominem Iesum Christum, nullus est homo habens virtutem continendi omnia. Itaque quia de illo vetere Adam nihil vsquam boni operis inuenitur, & nouus Adam illi est oppositus. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur, *1. Cor. 15.*

saluatio eius & à multis liberè negatur, & à nullo satis firmiter defenditur. Ne quis tamen temerè definiat, constat & hoc (vt ecclesiastica refert historia) ab Encraticis hæreticis inuentū esse, quib. Tatianus auctor extitit. Sanè licet in Adam vir simul & mulier intelligantur, & vterque sit eiectus vel emissus, tamen quod dictum est, vt operaretur terrā de qua sumptꝰ est, melius de solo viro accipitur, qui de terra sumptus est, nā mulier de carne vel ossibus viri sumpta est. Vnde & ipsa natura docet, decere virum vt operaretur terram, nā mulieri magis cōgruit, vt erga corpus viri in quolibet opificio seruiliter occupetur. Proinde cū dicitur, vt operaretur terram de qua sumptus est: cōmode subaudiatur, & mulier operaretur circa cultū viri, de qua sumpta est. Vbi autē vel in qua parte terrarum hic infelix operarius habitauerit, nō legimus: nisi quòd eum sepultum esse in Hebron ciuitate, XIIII. millibus ab Hierosolymis distante, sacra scriptura testatur. Sic enim in libro Iosue scriptum est: Nomen Hebron antea vocabatur Cariatharbe, Adā autem maximus ibi inter Euachin sitꝰ est, &c. Porrò, cariatharbe interpretatur ciuitas quatuor, sic dicta, pro eo quòd tres patriarchæ, Abraham, Isaac, & Iacob, & ante hos Adā maximus ibi siti sint. Sequitur.

Ecclesiast. lib. 4. cap. 26. *CA. IIII.* *Iosue 14.*

Quis sit ille gladius collocatus ante paradysum voluptatis flammeus atque versatilis.

CAPVT XXXII.

ET collocauit ante paradysum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitę. (Et hic ira grandis, necessariæ nobis misericordiæ societatē non relinquit. Iræ nāque iusti Dei est, quod ante paradysum flammeum gladium collocauit: misericordiæ verò, quòd eundem gladium versatilē esse voluit. Gladius versatilis sententia est diuini iudicij, quæ talis est vt possit versari, id est, nō semper eadem districtione claudat hominibus aditum paradysi. Flammeus autem esse dicitur, quia reuera iudicium Domini iudicium flammæ ignis est, iuxta Apostolū, dantis vindictam his qui malè egerunt. Porrò, Cherubin nomē est angelicarum fortitudinum. Hæc ante paradysum esse posita ad custodiendum ligni vitæ aditum, cū legimus, miramur: cū tamen publica fide teneamus, & confiteamur, quòd per ignem transituri, & non nisi per angelorū ministerium examinati, paradysum intraturi simus. Terribile valdè est, quod ex hoc loco cū cæteris scripturarum locis collato concipitur, verbi gratia, cū eo quod dicit Apostolus: Si quis autē superædificat super fundamētum hoc, aurū, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestū erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Et vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus māserit quod superædificauit, mercedē accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quid enim ex huiusmodi dictis colligimus, nisi ad hoc flammeum gladium atq; versatilem ante paradysum esse collocatum, vt quicunq; deinceps admittendi sunt, illuc transeant per examinatorium ignem? Tanquam diceret: quia multiplicandi erant conceptus Euæ, & futura erat confusa, vel permixta multitudo bonorū & malorum, nullos autē Dominus deus admittere volebat, nisi quos ipse nosset ex nomine, & sic discussos vt dicere possint. Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentū, &c. Idcir cò collocauit ante paradysum Cherubin & flammeum gladium atq; versatilē. Et rectè angeli, qui in huismodi prę sunt, Cherubin. i. plenitudo scientiæ vocantur. Ipsi nanq; iudicandi plenam habent scientiam. Sciunt enim quid in libro cuiusq; nostrum sit scriptum, id est, benè habent memoriæ traditum, quid boni aut mali gesserit quisq; nostrum. Quoti die singulariter legunt, & in nouissimo vniuersaliter recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est: Iudicium sedit & libri aperti sunt. Rectè itaque Cherubin non tam ad laudē ipsorū, quā ad terrorē nostrum dicti sunt, quia nostra illis occulta publicanda sunt. Sciendum autem, quòd tam animabus quā corporibus ignis ille molestissimus est, & inaccessibilis cunctis mortalib. Mortuis autem, id est, mortuorum fideliū animabus à tēpore dominicæ passionis exuperabilis est, & corporibus quoque illorum in resurrectione erit peruius. Porrò ante eandē dñi nostri passionē, nulli omninò filiorum Adā peruius fuit, donec fusus de corpore eius sanguis cū aqua ignē illū exuperauit, non q̄ substantiā eiusdem ignis extinxerūt: sed quia illis, qui eū expectauerant, hanc virtutem cōtulit, vt eis ille nocere non posset ignis. Secutus est confestim latro ille venerabilis, quē confessum in cruce, cōtinuò munerat fides sanguinis Christi, cōtra illū ignem, ne obsisteret illi. Cōsequimur & nos omnes, fundamentum q̄ est Christus, habentes alij aurum vel argentum, alij lapides pretiosos, alij ligna, fœnum, stipulā, id est, diuersorum quinque ponderum vel modiorum peccata portantes. Et sicut horum alia alijs facilius vel difficilius igni consumuntur, ita quique nostrum pro diuersitate peccatorū, alij citius alij tardius purgati, paradysi felicitatē ingredientur. Hic ignis non solùm hoc loco, sed & plerisque scripturæ locis gladius dicitur, vt illic: In igne enim Domini deuorabitur omnis terra, & in gladio eius omnis caro. Igitur dum dicit scriptor iste diuinus. Et collocauit ante paradysum Cherubin, & flāmeum gladium atque versatilē ad custodiēdam viam ligni vitæ, breuius quidē ac secretius rem attigit, scilicet, iudicium ignis, per q̄ transitu-

2. Thess. 1. *1. cor. 3.* *Purgatorij ignis assertio.* *Dani. 7.* *Psal. 65.* *Luc. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

transituri sumus, quã in plerisq; scripturæ locis inuenitur, sed diligenter intuentibus, terribilius enunciauit difficultatem regressionis, qua filij benedictionis in hoc exilio generati, per gratiam Dei illuc reuocantur.

Cur non solum flammeum gladium, sed & Cherubin Deus collocasse dicitur.

CAPVT XXXIII.

MInus quã ea quæ dicta sunt, videtur somnare illud quod in fine positum est, ad custodiendam viam ligni vitæ. Hoc idẽ nãq; constat dici potuisse, si nõ esset arcendus quisque ab illo ligno vitæ, nisi quamdiu viueret in isto corpore propter causas superius iam dictas: ad hoc profectò sufficeret flammeus
Luc. li. 10. Phar. gladius, nec opus esset vt Cherubin quoque ante paradysum collocarentur. Ille quippe ignis cunctis viuentibus est inaccessibilis, & ante afflatus eius est intollerabilis, quã possit vllatenus scire vbinam paradysus sit. Sic enim ab omnibus compertum est, qui Nilũ contra sequentes, vt caput eius inuenirent, potuerunt bibere calentem, & non potuerunt ad eius peruenire originem. Sic enim Romanus actor dicit: Illos rubicunda perusti Zona poli tenuit, Nilum videre calẽtem. Non pertinet hic ad nos, quid tales homines de quinque Zonis cęli dicant, quia de scriptu ris veritatis non habent fundamentum, cũ sint opiniões vel coniecturę secularium, sed hoc cum illorũ cõfessione, certum cõproba mus, quòd propter intollerabilem ignis vaporem nemo mortalium potuit vnquã Nili fluminis consequi fontem, cuius constat secundum hanc scripturam ex paradyso manare originem. Ergo (sicut iam dictum est) etiam si non Cherubin ante paradysum collocarentur, sufficisset ad abigẽdos homines flãmeus gladius. Quòd si obijcitur ad hæc, Enoch & Heliam adhuc viuentes in paradysum esse translatos. Dicimus, potuisse quidẽ Dominum Deum transferre illos illæsos per ignem iam dictum, quippe qui trasferen
4. Reg. 2. do Heliam per currum leuauit igneum, verum hoc nusquam scriptura dat intelligi, quod illos tulerit in ipsum paradysum, vbi comederent de ligno vitæ, & viuerent in æternum, sed ita sublati sunt, vt in secreta quadam regione terræ ducerẽtur, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuerent, quousque ad finem mundi redeant & mortis debitum soluant. Igitur non solam repulsam hominũ, quod solum litera videtur sonare, dicendo ad custodiendum viam ligni vitæ, sed iudicia quoque de admittendis & non admittendis, rationabili discretione facienda, significat ipsum nomen custodiæ, ob quã non solus flammeus gladius, sed Cherubin quoque dicitur excubare. Verùm de hoc iam supe-
Quib. ange lis pœnalis est ignis. rius dictum est. Aliqui doctorum ita distinguunt, vt flammeum gladium, id est, murũ igneum in circuitu paradysi propter homi-
Matth. 25. nes, angelorum verò custodiam propter malignos spiritus positam esse intelligant. His ita duntaxat assentimur, vt spiritibus quoque malignis ignem corporeum pœnalẽ esse non negemus. Ignis nanque æternus iuxta euangelicam veritatem paratus est diabolo & angelis eius. Sanctis autem angelis non nocet ignis, quippe quos impassibiles iustitia fecit, sed nec animabus iustis, quas (vt supra iam dictum est) mundauit & muniuit fides sanguinis iusti Dei & hominis Iesu Christi.

De duabus exinde succedentibus hominum generationibus, & cur generatio Cain nõ nisi vsque ad Lamech texatur, qui à Cain sextus, ab Adam verò fuit septimus.

CAPVT XXXIIII.

HActenus altum sanctæ huius scripturæ verticem rependo potius, quàm gradiendo transegimus, & deinceps lucidi atque amœni campi fessis sese aperiunt pedibus & ingerunt obtutibus. Hactenus, inquam, vt possibile fuit, diximus qualiter Deus pater, per verbum suũ, quod est eius filius, & propter bonitatem suam, quæ est sanctus septiformis spiritus, sex diebus omnia condidit, & septimo die requieuit: Hominis quoque quem in paradyso posuit, peccatum qualiter iudiciali sententia percussit, eumque de paradyso eiecit. Deinceps illud dicendum erit, qualiter vel quo ordine, verbum ipsum, per quod omnia facta sunt, eidem eiecto atque captiuo homini paulatim innotuit p totidẽ ætates mundi, adeò creaturæ suæ appropinquãs, vt carnẽ de carne nostra sumeret, quã & p salute mũdi Deo patri suo, verũ in sacrificium obtulit, quo facto, & ipse in requiem suam introiuit, & liberatum hominem secũ requiescere fecit. Verùm antequam tantæ huius dignationis speculationem ingrediamur, pauca de duabus generationibus notissimis dicenda sunt, quarũ ex altera filij huius seculi, ex altera filij Dei, per iam dictum vnicum filium Dei saluandi, magis fidei quàm carnis successionibus supputantur. Generationum istarum, sicut opera contraria sunt, & semper sibi inuicem aduersantur, sic originales vel principales causæ ex aduerso pro
Gen. 1. dierunt. Nam generationis electorum causa ex gratia Dei est, dicentis: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & cætera. Ge-
Cen. 3. CA. IIII. Cain. nerationis autem reproborum ex ira eiusdẽ dicentis ad mulierem: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. Quæ prior iussa est nasci, ipsa præpediente fluxu peccatorũ, tardius creuit. Primo enim sic scriptum est: (Adam verò cognouit Euam vxorem suam. Quæ concepit & peperit Cain dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem eius Abel.) Ille primus in genera
Abel. tione iniquorum, iste primus computatur in generatione iustorum. At ille tanto cum tripudio matris exceptus, vt iuraret sibimet in admiratione gaudij sui dicens, possedi hominem per

nem per deum, & ob hoc vocaret nomẽ eius Cain, Cain quippe interpretatur possessio. Il
Matth. 5. le, inquam, primũ humanæ generationis miraculum, & falsa felicitas, vanumq; gaudiũ infelicium, occidit fratrẽ suum Abel, quod interpretatur luctus. Et hoc illi nomen con
CA. IIII. gruit, nõ solùm quia primi luctus causa fuit parentibus, verumetiam quia primus illorũ est, de quibus dictum est, beati qui lugent, ipsi consolabuntur. Interea iam generare valente Cain, & generatione peccatorum pullulante, nec vnus computatur surculus, de quo bonæ generationis speraretur fructus, donec inter multiplices cõceptus, inter multos filiõs & filias vnus nasceretur, qui & vo-
Seth. caretur Seth, id est, positio, eò quòd pro Abel positus esset, vt electæ generationis principium existeret. Sic enim inferius scriptum est: Cognouit quoque Adam adhuc vxorem suam dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Huius enim nomen (vt iam dictum est) vocauerũt Seth: Ab hoc nonus, ab Adam verò decimus. Noe nascitur patre Lamech, dicente prophetico spiritu: Iste consolabitur & requiescere faciet nos, ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Deus. Ob hoc vocauit eũ Noe quod interpretatur requies. Econtra à Cain sextus, ab Adam verò septimus Lamech nascitur, non quòd plures ex illo latere non fuerint generationes, sed quia non eatenus attinuit ad rem illarum, vsque ad diluuium texere successiones, scriptore illud intendẽte, quota generatione occisus fuerit Cain, q occidit Abel. Fuisse nãq; & alias generationes post Lamech, ante diluuium, ex ipsa litera manifestum est, Lamech, inquit, accepit vxores duas, nomen
Gen. 5. vni Ada, & nomen alteri Sella. Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, atque pastorum, & nomen fratris eius Tubal, ipse pater fuit canentiũ cythara & organo, &c. Sciendum quippe est occiso Abel tardius propagare cœpisse generationẽ hãc, in qua decimus inuenitur Noe. Siquidẽ Seth centesimo tricesimo anno Adæ natus est. Vixit Adam (inquit scriptura) centum triginta annis, & genuit filium ad similitudinem & imaginem suam, vocauitq; nomen eius Seth. Quomodo ergo per Seth vsque ad diluuium plures, per Cain verò paucio-
Luc. 3. res haberentur generationes? Sed (vt iam dictum est) illud scriptor in illa generatione quæ anterius cœpit intendit, vt illum designaret, à quo occisus est Cain, & idcircò sequentes generationes negligentius præter-
eundo reticuit. Noe tandem ex illa massa, quæ in diluuio perierat residuus, & fide sua iustus appellatus, genuit Sem, Cham, & Iaphet, de quibus rursus impletus est orbis, & boni ac mali generati sunt. De Sem primogenito Noe decimo loco natus est Abraham secundum hebraicam veritatem. Nam quòd apud Lucam euangelistam vndecimus inuenitur, ex vulgata septuaginta interpretũ editione est, apud quos inter Asfaxat & Eber ponitur Cainan, quod nomen in hebraico non habetur. Itaque secundum habraicã veritatem à primogenito Noe Sem decimus Abraham nascitur, cuius cum semine pepigit fœdus Dominus Deus eius, vt esset Deus vniuersis gentibus dimissis, vt vias suas ingrederentur, re ipsa nimium esse veracem Dei sententiam contestãte, qua dixit mulieri seductæ à diabolo, multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos.

Item de coniunctione vtriusque generationis, quòd nec in illa propositum Dei perire potuerit.

CAPVT XXXV.

QVis inter hæc æstimare sufficiat cõstantiam propositi Dei in eos, quos præscivit & prædestinauit, quos iam proposuerat vocare sanctos, cùm diceret primis duobus masculo & fœminæ, quos creauerat, crescite & multiplicamini? Quomodo? nisi per multã virtutem benedictionis & bonæ voluntatis eius, in tanta multiplicitate aduersæ generationis, tam ante quàm post diluuium, vigere vel superesse vsquam potuit genus electorũ? Vicit Dei bonitas iniquitatem nostram, & ad hunc Abrahã locutus repromisit ei, quòd
Gen. 15. benedicerẽtur omnes gentes in semine eius, *Ezech. 16* quod est Christus. Et credidit, inquit scriptu *Mala. 1.* ra, Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Veruntamen nec in illo carnis eius per Saram vnico semine, scilicet, Isaac simplex electorum generatio fuit aut pura, sed cùm duos ille generasset, alter ad Cain, alter pertinuit ad Abel. Iacob enim (inquit Dominus) dilexi, Esau autem odio habui. Proficiẽte deinceps fidelis Abrahæ progenie, magis ac magis in illa quoque gente conceptus mulieris multiplicati sunt, & talis secundum carnẽ propagatus est Israel, cui Deus meritò per prophetam diceret: Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethea. Interea ventum
Gen. 22. est ad Dauid, & huic aliquid plus dictum est de illo semine supernæ benedictionis. Nam *Psal. 131.* cùm ad Abraham Christus homo tantum designatus fuisset per repromissionem, qua dictum est, in semine tuo benedicentur omnes gentes, iurante Domino Dauid veritatẽ, & dicente ad eundem regem & prophetam. De fructu ventris tui ponam super sedem tuã. Iam rex Christus designatus est. Deinde in transmigratione Babylonis, destructo templo vetere, nouum reædificari concedi-
tur, in typum noui sacerdotij, quod vetere
Zach. 3. sacerdotio decedente successurum erat, & ostenditur Zachariæ prophetæ Iesus sacerdos magnus indutus sordidis vestibus, quibus nostra peccata figurantur, quæ super se susceptit pontifex magnus Iesus Christus, & auferuntur ab ea sordida mortalitatis nostræ vestimenta, & induitur mutatorijs, id est, noua resurrectionis & immortalitatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

gloria. Itaque Dei filius homo rex atque sacerdos præmonstratus, tandem de spiritu sancto conceptus ex virginis vtero nascitur semen benedictionis, per quod omnis maledictio superetur.

Item determinationes siue distinctiones sex ætatũ mundi quandam habentium similitudinem cũ primis sex diebus seculi.

CAPVT XXXVI.

IStæ sunt sex ętates mundi certis terminis, certisque gratiæ distinctæ incrementis. Prima nanque ab Adam: Secunda à Noe: Tertia ab Abraham: Quarta à Dauid: Quinta à transmigratione Babylonis: Sexta ab incarnatione Domini. Et in prima factus tantummodo, ipse Christus præfiguratur. In secunda iam & ille præsignatur itidem factis, & præterea sermone familiari dominus deus cum hominibus fœdus cõponit. Tertia iam nascitũrus promittitur, in quo benedicendi sumus. Quarta, iam rex. Quinta, iam sacerdos quoq; fore præmonstratur. Sexta, tandem ipse per mysterium incarnationis mundum ingrediturꝰ. Istæ sex ætates, sex primis diebus respondent, de quibus hactenus dictum est, sed quæ in illis diebus facta sunt naturalia, in istis autem ætatibus doctrinalia sunt. Nec enim hic nouæ naturæ formantur, sed deformata natura hominis, ad reformationem præparatur. Proinde & illa dierum opera (sicut iam in principio huius operis dictum est) ad personã patris: hæc autem proprie pertinent ad personam filij. Itaque sicut pater filio, & filius patri in nullo est dissimilis, sic eodem ordine quo & in illis dieb. demonstratum est, eodem, inquam, in istis ætatibus demonstrandum est, intimatum esse timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis, consilij, intellectus, & sapientiæ spiritum. Nam in eo, quòd eiecto homine de paradyso voluptatis Cherubin, & flammeus gladius atque versatilis ante paradysum collocatus, & deinde diluuium in mundo inductum est, timor: in eo, quòd per arcam cũ paucis iustitiæ suæ consortibus Noe seruatus est, & cum hominibus Deus pactum suum constituit, pietas: in eo quòd ad Abraham repromissio facta de incarnatione Christi, & lex posteris eius data est, scientia: in eo, quòd victoriosis populi Dei regibus, ¦rex idem Christus repromissus est, fortitudo: in eo, quòd fidelis, & misericors pontifex in restauratione templi secundum Zachariam prophetam præsignatus est, consilium: in eo, quòd incarnatus & passus, sensum aperuit hominibus vt intelligerent scripturas, intellectus: in eo, q ingressus in gloriam suam visione suæ maiestatis omnia cælestia implet, sapientia rectè cõmendatur. Siquidẽ, & septima ætas, & septimus dies, vna eadẽq; diuinæ festiuitatis requies est. Hãc speculationẽ verbi dei, per tot incremẽta mundo manifestati, iam nunc ingressuri, ipsum rogemus verbũ patris vt lucerna sit pedibus, & lumẽ semitis nostris.

Gen. 9.

Psal. 118.

FINIS LIBRI TERTII IN GENESIM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

De cunctis veteribus sanctis quid minus ante aduentum Christi habuerint.

CAPVT I.

Rom. 10.

VNa nanque creaturæ præparatio salutis est, eodem verbo catechizari, per q & facta est, quatenus & prius corde credat ad iustitiam, & postea ore confiteatur ad salutem per sacramentum passionis eius necessariam accipiendo peccatorum remissionem. Et nos quidem qui nunc viuimus, quorum beatitudinem ille apertis oculis cadens suspirabat, quando dicebat: Heu quis victurus est, quãdo ista faciet Deus? Nos, inquam, sicut quando volumus catechizamur, & catechizamus, & sic nihilominus sacramentum perfectæ salutis, quando volumus accipimus & damus, quia videlicet nunc viuimus quando ista fecit Deus, quando mortem pro omni mundo subijt Dei filius, vt omnes nos in morte eius baptizaremur. At verò sanctis vel iustis anterioribus non eadem plenitudo fuit. Nam futuri quidem illi, fidem habuerunt, sed præsens regenerationis sacramentũ nõ habuerũt. Vnde dicit Apostolus: Iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longè aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites essent super terram, &c. Itaque defuncti adhuc apud inferos detinebantur, in illam cælestem ecclesiã non ante admittendi, donec veniret sacerdos magnus, Iesus Christus, qui mundaret eos sacramento suæ passionis. Nam quem admodum catecumini: quamlibet perfectæ & eruditæ fidei sint, non communicant sacris altaribus ecclesiæ præsentis, nisi prius fuerũt baptizati, sic & omnes veteres sancti, non de-

Num. 24. Rom. 6.

Hebr. 11.

bebant admitti cælestibus sanctis, donec per mortem suam Christus expiaret in illis maculam primæ præuaricationis. Igitur omnis sanctorum vel electorum anterior populus, vniuersum quod passionem dominicam præcesserit ecclesiæ corpus, sic in præsenti negotio nobis habendum est, quemadmodum catecuminus vnus, qui qualiter qui bus dictis vel factis in figuram contingentibus catechizatus, id est, instructus fuerit, iam nunc partim dicere incipimus, nec enim vniuersa comprehendere possumus.

De Abel, quòd vnigeniti filij Dei testis primus fuerit.

CAPVT II.

CA. IIII. EIecto iam homine in paradyso voluptatis, confestim quod ad expectationem pertinet filij Dei scriptura subiunxit, dicens: Et collocauit ante paradysum Cherubin & flammeum gladium atque versatilem. Gladium, dicendo flammeum atque versatilem suscitauit auditorem ad rememorandam misericordiam, & iudicium futurum, vt cum timore & spe expectaret eum, qui suis fidelibus gladium illum flammeum extingueret, & versatilem verſaret. Deinde quo ordine flammam eiusdem gladij foret extincturus, tali narratione præfigurauit, immò præfiguratum ostendit. (Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, Ad Cain verò & ad munera eius non respexit.) Primus vnigeniti filij Dei testis Abel, voluntarium Deo de primogenitis gregis sui sacrificium obtulit, id fide passionis eiusdem vnici & dilecti filij Dei, quem tali sacrificio præsignari condecuit. Paulus nanque Apostolus dicit. Fide plurimum hostiam Abel, quã Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibent muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide, inquit, plurimã, nam cultu vel religione parem vterque obtulit hostiam. Si quidem vterque cui debuit obtulit, & proinde vterque rectè obtulit, sed non rectè vterq; diuisit. Nam ille, Cain scilicet, cũ Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi, at ille (vt iam dictum est) cor suum retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit. Porrò, Abel primo cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimã (vt iam dictum est) hostiam per fidem obtulit, credendo, scilicet, futurum esse, vt verſaretur gladius ille, quem collocauerat Dominus Deus ante paradysum ad custodiendam viam ligni vitæ, credendo, inquam, futurũ esse illud semen mulieris, quod conteret caput antiqui serpentis. Hac fide emeritũ non dubitandum est illum prophetiæ quoq; percepisse spiritum, vt illud semen, de quo dictũ fuisse audierat serpenti, inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, sciret nõ tantum fore semen mulieris, sed & filium Dei, qui verus agnus Dei per suam innocentiam, maliciam serpentis conculcaret, & per suum sanguinem flammeum gladium restingueret. Itaque cũ primo (vt iam dictum est) obtulisset seipsum, obtulit & munera de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Ita plurimam hostiam obtulit quàm Cain. Proinde testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo. Nam protinus subditur: Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Testimonium perhibente muneribus eius Deo, testimonium consecutus est esse iustus, id est, respiciẽte Deo ad munera eius, palam factum est, quòd ad ipsum respexit Deus. Ad Cain verò & ad munera eius, non respexit. Videlicet quia respectu Dei non erat dignus is qui offerebat, consequenter nec ipsa eius munera. Sciendũ autem, illum Dei respectum visibili signo claruisse, sicut & de alijs hominib. iustis sacrę fides historiæ testatur, quod holocausta illorum consumpserit ignis, datus diuinitus.

Hebr. 11.

Prouer. 23

Leuit. 9.

De verecundia Cain, & quomodo dictum est: Quare concidit vultus eius, & qualiter à Deo correptus est.

CAPVT III.

IRatusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius, Dixitque Dominus ad eũ. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si benè egeris, recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, & subter te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.) Vehementer, inquit, iratus est, quod ab effectis claruit protinus, quia cõcidit vultus eius, videlicet ira in odium versa trabali pondere declinauit in terram vultum & oculos eius. Terram nanque aspiciunt, qui crudelia meditantur. Vnde est illud in Psalmo: Proijcientes me nunc circundederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram. Vtrũque ab illo requirit Deus. Dixit enim quare iratus es, addiditque, & cur concidit facies tua? Siquidem etiam si non occidere vellet, iam pro tali causa iratum fuisse, scelus est, peccatum diabolicum est, quia diabolum imitatur, q alterius iustitiæ inuidet. Aliàs autem moueri vel irasci humanum est, dummodo ira prius resideat, quàm peccati opus generet. Quapropter in Psalmo dictum est: Irascimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilib. vestris compungimini. Ac si diceret: Et si ad horam vt homines mouemini, nihil tamen per iram operemini, & de hoc ipso quod moti vel irati fuistis, cito pœnitemini. Sed hanc iram qua iratus est Cain, nusquam scriptura concedit, nã ipsa est inuidia diaboli. Benè ergo Deus vtrunque

Psal. 16.

Psal. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

trunque requirit, dicendo, quare iratus es, & concidit facies tua, quia videlicet iratus fuerat inuidendo, & conciderat facies eius, parricidium meditando. Ita percunctando vocat illum mitis ad misericordiam ad conscié tiam suã, inuitat eum ad cor suum, vt videat ipse quid cogitet, bonum, scilicet sit, an malum. Amplius autem subiungendo, nónne si benè egeris, recipies, &c. Forti illum inuectione pulsat, vt vultum suum subleuet à terra, vt mentis oculos sustollat à terra, scilicet, vt trabem de oculo suo eijciat, & procul aspiciat, videatque prudenter, quid magis expediat, quid euenturũ sit, quis finis, quis fructus succedat, si malum quod cogitatione deliberat, opere perficiat. Nónne, inquit, si benè egeris, recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed subter te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi⁹. Quod est dicere: Quia tu mente deliberas perpetrare opus peccati, en ego, priusquam id facias, ne postea quã feceris, quasi de ignorantia te excuses, dico tibi. Nõne scis quia si benè egeris, recipies? Sin autem malè, subauditur, & illud recipies: nam statim in foribus peccatũ aderit, vt quocunque te verteris, quicquid agere volueris, tecũ sit comes in itinere, princeps in opere. Et tunc quidem super te erit, & dominabitur tui, quia videlicet omnis q facit peccatum, seruus est peccati: nunc autẽ
Ioan. 8. antequam facias illud, dum adhuc est in appetitu, ipse appetitus eius subter te erit, & tu dominaberis illius. Verbi gratia, quẽadmodum is qui nondum rex creatus est, subter populum est, & populus dominabitur illius, ita vt eum recipiat si vult.

De voce sanguinis Abel, & quòd idipsum de Christo loquatur, vita & morte sua, quod literis prophetiæ loquuntur & euangelia.

CAPVT IIII.

DIxitq; Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus Abel fratrẽ suum, & occidit eum.) Iam quia hæc & cætera quæ sequuntur de Abel, manifesta sunt, audiamus quid iusti huius vita vel mors loquatur, quid clamet ad Deum sanguis eius.
Hebr. 11. Ait enim Apostolus (vt supra dictum est) quia defunctus adhuc loquitur. Et nunc ipse Dominus ad Cain: Vox, inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Vox vtiq; sanguinis qui ad Deum clamat non inarticulata, id est, sensu carens esse putanda est. Quid enim nisi hoc ipsum nobis de Christo loquitur vita & morte sua, quod literis prophetiæ
Ioan. 10. loquuntur & euangelia? totum vtique quod fecit, quod pertulit, parabola est, vel figura Domini nostri Iesu Christi. Primò, quòd fuit ille pastor ouium, à mysterio non vacat, huius qui dicit, Ego sum pastor bonus, ego sum pastor ouium. Planè qui hunc pastorem bonum, pastorem magnũ despectui habuerunt, præcipuè Annas & Caiphas, cæteriq; fures & latrones, qui hunc pastorem ouium occiderunt, omnes omninò cum illo Cain vnum corpus fuerunt. Alia fuere membra, sed vnum corpus ex eis & ex omnibus quicunque innocentiam vel iustitiam persequũtur: & vnus spiritus, vnum caput est eorum diabolus. Et pro diuersis quidem officijs siue personis plures erant iuxta parabolã euangelicam mali & malè perdendi agricolæ, sed pro vnanimi crudelitatis intẽtione totus eorum cœtus vnus erat Cain, & vnus agricola, qui dominicæ vineæ fructus non ipsi Domino, sed sibimet malè congregabat. Ventũ est ad horam legitimam sacrificij, & obtulit iste talis Cain munera Domino de fructibus terræ, Abel autẽ de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Hora qua huius Abel sacrificium sacrificio oppositum illius Cain fuit, & illo reprobato istud complacuit, illa rectè intelligitur vespera paschæ veteris, quando Iudæis ritu solenni suum pascha mã ducantibus, hic pastor idemque verus agnus Dei, sacerdotio suo functus est, accipiens panem & vinum & benedicens. Accipite, in-*Matth. 26.* quit, & bibite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradẽtur: hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur. Tunc vtique obtulit Cain munera domino de fructibus terræ, videlicet inanimatum & sine fide sacrificium. Mortuum quip pe erat sacrificium crudelium. Et si ante quã dam habuerat vitã vel sensum illud Iudaicũ sacrificium scilicet, in eo, quòd verum Christi præsignabat vel præcurrebat sacrificium, attamen ex tunc & vsque in perpetuũ mortuum est: & nihil boni conferre potest, quia sine charitate Dei magno cum odio filij Dei oblatum est, immò quia tempus figuratum præterijt, & dies veritatis iam lucet. Vnde & benè dictum est. Factum est autem post multos dies, &c. Multis enim antea diebus sacrificium illud celebratum & non reprobatum fuerat, quod in fine seculorum reprobatum est. Econtra, tunc Abel obtulit de primitijs gregis sui, & de adipibus eorum, quia verè sacrificium quod illa nocte pontifex noster Iesus Christus instituit, quamuis exteriori specie, panis & vinum sit, in veritate agnus est dei, primogenitus omnium agnorum vel ouium, quæ pertinent ad caulas cæli, ad pascua paradysi.

De sacrificio Abel, quòd veraciter secundum mysterium respiciat Deus ad Abel, id est, ad Christum, & ad munera eius, nec iam respiciat ad Cain, id est, ad Iudaicum populum & ad munera eius.

CAPVT V.

ET notandum, quòd non dictum sit tantummodo de primogenitis gregis sui, sed additum, & de adipibus eorum. Etenim hoc verum panis & vini sacrificium, non modò caro & sanguis, sed spiritus & vita est: quia verbum verum quod incarnatum est, & vera diuinitas in pane & in vino est. Vnde & verè

de & verè credimus & confitemur, quia panis vitæ æternæ est, quia calix salutis perpetuæ est. Iste adeps in hoc primogenito est arietum vel ouium, scilicet in carne & sanguine eius vera diuinitas & verum dei verbum.
Psal. 16. Vnde & nos hodieque cum propheta dici-
CA. IIII. mus illi, memor sit Dominus omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat, vt videlicet sicut tunc vbi per semetipsum hoc sacramentum condidit, ita & nunc v bicunque per ecclesiæ manus ipse conficit, pingue do spiritus, & vitæ asit: ne quenquam nostrum propter peccata sua diuinæ virtutis adeps refugiat, & ipse macrum sacrificij corpus solummodo dentibus indignè conteren do corporis & sanguinis Domini reus existat. Et respexit Dominus (inquit scriptura) ad Abel & ad munera eius: ad Cain verò &
Psal. 49. ad munera eius non respexit. Palam cũ prophetico quoque testimonio comprobatum est, quia iam non respicit Dominus ad istum Cain, & ad munera eius. Dicit enim illi per Psalmistam. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Ac deinceps: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et cõfestim de sacrificio huius veri Abel, ad quod Deus respicit. Immola, inquit, Deo sacrificiũ
Esa. 1. laudis & redde altissimo vota tua. Et in Esa. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Deus. Plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Quis quæsiuit hæc de manib. vestris? Et sub inde Calendas vestras, & solẽnitates vestras odiuit anima mea, facta sũt mihi molesta. Et in cæteris prophetis multa talia. Itẽ cum prophetico quoq; testimonio palã est, quia ad hũc Abel, & ad munera hęc eius, munera, inquam, panis & vini deus respicit. Dicit enim
Psal. 105. de isto spiritus sanctus in Dauid: Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vt autem tota similitudo perficiatur, pius sacerdos Abel, post illud sacrificium iustitię, foras à maligno fratre euocatus, occiditur: quia videlicet illa sacratissimæ cœnæ vespera sacerdos idemque sacrificium Dominus Deus noster Iesus Christus, suis manibus oblatus, & in odorem suauitatis acceptus, ab impio discipulo traditus, ab illo Iudæorum populo, secundum carnem fratre suo compræhenditur, & foras extra portã
Apoc. 6. ciuitatis eductus crucifigitur. Hæc sunt quæ defunctus Abel adhuc loquitur, & sub altare Dei inter omnes animas interfectorum propter verbum testimonij eius, primus dat vocem, qua & in cælo generationẽ Cain malam & adulteram condemnat, & in terra sanctam electæ generationis ecclesiam ædificat.

Quæ sit terra, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem huius Abel, super quam ille Cain, id est, Iudaicus populus, vagus est & profugus.

CAPVT VI.

QVo clamore, quasi molestè excitat⁹, dominus ait ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Nunquid ego sum custos fratris mei? Dixitq; ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ergo maledictus es super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sangiunem fratris tui de manu tua. Cumque operatus fueris eam, non dabit fructus suos: Vagus & profugus erit super terram.) Et illius de quo hæc historia texitur, stultitia simul & procacitas, quantam verbis nemo consequi valeat, denotatur, dignaque pœna scelus fratricidæ percutitur: & præterea mysterium, quod nunc palam omni mundo factũ est, ex Iudæis interfectoribus Christi præsignatur. Nam reuera quod tũc dixit vni per dito Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, nunc illi populo rectè dici, est nemo qui nesciat. Quæ est enim terra, de qua non figurata, sed propria locutione rectè di-*Heb. 6.* catur, quòd aperuit os suum, & susceperit de manibus Iudæorum sanguinem fratris eorũ. Nempe ipsa est sancta Christi ecclesia, terra vtique bona, terra fructifera, quæ iuxta A-*Heb. 12.* postolum, sæpe veniẽtem super se bibens imbrem, germinat herbam opportunam illis à quibus colitur, & proinde accipit benedictionem à Deo: sicut econtra terra proferens spinas & tribulos, reproba est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionẽ. Hæc terra cùm sit rationalis, tanto præstantior est terra inanimata & insensibili, quantò sanguis huius Abel quem suscepit, aperiẽs os suum in voce exultationis, & confessionis melius clamat, quàm sanguis illius Abel clamare poterit, sicut Apostolus idem qui supra dicit: Sed accessistis, inquit, ad noui testamẽti mediatorem Iesum & sanguinis aspersionem multò melius clamantem, quàm Abel. Nam ille sanguis clamando vnius tantũ hominis nefarium scelus accusabat, & si (quod verum est) aliud futurum annunciabat, soli Deo adhuc audibilis, vel intelligibilis erat: hic aũt ex ore terrę fidelis, quæ sumus nos, p omni mundo interpellat, & vniuersorum peccata excusat, ipsos quoque qui fuderunt illũ, ad pœnitentiam inuitat, impœnitentib. futurum iudicium palàm annunciat. Super hanc maledicto subiectus vagus atque profugus est iste Cain molestius quàm fuit ille super terram, in qua ciui tatem quoque primus ædificauit, quã & vocauit ex nomine primo geniti filij sui Enoch. Sed nec illud secundũ literam satis apertè constat, quòd terra operanti illi non dederit fructus suos, sed spinas & tribulos germinauerit illi, de isto autem satis notum est, quia cùm ecclesia patriarcharum, & prophetarum se putet operari, legẽ eandem lectitando, & easdem cæremonias obseruando, quas & illi, nõ dat fructus suos, id est, vtilitatem, quã imperfectam, licet ante

Universidad de Deusto
Biblioteca

passionem dominicam conferebat, nulli cõferri potest: sed ecõtra, spinas & tribulos germinat, dum non modò non iustificatur quis, verumetiam suam exinde damnationem accumulat. Porrò, quod vagus & profugus sit super hanc terram, id est, propter Christi ecclesiam, manifestum est, impleto quod de illo populo loquens ipse. Et cadent, inquit, in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Hoc, inquam, super terram, id est, propter Christi ecclesiam, factum est. Nam & ipse sanguis, hoc vt fieret, flagitabat in Psalmo, vbi cùm dixisset Deus: Ostendit mihi super inimicos meos, statim subiunxit, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Sed quid? Disperge, ait, illos in virtute tua. Igitur vt hoc ipsum proficeret ad augendam memoriam vel notitiã eius in populis, vagum & profugum hunc populũ ipse Christus esse voluit, quia videlicet & eorũ sparsa captiuitas, & captiua cũ eis ipsorum scriptura perhibent testimonium, quòd hic frater ipsorum quem occiderunt, iustus erat, & nihil horum quæ prædicamus, fides Christiana confinxit. Itaque litera quoque de hoc negotio manifestè agit, nec minus euidenter istũ quàm illum percutit Cain, quia nec ita vagus aut profugus fuit ille super terram, vt propriam ciuitatem non haberet, nec ita operanti fructus suos terra dare recusauit, vel spinas & tribulos adeò germinauit illi, vt sũptus ad ædificandã ciuitatẽ non inueniret.

Luc. 21. *Psal. 58.*

Quomodo intelligendum sit: Qui occiderit Cain, septuplum punietur.

CAPVT VII.

DIxitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Eccè eijcias me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.) Desperati, & de Dei clemẽtia malè sentientis est, quod ait: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Quid autem deprehensus timet incultus iste agricolà? Eccè, inquit, eijcis me hodie à facie terræ, &c. Hoc timet, ne agricolari sibi nõ liceat, ne terram quã solã amat, vel præsentem vitam pro admisso facinore perdat, ne ponatur aduersus illum lex à domino, vt quicunque illum inuenerit, occidat. Idcircò Dominus de hoc ipso, quod solum timebatur, respondens, nequaquam fiet ita, ait: Sed quid? Omnis, inquit, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Aliter atque aliter diuersi interpretes hunc locum transtulerunt. Nã pro eo, quod hic secundum hebraicam veritatem scriptum est, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, Symmachus, septies vlciscetur, Aquila & Theodotion transtulerunt, septem vindictas exoluet. Itaque varia translatio varium sensum generauit. Hæc vna sententia est quã non præterire libet, Cain, septẽpliciter peccauit: Primò, quià in sacrificio domini (vt superius iam dictum est) non rectè diuisit: secundò, quia fratri rectè diuidenti inuidit: tertiò, quia correptus à domino non audiuit: quartò, quia fratrem dolo circumuenit, dicens, egrediamur foras: quintò, quia occidit: sextò, quia requisitus à domino, dicente, vbi est Abel frater tuus, respondit procaciter dicens, nescio, nunquid custos fratris mei sum ego? septimò, quia cõuictus desperauit dicens, maior est iniquitas mea quã vt veniam merear. Quia ergo pro septemplici peccato maledicto subiacuit, vagus & profugus ac tremens, vt nonnulli perhibent, qui occiderit, inquit, septẽ vindictas exoluet, id est, septemplicis peccati eius pœnam longam compendiosa morte finiet. Volunt enim peccatum Cain, morte corporis fuisse deletum, pro quo scriptum est, non enim vindicabit Deus bis in idipsum. Sed hæc ratio quã infirma sit, & ipsa fides scit, & sanctorum patrum sententia diligentior euidenter astruit: Hoc enim dictum, de illis accipi conuenit, quorum in pœna vel ante pœnam confessionem Deus accipit, & idcircò post eandem pœnam temporalem, non illis æternam superadijcit (vt verbi gratia) latroni illi, qui in cruce cõfessus est, non iniustè dominus aperuit paradysum, quia non vindicabit Deus bis in idipsum. Nam alter latro, de temporali ad æternũ trãsuectus est supplicium. De quo etiam rectè dicas, quia nec in illo vindicauit Deus bis in idipsum, nã esse vna vindicta benè dicitur, quæ hic incepta perficitur in sempiternum. Igitur, quia nec illud præsens litera dat intelligi, quòd Cain tremulo corpore vixerit: illud tamen videndum, quòd multò aliter secundum hebraicam veritatem dictum est. Sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.

Num. 4.

De eo quòd dictum est: Septies vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagesies septies.

CAPVT VIII.

QVid ergo est, septuplũ punietur? Vtiq; sicut homicida in æternum punietur, subauditur, nisi pœnitentiam egerit. Quemadmodum & vbi dictum est. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, videlicet illo quem metuens in psalmo dicebat: Qui redemisti Dauid seruum tuum, de gladio maligno eripe me. Nempe si non subaudieris, nisi pœnitentiam egerint, sententia non stabit. Sed & in cæteris vbicunque tale quid scriptum est: Verbi gratia in propheta: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: Vel in euangelio: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis, subaudiri oportet, nisi pœnitẽtiã egerit, alioquin sermo secundum fidem non procedit. Ita ergo & hic, cum dicitur, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, id quod iam dictum est subaudiri, & æternam punitionẽ oportet intelligi. Septenario

Matth. 26. *Psal. 143.* *Ezech. 18.* *Matth. 5.*

Quid est septuplum puniri.

tenario nanq; numero significatur vniuersitas, non solùm apud ecclesiasticos, sed etiam apud gentiles philosophos. Itaq; septuplum, id est plena & cõsummata vindicta punietur subauditur, nisi pœnitentiã egerit. Constat autẽ, q; is qui occidit Cain, scilicet, Lamech, pœnitudinẽ gesit. Dixit enim vxorib. suis Adæ & Sellæ: Audite sermonẽ meum vxores Lamech, audite sermonem meũ, quoniã occidi virum in vulnus meum, & adolescentulũ in liuorem meum. Proinde & multò aliter de pœna sua continuò pronunciauit, dicens: Septies vltio dabitur, de Cain, de Lamech verò septuagesies septies. Dixerat dominus: Qui occiderit, septuplum punietur, hic aũt qui occiderit, dicit, septuagies septies vltio dabitur. Videtur quidem secundũ quã titatem numeri plus esse, septuagies septies vltio dabitur, quã septuplum punietur, sed q; pfectò minus est. Nõ enim quãtitas vtriusq; numeri, sed natura hic attendẽda est. Et qui dẽ tã septenarius, q; LXXVII. numerus impar est. Sed nõ omniũ imparium numerorũ, eadem natura est. Impariũ nanq; alij simplices vel incõpositi, alij cõpositi, alij sunt medij. De compositis & incompositis tantũ nũc ad rem pertinet. Incompositus, impar numerus dicitur is, cuius nulla pars præter vnitatẽ inuenitur, vt sunt ternarius, quinarius, vndenarius, & cæteri tales, quorum præter vnitatem, nullus mensor numerus inuenitur. Cõpositus verò numerus dicitur is, quem alius præter vnitatẽ numerus metitur, vt sunt nouenarius, quindenarius, & cũ vnitate vicenarius. Nam ter terni, nouem: quinquies terni, siue ter quinque, quindecim: septies tres, siue ter septem viginti vnus. Hoc ergo septenarius, & septuagesimus septimus differunt, quòd septenarius incompositus, ac per hoc insolubilis: septuagesimus septimus verò cõpositus ac per hoc magis solubilis habetur. Nam septenarium præter vnitatem, nullus metitur numerus: septuagesimi septimi verò, & septenarius, & vndenarius, mensores sunt. Nam vndecies septem, vel septies vndecim, septuaginta septẽ perficiũt. Cùm igitur dicit Deus: Sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, insolubilis pœna debet intelligi, & subaudiri oportet, nisi præcedẽs pœnitentia solubile, id est, remissibile peccatum fecerit. Cùm autẽ dicit Lamech, septies vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies, insolubilis vindicta Cain, & solubilis vindicta Lamech debet intelligi. Et rectè videlicet, quia Cain pœnitentiam non egit, ipse verò Lamech pœnitentiam egit, quia peccatum suum confitetur. Et nota q; manifestè scriptura contradicit eis, qui putant peccatum Cain suprema morte deletũ, cũ de illo iã mortuo dicit, septies vltio dabitur de Cain. Ad hũc locũ spectat illud q; cũ Petr⁹ diceret Dño: Dñe, quoties peccabit in me frater meᵘ, & dimittã ei? vsq; septies? Ille qui oĩa secũdũ scripturas loquitur, respõdit: Nõ dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. Vsq; septies nãq; peccare, est incessanter & insolubiliter. i. absq; pœnitentia peccare sicut Cain: septuagies septies verò peccare est, peccatũ quidẽ admittere, & per pœnitentiam illud soluere, q; fecit Lamech. Cæterùm quod apud Lucã dicit idem Dñs: Et si septies in die peccauerit frater tuus in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi, de proprijs iniurijs accipiendum est, quas septies, id est, quoties admittũtur, dimittere debemus, ne audiamus illud à Dño: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui? Nam de his quæ in Deum admittuntur, illud intelligi oportet, quod de Matthæi euangelio prædictum est, & illud quod idem Lucas ante hæc dixerat: Si peccauerit frater tuus, increpa illum. Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

CAP. IIII

Luc. 17.

Matth. 18.

Cur Dominus Cain in signum posuerit, vt non eum interficeret omnis, qui inuenisset eum. Cùm in lege dicat: Cognatus occisi, statim vt inuenerit homicidã, iugulabit.

CAPVT IX.

POsuitque Dominus Cain in signum, nõ vt interficeret eum omnis qui inuenisset eum: Egressusque est Cain à facie Domini, & habitauit in terra profugus ad orientalem plagam Eden, & reliqua.) Dicat aliquis: In lege iubet hic idem Dominus Deus, dicens: Si per odium quisquam hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias, aut cùm esset inimicus manu percusserit, & mortuus fuerit: percussor homicidij reus erit. Cognatus occisi statim vt inuenerit eum, iugulabit. Cùm ergo Cain, non qualemcunque hominem, sed fratrem suum vterinum per odium occiderit, & cùm esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus sit, cur idem Deus tantopere vetuit, ne ille iugularetur, dicens: Omnis qui occidit Cain, septuplum punietur: insuper & in signum posuit eum dominus, vt nõ interficeret eum omnis qui eum inuenisset? Ad hoc breuiter dicẽdum: Lex illa valet iure propinquitatis. Cognato enim conceditur, vt iugulet eum, qui per odium occidit. Sed quis occidere posset Cain iure propinquitatis? Quis enim propinquior, quàm Abel huic esse potuit? Abel filios non genuit, propinquos nullos habuit, nisi propinquos Cain: Et in hoc quoque Domino nostro fuit similis, qui traditus Pontio Pilato præsidi, dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo fuisset regnum meum, ministri vtique mei decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autẽ regnum meum nõ est hinc. Igitur sicut ius legale est quod postea dominus Deus mandauit, vel cõcessit, vt percusso rem iugularet cognatus occisi, sic ius naturale est, quo Cain vetuit occidi ab homine,

Num. 35.

Ioan. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia videlicet cùm non supereſſent cognati, cauſa eius qui occiderat, ad hominum neminẽ pertinuit, ſed ad Dominũ Deum: Lamech ipſe qui illum occidit, magis ad Cain, quã ad Abel pertinuit, quippe qui ab illo deſcendit ſexto generationis loco. Siquidem Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irad, Irad genuit Maniahel, Maniahel genuit Matuſſahel, Matuſſahel genuit Lamech. Benè ergo poſuit Dominus Cain in ſignum, vt non eum interficeret omnis, qui inueniſſet eum. Vbi notandum, q̃ non dictum ſit: Et poſuit Dominus ſignũ in Cain, vt (verbi gratia) tremulo corpore viueret, vel cornu in fronte geſtaret, vel tale quid, quod nõ ex auctoritate ſcripturæ, ſed ex Iudaicis fabulis eſt, ſed poſuit (inquit) Cain in ſignum, id eſt, quaſi ſignum, videlicet, vt ſic non auderet aliquis pro vltione contingere illum, quomodo nemo debet amouere regis vel imperatoris ſignum. De quo placito ſuo, quis repræhendere poſſet legis auctorẽ ante datam legem, cùm ſub lege viuens homo, licet rex penè fecerit idem? Ac
2. Reg. 14. ceſſit enim mulier Thecuites ad regem Dauid & dixit: Heu, mulier vidua ego sũ. Mortuus eſt enim vir meus, & ancillæ tuæ erant duo filij. Qui rixati ſunt aduerſum ſe, & percuſsit alter alterum, & interfecit eũ. Et eccè conſurgens vniuerſa cognatio aduerſus ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percuſsit fratrem ſuum, &c. Ac deinceps: Recordetur (ait) rex Domini Dei ſui, vt non multiplicentur proximi ſanguinis ad vlciſcendum, & ne quaquam interficiãt filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui ſuper terram. Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet vt tangat te. Illud ſimile eſt huic. Hoc modo rex in ſignum poſuit illum qui occiderat, reum habiturus eum quicunque ex cognatis vlciſceretur ſanguinem occiſi, veluti qui regij temeraſſet ſignum edicti, ſapienter vtiq; quia ex huiuſmodi vltione multiplicantur proximi ſanguinis, & proinde nemo iure repræhendit. Quantò magis cùm per ſemetipſum deus hoc agit, ſapientiæ debet aſſcribi, & reus habendus erat, qui huiuſmodi edictum eius temerauit? Sed confeſſus eſt hoc vulnus ſuum, ac liuorem animæ ſuæ recognouit, dicendo: quia occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meũ, & idcircò (ſicut iam dictum eſt) peccatum eius ſub remiſſionis numero poſitum eſt. Sciendum autẽ, virum ipſum Cain, adoleſcentulum autem ductorem eius fruſtra à quibuſdam intelligi, cùm vnus idemque Cain vir pariter & adoleſcentulus rectè poſsit accipi, vir, ſcilicet, per ætatem, adoleſcentulus autem per eius ſtultitiam.

Quòd prima terrenarũ ciuitatũ cauſa, homicidiũ ſit.

CAPVT X.

NOtandum tandem, quòd prima terrenarũ ciuitatũ cauſa homicidium ſit. Nã quia Cain fratrẽ ſuum occiderat, & ob hoc omnibus odioſus, vagusque & profugus ſuper terram erat, idcircò ciuitatem quia tutaretur, ædificauit. Egreſſus, id eſt, profectus à facie Domini, nec habens ſortem in ciuitate eius cæleſti. Iſque primogenitum ſuum vocauit Enoch, q̃ interpretatur dedicatio, & ex eius nomine conditam ciuitatẽ nuncupauit. Hunc imitãtur oẽs qui feſtinãt ad feſtiuitatẽ terrenę felicitatis, nec futurã expectãt dedicationem regni filij Dei. Et idcircò quẽadmodum ille ſeptimam generationem non vidit, ſextus enim ab ipſo Lamech illum occidit, cùm in illa longæuitate aliqui octauam quoque generationem videre potuerint. Verbi gratia: Seth, qui Matuſſalam iam ſupra quã centenarium videre potuit, ſic & ipſi nõ pertingunt ad ſabbatum, id eſt, ſeptimum diem æternæ requietionis. Vnde & illud dictum ſapientis: Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſsimis benedictione carebit. Econtra, in generatione iuſtorum, qui ſeptimus naſcitur, Enoch nuncupatur, idemque ambulans cum Deo, non inueniebatur, quia tulit eum Deus. Siquidem iuſti per fidẽ in ſeptima mundi ætate dedicatam ſibi ſperant requiem, & eorum ſpes in illud proficiſcitur, quod in præſenti non videtur. Non enim habemus (inquiunt) hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Hæc hactenus de tribus hominibus dicta ſunt Abel, Cain, & Lamech, vno iuſto, & alio peccatore & impœnitente, tertio peccatore quidem ſed confitente, quibus diuiſionibus extunc vſq; hodie vniuerſi homines diſtincti ſunt. Tertia nanque pars, quæ eſt impœnitẽtium, ſecundum Apocalypſim Ioannis, cõbuſtioni deputata eſt, cùm dicit: Et tertia pars terrę combuſta eſt, & tertia pars arborum combuſta eſt, & facta eſt tertia pars maris ſanguinis, & tertia pars nauium interijt. Iuſti nanque, id eſt, doctores irrepræhenſibiles, auditores quoque, id eſt, pœnitentes ſaluantur: tertia pars, id eſt, impœnitentium congeries igni comburitur, poſt mortem carnis ſeptupla recipiens pro omnibus peccatis ſuis, ſicut de Cain iam mortuo dictum eſt, ſepties vltio dabitur de Cain.

Cur Cain vrbẽ condidit.

Prou. 20.

Hebr. 13.

Apoc. 8.

Quomodo dictum ſit: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

CAPVT XI.

MOrtuo igitur Abel, aliud principiũ ſumitur hoc modo: Cognouit quoque adhuc Adã vxorem ſuã, & peperit filiũ, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.) Ab hoc (inquam) principium ſumitur texendarum generationum, per quas deriuati ſunt patres noſtræ fidei, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem. Propter quod & continuò ſubditur: Hic eſt liber generationum Adã, &c. Et paulò pòſt: Vixit autẽ Adam

Adam centum triginta annis, & genuit filiũ ad ſimilitudinem & imaginẽ ſuam, vocauitque nomen eius Seth. Seth aũt interpretatur reſurrectio ſiue poſitio, reſurrectio videlicet, quia quæ in Abel occubuerat, in iſto generatio iuſtorum quodammodo reſurrexit, vel poſitus eſt, ſic ait: poſuit mihi Deus ſemẽ aliud pro Abel. Cur enim genituram eius tãtis verborum luminaribus ſcriptura inſigniuit, addendo etiam, genuitque ad ſimilitudinem & imaginem ſuam, ſcilicet, homo rationalis rationalem, mortalis mortalem, cũ hoc idem de cæteris quoſcunq; genuit filijs & filiabus rectè dici potuerit, niſi quia hunc in capite generationum, abiecto Cain tanquam abortiuo, poſitũ voluit agnoſci? Proinde annum quoq; patris quo genitus eſt, hic appoſuit, dicendo: (Vixit aũt Adam CXXX. annis, & genuit Seth.) In hac ſerie nõ ſecundũ primogenitos, ſed ſecundum iuſtos, natiuitatum tẽpora vel anni ſupputantur, q̃ manifeſtè ex appoſitione huius anni centeſimi tricesimi colligitur, ſicut iam dictũ eſt. Iam antè
CAP. VI. genuerat primogenitũ Cain, & non dictum eſt quoto anno: ſed nec poſteritatis eius vlla mentio fieret, niſi quia illum quintus de poſteris ipſius occidit, ſcilicet, Lamech. Sic ergo & in cæteris, non ſecundũ primogenitos, ſed ſecundum merita generationes ſingulorum hoc modo ſancta contexuit ſcriptura. (Adã genuit Seth. Seth genuit Enos: Iſte cœpit inuocare nomen Dñi.) vel quia ſecundum nomen ſuum, quod interpretatur vir, perfectè Deũ coluerit: vel quia creatorẽ deum, cũ hoc ipſo nomine, quod eſt Dominus, primus inuocauit. Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malalehel, Malalehel genuit Iareth, Iareth genuit Enoch, Enoch genuit Matuſſalã, Matuſſalã genuit Lamech, Lamech genuit Noe, ſub quo factum eſt diluuium, anno ab Adã milleſimo, ſexcẽteſimo, quinquageſimo ſexto.

Quid ſit, quòd multiplicatis hominibus, filij Dei filias hominum acceperunt vxores ſibi.

CAPVT XII.

CAP. VI. CVmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & reliqua.) Multiplicitas hominũ quanta fieri potuerit, vel vnius ætate hominis illius æui, æſtimari non poteſt, quippe cùm ex vno Abrahã, ſterilem vſque ad ſenectam habente coniugem, per annos ferè quadringentos & nõ multò plures, tanta multitudo ſuccreuerit, vt excepta progenie Eſau, imò exceptis progenieb. concubinarũ, quas Abrahã ex Agar & Cæthura ſuſcepit, quorum penè ſingulæ progenies Abraham proprias gentes diſſeminauerunt, per ſolum Iacob nepotem eius ſtirps tanta proceſ-
Exod. 12. ſerit, vt in exitu de Aegypto ad ſexcenta milia pugnatorum numerati ſint, exceptis mulieribus & paruulis. Non ergo mirum quòd Cain primogenitus Adæ ciuitatem ædificauit, vbi tanta viuacitate hominum attauis vel proauis vſque ad pronepotem vel abnepotem filios vel vſque ad ſeptimam vel etiam octauam generationem nongentenos aut minus ſeptingentenos annos viuentibus pariterque filios ac filias generantibus, vti non vni ciuitati, ſed pluribus ciues ſufficere potuerint. Non enim audiendi ſunt, qui breues annos, verbi gratia, menſtruos vel quaternorum menſium in illa ætate computari volunt, quia videlicet contra legem in lege Moyſes annos non ſupputauit, ſed quales ipſe obſeruandos feſtis vel ſacrificijs cæteriſque ſacris ritibus egit, tales & numerauit, ſcilicet, annos ſecundum lunam, communes quidem duodecim menſium: embolismares verò tredecim menſium. Igitur multiplicatis iam hominibus, videntes (inquit) filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt vxores ſibi ex omnib. quas elegerant. Filj Dei filij & hominũ hoc loco differunt, quia filij Dei de generatione Seth, filij autem hominum de generatione ſunt Cain. Quorum talis permixtio quàm
3. Reg. 11. pernicioſa bonis moribus fuerit, ex iunioribus facile colligi poteſt, verbi gratia, ex Salomone, qui cùm eſſet filius Dauid vel filius Abraham, ac per hoc de filijs dei, ex eo quòd accepit vxores ſibi de filiabus hominum: amauit enim mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas,
Deut. 7. & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas, de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſrael: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vos: ex eo inquam, deprauatus eſt, quia auerterunt cor eius mulieres, vt adoraret deos earum & ædificaret phana idolorum. Proinde ſapienter, & ante legem, quæ huiuſmodi connubia prohibuit, ſancti viri ſibi vel filijs ſuis præcauerunt, vt Abraham cùm dixit ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam ſuper fœmur meum, vt adiurem ter per Dominum
Gen. 24. Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem filio meo Iſaac. Sed & Rebecca dixit: Si acceperit filius meus Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere. Claret igitur, ma-
Gen. 27. lum non paruum fuiſſe filijs Dei, quia videntes filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant.

Quid ſit quod dictum eſt: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus in æternum, eruntq; dies eius centum viginti anni.

CAPVT XIII.

DIxitq; deus: Non permanebit ſpiritus meus in hominib. in æternum, quia caro ſunt, Eruntque dies illius centum viginti annorum.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

annorum.) Olim in Hebræo sic scriptum esse putabatur. Non iudicabit spiritus meus homines istos in æternum. Et hic erat sensus. Quia fragilis est in homine conditio, nõ eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Siquidẽ de eo quod scriptum est: Non vindicabit deus bis in ipsum, magni & illustres viri (vt supra iam dictum est) diuersa senserunt. Nunc autem sic secundum Hebraicam veritatem legimus: non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, quia caro sunt. Et est sensus: Eccè homines omnes caro sunt, & oẽs carnẽ sequendo viam suã corruperunt. Nónne ergo pro re dixit. Eccè Adam quasi vnus ex nobis factus est, nunc ergo videte ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & cõedat, & viuat in ęternũ, & dimisi eũ de paradyso voluptatis? Quid enim futurũ erat, si viueret homo in æternum, cũ certissi mè moriturus, & quotidie moriens, etiã nũc corruperit omninò viã suam? Igitur sicut tũc prouidens dixi, sic & nunc confirmata sententia dico, quia spiritꝰ meus. i. spiritus à me ad imaginem meã factus, non permanebit in hominibus in æternum, quia cũ deberent esse spirituales homines, caro sunt, solaq; quæ carnis sunt, sapiunt. Adeò in sententia perdurabo, vt non modò non viuat homo in æternum, verumetiã breuius viuendi tempus, & pauciores sint anni singulorum. Et erunt (inquit) dies illius centum viginti annorũ, alij quidem paulò plures, alij paulò pauciores, post diluuium vixerunt annos, vt Iacob, qui CXLVII. vt Ioseph, qui centum & decem vixit annos, sed eius qui hæc scribit, scilicet, Moyses, dies fuere CXX. annorum. Sic enim de eo scriptũ est: Moyses CXX. annorũ erat, quando mortuus est. Miroq; ac penè ineffabili modo vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, seipsum in illa congerie morientium, ac propter corruptionem vitæ suæ pauciore tempore viuentium opportunè & importunè ingerit, quodãmodo deflens, q illic secundum Dei præscientiã percussus ipse fuerit, vt moriturus non saltẽ tempora Matussalæ implere posset, quatenus ingrediatur terram repromissionis, sed sint dies sui pauci. i. anni tantũ CXX. Aliter. Sed erunt dies eorum CXX. anni, hoc est, habebũt CXX. annos ad agendam pœnitentiam. Quia verò pœnitentiã agere cõtempserunt, noluit Deus tempus expectare decretũ, sed viginti annorum spacijs amputatis induxit diluuium, anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato: Hæc antiquior sententia est.

Supra. 7. *Deut. 34.* *Num. 12.*

De eo quod dictum est: Gigantes autem erant super terram.

CAPVT XIIII.

GIgantes aũt erant super terrã in illis diebus. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi. Pro gigãtibus alij cadẽtes, alij violentos transtulêre, ex hebræo interpretantes. Cadẽtes aũt rectè dicuntur, id est, superbi, quicunq; potentes à seculo sunt vel viri famosi. Nã hoc ipsum superbire cadere est, iuxta illud in psalmo: Vos autẽ sicut homines moriemini, & sicut vnus de principib. cadentis. Aliàs autẽ si pro magnitudine staturæ gigantes placet hic accipi, nunquid cõmixtio filiorum Dei, & filiarum hominũ, aliã naturam fecit, vt nascerẽtur homines mirandæ proceritatis? Ergo gigãtes. i. superbi, videlicet, ex eo superbientes, quòd essent vtraq; gente generosi, scilicet, tam secundum Seth, q̃ secundum Cain. Inde etiam Absalon materiã habuit superbiendi, quod sanguis suus esset deriuat' ex duobus regnis. Mater enim eius Maacha filia fuit Tholomai regis Gessur. Sed & Ismael, quãuis esset nothus, id est, humano genere impar, tamen quia consanguinitatem trahebat duabus ex gentibus, quippe qui paterno genere Hebræus, materno autem genere erat Aegyptius, potens à seculo fuit, vir famosus, id est, homo ferus siue superbus.

Psal. 82. *2. Reg. 3.* *Gen. 16.*

De eo quod dictum est, pœnituit eum quòd hominẽ fecisset super terram.

CAPVT XV.

VIdens autẽ Dominus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra: Et præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus. Delebo (inquit) hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli. Pœnitet enim me fecisse eos.) Laborat hic sermo diuinus, & quasi in versanda nimiæ magnitudinis mole penè confringitur, dum illud intellectui nostro planum facere intendit, quod satis explicare nullus sermo sufficit, videlicet quomodo Deus sine motu sæuiat, & sine crudelitate occidat, quomodo salua pietate vltionem, & cum tranquillitate agat vel habeat furorem. Pœnituit enim, inquit, quòd hominem fecisset in terra, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo (inquit) hominem, pœnitet enim me fecisse hominem. Qui per prophetam suum dicturus erat, sicut parturiens loquar, vtiq; iam parturiens locutus est. Nam quemadmodum parturiens illud quod concepit non sine sensu doloris emittit, & tamen dolere mauult, quàm non emittere quod concepit: sic DEVS non sine sensu pietatis profert sententiam iudicij, & tamen victa pietate, miserias malorum mauult videre, quàm non proferre, quod iustitia dictante concepit. Quare? Quia videlicet vtilius est, morbo ferramentum altius imprimere, quàm palpando putredinem fouere. Itaque quod pœnituisse dicitur, quòd hominẽ fecisset in terra, & tactus

Quomodo Deus tangitur dolore. *Esa. 42.* *Quomodo Deus pœnituisse dicitur.*

ra, & tactus esse dolore cordis intrinsecus, pietatis est: quòd autem non victus eodem dolore (inquit) delebo hominem quem creaui à facie terræ, seueriiudicij vel seueritatis iudiciariæ est illud edictum, postquam dictum sit, pœnitet me fecisse eos, nec edici potest q̃ grauissimè dictum sit. Tale quid & alibi dicit: pœnitet enim me, quod cõstituerim Saul regem super Israel. Sanè huiusmodi dictum, nõ impassibilis Dei mutabilitatem, sed fixã eius indicat sententiã, ad prioris facti destructionem vel valdè necessariam melioratione eiusdem.

1. Reg. 15.

De Noe & causa diluuij, & quòd triforme sit iudicium Dei.

CAPVT XVI.

CAP. VI. NOe verò inuenit gratiam coram Deo. Hę generationes Noe. Noe vir iustus atque perfectus fuit, cum Deo ambulauit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iafeth, &c.) Magnæ virtutis testimonium est huic viro, in tanta plenitudine peccatorum cum Deo ambulasse: magni meriti præconium illi est, in tãta plenitudine siue multitudine cęlestis iræ gratiam inuenisse, eò quòd iustus atque perfectus fuerit in illis talibus tamq; corruptis generationibus suis: magnũ omninò negocium, quòd in mundo vniuerso diluuium inducitur, & in primis tanti huius facti intẽtio meritò vel vtilitas quæritur. Quid enim in hoc maximè intendit Deus? Hoc scilicet, vt scirent ventura secula, quantum ille peccatis aduersetur. Denique sic totum mundũ quasi hominem vnum susceperat erudiendum. Scimus autem, quòd homini dum adhuc puer est, agendum sit, quod timeat ne dimissus suæ voluntati, præceps & infrenis in malum (ad quod prona est humana natura semper) securo collo ruat: Percute (inquit scriptura) filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Rectè igitur & vtiliter, vt sapientiam Dei decuit, petulantem atque in carne & sanguine lasciuientem mundũ recentem, tanquam stultum puerulum corripuit, tali percutiens verbere quod tota sua ętate non queat obliuisci. Historiam omnes nouimus, mysteria requiramus. Primò sciendum, triforme vnius trinitatis esse iudicium. Primum videlicet, quo diabolus de cælo dejectus: & vltimum quo idem in fine seculi cũ angelis suis, & malis hominibus in ignem æternum est mittendus: mediũ hoc, quo diluuiũ mundo inducitur. De quo nec illud prætereundum, quia sicut tempore vel ordine, sic & qualitate medium est. Etenim primò quidem & vltimo soli reprobi feriuntur, & soli electi reseruantur: isto autem nec soli electi reseruantur, nec soli reprobi suffocantur. Credendũ quippe est, aliquos hoc diluuio perisse, quorũ eodẽ periculo mortis, peccatũ deletũ sit, iuxta quod scriptũ est: non enim vindicabit deus bis in idipsum, plerosq; aũt ex eis, vtpotè impios, ab illo temporali a-

Cur Deus diluuiũ induxit. *Prouer. 23* *Naum. 1.*

quarum diluuio, ad æternum transisse incendium, iuxta quod idẽ scriptum est: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. De his autem qui superfuerunt, tam magna gratia Dei reseruati, cũ tres tantummodo filij Noe fuerint, vnus reprobus extitit, & in omnib. maxima reprobor um sylua succreuit. Hoc ergo iudicium propriè personam prædicat filij Dei, qui solus naturam nostram suscipiendo, diuinitatis suæ fortitudinem nostræ humanitatis cõditione temperauit, & antequam veniret opus sui aduentus in hoc tali cataclismo præfigurauit. Et primum ipse Noe eundem mediatorem Dei & hominum, tam nomine q̃ opere signauit. Nomine videlicet, quia nomen ipsum quod est Noe, interpretatur requies. Requies autem nostra vera est ipse, qui dicit: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Opere autem quomodo Christum significaverit, deinceps plenius dicendum erit. Igitur non absque diuino præsagio, vocauit illum pater Noe dicens: Iste consolabitur vel requiescere nos faciet ab operibus nostris in terra cui maledixit Dominus.

Deut. 32. *Matth. 11.*

Quam requiem nomine suo significet Noe, & de arca, & de mysterio arcæ.

CAPVT XVII.

QVæ aũt est requies vel consolatio, quã consolatur nos iste verꝰ Noe, scilicet, filius Dei, nisi peccatorum remissio, quam in baptismo suo nobis tribuit, secundum similitudinem illius, qui per fidem suam in illo diluuio paucas animas secum reseruauit? Illud nanque diluuium baptismatis figuram fuisse, Petrus quoque Apostolus testatur, cùm dicit: Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabatur Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma, & reliqua. Itaq; diluuium baptisma: hi qui in diluuio perierunt, peccata nostra quæ in baptismate delentur, præsignauerunt. Et hoc modo mystcè prophetia cõpletur, dicentis: Iste cõsolabitur vel requiescere nos faciet ab operibus nostris: Vnus erat Noe, & in illo vno saluatum est semen ad recuperationem orbis terrarum, quia videlicet vnus est Christus, in quo est nostra salus, & non est in aliquo alio salus: nec enim nomen aliud sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Arca verò quia sanctam significauit Ecclesiam, quæ vtique ex hominibus consistit, ipsa quo que secundum quandam similitudinem fieri iussa est humani corporis, videlicet vt haberet trecentos cubitos longitudinis, quinquaginta latitudinis, XXX. altitudinis. Ita longitudinis mensura sexies latitudinem,

1. Pet. 3. *Actor. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

decies altitudinis mensuram continebat. Sic nempe corpus hominis prostrati vel resupinati, in longitudine sexies latitudinẽ, decies suimet continet altitudinem. Porrò ipsa arca antiquam significat omnium electorum ecclesiam, ligna leuigata, id est, bitumine lita, viros sanctos patriarchas atq; pphetas, quorum ex fide tenacissimum compacta est eadem ecclesia, significant. Bitumen nãque est
Hebr. 3. feruentissimum & tenacissimũ gluten, quod & aspaltum dicitur, ab aspaltite lacu. Tenacissimam ergo in fide concordiam significat sanctorum. Et hanc arcam noster Noe, scilicet, Christus Dei filius, antequam in hunc mundum veniret fabricauit, testante Paulo cùm dicit: Qui fidelis est ei, qui fecit illũ, sicut & Moyses in omni domo illius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quantò ampliorem habet honorem domus qui fabricauit illam. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Itaque arca (sicut iam dictum est) antiquam ecclesiam Noe, qui & illam ædificauit & in illam introiuit, Christum Dei filium, qui eandem ecclesiam & tanquã Deus de electis suis condidit, & tanquam homo sub legem eius introiuit, Septem verò animæ cum illo ingrediuntur, primitiuam euangelicæ gratiæ electionẽ significant, scilicet, Apóstolos, omnesque Christi discipulos, qui cum illo ambulauerunt. Et ab illo missum de cælo sanctũ septiformem spiritum acceperunt, animantia tandem munda & immunda, multitudinem figurant electorum, quos tam de Iudæis, quã de Gentibus venientes illi, spiritu Christi iubente, susceperunt. Quod ex alio scripturæ loco manifestius liquet. Sic enim in Actibus
Actor. 10. Apostolorum legimus, quia cùm esuriret Petrus & vellet gustare, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor inicijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca. Et iterum: quæ Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Hoc viso, ille instructus cõtinuò veniẽtib. ad se gentilibus quid intellexisset, aperuit inter cætera, dicens: Sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immũdum dici hominem. Ac deinceps: in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & & operatur iustitiam, acceptus illi. Igitur & hic vbi tam de mundis quàm de immundis animantibus masculus & fœmina in arcam iubentur admitti, iam illud Deus præsignauit, quod postea Petro ostendit, scilicet, nullum genus hominum à gratia Dei reijci, sed creatori omnium acceptam fore fidem vel cõuersionem cunctorum. Et notãdum, quòd eorum, scilicet, animantium admissio, quater in hac lectione repetitur, vt videlicet à quatuor partibus mundi collectio futura præsignetur.

De mansiunculis & schemate eiusdẽ arcæ.

CAPVT XVIII.

MAnsiũculas (inquit) in arca facies, & in cubito cõsummabis summitatẽ eius.) Ergò tali schemate fabricata, id est, inferius trecentis cubitis ampla, & deductim ascendẽdo cùm in cubito esset consummata, vbi sinus altior, illic angustior: & econtra, vbi humilior, illic amplior. Sic profectò sancta ecclesia diuersis ordinibus est distincta. & quisque ordo, quantò est arctior, tantò est & celsior: vel econuerso, quanto quisque ordo est laxior, tantò & humilior: & quanto altior, tanto angustior: vt (verbi gratia) viduitatis propositum, quanto coniugali proposito castitate arctius, tãto & meritum eius altius: & virginalis propositi decus, quanto altius, tanto & in paucioribus inuenitur: qui ordo, quia vnum quod est necessarium liberius ex equitur, pulchro vno summitatis cubito desi gnatur dignitas eius. In huiusmodi ordinib. mysticè completur manifestius quod dictũ est, cœnacula & tristega, id est, tricamerata in arca facies. Nec verò cuiquam incredibile videatur, tantæ capacitatis arcam de lignis bitu minatis posse fieri: cùm de lapidibus cæmentatis, ciuitates immensas constet extrui, præsertim cùm non in vno aut duobus, sed totis centum annis, opus peractum sit. Præterea, ne de paucitate cubitorum causeris, habent geometræ cubitos maiores, ita vt vnus illorum sex cõtineat cubitos cõmunes. Et Moyses, qui eruditus erat omni sapientia Aegyptiorum, vtique cubitos computasse geometricales credendus est. Quod si ita est, æstimari non potest, quantæ capacitatis arca illa fuerit, tot cubitis tam magnis, in longitudinem, latitudinem, altitudinemq; porrectis, vt tot generum animantia, bina & bina, septena & septena, sufficientibus spacijs explicare quiuerit. Quod tandem est ostium in latere huius arcæ deorsum positum? Vtique salutare baptismi Christi sacramentum, q̃ de patefacto eius latere manauit, sine quo ecclesiã ingredi vel à peccatis suis nemo potest eximi.

Quanto tempore, dum fabricaretur arca, expectauerit Dei patientia.

CAPVT XIX.

ERatque Noe sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram.) Exinde colligitur, quãdiu expectauerit eos Deus ad pœnitentiam, secundũ
1. Pet. 3. Petrum Apostolum in epistola sua dicentẽ: Qui increduli fuerunt aliquando in diebus Noe, cũ fabricaretur arca. Denique Noe cũ quingẽtorum esset annorum, præcepit deus dicens: Fac tibi arcam. Sexcentorum autem erat annorum, quando inundantibus aquis ingressus est in eam. Igitur circiter annos cẽtum increduli fuerunt, prædicante illis publica arcæ fabricatura, & tanto tempore expectauit eos Dei patientia: ipsi autem secun-
Rom. 2. dum duritiem suam & cor impœnitens thesaurizauerunt sibi iram in die iræ. (Et facta est (inquit) pluuia super terram XL. diebus, & XL. noctibus.) Quadraginta diebus & quadraginta noctibus, omne quod ab incarnatione vel passione Domini residuum est, signatur seculi tempus, quo baptismi aquæ inundare, foris que relicta ingredientium in ecclesiam peccata, obruere non cessent. Nam sicut in transitu filiorum Israel per mare rubrum, Aegyptij qui submergũtur, malignos spiritus vel peccata significant: sic impij qui in diluio pereunt, arca superstite cũ paucis, peccata decidentia rectè figurant.

Item de diluuio, & quod dictum est: Cataractæ cæli apertæ sunt.

CAPVT XX.

CAPVT VII. RVpti sunt (inquit) omnes fontes abyssi, & cataractæ cæli apertæ sunt.) Quod ait, & cataractę cæli apertę sunt, & per hyperbolen accipiendum est, & sic esse dictum, ob insinuandam inundationis magnitudinem, quæ tanta fuit, vt firmamentum quod fecit Deus in medio aquarum, vt diuideret aquas ab aquis, dissipatum esse videretur, ísecundũ vulgi opinionem. Dicimus quidem cataractas cæli, occultas esse vias, per quas de cælo vtique aereo pluuia descendit, verùm hoc dicendo more vulgi magis, quàm scripturarũ sensu loquimur. Neque enim solidum quid aut durum est cælum, vt rectè possit intelligi cataractis, id est, fenestris in modum parietis intercisum, quibus apertis, aquæ fundantur deorsum, quæ clausis eisdem continebã-
Psal. 147. tur sursum. Aliàs autem si verè solutum putandum est, pro eo quod dictum est, & cataractæ cæli apertæ sunt, videris quomodo verum sit, quod Psalmista de cælestibus canendo dicit: Statuit ea in seculũ & in seculum seculi, præceptũ posuit & nõ præteribit. Quòd
Gen. 1. si quæras, vnde ergo venerunt tantæ moles aquarum, quæ cuncta operuerũt, ita vt quindecim cubitis essent altiores super montes quos operuerant? Facilis patet respõsio, quia videlicet inde venerunt quo abierant, dicente Deo: congregentur aquæ quæ sub firmamento sunt in locũ vnũ, & appareat arida. Cõstat enim quia iam factum fuerat firmamentum, diuidens aquas ab aquis, & tãtæ sub firmamento remanserunt, vt etiam tunc nus-
Psal. 103. quam pareret arida. Vnde Psalmista cùm dixisset: Qui fundasti terram super stabilitatẽ suam, non inclinabitur in seculum seculi: cõtinuò vt scias nec montium cacumina ab aquis eminuisse, super montes (inquit) stabũt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, futurum tempus ponens pro præterito, quod solœcismum gram matici appellant. Item si quæras, quo, data re quie, recesserint? Notum est secundum Ec-
Eccl. 1. clesiasten, quod omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricẽ reuertantur abyssi.

De timore Domini, & quòd verè Dominus secundum hæc acta timendus sit.

CAPVT XXI.

QVæ hactenus dicta sunt, ex quo super præuaricatorem hominem, agi cœptũ est iudicium, ferè omnia timoris plena sunt, & ex eis palam fit omni creaturæ, quòd verè Deus iuxta Psalmistam terribilis in consilijs sit super filios hominũ. Vnde & hoc ipsum
Psal. 65. nomen, quod est Deus, græca etymologia accesit. Græcè nanque theos, Latinè dicitur timor, & exinde creator noster dicitur deus, quòd verè sit timendus. Vnde est illud dictũ sapientis: Fili noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum, & dicas, miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorũ
Eccl. 5. meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Nunc demum accedendum nobis est intus, id est, ad ipsum Noe & vxorem eius, & filios eius, & vxores filiorum eius, & ab hoc eodem secundæ ætatis mundi initio, considerandum ex his quæ dixit, quæ fecit cum illis idem Deus, q̃ ascendentibus
Esa. 11. nobis rectè sanctus propheta post spiritũ ti-
Psal. 110. moris posuit spiritum pietatis, quia videlicet
1. Ioan. 4. initium sapientiæ timor Domini, pietas autẽ secundus est gradus ascensionis, iam charitatem prouocans, quæ perfecta timorem foras mittat.

De pietate eiusdem Domini, iuxta quam recordatus est Noe, sicut scriptura dicit: Et de vero Noe Christo, cuius post aquas tribulationis Deus pater recordatus est, resuscitando illum à mortuis, Et de columba quã emisit, id est, gratia spiritus sancti, quam dedit.

CAPVT XXII.

REcordatus autem Dominus Noe, cunctorumq; animantium & omnium iumentorum quæ erãt cum eo in arca, adduxit CAPVT VIII.
spiritum super terram, & imminutæ sunt a- *Psal. 106.*
quæ, &c.) non prætereundum in primis, quia quæcunque tangit pius affectus incognitum non habet, multum fuisse quod Noe vir iustus atq; perfectus, in illa tali tempestate passus est. Nam vt taceam, quòd arca illa per totum annum tempestuosus illi & inquietus carcer extitit, tunc nanque maximè stetit spiritus procellæ & exaltati sunt fluctus eius, atque ascendendo vsque ad cælos, & descendendo vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat, vt, inquam, hoc taceam, nõ verè iustus aut perfectus Noe fuisset, si in illa multitudine communis hominum miseriæ de propria salute sua ridere potuisset, præsertim cùm de impassibili Deo, dicere scriptura non dubitauerit, quia tunc temporis dolore cordis intrinsecus tactus est. Fidenter dicere liceat, quia non Hieremias pro incẽdio *Hier. 20.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciuitatis, vel captiuatione gentis, quã vidit, tot in animo cruces pertulit, nec tot contumelias vel terrores audiuit, venturum prædicendo Babylonicum exercitũ, quot iste audisset, nisi quia non minor erat illis, qui tunc temporis erant à seculo potentes viri & famosi. Itaque & si nulla in corpore, magna tamen in animo passione fluctuauit, & in eo maximè illi congruit vox illa capitis sui dicentis in propheta secundum veritatem suæ passionis: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Nam & illæ aquæ, quibus tunc peccatores deleti sunt, quodammodo veraciter vsque ad animam illius introierunt, & istæ aquæ baptismi, quibus nunc peccata nostra delentur, penè cũ ipsa Domini Iesu anima de corpore eius exierunt. Igitur in eo quòd recordatus Dominus Noe, cunctorumque animantium & omnium iumẽtorum quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ, & quòd Noe post diutinam expectationem emisit corum, qui non reuersus est ad eum, emisit quoque columbam quæ primò & secundò reuersa est, tertiò autem emissa, non est reuersa: magnum quidẽ & pulchrũ est pietatis opus, sed maximum atque pulcherrimum est, quod in eo mysticè præsignatur. Recordatus est enim Deus pater Christi filij sui, postquã intrauerunt aquæ vsque ad animam eius, postquam tribulationes mortis pertransierunt animam eius, cùm teneretur in sepulchro conclusus: & adduxit spiritum super terram, spiritum, inquam, id est, reducem vitam adduxit super terram exanimi corporis, suscitauit enim illũ à mortuis. Sed & super omnem terram, per vnius resurrectionem adduxit Deus spiritum, dedit enim extunc hominibus spiritum sanctum in remissionem peccatorũ, qui ita nebulas cordium dissipat, tentationumque fluctus exicat, quomodo ille spiritus quem tunc Deus super terram adduxit, humidum hactenus, frigidumque aerem calefaciendo, aquas imminuit, & vsque ad siccum paulatim eliminauit. Nam spiritum hic iuxta literam calidum ventum, vel etiam ipsum solem, qui hactenus sub densis nubibus latuerat, intelligimus. Dicit enim de illo Ecclesiastes: Lustrãs vniuersa per circuitum pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Sed dicit veridica scriptura, quia iam imminutis aquis, iam apparentibus montiũ cacuminibus, expectauit Noe dies quadraginta, & tunc dimisit coruum, illoque non redeunte, emisit columbã. Magnum mysterium, & magnum verum veritatis præconium. Etenim postquam Dominus noster à mortuis resurrexit, & apertos montes suos tristitia, in lætitiam releuauit: nouit fides Christiana, quia tacitus ipse dies quadraginta sustinuit, & tunc demum in cælum ascendens, extunc euacuato priscæ legis seruitio, nouam baptismi prædicari iussit gratiam, misso spiritu sancto de cælo. Coruus emissus est, & iam non reuertitur, quia infidelis Iudæorum populus, de ecclesia patriarcharum & prophetarum iectus, foris vagatur, & veterum sacrificiorum cadaueribus inhians, de antiquorum patrum carnali prosapia, vana loquacitate gloriatur. At verò sancta Apostolica ecclesia spiritu sancto accepto missa reuertitur, iuxta quod de sanctis euangelij prædicatoribus per admirantẽ prophetam dicitur: Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Volant enim vt nubes, pluuiam pacis mundo afferentes, & quasi columbæ ad fenestras eius reuertuntur, à quo ad ministeriũ nostræ salutis missi sunt, gloriam auidè contemplantes.

Psal. 68.

Esa. 60.

Item de eadem columba, id est, spiritus sancti gratia, quomodo tertiò sit emissa.

CAPVT XXIII.

ILli quidem quiuis quasi columbæ sunt, sed vna est columba spiritus sancti gratia, propter quam illi columbæ dicti sunt, & illum, scilicet, spiritum sanctum in sua maximè persona, illa columba significauit, quam de arca Noe sanctus emisit. Quare autem tertiò, nisi quia de sacramentis Christi vel ecclesiæ, trina spiritus sancti gratia, cuique fideli animæ depromitur? Prima nanque gratia est, remissio peccatorum: secunda, diuersorum distributio donorum: tertia, remuneratio in resurrectione mortuorum. Tertiò, nempe ipse qui caput est ecclesiæ, Christus: vnctus est: primò, quando de spiritu sancto conceptus est: secundo, quando super eum ad Iordanẽm spiritus sanctus in specie columbæ descendit: tertiò, quãdo resurrexit à mortuis. In cuius figura Dauid, qui tam Christi quàm ecclesiæ typum gessit, tertio in regem vnctus est. Primo videlicet, quando vnctus est à Samuele in domo patris sui. Secundo, quando vnctus est in Hebron super Iudam solum. Tertio, quãdo vnctus est super Israel vniuersum. Igitur prima emissio columbæ ipsa est remissio peccatorũ, quã verus Noe, id est requies nostra Christus, post resurrectionem suã cõfestim emisit, insufflans & dicens: Accipite spiritum sanctum, quorũ peccata remiseritis, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. At illi nondum ausi sunt exire ad publicum, & annunciare hominibus talem gratiam, propter metum Iudæorum. Be nè ergo de columba illa dictum sit, quia cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. Aquæ enim (inquit scriptura) erant super vniuersam terram, illæ videlicet aquæ, quæ (iuxta Psalmistam) intrauerunt vsque ad Domini Iesu animam, quas Apostoli adhuc infirmi, metuebant. Et non mirum, coruus qui iuxta

Eccl. 1.

1. Reg. 16.

2. Reg. 2.

2. Reg. 5

Ioan. 20.

Psal. 68.

literam

literam non reuersus est, quòd inuenire potuit, & columba non inuenit, vbi requiescere, licet decrescentibus aquis iam apparuissent cacumina montium. Coruus nanque facilius requiescere potuit, quia cadauera abundè inuenit: columba verò quia cadaueribus non pascitur, & si ad sedendum aliquod montis iugum inuenire potuit, tamen absq; victu requiescere non potuit. Expectatis autem vltra septem diebus alijs, rursus dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum virentis oliuæ in ore suo. Secundò emissa columba redijt ad vesperam, & virentis oliuæ ramũ in ore suo deuexit, quia secundo datus est spiritus sanctus Apostolis die pentecostes, circa finem vitæ, quenq; illorum ad cælestis ecclesiæ requiem cũ æterno perfectæ pacis præmio, reuocauit. Tertiò nihilominus emissa iam nõ est reuersa, quia profectò cùm resurrexerint à mortuis, quæ (vt supra iam dictum est) tertia erit effusio spiritus sancti, nusquam mittẽtur vnde redeant, nec enim ad operandum, sed ad regnandum immortaliter exibũt. Sic & singulis electorum, tertiò, eadem columba aduenit. Primò, cùm baptizatur quis in remissionem peccatorum. Secũdò, cùm accipit per episcopos impositionem manuum. Tertiò, (vt iam dictum est) in resurrectione mortuorum. Eccè quàm verè dictũ est, quia inuenit Noe gratiam coram Deo. Verè enim gratiam hic alter Noe inuenit, qui nos Deo reconciliauit, & soluens inimicitias in carne sua, de filijs iræ filios gratiæ, de filijs gehennæ filios fecit vitæ ęternæ.

CAPVT VIII.

Ephes. 2.

De viri iusti Noe obedientia, quòd sicut ad præceptũ Dei ingressus, ita & ad præceptum eiusdẽ egressus est.

CAPVT XXIIII.

IGitur sexcentesimo primo anno, mense primo, die prima mensis, imminutæ sunt aquæ super terram, & aperiens Noe tectum arcæ, aspexit vndique, viditque quod exiccata essent superficies terræ. Mense secundo, septima & vicesima die mensis arefacta est terra. Locutus est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca tu & vxor tua, &c.) Notãdum diligenter quod dictum est, quia primo mense, prima die mensis, aspexit Noe, & vidit quòd exiccata essent terra, & deinde subiunctum est, mense secundo, septima & vicesima die mensis arefacta est terra. Cùm enim iam vidisset Noe primo die primi mensis, q; exiccata esset terra, quid sibi vult, quod itidem dicit scriptura, quia mense secundo septima & vicesima die mensis, tanto postliminio, scilicet quinquagesimo quarto die, ab eo quo viderat Noe exiccatam esse terram, arefacta est terra? Videlicet vt commodius subiungeretur quod subiunctum est, Locutus est Deus ad Noe dicens: Egredere de arca. Tanquam diceret: Tot diebus prius exicata fuerat terra, cùm tandem Deo iubente, egressus est Noe de arca. Ergo viri iusti atq; perfecti magna in hoc quoque iustitia vel perfectio commendatur, laude digna, quod tamdiu carcere cõclusus, non erupit solutus mox vt terram vidit, sed sicut præceptum in grediendi fideliter accepit, sic & egrediendi licentiam obedienter sustinuit. Nunc ipsa diluuij tempora, id est, pro anni tempore inundare cœperit, quàm diu sine detrimento terram aquæ obtinuerint, quo arca super montes Armœniæ requieuerit, quo nihilominus tempore cacumina montiũ apparuerint, vel terra arefacta, & ipse Noe cum omnibus arca egressus sit, inuestigandum est, secundũ præcedentis ordinem lectionis.

De anno eiusdem diluuij, & quo anni tempore inundare cœperunt aquæ diluuij.

CAPVT XXV.

MEnse (inqt) secundo, septima decima die mensis, rupti sunt oẽs fontes abyssi magnæ, & cataracti cæli apertæ sunt. Mensis secundus secundum legem ipse est, qui apud Romanos Maius dicitur, qui & secundum legem vel naturam temporum dicitur longis & serenis diebus extendi atque produci, & omnium quæ in mundo sunt ad concupiscentiam carnis, & ad concupiscentiam oculorum pertinentium, pulchritudine illo tempore terra vestitur. Qui enim à Romanis dicitur Aprilis, apud hunc Moysen primus est in mensibus anni. Sic enim dicit ex auctoritate Dei legem daturus de esu paschalis agni. Mensis iste principium vobis mẽsium primus erit in mensibus anni. Et ne illud scrupulum moueat, quòd secundum natiuitatem Noe posint hic annorum vel mensium principia, vel fines computari, reuocetur ad memoriam, quòd ante exactum annũ diluuij mense plus minus integro, columba quam emisit Noe, reuersa est, portans ramũ oliuæ virẽtibus folijs in ore suo. Itaq; quocũque anni tẽpore Noe natiuitas extiterit, verno tempore hunc annum impletum fuisse, illud quoque indicio est. Non ergo parum incautos cepit illos repentinus ille laqueus iudicij, qui feruentiore voluptatis tempore su peruenit: Vnde rectè Dominus: Sicut factũ est (inquit) in diebus Noe, sic erit & in dieb. filij hominis: Edebant, & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vsque in diem quo ingressus est Noe in arcam, & venit diluuium & perdidit omnes. Ab illo die facta est pluuia super terrã quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Extunc aquæ inundantes, & quindecim cubitis super omnes montes altius eminentes, centum quinquaginta diebus terram obtinuerũt. Nã tot diebus transactis, continuò decrementi illarum indiciũ adfuit. Siquidẽ septimo mense (inquit scriptura) septima & vicesima die mensis requieuit arca super montes Armœniæ. Quadraginta quippe dies pluuiæ cũ centum quinquaginta diebus additæ, sex menses lunares efficiunt, & paulò plus, quàm decem dies

Exod. 12.

Luc. 17.

Matth. 24

Gen. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem dies ſuperſunt, quia menſis menſem die ſuperat. Erat autem ſeptima decima dies mẽſis, quando primum pluuiæ inundauerunt. Itaque non decimo, ſed ſeptimo ac viceſimo die menſis ſeptimi requieuit arca: quia non primo, ſed (vt iam dictum eſt) decimoſeptimo die menſis rupti ſunt fontes abyſsi, & cataractæ cæli apertæ ſunt. Diligenter annũ iſtum proſequamur, qui vnus eſt ex nongẽtis & quinquaginta annis Noe, vt luce clarius ſit, non breuiores (quòd nonnulli ſuſpicati ſunt) ſed tanti temporis, quanti habentur & nunc fuiſſe annos illorum hominum, qui tot annos recẽti adhuc ſeculo vixerunt. Sanè menſis qui ſeptimus fuit ab initio diluuij, ipſe eſt qui apud Romanos Nouember dicitur, Vnde magis miranda tẽpeſtas illius iudicij, quam non adiuuit vlla natura temporis, ſed econtra, Maio, quo menſe (vt iam dictum eſt) ſol altius incedit, & cælũ naturaliter candeſcit, erupit imbrium vis, & circa tempus hyemis, id eſt, menſe Nouembri, iã imminutis aquis arca requieuit, tantis tamq; diutinis diſiecta procellis. Decimo tandem menſe diluuij, qui eſt apud nos Februarius, primo die menſis apparuerũt cacumina mõtium. Expectatis deinde quadraginta, biſq; ſeptenis diebus, qui ſunt dies ferè duorũ mẽſium, Februarij, ſcilicet, atque Martij, annus cõpletus eſt duodecim menſiũ, cũ illo mẽſe Aprili, qui iam exactus fuerat, quando primùm inundauerunt aquæ diluuij. Igitur cũ dictum fuerit ſuperius, anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo rupti ſunt omnes fontes abyſsi. & nunc poſt tam diligentem ſupputationem dierum vel menſium, dicitur anno ſexcenteſimo primo, aperiens Noe tectum arcæ, vidit quòd exiccata eſſet terra, manifeſtè liquet, annos ſingulos duodecim menſiũ, mẽſes aũt alios triginta, alios vndetriginta dierum in illis tot annorum hominibus computaſſe ſecundum lunam, cuius duodenis menſibus ſupercreſcentes vndecim ſolaris anni dies emboliſmis cedunt.

Quid ſecundum myſterium ſit, præcipiente Domino egredi de arca.

CAPVT XXVI.

MEnſe (inquit) ſecundo ſeptima & vicesima die menſis (decem videlicet diebus vltra annũ exactis, ex quo diluuij aquæ inundauerant) locutus eſt Deus ad Noe dicens: Egredere de arca tu & vxor tua, &c.) Non contentus fuit dicere Deus, egredere de arca tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum, ſed de animantibus quoque cunctis ſollicitus. (Cũcta (inquit) animantia quæ ſunt apud te, tam in volatilibus, quàm in beſtijs, & vniuerſis reptilibus quæ reptãt ſuper terram educ tecum) Hoc etiam ſi deus præceperit, ſcilicet, cũcta animantia educere, Noe faciendũ eſſe ſciret, & ita factum fuiſſe ſciremus nos, etiam ſi ſcriptura nõ narraret. Nũc autem Deum ſic præcepiſſe & ſic factũ eſſe narrat, ita ſubiungendo: Egreſſus eſt ergo Noe & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta & reptilia quæ reptant ſuper terram ſecundum genus ſuũ arca egreſſa ſunt. Quid ſibi vult hoc, quòd digitus Dei, qui non niſi idonea ſcribere nouit aut loqui, tantas impẽdit moras in huiuſmodi? Nempe ſi nihil niſi literam hic acceperis, hoc ſcribere ex abundanti fuit. Igitur ad memoriam nunc redeat, quod ſuperius iam dictum eſt, arcam illam quam & fabricauit, & cum ſuis ingreſſus eſt Noe, antiquam patriarcharum & prophetarum eccleſiam ſignaſſe, quã Dominus noſter & antequam in hunc mundum veniret, condidit, & in qua cũ veniſſet homo factus, tribulationes mortis pertulit, permanentibus cum eo paucis, quibus & dicit: vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. In eandẽ eccleſiam ingreſſa ſunt cum Noe vniuerſa animantia, munda ſiue immunda, quia videlicet quicunque, ſiue de mundis Iudæis, ſiue de immundis gentibus, ad Chriſtũ colliguntur, fidei patrum antiquorum inſeruntur, nec aliter ad Chriſtum pertinent, niſi eccleſiæ illi incorporẽtur. Veruntamen in eorum carnalibus cẽremonijs permanere nõ ſinuntur, videlicet vt carnaliter circuncidantur, aut ſabbatizent, aut agnum immolent, aut in cæteris eiuſmodi (quæ vmbræ erant futurorum) vllatenus Iudaizent. Igitur dum illud quaſi ſuperfluum tam diligenter toties repetitur: iſtud quod valdè neceſſarium eſt, in figurata ꝓphetatur, quòd ingreſſuræ quidem forent neceſſariò gentes, quotquot ex eis ſaluari cuperent, in illam antiquorum expectationem, ſed non manſuræ intra carnalẽ illorum religionem. Hic dictum, & ingredimini ſuper terrã, creſcite & multiplicamini ſuper eam, idem eſt iuxta myſticum ſenſum, ac ſi diceretur, abiectis carnalibus, quæ prius pro lucro erant, & nunc pro detrimento reputatis, ſeminate in ſpiritu, vt de ſpiritu metatis vitam æternam.

sup. ca. 17.

Luc. 22.

Col. 2.

Quàm rectè ſacrificium Noe de ſeruatis cunctis animãtibus obtulerit, in figurã noſtri, de quibus Chriſtus viuentes hoſtias offert Deo patri.

CAPVT XXVII.

AEdificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. (Altare ꝙ ædificauit Noe, & holocauſta quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, ſua præſentia præteritorum beneficiorum memoriam confitentes, vt dignum erat. Qui enim arcam facere iuſſerat homini, in qua ſaluaretur, dignè illi homo altare ædificat, in quo idem ſaluator ſuus adoretur. Et qui non ſolùm hominem, ſed propter hominem, iumentorum quoque & cũctorum animantium reliquias in eadem arca ſeruauerat, merito illi de cunctis pecoribus & volucribus

& volucribus mundis ſuper altare ab homine offeruntur holocauſta. Hoc non ſcripta, ſed naturalis lex æquum eſſe docuit, quia vidēlicet hoc ipſa ratio dignum & iuſtum eſſe naturaliter ſentit, vt de ſuis donis honoretur in primis ipſe qui dedit. Amplius autem & in hoc myſteriũ domini noſtri Ieſu Chriſti præfulſit, qui egreſſus de illa ſynagogæ arca, in qua per paſſionem ſuam mundi ſalutẽ acquiſiuit, nouum altare nouumque ſacrificij ritum inſtituit, & quod illic ſeruatum eſt, hic in holocauſtum Deo patri tam per ſemeipſum, quã per manꝰ ſacerdotum ſuorũ offerre non deſinit. Ipſum denique corpus, quod illic in ligno pependit, ipſum ſanguinẽ qui illic effuſus eſt, cũ honorifica gratiarum actione, illi offerimus, qui eum à morte ſaluauit. Præterea de cunctis animantibus mũdis, munda autem ſunt omnia, quæcunque autem hactenus fuerunt immunda, illa ſuo ſanguine mundauit, iuxta quod Petro Apoſtolo dictum eſt, quæ Deus purificauit, tu ne commune dixeris, de cunctis ergo animantibus, id eſt, hominibus, ille holocauſta offert Deo & patri, dum cũ ipſius gratia facimus, quod nobis præcepit, vel obſecrat nos ipſe per Apoſtolum ſuum, dicentem: Obſecro vos per miſericordiã Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, deo placentem. Simusque omnes hoc faciendo ſacerdotes, ſicut in Apocalypſi gratias agentes, dicimus illi: Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos regnum Deo noſtro & ſacerdotes.

Actor. 10.

CAP. IX.

Rom. 12.

Apoc. 5.

De eo quod dictum eſt: Nequaquam vltra maledicã terræ propter homines.

CAPVT XXVIII.

ODoratusque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & dixit ad eum: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Senſus em & cogitatio cordis humani sũt prona in malũ ab adoleſcentia ſua: Non igitur percutiam omnem animã ſicut feci.) Ac ſi diceret: Eccè nunc terræ maledixi propter homines. Nam propter homines diluuium induxit ſuper eam, & illa quia repleta erat iniquitate eorum, penè fuit cum ipſis deleta, ſuamque amiſit formam, dum aquæ obtinuerũt eam. At illa nihil peccauerat. Senſus enim & cogitatio hominis, ſenſus, inquam, & cogitatio hominis præuaricatoris, & non ipſa terra inſenſibilis, prona ſunt in malum ab adoleſcentia ſua. Igitur non vltra faciam ſicut feci, id eſt, non ita confuſa vltione cum homine, qui ſolus peccat, terram quoque inſenſibilem, vel iumenta, quorum ſicut nulla iuſtitia, ſic nullum peccatũ eſt, delebo, vt nunc deleui. Sed quidꝰ (Cunctis diebus terræ, ſemẽtis & meſsis, frigus & æſtus, æſtas & hyẽs, nox & dies nõ requieſcẽt.) Talis annꝰ, qualis hic exititit vltra non erit, qui careat viciſsitudine temporum, qui totus procelloſis expendatur pluuijs, nulloque modificetur beneficio caloris aut temperamento hyemis, quo natura vſquam iaciatur ſemẽtis, & nulla colligatur meſsis, ſed erunt commodæ vices naturæ, nunc æſtu, nunc frigore viciſsim terras aut ſata coquente. Nunquam ita confundetur naturæ vultus, aut ſitus mundi, cunctis diebus, id eſt, vſque ad finem ſeculi. Hoc ergo de ſpiritu quidem pietatis èſt, quòd odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, non quòd carnium nidoribus oblectetur, nec enim caro ipſe eſt aut corpus, vt talium ducatur odoratu, ſed quia ſpiritus eſt, & in hoſtijs corporalibus offerentis cor intuetur, & ſi pium eſt contritione eius delectatur ſuauis Dominus, plus quàm homo corporali, quãtumuis ſuaui odore mulceatur, iuxta quod ſcriptum eſt, quia ſacrificium eſt Deo ſpiritus contribulatus. Hoc, inquam, pietatis qui dem eſt, quòd ſacrificium iuſti in odorẽ ſuauitatis accepit, & quaſi magno munere delinitus, dixit, nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Sed hæc eadem pietas diſſoluta vel remiſſa non eſt, nec depoſita diſciplinæ virga, pueris ſuis, ſi delinquãt, impunitatem pollicetur, dum protinus ſubiungit huiuſmodi rationem. Senſus enim & cogitatio cordis humani prona ſunt in malũ ab adoleſcẽtia ſua, ſingulari ſenſus nomine, quinque ſenſus corporis ſignificans, qui proni ſunt in malũ, præſertim vbi cogitatio cordis, qua reſtringi vel gubernari debuerant, & ipſa prona in malum eiſdem ſenſibus, pro armis vtitur ad opus malum. Deinceps nanque terra quidem ſecura ſit, & quiſquis ſic ſuper eam ambulat, vt ſenſus vel cogitatio eius non ſint prona in malum: ſed timeat ſolus ille homo, cuiꝰ ſenſus ſiue cogitatio ſunt prona in malũ. Etenim terra quidẽ deinceps in æternum ſtat, & potius aquæ quæ tunc homines deleuerunt cũ terra, fortaſsis deficient omninò, iuxta illud quod in Apocalypſi dictum eſt, & mare iam non eſt, ſed homines alio iudicio diſtincti, ſecundum propria merita ſinguli retributionem recepturi ſunt.

Pſal. 50.

Apoc. 21.

De eo quod cum dixiſſet: Senſus enim & cogitatio hominis in malum prona ſunt, addidit: ab adoleſcentia ſua.

CAPVT XXIX.

SAnè cùm dixiſſet, ſenſus enim & cogitatio cordis humani in malum prona ſunt, benè addidit, ab adoleſcentia ſua. Adoleſcentia nanque, prima intelligibilis ætas eſt. Vnde quod antecedit vitæ humanæ, tam naturali quàm ſcripta lege, magis liberũ eſt. Quod aũtem accedit extunc boni maliq; legitimũ habet iudicium. Proinde & quidam ſapientũ ſeculi vitam hominis, Y græcè literæ ſimilẽ dixerunt, quæ ab vno ductu incipiens finditur in biuium. Sic nanque homo in infantia vel pueritia ſimplicem graditur viam, boni ac mali non perpendens diſtantiam: vbi autem adoleſcentiæ metas attigerit, vtriuſque diſcretionem duce ratione, percipit. Vnde ſi dextram

Universidad de Deusto
Biblioteca

dextram elegerit, præmium consequitur virtutis, si autem sinistram, pœnas malorum incurrit. Vnde & quidam poetarum maximus ait: Hac iter Elisium nobis, at leua malorũ
Virg. lib. 6. Aene. Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

De benedictione, in qua dictum est: Et terror vester sit super cuncta animantia terræ.

CAPVT XXX.

CAP. IX. BEnedixitque Deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & terror vester ac timor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouẽtur in terra.) Hoc iam secundò, istis creaturæ reliquijs Deus benedicit. Nam & paulò antè benedixerat eis, dicens: ingredimini super terram, crescite & multiplicamini super eã. Benè & fideliter. Nam propter Dominum nostrum Iesum Christum, postquam resurrexit à mortuis, bis effusa est super homines abundantia supernæ benedictionis: gemino quippe dono, data est Apostolis gratia spiritus sancti. Primò, quando datus est eis ab ipso insufflante, ac dicente: Accipite spiritum
Ioan. 20. sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Secundò, quando venit de cælo idem spiritus sanctus in igne, apparens illis, & super singulos eorum sedens, sic intrinsecus
Actor. 2. igniuit, vt de indoctis eruditos, de idiotis sapientes, & de timidis fortes efficeret. Vnde & signanter in hac secunda benedictione dictum est. Et sit terror vester super cuncta animantia. Exinde nanque minus contonando, miraculis coruscando, verbis pluendo, terribiles facti sunt omni homini bestialiter viuenti. Notandum quippe, quòd non dixe-
2. Cor. 4. rit, & sit terror vester super cæteros homines, sed super cuncta, inquit, animantia terræ, & super omnes volucres cæli. Hoc benè perspicientes huius nostri Noe filij, vel domestici viri, terrorẽ suum non nisi super eos qui bestialiter viuunt, exercere voluerunt: nam in quantum rationabiliter viuunt quique subditorum, intantum pares eos existimant sibi, vel etiam præferunt: quemadmodũ Paulus ille vas electionis, dum dicit quibusdam: Non prædicamus nosmetipsos, sed Dominum nostrum Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Iesum. Iuxta literam ferè hæc eadem, in primis hominibus, Adam & vxore eius dicta fuerant, crescite & multiplicamini, & replete terram & subijcite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus cæli & vniuersis animãtibus quæ mouentur super terram. Sed hic additum est, ex
Gen. 1. largitate Dei, dicentis: (Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.) Tunc enim dictum est solummodo sic: Eccè dedi vobis omnem herbam virentem, afferentẽ semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, erunt vobis in cibum. Attamen felici adhuc & infirmitatis experti homini, tenuis ille victus, sufficientior extitit, quàm infirmo nũc & moribundo carnium eius esse posset. Porrò, hæc homini potestas super cuncta animãtia nunciure accreuit. Nam & tunc propter hominẽ condita, & nunc propter hominẽ reseruata duplici ex causa hoc ipsũ homini debent, q̃ sunt. Igitur & si ante hac absque vlla Dei præcipientis auctoritate, hæc homo in cibum præsumpsit, iam ex hoc nunc ante legem, & deinde per legem potestate accepta, iure sibi vendicat eadem in esum, vt is potius contra Dei faciat imperium qui prohibere tentauerit, testante Apostolo, cùm de quibus
1. Tim. 4. dam dicit. Attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrysi loquẽtium mendacium, & cauteriatam habentiũ conscientiam suam, prohibentium nubere, abstinentiũ à cibis quos deus creauit ad percipiẽdum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendũ quod cum gratiarum actione percipitur. Sequitur.

De eo quòd cùm dixisset, omne quod mouetur & viuit, olera vobis in cibũ, addidit, quasi olera virẽtia trãsdidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.

CAPVT XXXI.

QVasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quòd carnẽ cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, & de manu viri, & fratris eius, requiram animam hominis. Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.) Bona & honesta exceptio dicentis, excepto quòd carnem cum sanguine, id est, nisi prius effuso sanguine nõ comedetis. Quare autem carnem cum sanguine non comedetis? Sanguinem enim, inquit, animarum vestrarum requiram. Mira argumẽtatio, nec vana tamẽ, sed grauissima, qua cum proposuisset de sanguine pecorum, carnem, inquiens, cum sanguine non comedes, rationem continuò subiungens de san- *Leuit. 17.*
guine hominis. Valet enim ad augendam æstimationem sanguinis humani, vt videlicet non leuè quis arbitretur, sanguinem hominis intus in conscientia ponere: cũ sanguinẽ pecudis, nõ sibi liceat in os forinsecus immittere. Idcircò, & per legem denuò mandauit, vt quando locus sanctuarij procul esset, funderetur in terram victimarum sanguis, earum, scilicet, quas in proprios esus præparabant: quando verò sanctuarium præsens esset, funderetur in altari, sicut est in lib. Deu- *Deut. 12.*
teronomij. Sanguinem hostiarum tuarũ fundes in altari. Carnib. aũt ipse veseris. Hinc est illud in lib. Reg. Et versus ad prædam, *1. Reg. 14.*
tulit oues & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra, comeditq̃ue populus cũ sanguine. Et

ne. Et ait Saul: præuaricati estis, &c. Si ergo præuaricatio est, brutum sanguinẽ ad os mittere, quanto magis abominatum esse debet homini, veras mundicias profitenti, sanguinem hominis in conscientia recondere? Igitur vt ex cõparatione minoris clarescęret, quanti sit reatus peccatum homicidij, rectè cùm dixisset, carnẽ cum sanguine non comedetis, statim subiunxit: Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. Sed quomodo de manu bestiarum requirit deus sanguinem hominis? Nam quòd de manu hominis requirat, dubium non est, de manu inquam viri, quãtumuis extranei, & de manu fratris eius, sicut sanguinem Abel requisiuit de manu Cain, propter quem maximè (vt nonnulli perhibent) diluuium mundo induxit. Sed de manu bestiæ (verbi gratia) lupi fortè hominem iugulantis, quomodo sanguinem hominis requirit? Ergo vel hoc intelligendum, quòd ipsæ bestiæ persæpe ab hominibus captæ, pœnas exoluunt: vel, quod rationabilius videtur, nomine bestiarum, mali gni spiritus intelligendi sunt, qui pro morte animarum hominum, æternũ accepturi sunt
CAP. IX. iudicium. Igitur quicunque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, quia omnis homicida punietur, subauditur, nisi pœnitentiam egerit. Hæc enim subauditio necessaria est in eiusmodi diuinis sententijs, vt (verbi gratia) anima quæ peccauerit ipsa morietur, & similia.

Item de eadem re.

CAPVT XXXII.

HAç exceptione seruata, quasi olera, inquit, virentia tradidi vobis omnia, id est, impunè trucidabitis, & manducabitis omnia quasi olera, quæ virentia quidem sunt, sed insensibilia. Olera nanque & quæcunq; eiusmodi, viuunt quidem per virorem, sed non ea vita est, quã rectè dicere possis animã licet Epicurei, quos imitati sunt etiã sordidissimi Manichæi, qui dixerunt, quod mortuo homine, anima eius in porcum vel canem, deinde in arborem vel frutetum seu quamlibet herbam degenerando deuoluatur, & in de quoq; olera habeant animas eorum arbitratu. Quorum stultitiam Flaccus quoque nobilis Satyricus irridens, cuidam dicit: Verum seu pisces, seu porrum, & cepe trucidas: Vtere Pompeio. Trucidas dixit, pro eo, vt diceret, comedis, quia videlicet iuxta sectam suam, tot animas trucidabat, quot quotidie porros aũt cepe vel allia manducabat. Itaq; in carnibus manducandis nulla iniustitia est: Imò in nõ manducandis, nisi pro voto religioso fiat, superstitio est iniusta, qua nimiũ vsus fuisse fertur Pythagoras, qui non solũ ab omni animali, verumetiam ab omni legumine abstinebat, præcipuè à faba, quasi consanguinea, dicens, quòd cocta sanguinis humani trahat colorem, vel q̃ viridis in pixide ærea diu seruata, vertatur in sanguinẽ. Quem item irridens idem qui supra dicit: O quando faba Pythagoræ cognata, simulq; vncta satis pingui ponẽtur oluscula lardo. In tantũ nanque Pythagoras pro causa iam dicta fabã quasi cognatã reputasse perhibetur, vt quadam die cũ effugium non haberet, maluerit per medios latrones ire, quàm per segetẽ fabæ. Sed iam huiusmodi ridicula per Dei sapientiam exposa sunt, & diuinæ auctoritatis valent seria, iuxta quæ & Apostolus dicit: *1. Tim. 4.*
Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Omnia, inquit, tradidi vobis, & omne quod mouetur in terra & viuit, erit vobis in cibum. Nullam hic mundorum & immundorum distinctionem fecisse videretur, nisi supra iam dixisset, quia tollens Noe de cunctis volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare: Sed & in loco suo hic idem Moyses, de huiusmodi legem daturus est discretionis.

Quid significet, quod tertio quoque dictum est: Crescite & multiplicamini.

CAPVT XXXIII.

VOs autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam.) Tandem & hoc tertio, vnius eiusdemque benedictionis verba super hominum reliquias edita sunt. Sicut tertio columbã emisit ipse Noe, sic tertio nihilominus super ipsum & filios eius sermo benedictionis effusus est. Et rectè, quia videlicet (vt supra iam dictum est) columba spiritus S. gratiã significat: & benedictio Dei, nõ aliud quã spiritus sancti effusio est. Igitur vnus idemq; Noe & tertio columbã emittit, & tertio benedictionem accipit: quia videlicet vnus ideq; Christus, & quia Deus est, spiritum sanctum mittit, & tribuit: & quia homo est, benedictionẽ, id est, spiritus sancti operationẽ, tam in se ipso quam in suis accipiat membris. In seipso, dum de spiritu S. concipitur ex vtero virginis, dum baptizatur & spiritus sanctus visibili specie super illum descendit, dum resurgit à mortuis, & ita ingreditur in gloriam regni sui, sicut in typum eius (vt superius iam dictum est) tertiò fuit vnctus rex Dauid. In membris autem suis, dum per fidem eius in *Sup. ca. 23*
baptismo, quisque nostrum remissionem peccatorum accipit, dum deinde manuum impositionem, dum tandem in resurrectione æternam pro eadem fide percipit remunerationem. Et notandum, quòd in ipso benedictionis verbo triplici, pulchrè signatur hęc eadem incrementa huius gratiæ spiritus sancti. Primò nanque dictum est: Ingredimini super terrã, crescite & multiplicamini super eam, secundò dictũ est, crescite & multiplicamini, additumque est, & sit terror vester super cuncta animantia terræ: tertiò crescite & multiplicamini & ingredimini super terrã & implete eam. Vltimum hoc dictum cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

primo penè vnum est, quia dictũ est primo, ingredimini super terrã, crescite & multiplicamini super eam, hic verò crescite & multiplicamini, & ingredimini super terr ã & implete eam. Vnum, inquã hæc esse videtur, sed ipso differunt ordine verborũ. Illic prius dictum est, ingredimini super terrã, ac deinde, crescite & multiplicamini super eã: hic autẽ priꝰ, crescite & multiplicamini, ac deinde, & ingredimini super terrã & implete eam. Illic itaque, ingredimini super terram, inquit, & subauditur, ad operandum: hic autem, ingredimini, subauditur, ad regnandum. Sunt enim duæ prædestinatorum vocationes, altera, qua vocamur ad fidẽ, de qua dicit Apost. *Rom.8.* Quos autem prædestinauit, illos & vocauit. Altera, qua vocandi sumus ad regnum, iuxta fidem euangelij, dicente rege his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Benè ergo in prima benedictione prius est ingredi terrã, & sequens, crescere & multiplicari, quia videlicet qui præsentẽ ecclesiam ingredimur, crescere & multiplicari debemus, alios vocãdo, iuxta illud: Qui audit, dicat, veni. In vltima verò prius est crescere & multiplicari, & sequens ingredi super terram, & implere eam: quia profectò post omnia crementa vel multiplicationes erit illa ingressio in regnũ Dei, post *Matth.25.* quam iam nõ est crescere & multiplicari, iã inquam nõ est audire & dicere, veni. Horũ medium est, vbi cũ dixisset, crescite & multi *Apoc.22.* plicamini, statim addidit, & sit terror vester super cuncta animantia terræ, quo videlicet secũda significatur effusio spiritus sancti, qua (vt superius iam dictum est) sancti Apostoli fortes & feruidi effecti, non solùm nõ timuerunt, sed etiã timendi & terribiles cunctis bestialiter viuentibus esse meruerunt. *Sup.ca.30.*

De eo quòd dixit Deus: Eccè ego statuam pactum meum vobiscum.

CAPVT XXXIIII.

HAec quoque dixit Deus ad Noe & ad filios eius. Eccè ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Et nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij: Neq; erit deinceps diluuiũ dissipans terrã. Dixitq; Deus: Hoc signum fœderis inter me & vos: Arcum meũ ponã in nubibus, & erit signũ fœderis inter me & inter terram.) Vnum est q̃ hic nos in primis quærere oportet, scilicet pactũ, quod vel quale sit, de quo dicit, eccè ego statuam pactum meum vobiscũ, & cum semine vestro post vos? Neq; enim per se præsenti loco satis elucet, vbi vel quando pactum hoc statuerit, quæ veraciores dati & accepti fuerint in cõstitutione pacti. Sine dato quippe & accepto, pactũ non solet statui, nec minus quã inter duos fit, vt (verbi gratia) inter Abrahã & regẽ Palæstinorum Abimelech. Nã & illeputeum reddidit, quẽ vi abstulerãt serui sui, *Gen.21.* & hic oues & boues, & præterea septẽ agnas gregis seorsum statutas ꝓ testimonio dedit. Hic verò nulla cõdonatio est. Dicit quidem Deus, nequaquã vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, verũ hoc non ipsa pactio vel cõstitutio, sed tenor fœderis est, quẽadmodũ illud q̃ prædictus Abimelech ab Abraham exegit dicẽs, ne noceas mihi & posteris meis, stirpiq; meæ. Item & hoc dixit Deus, ponam arcum meũ in nubib. verũ hoc nõ ipsum fœdus, sed signum fœderis est. Etenim erit, inquit, signum fœderis inter me & inter terrã. Præterea sciendum, quod non dixerit præsenti tempore, eccè ego statuo, sed futuro, eccè, inquit, statuã pactum meum vobiscum, & quod non tantum dixerit vobiscum, sed addiderit cũ semine vestro post vos. Dicit quidem & postmodum, & erit signum fœderis quod constitui inter Deum & omnem carnem super terram, sed illic quoq; pro futuro rectè accipitur præteritum, iuxta illud quod scriptũ est. Qui fecit quæ futura sunt. Quærẽdum igitur est hoc pactum, & clarum erit, quanti valeant cætera, qui nunc ex ore Dei procedunt. Dicimus itaque, quia pactũ mul- *Eccl.2.et 3* toties quidem promissum, sed vnũ & semel initum, pactum inquam vnum, quo solo inimicitiæ soluuntur, quę erant inter deum & homines, incarnatio vel passio Christi filii dei est. Illic absq; vlla cõtradictione certa est constitutio pacis cum ratione dati & accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eundem Christum filium suum, vt saluentur per ipsum.

De pacto vel pacti signo.

CAPVT XXXV.

HVius pacti duo tantum signa quidem præcipua, sed multæ promissiones vel significationes præcesserunt. Primum est signum quod nunc datur, dicente Deo, hoc signum fœderis inter me & vos, arcũ meum ponam in nubibus, secundum quod datur Abrahæ, ab eodem dicente: Circuncidetis carnem præputij vestri, & erit signum fœderis inter me & vos. Vbi notandum illud, quòd signum pacti, nonnunquam rectè dicatur pactum, quia videlicet cùm dixisset, hoc est pactũ q̃ obseruabitis, circuncidetur *Gen.17.* ex vobis omne masculinũ, continuò subiũxit, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me & vos. Sed de hoc suo loco plenius dicendum erit. Nunc de isto, scilicet, arcu Dei videndum, quomodo illius vnici pacti vel fœderis signum sit.

De eo quòd in Christo pactum suum cum hominibus Deus fecerit, & quod pacti eius illud quod cum Noe pepigit, signum fuerit. Et de arcu, qui græcè iris dicitur, id est, pax.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

IN eo Deus pactum cum hominibus pepigit, per Christum filium suum, quòd illo in cruce moriente nos sibi reccõcilians, lauit nos à peccatis nostris & in sanguine eius, dedit q; nobis p illũ sanctũ charitatis suæ spiritum, dedicãs illũ, quo renascęremur, aquæ & spiritus S. baptismũ. Talis nanq; Christi filij Dei arcus iste, qui in nubibus apparet, signũ est. In eo quippe multi quidẽ & penè innumeri colores videtur, sed præcipui sunt & magis hi duo apparent, ceruleus & igneus. Ceruleus aquæ baptismũ quo visibiliter abluimur, igneus spiritũ S. significat, quo inuisi- *Ephe.2.* biliter peccata nostra cõsumũtur: vt ab vtrisque secernamur, & ab illis qui præterito aquę diluuio perierũt, & ab illis qui futuro ignis iudicio perituri sunt. Igitur signum fœderis, id est, signũ filij Dei, & propter electos iudicati & super reprobos iudicaturi, arcus iste in nubibus cæli. Et istud quidẽ signum est in nubib. q̃ nõ adijciat Deus vltra perdere aquis diluũij omnem carnem: ipse aũt Deus, quem nubes suscepit, quiq; vltra nubes, & super omnes cælos eleuatus est: signum æternæ recordationis est in oculis Dei patris, & sempiternũ memoriale nostræ pacis: vt iam postq̃ ille in carne sua inimicitias soluit, firmæ sint amicitiæ Dei & hominum, nõ iam seruorũ, sed amicorum & filiorũ Dei. Rectè itaq; cũ dixisset, & nequaq̃ vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, addidit, neq; erit deinceps diluuium dissipans terrã, quia nec terra vltra delebitur diluuio aquarum: nec nostra caro post resurrectionẽ vllo turbabitur diluuio mesęriarum vel pãsionum inundãtiũ. Hoc, inquit, signum inter me & vos & omnẽ animam viuentẽ, quæ est vobiscum in generatione sempiterna. Nam istud quidem signũ cum nubibus transibit, ipsum autem fœdus, *CAP. IX.* cuius signum est, id est, memoriale nostræ redemptionis, in sempiternum permanebit in conspectu patris in carne filij eius, in cicatricibus vulnerum manuum, pedum, & lateris eius. Vnde & quia ipse est pax nostra, benè hoc signũ fœderis Græcè dicitur Iris, id est, pax. Cuius causas ignorantes, curiosi mundi huius philosophi, dicunt cum fieri casualiter ex obiectu solis cauæ nubi radios suos insundentis, sed quoquo modo fiat, opus Dei est, non casu, sed ratione, pro signo se exhibens diuinæ recordationis.

De tribus filijs Noe, & cur non dixerit maledictus Cham, sed maledictus Chanaan.

CAPVT XXXVII.

ERant igitur tres filij Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Chã, & Iaphet. Porrò Chã ipse est pater Chanaan.) Ipse est, inquit, pater Chanaan, subauditur, habitatoris terræ huius, quam tu ô Israel, ingredieris possidendam. Non enim quòd vel solus filius vel primogenitus fuerit hic patris sui Cham, idcircò dixit scriptor, ipse est pater Chanaan, sed quia præ cæteris gentibus hanc nosse debebat Israel, cum qua sibi causa grandis erat. Cuius videlicet gentis maculam antiquum continuò scribere properat, vt non adeò mirum sit vel incredibile, quòd illam ad ingressum eorum terra euomere debeat. Ait ergo. (Cœpitq̃ue Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, bibensq̃ue vinum, inebriatus est, & nudatꝰ in tabernaculo suo. Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda, scilicet, patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foris, & cætera.) Hoc enim ad ignominiam gentis multum proficit, quòd ob seruilem patris nequitiam traxerit ex illo hæreditariam maledictionis pœnam. Proinde semel, & secundo, atque tertio gentem eandem hic percutit dicendo. Porrò, Cham ipse est pater Chanaan. Ac deinceps. Quod cùm vidisset Cham, pater Chanaan, scilicet, verenda patris sui nudata, nunciauit duobus fratribus suis foris. Nam hic aduersariam gentem nominare in tali patris eius nuncio, grauis exprobratio est. (Deinde cùm euigilasset Noe, & didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, maledictus, inquit Chanaan, seruus seruorũ erit fratribus suis.) Maledictus Chanaan dixit, cùm nondum natus vel non solus esset ille filius Cham. Adeò posteros Chanaan detestatur, vt totum maledictionis illius opprobrium vel pœnã in illos redundare pronunciet. Minorẽ quoque illum appellat, qui patris pudenda diuulgauerat, cùm fuerit natu medius, minorem inquã, non tam ætate, quàm ꝓ vitio & morum indignitate. Seruus seruorum, inquit, erit fratribus suis. Non dixit solùm, seruus erit, quo nomine interdum etiam bona vel voluntaria seruitus solet significari, sed seruus seruuorum, inquit, erit: quo additamẽto seruitus extrema, immò seruilis nequitia solet exprimi, nisi cum subiectione Dei, dum per egregiam humilitatem seipsum profitetur quis seruum seruorum Dei. Hæc narratio iam in præsenti dum scribitur, valet eis quibus scribitur, videlicet ad corroborandos eorum animos, scientes quòd hostem eorum Chanaan iamdudum oderit Deus. Idem enim est, ac si diceret. Confortamini & estote robusti. Sicut enim iam fecit Deus Cham in filio eius Mesraim, hoc est, Aegyptijs (de Mesraim nanque secundo filiorum Cham nati sunt Aegyptij) quos Deus propter nos afflixit varijs plagis, & in mari rubro tandem obruit: sic multò magis faciet eidem Cham in isto filio eius Chanaan, id est, in istis populis, contra quos Deo duce profi- *Gen.14.* ciscimini, qui de illo nati sunt. Nam & antequã fieret pater vester Abrahã, maledictus & seruꝰ vester fore pronũciatus est iste Chanaan, dicente adhuc eodẽ patre, propter eum quẽ prophetico spiritu præuidebat, patrem vestrum Abraham. (Benedictus Dominus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus Sem,)id est,deus Abraham, Abraham
Gen.14. quippe natus est de Sē, (sit Chanaan seruus
eius.)Ne ergo dicatis,nequaquam ad hūc po
pulū valemus ascendere, quia fortior nobis
est,vel quia proceræ staturæ est,ne,inquam,
Num.13. hæc vel huiusmodi dicatis, quia reuera po
pulus maledictus est, vobisq; seruus & tribu
tarius erit,sicut per patrem Noe prophetatum est. Sciendum quippe, totū illud esse in spiritu prophetiæ. Nā quia de Sem nasciturus erat vnus dei cultor Hebræorū populus,idcirco dixit:Benedictus Dñs Deus Sem. Quia verò de Iaphet diuidendæ erant insulæ gentium,& earum plenitudo per fidē ventura & habitatura erat in domo dei Iudæorū, non quidē dixit:Benedixit dñs deus Iaphet,quia falsos & multos deos coluerunt,sed(dilatet, inqt,deus Iaphet,& habitet in tabernaculis Sē.)His iuxta literā dictis,altiorē sensum ponamus,iuxta quem & huius, id est, Iaphet, idem Chanaan sit seruus, quia de isto quoq; dictum est,sit Chanaan seruus eius.

Item mysticè de ebrietate Noe & de nudatione eius, quòd per illam humilitas passionis Christi significetur,quam despicit Cham,id est, quiuis hæreticus.

CAPVT XXXVIII.

QVam vineam Dominus Deus noster, qui(vt sæpe iam dictum est)per Noe figuratur,plantauerit,incognitū esse sacra scriptura non sinit, verbi gratia, cùm dicit: Vineam de Aegypto transtulisti: eiecisti gentes, Psal.79. & plantasti eam:dux itineris fuisti in conspectu eius,& plantasti radices eius, & impleuit terram. Et in Esaia: Vinea facta est dilecto Esa.5. meo in cornu filij olei,& sepiuit eam,& lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea,& expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas,&c. Item,nec illud latere potest, quòd illa vinea benè plantata & decora prius, postea in amaritudinem vitis alienæ conuersa, ipsum plantatorem amaro mortis poculo potauit,& consummata amaritudine inebriauit, ita vt obdormiret somno mortis,nudat⁹,id est,infirmus vel passibilis inuentus, quippe qui in similitudine ho-
Philip.2. minum factus,& habitu inuentus est, vt ho-
Ioan.19. mo. Realiter quoq; dicēti,sitio,vinum obtu-
Matth.27 lit myrrhatum,vinum vel acetum cum felle mixtum. Igitur Noe de vinea quam plantauit ipse,inebriatus est, & in tabernaculo suo nudatus,ipse est Christus,à populo, cui legē
Esa.53. dedit,ipse morte affectus, & in eadem gente sua despectui habitus, vnde & gemibundus Esaias loquitur: Nō est species ei,neq; decor, & vidimus eum,& nō erat aspectus. Et desideruimus eum despectū & nouissimū virorum, virum dolorum,& scientem infirmitatē, &c. Quicunq; hæreticus sub Christiano nomine, propter huiusmodi infirmitates, Christum dei virtutē & Dei sapientiam, verum Deum, de Deo vero negat ante secula natum,is est,Cham,quod interpretatur calidus,videlicet impatiens, semperq; calens ad rixam,atq; contentiosus, qui & infirmitatē patris nunciat foris: Iuxta quod Ioannes de
1.Ioan.8. huiusmodi:Ex nobis,inquit,exierūt, sed nō erant ex nobis,dum negant in Christo quod virtutis est, illud solū prædicat quod est infirmitatis & turbam facit. Econtra,qui susceptam à virtute Dei, nostrā infirmitatē dignè venerantur, scientes quia quod infirmū est Dei,fortius est hominibus,ipsi sunt Sem & Iaphet.i. incliti atque dilatati. Sem quippe inclytus siue nominatus. Iaphet verò latitu-
1.Cor.1. do interpretatur. Maiores siue doctores atq; prælati in domo huius Noe.i.in ecclesia Christi nominati sunt & inclyti: auditores verò siue subditi,quā plurimi sunt, & idcirco nomine Iaphet,id est,latitudinis,rectè intelligē di sunt. Tertius est Chā.i. caterua falsorum fratrum. Præter has hominum partes nulla inuenitur in filijs Noe, id est,qui Christiano censentur nomine. Et duæ quidē saluæ sunt,
Apoc.12. nam tertia pērit,sicut habemus in Apocaly-
Ibidē.8. psi,vel quia proiecti cauda draconis qui trahebat tertiā partem stellarum cæli, vel quia ad cantum tubæ angelicæ,tertia pars creaturæ interijt. Quomodo illi, qui per Sem & Iaphet designantur,illam infirmitatem honorāt,quā in Christo hæretici despiciunt? Dorso auersi,pallium imponentes,infirma patris operiunt,id est,reuerentur præteritas passiones Domini recolentes,venerando sacramētorum ordine vestiunt, qualia in domo Dei agere sanctum,intelligere pium est. Hoc primi fecerunt Apostoli,& deinde apostolici viri,atque cum illis, & post illos omnes religio si obseruant,& fideles Christiani. Illis ergo rectè seruus seruorum est Chanaan,id est,omnis hæreticus,quia videlicet dum blasphemat & contendit,imò etiā corporaliter persequitur (quod maximè furor fecit Arrianus)illorum gloriæ seruit,& perficiendis coronis famulatur. Et benè dictum est, maledictus Chanaan,& nō maledictus Cham, quia videlicet dum in futurum seculum pœna illorum reseruatur,quasi non in semetpsis,sed in posteris suis puniuntur. Interpretatur autem Chanaan,motus eorū. Quæ interpretatio talibus congruit, quia|pro motu,id est,p opere patris sui maledicti sunt.

Quæ sint mysticè tabernacula Sem,in quibus habitauit Iaphet.

CAPVT XXIX.

DILATET Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Iam quia notum, & supra iam dictum est, in Sem Iudæos,in Iaphet verò Gentes, quæ promissiones Iudæorum consecuturæ erant, benedici prophetico spiritu patris: certius nunc scire licet, quæ sint tabernacula Sem,& quo introi-
Rom.9. tu admissus,cœperit in illis habitare Iaphet. Tabernacula Sem, priuilegia sunt Iudæorum, quæ Apostolus his verbis enumerat:

Quorum

Quorum est,inquit, adoptio filiorū, & gloria,& testamentū,& legislatio, & obsequiū, & promissa,quorum patres,ex quib. Christus secundum carnē,qui est super omnia Deus benedictus in secula. In his ille populus aliquando habitabat solus, nā nos gentes foris
Ephe.8. eramus. Eratis enim(inquit idem Apost.)in illo tempore sine Christo,alienati à cōuersatione Israel,& hospites testamentorum,promissionis spem nō habentes, & sine Deo in hoc mundo. Hæc enim omnia vnius Hebræi cæ linguæ clausura tenebat, quæ in diebus, quib.diuisio vel cōfusio linguarū facta est,remansit in domo vel familia Heber, vnde & lingua ista Hebraica dicta est. Itaq; hæc quæ
CAP.X. prædicta sunt,apertè vocantur hic tabernacula Sem. i.non quòd cunctæ generationes Sem in illis habitauerint, sed pars, videlicet pars populi Israel,qui per Abraham descendit ex Heber pronepote Sem. Porrò,de Iaphet nati sunt Græci & Latini: filij nanq; Iaphet fuere septem, Gomer, à quo Galathæ: & Magog, à quo Scythæ: & Madia, à quo Mœdi:& Nauan à quo Iones, qui & Græci, vnde & mare Ionium dicitur: & Tubal à quo Itali: & Hiberi, qui & Hispani,à quib. Celtiberi:& Mesoch,à quo Capadoces,vnde & vrbs apud eos Mazecha dicta est: & Tyras,à quo Thraces, quorum non satis immutatum vocabulū est. In his,& in cunctis penè gentib. Græca & Latina lingua principatum obtinent, altera videlicet propter sapientiā Græcorum,altera propter potentiā Romanorum,per quas aperta sunt tabernacula Sē gentib. vniuersis ad inhabitandum, quia vi-
CAP. XI. delicet per illas,annitentibus multis transla-toribus, scripturarum scientiam & perinde vnius dei notitiam apprænderunt. Et Iudæi quidem,quib. illa tabernacula primùm ædificata fuerant,& nonnulli quoq; de cæteris gentibus tabernacula Sem introierūt,sed generationes Iaphet,quib.maximè Europa possessa est, habitando præualuerunt.

Item de tribus filijs Noe,quod eorum generatione tres mundi partes impletæ sunt.

CAPVT XL.

FIlij Cham, Chus, Mesraim, & Futh,& Chanaan.)Chus vsq; hodie ab Hebræis Aetheopia nūcupatur: Mesraim Aegyptus: Futh,Lybies,à quo & Mauritaniæ fluuius vsq; in præsens Futh dicitur, omnisq; circa eum regio Futhensis. Porrò,Chanaan(vt iā dictum est) obtinuit terram,quā Iudæi dein ceps possederunt,eiectis Chananæis. (Filij Sem,Elā,& Assur,& Arfaxat, & Ludim,& Aram.)Hi ab Euphrate fluuio partem Asiæ vsque ad Indicum oceanum tenent. Est aūt Elam,à quo Elamitæ,Princeps Persidis: Assur Niniuem ciuitatem condidit. Arfaxat,à quo Chaldæi: Ludin à quo Lydia: Arā,à quo Syri, quorum metropolis est Damascus.

Singulas gentes quæ de his tribus filijs Noe dissemināte sunt,prosequi longum est. Hoc ad summam compēdio dictum sit, quia Sem in filijs suis Asiā,& Cham maximè Lybiam, & Iaphet Europam possederunt, vt tres partes mundi,à trium generatione implerētur, in quib. etiam ecclesia Christi sanctæ trinitatis fide explananda præmonstrabatur.

De ædificatione turris Babel.

CAPVT XLI.

ERat autem terra labij vnius, & sermonū eorundem, Cumq; proficiscerentur de
CAP.XI. oriēte,inuenerūt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite,faciamus lateres,& coquamus eos igni,&c.)Iam superius vbi septē filios Iaphet in ordinem digessit,ita subiunxit: Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisq; secundum linguā & familias suas. Hoc per regulam, quā Tyconius recapitulationem appellat, colligendū vel continuandum est,quia videlicet illic nō dictum est qualiter diuisæ fuerint, & hic idcirco repetitur, vt narretur quomodo vel quam ob causam diuisio vel confusio eiusmodi facta est. Erat,inquit,terra labij,id est, linguæ vnius,& sermonum eorundem,scilicet,quia quique sermones vel singulę voces, in omni terra significabāt idem. Inuenerūt, inquit,campū in terra Sennaar, Ipsum campum quem inuenerunt, scriptura nunc vocat Sennaar, scilicet, ab euentu, locum congruo nomine significās, interpretatur enim Sennaar excussio dctium,vel fœtor eorum, videlicet excussio dentium, id est, sermonū siue verborum quę sine dentibus non fiunt. Plurimùm nanque dentes iuuant ad loquendum, qui tunc illis quodammodo excussi sunt,quando solitam loquendi facultatem dentati,id est,superbi vel fortes illi perdiderunt. Nilominus rectè dicitur & fœtor eorū, quia videlicet fœtorem superbiæ eorum tali ausu vsque ad nares Dei emiserunt. Cui sicut humilitas, vel spiritus contribulatus, sacrificium est in odorem suauitatis: sic econtra,superbia fœtor horribilis est. Cuius eorū superbiæ mirandā magnitudinem scriptura insinuans,introducit Deum descendentem, vt videat ciuitatem & turrim, quā ædificabant,inquit,filij Adam, & dicentem: (Eccè vnus est populus,& vnum labium omnibus. Cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui,&c.) Descendit vt videret, de illo ait scriptura, qui omnia scit antequam fiant,& nusquā abest,quia videlicet & causa talis erat,quā indi-
Gen.18. cussam cælestē iudicium nullatenus omittere deberet, & sic loqui debuit scriptura, vt nil temerè esse credendū insinuaret. Si enim is qui omnia scit,descendere hic dicitur vt videat,& alibi dicit, clamor Sodomorū& Gomorrhęorum multiplicatus est,& peccatum

eorum aggrauatum est nimis, descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam: quanto magis homo qui falli potest, antequã sententiam proferat, rem diligenter inuestigare debet? Et notandũ, quòd hic illos appellat filios Adã, potest quidem idẽ intelligi cũ dicit, quã ædificabant filij Adam, ac si dixisset filij hominum, quoniam Adam apud Hebræos communi genere homo dicitur, sed hoc loco sicut voce, sic & sensu, ad eundem qui primus fuit conditus debet referri. Ita nanque acrius multo percutit eos, qui dixerunt, & celebremus nomen nostrum, & turrim superbiæ, qua cælum attingerent ædificare cœperunt: quia videlicet hoc modo spe
Esa. 14. cialiter imitabantur præuaricationem Adæ, qua diabolum secutus est, dicentem: comedite, & eritis sicut dij, & hoc modo æquè vt ille ascẽdere voluit super altitudinẽ nubiũ, & esse similis altissimo.

De confusione linguarum, & quòd per donum spiritus sancti omnes linguæ rursus adunatæ sunt in ore Apostolorum.

CAPVT XLII.

ECcè, inquit, vnus est populus, & vnum labium omnibus. Cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere impleant. Ergone, si illa facultas mutuæ linguæ sublata nõ fuisset, cogitationes suas opere implere, id est, turrim tantæ altitudinis, quiuissent extruere? cuius culmen in cælũ pertingeret? Nõ vtiq; ad cælum æthereum, cuius altitudinis stadia geometræ cõiecturis suis numerare nõ possunt, sed fortè ad cælũ aeriũ, à quo volucres cæli dici cõsueuerunt. Cũ ergo de stulta eorum præsumptione dicit deus, nec desistẽt à cogitationib. suis, donec opere impleãt, subaudiendũ est, quantũ in ipsis est. Satis enim diabolum imitatur dicentẽ: Ascendã super altitudinem nubium, qui quantum potest, extollit se aduersus Deum altissimum. Venite igitur (inquit Dñs) descendamus & cõfundamus ibi labiũ eorum, vt nõ audiat vnusquisq; vocẽ proximi sui. Tanquã diceret: Inueni, in quo dignè q; merentur iuxta modum culpæ retribuam eis. Quoniã peruersa via tendunt ad cælũ: veram viã abscondamus ab eis, qua veraciter itur ad cælũ. Etenim cùm hæc diceret Deus, futurum erat, vt sanctã per famulum suum Moysen cõderet scripturã, vnius Dei continentẽ notitiam, qua sola verè itur ad cælum. Vna aũt tãtum scribendi lingua erat quæ vtique tunc omniũ erat, quæ & hactenus dicitur Hebræa. Vt igitur cũ datæ fuerint illæ margaritæ cælestis doctrinæ, nõ conculcẽtur à porcis huiusmodi: venite, inquit, confundamus ibi labium eorum. Hoc tam mirandę vindictæ incommodum, quo maximè homines, à semetipsis diuiduntur, solus facere potuit Deus. Proinde cùm dicit pluraliter, venite descendamus, confundamus, non angelorum multitudines ad auxiliũ cohortatur, sed ad feriẽdã superbiã se adesse testatur tota trinitas & vnus Deus. Quòd ex opposito remedio magis liquet. Vbi enim in ore Apostolo *Actor. 2.* rum omnia reuocãtur genera linguarum, eadem trinitas sese aperit hominib. & ea die, primum in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, humiles hominibus baptizantur, quæ vera structura est altissimæ turris, qua in cælum fugiat homo Deo conregnaturus.

De Nemroth, quem Iosephus eorum principem fuisse asserit, qui turrim ædificauerunt.

CAPVT XLIII.

HOrum principem Iosephus Nemroth fuisse asserit, de quo superius dicit scriptura: Et Chus genuit Nemroth. Iste cœpit potens esse in terra, & erat robustus venator coram Domino. Potens, inquam, cœpit esse *Gen. 10.* in terra, & robustus venator erat; quia prius in populo insuetam tyrannidẽ quasi venando arripuit. Regnauitque in Babylone, quæ ab eo quòd ibi confusæ sunt linguæ turrim ædificãtium Babel, appellata est. Babel enim interpretatur cõfusio. Regnauit aũt & in Arach, hoc est in Edissa, & in Achad, quę nũc dicitur Nisibis, & Calamne, quæ postea verso nomine, à Seleuco rege, dicta est Seleucia. De terra illa exiuit Assur, & ædificauit Niniuen & Robooth ciuitatẽ. Vbi nõ putemus duas vrbes esse significatas, sed quia Roboth interpretatur platea, ita legendum est: Et ædificauit Niniuẽ & plateas ciuitatis. Dictaque est Niniue à Nino, Beli filio. Interpretatur aũt Nemroth tyrãnus siue transgressor, significatque diabolum, qui in hoc mundo tyrannidẽ arripuit, quã & in cælo meditari ausus fuit, dicendo: Ascẽdã super altitudinẽ nubium, similis ero altissimo. Et ob hoc re- *Esa. 14.* uera exiuit prouerbium: Sicut Nemroth ro- *Psal. 74.* bustus venator corã domino: subauditur, sic est omnis, qui extollit in altum cornu suum, q loquitur aduersus Deũ iniquitatẽ. Dũ eum exemplo illius celebrare se putat nomen suũ, potius sempiternum ecõtrario cõquirit opprobrium. Ipsa quoq; ciuitas siue turris, cui⁹ extruendę princeps ille fuit Babel. i. cõfusio, passim in scripturis spiritualem significat ciuitatem diaboli, contrariã ciuitati Dei. Voca *Matth. 5.* tur enim & est illa Babylon meretrix, quæ sanguinem sanctorum bibit, & econtra ciuitas Dei Hierusalem, id est, visio pacis, in qua pacifico & vero regi, in æternum & vltra conregnabunt omnes pacifici, veri beati, quia vocabuntur & erunt filij Dei.

EINIS LIBRI QVARTI IN GENESIM.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

Quòd in Abraham tertiæ ætatis mundi initiũ fuerit.

CAPVT I.

Ioan. 8. CRutamini scripturas dicit Iudæis ipsa, quam in scripturis habemus, vita, Christus filius dei viui, scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitã habere. Quid deinde? Et illæ sunt, inquit, quæ testimonium perhibent de me. Hoc nobis præsenti opere facere propositũ est, & eccè scrutando ad eam partem agri peruenimus, de qua rectè dicas, habet argentum *Iob. 28.* venarum suarum principia, in qua situs est plurimus testimoniorum eius aceruus, argenteus, scilicet, ad Abraham patrem credentium & secundum nomen suum patrem multarum gentium, ad quem primum eiusdem beati seminis repromisio facta est. Propter quod & initium est alterius, id est, tertiæ ætatis mundi, in qua Christus repromissus est, & lex per Moysen data, cui si credaretis (ait ipse) credaretis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Hic scientia est, & proinde tertio loco, à spiritu timoris spiritus scientiæ ponitur, quia tertia mundi ætate, scientiam magnæ salutis & repromissionis, sermone & legis conscriptione Deus hominibus tradidit. Hanc igitur ætatem ingressuri, sanctum scié-
CAP. XII tiæ spiritum inuocamus, in quo sensu congesserit, eodem inuenire & proferre nos faciat repositum in hoc agro thesaurum testimoniorum Christi filij Dei.

De Abraham, quòd (vt aiunt plerique) de Hur Chaldæorũ, id est, de incendio, Dei auxilio liberatus sit.

CAPVT II.

CAP. XII DIxit autem Dominus ad Abraham: Egredere de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quã monstrauero tibi, faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi: & multiplicabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicẽtibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.) Abraham q⁹ interpretatur pater excelsus, Hebræus erat ex Heber, cuius in domo vel familia remanserat lingua primitiua, quæ extunc ab eodẽ dicitur Hebræa, natus anno centesimo nonagesimo primo, à natiuitate Faleg, cuius in diebus terra diuisa est: à diluuio autem CCXCII. à Sem filio Noe decima generatione editus. Sem nanque genuit Arfaxath, Arfaxath genuit Sale, Sale genuit Heber, Heber genuit Faleg, Faleg genuit Reu, Reu genuit Saruch, Saruch genuit Nachor, Nachor genuit Thare, Thare genuit Abram. Chainan, quippe qui apud Lucã euangelistam inter Arfaxath & Sale ponitur, in Hebraico non habetur. Porrò causam cur tali viro terra sua, id est, terra Chaldæorum, digna non fuerit: hanc Hebræi tradunt, & ecclesiastici illustres viri veram esse defendunt, scilicet, quòd Abram in ignem missus fuerit, eò quòd ignẽ adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit, & hoc esse q⁹ dictũ est, mortuus est Aram ante Thare patrem suum in terra natiuitatis suæ in Hur Chaldæorum, quòd *Gen. 11.* videlicet ignem nolens adorare consumptus *Gen. 15.* sit. Nam Abraham, inquiũt, eodem vallatus *Quæstio de annis Abrã* incendio, Dei auxilio liberatus est. Vnde & *Gen. 12.* postmodum eidem Dominus: Ego, inquit Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum. Alioqui indissolubilis (aiunt) erit quæstio in eo quod dictum est postmodum, septuginta quinque annorum erat Abraham cùm egrederetur de Aran. Si enim Thare pater Abram, cũ adhuc esset in regione Chaldæorum, septuaginta annorum genuit Abram, & postea in Aran ducẽtesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est, quomodo post mortem eius Abram exiens de Aran septuaginta quinque annorum fuisse memoratur, cũ à natiuitate Abram vsque ad mortem patris eius, centum triginta quinque anni fuisse doceãtur? Igitur vera est illa Hebræorũ traditio, quòd egressus sit Thare cũ filijs suis de igne Chaldæorum, & quòd Abram auxilio Dei sit liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ & tempus reputetur ætatis. Potest tamen rectè intelligi, quòd Thare cum suis omnibus statim quidem post persecutionem venerit in Aran: & cùm proposuisset ire in terram Chanaan, illic remoratus sit: Abram autem, iubente Deo, vt egrederetur de terra & de cognatione sua, egressus sit. Sic enim se habet ordo narrationis.

Cur non dixerit Deus solũ: Egredere de terra tua, sed addidit, & de cognatione tua.

CAPVT III.

TVlit itaq; Thare Abram filium suum, & Loth filium Aran filij sui, & Sarai nurum suam vxorem Abram filij sui, venerunt *Gen. 11.* que in Aran & habitauerũt ibi. Et facti sunt dies Thare ducẽtorum quinque annorum, & mortuus est in Aran. Dixit autem Dominus ad Abram, subauditur cùm venisset in Aran, viuente adhuc patre eius Thare, scilicet, Egredere de terra & de cognatione tua, &c. Cur enim non dixit solùm: Egredere

Universidad de Deusto
Biblioteca

de terra tua, sed addidit, & de cognatiõe tua: nisi qa alibi terra, & alibi cognatio eius erat? Siquidẽ terra ei⁹ Chaldæa erat, cognatiõe aũt eius nunc in Aran, id est, in Syriam, profugiendo deuenerat. Quòd ergo cũ dixisset, egredere de terra, addidit, & de cognatione tua, idẽ est ac si diceret: Sicut de terra Chaldæorũ corpore egressus es, animo quoq; sic egredere, vt nunquam illuc redeas, insuper & hinc, vbi nunc habitas, egredere de cognatione tua. Nam quòd in Aran, id est, in Syria, cognatio Abram illo egrediente resederit, & ibi coaluerit, illud satis indicio est, *Gen.24.* ꝙ seruus Abrahã adiuratus ab eo dicẽte: Nõ accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito, sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo, Isaac: Profectò (inquit scriptura) perrexit Mesopotamiam Syriæ ad vrbem Nachor. Ad terram & ad cognationem meam, inquit, proficiscaris: quia videlicet cùm hæc diceret, iam cognatio eius cum Syra gente commixta fuerat, iamq; illã terram pro sua habitabat. Vnde & vsque hodie Syra lingua Hebrææ cognata, id est, ex magna parte similis est. Sed iam promissionis verbum audiamus.

Vnde & ex quo propheta fuerit Abram.

CAPVT IIII.

FAciamq́ue te, inquit, in gentem magnã, atq; in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.) Ex hoc iam pater excelsus Abrã propheta est. *Gen. 12.* Etenim sancti omnes viri, quos prophetali nomine honorat dom⁹ dei, ex eo prophetæ dicuntur & sunt, quòd præscire meruerunt incarnationem filij Dei. Ecce autem huic primo reuelat Deus illud secretum consilij sui, dum dicit, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Nõ aliam sine dubio benedictionem hic cõmemorat, nisi illam, qua per semen Abrahæ (quod est Christus) in omnes gentes gratia Spiritus sancti effusa est. Ergo iam propheta Abraham, propheta Isaac, propheta Iacob, sed maiore patriarcharum nomine, hoc ipsum nomen in illis penè opertum est. Sed dicit Deus ad Abimelech regem Geraræ de Abram: Nunc ergo redde vxorem viro suo, quia propheta est, & orabit pro te, & viues. *Gen. 20.* Et in psalmo, tam de isto quã de cæteris patriarchis eius posteris. Et corripuit pro eis reges, subauditur dicens: Nolite tãgere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Non ergo quia breuiter dictum est, parum esse putemus quod huic reuelatum est, *Psal. 104.* sed paruulã sermonis huius aperientes thecam, quid habeatur intrinsecus, diligentius contemplemur.

Qualem mercedem, vel quod præmium proposuerit illi Deus, iubendo vt egrederetur.

CAPVT V.

QVasi operarium electũ Deus ad operandum conducens, cùm dixisset: egredere de terra & de cognatione tua, continuò sperandam quasi taxando mercedem, primo ait, faciamq́ue te in gentem magnam: deinde, & benedicam tibi, nec non & addidit, & magnificabo nomen tuum, erisq́ue benedictus: tandemq́ue, atque in te (ait) benedicentur vniuersæ cognationes terræ. In omnibus *Deut. 7.* ijs nec vnum iota, vel apicem vnum vacare, aut carere rei pondere, certò arbritremur. Faciamq́ue te, inquit, in gentem magnam. Non dixit, gentem multam. Etenim gens illa quæ promittitur, quæ pro benedictione nũc offertur, comparatione aliarum gentium, non valdè multa futura erat. Non (inquit Moyses) quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis paucio*Gens magna.* res: sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum quod iurauit patribus vestris. Bene ergo non ait, faciamq́ue te in gentem multam, sed in gentem magnam. Nam verè magna gens, cuius dominus deus eius, quam magnificauit, & honorauit magnus Dominus, de qua magnos patriarchas atque prophetas vel scribas peritos, ac diuersorum meritorũ magnos viros habemus, per quos veram dei magnitudinem cognouit mundus. Et benedicam tibi, inquit: Notandus ordo verborum. Si enim prius dixisset, benedicã: & deinde subiunxisset, faciamq́ue te in gentem magnã: fortè benedictionem in eo duntaxat promitti putaremus, vt generatio carnis ex eo propagaretur. Nunc autem prius in gentem magnam fore, & tunc benedici *Psal.83.* promittitur, vt videlicet illam intelligas benedictionem, de qua propheta canit in psalmo: Etenim benedictionem dabit legislator, quæ vtique quia post legislationem datur, *Ioan.1.* illa debet intelligi gratia spiritus sancti, de qua Ioannes dicit: Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Sed hæc benedictionis gratia communiter omnibus fidei eius sequacibus promissa vel data est. Sequitur ergo & superadijcit quod illius magis proprium sit. Et magnificabo, inquit, nomen tuum, erisq́ue benedictus. Magnificatum nanque est hodie nomen Abrahæ, videlicet cum nomine Dei *Exod. 3.* magno & tremendo, dum per orbem terra-*Matth. 22* rum prædicatur nominis Dei talis definitio: Deus Abraham, deus Isaac, Deus Iacob. Vera magnificentia nominis Abrahæ hæc est. Vnde & Apostolus: Ideò, inquit, Deus non confunditur eorum vocari DEVS: *Hebr.11.* Itaque magnificabo (ait) nomen tuum, erisque benedictus, videlicet vt nomen tuum in ipsa inuocatione nominis mei magnificè cõmemoretur, & ita eris benedictus, vt quicunque tibi maledixerit, econtrario ille sit maledictus. Maledicam enim, inquit, maledicentibus tibi, & benedicam benedicentibus tibi. Veruntamen quoniam hæc promissio sic terminatur, atque in te benedicentur omnes cogna-

nes cognatiões terræ, & quòd ait in te, oportet intelligi in semine tuo, sicut & in repromissione tandẽ dicturus est, possidebit semẽ *Gen 22.* tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, rectè sic accipitur: & magnificabo nomẽ tuũ, erisq́ue benedictus, vt hoc sit, magnificabo nomen seminis tui, dando illi nomen quod sit super omne nomen, quod Apostolus confitens: Qui est, inquit, super omnia Deus be-*Philip. 2.* nedictus in secula. Sic enim Leui cùm adhuc *Rom 9.* esset in lumbis huius patris, decimatus esse re-*Hebr.7.* ctè dicitur, eodem Apostolo dicente, & vt ita dictum sit, per Abraham & Leui, qui decimas accipit, decimatus est, cur non & Christus rectè promissiones accepisse dicatur in eo, cuius & ipse in lumbis erat secundum carnem? Cùm ergo dicitur Abrahæ, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ, rectè Christo dictum accipitur, tanquam ita diceretur. Postulabis à me & dabo tibi gen-*Psal.2.* tes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Quomodo egressus est, iuxta Apostolũ, nesciens quo iret.

CAPVT VI.

EGressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dñs, & iuit cum eo Loth.) Egressus est, inquit, subauditur, nesciens quo *Hebr.12.* iret. Fide enim (inquit Apostolus) qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quẽ accepturus erat in hæreditatem: & exijt, nesciens quo iret. Qui enim hoc solum dixit Deus, & veni in terram quam monstrauero tibi, & ipsam illi terram nondum demonstrauit, profectò nescientem quò iret, ire iussit, & miro modo (quæ vera peregrinatio est) & expectando ire, & eundo expectare præcepit, vbinã requies daretur sibi. Et ita egit. Sic enim scriptura dicit: (Cunq; venissent in terram Chanaan, pertransiuit Abram terrã vsque ad locum Sychen, vsque ad conuallẽ illustrem. Chananæus autem tunc erat in terra.) Et continuò subiungit: (Apparuitq; Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc.) Ac si diceretur: Quia nesciens quò iret, exierat, tamdiu quasi vagus, & sine tecto pertransiuit in illum & in illũ locũ, donec appareret ei dominus, & iuxta sponsionẽ suã ostenderet, & quã esset illi daturus terrã. Benè igitur Apostolus ait: Quia fide exiuit, nesciens quo iret. Sed & aliud erat, in quo fides eius spectanda est. Nam superius iam dictum est. Erat autem Sarai sterlis, & non habebat liberos. In vno igitur imperio duabus rebus, quodammodo repugnãtibus, fortiter obedientiam fidemq́ue præbuit, quia & cùm Chananæus tunc esset in terra, terram illam sibi dandam, & cùm vxor sua sterilis
CAP. XII esset semini suo hæreditandam, Deo promitente, credidit. In vtroque confortatus est fide (vt ait idem Apostolus) dans gloriam deo, *Gen.11.* plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Tandem ergo demonstrata sibi terra, quam deus promiserat, æstimans fidelem eum qui promiserat: habitat confidẽter, (ab occidente habens Bethel, ab oriente Hai.) Bethel domus Dei, Hai festiuitas interpretatur. Porrò Bethel hoc loco per anticipationem dicta est. Nam Iacob Bethel appellauit nomen eius, quæ prius Luza vocabatur. Itaque contra tenebrarum spiritualium occidentem, habens domum Dei, & ab oriente veri luminis agens festiuitatem magnæ spei ædificauit altare Domino, qui apparuerat ei: & non ingratus tantæ gratiæ beneficijs, & iuris sui possessionem futurã, iam sacris Dei sui præoccupat atque dedicat titu-*Rom. 4.* lus. (Perrexitque vltra vadens & proficiscẽs ad meridiem.) Meridies significat perfectionem. Benè ergo progredi dicitur ad meridiẽ, qui ab hac aurora iam dictæ fidei suæ vltra vadens, & progrediens de virtute in virtutem, sine dubio, ad plenum & æternum peruenit perfectionis diem.

De peregrinatione eius in Aegyptum, & quid significet, quod flagellauit Deus domum Pharaonis propter Saram.

CAPVT VII.

FACTA est autem fames in terra, descenditque Abram in Aegyptum vt peregrinaretur ibi. prævaluerat enim fames in terra. Cunq; propè esset, vt ingrederetur in Aegyptum, dixit Sarai vxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier, & quod cùm viderint te Aegyptij, dicturi sũt: Vxor ipsius est, & interficient me, & te reseruabunt: Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiã tui, &c.) Non paruipendens vxoris pudicitiã venalem fecit, vt benè sibi esset propter illam, sed periculo se exemit, ne moreretur propter illam, certissimè sciens, quod qui eduxerit eum de Hur Chaldæorum, potens esset seruare illam ab igne, id est, à libidine Aegyptiorum. Quare, inquit, non eadem fide confisus, quòd liberare posset eam Dominus de manu Aegyptiorum, vt non moreretur propter eam, securè dixit esse vxorem suam? Videlicet quia timebat Dominum, quia nolebat tentare Dominum Deum suum. Is nanque Deum tentat, qui quanta potest parte periculi se non expedit, & illic poscit miraculum dei, vbi nonnihil proficere potest humanæ rationis ope, quæ in prõptu sit. Benè igitur vir prudens vtrinque sollicitus, videlicet ne & se interficerent, & illam reseruatam suæ libidini subiugarent, quam potuit partem periculi sustulit, & cætera fideliter Deo curanda reliquit: Et iam quidem in aperto literæ est victoriosa viri obedientis perseuerantia, quia facta fame in terra peregrinatiõis suæ, maluit adhuc in terra Cham, quæ est Aegyptus, peregrinando aliena solatia quærere, quàm ad terram vel ad cognationem suam, de qua Deo iubente fuerat egressus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

greſſus,aliquatenus reſpicere. Verùm ipſa facies præſentis hiſtoriæ,iam ſereno lumine arridet,& tranſlucentia nobis ingerit myſteria,quibus plena eſt. Nõ enim ab re eſt,quòd Abram facta fame deſcendit in Aegyptum, & flagellatur Pharao propter eum, cuius ꝓgenies poſt modum itidem facta fame in eadem terra Chanaan deſcenſura erat in Aegyptum,& flagellandus eſſet Pharao plagis notiſsimis propter eam. Non, inquam,abſq; Dei cõſilio eſt, quòd diues reuerſus ex Aegypto,poſtmodum contra reges accingitur, & Loth filium fratris ſui liberat,ac deinde à Melchiſedech ſacerdote altiſsimi benedicitur,cuius gens,ſcilicet Iſrael,poſtmodum de Aegypto in manu potenti, & brachio excelſo egrediens,contra reges multos & fortiſsimos pugnare habebat, ducum fide & armis, carnalés qui in populo erant protegentibus, totamque gentem de ſeruitio hoſtium præſepe liberantibus donec procederet natus de virgine rex & ſacerdos altiſsimi,Chriſtꝰ Dei filius. Benedictionem,id eſt, peccatorum remiſsionem per verum corporis ſui & ſanguinis ſacrificium, Abrahæ & ſemine eius largiturus. Igitur Apoſtolica præeunte auctoritate,qui ſumpta hinc allegorica ſimilitudine, de ancilla & de libera. Hęc enim,inquit,ſunt duo teſtamenta:In vno Abraham iuſtorum omnium in illis temporibus viuentium, ex fide cœtum,in Sarai vxore eius Dei teſtamẽtum,in Loth multitudinem intelligamus Iſraelitarum, qui ſecundum carnem tantum Iſraelitæ fuerunt.

Gen. 46.

Item de eadem,& quid ſignificet,quòd ſuſtulit Pharao Saram in domum ſuam.

CAPVT VIII.

INgreſſus eſt Abram in Aegyptum,& viderunt,inquit, Aegyptij mulierem quòd eſſet pulchra nimis, & nunciauerunt principi Pharaoni, & laudauerunt eam apud illũ, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. Fagellauit autem Deus Pharaonem plagis multis & domum eius,&c.) Hæc res geſta alterius rei gerendę veraciter prophetia eſt. Deſcendit enim poſtmodum Iſrael in Aegyptum,cum teſtamento Dei quod diſpoſuerat ad Abraham auum ſuum,& ad Iſaac patrem ſuum cum omnibus quæ habebat,cum filijs & nepotibus, quia vocauerat Deus famem ſuper terram, & omne firma mentum panis contriuerat,& miſerat ante eos Ioſeph. Cumque propè eſſet vt ingrederetur Aegyptum,quodammodo quæſiuit Abram Sarai vxori ſuæ auxilium,quæſiuit enim & promptum inuenit Iſrael teſtaměti Dei ſolatium, vt benè ſibi eſſet propter illud, & viueret anima eius ob gratiam illius. Apparuit enim illi Deus per viſum,dicens: Ego ſum fortiſsimus Deus patris tui. Noli timere,& deſcende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi,&c. Cum hac pollicitatione deſcendit,& benè vſi ſunt eo Aegyptij propter gratiæ Dei pulchritudinem,quæ cum illo erat, ſueruntque ei oues & boues, & aſini,& ſerui,& famulæ, & cameli, etenim habuit poſſeſsionem in Aegypto in optimo terræ ſõlo Rameſſes, & ibi auctus eſt vehementer. Surrexit deinde alius Pharao,qui non nouerat Ioſeph,& hic procùldubio ſuſtulit Saraí in domum ſuam. Tulit enim ab Iſrael Dei teſtamentum,nec enim ſub illo colebat deum patrum ſuorum. Vacatis,inquit,otio,& id circò dicitis,eamus & ſacrificemus Domino. Sed flagellauit eum Dominus Deus plagis maximis,& domum eius:Ego enim,inquiés, induraui cor eius & ſeruorum illius,vt facerem ſigna mea hæc in eis,vt narres in auribꝰ filij tui,& nepotum tuorum quoties contriuerim Aegyptios, & ſigna mea fecerim in eis. Tunc planè reddidit vxorẽ viro ſuo:nũc igitur,inquiens, eccè vxor tua, tolle eam & vade. Surrexit enim ille Pharao nocte,& omnes ſerui eius cunctaque Aegyptus, & ortus eſt clamor magnus in Aegypto. Vocatisque Moyſe & Aaron nocte,ait: Surgite & egredimini à populo meo, & vos & filij veſtri: Ite,immolate Domino ſicut dicitis.(Et tunc aſcendit Abrã de Aegypto,ipſe & vxor eius,& omnia quæ habebat, & Loth cũ eõ ad auſtralem plagam. Erat autem dĩues valdè in poſſeſsiõe auri & argenti.) Etenim permiſſus cultui Dei ſui populus, aſcendit de Aegypto cum omnibus quæ habebat,dicente Pharaone, oues veſtras & armenta aſſumite vt petieratis, erantque diuites in poſſeſsione auri & argenti,ſpoliauerant enim Aegyptios,iubente domino per Moyſen, vt poſtularet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea & veſtes.

Exod. 1.

Exod. 5.

Exod. 10.

Cap. xiij

De regreſſu Abram & Loth ex Aegypto,& quid ſignificet,quòd ab eo diuiſus eſt Loth.

CAPVT IX.

CVm itaq; egreſſi eſſent de Aegypto Abram & Loth,)non poterat(inquit ſcriptura)capere eos terra, vt habitarent ſimul. Erat quippe ſubſtantia eorum multa,& non quibant habitare communiter. Dixit ergo Abram ad Loth,ne quæſo ſit iurgium inter te & me, & inter paſtores meos, & paſtores tuos,fratres enim ſumus,&c.) Quantum ad moralem præſentis loci ſenſum attinet,diuitiarum derogatio eſt, quia propter diuitias non quibant habitare communiter, quos, quamdiu tenues fuére, amor Dei & fraternus propinquitatis funiculus coniunxerat, quippe quos pariter iunctos tenuerat, vt ſimul exirent terra,& de cognatione ſua. Simulque ſenioris Abram manſuetudo & æquitas demonſtratur, dum dicit:(Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos,& paſtores tuos, fratres enim ſumus. Eccè vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro. Si ad ſiniſtram ieris,ego dextram tenebo. Si tu dextram elegeris , ego ad ſiniſtrã pergam.)Huiuſmodi vſque hodie inter hæredes rectè

Pſal. 104.

Gen. 46.

redes rectè ſeruatur æquitas, vt ob ſinienda iurgia maior diuidat,minor eligat. Sed cœpto iam curſum dirigamus ordine. Iurgia quæ fuerũt in exitu Iſrael de Aegypto,inter eos,qui ſecundũ fidẽ genus Abrahę fuerũt, & inter eos qui ſecundum carnem tantum, quamobrem reuera non potuerit eos capere terra,vt habitarent ſimul: benè omnes nouimus,quia videlicet tamdiu iurgati ſunt,vt lapidare voluerint Moyſen & Aaron, & cõſtituere ducẽ ſibi, & reuerti in Aegyptum. Denique tandem diuiſi ſunt ab alterutro,iurauit enim Dominus Deus in ira ſua, quòd non viderent terram pro qua iurauit patribus eorum. Viuo ego,ait Dominus, non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meam,vt habitare vos facerem omnes, qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra,prętęr Caleph filium Iepphone,& Ioſue filiũ Nun. Benè ergo poſtquam diuiſus eſt Loth ab eo, loquitur Dominus ad Abram: Leua(inquiens) oculos,& vide à loco in quo nunc es ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem,omnem terram quam conſpicis dabo tibi,& ſemini tuo,quia videlicet poſtq̃ conſumpta eſt generatio eorum qui iurgati ſunt,tunc demum introduxit Dominus filios eorum in terram quã promiſerat Abrã. Sed & poſtquam ingreſſi ſunt in illam terrã, diuiſi ſunt ab alterutris, & in paucis eorum, fuit Abram habitans inter Bethel & Hai, in loco altaris quod fecerat, inuocans ibi nomen Domini, in pleriſque autem fuit Loth habitans in Sodomis, quia videlicet pauci perſeueranter coluerunt Deum cæli, Deum Abraham patris ſui,plerique verò ſeruierũt dijs alienis,& commixti ſunt inter gentes,& didicerunt opera eorum,& ſeruierunt ſculptilibus eorum. Nec incongruè Loth,quamuis in perſona ſua iuſtus fuerit, typum tamẽ gerit vitioſæ multitudinis, nam & in euangelio Lazarus amicus eſt Dñi, ſicut teſtatur ipſe,dicens: Lazarus amicus noſter dormit, & tamẽ eadẽ dormitiõe ſua vel quatriduana ſepultura typum gerit peccatoris iam conſuetudine nequitiæ inueterati, iamque mala opinione fœtentis.

Pſal. 105.

Iam. 11.

CAPVT XIIII.

De eo quod dictum eſt: Faciamq̃ ſemen tuum ſicut puluerem terræ,& quo iure ſemen eius terram illam poſſidere debuerit.

CAPVT X.

FAciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ.Si quis poſsit hominum numerare puluerem,ſemen quoque tuum numerare poterit.)Hoc de ſolo ſemine illo accipiendum,cui terram illam quã nunc demonſtrabat Dominus,erat daturus, quamuis & aliæ gentes de carne Abrahæ ortæ ſint, vt Agareni, vt Madian, vt Idumæi. Nam & Balaam hoc in prophetia ſua tali modo confirmat. Quis(inquit) dinumerare poſsit puluerem Iacob,& noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Sed quid eſt,hanc gentem pro multitudine cõparari innumerabili terræ puluери, cùm,teſtante Moyſe(vt ſuperius dictum eſt) cunctis populis pauciores fuerint? Non ergo ad comparationem cæterarum gentium,ſed ad quantitatem electorum,qui ex illa gente futuri erant,hoc eſt referendum, quia videlicet cùm ſoli electi pertineant ad numerum: gens autem illa maxima ex parte reprobata vacuum nobis fecerit locum, benè puluéri terræ comparati ſunt,quem dinumerare nobis quidem impoſsibile: Deo autem iudicetur ſuperfluum, apud quem ſoli electi noti ſunt.(Surge(inquit) & perambula terram in longitudine & latitudine ſua,quia tibi daturus ſum eam.Mouens igitur Abraham tabernaculum ſuum, venit & habitauit iuxta vallem Mambre, quod eſt in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino.)Non caſu,ſed ordinatiſsima Dei diſpoſitione iuſſus perambulare terram, venit in Hebron, nec ſolùm inhabitauit vt peregrinus, ſed & poſtmodũ emit agrum cũ ſpelunca duplici à filijs Heth habitatoribus terræ in poſſeſsionem monumenti. Adam enim maximus ibi(ſicut in libro Ioſue legitur) ſitus eſt inter Enachim. Vnde & poſtmodum Cariatharbe dicta eſt, id eſt, ciuitas quatuor,eò quòd primus Adã, deinde tres patriarchæ Abraham,Iſaac,& Iacob ibi ſepulti fuerunt. Dum ergo illic,vbi primus parens orbis terrarum ſitus eſt, ædificat altare nomini Domini, hoc iam titulo ſeſe prædicat hæredem totius mundi. Et dũ locum eundem comparat in poſſeſsionem monumenti,ius quoddam ſuo collocat ſemini, vt nõ ſolùm cæleſti arbitrio, pro eo quòd Chananæi peccatores eſſent, ſed & quadam ſeculari iuſtitia filij Abrahæ terram illam repoſcerent,quã habitatores ipſius patri ſuo in poſſeſsionem ſepulchri vendidiſſent. Sanè Mambre,à quo nunc dicitur conualles Mãbre,ipſe eſt frater Aner & Eſchol, qui erant (vt poſtmodum dicitur) fœderati Abrahæ.

Gen. 23.

Num. 23.

Deut. 7.

De eo quòd Abraham propinquum ſuum Loth liberauerit.

CAPVT XI.

FActum eſt autem in illo tempore,vt Amrafel rex Sennaar,& Arioth rex Ponti,& Chodor Iahomor rex Elamitarum, & Thadal rex gentium,inirent bellum contra Barа regem Sodomorum, & contra Berſa regem Gomorræ,& contra Fennaab regem Adamæ,& contra Semeber regem Seboim,contraque regem Bale,ipſa eſt Segor. Omnes hi conuenerunt in vallem ſyluеſtrem,quæ nũc eſt mare ſalis,&c.)Diuiſio Loth ab Abrahã & habitante in Sodomis, bella conſurgunt, & Loth captiuus ducitur,quia videlicet pro eo quòd commixtum eſt genus Abrahæ inter gentes,quod futurum erat, pro eo quòd cõtaminata eſt terra in operibus eorum, & fornicati ſunt cum dijs alienis,ſuſcitauit eis Dominus hoſtes, verbi gratia:Moab,& Ammon,& Madiã, & cæteras gẽtes:& iratus eſt (ſicut

CAPVT XIIII.

Ioſue 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

(sicut ait Psalmista) furore dominus in populo suo, & abominatus est hæreditatem suam, *Psal.105.*
& tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humliati sunt sub manibus eorum. Hæc omnis terra quinque ciuitatum Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, atque Bale siue Segor, antea irrigabatur sicut paradysus Domini: Nunc autem eadem Pentapolis, in testimonium nequitiæ, fumigabundam terram, igne consumptam reliquit. Vallis quoque syluestris, quæ nunc est mare salis, siue vallis salinarũ, in qua fuerunt antea putei bituminis, ex tũc, id est, post Dei iram & sulphuris pluuiam, in mare mortuum versa est, quod & stagnum bituminatũ appellatur. Bale quæ & Segor, lingua Hebræa deuoratio dicitur. Tradunt Hebræi hanc eandem in alio scripturarum loco Salisam nominari, diciq́ue rursum viculum cõternantem, quòd, scilicet, tertio motu terræ absorpta sit, & ex eo tempore quo Sodoma & Gomorrha, Adama & Seboim, diuino igne subuersæ sunt, illa Segor, id est, paruula nuncupatur. Siquidem Segor transfertur in paruam. (Et percusserunt (inquit) Raphaim in Hastaroth, Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emin in Sabe Cariathaim.) Id est, in Sabe ciuitate Raphaim gigãtes siue robusti, Zuzim & Emin terribiles & horrendi interpretantur. Quibus nominibus gentes quas percusserunt fortissimæ fuisse significantur. (Reuersique venerunt ad fontẽ Mesfath, *Esa 15. Hier. 48.* id est, iudicij, (ipsa Chades.) Et per anticipationem hic dicitur fons iudicij, scilicet, quòd ex euentu postea tale nomen acceperit. Significat autẽ locum apud petram, qui fons iudicij nuncupatur, quia ibi Deus populum iudicauit. (Et percusserunt omnem regionem Amalechitarum in Sasonthamar.) Hoc oppidum postea vocatum est Engadi, balsami & palmarum fertile. Porrò Sasonthamar in lingua nostra resonat vrbs palmarum. Thamar quippe palma dicitur. *Num. 20.* Regio quoque Amalechitarum hic per anticipationẽ dicitur: nam Amalech vnus fuit de posteritoribus Esau. (Eccè autẽ vnus qui euaserat nũciauit Abram Hebræo qui habitabat in cõualle Mambre Amorræi fratris Eschol, & fratris Afer, &c.) Hebræus interpretatur transitor. Habitabat in conualle Mambre, hoc est in Hebron, vt supra iam *Gen. 14.* dictum est. Quare autem, cùm iam toties Abram nominatus sit, & adhuc in hac scriptura nominandus sit, vt nusquam Hebræus dicatur, hoc illum loco Hebræum, id est, transitorem nominari placuit? Videlicet ob commendandam magnitudinem rei ac virtutis, *Gen. 36.* quòd, scilicet, transitor, id est, peregrinus & aduena Deo protegente fecerit rem, quam indigenæ quinque reges facere nõ poterant, & de victoribus quatuor regibus vnam victionem, & plenam reportauerit victoriam. (Et persecutus est eos vsque Dan,) ad Phœnicis oppidum, quod postea Paneas dictum est. Dan autem vnus est è fontibus Iordanis. Nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur riuus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul à se distant, in vnum riuulum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur, sed iã ad sensum supra cœptum reuertamur. Capto *Gen.14.* ab hostibus Loth, Abram assumptis copijs & diuisis socijs, subauditur, Afer & Eschol & Mambre, super hostes irruit, victorq́; pro pinquum liberũ reducit, quia videlicet tradito genere eius in manus gentium, non defutura erat (licet in paucis) fides eiusdem Abrahæ, quæ sæpè liberaret eos, Deo recordationem habente fœderis eius quod pepigit cum Abraham, & suscitante eis saluatores, verbi gratia: Aoth contra Moab, & Barach contra Iabim regem Chanaan', & Gedeon contra regem Madian, aliosq́ue suis tempo- *Iudi.3.* ribus duces siue saluatores, tandemq́ue gloriosos reges, bellicosos inimicarum gentiũ victores.

De rege Sodomorum, qui egressus est illi in occursum: Et de Melchisedech, qui benedixit eum, proferens panem & vinum.

CAPVT XII.

EGressus est rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erãt in valle Sabe, quæ est vallis regis. At verò Melchisedech rex Salem, proferẽs panem & vinum (erat enim sacerdos altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.) Regis Sodomorum, qui homines pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis, & Melchisedech regis Salem sacerdotis altissimi, dignitates vel merita valdè sibi contraria sunt, & tamen vterque Abram victori obuiarunt. Nec verò de Melchisedech dubium vel incognitum cuiquam est, quin Christum significet, cui (sicut ait spiritus sanctus in Dauid) iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secũdum ordinem Melchisedech. Quid econtra rex Sodomorum, nisi populum significat Iudæorum, qualis tunc temporis erat, quando Christus rex & sacerdos summus nascendo de virgine, patri nostro *Esa. 8.* Abrahæ obuius factus est: Væ genti peccatrici (inquit Esaias) illius temporis Iudæos intuens: væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequã, filijs sceleratis. Ac de- *Ibidem.* inceps: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes facti essemus. Item: audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. O igitur magnum & mirabile præsentis huius narrationis mysterium, triumphatoris celebrat occursum Abrahæ rex Sodomorum, pessimorum vtique & peccatorum

catorum nimis hominum, quia profectò futurum erat nouissimo tempore, vt victorio- *Matth. 23.*
sam fidem patriarcharum & prophetarum celebrarent viri pessimi, & peccatores nimis, scilicet, scribæ & pharisæi, cæteriq́; Iudæi, nõ quidẽ natalibus, sed reuera morib. principes Sodomorũ, velut sepulchra foris dealbata, per hoc ipsum quòd celebrarent opera patrum, intus autem plena ossibus mortuorũ, per hoc quòd secretò viuebãt secundum sulphureas carnes Sodomorum: At verò Christus rex iustitiæ, rex Salem, id est, pacis, rex, inquam, idemq́ue pontifex magnus, illorum talium hominũ diebus natus, sacerdotio suo functus est secundum ordinẽ Melchisedech. Protulit enim panem & vinum, dicens: Hoc *Matth. 26.*
est corpus meum, hic est sanguis meus, & sic obtulit semetipsum pro fideli Abraham verum sacrificium, & benedixit ei: per suum enim sanguinem benedictionem, id est, peccatorum remissionem acquisiuit illi, immò & omnibus electis qui expectauerunt eum ab origine mundi.

Item de Melchisedech, & quòd Hebræi tradunt hunc fuisse Sem filium Noe.

CAPVT XIII.

APostolus præsentis loci memor, hic enim (inquit) Melchisedech, qui obuiauit Abrahæ reuerso à cæde regum, & bene- *Hebr.7.*
dixit ei, cui decimas omnium diuisit Abraham. Primùm quidem quia interpretatur rex iustitiæ, deinde autem & rex Salẽ, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierũ, neque finẽ vitæ habens, assimilatus filio Dei, manet sacerdos in æternum. Hæc & cætera quæ subiungit idem Apostolus, occasionem suspicionis malè intelligentibus præbuerunt, vt putarẽt hunc Melchisedech nõ hominem fuisse, sed angelum, aut certè (quod dementius erat) ipsum qui sub hominis figura visus sit, esse spiritum sanctum. Verũ alij quàm multi in hoc vnum consenserunt, vt dicerent eum hominem fuisse Chananæum, regem vrbis Hierosolymæ, quæ prius Salem, postea Iebus, ad extremum Hierusalem appellata sit. Nec mirum (inquiunt) si sacerdos Dei altissimi de- *CA. XIIII*
scribatur absque circuncisione, & legalibus cæremonijs, & genere Aaron, cũ Abel quo- *Iob. 1.*
que & Enoch & Noe placuerint Deo, & victimas obtulerint, & in Iob volumine legerimus, quòd ipse & oblator munerum fuerit & sacerdos, & quotidie pro filijs suis hostias immolauerit. Veruntamen & aliud Hebræi autumant. Tradunt enim, hunc esse primum filium Noe, & eo tempore quo ortus est Abrahã, habuisse ætatis annos CCCXC. Nempe, si per ætates singulas annorum numerum supputes, tot annos, id est, CCCXC. ab ortu Sem vsque ad generationem Abraham inuenies. Mortuus est autem Abraham centesimo septuagesimo quinto ætatis suæ anno. Ratione igitur deducta, inuenitur Sem abnepoti suo decimi gradus Abrahæ superuixisse annos triginta quinque. Simulque & hoc tradunt, quod vsque ad sacerdotium Aaron omnes primogeniti in stirpe Noe, cuius series & ordo describitur, fuerint sacerdotes, & Deo victimas obtulerint, & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendiderit Iacob. Salem autem non (vt Iosephus arbitratur) esse Hierusalem, sed oppidum aiunt esse iuxta Scytopolim, quod vs- *Ioan.3.*
que hodie appellatur Salem, de quo in euangelio quoque legimus: Erat autem Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Nec differt vtrum Salem an Salim nominetur, cùm pro voluntate lectorũ, ac varietate regionum eadem verba diuersis sonis atque accentibus proferantur. *Gen. 33.*
In isto quoque libro Geneseos scriptum est, quia venit Iacob in Soccoth, & ibi fecit sibi domos atque tentoria, & transit in Salem ciuitatem regionis Sichen, quæ est in terra Chanaan. Considerandum quoq; est, quod Abrahæ à cæde hostium reuertenti, quos persecutus est vsque Dan, non de via Hierusalem, sed de oppido metropolis Sichen in itinere fuit. Stultum igitur est, id quod in typo dicitur, eò quòd sacerdotium Christi finem non habeat, sic quosdam referre ad anago- *Hebr.7.*
gen, vt historiæ veritatem auferant. Non enim quod ab Apostolo dictum est, sine patre, sine matre, sine genealogia sic idem intelligi voluit, quasi Melchisedech absq; patre & sine matre fuerit, sed sic dixit: eò quòd subito introducatur in Genesi, occurrisse Abraham à cæde hostium reuertenti, & nec ante nec postea eius nomen feratur asscriptum. Dicẽdo autem, manet sacerdos in perpetuũ, affirmat, quòd Aarõ sacerdotium, id est, populi Iudæorum & principium habuerit & finem. Melchisedech autem, id est, Christi, neque initium dierum, neque finem habentis, & in præteritum & in futurum æternum sit.

Item quòd non Melchisedech Abrahæ, vt Hebræi putant, sed vt Apostolus ait, Abraham sacerdoti Melchisedech decimas dederit omnium.

CAPVT XIIII.

IGitur benedicens Melchisedech dicit: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram, & benedictus Deus excelsus quo protegẽte hostes in manu illius sunt. Et dedit illi decimas omniũ.) Ambiguè dictũ est, dedit illi. Nec enim in voce discretum est siue in sermone, quis, cui, Abrámne sacerdoti Melchisedech, an ipse sacerdos Melchisedech Abræ decimas dederit. Et Hebræi quidem sic æstimant, quòd Melchisedech, id est, Sem, hoc abnepoti suo iure debuerit, & decimas prædæ atq; victoriæ nõ ab eo acceperit, sed ipse dederit ei decimas substãtiæ suæ, & debitã largitatẽ ostenderit in nepotem. Vtrumque enim intelligi potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter dicti ambiguitatem,& quòd ipſe acceperit decimas ſpoliorum,& quòd Abrahæ dederit decimas ſubſtantiæ ſuæ. Verùm Apoſtolus in prædicta epiſtola ad Hebræos apertiſsimè definit, non Abraham ſuſcepiſſe à Melchiſedech decimas diuitiarum, ſed de ſpolijs hoſtium,partes accepiſſe pontificem. *Hebr.7.*

Di eo quòd Abraham nihil accipere volebat ex omnibus, & de myſtico numero CCCXVIII. *vernaculorũ eius.*

CAPVT XV.

DIxit autem rex Sodomorum ad Abrã: Da mihi animas,cætera tolle tibi. Qui reſpondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, quòd à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quę tua ſunt,ne dicas,ego ditaui Abram:exceptis his quæ commederunt iuuenes, & partibus virorum qui venerunt mecũ, Auer,Eſchol, & Mambre.Iſti accipiant partes ſuas.) Spiritualiter quoque hic locus euangelicum vitum ædificat.Etenim quiſquis vexillum crucis erigit,& nomen Chriſti prædicat, ſicque legitimè certans, fanaticum errorem,ſiue hęreticam barbariem expugnat, & exinde non quæ ſua ſunt quærit,ſed quæ Ieſu Chriſti,ipſe quodammodo eſt Abram,qui cum trecẽtis octodecim vernaculis ſuis,quatuor reges deuicit,& eos qui ſpoliauerant, ſpoliauit,atque propi nquum liberauit, & hoc facto ab homine ſiue per hominem ditari noluit,dicens regi Sodomorum: quia à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ,non accipiam ex omnib.quæ tua ſunt: Siquidem numerus præſcriptus totus ſacer eſt,quo & ſancta Nicæna ſynodus,non humana induſtria,nõ cõpoſitione aliqua, ſed diuina agente prouidẽtia gauiſa eſt,in qua vaſtator Chriſtianitatis Arrius ſuperatus & damnatus fuit.Huius ſi quidem numeri illic inſigne ſplenduit,id eſt, trecenti octodecim conuocati adſuerunt epiſcopi,qui numerus(vt prædictum eſt)totus ſacer eſt.Nempe ſi Nicænis,id eſt, Græcis vti numerando velis elemẽtis,tau T, CCC. I & H explicant XVIII. T.tau crucẽ,I & H cum ſupra ducta linea,nomen Ieſu ſignificant. Et nota quia hic nomen Ieſu genitiuo caſu,& non nominatiuo effertur,& ideò hic litera S.ſigma,nõ additur, ſed cum IH ſuppoſita linea ſcribitur,quib.numerus XVIII. completur.Sanè tau, T literę ſuper tranſuerſa linea deeſt,quæ ſi adderetur, iam nõ crucis ſpecies,ſed ipſa crux eſſet.Cũ igitur huiuſmodi præliatores pugnando,non terrenum lucrum,ſed ſolùm quærunt humanæ ſalutis fructum,& dicunt cum Apoſtolo: non enim quæro datam,ſed requiro fructum,pro bè patrem Abram imitantur dicentem: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum,quod non accipiã ex omnibus quæ tua ſunt,Iſti(inquit) ſcilicet Auer,Eſchol,& Mambre accipiant partes. Quos qui imitantur,videlicet vtendo poteſtate ſua,quam habent auctore Domino,qui ordinauit his qui euangelium annunciant de euangelio viuere: iuſtè quidem faciunt, ſed minoris gloriæ ſunt,quàm illi qui hac eadem poteſtate ſua vti nolunt. *1.Cor.9.*

Philip. 4.

Quid moraliter ſignificet,quòd quatuor, quinque reges vicerunt.

CAPVT XVI.

MOralem nihilominus ſuauitatem ex hoc loco capere poſſumus. Etenim quatuor reges de quinque regibus victoriã facientes,quatuor ſunt animi paſsiones,quinque corporis ſenſus captiuantes, quæ in gentilium quoque philoſophorum libris memorantur frequenter,ſcilicet, gaudium, dolor, ſpes,timor.Quas poeta eximius vno verſiculo expreſsit, dicens: Hinc metuũt,cupiuntque,dolent,gaudentque? Vbi fides quæ per dilectionem operatur, has animi paſsiones ſuperauerit,& interiorem hominem ab illarum captiuatione liberauerit, planè exemplo patris Abrahę laudabiliter triumphauit: & idcircò ſacerdos altiſsimi idẽq; altiſsimus, ſcilicet, Chriſtus Dominus, occurrit illi cũ ſacrificio ſalutari, dignum enim illum iudicat, qui debeat cæleſtium eius ſacramentorum particeps fieri. Magnum nanque & victorioſum eſt,non gaudere de proſperis,nec dolere de aduerſis huius mundi: non ſperare proſpera,nec timere mundi huius aduerſa.Quam victoriam prædicans apud quendam,philoſophia canit:Gaudia pelle, Pelle timorem,Spemque fugato: Nec dolor aſsit. Nubila mens eſt, Hæc vbi regnant. Quiſquis ille eſt, contemnat à rege Sodomorum quicquam accipere,nec dicatur quòd ille eũ ditauerit,id eſt, caueat facere coram hominibus iuſtitiam ſuam, vt videatur ab eis,& illam incurrat ſententiam qua dictum eſt: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. *Virg.lib.6. Aeneid.* *Boetius de conſo philoſoph.li.1.in fine.* *Matth.6.*

Virg.lib.6. Aeneid.

De ſermone Domini, qui factus eſt ad Abraham poſt illam victoriam.

CAPVT XVII.

HIs itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens: Noli timere Abram. Ego protector tuus ſum,& merces tua magna nimis.Dixitque Abram:DOMINE DEVS quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis,& filius procuratoris domus meæ, iſte Damaſcus Eliezer erit hæres meus. Addiditque Abram: Mihi autem non dediſti ſemen, & eccè vernaculus meus hæres meus erit.) Quid ea quæ hactenus ſunt geſta figurent, ſequentis huius viſionis verba pronunciant, maximè cùm dicitur: ſcito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit, ſemen tuum *CAP.XV.*

tuũ in terra nõ ſua, & ſeruituti eos ſubigẽt & affligent quadringentis annis, veruntamẽ gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo. Et vnum idemq; duplici prophetia, factorũ,ſcilicet,quæ promiſſa ſunt,& dictorum quæ ſequuntur, veritas Dei indubitanter futurum eſſe cõfirmat.Noli, inquit,timere Abrã,ego protector tuus ſum. Tanquam diceret,Iam accepiſti guſtũ protectionis meæ,primum in eo,ꝙ propter vxorem tuam Sarai flagellaui Pharaonem,& domum eius plagis maximis, & diuitem te inde aſcẽdere feci:deinde & in eo,quòd me protegente hoſtes,ſcilicet,quinque reges in manu tua fuẽre. Ergo de cætero fidentior eſto, quod ego protector tuus ſim,& generis tui, & merces tua magna nimis:vt peregrinus factus propter me, vtrobique gaudeas,ſcilicet,& in præſenti de protectione mea, qua tibi tollerabilis ſit ipſa peregrinatio tua, & in futuro de mercede nimis magna.Nec verò quòd ait ille,Domine Deus quid dabis mihi,ego vadam abſque liberis,&c. diffidentis animi eſt, ſed contriti & humiliati cordis, & cũ nimia humilitate Dominum conſulentis, videlicet vt flebili conquæſtione pulſatus Deus,certius quid reſpondeat de ſuperiori promiſsione ſperandi ſeminis. Nam dictum quidem illi fuerat ſuperius,faciamq; te in gentẽ magnã, & ſi quis poſsit hominũ numerare puluerẽ,ſemẽ quoque tuum numerare poterit. Verùm hoc ne quaquam ſatis erat, cùm adoptiui eſſent filij vel hæredes,ſeminis æquiuocatione ſignificari.Itaq; quaſi proprij ſeminis definitionẽ efflagitans cùm dixiſſet: ego vadam abſque liberis,& filius procuratoris domus meę,iſte Damaſcus, Eliezer erit hæres meus: addidit adhuc vigilanter pulſando,mihi quoque nõ dediſti ſemen, & eccè vernaculus meus hæres meus erit.Eliezer deus meus adiutor,Damaſcus bibens ſanguinẽ interpretatur,à quo conditam aiunt Damaſcũ ciuitatem,quo in loco fertur protomartyr Abel fuiſſe occiſus. *Gen.12.*

Item de eodem,& quod dictum eſt: Suſpice cælum & numera ſtellas eius ſi potes.

CAPVT XVIII.

STatimq; ſermo Domini factus eſt ad eũ dicens:Non erit hic hæres tuus,ſed qui egredietur de vtero tuo,ipſum habebis hæredem.Eduxitq; eum foras, & ait illi: Suſpice cælum & numera ſtellas ſi potes. Sic erit ſemen tuum.Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt illi ad iuſtitiam.) Hic duo Deus repromittit,naturam videlicet & gratiã vnius eiuſdemq; ſeminis. Dicendo nanque,ſed qui egredietur de vtero tuo ipſum habebis hæredem,ſemen definit quod habiturus ſit,ſcilicet,non per adoptionem,ſed per naturæ ꝓprietatem,ſubiungendo: ſuſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum: cæleſtem præſignat gratiã vel gloriam,qua clarificandum eſt idipſum ſemen. Superius cùm dixiſſet: Leua oculos & vide à loco in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem,ad orientem & occidentem, omnem terram quam conſpicis dabo tibi & ſemini tuo: nõ dixit,ſic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, ſed faciam,inquit, ſemen tuum ſicut puluerem terræ,quia videlicet non omnis qui terram illam poſſeſſuri erant propter Abram, ſtellis comparandi erãt, neq; numerandi ſicut ſtellæ cæli apud illum,de quo veraciter dicitur,qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans: ſed multiplicandi erant ſuper numerum pulueris, terrãque amaturi potius,quàm cælum. Hic autẽ vbi eduxit illum foras:ſuſpice,ait,cælum & numera ſtellas ſi potes, & quia non poterat, ſic erit,inquit, ſemen tuum:quia profectò ꝓ eo quod educenti foras, & dicenti ſibi, egredere de terra & de cognatiõe tua,ille obediuit,cælum pro mercede magna nimis paratur illi,& omnibus quicunque exemplo eius ſequuntur educentem foras & dicentem ſingulis,obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.Erunt enim omnes ſicut ſtellæ cæli,id eſt,multi quidem, ſed certa multitudine numerati,vel certa numeroſitate multiplicati,omnesque ex nominibus ſuis vocati & noti. Nec verò pro ſola multitudine vel numeroſitate, ſed & pro differenti claritate dixit,ſic erit ſemen tuũ. Nã ſicut nõ ſolũ alia claritas ſolis,& alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarũ,ſed etiã ſtella à ſtella differt i claritate:ſic non ſolũ alia gloria Dei,& alia gloria ſanctorũ Abrahę filiorum,ſed etiam ipſi differentem ab inuicẽ diuerſis pro meritis ſuis gloriam habebunt. *Gen.13.* *Pſal.44.* *1.Cor.15.*

De eo quod dictum eſt: Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

CAPVT XIX.

CREDIDIT, inquit, Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. De hoc Apoſtolus: Dicimus(inquit) quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo reputatum eſt, in circunciſione,an in præputio? Non in circunciſione, ſed in præputio, & cætera.Valẽt enim ad eneruandam Iudaicæ iuſtitiæ confidentiam, cui & ſupra dixerat: Vbi eſt gloria tua? Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? Non,ſed per legem fidei.neq; enim Abram factis, in quorum lege Iudæus gloriatur, ſcilicet, cibis aut potibus aut varijs baptiſmatibus & iuſtitijs carnis ſtuduerat aut inſeruierat, quippe qui nec ſaltem circunciſus erat, quando iuſtificatus eſt: ſed credidit, inquit, Abraham DEO, & credenti ſola fides ad iuſtitiam reputata eſt. Et rectè fides iuſtitiæ meritum habet, nam econtra ſine fide eſſe,iniuſtitiæ ſumma eſt. Etenim primo homini infidelitas ad iniuſtitiam reputata eſt, videlicet quia non credidit DEO dicenti: *Rom.4.* *Rom.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Si enim credidisset, non tam facile de illo ligno comedisset. Quale ergo oportuit aduersus iustitiæ mortem, hic pater noster sumpsit antidotum, quia non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, & emortuam vuluam Saræ, sed cõfortatus est dans gloriam deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potest & facere.

Gen. 2. Rom. 4.

De eo quod dictum est: In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram.

CAPVT XX.

DIxitque ad eũ: Ego sum Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum, vt darem tibi terram istam vt possideres eam. At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?) Non vtiq; diffidendo quærit, qui tam pias beneuolentiæ voces præmittit, Domine quid dabis mihi, Domine Deus, vnde scire possum quòd possessurus sim? Sed quare sicut nunc ait, Domine Deus vnde scire possum, quòd possessurus sim eam, non ita paulò ante dixit: Domine Deus vnde scire possum, quòd qui egredietur de vtero meo, ipsum habitur⁹ sim hæredem, sed credidit Deo & reputatum est illi ad iustitiã? Quid enim plus est, hæreditatem possidere quæ erat, an hæredẽ accipere magnam gentem quæ non erat? Non ergo tanquam incredulus infirmata fide dubitauit, sed tanquam pius pater futuris filijs prouidit, ne fortè peccantib illis pœniteret Deum huius suæ promissionis, & idcircò in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentũ fixæ stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti. Nec moratus Dominus Deus, quod optabat amicus fidelis, cũ petere non auderet, sponte obtulit. Continuò nanque respondens: (Sume (inquit) mihi vaccã trimam, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbã. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit per mediũ, & vtrasque partes contra se posuit altrinsecus, aues aũt non diuisit. Descenderuntq; volucres super cadauera, & abigebat eas Abrã, &c.) Hæc visio sic terminatur. In die illo pepigit Dominus fœdus cum Abrã dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Hoc fœdus iuramẽtũ quoddã est, quo se dominus obstrinxit, quomodo homo voluit, quo debitor posset iure teneri, si quando aliqua intercurrente peccati causa, vellet leuare manũ suam, & facere quid cõtra id quod promisit. Cuius iuramenti memor Moyses, cũ dixisset vt disperderet eos, stetit in cõfractiõe in cõspectu eius, dicentẽq; Deum, dimitte mẽ vt deleam eos, tenuit homo viriliter, dicẽs: Quare Domine irasceris in populo tuo? Memento Abraham, Isaac, & Iacob, quib. iurasti, dicens:

Exod. 32.

Vniuersam terrã hanc, de qua locutus sum, dabo semini tuo, & possidebitis eam. Itaque quotiescunq; habeamus in hac scriptura fœdus vel pactum, nondũ fœdus est humanæ reconciliationis, sed firma promissio futuri fœderis, propheticaque imaginatio pacti vnici, quo in solo Christo Deus sibi homines reconciliauit.

Quid sibi voluerit quod ait. Sume mihi vaccam trimam, & capram trimam, & arietem annorum triũ, turturem quoque & columbam.

CAPVT XXI.

SVme, inquit, vaccã trimam, &c. Omnis hæc assumptio, prophetica assumptio est. Vacca siquidem, capra, & aries, quę profectò seruilia sunt animantia, nam & lacte suo dominos suos pascunt, & lanis operiũt, tres præsignant generationes, per quas semen Abrahæ seruiturum erat in terra non sua: nam generatione quarta, inquit Dñs, reuertentur huc. Est aũt vacca trima, & capra trima, & aries trium annorũ. Cur hoc? Videlicet quia patres vel patriarchæ primi, per quas inuocatum est nomen Domini super illos, tres numero sunt, à quibus denominatione suscipere Dñs Deus dignatus est, vt diceretur: deus Abraham, & Deus Isaac, & deus Iacob. Sub istis nanque nominib. trinitas vnus Deus, seculis illis prædicari voluit, quia nondum capere possent homines manifesta nomina eiusdem trinitatis. i. patris, & filij, & spiritus S. Volucres quæ descenderunt super horum animantium cadauera, quas & abigebat Abrahã, rapaces & importunos dominos Aegyptios scilicet, significauerunt, qui per Abrahæ meritum, à deuoratione generis illius tandem abigendi erant. Generatio quarta, qua erant reuersuri, per liberã significatur auium naturam, per turturem, scilicet, & columbam. Nec solũ pro libertate eiusdem reuersionis, verũ & ꝓ spirituali gratia prophetarum & sacerdotũ, quorum primi vel principes in eadem reuersione Moyses & Aaron extiterunt. Proinde tollens, inquit scriptura, omnia hæc diuisit per medium, subauditur quaprupedia, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit? aues autem non diuisit. Et enim carnales, qui per quadrupedia signantur, lites & seditiones murmurando contra Dominum facturi erant, spirituales verò vnanimem seruare concordiam, immò & seditiosos ad pacem reuocare habebant.

Exod. 3.

Quid significauerit, quòd sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.

CAPVT XXII.

CVmq; occumberet sol, sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eũ, dictumq; est ad eum: Scito pernoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & cætera.) Bis in hac visione solis occubitus & tenebrarum mentio facta est. Primò cum dicitur:

dicitur. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Secundò, cùm item dicitur: (Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.) Hæc tenebrarum iteratio geminam seminis Abrahæ aduersitatem significat. Primam videlicet, qua fratrem suũ Ioseph vendiderunt, quæ causa fuit peregrinationis & seruitutis illorum. Secundam, qua post mortem Ioseph à Pharaone tribulati & afflicti sunt. Et prior quidẽ aduersitas, res fuit iniquitatis, propter quod & signanter dictum est: Sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Sequens verò aduersitas res afflictionis extitit, vnde & sine interpositione horroris, facta est caligo tenebrosa, inquit, & clibanus fumans apparuit. Et quia semen illud Abrahæ, in ipsa afflictione visitandum & liberandum erat in manu forti, multis & magnis præeuntib. ac sequentibus miraculis, lampas quoque ignis inter diuisiones illas apparuit. Clibanus nanque fumans, imago fuit fornacis Aegyptiæ, qua seruituri erant in luto & latere cœtili. Lampas verò ignis transiens per diuisiones illas, signum diuinæ charitatis, qua erãt per multa miracula illustrandi, de quibus &

Gen. 37. Exod. 1.

Psalmista: Illuxerunt, inquit, coruscationes tuæ orbæ terræ, commota est & contremuit terra, in mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis. Siquidem simplicem literam sequaris, & illa quidem lampas transiens inter diuisiones illas, id est, inter seditiones Iudaicas clarissima fuit, sed ipso transitu suo sese aliàs migraturam esse declarauit, nam eccè translata est ab illis gloria, & ad gentes transiuit. Igitur quia dicente Deo: Semini tuo dabo terram hanc, e contra ille: domine Deus, inquit, vnde scire possum, quòd possessurus sim eã, congruè talis præmonstrata est, imaginatio, quæ haberetur pro iuramẽto, quod sine pœnitentia foret, & sine dubio cõpleretur ea, quã audierat, Dei promissio.

Psal. 76.

De eo quod dictum est: Generatione quarta reuertentur huc.

CAPVT XXIII.

QVæritur tandem, quomodo in Exodo scriptum sit: Quinta generatione egressi sunt filij Israel de terra Aegypti, cũ hic præ dixerit Deus, (generatione autem quarta reuertentur huc.) Ad quod compendio dicendum, quia iuxta aliam quidem genealogiam quarta, iuxta aliam verò quinta generatione egressi sunt. Nam secundum genealogiam Leui, ex qua fuerunt Moyses & Aaron, qui filios Israel eduxerũt de terra Aegypti, quarta generatione exisse reperiũtur, hoc modo: Leui genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar. Caath cum patre suo ingressus est Aegyptum. Rursus Eleazar cum patre suo Aaron egressus est Aegyptum. A Caath vsque ad Eleazar generationes quatuor. Secundum verò genealogiam Iuda, quinta generatione egressi inueniuntur, hoc modo: Iuda genuit Phares, Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naason. Phares cum patre suo Iuda ingressus est Aegyptum. Naason princeps tribus Iuda in deserto describitur, cuius filius Salomon terram repromissionis intrauit. A Phares vsque ad Naason generationes quinque. Itaque verum vtrũque est. quia & iuxta sacerdotalem tribum quarta, & iuxta regiam quinta generatione egressi sunt. Veruntamen iuxta Hebraicam veritatem, sicut eruditissimus vir Hieronymus testatur, vbi septuaginta posuerũt, quinta autem generatione ascenderunt filij Israel de terra Aegypti, melius legitur, sicut Aquila quoque transtulit, & armati ascenderũt filij Israel de terra Aegypti. Præterea in eo quòd rationem huiusmodi subiecit Dominus, nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus, notandum q; nõ propter iustitias suas filij Israel terram illam obtinuerunt, cùm propter iniquitates suas illæ deletæ sint natiões. Vnde hic idem Moyses in Deuteronomio sic dicit: ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Deus, vt terram hanc possidere, cùm propter iniquitates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas & æquitates cordis tui ingredieris, sed quia illæ egerunt impietatem, te introeunte deletæ sunt, vt compleret verbum suum Dominus quod iurauit patribus tuis, cum durissimæ ceruicis populus sis.

Exod. 13. Gen. 15. Deut. 9.

De eo quod dictum est: Ingredere ad ancillam meam, quid mysterij cõtineat secundum Apostolum.

CAPVT XXIIII.

IGitur Sarai non habebat liberos, sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar, dixit marito suo: Eccè concluſit me Dominus, ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, si fortè ex illa saltem suscipiam filios, & cætera.) Hoc loco testem Paulum citemus Apostolum, videlicet, quod non hic popularis historia conscripta, sed cælestia sint consignata mysteria. Scriptum est, inquit, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est. Qui autem de libera, per repromissionem. Quæ sunt per allegoriã dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, & cætera. Hunc auctorem sequentes, quoniam experimentum habemus iamdudum eius qui in eo loquitur Christus, per Sarai testamentum siue pactum quod

CAP. XVI Galat. 4. 2. cor. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom. 4. Hebr. 7.

disposuit Deus ad Abrahã, per Agar legem, quæ post quadringentos & triginta annos facta est accipimus. Et vt manifestius dictum sit, in Sarai legem fidei, qua Abraham iustificatus est, in Agar mysticè legem factorem agnoscimus, quæ nihil ad perfectum adduxit. Eccè, inqt, conclusit me Deus ne pararé, ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios. Tanquã diceret libera illa, quæ sursum est mater omniũ nostrũ. Eccè nondum tempus est, vt reuelata Euangelij gratia spiritum adoptionis filiorum per Christum homines accipiant, accipio Israel interim spiritum seruitutis in timore, vt saltem ex cæremonijs carnalibus & figuratiuis sanctionibus, aliquantula qualiscunque iustitiæ opera facias. Sic enim prius Abraham de ancilla filium suscepit secundum carnem, quàm de libera per repromissionẽ, quomodo Dei populus in lege carnali operatus est, solummodo in cibis & potibus, varijsq; baptismatibus, & iustitijs carnis seruiens, priusquam

Hebr. 9.

fide patrum Euangelicam producente gratiam, veram iustitiam, id est, æternam redemptionem, totus inueniret mundus per Christi sanguinem. Et notandum, quòd non iubente, sed tantum permittente Deo, tulit Abram ancillam suam, vt saltem ex ea susciperet Sara filium, quia veteres cæremonias permisit quidẽ, sed non mãdauit Deus Israeli, sicut per prophetam Hieremiam testatur,

Hier. 7.

cùm dicit: Holocaustomata vestra addite victimis vestris & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non precepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatũ & victimarũ, sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meã, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populꝰ, &c. cæterũ decẽ præcepta legis, in his duobus pendentia: Diliges Dñm Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & ex tota mente tua: & diliges proximũ tuũ

Matth. 22

sicut te ipsum: patenter magis ad tabulas pertinent legitimi matrimonij: & quamuis primum in monte Syna conscripta fuerint, nihilominus tamen & ante legem naturaliter valuerunt, & post legem seruilem in libertate Euangelij amplius valent.

Quid significauerit superbia ancillæ despicientis dominam suam.

CAPVT XXV.

AT illa cõcepisse se videns, despexit dominam suã. Dixitque Sarai ad Abram, Iniquè agis contra me. Ego dedi ancillã meã in sinu tuo: quæ videns quod concepit, despectui me habet, &c. Notum omnibus est, quia synagoga, cùm sit ancilla, superbit, & do-

Rom. 10.

minam suã despicit, id est, de carne Abrahæ gloriatur: & fidem illius paruipendit. Volentes enim, inquit Apostolus, suam iustitiã statuere,

Rom. 7.

iustitiæ Dei non sunt subiecti. Antequã peperisset Sarai, quę sterilis fuerat, id est, antequam nascente Christo, testamenti dei fuissent impleta promissa: tunc illi ancillæ superbire vacabat, non tamen impunè: reclamabant enim tabulæ, id est, decem præcepta, quæ lex sancta est, & iusta & bona. Eius qua si Saræ reclamantis vocibus conuincebatur lex carnalis, veluti Agar, quòd nequaquam ab illa impunè despiceretur, vel quòd frustra se liberam arbitraretur: verbi gratia, cũ aduersus Heli propter filios eius loquitur deꝰ: Idcircò iuraui domui Heli, vt non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. Amplius autem tumores ancillæ verberat Sarai, cùm dicit veræ & sanctæ legis spiritus per os Dauid: Deus deorũ dominus locutus est. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis. Et multa his similia in prophetis. (Affligente igitur, inquit, eam Sarai, fugam iniit: Cunq; inuenisset illam angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine (quæ est in via Sur, in deserto) dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis? aut quo vadis? Reuertere ad do-

1. Reg. 3.

minam tuam, & humiliare sub manu ipsius.) Quicquid lex sancta iubet dicendo. Non cõcupisces, non mœchaberis, &c. Quicquid, inquam, in tabulis duabus digito Dei scriptum est, hoc seruili carnalium Israelitarum multitudini volenti mœchari, & amanti cõcupiscentias suas, pœna est. Et si se timore pœnæ cohibebat: hoc ipsũ afflictio est, quia timor pœnam habet. Idcircò populus carnalis huiusmodi non ferens imperia, multoties confugit ad gentium idola: quorum sub cultura concupiscere, fornicari, & mœchari licitum esse putabat. Igitur totius ancilla fugã iniit affligente domina: & errauit in deserto Sur, q̃

Psal. 49.

est in via Aegypti, quoties carnalis multitudo spiritualia non ferens sanctæ legis imperia, confugit ad gentes à Deo desertas: vt more illarum, à freno & chamo iustitiæ libera, suas sequeretur concupiscentias. Et benè ancilla Aegyptia, per viam fugiebat Aegypti: hoc etiam modo manifestè significans eundẽ seruilem populum, quia multoties dixit: Cõstituamꝰ nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum. Sur autẽ interpretatur murus. Quo nomine & vana spes eiusdem populi benè exprimitur, qui commiscendo se inter gentes:

Num. 14.

euasisse manum Domini, & à lege eius tutũ se esse arbitrabatur. Itemque toties angelus Domini reuocauit ancillam dicens: Agar ancilla Sarai, vnde venis? aut quo vadis? reuerte re ad dominam tuam: & humiliare sub ma-

Iud. 6. 13.

nu illius, quoties in tribulatione clamantes Deus audiuit: & saluatores eis suscitauit, nõnunquam angelum suum mittens, vti quando Gedeonem conuenit, vel quando Sampson prænunciauit.

De eo quod dictum est: Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & quòd ancilla videntis non faciem, sed posteriora vidit.

CAPVT

CAPVT XXVI.

HIc, inquit, erit ferus homo. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione omnium fratrum suorum figet tabernacula.) Hoc de illo quẽ tunc Agar in vtero gestabat palam intelligi est, quia his dictis significatum est, semen eius habitaturum esse in eremo, id est, in Saracenos vagos, incertisque sedibus, qui vniuersas gẽtes, quibus desertum ex latere iũgitur incursant, & impugnantur ab omnibus. Porrò ille iam dictus carnalis populus, qui fide Abrahæ vacuus, de carne Abrahæ gloriatur, quàm ferus sit, feritate qua nõ tam leoni nobili, quàm stulto sit onagro comparabilis, totus orbis audiuit, quia verè manus eius contra omnes: & manus omniũ contra eum, maximè ex quo dictum est, vel certè impletũ, quod fuerat dictum, eijce ancillam & filium eius. Extunc enim maximè vniuersas gentes odit, & multò amplius extunc vesanit propter filium liberę, primogenitũ, scilicet, Chri

Galat. 4.

stum, qui gentilem populum eadem libertate, qua liber ipse est, liberauit. Vnde Apostolus ait: Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc. Quamdiu potuit, & quantum potuit, persecutus est: iam verò non valens, adhuc tamen blasphemare audet (Vocauit autem nomen Domini, qui loquebatur ei, dicens: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profectò, hic vide poste-

CAPVT XVII.

riora videntis me. Propterea appellauit puteum illum, puteum viuẽtis, & vidẽtis me.) Quia Dominus in angelo loquebatur, idcircò dictum est: vocauit nomen Domini qui loquebatur. Quare autem non vidit faciem, sed posteriora videntis? Videlicet, quia non in facie, sed in posterioribus desiderabat gaudere videntis. Per posteriora nanque Domini, terrena vel transitoria: per faciem rectè intelliguntur cælestia vel æterna. Et profectò nulla cælestia promissa, Verbi gratia, qualia de libera dicta sunt: & dabo tibi ex ea filium cui benedicturus sum, & statuam pactũ meũ ad eum, & his similia. Nulla, inquam, talia audierat, quæ se exauditã esse sciebat, vnde

1. Cor. 2.

& filio suo nomen Ismahel, q̃ interpretatur auditio Dei, imposituꝝ erat. Terrenum est omne quod audierat, scilicet multiplicabo semen tuum: & non numerabitur præ multitudine: & hic erit ferus homo, &c. Rectè ergo ancilla, videntes non faciem, sed posteriora vidit. Sic & synagoga illius populi, qui secundum carnem natus est, nequaquam faciem Domini, sed posteriora vidit, quia vide licet interiora sanctæ legis, vbi fulget facies, id est, notitia Dei: vbi splendida est facies

Rom. 11.

Moysi, nullatenus ferre valuit, sed solam exteriorem literam intuitus est, vtpotè animalis, & non percipiens ea quæ sunt spiritus dei. Præterea nunc quoque postquam eiecta est ancilla, & filius eius: futurum est vt videat posteriora videntis, quia præsentem gratiam Dei qui videre noluit, præteritam quandoque videbit. Cùm enim plenitudo gentium subintroierit, tunc omnis Israel saluus erit. Iuxta hoc & Moysi in typum eiusdem populi dictum est. Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. (Ipse est inter Chades & Barad.) Chades & Barad

Exod. 33

regiones sunt deserti, inter quas & Sur desertum: vbi, sicut iam dictum est, inuenit angelus Agar. Tunc etiam inuenietur in deserto Sur, id est, intra murum. Sur enim interpretatur murus: intra murum, inquam, quem ædificauit incredula contra Deum, de quo Psal-

Psal. 17.

mista: Et in Deo meo, inquit, trãsgrediar murum. Inuenietur, inquã, inter Chades & Barad, id est, inter viuificantem spiritum, & occidentem literam claudicans & errans. Chades enim sancta, Barad interpretatur grando. Et reuera lex Domini secundum viuificantem spiritum sancta: secundum occidentem literam grando est.

Item de ortu Ismahel, & quomodo dictum sit, quia secundum carnem natus est. Itemq;, de ætate patris, qua ille natus est.

CAPVT XXVII.

PEperitque Abræ filium, qui vocauit nomen eius Ismahel.) Ismahel exauditio Dei interpretatur, sicut iam dictũ est. (Octoginta & sex annorum erat, quando peperit ei Agar Ismahel.) Dum nascitur Ismahel, octoginta & sex annorum pater est: dum nascitur Isaac, ille centenarius est. Hac quippe ætate patris natus est Isaac. Porrò octoginta & sex annorum quantitas duobus disponitur terminis. Est enim in deceno limite octonarius, in singulari senarius. Econtra, centũ annorum quantitas simpla est, id est, vna limite contenta: & est tertia vnitas eademque tetragona. Nam decies decem dilatantur in centum. Ergo quod ait Apostolus: Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: diuersa quoque hæc in vtraque generatione pulchrè significat quantitas annorum. Nam ex conueniente naturaliter viri & fœminæ carne vel sanguine, natus est Ismahel: quia videlicet natura fert vt de viro, quamuis sene, iuuencula cõcipiat, qualis erat Agar. Econtra, vt anus, qualis erat Sarai, de viro sene concipiat, natura ferre non solet. Proinde dum nascitur Ismahel, pulchrè numerus paternæ ætatis compositus est. Senarius perfectus numerus in singulari limite, ipse quodammodo est Abram, perfectorum vir operum, sed parui & frigidi sanguinis: octonarius autem qui & à philosophis fœmina dicitur, ipse in deceno limite, quodammodo est Agar, infirmior quidem, quia fœmina, sed fœcundior viro, quia iuuencula. Senarium numerum ideò pefectum dicũt, quia suis constat ex partibus, scilicet media, quæ sunt tria: & tertia, quæ sunt duo: & sexta, quæ est vnũ. Nanque

Universidad de Deusto
Biblioteca

tria duo vnum senarium perficiunt. Octonarium idcircò fœminam dicunt, quia pariter par, id est, vsque ad extremas vnitates, solubilis est. Soluitur enim in duos quaternarios: quaternarius vero medietas, in duos binarios: & binarius in duas insecabiles vnitates. Itaque fœmina dicitur, sicut econtrario numerus impar: verbi gratia, Septenarius, quia insolubilis est: nec enim in duas partes æquas diuidi potest, mas appellatur. Sub his ergo numeris rectè naturalis secundũ carnem generatio Ismahelis inuenitur. Econtra, dum nascitur Isaac, cuius generationem vnica Dei gratia operata est, paternæ ætatis numerus plenus & integer: vnus & simplex, id est, solo limite centeno sub vnitate contentus est. Vnitas nanque apud eosdem philosophos, neque mas neque fœmina dicitur: & proinde rectè sub centena vnitate paternorum annorum Isaac nascitur, cuius generationem neque viri neque fœminæ natura, sed sola diuinæ promissionis veritas operatur. Cuius generationis deinceps, inter deũ & hominem præparatoria sic inchoãtur colloquia.

De Isaac vel promissione eius.

CAPVT XXVIII.

CA. XVII POstquam verò nonaginta nouẽ annorũ esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens. Ambula coram me, & esto perfectus. Ponã fœdus meũ inter me & te: & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abraham pronus in faciem. Nonagesimus nonus Abram, tertius decimus Ismahelis annus est. Ergo C. eiusdẽ, qua ætate patris Isaac natus est, quartus decimus Ismaelis annus est. O igitur magna & mira diuinæ ordinationis pulchritudo. Cùm iam pater Abram æuo frigidus est: & econtra, filius ancillæ, calidæ Ismahel adolescentiæ fines ingreditur, tunc fidei fructus Isaac de libera nascitur, quia videlicet futurum erat, vt iam senescente populo Dei, vigente in pauciſsimis fide, & vbique abundante seruili iniquitate, repromissus Abrahę Christus nasceretur. Hac illius ætate, quid Dominus loquitur? Ego, inquit, Dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. Non iam hoc est proficiẽdi præceptũ, sed perfectionis datum. Idcircò rectè præmittit: Ego Dominus omnipotens, quia videlicet vt ambulet coram Domino Abram, vel alius quis, & perfectus sit: hoc omnipotẽtiæ Domini: hoc omnipotentis Dei opus est. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Quare autem hoc hactenus non dixit, cùm multoties apparuerit, & locutus illi fuerit? Quare, nisi quia & hoc ad mysterium pertinuit. Sicut enim natiuitas Isaac typus fuit incarnationis Christi: per quam sanctorum populus expectatam perfectionem obtinuit: sic tunc demum hoc debuit dici: ambula coram me, & esto perfectus: quando eiusdem Isaac donò omnipotentis domini generatio parabatur. Vnde & perfectionis vinculũ continuò subiunxit. Ponamque fœdus meum inter me & te: multiplicabo te vehemẽter nimis. Quod enim fœdus tunc promisit, nisi sacramentũ incarnationis & passionis Christi, quod nũc in reconcilationis humanæ contulit fœdere suo? Nam quod superius dictum est, in illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram: iuramentum fuit, quod iurauit ei dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Hoc autem q̃ hic promittit signanter, dicendo, inter me & te: mediatoris Dei & hominum promissio & aduentus eius est. Et quia per positionem huius fœderis amplianda erat propagatio generis Abrahæ spiritualis, continuò subiunxit: & multiplicabo te vehemẽter nimis. Nõ contentus fuit dixisse vehementer, sed addidit, nimis: quia videlicet eiusmodi multiplicatio promittitur: cuius neque quantitatem compræhendere, neque dignitatem æstimare quisquam hominum possit: quæ in spiritu potius quã in carne Abrahæ sit. Ad hæc audienda idoneus cecidit Abram pronus in faciem, subauditur, gratias agens.

Natiuitas Isaac sacramentũ est incarn. Christi.

Gen. 15.

Quòd in vero Isaac, id est, Christo, impleta sit promissio dicentis: Multiplicabo te vehementer nimis: & de augmentatione nominis Abrahæ.

CAPVT XXIX.

DIxitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum: eris que pater multarum gentium.) Hoc vtique est quod dixit: Multiplicabo te vehementer nimis. Plane hęc multiplicatio vehemens & nimia est, patrem esse multarum gentium, patrem esse omniũ credentium, siue qui ex circuncisione, siue qui ex præputio sunt. Nam in Christo est hoc pactum de quo nuncait: & pactum meum tecum. Nec enim qualecunque, sed singulariter magnum est pactum: quod enunciaturus præmisit, ego sum. Hoc, inquam, pactum in Christo est, mediatore Dei & hominum, per quem solum Abram pater factus est multarum gentium: imò q̃ dictu quoque sanctissimum & dignissimum est, pater omnium Dei filiorũ. Omnes enim quotquot filij dei dicuntur & sunt, non nisi per Christum talẽ gratiam acceperunt, per quem redempti & Deo renati sunt. At ille scilicet Christus, secundum veritatem carnis assumptæ semen Abrahæ est. Igitur omnium quorum Deus pater est: omnium, inquam, illorum & Abraham pater est. Benè ergo cecidit in faciem, adorans & gratias agens: cùm tanti huius muneris acceperit largitatem: multiplicationis eiusdẽ insigne in ipso ponit titulo nominis. (Nec vocabitur, inquit, vltra nomen tuum Abram, sed vocaberis Abraham: quia patrẽ multarum gentium constitui te, faciamque te crescere vehementissimè: & ponam in gẽtibus: regesque ex te egredientur.) Dicunt Hebræi quod ex nomine suo, Deus quod apud illos Tetragrammaton dicitur, h literã Abrahæ & Saræ addiderit. Dicebatur enim primũ Abrã, q̃ interpretatur pater excelsi, & postea vocatus est Abrahã, quod transfertur pater multarum, gentium enim quod sequitur, non habetur in nomine, sed subaudi tur. Nec mirandum, quare cùm apud Græcos & nos, a litera videatur addita: nos he literam hebream additam dixerimus: Idioma enim linguæ illis est, per e quidem scribere, sed per a legere, sicut econtrario a literam sæpe per e pronunciant. Et hoc ad rationẽ promissionis valenter accedit, q̃ in patris huius nomine, cuius est secundum carnẽ filius dominus Christus Iesus filius dei, iam vna præfulget litera nominis Domini. Cur enim vel vnam non haberet literam nominis Domini, pater eius, in quo est totum nomen Domini? Sic enim Moysi dictũ est de eo: & est nomen meum in illo. Non dixit, super illum, quod commune est omnium, quorum hic pater est, ex multis gentibus credentium: iuxta illud quod & in Apocalypsi dicitur de vnoquoque credentium: Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, & nomen meum nouum: sed est nomen meum in illo: quod prium est vnici filij, qui cùm sit Deus & Dominus, per omnia, tã nomine, quã & re, deo & Domino patri consimlis & coæqualis est. Et ponam, inquit, in gentibus: regesq̃; ex te egredientur. Reges hic rectè accipiuntur, qui apud ipsum pro fidei merito noti sunt: de quibus ipse in Euangelio: Dico enim vobis, ait, multi reges & iusti voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Potest tamen non absurdè vniuersaliter, tam de iniquis, quàm de iustis regibus accipi. Nam & Ismahel loquens, duodecim, inquit, duces generabit.

Opinio Iudæorum de nomine Abraham.

Exod. 23.

Apoc. 3.

Luc. 10.

De eo quod dictum est: Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te.

CAPVT XXX.

CA. XVII ET statuam pactum meum, inquit, inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te, daboq; tibi & semini tuo terrã peregrinationis tuæ: omnem terram Chanaan in possessionẽ sempiternam, eroque Deus eorum: quia iam dictum est, Abraham typum tenere antiqui populi sanctorum, distinctio quã nunc fecit Deus, dicendo: inter me & te, & semen tuũ post te: itemque vt sim Deus tuus, & seminis tui fœdere sempiterno: sic rectè accipienda est, vt in nomine Abram omnes electos, qui ex carne simul & fide eius sunt in nomine seminis eius, quod post ipsum, omnes electos, ex gentibus intelligamus, qui non quidem caro & sanguis Abrahæ, sed per fidem seminis eius, quod est Christus, semen sunt Abrahæ: semen, inquam, posterius: quanto naturalibus ramis qui fracti sunt posterior est oleaster, qui inseritur. Item sub nomine terræ Chanaan, rectè intelligitur illa terra viuentium, quæ euomuit maledictum illum Chanaan, qui verè ex antiquo maledictus est, id est, diabolum, quã videlicet terram, omnem per fidem prædictum Abrahæ semẽ possidebit in æternum. Alioquin si solã hic accipias terram, quã tunc Chananæi homines inhabitabant, quomodo stabit quod dictum est: Dabo tibi in possessionem æternã? Interpretatur autẽ Chanaan motus eorum. Quo nomine rectè significatur superborum motus angelorum: quibus venit pes superbiæ, & manu peccati sui moti sunt, & cecidere unt, & expulsi sunt, nec stare potuerũt. Nec solũ hoc loco, sed penè in omnibus eiusmodi Dei sermonibus illa intelligenda terra est, quæ reuera fluit lac & mel, quã respicit Dominus Deus noster, à principio anni vsque ad finem eius, id est, semper. Dixitque iterũ dominus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.) Tanquam diceret: Meæ fuerit gratiæ, spontaneum cum homine pactum inire: hominis sit, tantam non negligere gratiam, & pactum Dei sui non facere irritum. Nam ego quidem non prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita: veruntamen quisquis irritum fecerit, ego vltor existam: Tu ergo, quoniam homo es, & homo non nisi operoso studio veritatẽ tenere potest, quæ naturaliter in Deo est: tu, inquam, solicitudine adhibita custodi pactum meum, & post te semen tuum.

Psal. 35.

Psal. 88.

De circuncisione, quòd signum fuerit iustitiæ fidei, & cur id in illa corporis parte poni debuerit, & quòd post aduentum promissi seminis, quod est Christus, circuncisio rectè cessare debuerit.

CAPVT XXXI.

HOc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuũ post te, Circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circũcidetis carnem præputij vestri.) Hoc loco pactum pro signo pacti æquiuocè oportet accipi. Nam sequitur continuò: (vt sit signum fœderis inter me & vos.) Quod Paulus quoque Apostolus confirmans, cùm dixisset: Quomodo ergo reputata est Abrahæ fides ad iustitiam, in circuncisione an in præputio? non in circuncisione, sed in præputio, continuò subiunxit: Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omniũ credentium per præputium. Itaq; cũ & hic scriptura exponens quomodo circuncisionem appellauerit pactum, dicat, vt sit signum fœderis, & Apostolus eandem circuncisionem appellat signum vel signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio: manifestum est circuncisionem carnis, non ipsum fœdus, sed signum fœderis: non ipsam iustitiam, sed signaculum fuisse iustitiæ fidei. Hic iam quæritur: Cur

Rom. 4.

Rom. 11.

Iacob. 1.

Natiuitas Isaac sacramentũ est incarn. Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: Cur tali in loco, tali in parte corporis signaculum iustitiæ fidei, pater noster Abraham acceperit: Si enim, inquit Iudæus, signaculum pro signo iustitiæ datum est circunci sionis cauterium, cur non potius in ea parte corporis quæ vel membro corporis datum est quod nudũ apertaq; ipsi esset, vt semper pateret? Huic ineptæ obiectiunculæ vt multum pueriliter respondeã, aio: quia si in naso aut in labio, vel certè in auricula, siue in oculo signum circuncisionis Deus posuisset, damnosa vtique macula faciem hominis deturpasset. Veruntamẽ pro re magis seriò respondẽdum est. Signum fœderis iecundum Moysen, & signaculum iustitiæ fidei secundum Apostolum, circuncisionem esse, iam supra diximus, quod differi, nec Iudæus, nec Hebionita possit hæreticus. Constat verò, quòd fœdus ipsum vel fides quæ Abrahæ ad iustitiam reputata est, in promissione seminis extitit, in quo benedicentur omnes gentes. Hoc nẽpe est quod credidit Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam. Qua ergo in parte corporis huiusce fidei signaculum magis congruè daretur, quàm in ea per quam semen ipsum naturaliter traijcitur? Illic vtiq; congruentius signaculum posuit sponsor, & promissi sui debitor Deus, vt & ipse promissionis & homo expectationis suæ, semper commoneretur: Debitorem nanque se fortiter teneri voluit, qui promissi seminis signum in ipso seminis effusorio credenti posuit homini. Simulque & illud sciendum, quia sicut Noe fidei suæ, rectè in nubibus positum est signum, dicente Deo: Cumque obduxero nubibus cælũ, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum, videlicet prædicenti Deo credideratː quia diluuiũ aquarum de nubibus inundaturum erat, sic rectè nihilominus Abrahæ, quia crediderat dicenti Deo, quòd in semine eius benedicẽrentur omnes gentes, in loco seminis, id est, in genitali corporis parte, signũ eiusdem fidei positum est. Nunc vide quanti sacrilegij sit, post aduentum eiusdem seminis, adhuc inijcere carni suæ signaculum eiusdem circũcisionis. Nempe iuxta præscriptam veritatẽ, circuncisionis susceptio expectandi seminis illius professio est. Quisquis circunciditur, semen quod Abrahæ promissum est, etsi nõ conscientia, signo tamen illo, venturum, se expectare profitetur. At ille scilicet, Christ⁹ iam venit, iam natus est, iam illo dato in benedictionẽ cunctis gentibus veritas Dei impleta est: Igitur quisquis adhuc circũciditur, venisse negat eum, quem tali signo venturũ, se expectare pronunciat, & perinde illũ qui iam venit vtiq; Christum esse denegat. Rectè itaque & veraciter Apostolus: Si circuncidamini, inquit, Christus vobis nihil proderit.

Cur circuncisio in parte corporis potius quã aperta ipsi esset, vt semper pateret?

Gen. 9.

Galat. 6.

Item de circuncisione, & cur infans octo dierum iussus est circuncidi.

CAPVT XXXII.

INfans octo dierum circuncidetur in vobis.) Præter illud quod circũcisionis signũ pro testimonio erat genti illi, quia fidem haberet venturi seminis Abrahæ, id est, Christi, in eo quoque mysterium est, quòd non quocunque, sed octauo die circuncidetur, inquit, infans in vobis. Octauus nanque dies infantis, octauam significat ætatem mundi, qua circũcidetur infans, id est, expoliabitur orbis omni corruptione mortalitatis, & nouus erit mundus, vniuersali resurrectione regeneratus. Illi enim qui digni habebuntur seculo illo & ex mortuis resurrectione, nõ nubent, neque nubentur, neque enim vltra mori poterunt, æquales enim angelis erunt, & filij sunt Dei cùm sint filij resurrectionis. Benè ergo infans octo dierum circuncidi iubetur, quia videlicet, quod circuncisio signat, octaua ætate mundi perficietur. (Omne masculinum in generationibus vestris tam aduena, quã emptitius circũcidetur, & qui nõ fuerit de stirpe vestra,) subauditur, si in vestrã voluerit transire coloniam. Sic enim in Exodo cùm dixisset: Hæc est religio phase, aduena & mercenarius non edent ex eo, &c. Continuò subsecutus, ait: Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniã, & facere phase Domino, circuncidetur prius omne masculinum eius, eritque sicut indigena terræ. Tales instantissimè perquirebant pharisæi, vt in carne eorũ gloriarentur, quibus Dominus dicit: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridã, vt faciatis vnum proselytum. Et cùm factꝰ fuerit, facitis eum filium perditionis duplo quàm vos: Lustrantes enim totum orbem propter negotiationes & diuersa lucra, quæ tam à discipulis indigenis captabant, quàm à peregrinis, per imaginem sanctitatis studij, habebant de gentibus facere proselytum, id est, aduenam circuncisum miscere populo Dei. Sed qui ante, dum esset Ethnicus, simpliciter errauerat, & erat semel filius perditionis, videns magistrorum vitia, & intelligens destruere eos opere, quod verbis docebant, reuertebatur ad vomitum suum, & gẽtilis factus maiore erat pœna dignus. (Erit pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum.) Hoc dicto Iudæi carnis circuncisionem defendere contendunt, quia videlicet dictum in fœdus æternum, tanquam hoc idem sit, ac si diceretur, exercendæ circuncisionis ritum seruabitis in æternum. Sed iam supra dictum est, non fœdus circuncisionem sed fœderis esse signum: Circũcidetis, inquit, carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me & vos. Aliàs autem quomodo circuncidendi ritus æternus esse poterit, cũ sine dubio nascendi vel generandi successionem habitura sit. Igitur quod ait, erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, sensu supradicto, ad Deum qui vera caro de carne illorum est, respicit Christũ mediatorem Dei & hominum, in quo veraciter pactum vel fœdus est æternum, quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, in quo omnes inimicitiæ dissolutæ, & cælestia cũ terrestribus pacificata sunt.

Matth. 22

Exod. 12.

Matth. 23

Circũcisio nõ est fœdus æternũ, sed sig. fœ.

Ephe. 2. Colos. 2.

De eo quod dictum est: Masculus cuius præputij caro, & cætera, & quid ante aduentum Christi circuncisio contulerit.

CAPVT XXXIII.

MAsculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.) Tanquam diceret: Masculus qui supra dictum fœderis mei signum non susceperit, id est, non circuncidit carnem præputij sui, ille fidem seminis tui negauit. Porrò, sine fide seminis tui, quod est Christus, saluari impossibile est. Delebitur igitur anima illa de populis suis, id est, non connumerabitur inter populos, quorum te patrem constitui. Quare? Videlicet quia pactum meum irritũ fecit, id est, quia in Adam præuaricatus est, cuius tunc erat in lumbis, & nunc exortus præuaricationem illius, quàm tuam fidem sequi: & imitationem peccati, quàm expectationem seminis tui, susçipere maluit. Vnde enim inter Deum & homines inimicitiæ, ni si quia primus homo pactum Dei in paradyso præuaricatus est? Ergo qui nõ accipit eius testimonium, per quem solum illæ inimicitiæ soluuntur, qui, inquam, non signatus est ante aduentum eius signaculo, quale tunc positum fuit: & qui non signatur post aduentum eius signaculo ipsius, quale nunc positũ est, meritò perit pro eadem culpa primæ præuaricationis. Quærat nunc aliquis: Cur ergo sancti patres ante aduentum Christi non introiebãt in regnum Dei, si per fidem Christi in circuncisione fuerant iustificati & ipsi? Ad quod ediuerso respondemus. Cur sacramentis sanctæ ecclesiæ, Verbi gratia: Corporis & sanguinis Domini communione non admittuntur catecumini nostri? Nónne credunt, & ore confitentur fidem Christi? Videlicet, inquis, quia nõdum sacro fonte sunt regenerati. Ita planè veteres sancti, id circò ab illa cælesti gloria non debebant in communionem gloriæ & visionis recipi diuinæ claritatis, nec fas erat vt inter candorẽ innocentiæ vel claritatis angelicæ reciperentur qualescunque humani generis iustitiæ, quæ omnes, testante Esaia, sic erant sicut pãnes menstruatæ, nisi prius lotæ essent sanguinis & aquæ de Christi latere profluentis inundatione.

Ephe. 2.

Cur sanctis patrib. ante aduentum Christi clausum erat regnũ cæleste.

Esa. 46.

De eo quod dictum est: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.

CAPVT XXXIIII.

DIxit quoque ad Abram: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum ex eo orientur.) Sublato vno elemento, id est i, addita est e litera quæ per a legitur, & vocata est Saraa. Idioma nãque (vt supra iam dictum est) linguæ Hebræis est per e quidem scribere, sed per a legere, sicut e contrario a literam sæpe per e pronunciãt. Porrò Sarai interpretatur princeps mea. Sara princeps absolutè. Causa autem immutati nominis, eadem huic quæ & Abrahæ est. Illa nanque Hierusalem quæ sursum est, quæ libera, & mater omnium nostrum est: antequam nasceretur verus Isaac, id est, risus, scilicet, Dominus noster Iesus Christus, risus noster, & gaudium nostrum, vnius princeps erat populi Iudæorum. Nam nos gentes (vt ait Apostol⁹) eramus illo in tẽpore sine Christo, & alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine deo in hoc mundo. At nunc iam non sumus hospites & aduenæ, sed sumus ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum. Itaque sicut iam non Abram, sed Abraham, id est, pater multarum gentium, sic iam non dicitur Sarai, id est, princeps mea, quæ dictio solius esset populi Iudæorum, sed Sara, id est, princeps, vt subauditur, multarum gentiũ. Nam sicut Abraham pater, sic & per eãdem fidem mater nostra Sara est. Daboque tibi, inquit, ex ea filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, subauditur, per ipsum semen vnum, in quo & tu eris (vt iam dixi) pater multarum gentium: Christum enim prænunciat in Isaac, qui est vtique in nationes, quia per fidem eius & in nationes gratia spiritus sancti effusa est. Proinde cùm dicit, cui benedicturꝰ sum, nihilominus subaudiẽdum est, ita vt benedictio eius redundet in omnes gentes, sicut iam prædixi tibi, quia in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Ex eo reges populorum orientur, inquit, subauditur, per fidem. Nam secundum carnem ex Isaac, populorum quidem, scilicet, Israel & Edom reges orti sunt, sed hoc magis & laudabiliꝰ est, magisq; ad promissiones magnifici oris Domini pertinet, quòd ex semine Abrahæ secundum Isaac per fidẽ Christi renati sunt gẽtium reges, vel quàm plurimi ecclesiarum idonei rectores.

Galat. 4.

Gen. 12.

De risu Abrahæ dicentis in corde suo: Putásne centenario nascetur filius?

CAPVT XXXV.

CEcidit Abraham pronus in faciem, & risit, dicens in corde suo. Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad Dominum: Vtinam Ismahel viuat coram te.) O virum æterno risu verè dignum, & sempiternæ iucunditati benè præparatum, quia ita cecidit in faciem vt rideret, ita risit vt in faciem caderet, illius vtiq; adorans omnipotentiam, cuius in promissione audierat singularem gratiam. Putásne, inquit, cen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit, centenario nascetur filius? subauditur, talis futurus, & nascetur de Sara nonagenaria? quæ cùm per ætatem debuit parere, sterilis erat. Hoc enim subaudiendum est, præsertim, cùm post obitum Saræ, & cùm iam vxorem duxisset Isaac, iamque adultus, non dubitauit idem Abraham ducere vxorem nomine Cethuram, nec frustra: quippe, de qua suscepit filiorum copiam. Ergo putásne q̃ in corde suo dixit, non dubitando, sed suam ipse felicitatẽ ineffabiliter admirando. Quod verò ore proprio ad Dominum dixit, vtinã Ismahel viuat coram te, planè reuerentis & pudorati animi est, confitentis illud quod, p̃ mittebatur longè abundantius esse, quã petere ipse auderet. (Et ait Dominus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Isaac, & cætera.) Imperiosa hæc sermonis Dei repetitio est, notam fidem hominis excitantis, vt aures audiendi
Ioan. 16. habeat, nec humilitate nimia dissimulet audita gaudia. Sara, inquit, vxor tua pariet tibi filium, sicut iam dixi, quia tu risisti, quod subaudiendum est, vocabitur nomen eius Isaac, quia reuera ridebit in nouissimo generositas tua. Isaac nanque risus interpretatur. Quo nomine rectè seminis Abrahæ, q̃ est Christus, felix natiuitas significatur, qui vniuersitati sanctorum quorum ex carne vera caro, & verus homo ipse est, sempiterni risus & interminabilis gaudij causa est. De quo idem ait: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Quod gaudium vel quẽ risum, omnium pulchrè vnus illorum prægustauit, clausus adhuc in vtero, dicente matre eius ad Mariam: Eccè enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: Eorum omnium, cũ sint vnum corpus & vnus spiri-
Luc. 1. tus, mystícè hæc vox est: Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Et est sensus: Hactenus cùm floreret rerum status, temporibus regum nobilium, nõ ve-
Gen. 49. nit Christus, nunc senium quoddam generis Abraham, (Ablatum est enim sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius) putásne ergo nũc veniet q̃ mittend⁹ est? Putas? videbo? Putas durabo? Putas hic me inueniet illa natiuitas? Eorũ nãq; huiusmodi suspiria, Simeonis expectatio satis indicat, qui in desiderio cordis sui responsum acceperat à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius vide-
Luc. 2. ret Christum domini Christum igitur Isaac & nomine signat & munere, quia & senibus parentibus datus, & à risu nomen sortitus est.

De eo quod dictum est: Super Ismahel quoque exaudiui te, & quomodo intelligendum sit: Pactum verò meum statuam ad Isaac.

CAPVT XXXVI.

SVper Ismahel quoque exaudiui te: Eccè benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valdè. Duodecim duces generabit, faciamq́ illum in gentem magnam: Pactũ verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.) Vtrũ Ismahel in persona sua ad sortem electorũ pertineat & viuat coram Domino, iuxta petitionem patris dicentis, vtinam Ismahel viuat coram te: præsertim quia respondit Dominus, super Ismahel quoque exaudiui te, eccè benedicam ei, &c. alterius nobis scriptu
An Ismahel sit saluatus.
Malach. 1.
ræ auctoritate certum non est. Nusquam enim tale quid de Isaac & Ismahel scriptura patenter edicit, quale est illud: Iacob dilexi,
Gen. 21. Esau autem odio habui. Quamuis hæc eadem scriptura dicat: Cumque vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Et eundem ludum Apostolus persecutionem vocat, di-
Galat. 4. cendo: sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Non tamen omninò consequens est, quòd à Deo proiect⁹ vel eiectus sit, præsertim cùm post pusillum ibidem scriptum sit: Exaudiuit autem Deus
Exod. 32. vocem pueri de loco in quo erat. Tradunt quidem Hebræi ludum illum eiusmodi fuisse, quòd idola luto fecerit, iuxta quod alibi scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Sed & ediuerso dicunt alij, quòd aduersus Isaac, quasi maioris ætatis, ioco sibi & ludo primogenita vendicaret. Sed de hoc aliàs. Nunc illud dictum sit, quamuis reproborum typum gesserit, nõ omninò consequens vel constans esse, quod & ipse in sua persona à Deo reprobatus sit, dicente illo: Super Ismahel quoque exaudiui te, quia dixerat Abraham: Vtinam viuat
Gen. 25. Ismahel coram te. Duodecim, inquit, duces generabit. Hi duces, id est, filij eius, inferius sunt descripti. Primogenitus Nabaioth, deinde Cedar, & Abdehel, & Mapsam, Masma quoque, & Duma, & Masa, & Adad, & Thema, Ithur, & Naphis, & Gedma. Pactum verò statuam ad Isaac. Pactum nec hoc loco circuncisionem vult intelligi, quæ potius (vt supra iam dictum est) signum est pacti. Nam & Ismahel circuncisus fuit. Sequitur enim: (Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham: tulit autem Abraham Ismahelem filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, & circuncidit, &c.) Ergo pactũ, quod propriè est ad Isaac, redemptio vel reconciliatio generis humani est, quam in Isaac per Christum fieri statutũ est ab eo qui promisit: statutum, inquã, quia fidelis est, & propositum eius infirmari non potest.

De cẽtesimo ætatis anno Abrahæ, quo natus est Isaac, & quòd vbi nasciturus iam datur, trinitatis mysteriũ in forma angelorũ se homini manifestare dignatur.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

CAPVT XVIII. APparuit iterum Dominus ei in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore Dei.) Hic annus ætatis Abrahæ centesim⁹ ad illam secundum diuinitatis consilium respicit plenitudinem temporis, de qua dicit Apostolus: At vbi venit
Galat. 4. plenitudo temporis, misit Deus filium suũ, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Proinde totus illi festiuus atque solẽnis, & diuinis est reuelationibus, maximè, quia quam hactenus vidisse non legitur figuram sanctæ trinitatis, hoc tempore videre meruit. Eccè enim apparuit, inquit scriptura, iterum ei Deus in conualle Mambre sedenti, in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque subleuasset oculos, apparuerunt & tres viri stantes propè eum. Quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui & adorauit in terra, & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, & cætera) Vbi nasciturus Isaac, nõ iam solùm, vt ante promittitur, sed & datur, trinitatis mysteriũ in forma trium angelorum, se homini manifestare dignatur, quia videlicet vbi Christus nascitur ex semine Abrahæ, eiusdem Christi filij Dei incarnationẽ præsentia suæ maiestatis, tota trinitas, in hospitio virginei ventris operatur: & exinde nomen eiusdem trinitatis, nomen patris & filij & spiritus sancti toto mundo publica prædicatione declaratur. Nam pater est qui virginem imprægnat, filius qui natura induitur humana, spiritus sanctus cuius operatione concipit virgo, quę virum non nouerat. Sed iam ipsa literæ sequamur vestigia. Apparuit, inquit, iterũ. Incertum reliquit, quanto interuallo post illa quæ supra narrata sunt, hoc factum sit: sed certum tamen est, quòd breuissimum tempus interfuerit. Nam & in præcedenti visione, cùm dixisset Deus, pactum verò meum statuam ad Isaac, addidit continuò, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero: & in hac iterum dicit, reuertens veniam ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium: potest tamen intelligi, quod ait in ipso feruore diei, idem esse ac si diceretur, in feruore ipsius diei, subauditur, cuius præcedẽte nocte apparuerat, & de circuncisione mandatum dederat illi.

Quid significet, quòd tunc apud hominem angeli, siue Deus in angelis tam familiariter hospitatus est, & penè nihil à consueta hospitalitate susceptio illa differt.

CAPVT XXXVIII.

IN ipso, inquit, feruore diei: Satius exprimi nõ potuit qualitas vel proprietas eius quæ nunc apparuit visionis. Idem enim est, ac si dictum fuisset. Non iam in vsu noctis, nõ in aliqua spirituali solummodo visione, sed homine huius solis, in aspectu oculorum vel sensu communi. Nam reuera ad communes pertinent sensus cuncta hæc, quæ in hac visione narrantur. Cumque subleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum, & cætera. vsque ad id quod dicitur: Igitur pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur. Quidnam est in quo hæc acta vel dicta cælestium hospitum in communi schemate, siue omnimodo gestu differant hominum apud amicos suos hospitantium? Ille hospitalis paterfamilias currens in occursum quasi hominum, præ lassitudine tecto & refectione indigentiũ, (afferã, inq̃t pauxillũ aquæ, vt lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamq́ buccellam panis, & confortate cor vestrũ, postea transibitis.) Quid humanius homini diceres, quem præ labore itineris & inanitate vẽtris penè deficere, debilis vel cõcisus anhelitus proderet? Item quid pronius responderent fessi viatores, de bono & comi hospite lætantes? (Fac, inquit, vt locutus es: Festinanter ille ad Saram, tanquam pro amicis esurientib. accelera, inquit & tria sata farinæ simul commisce, & fac subcinericios panes. Currit ipse ad armẽtũ & tollit vitulum tenerrimum & occidit, datq; puero. Qui festinauit & coxit illum.) Apponit tandem cœnam opimam, butyrũ & lac & vitulum, quem coxerat: ipse verò stat coram eis edentibus & bibentibus, secundum morem vel disciplinam ministrantium. Tunc illi (vt mos est benè refectis hospitibus) exhilarati ac lætabundi: (Vbi est, inquiunt, Sara vxor tua?) Ac deinceps vnus qui in tribus illis erat Dominus Deus, (reuertens, inquit, veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit Sara filium) Sic omninò loqui solet homo, qui semper in incertitudine est futurorum, & ipsius vitæ suæ. Veniam ad te, vita comite, id est, veniam ad te, si vita comes fuerit. (Risit Sara, videlicet pudibunda mulier tanquã venerandos erubescens homines. (Postquã, inquit, cõsenui & dns meus vetulus est, voluptati operam dabo? (Defuerant enim illi fieri muliebria,) id est, menstrua, scilicet, secundum ætatem, præraritate sanguinis. Vnde & duplex videbatur importunitas concipiendi vel pariendi ei, quæ & cum sanguine abundaret, fuerat sterilis. Perterritæ & dicenti, (nõ risi) iucũdi⁹ adhuc imminẽs dns, (nõ est, inquit, ita, sed risisti.) Apud Loth quoq; penè *Loth.*
idẽ q̃ homines dicunt & faciunt angeli. Vo- *Gen. 19.*
cati ad hospitiũ, minimè inquiũt, sed in platea manebimus, vixq́; cõpulsi diuertunt ad eum. Ille quoq; ingressis fecit conuiuiũ, coxit azyma, & comederunt. Quid, inquam, hic est quod discrepet ab hominum confabulatione, vel consultatione communi? Nam leuia sunt hæc aut ludicra? Non vtique, sed Dei & hominis verè filij Dei, & verè filij hominis vera & sancta sunt præconia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid enim tunc parabatur, niſi vt Iſaac naſceretur, in typum eius, qui cùm fecerit terram in ſempiterno tempore, & impleuerit eā pecudib. etenim ea quæ ſunt, omnia per eũ
Baruch. 3. facta ſunt, poſt hæc in terra, vidẽdus, & cum hominib. erat cõuerſaturus? At ille non vtcũque videndus, non quomodocunq; cum hominibus erat cõuerſaturus: ſed in veritate humanæ ſubſtantiæ: verè de fœmina conceptus & natus, verus homo, vera caro factus erat in nobis habitaturus. In nobis (inquam) per omnia, vtpote de ſuis inuiſibilibus, ad noſtra viſibilia profectus. Habitauit enim in nobis, cũ in illo fœmineæ ſecreto naturæ, de quo nos non ſine pecca to proceſſimus ſinguli, decem menſibus abſque peccati contagione hoſpitatus eſt, & inde tanquam ſponſus de thalamo ſuo procedens, in ſole poſuit
Pſal. 18. tabernaculum ſuum, tenera vt infans circundatus carne, & vagitus emittens infantiæ, factus ſub lege, ſubdituſq; Ioſeph & Mariæ, circunciſus & tan quam peccator legali hoſtia mundatus, paſſus famem, & fraudẽ tentatoris perferens, perſecutioneſq; hominum ſuſtinens, & contriſtatus vſque ad mortem, de loco ad locum fugiens, ad extremum autem factus obediens vſq; ad mortem. Rectè igitur & pulchrè dum illud præſignatur, iam cæleſtia terrens coniungitur: ita vt in nullo cæleſtes ſpiritus diſſimiles ſe exhibeant hominibus in colloquio, in conuictu, in omni modo, tam dictorum quàm factorum geſtu vel habitu. Et notandum in hac lectione, verba ſecundum numeros variari, id eſt, nunc alia ſingulariter, nunc alia pluraliter, dici. Cuius varietatis hęc ratio eſt. Vbi dicuntur vel aguntur ea quæ ad Deũ pertinẽt, omnia dicuntur ſingulariter: vbi inter hoſpites penè ſola ſonant humana, dicuntur omnia pluraliter. Nam vt manifeſtius fiat quod dicitur, Vbi adorat Abraham, non pluraliter dicit, Domini mei: ſi inueni gratiam in oculis veſtris, ne tranſeatis ſeruum veſtrum, ſed ſingulariter: Dominẽ, inquit, ſi inueni gratiã in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum quia vidēlicet vnus in tribus perſonis Dominus vel Deus eſt, qui ſingulariter & ſolus adorandꝰ eſt. Vbi autẽ offert quod nõ Dei, ſed hoſpitũ eſt, loquitur pluraliter, ſed auferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, & cõſortate cor veſtrum, & poſtea tranſibitis. Item vbi iucũdi & benè refecti de Sara interrogant, ſcriptũ eſt pluraliter, dixerunt: vbi eſt Sara vxor tua? vbi autem continuò promittitur, quod dare vel facere ſolius dei eſt, ſingulariter ſic ſcriptum eſt: Reuertens veniam ad te, & habebit Sara filium.

FINIS QVINTI LIBRI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER SEXTVS.

De manſuetudine & ira Dei, qui tam familiariter apud iuſtum hoſpitatus, tam terribiliter ad Sodomam diuertit.

CAPVT I.

PRomiſsio vel aduentus Chriſti filii Dei, ſicut electis in multitudine miſericordiæ, ſic reprobis in abundantia eſt iræ & vindictæ. Ira enim, inquit Apoſtolus, & indignatio, tri-
Rom. 2. bulatio, & anguſtia in omnẽ animã hominis, operant is malũ, Iudæi primũ & Græci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Benè ergo is cuius in Euãgelio ſuo ſimul ira reuelanda erat & gratia, iã in præfiguratione aduentus ſui, dum præfiguratur in Iſaac, vtriuſq; rei narranda toto orbe præmittit exempla. Penes ipſa piorum tabernacula, caſtis indulget
Ira & gratia Chriſti præfigurata. delitijs, & ridentibus penè arridens atq; cõgaudens materiam multiplicat, cauſamq; cõfirmat riſus æterni: ac deinde Sodomã diuertens terribilẽ ſuper impios & peccatores peſſimos pluit irã, in exemplũ ignis ęterni. Illic manſuetudine, hic filij ſui Deus veritatẽ prędeſtinauit & iuſtitiã. Cui propheta in Epithalamio prędicinẽs, cũ dixiſſet: Intẽde proſperè, procede & regna, cõtinuò ſubiũxit, Propter veritatẽ & manſuetudinem & iuſtitiã, deducte mirabiliter dextera tua. Sed iam ipſa veritatis & iuſtitiæ præſẽtia ingrediamur oſtẽta.
Pſal. 44.

De peccato Sodomorũ, & quòd in illo typus præceſſerit Iudæorũ, qui dominum illudentes crucifixerunt

CAPVT II.

CVmq; ſurrexiſſent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham ſimul gradiebatur ducens eos.) Homines Sodomitæ (vt ſuperius iam dictum eſt) peſſimi erant, & peccatores nimis coram Domino. Notum immò notatum & infame eſt toti mundo peccatum ſcilicet, ſaturitas panis, & ocium, in quo malè nimis ſemetipſis
Rom. 1. abuſi ſunt: commutãtes naturalem vſum in eum qui eſt cõtra naturam: maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & ita mercedem quã oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes, quia videlicet hoc peccatum teterrimum & peccatorum præcedentium pœna

pœna eſt. Proinde extunc, & vſque in ſeculum, publicanis quoq; & Ethnicis, ne dicam omninò caſtis naribus, nimium fœtet memoria eorum. Hi planè typum geſſerunt falſorum Hieroſolymitarum, eorum qui Dominum noſtrum Dei filium crucifixerunt, teſtante Eſaia, cùm de illis prohetica voce dicit. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei populus Gomorrhæ. Delectatus itaque Domi
Eſa. 1. nus hoſpitio patris Abrahę, dirigit oculos cõtra Sodomam, deducente ſe Abraham, vim penè paſſurus, à peccatoribus, quia videlicet doctrinis & miraculis exhilaratus, apud diſcipulorum beneuolentiam, in quibus ſecundum fidem erat Abraham, eiſdem Apoſtolis deducentibus Hieroſolymam illam, quæ ſpiritualiter Sodoma vocatur, aſcendit
Apoc. 11. crucifigendus à pontificibus, phariſæis, ſenioribus quoque, & ſcribis populi.

De eo quod dictum eſt: Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum.

CAPVT III.

DIxitque Dominus: Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cùm fu-
CA. VIII. turus ſit in gentem magnam & robuſtiſsimam, & benedicẽdæ ſint in eo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus ſit filijs ſuis & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiãt viam Domini, & faciant iuſtitiam & iudicium: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.) Mira exordientis dignatio, qua Deus hominis & excitare attentionẽ, & captare, quodãmodo curat beneuolentiam, quippe qui ab eiuſdẽ auditoris ſui quibuſdam laudibus ſuum ſic inchoat ſermonem: Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum? Subauditur enim tantis repugnãtibus cauſis. Primò quia futurus eſt in gentem magnam. Futurus, inquam, magis ſecundum fidam quàm ſecundum carnem, in gentem magnam ac robuſtiſſimam, videlicet cuius mirando fortitudinẽ rectè dicam, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Deinde ſcio enim, inquit, quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam do-
Matth. 11. mini: quod, ſcilicet, bono prius exemplo per ſemetipſum, poſtea ſcripto & doctrina legis, per poſteros ſuos egit. Quantæ putas laudationes vel teſtificationes ſunt homini dicta hæc ex ore Dei? Non ergo Abraham apud Deum parui æſtimatur, cui tales & tantas ob cauſas, conſilium ſuum celare ſe nõ poſſe teſtatur Deus. Et hæc quidem illi dignè ſecundum ſuam perſonã dicta ſunt, qui genti ſuæ magnæ ac robuſtiſsimæ, hodieq; præcipit, vt cuſtodiant iudicium & iuſtitiam, ſcientes, peccatorib. diſtrictam exemplo Sodomorum timendam eſſe Dei ſententiam. Cæterùm iuxta myſteriũ iam dictum quando paſſurus dñs dixit oculos ſuos contra Sodomam illã, id eſt, Hieroſolymã, non celauit Abrahæ. i. Apoſtolis ſuis, carne & fide filijs Abrahæ, quæ geſturus erat ipſe, ſciens q; futuri eſſent in gentem magnã ac robuſtiſsimam, videlicet illam, q̃ extunc diffuſam per totum orbem videmus eccleſiã, terribilẽ vt caſtrorum aciem ordinatam, & quòd per miniſterium illorum benedicendæ eſſent in ſemine Abrahæ omnes nationes terræ, & q; præcepturi eſſent filijs, id eſt, auditoribus ſuis, vt cuſtodirent iuſtitiam & iudicium, futuram credentes reſurrectionem, & iudiciũ vniuerſale viuorum & mortuorum.

De clamore Sodomorũ & Gomorrhæ & de precatione Abrahæ.

CAPVT IIII.

CLamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum earum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, aut non eſt, vt ſciam. Conuerteruntque ſe inde, & abierunt Sodomam.) Quantum ad præſentem locum hiſtoriæ temerarium hominum prohibetur iudicium, ne facilè audita credant, vel inexperta iudicent, cùm Deus omnium qui falli non poteſt, qui & antequam fiant, omnia nouit, dicere dignatus ſit: clamor Sodomorum multiplicatus eſt, deſcendã & videbo vtrũ clamorem qui venit ad me opere impleuerint. Porrò myſticè dicendum, quia Sodomorũ, id eſt, Hieroſolymorum clamor crebro aſcenderat ad Dominum, Euangelica teſtẽte parabola, quia mali & malè perdendi agricolæ ſeruos Domini vineæ ſemel & iterum ac tertio ad ſe miſſos eiecerunt, immò & contumelijs affectos occiderunt. Nouiſsimè ergo miſſus filius vnicus, æſtimante patre ac dicente, verebuntur filium meum, rectè dixit, Clamor Sodomorum multiplicatus eſt: deſcendam & videbo, & cætera. Deſcendit enim & vidit, vtrum clamorem qui aſcenderat, opere compleuiſſent, & vidit, inquam, id eſt, expertus eſt, quàm peſsimi eſſent, didicit in ſemetipſo quàm crudeliter, quàm odiosè ſanctos ꝓphetas, & iuſtos homines occidiſſent. *Matth. 21.*
Cõuerterunt ſe, inquit, & abierunt Sodomã. (Abrahã verò adhuc ſtabat coram Dño, & appropinquans ait: Nũquid perdes iuſtum cum impio? &c.) Hoc planè ex ipſa oratio nis qualitate clarum eſt, quia verè Abraham coram Domino ſtabat, & Domino appropinquans erat, quia videlicet in oratione nõ ſuam, ſed Dei gloriam intendebat: non, inquam ſuã, ſed Dei voluntatem fieri poſtulabat. (Dixit enim. Abſit à te, vt rẽ hanc facias & occidas iuſtũ cum impio, fiatq; iuſtus ſicut impius. Non eſt tuum hoc qui iudicas omnẽ terrã, nequaquam facies iudicium hoc.) Ergo conſulebat domino fidelis famulus, quatenus ſic ageret, & ſic iudicaret, vt de ſuis ipſe iudicijs dignè laudaretur. Proinde Dñs Deus monitorem hominẽ nõ aſpernatus, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

quodammodo arguentem non dedignatus, singulis eius cõcedit propositionibus, dimittam, inquiens, omni loco, propter quinquaginta: non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque: non percutiam propter quadraginta: non faciam, si inuenero ibi triginta: nõ interficiam propter viginti: non delebo propter decem. Fortis enim erat vera fortitudine homo, qui fortissimum Dominum tenebat. Fortis, inquam, & fortiter seipsum confringens, qui dicebat: Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis: & ne quæso, inquit, indigneris Domine, si adhuc loquar: & quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum: & obsecro, ne irascaris Domine, si ad huc loquar semel. Hæc enim fortitudo vera est, scilicet, spiritus humilitatis, & mens subdita iustitiæ Dei, quam idem propheta (qui in primordijs libri sui dixerat: audite verbum domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ) deplorans in hominibus defecisse: dicit circa finem eiusdem libri flebili cõquestione: Non est qui inuocet nomen tuum, non est qui consurgat vt teneat te. Videbat vtique in spiritu, versum Dominum ad Sodomam illam, nec esse quenquam qui teneret illum, propter abundãtem malitiam. Nã quid gemeret subsecutus aperuit. Deserta facta est Hierusalem, desolata domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustione ignis. Hoc enim irrecuperabiliter sub Vespasiano & Tito factum est.

Esa. 1.

Esa. 64.

Item de eadem re: Et quòd non casu sapiens homo taliter numerum diminuerit: prius quinquaginta, deinde quadraginta, ad extremum ponendo decem.

CAPVT V.

SED quid sibi vult degradatio numerorum huiusmodi? Nunquid homo cum Deo loquens, casu & sine scientia & sensu, sicut in buccam venerunt, ita insertas effudit diminutiones numerorum? Non vtique, sed cum ratione elocutus est, quæ & si nobis nõ ad plenũ liquent, nonnihil tamẽ pulchritudinis sensib. nostris exinde sublucet. Illud nanque præclarum in his numeris diuinitus prouisum animaduertimus, quòd non solũ arithmeticis qualibuscunq; rationibus, sed & musicis proportionibus ita contexti sunt, vt omnes musicæ concordiæ symphonias complectantur, excepto quinquagesimo numero, qui propter alias rationes sacratus est. Nam quadraginta quinque cum quadraginta comparati epogdoum, id est, sesquioctauam proportionem reddũt, quam musici tonum appellant. Quadraginta cum triginta collati, epitritum, id est, sesquitertiam proportionem efficiunt, quam symphoniam diatessaron vocant: triginta cum viginti comparati, hemiolion, id est, sesquialterum constituũt, quam symphoniam diapente dicunt. Viginti cum decem collati dupli sunt, quã maximam consonantiã, id est, diapason nominant. Item triginta cum decẽ triplarẽ, quadraginta cum eiusdem quadruplarem proportionem efficiunt: quarum altera diapason cum diapente: altera reddit bis diapason. Quid igitur hi numeri, nisi tanti intercessoris veram indicant dignitatem, videlicet quòd ita duntaxat Dominum Deum suum peccatoribus parcere cupit, vt proficiat ad nominis ipsius laudem & honorem? Cantabilem nanque misericordiam decet illum facere, talem, scilicet, quæ non discrepet à iudicij veritate: testante Psalmista cum dicit: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Proinde quia iam dictis in numeris omnis consonantiæ vis concluſa est. (Abijt Dominus, inquit scriptura, postquam cessauit loqui ad Abraham, & ille reuersus est in locum suum.) quia videlicet quod extra laudem iusti iudicij Dei, homo sapiens à Deo suo petere nec vult nec debet. Adeò non suam quæsiuit voluntatem, vt quantũcunq; haberet curam pro nepote suo Loth, nullam tamen os eius de illo fecerit mentionem.

Psal. 100.

Cur duo Sodomam venerunt, & quare vespere venerunt.

CAPVT VI.

CA. XIX.

VEnerunt duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis.) Benè duo angeli venerunt, vt in testimonio duorum iustum staret iudicium. Hoc enim ad illud respicit, quod supra dixerat Dominus: descendam & videbo vtrum clamorẽ qui venit ad me, opere impleuerint: an non est ita vt sciam. Sicut illa idcirco dicta sunt, vt de inexperta culpa temerariã nemo promat sententiam: sic duo venerunt Sodomã, vt minus quàm duobus testibus, nullam dãnatio terminet accusati causam. Et benè non tres, vti ad Abraham: sed duo tantum venerunt Sodomã. Etenim nõ quidem cordibus impiorum reuelatur trinitatis mysterium: veruntamen & Dei filius inter peccatores super terram visus est, & cum hominibus in pijs conuersatus est: & spiritus sanctus visibili specie apud eosdem apparuit, super ipsum quidem Dominum in specie columbæ, super discipulos autem in specie ignis. Benè ergo non tres, sed duo in ciuitatem impiorũ venerunt angeli: quia tẽpore visitationis sic duæ personæ filij, & spiritus sancti hominibus innotuerũt, vt peccatores & impij omnes inexcusabiles sint. Vespere, inquit, venerunt. Ipsum tempus vel hora visitationis tristissimæ peccatorũ causæ congruit. Abraham meridie visitatus est. Apparuit enim illi DEVS supra, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. Visitatur iustus & mane, iuxta illud: Mane astabo tibi & videbo. Item in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.

CA. XIX. Cur non vnus sed II. angeli venerunt Sodomam.

Matth. 3. Actor. 2.

Psal. 5. 100 & 62.

Et alibi:

bi: In matutinis meditabor in te. Porrò quod dictum est, sedenti in foribus ciuitatis: illi congruit, qui animo non sedebat in sceleribus ciuitatis. Vnde Petrus Apostolus: Aspectu enim, inquit, & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

2. Pet. 2.

De eo quòd non nisi compulsi oppidò à Loth, in hospitium eius diuerterunt.

CAPVT VII.

CA. XIX.

QVi cũ vidisset eos, surrexit & iuit obuiã eis, & adorauit pronus in terrã & dixit. Obsecro domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi. Lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt, minimè, sed in platea manebimus. Compulit illos oppidò, vt diuerterẽt ad eũ.) Quod primò dixerunt, minimè, sed in platea manebimus, & deinde illo compellente, licet tanquam inuiti diuerterunt tamen ad illum: non mutabilitatis est, tanquam sit apud dom inum vel sanctos eius angelos, est & non: sed pro causis diuersis, diuerse dictum & actum est. Diuersa nanque, immò & contraria causa Loth erat causæ Sodomorũ. Quod ergo dicunt minimè, sed in platea manebimus, detestatio est ciuitatis, in qua cælestib. vel sanctis nullatenus communicanda erant amici iura hospitij. Quod autem compulsi & quasi inuiti cũ auersione totius ciuitatis diuertunt ad illum, separata & propria est gratia iustitiæ eius meritis. Porrò hæc imago futuræ rei veritati benè concrepat. Crucifigendus nanq; Dominus in illa ciuitate, quæ (vt dictum est) spiritualiter Sodoma dicitur: ita nulli vnquam adulatus est: vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inueniret mansionem: sed in agro paruulo apud Lazarum, sororesque eius hospitatus sit. Veruntamen illa vespera qua tradendus erat, diuertit ad quendam, & mãducauit pascha cum discipulis suis. Cui cœnæ benè concinit quod sequitur. (Ingressus autem fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.) Azyma nanque cum agno paschali Dominus noster illa nocte in ciuitate comedit. Loth siquidem paucorum typum tenet illorum, qui sceleri Iudæorum non consenserunt, qui quanlibet pij fuerint, tantum à fide Apostolorum minus habuerunt, quantum iustitia Loth à perfectione Abraham.

Matth. 21.

Matth. 22

Quomodo Sodomitæ domum circunderunt, priusquam irent cubitum, & quod tali itidem hora Iudæi dominum comprehenderunt.

CAPVT VIII.

PRius autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsque ad senem omnis populus simul, vocaueruntque Loth & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos, & cæter.) Nihilominus & prius quàm irent cubitum, eccè turba, & qui vocabatur Iudas venit. Dicebat enim ille suis: Quid dormitis? Surgite & orate, ne intretis in tentationem. Item increpando: Dormite iam & requiescite. Eccè appropinquabit qui me tradet. Igitur iuxta prophetam iam dictum, verè princeps Sodomorum, & verè populus Gomorrhæ. Ille ludibrio veluti viros ignotos, contra naturam, isti Dominum Deum, de quo dicebant, hunc autem nescimus vnde sit, mendacio, id est, mẽdacij accusatione maculare voluerunt contra omnem creaturam. Eccè quã propè vidit, quàm molestè hic & illic expertus est Deus verum, & verè operibus completum fuisse illum, qui ad ipsum ascenderat, clamorẽ Sodomorum. Hic enim, inquit, viri ciuitatis, omnes à puero vsque ad senem vallauerunt domum. Educ viros, inquiũt, huc, qui introierunt nocte ad te, vt cognoscamus eos. Obsecrante illo, ac dicente: (Nolite quæso fratres mei, nolite malum facere hoc, & cætera. Illi econtra. Recede illuc: Et rursum. Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices? Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus.) O ergo iniqua libertas, & libera iniquitas, quã molesto clamore cœlũ pulsauerat. Quid illi alij Sodomitæ, ille populus Gomorrhæ? Cùm impediret turba quæ venerat ad diem festum conatus eorũ: timebãt enim plebem, conduxerunt sibi tra ditorem, & vim vehementissimam, scilicet, militarem manum Romanam: & cum fustibus & gladijs irruentes exierunt: turbam aduẽtitiam, quæ de regione ascenderat, vtpotè ante pascha, indignam auditu iudicantes & dicentes: quia turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Luc. 12. Matth. 26 Esa. 1. Ioan. 9.

Ioan. 7.

Quid significet, quod ostium clauserunt, & eos qui foris erant percussurũt cæcitate.

CAPVT IX.

VImque faciebant Loth vehementissimè, iamque propè erant vt infringerent fores, & eccè miserunt manum viri, & introduxerunt Loth, clauseruntque ostium, & eos qui erant foris percusserunt cæcitate, à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.) Et contra illos alios principes Sodomorum: contra illum alium populum Gomorrhæ, posterius prophetatum est: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur vt sanem eum. Rectè igitur postmodum igne sulphureo cœlitùs consumendi, prius cæcitate percussi sunt, ita vt non possint inuenire ostium: nam istis æternis ignibus cruciandi, nunc interim mente excæcati sunt, vt ita inuenire non possint illum, qui dicit:

Esa. 6.

Ioan. 10. 2. Pet. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego sum ostium. Porrò quia nouit Dominus pios de tentatione eripere: impios autē æternis ignibus cruciandos reseruare, introducto ad se Loth, & eis qui foris erant cæcitate percussis. Dixerunt. (Habes hic tuorum quempiam generum, aut filios aut filias? Omnes qui tui sunt educ de vrbe hac. Delebimus enim locum istum.) Sic planè Dominus aliquos de gente Iudæa, qui non consenserunt sceleri eorum, vel qui pœnitentiam egerunt, intromisit ad se manu misericordiæ & gratiæ suæ: & illius interna (vt iam dictum est) cæcitate percussis, præcepit istis, vt non remanerent in ciuitate illorum, id est, vt non communicarent religioni vel carnalibus sacrificijs eorū, quæ extunc odit ipse, prophe-
Esa. 1. ta Esaia testante: Qui cùm exclamasset illud quod iam dictum est: Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ, continuò qui audire deberēt adiunxit. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum ait dominus? plenus sum. Et post pauca: Neomeniam, & sabbatū & solēnitates cæteras nō ferā. Iniqui sunt cœtꝰ vestri, kalēdas vestras & solēnitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta, &c. Igitur oēs qui tui sunt, inquit, educ de vrbe hac: quia videlicet postquam manus suas impleuerunt sanguine Christi: sicut subinde idem propheta: Manus enim vestræ, inquit, plenæ sanguine sunt: fugienda est omninò his, qui saluari cupiunt, illa synagoga, illa malignantium Ecclesia.

De eo quod dictum est: Noli post tergum tuum respicere, sed & cætera, iuxta moralem & anagogicum sensum.

CAPVT X.

DIssimulante autem illo, apprehenderunt manū eius, eò q; parceret Dominus illi, & eduxerunt eum, posueruntq; extra ciuitatem. Ibiq; locuti sunt ad eum dicentes: Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.) Adhuc vsq; ad id quod dictū est: (Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor.) Moralis sensus magis pollet. Dissimulante, inquit, illo. Videlicet quamuis comparatione Sodomorum iustus esset, adhuc tamen à perfecta iustitia minus habens: & minoris fidei quàm Abrahā, amœnitate Sodomorū tenebatur & irriguis penè paradysiacis aruis, & idcircò quasi non satis intelligeret quod dicebatur, cùm percelleretur nuncio instantis periculi, dormitantes oculos & amore diuitiarū pressos auertebat à lumine præsenti. Sic persæpe is qui iam cœlestia nouit, cui per Euangelium Christi reuelata est ira Dei, iamq; de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernicioso irretitur amore mundi, & à concupiscentia sua electus, dissimulat auditas & benè sibi cognitas futuri iudicij minas, & æterni ignis pœnas sulphureas, eo intentus vt concupiscentiæ suæ effectu quoquomodo perfruatur. Quo ita dissimulante, si apprehenderit manum eus Deus, parcens illi, & eduxerit eum ante effectum peccati, & posuerit extra ciuitatem, id est extra tentationis in clusionem, tunc demum ad se reuersus dicit: (Quæso domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, vt seruares animam meam, &c.) Etenim quando volenti perire, id est, opus peccati peragere, citius Deus succurrit, & quacunque occasione voluntatem eius in hora insaniæ impedit, verè manum eius apprehendit, & de medio Sodomorum illum educit, eò quòd parcat illi. Quo facto, statim sentiens, gratia Dei se essе liberatum, confunditur quidem intra semetipsum, quòd habuerit ad horam voluntatem malam, sed gratias agit gaudens, quia verè magnificauit Dominus cum illo misericordiam suam. Quid porrò est quod dicit: Nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malum & moriar, Est ciuitas hic iuxta, ad quā possum fugere parua, & saluabor in ea: nunquid non modica est & viuet anima mea? (Hoc planè illud est, quòd videmus plerosque nimium conscios infirmitatis suæ, modica fide nō audere altius proposito arripere, ne fortè deficiant sub onere, meliusque fuerit eis, contentos esse mediocritate, non audientes scripturam, dicentem: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem: Item viriliter age, & confortetur cor tuum. Mons enim de quo rectè dicitur, sed in monte saluum te fac, illa perfectio est, de qua Dominus noster in Euangelio dicit adolescenti diuiti: Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperib. & veni sequere me. Hæc perfectio vitæ mōs iustitiæ est. Proinde quòd dicit, noli post tergum respicere, & nō stes in omni circa regione, iuxta sensum hunc, præceptum necessarium est: quia videlicet nemo mittens manū suam in aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Quòd verò addidit, sed in monte saluum te fac, familiare consilium est, quemadmodum de seruanda virginitate, de qua Apostolus: Præceptum, inquit, Domini nō habeo, consilium autem do, quia videlicet eiusdem propositi est nihil possidere, & sine vxore esse. Itaque & permissio Domini dicētis ad Loth. Eccè etiā in hoc susceptī preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es, festina & saluare ibi: par est ei sententiæ, quā Apostolus pro remedio, vel per indulgentiam suggerit eis, qui non possunt in prædicto monte saluari. Quod si se non continent, inquit, nubant. Melius est enim nubere quàm vri. Item. Vir debitum vxori reddat, & vxor viro. Hæc enim mediocritas vt saluetur, precum patrocinijs indiget: nec enim eorum est, qui iudicaturi sunt: sed eorū qui iudicio

Quid est, apprehendere manū & parcere.

Esa. 40.
Psal. 26.
Matth. 19.
Luc. 9.
1. Cor. 7.

qui iudicio quidem astabunt, sed saluabuntur misericordia superexaltante iudicium. Vnde cùm dixisset Dominus: (Eccè in hoc susceptī preces tuas, vt non subuertam vrbē, pro qua locutus es. Deinde subiunctum est: idcircò vocatum est nomen vrbis Segor:) q̄ interpretatur paruula, subauditur, quia dixerat Loth: nunquid non modica est, & viuet anima mea? Nam antea vocabatur Bale. Etenim parua vita secularium est, pro qua opus est, vt suscipiat Dominus intercessorum preces: spiritualium verò magna, cuius laus
CAXIX. ex deo est, & tanquam mons istis præeminet eisque subuenire potest. (Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor.) Id est, sole oriente, quo videlicet orto, venit Sodomorum perditio: Loth ingressus est Segor, scilicet, in similitudinem futuri, quando apparente ad iudicium sole iustitiæ Christo, consummabitur peccatorum perditio: illos autem quibus parcere dignum erit, fugientes ab ira suscipiet miseratio.

Quare non qualemcunque ignem, sed ignem sulphureum Dominus pluerit, & quod dictum est· Dominus à domino.

CAPVT XI.

IGitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.) Quia clamor, inquit, Sodomorum ascenderat ad Dominum: ipse autem descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam: Horrendam nimis per semetipsum iniuriam sic esse comperit: igitur (vt dignum erat) pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, id est, ignem sulphureum vel sulphur igneum. Quare non qualem-
Cur ignem sulphureū pluit Deus. cunque ignem, sed ignem pluit sulphureum? Videlicet quia carnes eorum nō qualiscunque luxuriæ, sed eius libidinis igne arserant, quæ est contra naturam. Quia ergo talem carnis fœtorem miserant ad cælum, rectè de cælo fœtorem igneum vel igné fœtidum receperunt. At ille talis ignis, tale illud incendium futuri (vt iam dictum est) iudicij, & æterni ignis fuit exemplum. Benè ergo dictū est: Pluit Dominus à domino: quia
Ioan. 5. videlicet iudicium illud facere accepit filius Dominus, à patre domino, sicut ipse ait: Pater non iudicat quenquam, sed iudicium omne dedit filio.

Quid significet, quòd respiciens vxor Loth post se, versa est in statuam salis.

CAPVT XII.

REspiciensq; vxor eius post se, versa est in statuam salis. Abraham autem consurgens mane vbi steterat prius cum Domino, intuitus est Sodomam & Gomorrham & vniuersam terram regionis illius, viditq; ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumum: Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione vrbiū in quibus habitauerat.) Sensus literæ hic est:

Vxor Loth in statuam salis versa.

Respiciens vxor Loth, quia præuaricata est mandatum dicentis: Salua animā tuam, noli respicere post tergum, &c. pœna tali punita est, vt obrigesceret & verteretur in statuam salis. Ne autē tale quid obueniret ipsi Loth, Abraham consurgens mane, quia qua hora videlicet cogebant Loth angeli vt egredere tur, & dissimulante illo, apprehenderūt manum eius: illa, inquam, hora, consurgens Abraham stetit vbi steterat prius cum Domino, id est, in eadem intentione cordis, dignū ac strenuum agens intercessoris officium. Quod ꝑtinus ab effectu claruit. Cū enim subuerteret deꝰ ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Loth. Quod idē est ac si diceretur: Ex eo constitit Abraham stare coram Domino, quia recordatus est dominus Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione vrbium, in quibus habitauerat. Porrò & iuxta manifestam prædictæ allegoriæ claritatem, iam dudum, à temporibus Apostolorum factum est, vt secundum moralitatē, hodieque fieri non dubium est: illud quod hoc vxoris Loth exemplum prædocet. Aspexit enim retro pars eorum, qui de Sodomorum sacrilegijs, id est, sanguineis Iudæorum cæremonijs exierunt, iterum super euangelium Christi circunsionem adducere volentes, & obseruationes Iudaicas cum fide Christi necessarias esse dicentes: Quos ita post tergum respicientes, Apostolus detesta
Philip. 3. tus ait: Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circunciſus octaua die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus, secundum emulationem persequens ecclesiā dei, secundum iustitiam quæ in lege est conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo, omnia detrimentum esse propter eminentem scientiā Iesu Christi dñi mei, propter quē omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora. Et post pauca: Fratres ergo me non arbitror cō prehendisse: vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscēs: ad ea verò quæ sunt prio ra extendens meipsum, ad destinatum perse quor, ad brauium supernæ vocationis. Moraliter quoque quoties stultus ad stultitiam suam, sicut canis ad vomitum suum reuertitur, in quocunque ordine vel proposito fuerit, exemplo vxoris Loth in statuam salis cō uertitur, id est, insensatus quidem & sibimet inutilis efficitur, sed alijs prodest, dum finem eius attendentes, corriguntur, quemadmodum petram salis lingentibus animalibus pa
Matth. 24 latum sapidum redditur, & edendi auiditas
Luc. 17. reparatur. Proinde Dominus in Euangelio cùm dixisset: In illa hora qui fuerit in tecto,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro, continuò subiunxit, memétote vxoris Loth. Quicunque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam. Et quicunque perdiderit illam, viuificabit eam, &c. Benè ergo non in statuam qualemcunque, sed in statuã versa est salis, cuius meminisse proficit ad sapientiam, secundum Euangelium Christi.

De filiabus Loth, quæ cum patre suo dormierunt.

CAPVT XIII.

Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte: Duæ quoque filiæ eius cum eo. Timuerat enim manere in Segor, & mãsit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius. Dixitq; maior ad minorem: Pater noster senex est, &c.) Quæritur quare cũ primum fugæ mõtis Segor prætulerit, & eam in habitaculum suum liberare cupiuerit: nunc de Segor rursum ad montem migret? Respondebimus, veram illam esse Hebræorum coniecturam de Segor, quòd frequenti terræ motu subruta, Bale primum, & postea Salissa appellata sit. Timueritque Loth, dicens: Si cum cæteræ adhuc starent vrbes, ista subuersa est: quãto magis nunc communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis filias etiam dedisse coitus principium. Qui enim cæteras viderat subrui ciuitates, & hãc stare, seque dei auxilio erutum, vtique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere nõ debuit. Illud quoque quod in excusatione filiarum dicitur, eò quòd putauerint defecisse humanum genus, & ideò cum patre cõcubuerint, non excusat patrem. Denique Hebræi quod sequitur: (Et nesciuit cùm dormiuisset cum ea, & cùm surrexisset ab eo.) Appingũt desuper quasi incredibile, eò q; rerum natura non capiat coire quempiam nescientem. Notandum tamen, quòd non dictum sit (non sensit) quando coeunt, sed nõ sensit dictum est, quando accubuit filia, nec quando surrexit. Sed iam mysticum prosequamur intellectum. Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte &c. Sic profectò plerunque hi, qui per modicam fidem sanctiores propositi celsitudinem (vt supra iam dictum est) arripere non audent, & ad hoc se infirmos esse fatentur, & indignos quodãmodo, dicentes singuli illud de Euangelio: Rogo te habe me excusatum: fortes, immò temerarij sunt, ad rapiendum sancti honoris propositum, & iniusti alijs in honore regiminis præesse non metuũt, q iusti vel moniti sibimet in sanctitate vitæ præesse diffisi sunt. Ex qua infidelitate hoc illis consequenter euenit, vt cum filiabus suis incæstu nephario commaculentur. Quid enim subiectæ illis plebeculæ, nisi quædam sunt filiæ, quas despondere debuerant, non sibimet, sed vni viro virginem castam exhibere Christo? At illi non Christi, sed suam quærentes gloriam, dum quas amant laudes ab illis accipiunt, vinum bibunt filiarum, & inebriati subuersione turbida, adulterant verbum Dei, dormitantes, omne malum incæstè, nullum bonũ castè prædicantes. Inde nati sunt (Moab,) q̃ interpretatur ex patre, subauditur diabolo, (& Ammon, id est, filius populi mei, siue populus turbidus, scilicet, omnes hæresum sectæ. Super quibus in Deuteronomio Dominus loquitur: Ammonites & Moabites, etiã post decimam dictæ plebeculæ. Pater noster senex est, & nullus virorum remãsit in terra, qui possit ingredi ad nos, iuxta morem vniuersæ terræ. Quod est dicere, Apostolus vel episcopus noster magnus & sapiens est, & non est præter eum qui dignè verbũ Dei prædicet inter omnes qui se dicunt Apostolos & ministros Christi, vel dispensatores mysteriorum dei. Ille quilibet hæresiarches, quia supra modum Apostolus est, dum delectatur huiusmodi fauoribus, profectò malo filiarum vino inebriatur, & ita filios generat, qui vsque in æternũ ecclesiam Domini non ingrediantur. Et de huiusmodi ebrioso rectè dicas, quia non sensit quando accubuit filia, neque quãdo surrexit. Nescit enim stultus, quod opus eius spirituale sit adulterium & nepharius concubitus. Sacerdos enim & propheta, inquit Esaias, nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino.

Cur Loth de Segor in montem migrauit.

Luc. 14.

2. Cor. 11.

Deut. 23.

Esa. 28.

De eo quod peregrinatus est Abraham in Gerara.

CAPVT XIIII.

Profectus inde Abraham in terram Australem, habitauit inter Chades & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Dixitq; de Sara vxore sua. Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.) Iamiam nascituro Isaac, cũ promissus & ex nomine prænunciatus esset, peregrinatur iam vice altera, ita vt tollatur ab eo Sara, dicente illo: Soror mea est, & non audente confiteri, quod esset vxor sua. Quid hoc præsignat, nisi quia futurum erat, vt propè nascituro Christo, cũ iam per prophetas ex nomine prænũciatus esset. Dicẽtes verbi gratia: Eccè virgo ĩ vtero cõcipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Iterum peregrinaretur semen Abrahæ in terra non sua, scilicet, in captiuitate Babylonica? Tunc enim post peregrinationem Aegyptiam seruituti subiecti sunt septuaginta annis, & Saram penè tulit alienigena. Nam præter Danielem & tres eius socios, nemo ausus ibi cõfiteri sanctæ legis dei coniugalia fœdera fuerat, seuiẽte Nabuchodonosor, & fornace succensa. Porrò Gerara ciuitas metropolis erat Palæstinæ, terminus Chananæorum ad Australem plagam inter Chades & Sur, hoc est, inter duas solitudines, de quibus iam superius dictum est. Interpretatur autẽ Gerara incolatus siue aduenæ propinquantes. Abimelech pater meus rex, siue patris mei regnum, quibus nominibus rectè intelliguntur aduenæ, id est gentiles, incolæ futuri regni Dei, de quibus diceret semen Abrahæ,

Gerara.

Abrahæ, scilicet, Christus, patris mei regnũ, siue pater meus rex, subauditur, est eorum.

Quod aliter Abimelech, atque aliter Pharaonẽ corripuit Deus propter Saram vxorem Abrahæ.

CAPVT XV.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quã tulisti, habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam. Et ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? &c.) Aliter hunc, atq; aliter Pharaonẽ Deus corripuit propter Abraham: Pharaonem nanque flagellauit plagis maximis, & domum eius. Huius autem satisfactione susceptа dicentis: (Nónne ipse dixit mihi, soror mea est, & hæc dixit mihi, frater meus est. In simplicitate mea & munditia manuum mearum feci hoc. Et ego scio, inquit, quia per ignorantiam fecisti, & idcircò non permisi te, vt tangeres eam.) Siquidẽ vt Abrahæ semẽab Aegyptia seruitute liberaretur, & Aegyptum plagis maximis flagellauit Deus. Vt autem à Babylonica captiuitate solueretur, non plagis cæsus, sed diuino nutu Cyrus rex Persarum præuentus est, vt transduceret vocem in vniuerso regno suo, etiam per scripturam dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hierusalẽ, quæ est in Iudæa: Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat Hierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus q̃ est in Hierusalem. (Cogitaui mecũ dicẽs: Forsitan nõ est timor Domini in loco isto, & interficient me propter vxorem meã: aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, &c.) De hoc eius timore, quo & apud Pharaonem timuit, iam superius dictum est. Illud in Sara mirandum fuit, quòd in illa ætate cùm esset anus adhuc videbatur appetibilis. Significat pulchritudinem diuinæ religionis, quæ illo quoque tempore quando captiui ducti sunt Iudæi, videbatur inter gentium errores imitabilis, & æmulabãtur eam, quamuis non castè gentes quæ erant in circuitu eorum. Vnde scriptum est in libro Machabæorum primo: Et ieiunauerunt illa die, & induerunt se cilicijs, & cinere in capite suo, & destituerunt vestimenta sua & expanderunt librum legis, de quibus scrutabantur gentes, similitudinem simulacrorũ suorum, videlicet vt more diuinæ legis exhiberent simulachris suis ritum, vel ordinem sacrificiorum.

CAP. XX.

Sup. l. 5. cap. 7.

1. Mach. 3.

De eo quòd dictum est: Eccè mille argenteos dedi fratri tuo, &c. Et quid significet, quòd orante Abraham domus Abimelech sanata est.

CAPVT XVI.

Sara autem dixit: Eccè mille argenteos dedi fratri tuo. Hoc erit tibi in velamentum oculorum, ad omnes qui tecum sunt. Quocunque perrexeris, memento te esse deprehensam.) Allusit ad appellationem eius, dicens: Dedi fratri tuo. Ac deinceps deprehensæ fatigans pudorem, Hoc, inquit, erit tibi in velamentum oculorum ad omnes qui tecum sunt, tanquam diceret: Quoniam verè frater tuus est, filius patris tui, & nõ matris tuæ, veraciter dicere poteris ad omnes, frater meus est, & hoc nomine velabitur & celabitur, quòd ille tuus vir, quòd tu vxor eius sis. Hæc vbi iocosè dixit, statim seriò subdidit: Quocunque ait perrexeris memento, quòd frustra tali nomine oculos tuos velaueris, dicendo quòd frater tuus sit, nec ẽnim potuisti aut poteris latere, q̃ vxor eius sis, deo pro te corripiente reges, sicut me corripuit, tuorumque amouit oculorum velamentum, dicendo, habet enim virum. (Orãte autem Abrahã, sanauit Deus Abimelech & vxorem, ancillamque eius, & pepererũt. Concluserat enim Dominus omnem vuluã domus Abimelech, propter Saram vxorem Abraham.) Et ad hoc præsens mysterium spectat, quòd orante Abraham sanata est alienigenæ domus sterilitas. Futurum quippe erat, vt orante siue interpellante semine Abrahæ, scilicet Christo, qui etiam (vt Apostolus ait) interpellat pro nobis, sanaretur gentilitatis sterilitas, & impleretur illud de cantico Annæ prophetissæ: Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Domus nanque Abimelech, id est, gentium, quorum hodie Deus pater est, ecclesia est, in qua domo alia est vxor, scilicet, quæcunque anima vnitur Domino deo: alia ancilla, quæ timore vel pro causa temporali inseruit fidei, vel doctrinæ verbo. Omnes tamen pariunt, siue per amorem Deo vniantur, siue per timorem vel temporalem causam fidei verbo inseruiant, quia quocunque modo Christus annuncietur, auditores credendo filij Dei sunt.

Rom. 2. 1. Reg. 2.

De natiuitate Isaac.

CAPVT XVII.

Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est. Concepitque & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus: Vocauitque Abraham nomen filij sui Isaac, quẽ genuit ei Sara. Et circuncidit eum die octauo, sicut præceperat ei Deus cùm centum esset annorum. Hac quippe ætate patris sui natus est Isaac.) Hoc ad laudem & gloriam veritatis factum est Dei, quòd concepit & peperit Sara filium, fidei precium, gaudium parentum, domus splendorem, generis decus, posteritatis spem. Idcircò rectè præmissum est: visitauit Dominus Saram sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est. Visitatio nanque Dei, larga gratiæ eius donatio est. Porrò vt cœptum prosequamur mysteriũ, tunc visitauit Deus Sarã generosam principem illam, quæ desursum est, quæ verè libe-

CA. XXI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra,& omnium nostrum mater est, quando verus Isaac verum gaudium nostrum, scilicet, Christus filius Dei, de illa secundũ carnẽ natus est. Tunc, inquam visitauit illam Dominus Deus sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est. Vnde in cantico Euangelij Zacharias dicit: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Sicut locutus est per os sanctorũ, qui à seculo sunt prophetarum eius. Et Apostolus: Quotquot enim, inquit, promissiones Dei sunt, in illo est. Ideò per ipsum amẽ deo ad gloriam nostram. Et hunc peperit Sara illa, tempore quo prædixerat ei deus. Præ
CA. XXI. dixit enim Deus per quendam, dicens: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium, & ita factum est.
Luc. 1. Vix enim ablatum erat sceptrum de Iuda,
2. Cor. 1. regnante Herode alienigena, & natus est ille
Gen. 49. de virgine Maria. Vocauitque Abraham filium suum Isaac. De nomine Isaac, quod in-
Sup. li. 3. c. terpretatur risus, quia Christo conueniat, &
32. 35. 37. de octauo circuncisionis die, necnon centenaria ætate Abrahæ, iam superius dictũ est.

De eo quod dixit Sara: Risum mihi fecit Deus. Et q̃ supernæ matris Hierusalem, patris quoque Dei risus et gaudium sit Christus.

CAPVT XVIII.

DIxit Sara: Risum mihi fecit Deus. Quicunque audierit, corridebit mihi. Rursumque ait: Quis auditurus crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni? contraria vel repugnantia sibi videntur, quicunque audierit conridebit mihi, & quis auditurus crederet Abraham. Etenim qui audiens cõridet, vtique auditui credit, in quo & gaudet: & econtra, qui audiens non credit, profectò auditui non conridet, aũt congaudet. Dixit enim vtrunque, quicunque audierit, conridebit mihi: & quis auditurus crederet Abraham: Igitur prophetice dicta hæc esse intelligi oportet de ortu Isaac futuri, cuius hic forma est, & esse paria prophetiæ Simeonis dicentis, cùm illum in vlnis gestaret: Eccè hic positus est in ruinam, & in resurrectionẽ multorũ in Israel. Nam qui audit & non credit, iuxta quod propheta dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum
Luc. 2. est, ei in ruinam. Et qui audiens conridet, &
Esa. 53. in resurrectionẽ positus est. Itaque sicut sub diuisa dictio est, ita, dixitque Sara, risum mihi fecit Deus, quicunque audierit, conridebit mihi, rursumque ait. Quis auditur⁹ credet Abraham, ita de diuisione bonorum & malorum, fidelium & infidelium intelligendum est. Dicat itaque illa, quæ (vt iam dictũ est) per Saram intelligitur mater omniũ nostrum. Hierusalem libera, quæ sursum est dicat, inquam, nato sibi vero Isaac. Risum mihi fecit Deus. Quicunque audierit conridebit mihi. Eccè enim verè illi totus conridet orbis, quia filius eius vnicus magnum & verum gaudium toti mundo attulit. Ploret itaque ancilla, quæ est à monte Sina in seruitutem generans: ploret, inquam, illa, & filia eius, quoniam hunc patris & liberæ matris risum odit, quia videlicet iam hæres non erit. O pium desiderium, pia spes, & longa suspiria populi sanctorum, curui & anheli, vtpotè longo iam senio prouecti. Quomodo in gaudiũ subleuatus, & in risum est dilatatus? Quomodo absterſa est omnis lachryma ab oculis eius? Quomodo risit mater illa
Galat. 4. Hierusalem, vbi talis illi natus est filius? Nã quantam tunc habuerit materiam ridendi, testatur Esaias, cùm dicit. Excutere de pulue, sede Hierusalẽ, solue vincula colli tui,
Esa. 52. captiua filia Sion. Quia hæc dicit Deus: Propter hoc sciet populus meus nomen meum, in die illa, quia ego ipse qui loquebar, eccè assum.

De ablatione Isaac, & de magno conuiuio in die ablactationis eius.

CAPVT XIX.

CReuit igitur puer, & ablactatus est. Fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.) Quid opus erat hoc fieri, vel scribi, nisi quia certi subest pulchritudo mysterij, quæ lactentes adhuc paruulos ad solidum cibum prouocare posit? Est enim quoddã lac, & quædam infantia, quam verus Isaac, scilicet, Christus citò excesit: quam & supergredi oporteat quemque ideoneum imitatorem Christi. In quo qui tardiores existunt redarguuntur per Apostolum
Hebr. 5. dicentem: Etenim cũ deberetis magistri esse, propter tempus, indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitię. Paruulus enim est. Perfectorum autẽ est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Hanc infan CA. XXI.
tiam puer Iesus spiritualiter excesit, testante Luca, cùm dicit: Et Iesus proficiebat sa- Luc. 2.
pietia, ætate apud Deum & homines, non q̃ aliquid antea nescierit, cùm sit ipsa sapientia Dei, sed quia paulatim de carnalibus legis cæremonijs intermittens sermonem, ferebat pueros ad perfectionem. Illic profectò grande conuiuium est, cũ destitutis lacteis, id est, infantilibus ritibus. Verbi gratia: Brutorum animalium sacrificijs, transducit suos ad verum & vnicum sacrificium corporis & sanguinis sui. Nam hoc est grande conuiuiũ, de quo propheta dicit: Et faciet Dñs exercituum omnibus populis in monte hoc con-
Esa. 25. uiuiũ pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorũ, vindemiæ defecatę. Et qa per hoc conuiuiũ peccata soluũtur, contituò subsecutus: Et præcipitabit, inquit, in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam ordi-

tus est

tus est super vniuersas nationes, & præcipitabit mortem in sempiternum. Et quia conuiuator iste verus Isaac, id est, verus risus, & ve-
CA. XXI. ra lætitia est, post modicũ adijciens, iste domus, inquit, sustinuimus eum, exaltabimus & lætabimur in salutari eius. Igitur siquidẽ simplicẽ sequaris literam, leuia sunt hæc: si autem interiorem sentias spiritum, multum attinuit ad rem narrare, quia creuit puer, & ablactatus est, & quia fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

De ludo Ismahelis cum Isaac, & de eo quod dictum est: Eijcè ancillam &c.

CAPVT XX.

CVmque vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ, ludentem cum filio suo Isaac, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ
Galat. 4. cum filio meo Isaac.) Notum ac celeberrimũ hũc locum expositio fecit Apostoli scribentis ad Galatas: Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: Sed qui de ancilla, secundũ carnem natus est: Qui autem de libera, per repromissionem. Et post pauca: Sed quomodo tũc is, qui secundũ carnem natus est persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius, &c. Sanè secundum literã, quid de hoc ludo Hebræi opinati sunt, iam
Sup li 5. cap. 36. superius dictum est, scilicet, vel quòd manibus suis idola formaret è luto Ismahel, vel quòd vt maioris ætatis ætatis, ioco sibi primogenita vendicaret. Porrò iuxta sensum mysticum iam dictus Apostolus ludum istum persecutionem appellat, cuius in similitudinem tunc temporis carnales Iudæi & carnalis circuncisio spiritualem Iudaismum & spiritualem circuncisionem impugnabant. Igitur ablactato Isaac ludentem cum illo Ismaelem Sara non tulit, quia videlicet trãsacta dispensatione ministerij, quo pro hominibus functus est, factus sub lege filius Dei, cùm illuderet populus carnalis, permanens in vetustate literæ, nouis & spiritualibus filijs, scilicet, Christi discipulis, non tulit hoc sanctus nouæ gratiæ spiritus, & dixit: Eijce ancillam hanc & filium eius. Nõ enim e-
Galat. 5. rit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Qualiter verò eijciatur ancilla & filius eius, subinde Apostolus idem aperuit: Eccè, inquit, ego Paulus dico vobis, quia si circũcidamini, Christus vobis nihil proderit. &c.

Amplius autẽ in eo ancilla vel filius eius eijcitur, ne ludat cum Isaac, quòd Hierusalẽ illa, quæ seruiebat cũ filijs suis, & famosissimum illud templum Dei destruitur, & populus ille captiuus in omnes gentes ducitur, & sic totus ordo seruilium cæremoniarum dissipatur: quod factum est sub Vespasiano & Tito principib. Romanorũ, videlicet ne nouæ legis ecclesiæ, vetus synagoga tunc vehementius insultaret, si in statu pristino perseueraret, quæ nunc etiã sic eiecta superbire, & primogenita sibi vel filio suo ascribere audet. Illam vtique eiectionem idcircò passus est ille filius ancillæ, quia lusit, quia filiũ liberæ Christũ regem, totius libertatis principem illusit, flagellauit, crucifixit, & occidit: & deinde domesticos eius, libertos eius malè pertinaci ludo persecutus est.

Item de eadem re, & quid significet quòd filius ancillæ eijcitur.

CAPVT XXI.

DVrè hoc accepit Abrahã pro filio suo. Cui dixit Dominus: Non tibi videatur asperum super filio & super ancilla tua. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, qa in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filiũ ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.) Per Abraham (vt iam sæpè dictum est.) sanctos intelligimus patres, Abrahæ non solùm per carnem, sed etiam per fidem hæredes, quales Petrus, Paulus, & cæteri Apostoli tunc temporis fuere, quando
Rom 9. hæc ancilla cum filio suo eiecta est. Nam reuera hi durè acceperunt imperium dicentis: Eijce ancillam hanc, & filiũ eius. Dicit enim vnus ex his, Paulus Apostolus: Veritatem dico in Christo, nõ mentior, testimoniũ mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto: quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus Christus secundũ carnem, qui est super omnia deus benedictus in
Actor. 13. secula, Amen. Veruntamen quoquo modo id accipiat hic Abrahã, ancillam hanc cũ filio suo eijci oportebat. Dixit enim illi Dominus: Non tibi videatur asperum, super filio & super ancilla tua: Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Nunquid iuxta literam legitimum est, vt vir voci vxoris suæ, & non potius vxor viri sui voci obaudiat? Ergo iuxta mysticum potius sensum, Abraham omnia quæcunque dicit Sara, vocẽ eius audiat, id est, prædicatorum vel Apostolorum chorus, omnia quæcunque dicit sancta & prophetica scriptura, de Iudæis & gentibus, vocem eius audiat. Quod & facit, dum illius lusoris, id est, Iudaici populi, importunitate fatigatus, dicit: Vobis quidẽ oportebat primũ
Esa. 49. prædicari verbũ Dei, sed quoniã repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternę vitæ, eccè conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dñs. Posui te in lucẽ gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Igitur ad vocem Saræ ancilla cum filio suo eijcitur, cùm ex auctoritate scripturæ populus carnalis pro perfidia sua foris relinquitur: Quia in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen. Et si plures fuerint concubinarum vel carnis filij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis filij. In Isaac, qui nõ secundum carnem, sed per repromissionem natus est, vocabitur tibi semen. Ex illo nanque nascetur, qui vocabitur semen tuum, illud videlicet semen, in quo (sicut promisi tibi) benedicentur, & semen tuum vocabuntur omnes gentes. Omnes enim sunt Isaac, qui nascuntur tibi, nõ secundum carnem, sed secundum fidem: sicut Isaac non secundum carnem natus est, sed secundum repromissionem. Sic enim & Apostolus exponit, qui cùm dixisset: Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filij: statim hoc testimoniũ intulit, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Et hoc ipsum aperiẽs subiunxit, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei dicuntur: sed qui filij promissionis, æstimantur in semine. Sed & filium ancillæ, inquit, faciam in gentem magnam, quia semen tuum est, Semen tuum, inquit, est, non tamẽ dixit, in illo vocabitur tibi semen: nec enim tale semen est, quod vocetur id quod notum ex nomine apud Deũ habeatur. Veruntamẽ & hic filius ancillæ, qui prædicto modo eiectus est, futurus est in gentem magnam, quæ dignè vocetur & nominetur Abrahæ semẽ, scilicet, cũ plenitudo gentium subintroierit, tunc omnis Israel saluus erit.

Rom. 9.

Rom. 11.

Quid mysticè significet, quòd tollens Abraham panẽ & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius.

CAPVT XXII.

SVrrexit igitur Abraham manè, & tollens panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerũ, & dimisit eam. Quæ cùm abisset, errabat in solitudinẽ Bersabeæ. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat, & abijt. Sedit què è regione procul, quãtum potest arcus iacere. Dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contra, leuauit vocem suam & fleuit. Exaudiuit autem Deus vocem pueri.) Postquam lusit filius ancillæ cum filio liberæ, manè surgens Abraham, emisit ancillã & filium eius, quia postquam illusit Christo (vt supra iam dictũ est) Iudaici populi serullis nequitia, matutina resurrectione celebrata, de domo & hæreditate patris Abrahæ, proiecta cum suis alumnis est synagoga. Quomodo verò emisit ancillam illam? Panem & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum & dimisit eam. Ergóne sic auarus fuit dives ille regum victor, trecentorum decem & octo vernaculorum Dominus, vt præter panem & vtrẽ aquæ nihil filio donaret, quẽ tristis eijciebat, nec saltem illi vnum asellum commodaret, sed ea scapulæ matris imponeret? An adhuc & ipse puer, imò iuuenculus, quem annorum non minus, quàm octodecim iam esse vel fuisse, non dubium est, cum vtre aquæ matris quoq; ceruicibus insedit, quia sic dictum est, cum consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter arborem vnam, & abijt. Igitur in his quæ tam ridicula videntur, litera seruit spiritui, & ea sub vili textu sermonis futura præcinit, quæ nunc præsentia totus aspicit orbis. Eiecta nanque ancilla, panem non qualemcunque, sed panẽ hordeaceum, & vtrem non vini, sed aquæ in scapula portat, sub onere curua, quia videlicet synagoga hæreditate patris Abrahæ perdita, solum literalem legis sensum baiulans sub onere importabili anhelat. Nã importabile esse onus occidentis literæ, Petrus quoque Apostolus testatur, cùm dicit: Quid tentatis ceruicibus discipulorum imponere iugum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus? Benè igitur non vini, sed aquæ vtrem, neque saltem asello, sed scapulæ eius imposuit: & puerum, quem deficiente aqua ipsa, per desertum oberrans moribundum subter arborem infeliciter abijceret: tradidit: quia videlicet sic futurum erat, vt eiecta & à Deo deserta synagoga, carnali legis sciẽtia, magis onerata quàm refecta incederet: & filios suos, in peccato suo morientes, subter arborẽ crucis abijceret, perseuerante sententia sup illos, quã edixit mater crudelissima, sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Actor. 15.

Matth. 27

Item quid significet, quòd vocauit angelus Domini Agar, aperuitq; oculos eius Deus, vt videret puteum aquæ.

CAPVT XXII.

CAPVT XXIII.

VOcauitque angelus Domini Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? Noli timere: Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est: Surge tolle puerũ, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos eius Deus. Quæ videns puteum aquæ, abijt & impleuit vtrem, deditque puero bibere, & fuit cum eo.) Hoc tandem futurum est, cũ plenitudo gentium subintroierit. Tunc enim vocabit angelus magni consilij, synagogam dicens: Quid agis Agar? id est, aduersa vel conuersa, noli timere, &c. & aperiet oculos eius, amoto velamine, quod nunc positum est super cor eorum, & vero intellectu videbit puteum scripturarum, puteum aquarum viuentium, dabitq; filio suo potum, id est, verum scripturarum auditoribus suis propinabit intellectum. Notandum, quòd non dictũ sit, exaudiuit deus vocem Agar, cùm ipsa leuauerit vocem suã & fleuerit, sed exaudiuit Deus vocem pueri. Deniq; mater ipsa non suam, sed filij mortem deplorabat. Pepercit igitur Deus ei, pro quo fuerat & fletus. Ex eo q̃ ait, surge & accipe puerum & tene manum eius, manifestũ est, eum non oneri matri fuisse, sed comitẽ. Quòd autem manu parentis tenetur, solicitus monstratur affectus. Veruntamen supra prudenter sic scriptura dicit: Abiecit puerũ, Tanquam ille matris ceruicibus insederit, quia videlicet nunc interim, donec synagogam (vt prædictum est) vocet angelus Domini, oneri est indoctus populus pharisæorum &

Rom. 11.

2. Cor. 3.

rum & scribarum suorum synagogæ: & pro eorũ, quos erudire putatur, perditione premitur ampliori damnatione.

CAPVT XXII.

De fœdere pacto inter Abraham & Abimelech, & quid mysticè significet.

CAPVT XXIIII.

EOdem tẽpore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abrahã. Deus tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi & posteris meis, stirpique meæ. Sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi & terræ in qua versatus es aduena.) Notandum in primis & ex prioribus & ex præsenti loco, q̃ Isaac nõ sit natus in terra promissionis, sed in Geraris Metropoli Palæstinorum, vbi & Bersabee oppidum habebatur. Quòd & ipsum à mysterio non vacat. Christus enim sub imperio Romano natus est, & erat populus Dei sub principibus alienigenis, & tributis seruiens. Natus est ergo in Geraris, quæ Metropolis erat Palæstinorum, id est, ruentium: & Romam significat, quæ mater futura erat & regina pereuntium. Nec mouere debet, quòd cùm supra dixerimus, peregrinationem, qua peregrinatus est Abraham in Geraris, signum fuisse Babylonicæ captiuitatis: nunc dicamus illud, quòd natus est Isaac in Geraris, significasse quòd Christus sub seruitio nasciturus erat Romani imperij: Roma nanque erat altera Babylonia. Vnde Petrus in epistola sua: Salutat vos, inquit, ecclesia quæ est in Babylone collecta, Romam tropicè designans. Sciendum quippe, quòd quando Babylonia illa, à Medis & Persis subuersa est, tunc Roma condita vel nata est, & ab illa captiuitate vsque ad Christum, penè vna & iugis fuit seruitus Iudæorum. Nam ex quo illuc captiui cum rege suo ducti sunt, nunquam regem legitimè habuerunt, neque iugo gentium caruerunt, sed lãguente, & paulatim decidente statu ducum, & sacerdotum conflictantium, tandem alienigenam regem Herodem, sub quo Christus natus est, sortiti sunt. Benè igitur Abraham, ex quo illi Isaac ex nomine repromissus est, vsque ad natiuitatem vel ablactatio nem eius sub Abimelech in Geraris peregrinatus est: quia videlicet à temporibus prophetarum, per quos Christus prænunciatus est, vsque ad natiuitatem ipsius, regnum tẽporale Iudæorum sub iugo gentium, penè continuò detritum est. Verùm postquam Isaac ablactatus, & filius ancillæ eiectus est, Abimelech & Phicol princeps exercitus eius veniunt ad Abrahã, confitentes quòd Deus cum illo sit in vniuersis quæ agit, & rogantes eum, atque dicentes: Iura per DOMINVM, vt non noceas nobis, & cætera. Postquam enim synagoga, cui primum oportebat loqui verbum Dei, repulit illud, & indignam se iudicauit æternæ vitæ, Apostoli ad gentes conuersi sunt, immò & gentilium nonnulli vltro ad eos venerunt, quodammodo dicentes: Deus vobiscum est in vniuersis quæ agitis. Iurate ergo nobis per deũ, vt non noceatis nobis & posteris nostris, stirpique nostræ. Nam quando gentes confessionem fidei sanctis Apostolis obtulerũt, & ab illis patribus consilium quæsierunt, quomodo & in præsenti peccatorum remissionem acciperent, & in posterum vltimum iudicium euaderent, similia his & penè eadẽ dixerunt. Et per Abimelech quidem, quod interpretatur pater meus rex, vel patris mei regnum, multitudo intelligitur gentium, quas fecit Christus esse patris sui regnum. Per Phicol verò principem militiæ, quod interpretatur os omnium, principes bellicarũ virium, id est, duces, reges vel imperatores, cæteræque potestates, qui & ipsi fidem Christi consecuti sunt, & os omnium ad confitendum verum Deum, licentia vel auctoritate sua latius aperuerunt.

1. Pet. 5.

Act. 13.

Puteus quem vi abstulerãt serui Abimelech, quid mysticè significet.

CAPVT XXV.

DIxitque Abraham: Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant seruii illius. Respondit Abimelech: Nescivi quis fecerit hãc rem, sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui, præter hodie.) Antequam iuret, causam omnem simultatis determinat, ne qua præteriti motus scintilla subsideat, & proputeo aquæ vir tantus regem increpat, quia videlicet non res indigna erat, præsertim in illis terris, vbi naturaliter magna viuæ aquæ penuria est. Porrò mysticè puteus aquæ, quẽ vi abstulerant serui Abimelech, sacra scriptura est, quã philosophi gentium vi abstulerant, id est, nõ recto sensu, sine prædicatore, & sine Dei spiritu, legentes diripuerant. Verbi gratia: Plato cùm in Timæo formationem mundi de principio huius libri Geneseos furatus subdolè, atque peruersè alia pro alijs dixit. Itaque pro huiusmodi puteo, Abraham increpauit Abimelech. Exempli causa: quando Paulus Apostolus stans in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim & videns simulachra vestra, inueni aram in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Et post pauca: In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidã vestrũm poetarũ dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Nesciui, inquit, quis fecerit hanc rem, sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui, præter hodie. Plena & sufficiens excusatio, tribus partibus perfecta est: Nam in omni quæstione, cũ de facto agitur, parum est ad cõscientiæ puritatẽ, nescire à quo factum est, cũ scieris an factũ,

Plato in Timæum.

Act. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel quid factum sit, præsertim si tacendo cõsensisse videaris. Cunctis ergo culpa partibus rationabiliter se exuit, cum ad summũ dicit: Et ego non audiui, præter hodiè. Hæc & supra dicti Athenienses, & cæteræ poterant dicere nationes. Nos nescimus hanc rẽ, sed & nullus patriarcharum aut prophetarũ indicauit nobis, & non audiuimus præter hodie. Nam & hoc eidem apostolo dixerũt, noua enim infers auribus nostris.

Quid sibi velint septem agnæ, quas fecit Abraham stare seorsum mysticè.

CAPVT XXVI.

TVlit igitur Abraham oues & boues, & dedit Abimelech percusseruntq; ambo fœdus: Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille, Septem inquit agnas accipies de manu mea, vt sint in testimoniũ mihi, quoniam ego fodi puteum istum.) Oues quas dedit Abraham Abimelech, agniculos pariunt, & dulci lacte teneros fœtus alunt: boues autẽ nunc in area triturant, nunc vertendo terram operantur & panem educunt ad cor hominis confirmandũ. Scimus enim quia patres apostoli singulis populis, vel ciuitatibus magistros, & rectores maiores pariter & minores ordinauerunt: qui & tanquam oues lacte, id est, inchoationis sermone, paruulos auditores imbuerẽt, & tanquã
1.Cor.9. boues, de qualibus, Apostolo teste, lex dicit:
Deut.95. Non alligabis os boui triturãti, solido pane cibarent eos, qui pro consuetudine exercitatos sensus habentes ferũtur ad perfectionẽ. Hoc modo Abraham & Abimelech, id est, patres qui ex Iudæis erant: & gentes, fœdus percusserunt: & in vnam domum sociati sunt mediante angulari lapide Christo, qui facit vtraque vnum, vt duos condat in semetipso: in vnum nouum hominem faciens
Ephes.2. pacem: & reconciliet ambos in vno corpore
2.Cor.12. deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Porrò septem agnæ, quæ in percussione fœderis seorsum constituuntur, septiformem significant gratiam spiritus sancti: cuius nobis in baptismo, quo in Christo fœderamur, dona distribuũtur. Quæ videlicet agnæ seorsum constituuntur: quia profectò non in potestate hominis sunt dona spiritus sancti. Etenim baptismum quidem aquæ in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, omnes æqualiter per officium ecclesiasticũ exhibemus: ipsius autem sancti spiritus dona, non qualia vel quanta volumus damus aut accipimus: sed ipse spiritus sanctus operatur omnia, diuidens singulis prout vult. Quicquid aũt loquitur aut operatur per nos hic septiformis spiritus, testimoniũ verũ est, q̃ pater Abraham foderit puteũ istum, id est, quod secundum semen suum, quod est Christus, condiderit, atque compleuerit omnem veritatem scripturarum. Benè ergo dictum est, vt sint in testimonium mihi: quia ego fodi puteum istum. (Idcirco vocatus est locus iste Bersabee, quia ibi vterque iurauit. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech & Phicol princeps militiæ eius, & reuersi sunt in terram Palæstinorum.) Vbi hic legitur puteus iuramenti, in Hebræo habetur Bersabee. Duplex autẽ est causa cur ita appellatus sit, siue quia septem agnas Abimelech de manu Abrahæ accepit, Septẽ enim dicuntur Sabee: siue quod ibi iurauerit, quia iuramentum Sabee simili ter appellatur. Quod si ante hanc causam supra nomen hoc legimus, sciamus per prolepsim dictum esse, sicut & Bethel & Galgala: quæ vtiq; vsque ad tempus, quo ita appellatæ sunt vocabantur aliter.

Ad mysterium pertinere, quod plantauit Abraham nemus in Bersabee.

CAPVT XXVII.

ABraham verò plantauit nemus in Bersabee: & inuocauit ibi nomen domini, dei æterni. Et fuit Colonus terræ Philistinorum diebus multis.) Et hoc vtiq; ad mysterium pertinet: nam Abrahæ fides à Iudæis translata, & in gentibus plantata: grande ex diuersis hominibus tanquam de diuersis lignis nemus efficit ad inuocandum ibi nomen domini, dei æterni: quale & per
Esaiæ 41. prophetam Esaiam deus ipse desertæ gentilitati promittens, hoc modo, diuersa diuersorum merita distinxit: Dabo in solitudine cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, vlmum, & buxum simul, vt videant, vt sciant, & recogitent pariter. In nemore huiusmodi, vsque hodie inuocatur secundum fidem Abrahæ nomen domini æterni, & ita relicta terra populi sui Iudaici, colonus est Abraham terræ Philistinorum, quod interpretatur potione cadentium, quales prius fuimus nos: nunc autem fixæ & pulchræ sumus
1 Cor.6. plantationes domini, iuxta Apostolum: qui cum præterita vitia nostra tetigisset, Et hæc quidem, inquit, fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, & iustificati estis in nomine domini nostri Iesu in spiritu Dei nostri.

De tentatione qua tentauit Deus Abraham, dicens: Tolle filium tuum, &c.

CAPVT XXVIII.

QVæ postquam gesta sunt, tentauit deus Abraham, & dixit ad eum: Abrahã. Abraham. Et ille respondit: Adsum. ait illi, Tolle filium tuum vnigenitum. quem diligis, Isaac: & vade in terram visionis, atque offeres eum ibi in holocaustum super vnum

CAPVT XXII.

vnum montium quem monstrauero tibi.) Thesaurum fidei & timoris Domini, quem in exemplum bonum nobis filijs suis hic pater multarum gentium thesaurizauit, examinator cordium Deus, occultum esse noluit: sed hactenus longa peregrinatione, & diuturna seminis sui expectatione satis spectatum, adhuc vno tentationis incẽdio, validissimè conflagrare curauit. Ex hac nanque
Hebr.11. fortissima tentatione fides eius splendidissima rutilat, Apostolo teste, cùm dicit: Fide Abraham obtulit Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrãs quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Item: Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi, qui ex amore descendit, ex isto clarius
Psal.18. splenduit, ipso testante Domino, cùm postmodum dicit. Nunc cognoui, quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Rectè igitur scriptor hic præfatus est, dicens: Tentauit Deus Abraham, videlicet non vt ipse sciret, quem nulla cogitatio latet: sed ne ignorarem nos futuri filij, qualis ille fuerit pater, cuius nobis fides ad imitandum proposita est. Sic negociatori quærenti quæque preciosa, venditor sedulus, quicquid libet examinat, nõ vt ipse quæ
Cur Deus tentauit Abraham. vẽdit cognoscat: sed ne emptor dubitet dare omnia sua, & comparare illa. Verba tentantis hæc sunt: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terrã visionis, atque offeres eum ibi in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. Filium vnigenitum hic appellat, & addit, quem diligis, & ex nomine Isaac expressit, videlicet, ne parum præsentes adessent patris affectus sui in ipso articulo tantæ huius tentationis. Vbi nunc dicitur in terra visionis, in Hebræo habetur Moria. Aiunt Hebræi hunc montem esse, in quo postea templum cõditum est. In area Ornam Iebu
2.Para.3. sæi: sicut & in Paralipomenon scriptum est: Et cœperunt ædificare templum, in secunda die mensis, in monte Moria. Qui idcircò illuminans interpretatur, & lucens, quia ibi est Dabir, hoc est oraculũ Dei & lex & sanctus spiritus, qui docet homines veritatem, & inspirat prophetas. Veruntamen quid opus est ab Hebræis nominis huius, id est, terræ, vel montis visionis etymologiam dubitabilem quærere, aut vt opinabilem inuestigare, cùm ex præsenti loco scripturæ, manifestè constet propter præsentiam siue respectum gratiæ Dei, Abraham locum illum appellasse nomine eodem? Nam quia Dei tẽtantis oculos super se apertos atque defixos præcordialiter sẽsit, clamãte angelo dñi, cũ arripuisset gladiũ, Abraham, non extendas manũ tuã super puerũ: & nũc cognoui, quia times deũ: deinde subiungitur, appellauitq; nomen loci illius, dñs videt: Vnde vsq; hodie dicitur, in monte Dominus videbit. Cõstat ergo, quòd ob causam prædictam iubilans atq; ineffabiliter gratulabundus Abraham, illũ suæ letitiæ locum visionis nomine signauit, in quo visum se esse à Domino, veraciter confiteri potuit. Itaque sicut cætera multa, sic & hoc per anticipationẽ paulò antè dictum est, vade in terram, cũ additamẽto nominis huius, id est, visionis.

Item de eadem re: & quod mons, in quo postea fundatum est templum, u fuerit, ad quem immolandus ductus est Isaac.

CAPVT XXIX.

IGitur Abraham de nocte cõsurgens, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum, quem præceperat ei Deus: die autem tertio eleuatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquã adorauerimus, reuertemur ad vos.) Quia timorem Domini sibi ante oculos proposuerat, idcircò mox audito iubentis imperio: vicino obedientiæ pede moram pati nescIuit in faciendo: de nocte consurgens, & sternẽs asinum suũ. Porrò asini nomine non rusticitas, siue ignobilis paupertas tanti viri detegitur: quem magnum & inclytum siue diuitẽ fuisse non ignoramus: quippe quem & tot regum victorem supra legimus: Sed vno asini nomine quodlibet subiectionis genus commodè signatur: non solùm propter Latinam nominis etymologiam, quia asinus ab assidendo, dicitur: verùm & propter huius animantis naturam, quod magis seruile, & magis oneriferum est. Die tertio, inquit, vidit locum procul. Notandum, quòd de Geraris vsque ad montem Moria, id est, sedẽ templi, iter dierum trium sit: & consequenter illuc die tertio peruenisse dicatur. Malè igitur quidam dicunt, Abraham illo tempore ad quercum habuisse Mambre, hoc est in Hebron, cũ inde vsq; ad montẽ Moria vix vni diei iter plenũ sit. Nec verò fallaciter, sed fideliter dixit: Expectate hic cũ asino. Postquã adorauerimus, reuertemur ad vos: credẽdo scilicet, q̃ & à mortuis deus immolatũ puerum illũ sibi susciture posset. Iã quoniã ea q̃ sequuntur secundũ literã patentia sunt: nunc vt sapias medullitus, & in Abrahã, cuius præceptũ: & in Isaac, cuius in obedientia præfigurata sit, altius intueri libet: quid potissimũ Deus intẽderit in opere famosæ huius tentationis. Nec enim satis est dixisse: q̃ vt cognosceret, id est, cognoscere nos faceret, quantũ haberet Abrahã timorem Domini, idcircò sic illũ tentauit: præsertim cũ protinus vbi dixit, nũc cognoui quia timeas deum, cõtinuò subiunxerit: Per memetipsum iurauí, quia fecisti rem hanc, & nõ pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, &c.

Item cur deus tentauerit Abrahã: & q̃ nõ absq; iusti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia sic Deus dilexit mũdum, vt filium suũ vnigenitũ daret: quia sic homo dilexit Deum, vt filium suum vnigenitum daret.

CAPVT XXX.

NVnquid enim nolẽs illam hominis for titudinem Deus incidit: vt necesse sibi esset interponere iuramentum: vt ratio compelleret deũ iurare homini per semetipsum, quia maiorem se nõ nouerat aliũ? Homines enim, inquit Apostolus, per maiores sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Abrahæ autem promittens Deus, quoniam neminẽ habuit maiorem se per quem iuraret: iurauit per semetipsum. Num, inquam, Deus inuitus, aut imprudens adigi potuit ad iuramẽtum huiusmodi? Non vtique, sed volens & prouidens tentando magnam in graui causa, Deus homini præparauit victoriam: quã & sanctus Iob suspirans ait ad eundem Deũ: Desiderium meum omnipotens audi, & tribue mihi auditorem, qui æquitatem proponat contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum. Nam proposuerat quidem Deus per multam misericordiam præiudicari in Adam generis humani iudicium, per Christum adducere ad victoriam: sed absq; iudicio vel iustitia facere misericordiã, non cadit in Deũ. Vnde & Psalmista: Misericordia, inquit, & iudicium cantabo tibi Domine. Item: Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Et alibi: Misericors deus & iustus. Et multa in hunc modum testantia, nõ dissociata esse in Deo misericordiam & iudicium, siue veritatem & mansuetudinem. Vt ergo omninò ex sola misericordia staret salus hominis, sed misericordia & veritas obuiarent sibi: quæsiuit misericors Deus capitulum in homine, per quod posset iustè debitor ipse teneri: quæsiuit, inquam, ab homine vnigenitum sibi filium immolari, vt suum ipse filium iusta vicissitudine deberet homini. Igitur cùm dicit idem filius in euangelio suo. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret: non est dilectio remissa, vel misericordia carens iustitia. Nam & homo sic timuit Deum, vt offerre illi non dubitauerit filium suum vnigenitum. Proinde in hoc maximè facto puer Isaac rectè vnigeniti filij Dei figuram tenere creditur, quem habebat vnigenitum pater excelsus, & in eo pater multarum gentium est effectus: quem cũ diligeret, non pepercit illi propter deum, quem miro modo & immolauit, & tamen non tetigit gladio. Sed arietem videns inter vepres hærentẽ cornibus, assumpsit, & obtulit holocaustum pro filio. Sic enim deus pater, pprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui tamen secundum naturam, qua Deus est, mori non potuit: sed ea immortaliter atque impassibiliter permanente, secundum naturã hominis, quã assumpsit, inter vepres, id est, inter scelera Iudæorũ, clauis hærens cornua crucis, verè passus, verè mortuus, & verè sepultus est.

Hebr. 6. *Iob. 23.* *Psal. 100.* *Psal. 88.* *Psal. 116.* *Ioan. 3.* *Rom. 8.*

Quid significet, quòd Isaac pater duxit ad immolãdum: quid per ignem, gladiũ: q; portauit Isaac ligna, & quod pater filium colligauit, intelligatur.

CAPVT XXXI.

CAPVT XXII.

HVnc Isaac pater duos habens pueros, ducit ad immolandum: quia videlicet iam dictum filium suum Deus pater, cum vtriusq;, noui, scilicet & veteris testamẽti, cõsonantibus præconijs tradidit ad passionem pro salute omnium: Et expectate hic, inquit, donec reuertamur ad vos: quia profectò in illa hora, voces omnium scripturarum conticuerunt, ita vt nullus ei perhiberet testimonium: nec ipse saltem sua voce per qualiacunque repugnaret scripturæ testimonia, scilicet ne crucis differretur vtilitas. Quid porrò est, quòd (tulit pater ligna holocausti & imposuit super Isaac filium suum, ipse verò portabat ignem & gladium?) Quid, inquam, nisi quòd ipse dominus noster iuxta Ioannis euangelium, baiulauit crucem suam? Sic enim ait: Quia exiuit Iesus, baiulãs ipse sibi crucẽ. Benè ergo Isaac ligna portat holocausti sui: quia Christus ipse baiulaturus erat lignum suæ passionis. Ipse verò portabat ignem & gladium. Per ignem spiritus sanctus rectè intelligitur, per quem semetipsum obtulit filius Dei, testante Apostolo, cùm dicit: Sanguis Christi qui per spiritum sanctum semet ipsum obtulit Deo, emundauit conscientiã nostram ab operibus mortuis. Gladius verò non solùm mortem, sed & potestatem significat imperialem. Gladium ergo pater ipse portabat, quia videlicet in manu fuit nõ Iudæorum, sed Dei patris gladius, id est, potestas dominicæ mortis: vbi, quando, vel quo mortis genere deberet interimi. Ignem quoque portabat holocausti, quia profectò sicut filius per spiritum sanctum semetipsum obtulit: sic & pater per eundẽ charitatis spiritum, proprium filium suum pro nobis omnibus tradidit. (Cunque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum.) Mira videlicet patientia, subiectum & pro voluntate patris sustinentem intentatæ mortis tormentum. Ergóne & Deus pater suũ colligauit filiũ? Colligauit planè: verùm non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperio: ne seipsum defenderet, ne oblatum calicem passionis mori dedignatus abigeret. Nã hoc est q; in Psalmo canit ipse: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. Hæc omnia sustinens Isaac soli tandem ictui gladij subducitur: & aries (vt iam dictũ est, pro illo immolatur: quia videlicet risus cælorum ille, in quem desiderant angeli prospice-

Ioan. 19. *Hebr. 9.* *Psalm. 72.*

prospicere secũdum naturã, qua patris risus, & angelorum sanctorum gaudiũ est, mortem nullatenus admisit: licet secundum naturam, qua nostri est similis, verè mortuus fuerit.

Quomodo vsque hodie in monte visionis, id est, sancta ecclesia, verus Isaac Christus in sacramento immolatur.

CAPVT XXXII.

PVlcherrimum, atque sanctissimum est persentiscere, quemadmodum & vsque hodie in monte visionis, id est, in sancta catholica ecclesia: extra quam nemo vnquam Deum videbit: offeratur iugiter idem filius Deo patri, & tamen immortalis perseueret atque impassibilis. Etenim huic immolationi iure assimilatur sacrificium patriarchæ pij ac fidelis: quia videlicet sicut illic, ita & hic non sanguis funditur filij trucidati manibus crudelium, sed viuus atque integer permanens Deo patri filius idem & manibus præsentatur, & ore sumitur fideliũ. Ergo in hoc sãcto sacrificio sacerdotalis ordo ipse est pater Abrahã: pater, inquam, multarũ gentiũ, quia profectò per ministerium paternitatis eius, multæ gẽtes Deo regenerati sunt. Quẽcunque ad sanctum altare diuina vocat gratia, fidemque eius electio sancti spiritus sacerdotali dignitate remunerat: eo ipso quòd vocatur & eligitur ad tale munus, profectò iubetur illi vt tollat filium suum, quem diligit Isaac: cumque Domino in terra visionis in holocaustum offerat. Sic enim veraciter dictum nullus ambigit, quicunq; fecerit voluntatẽ patris mei qui in cælis est, ipse meus & frater & soror & mater est. Cur sacerdos vel pontifex, cuius & in corde per fidẽ Christus habitat, & ex ore eius prædicãtis concipitur in audientis anima: cur, inquam, hic talis eundem Christum suum filium appellare dubitet? Abrahã ergo de nocte consurgens, sternit asinum suum: quia sacerdos Dei, omnia dedecoris abijciens, premit & subiugat omnem irrationabilem carnis suæ motum: ne fortè, inquiẽs, cũ alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Ducit & duos pueros secum, id est, vetus pariter & nouum recipit testamentum. Omnis enim scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Portat quoque ignem & gladium: quia profecto sine igne spiritus sancti nemo dignus est ad tantũ accedere mysterium & sine gladio verbi non immolatur hoc salutis holocaustum. Adest Christus præsens tãquam Isaac, iuxta veritatem suam, qua dicit: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Duo pueri iussi subsistũt: Etenim in hora sacrificij voces vtriusque testamenti, quæ canendo atq; legendo comitatæ fuerant, pariter conticescunt. Summum nanque præstandum silentium est, vt Christi Domini nostri passio, sic per solum sacerdotem celebretur: sicut illic fugientib. omnibus suis, relictus est solus, & torcular, inqt calcaui solus. Qui si (vt iã dictũ est) vbi 2. vel tres cõgregati fuerint in nomine eius, illic est: quomodo in tali cõgregationis causa, non adest? immò totus adest: totus sancto incumbit altari: non vt iterum patiatur: sed vt fidei, cui præsentia sunt omnia, præterita eius passio memoriter repræsentetur. Ita Christus & iterum immolatur, & tamen impassibilis permanet & viuus: quemadmodum illic Isaac immolatus, & tamen gladio non est attactus. Frãgitur pro illo panis, & comeditur: sed licet ille panis iã sit ipse Christ⁹, Christus tamẽ integer permanet & viuus. Quomodo, inquis, panis qui videtur, est Christus? Ad hæc, inq. Quomodo quælibet metalli species: verbi gratia, aurum siue argentum, valido igne conflatum, atque resolutum, reuera & aurum est, & ignis quoq; dicitur & est. Etenim aurum videtur & est quod erat, & tamen verissimè ignis dicitur, & est, quod non erat: Idcircò sic omninò panis admotus vel immersus terribili atque ineffabili mysterio passionis Christi, adhuc panis videtur esse, quod erat: & tamen in veritate Christus est, quod non erat. Igitur sicut ignis, licet diuisus impartes, mutuati tamen luminis detrimenta non nouit: sic panis iste solenni fractione diuisus, non minus in singulis partibus, quàm in toto habet sacramẽti aut virtutis, quin omnia peccata consumat, si habeat pabulum fidei: quemadmodum parũa licet ignis scintilla, si fomenta ignis nõ desint, magnam syluam comburit. Et quidem quoniam holocaustum, totum incensum dicitur, hoc verò sacrificium dominicæ passionis holocaustũ est, de quo Psalmista: Et holocaustum tuum, inquit, pingue fiat, cõgruè nunc & euicino, scilicet, de igne corporeo ad ignem incorporeum & inuisibilem similitudo sumpta est. Verùm de hac re multum tractare nunc locus non est. Hoc solum ad præsentem causam pertinet, quòd sicut Isaac ille immolat⁹, & nõ tamẽ occisus est, sic & Christus hic immolatur quidem, sed impassibiliter sacrificatur & immortaliter.

Matth. 12. *Officiũ sacerdotis sacrificaturi.* *1. Cor. 9.* *Matth. 13.* *Matth. 18.* *Esa. 63.*

Cautè legenda est similitudo, metallum quippe dũ ignis virtute resoluitur, ignitũ quidè dicitur reuera postea, nequaquam verò ignis, quem admodum de mystico sacri altaris pane veraciter dicimus, & sit corp⁹ Christi.

De repromissione dei, & de eo quod dictum est: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

CAPVT XXXIII.

CVM clamasset angelus DOMINI de cælo: & (sicut iam superius dictum est) per semetipsum iurasset: quia neminem haberet maiorem per quem iuraret habuit maiorem, dixit: Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris: de quibus, scilicet, stellis cæli, & arena maris, iam alio loco diximus, hoc quoque subiunxit: (Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.)

De arena lib. 5. ca. 10. *De stellis lib. 5. ca. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc verbũ promiſsionis de benedicendis gẽtibus in ſemine eius,nũc vice altera dominus
Gen. 12. locutus eſt. Nam & in primordio quando dixit illi,egredere de terra, & de cognatione tua,hoc promiſit,dicens: Atque in te benedicentur vniuerſæ cognatiões terræ. Proinde qa ſemel & iterum hoc promiſit Deus,rectè promiſsio iam dicitur,differt tamen aliquan
Hebr. 6. tiſper. Vbi nullum adhuc Abrahæ præceſſerat meritum,tantummodo promiſit: vbi verò iam per obedientiam emeritus eſt:cum interpoſitióe iuraméti repromiſit: vt per duas res immobiles,inquit Apoſtolus, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum,fortiſsimum ſolatium habeamus,qui confugimus ad tenendam propoſitã ſpem. Nam & hoc ad nos reſpicit,(quòd appellauit Abraham nomen loci illius:Dominus vidit: vnde dicitur vſque hodie in monte Dominus videbit.) Hoc nẽpe apud Hebræos exiuit in prouerbium: vt ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt,& Domini optant auxilio ſubleuari:dicant in mõte Dominus videbit: & hoc eſt, ſicut Abrahæ miſertus eſt,miſerebitur & noſtri. Vnde & in ſignũ dati arietis, ſolent etiã nũc cornu clangere. Iuramento ergo interpoſito auxit quoque benedictionem,ſic: Poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Portæ inimicorum,poteſtates ſunt tenebrarum: quas ſemen Abrahæ Chriſtus nũc poſsidet: iuxta quod ipſe prælocutus eſt. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuũ,in pace ſunt o-
Matth. 12. Luc. 11. mnia quæ poſsidet. Si autẽ fortior illo ſuperueniens vicerit eũ, vniuerſa arma eius auferet,in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Hoc autem per paſsionem & mortem eius actum eſt. Suſcitauit enim illum Deus à mortuis,ſolutis doloribus inferni: iuxta qꝺ impoſsibile erat teneri illum ab eo. Benè ergo hoc loco,vbi immolatus eſt Iſaac, primũ ait,poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum:& deinde, atque in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, quia vi-
Actor. 2. delicet ſic futurum erat, vt immolato Chriſto,primum inimicorũ ſuorum portas:portas,inquam,inferni victor ille obtineret: ac deinde dato ſpiritu ſancto,benedictio,id eſt, pœnitentia & peccatorum remiſsio prædicaretur in omnes gentes.

Quòd ſanctus Iob,& Balaam de ſtirpe Nachor fratris Abraham deſcenderit.

CAPVT XXXIIII.

His ita geſtis, nunciatum eſt Abraham, quòd Melcha quoque genuit filios Nachor fratri ſuo, Hus primogenitum, & Buz fratrem eius: Camuhel patrem Syrorum,& Caſed,& Azau. Pheldas quoque & Ieplaph, ac Batuel,de quo nata eſt Rebecca,&c.) Hoc nunciatum eſt Abraham,ſubauditur,nolenti accipere filio ſuo Iſaac vxorem, de filiabus Chananæorum,inter quos habitabat:& ſolicito,vnde ſibi nurus eſſet ſperãda, digna filio ſuo. Nam hæc ſolicitudo vel occaſio eſt idonea,cur hoc illi nunciatũ eſſe ſancta narret ſcriptura. Hus,inquit, primogenitum,& cætera. Primogenitus Nachor,fratris Abrabraham,de Melcha vxore eius, filia Aran, natus eſt Hus,de cuius ſtirpe Iob deſcendit, ſicut ſcriptũ eſt in exordio, voluminis eius: Vir erat terra Hus,Iob nomen eius Malè igitur quidam æſtimant, Iob de genere eſſe Eſau. Siquidem illud quod in quibuſdam codicibus in fine ipſius libri habetur, eò qꝺ de Syro tranſlatũ eſt, & quartus ſit ab Eſau, & reliqua quæ ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur. Secundus natus eſt de Melcha Buz, & ex genere huius eſt Balaam,ille diuinus, vt Hebræi tradunt, qui *Iob. 32.* in libro Iob dicitur Heliu:primũ vir ſanctus & prophetes Dei, poſtea per inobedientiam deſiderium munerum, dum Iſrael maledicere cupit,diuini vocabulo nuncupatus, dicitur̃que in eodem libro:Et iratus Heliu filius Barachel Buzites,de huius videlicet Buſi radice deſcendens. Camuhel verò pater eſt Damaſci,qui & Aram ſiue Syria dicitur. Caſed quoq; quartus eſt,à quo Caſdim, id eſt,Chaldæi poſtea vocati ſunt.

De morte Saræ,& coemptione ſepulchri eius.

CAPVT XXXV.

VIxit autem Sara centum viginti ſeptem annis, & mortua eſt in ciuitate Arbee, quæ eſt Hebron in terra Chanaan. Venitque Abrahã vt plangeret & fleret eam.) Arbee interpretatur quatuor. Dicitur autẽ ciuitas Arbee ſiue Chariatharbe, eò qꝺ quatuor nominati illic ſepulti ſint, videlicet maximus Adam, ſicut in libro Ioſue ſcriptum *Ioſue. 14.* eſt, & deinde Abraham, Iſaac,& Iacob: Porrò mors Saræ finem legis & prophetarum ſignificat,de quibus Dominus: Lex inquit,& prophetæ vſque ad Ioannem. Et Apoſtolus: Finis,inquit,legis Chriſtus, quia videlicet illo dato, prophetiæ ſiue promiſsiones, quas per Saram ſuperius intelligi diximus, conticuerunt. Vnde notãdum, quia deus vlterius Abrahæ apparuiſſe non legitur. Nec verò *Matth. 12. Roma. 10. Sup. lib. 5. cap. 24.* damnoſus eſt iſte finis legis & prophetarum, ſicut nec mala mors Saræ: Mors quippe iuſtorum precioſa & optabilis requies eſt, ſed illi finis perfectio eſt vel cõſummatio, quem ſignificans ipſe qui finis eſt (vt iam diximus) cùm accepiſſet acetum, dixit: Conſummatũ eſt. (Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris, *Ioan. 27.* locutus eſt ad filios Eth,dicẽs: Aduena ſum & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meũ, (& cæt. vſq;) appendit pecuniã quam Ephrõ poſtulauerat. Audientibus filijs Eth, quadringẽtos argenti ſiculos, & probatæ monetæ publicæ.) In Hebræo primum nomen eius ſcribitur Ephron, ſecundum Ephran. CAPVT XXIII. Poſtquam enim precio victus eſt, vt ſepulchrum venderet & acciperet argentum, licet *Ephron* cogente Abrahã, vau litera, quæ apud illos *cur poſtea* pro o legitur, ablata de eius nomine eſt, & *dictus eſt.* pro Ephrõ, *Ephran.*

pro Ephrõ appellatus eſt Ephran, ſignificante ſcriptura, nõ eum fuiſſe conſummatæ perfectęq; virtutis,qui potuerit memorias vendere mortuorũ. Sciant igitur,qui ſepulchra venditant,& non coguntur vt accipiant precium,ſed à nolentibus quoque extorquent, immutari nomen ſuũ, & perire quid de merito eorum,cùm etiã ille repræhendatur qui inuitus acceperit.

Item de agro & ſpelunca duplici in qua ſepulta eſt.

CAPVT XXXVI.

COnfirmatuſque eſt ager quondam Ephronis,in quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambrẽ, tam ipſe quàm ſpelunca, & omnes arbores eius, in cunctis terminis per circuitum Abrahæ, in poſſeſsionem videntibus filijs Eth, & cunctis qui intrabant per portam ciuitatis illius.) Quia non parua de re agitur,hoc quod iam ſemel dictum eſt, iterum ac tertio repetitur,vt tribus teſtimonijs confirmatio tota perficiatur. Sequitur enim:(Atque ita ſepeliuit Abraham vxorem ſuam Saram in ſpelunca agri duplici, qui reſpiciebat Mambrẽ, hæc eſt Hebron in terra Chanaan.) Et continuò:(Et confirmatus eſt ager,& antrum qꝺ erat in eo Abrahæ, in poſſeſsionem monumenti,à filijs Eth.) Quod tertio dicitur, & ager & antrũ, idẽ eſt quod ſecundò dictum fuerat,ager & ſpelunca duplex,ſiue ſpelunca agri duplicis. Itaque tribus teſtibus ſiue teſtimonijs confirmatio facta eſt. Non enim ſolummodo in perſonis, *2. Cor. 12.* ſed etiam dictis aut factis iteratus, teſtiũ numerus ſolet computari,teſtante Paulo, cùm dicit Corinthijs: Eccè hoc tertio paratus ſum venire ad vos, continuò ſubiungit: In ore duorum aut trium teſtium,ſtabit omne verbum. Quid enim hac tali coemptione factũ eſt, niſi quòd ius legitimum ſemini Abrahæ collatum eſt, vt nõ ſolummodo iudicio dei, qui iuſtè peccatores de terra illa exterminare haberet,ſed etiam iudicio hominũ,terram eandẽ repetere iure deberet, quã pater ipſorum quadringentis ſiclis argenti & probatæ monetæ publicæ coemiſſet? Quid enim, ſi non totam terram illam pater Abraham cõparauit? Pars totum iuſtiori cauſæ vendicare debuit, præſertim vbi quod iure exigeretur pro parte non cõcederent aduerſarij. Vnde & apud auctorem Romanorũ nobilem, quidam decertans, ſic inter cætera declamat. Omnia dat qui iuſta negat. Sed iam nec in iſto ſenſum myſticum præterire libet.

De eadem re, iuxta ſenſum myſticum.

CAPVT XXXVII.

COnfirmatus eſt,inquit, ager quondam Ephronis,&c. Myſticè nanque idem eſt ac ſi diceretur: Confirmatus eſt in fide Abrahæ,& ſeminis eius per paſsionem Chriſti, cuius in typum Iſaac paulò ante immolatus fuerat: cõfirmatus,inquam,eſt in hæreditatem illi totus mundus:atq; in eo Sara,id eſt, ſanctã legalis atque prophetica ſcriptura venerando ſepulchro quieuit:mortua quidem non credentibus Iudæis, ſed impleta atque conſummata gentibus per creditum aduentum Chriſti filij dei: Ager nanque Ephronis cum ſpelunca duplici: Ephronis, inquam, qꝺ interpretatur puluis inutilis, peccatores ſignificat,tam & anterioris,quàm & poſterioris populi,qui prius erãt ſicut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, ſed confirmati ſunt rore ſpiritus ſancti,iuxta Pſalmiſtam di- *Pſal. 103.* centem: Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Hic Ager reſpicit Mambre,quod interpretatur diuiſio, ſiue perſpicuum,intelligit nanque quanta ſutura ſit diuiſio bonorum & malorum illo die,quem reſpicit,quem ſolicitè attendit,qui dies erit extremi iudicij. Ita iam in ſpelunca duplici huius agri,id eſt,in conſcientia vtriuſque populi, Sara,id eſt, teſtamentum Dei, confirmatum in Chriſto requieſcit. Arbores per huius agri circuitum eminentiores, homines ſunt,qui verbo & exemplo minoribus fructificare, id eſt,proficere poſſunt. Videntibus,inquit, filijs Eth,id eſt,formidantibus omnibus verbum quod factum eſt,vel iudicium quod futurum eſt: Eth nanque formido vel ſtupor interpretatur. Talis igitur ager, vt in illo Sara ſepeliretur precio prius comparari & confirmari debuit Abrahæ, in poſſeſsionem monumenti: quia videlicet oportebat nos precio magno emi,nec eſſe ſeruos peccati,vt tunc demum reconderentur apud nos eloquia Dei, & promiſsiones patrum,conſummatæ in corde Chriſti, quam præcedens obitũ Sarę immolatio Iſaac, præſignauit: Nam ad ſummum, quia (ſicut iam dictũ eſt) primus homo pater orbis terrarũ Adam illic ſitus eſt,rectè per agri illius coemptionem totius orbis intelligimus acquiſitionem.

De eo quod dictum eſt: Pone manum tuam ſuper fœmur meum,&c. quodq; Iſaac coniugium myſticè ſignificet.

CAPVT XXXVIII.

ERat autem Abraham ſenex, dierumque multorum,& Dominus in cunctis bene dixerat ei.) Non hoc vulgari more propter ætatis prolixitatem dictum eſt: Erat ſenex, dierumque multorum. Quippe cùm de illis, qui ante eum fuerunt,alij triplos,alij quadruplos,immò & nonnulli ſeptuplos,ætatis eius dies habentes,nihil tale dictum ſit: Ergo ſenex,dierumque multorum, id eſt,perfectæ fidei,multorum operum bonorum. Et dominus in cunctis benedixerat ei,id eſt, bona cuncta, quæ omnibus gentibus facturus erat,in ſemine eius Deus prædixerat, & cùm iuramento firmauerat ei. Tali præfatione digna ſubſequitur narratio: (Dixitq; ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam ſub ter fœmur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, vt non accipias vxorem filio meo

Quomodo Abrahã ſenex ac dierũ multorũ dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lio meo de filiabus Chananæorũ, inter quos habito, sed ad terram & cognationem meã pficiscaris, & inde accipias vxorẽ filio meo Isaac. Fidei simul & castitatis est cõiugij res gesta hæc: quia videlicet nec senex Abrahã nurũ de Chananæis quæsiuit, vndẽ aliquod suppeditare posset solatiũ suæ peregrinatiõi. Nec iuuenis Isaac vxorem ambiuit, quã concupiscęret oculis, sed eam quam nunquam viderat, secundum voluntatem præstolatus est patris. Non enim in Abraham magno caret merito fidei, neque in Isaac vero testimonio castitatis, quòd & ille peregrinationem suam propter Deum, in quo confidebat, sic amplexatus est, vt eorum, qui Deo non placebant, propinquitatem nullam sibi aut posteris suis admitteret. Et hic ita iuuentutis petulantiam supergressus est, vt illam expectaret cõiugem, quã Deus daret, non quã concupiscentibus oculis, ipse cum dote magna rapuisset. Assimilatur ergo etiam in hoc filio Dei, qui nullam propria voluntate, id est, humano iudicio animam assumit siue reijcit, iuxta quod ait ipse: Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem patris mei. Nam si ad naturalem spectes carnis affectum, eadẽ teneritudine suã fouere debuisset patriã, qua videns ciuitatem Hierosolymam veris lachrymis fleuit super illam. Sed descendi, inquit, de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

Ioan. 5.

Luc. 19. Ioan. 6.

Quis sit seruus Abrahæ, mysticè.

CAPVT XXXIX.

PONe, inquit, manũ tuam subter fœmur meum, vt adiurem te per Dominũ deum cæli. Tradunt Hebræi, quòd in sanctificatione sua, hoc est, in circuncisione sua iurare iusserit. Nos autem dicimus, quod illum adiurauerit in semine suo, hoc est in Christo, qui ex illo nasciturus erat, iuxta Matthæum loquentem. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Notandum præterea, quòd non ipsum Isaac, quem Deo iussus obtulerat, adiuret pater, neque ipsum ad quærendam sibi vxorem mittat, vt quæcunque sibi placuerit, illam accipiat, quia videlicet nec futurum erat vt ipse Christus, postquam passus est, per semetipsum ecclesiam sibi de hoc mundo colligeret corporali præsentia. Non, inquit, accipias vxorẽ filio meo de filiabus Chananæorum, sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias filio meo Isaac vxorem: Chananæi, inter quos habitabat pater, Iudæi erant, quorum ipse nomine tenus Deus erat, vnde & dicit: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me, scilicet pro parte eorum qui rectè dicti sunt Ismahel, qui secũdum carnem natus est. Chananæi nanq; rectè dicuntur eandem ob causam, videlicet, propter quam & per prophetam sic illi populo exprobratum est: Pater tuus, inquit Amorræus & mater tua Cethæa. Illius populi multæ filiæ, id est, multæ fuerũt hæreses vel sectæ, scilicet, traditiones Pharisæorum, Saducæorum, & eorũ qui Samaritæ dicti sunt, & quòd cæteræ (vt fertur) fermè nouẽ dissentiones hæresum. De filiabus ergo illorũ ne accipias, ait, vxorem filio meo Isaac: quia videlicet secundum nullam eorum sectam institui dignatur Deus pater vnicam filij sui sponsam nouam, scilicet ecclesiam, quæ non habeat maculam, aut rugam. Sed ad terram & cognationem meam proficiscaris. Proficisci nanque ad terram & cognationem patris, seruum fidelem, atque prudentem, id est, attendere fidem per quã iustificati sunt illi, qui verè Dei populus, Deoque per amorem iustitiæ quodammodo cognati fuerunt, & secundum sensum illorum sanctam instituere ecclesiam. Verbi gratia, dicentium? Nũquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinẽ hircorum potabo? Subauditur, nõ. Sed quid? Immola Deo sacrificium laudis. Et innumera his similia, quæ obseruare, & obseruanda tradere, id planè est verã & dei filio dignam coniugem informare. Quando autem Deus pater sic adiurauit seruum suum? Tunc vtique, quando sanctum Apostolis misit spiritum, per quem sic obtinuit corda eorum, vt nihil aliud omninò, nisi quod volebat Deus de huiusmodi loqui, aut agere possent: (Si inquit, noluerit mulier venire mecum, num reducere debeo filium tuum illuc, vnde egressus est?) Quod est dicere: Si nemo ex Iudæis voluerit, relicta circuncisionis carnalium quę cæremoniarum iustitia, solam necessariam, quæ ex fide est, suscipere iustitiã, num concedendum vel ferendum erit vt fidem Euangelij communicemus vel commisceamus carnali Iudaismo? de quo Christus circuncisus, vel circuncisionis minister egressus est, aliam viam instituendo, dum dicit: Baptizate omnes gentes. (Caue, inquit, ne filium meum reducas illuc.) Et continuò solita fide confirmatus: (Dominus, ait dominus deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, ipse mittet angelũ suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.) Et continuò: (Sin autem noluerit mulier sequi te, non teneberis iuramento.) Eadem omni conditione libertas & conscientiæ mundicia indicitur Euangelico viro. Si noluerint suscipere te, puluerem pedem tuorum excute in eos. Vehemens repetitio seriò virũ fortem locutũ esse innuit: (Filium tantum meum, ine reducas illuc:) Ne, inquam, reducas illuc, sed potius dic: Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Item: Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit, & cætera his similia.

Esa. 29.

Ezech. 16.

Eph. 5.

Psal. 49.

Matth. vl.

Matth. 10.

Galat. 5.

Quid significent cameli, & quæ bona domini eius, ex quibus secum tulit.

CAPVT XL.

POsuit ergo seruus manum suam sub fœmore Abraham Domini sui, & iurauit illi super

li super sermone hoc.) Hic quoq; seruus, qui per illũ intelligitur, scilicet apostolorum prędicatorũ chorus, posuit manũ suã sub fœmore Abraham, profitendo scilicet incarnationis Christi fidem, & iurauit super sermone hoc: Iurauit, inquam, id est, graui se astrinxit necessitate dispensandi mysterium hoc. Vndè & dicit vnus ex his: Nam si euangelizauero, non est mihi gratia, necessitas enim mihi incumbit. Væ mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedẽ habeo. Si autẽ inuitus, dispensatio mihi credita est. Ergo verè iurauit, qui nisi euangelizauerit væ illi, eo quòd periurij reus sit. (Tulitq; decem camelos de grege domini sui, & abijt, ex omnibus bonis eius portans secum.) Sapienter pro re & tempore seruus ille senior sic abijt, scilicet cum decem camelis, ex omnibus bonis domini sui portans secum: Præsentib. nanq; honoribus debebat instrui puella, vt nõ paruas viri aut soceri sui sciret sperare-tque diuitias. Sic planè seruus iã dictus, id est, prædicator Euangelicus, cũ magnis missus est muneribus, illis videlicet, de quibus dictum est: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: Et ipse dedit quosdã quidẽ apostolos, quosdã autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores. Ita vnicuiq; seruorum fidelium data est gratia secundũ mensuram donationis Christi. Ex his bonis domini sui Iesu Christi, siue patris eius dei, portauerunt secum, vt ex præsentium gloriosa testificatione miraculorum cognosceret ipsa, quæ petebatur Christo, sponsa, quòd verè magnus, diuesq; & potens sit ille, in cælo & in terra. Quid porrò sibi volunt decem cameli, quos tulit de grege domini sui? Ea nimirum quæ grauiora sunt legis, qualia delinquentes illi menthæ & aneti decimatores, rectè tali elogio denotati sũt, vt diceretur de illis, culicem liquantes, & camelum glutiẽtes. Idcirco rectè decem sunt cameli: quia videlicet decem præceptis, quæ in tabulis scripta sunt digito dei, continetur omnis vera iustitia legis, quam solã seruari oportet in Euangelio Christi, reiectis omnibus iustitijs carnis, quas Apostolus detrimentũ facit pro Christo, & arbitratur vt stercora.

1. Cor. 9.

Matth. 23. Philip. 3.

De Mesopotamia, ad quam profectus est seruus, deq; prudentia eius, quomodo petiuit Rebeccam.

CAPVT XLI.

PRofectusque perrexit Mesopotamiam ad vrbẽ Nachor) Genitalis huius Abrahæ terra Chaldæorum fuit, sed persecutione vrgente (vt superius dictum est) egressus fuerat Thare cum suis, vt irent in terrã Chanaan, resederant autem in Aran, hoc est, Syria, quam ex Meso quod est media, & Potamo, id est, fluuio appellant Mesopotamiã. Duobus enim fluminibus Tygri & Eufrate ambitur. Seruus ergo iussus proficisci ad terram & cognationem domini, pergit Mesopotamiam, quia videlicet terram illã pro sua, cognatio eius inhabitabat, & ea coaluerat, in qua & Thare mortuus est. Ad vrbem, inquit, Nachor. Isto & alijs sacræ huius historiæ testimonijs ostẽditur, etiã Nachor frater Abrahæ exisse de regione Chaldæorũ, sedesque constituisse in Mesopotamia, vbi cum patre suo habitauerat Abraham. Cur ergo eum scriptura non commemorauit, quando ex gente Chaldæa cũ suis profectus est Thare, & habitauit in Mesopotamia, vbi non solùm Abraham filius eius, verumetiam Sara nurus, & Loth nepos eius commemorãtur, quòd eos duxerit secum? Cur putamus nisi fortè quòd à paterna & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum, & posteà inde siue pœnitendo, siue persecutionem passus, quod suspectus haberetur, & ipse emigrauit? (Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus domini mei Abraham occurre mihi hodie obsecro, & fac misericordiã cũ domino meo Abraham, &c.) Veraciter seniorem hunc supra nominauit scriptura. Nam quod seniore dignũ fuit, nec ipse petẽdæ puellæ iudiciũ suis commisit oculis, qui solam faciem non etiam mores aut virtutẽ peruidere possent, sed secundum herilem fidem credens quod domini sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionis spẽ. (Igitur inquit, puella cui ego dixero, da mihi aquam de hydria tua vt bibam, & cætera.) Credidit enim homo, quod explorata, & hoc iudicio depræhensa frugalitas domini sui moribus conueniens, digna foret cui inaures aureas, armillasque appenderet, quod & fecit protinus, adorans & benedicens deũ atque dicens: (Benedictus dominus deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedã, donec loquar sermones meos. Respõdit ei: Loque-re. At ille: Seruus, inquit, Abrahã sum; &c.) Bene ergo & veraciter sapientia dicit: Sicut frigus niuis in die messis, sic legatus fidelis qui misit illum animã eius refrigerabit. Quo enim potuit modo, legatus fidelis melius eniti ad refrigerium animæ eius qui illũ misit? Supplicem præmisit orationem; ad deũ domini sui, muneribus beneuolentiam puellæ ampliùs animare studuit, opportunitatem dicendi egregiè sustinuit & cum gratus esset hospitibus, siluit adhuc, donec in conspectu suo panis poneretur & tunc demum inter maxima fœdera hospitij, id est, in præsentia panis appositi, sermonem ingressus est, à veris incipies laudibus Dei, & Abraham domini sui. Iam quoniam hæ pennæ columbæ deargentatę satis perspicuæ sunt, id est, plana superfi-

Ioan. 6.

Prou. 25.

Genes. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

superficies literæ, iam intimam (vt supra cœptum est) pulchritudinem rimando prosequamur allegoriæ.

De eadem re ad sensum mysticum.

CAPVT XLII.

Eccl. 24. CVm, inquit, camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteũ. Sic proculdubio, seruus prudens, id est, prædicator Euangelicus, verbi gratia: Paulus Apostolus iuxta puteum accubuit, & ibi puellam decoram nimis conuenit, id est, sanctæ scripturæ spiritualibus oculis intendit, & ad Christi gloriam quã illi ascriberet sanam doctrinam, & pulchrum sermonem adinuenit: Vnde benè compta soror, & amica sapientia rectè dicit, respiciens in eum. Et qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Rebecca nãque decora puella, ipsa mysticè est sancta testamenti Dei scriptura, quæ & per Saram, Galat. 4. teste Apostolo significabatur supra, hac sola distantia, quod per illam implenda, per istam figuratur iam impleta. Vnde notanda literæ diligentia, quòd cùm dictum fuisset, virgo pulcherrima, additum est, Et incognita viro. Incognita viro, id est, absconditа, ꝙ in Hebræo dicitur Aalma. Quod quidem in Esaia habetur: nam in eo loco vbi in nostris codicibus scriptum est: Eccè virgo concipiet & pariet. In Hebræo legitur: Eccè Aalma concipiet, & pariet. Ergo Aalma, quod interpretatur absconditа, id est, virgo nimia diligentia custodita, maioris videtur laudis esse, Esa. 7. quã virgo. Virgo quippe iuxta Apostolum 1. Cor. 7. potest esse corpore & non spiritu. Absconditа verò quæ virgo est, epitheton virginitatis Iob. 28. habet. Etymologiam absconditæ sapientiæ habet. Siquidem in lib. Iob scriptum est: Vnde ergo sapientia inuenitur? Et quis est locus intelligentiæ? Absconditа est ab oculis omnium viuentium. Sed & ipsa nomina benè rei congruunt. (Rebecca, inquit, filia fuit Bathuel, filij Melchæ, quẽ peperit ex Nachor.) Rebecca interpretatur patiẽtia, Bathuel virgo Dei. Melcha regina, Nachor requies luminis. Etenim sacræ scripturæ doctrina patien- Rom. 15. tia est: Quæcunque, inquit Apostolus, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationẽ scripturarum spem habeamus. Et est filia Bathuel, id est, virginis Dei: nam ab illis nata vel condi- Galat. 4. ta est, quorũ virgineas animas, vt sermo bonus inde nasceretur, Deus sibi copulauit. Melcha, id est, regina, hunc Bathuel peperit: regina, inquã, libera scilicet illa quæ sursum est Hierusalem, quæ reuera omnium ad hũc Isaac pertinentium mater est. Peperit autem ex Nachor, id est, ex requie luminis, in quo Hierusalem regina illa requiescit. Seruus qui non sibi, sed Domino suo quæsiuit & inuenit illam, ipsi sunt qui veraciter dicunt: 2. Cor. 4. Non prædicamus nosmetipsos, sed Dominũ 2. Cor. 21. Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Iesum. Item non enim sumus, sicut pluri mi adulterantes verbum Dei. Et his similia. Ergo regias inaures & armillas puellæ donũ seruus appendit: quoties veritati diuinæ scri- 1. Cor. 4. pturæ quilibet minister Christi, & dispensator ministeriorum Dei testimonia necessaria suppeditat incarnati, & pro omni mundo immolati veri Isaac, id est, filij dei. (Inaures, inquit, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorũ decem.) Quia Matth. 22 in duobus præceptis vniuersa lex pendet, & prophetæ, benè inaures duorum: quia verò in decem præceptis operari conuenit, armillæ pondo decem fuere siclorum: Siclus Hebraicæ dicitur fecel, Latino autem sermone corruptè siclus appellatur, vnciæ pondus habet. Igitur quia multæ sunt filiæ, quarũ fallax gratia & vana est pulchritudo: puella, inquit, cui ego dixero, da mihi aquam de hydria tua vt bibam, & illa dixerit, bibe, & camelis tuis potum tribuam, ipsa est quam præparasti Domine filio domini mei. Nam reuera quæcunque scriptura viuis aquis idonea est ad refocillandam animam, ne quis siti pereat, ipsa est præparata filio Dei, soror & amica, quæ filios illi nascentes, pariente gratia, lacte & vino suauiter atq; fortiter enutriat. nec verò seruus ille fidelis comedere voluit, aut debuit in domo, donec loqueretur sermones suos, & totius domus consensum obtineret: quia videlicet quam diu quis Christo sacræ scripturæ testimonia denegat, cum hoc nulla Euangelico viro communicatio est. Quinetiam puluerem qui adhæsit illi, de ciuitate illorum, qui sunt eiusmodi, extergat Matth. 10. in eos. Prius enim est secundum imperium Lucæ 10. mittentis, vt in quamcunque domum intra- Ibidem. uerint, primũ dicant, Pax huic domui: Et si ibi fuerit filius pacis, cùm requieuerit super illam pax Euangelica, tunc demum in eadẽ, inquit, domo manete, edẽtes & bibentes quę apud illos sunt.

De Laban fratre Rebeccæ, & de muneribus quæ dedit Rebeccæ mysticè.

CAPVT XLIII.

HAbebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem vbi erat fons. Dixitque ad eũ: Ingredere benedicte domini. Cur foris stas? & cætera.) Laban, candidus interpretatur, significatque ipso nomine mundum temporali gloria nitidum. Nunc quidem vbi vidẽs inaures & armillas in manu sororis, procurrit & dicit: Ingredere benedicte domini, cur foris stas: & postmodum vbi loquitur, à Domino egressus est sermo, & non possumus extra placitum eius quicquam aliud tecum CAPVT XXIIII loqui. Mundum in bono significat, videlicet pro parte illorum, quos primo auditu cõfestim Euangelica delectauit gratia, quique germano affectu vidẽtes & intelligentes, ex ornatu, id est, dulcedine & dilucidatione scripturarum, completam esse veritatem Dei, & confirmatas esse promissiones patrum, baptizari

ptizari & remissione peccatorum candidari properauerunt. Cæterùm vbi Iacob benè seruientis mercedem decem vicibus cõmutauit, & fugientem quidem persecutus, sed tandem illi fœderatus est: mundũ pro parte Gen. 31. illorum significat, qui primo bonis credẽtium operibus aduersati quidem sunt, sed tandem illis satisfieri potuit, & victi ratione, resipuerunt. Itaque reuelata gratia Euangelij, candidi, qui per Laban intelliguntur, emicuerunt. Si dormiatis, inquit Psalmista, inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Psal. 67. Columbam iiiic appellauit ipsam scripturã, quã hic intelligimus p puellam: per pennas deargentatas, pulchra & extrinsecus quoque in litera lucida, significans sacra eloquia: per pallorem auri, illa quæ intrinsecus sunt preciosissima Christi & Ecclesiæ mysteria. Statimq; & illos designãs qui hic intelliguntur p Laban, id est, cãdidatos, siue albatos dũ discernit, inquit, reges super eã, id est, dũ Apostolos, prophetas, & doctores siue pastores, ponit ad dispensandam sacram scripturam, niue dealbantur in Selmon, quod interpretatur vmbra offendiculi, vel imago fortitudinis, significatque Christum, qui non credẽtibus lapis offensionis, credentibus autem imago est fortissimi, scilicet, Dei patris. Eas quoque laudes, quas hic ille seruus, coram 1. Pet. 2. depromit Domino vel filio domini sui, dicens: Seruus Abraham sum, & dominus benedixit domino meo valdè, magnificatusq; est, & peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. Ibidem propheta secundum illum Dei patris filium subnectit. Mons, inquit, dei mõs pinguis, mons coagulatus, mõs pinguis. Vt quid suspicamini mõtes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitauit in finem, & cætera. Et sicut hic seruus adorat pronus, benedicens Deum, prolatisque vasis argẽteis & aureis ac vestibus, dedit eas Rebeccæ pro munere, fratrib. quoque eius & matri dona obtulit, dixitque dimitte me, vt vadam ad dominum meum, nolite me retinere, quia dominus direxit viam meam: Sic & in eodem Psalmo reges, Psal. 67. quos discernit cælestis, super eandem colũbam dona illius decantando promit, dicentes: Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatẽ, accepisti dona in hominibus. Et continuò gratulantes dicunt: Benedictus Dominus die quotidie, prosperũ iter faciet nobis deus salutarium nostrorum.

Prompta ad inquirentes responsio puellæ dicentis, vadam, quid significet. Et de meditatione Isaac egresso in agrum.

CAPVT XLIIII.

VOcemus puellam & quæramus ipsius voluntatem. Cumque venissent vocata, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ respondit: Vadam.) Iam ante respondebant Laban, & Bathuel, dicẽtes: A domino egressus est sermo, & non possumus extra placitũ eius quicquã aliud loqui tecũ. Quid ergo est, quod nunc hæsitantes frater & mater dicũt, vocemus puellam? Hoc profectò iudicij vel experimenti Apostolici signum est. Primitiuæ nanque ecclesiæ, quæ ex Iudæis fuit sub Apostolis, typum tenet hæc domus Rebec- Actor. 11. cæ. Murmurauerunt autẽ quidam dicentes Petro Apostolo: Quare introisti ad viros præputium habentes? Et dicebant: Quia nisi circuncidamini secundum legem Moysi nõ potestis salui fieri. Tunc profectò id agere volebant, vt non Rebecca ad Isaac proficisceretur, sed Isaac propter Rebeccam reueteretur, quod pater Abraham abhorruerat, dicens: Caue ne filium meum reducas illuc. Amos 9. Vocata ergo puella cùm interrogaretur, vis ire cum homine isto? citò ac breuiter respondit, vadam. Consulta nanque sacra scriptura, vtrum gratiam Dei vellet cum Christo ad gentes dirigi, cito (vt in Actibus Apostolorum legimus) respondit verba hæc: Post hæc reuertar, & ædificabo tabernaculũ Dauid quod cecidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominũ dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. (Igitur Rebecca & puellæ eius ascensis camelis secutæ sunt virum.) Quod Psal. 47. hic cũ Rebecca puella, hoc in Psalmo prædicto cum columba argentea & aurea iuuẽculæ tympanistriæ: Et quod hic seruus, hoc ibi præcipuè Beniamin adolescentulus: Ibi, inquit, Beniamin adolescentulus, in mentis excessu, id est, Paulus Apostolus de tribu Beniamin vsque ad tertium cælum raptus. Istæ, inquã, puellæ illæ sunt iuuenculæ tympanistriæ comitantes Rebeccam, & aureã feruentibus studijs honorantes columbam tympanizando, id est, testimonia Christi dulciter personando, & tympanistrio concentu clamando aduersus feras & tauros, id est, hæreses & hæresiarchas superbos. Increpa feras harundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati sunt argento. Ita scripturarum decor virgineus, vt Christo filios pariat, ad gentes, processurus: iam enim Christus præcesserat illuc. Hoc nanque per illud innuitur, quod dictum est: (Habitabat enim Isaac in terra Australi, & egressus fuerat ad meditandum in agro.) Secundũ literam terra Austri Ge- Thren. 7. raram significat, vnde à patre quondam ad immolandum abductus fuerat. Studiumque boni viri prædicatur, meditantis in testamẽto Dei Abraham patris sui, & ob hoc solitudinem amantis. Qualem scriptura commendat, cùm dicit: Bonum erit homini, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & leuabit se super se. Mysticè autem illud significat, quia Dominus Iesus solus orans me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

orans meditabatur secundum voluntatem patris de ceremonijs Iudæorum egredi,& in deserta gentium agrestiũ proficisci. Et hoc in terra Australi,id est,in dispositione spiritus sancti,inclinata iam die,id est,nouissimo seculi tempore(Eo tempore,inquit ambulabat ad puteum, cuius nomen est videntis & viuentis.)Quo videlicet nomine Agar puteum illum(vt superius iam dictum est)appellauit.Mirum atque perpulchrũ est,quod & Rebecca ad puteum inuenta, & ad puteũ nihilominus tendens,inuẽtus est Isaac: qui videlicet quanquam vna sit aqua sapientiæ & scientiæ dei:alius tamen legis, & alius est puteus Euangelij, quo sanctus & viuificans scripturæ spiritus Christo vocante contendit.

De casto pudore Rebeccæ,quæ conspecto Isaac pallio operuit se. Et quid mystice significet, quòd introduxit eam Isaac in tabernaculum Saræ.

CAPVT XLV.

CVmque leuasset oculos, vidit camelos venientes procul:Rebecca autem conspecto Isaac,descendit de camelo, & ait ad puerum:Quis est ille homo,qui venit per agrũ in occursum nobis?Dixit ei: Ipse est dominus meus. At illa tollẽs citò pallium, operuit se. Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac.) Nemini dubium est, quod hanc puellam nó caro & sanguis, sed deus ipse viro fideli præparauerit, & secundum spem fidelis Abrahæ,qua dixerat:Dominus deus cæli ipse mittet angelum suum coram te, vt accipias inde vxorem filio meo, sic factum est.Profectò hæc, non præ amore feruidæ adolescentiæ festinans ad amplexus viriles,supra interrogata, vis ire cum homine isto?tam citò respondit, vadam: Nam illas quæ eiusmodi sunt,propheta sic denotat,dicens:Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion,& ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis,& composito gradu incedebant, decaluabit dominus verticem filiarum Sion,& dominus crinem earum nudabit. Hæc autem cõspecto Isaac, descendit de camelo,tollensque cito pallium, operuit se. Nunquid ergo cum diceret: Vadam,concupisci aut concupiscere iuueniliter ardebat, quæ tanta festinatione pulchritudinem suã operiebat viso Isaac?Non vtique, sed superno potius nutu præuenta peregrinari cum fide Abraham & Isaac,& futuram inquirere, quàm præsentem habere ciuitatem malebat. Sic profectò sana omnis doctrina, & Euangelica religio pudicè ambulat, & sub honesto & humili sacramẽtorum velamine Christi amatoris sui,sese obsequio præsentat. Filiæ verò fallacis gratię, & vanæ pulchritudinis.i.cunctæ hæreses,ambulãt extento collo, & nutibus oculorum eunt & plaudunt, & tanquam importunæ meretriculæ videri & appeti ambiũt. Vnde & in alio loco eiusdem prophetæ dicitur tali meretriculæ sub nomine Tyri:Sume cytharam, circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita:Benè cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit.Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac. Verè prudẽs & fidelis seruus,pro magno fidei suæ testimonio narrauit cuncta quę gesserat, ad laudẽ & gloriã dei, qui propter eundẽ Isaac, viã ipsius direxerat,dignę magna recipere præmia libertatis. Hoc nimirũ ad cõmẽdationẽ boni serui satis est, scilicet filio dei gratulabunda confessione assistere & narrare,id est,confiteri quod sedulo eius officio factum est.Nam omnis qui confitetur filiũ, & patrem habet:sicut econtrario omnis qui negat filium, nec patrem habet. (Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ,& accepit vxorem. Et intantum dilexit, vt doloré qui ex morte matris acciderat, temperaret.)Quid magni erat secundum corticem literæ,quod iuuenis intantũ dilexerit adolescentulam coniugem,vt doloré qui ex morte matris acciderat temperaret?Ergo medulla sensus spiritualis carere non debet,quia reuera Christus dominus secundum humanũ affectum doluit super matre sua synagoga: quippe qui & ciuitatem videns fleuit super eam:sed adeptus nouam reginã, de qua sibi noua gens nascitura esset,rectè doloré tẽperauit,& delectabiliter consolatus est.

Esaiæ 3. *Esaiæ 23.* *1. Ioan. 2.* *Luc. 12.*

De cæteris filijs Abrahæ. Et de morte sua, & Ismahelis.

CAPVT XLVI.

ABraham verò aliam duxit vxorem,no mine Cæthuram,quæ peperit ei Iamram,& Iexan,& Madan, & Madian, & Iesboth,& Sue.)Cæthura Hebræo sermone copulata dicitur aut iuncta. Quam ob causam suspicantur Hebræi mutato nomine eandẽ esse Agar, quæ Sara mortua,de concubina transierit in vxorem:Sed cum cõtinuò scriptum sit. (Et dedit Abraham vniuersa quæ habebat Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera,& diuisit eos ab Isaac filio suo cum adhuc viueret.) Liquet Cæthuram non fuisse Agar:filius nanque non concubinarum,sed cõcubinæ scriptura dixisset. Sed quod incertũ est relinquẽtes, hoc certis auctoribus dicimus, quod de Cæthura filij Abraham,iuxta historicos Hebræorum, occupauerint Trogloditen & Arabiam vsque maris rubri terminos. Traditum est autem & ab eis,qui græco sermone barbaras historias texuerunt, vnum ex posteris Abrahæ, qui appellatur Aser, duxisse aduersus Lybiam exercitum,& ibi deuictis hostibus consedisse,eiusque posteros ex nomine attaui Africam nuncupasse.(Et filij Dadan,inquit, fuerunt Assurim & Mathusim,& Ioamin.) Assurim

CAPVT XLV.

Assurim in negotiatores transferri putant: Mathusim æris ferrique metalla cudentes. Ioamin verò filarchas,id est, principes multarum tribuum atque populorum. Alij ab hoc Assurim vocatos esse Syros contendũt: & à plerisque filijs Abrahæ ex Cæthura occupatas Indiæ regiones. (Fuerũt autem dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni, & deficiens mortuus est in senectute bona prouectaque ætatis & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum.) De septuaginta interpretibus in nostris codicibus additum est. Et deficiens mortuus est, quod non conuenit, nec enim viri iusti est deficere & imminui. Illud quoque quod legimus, plenus cum additamẽto dierum, de Græcis codicibus sumptum est. Quod cùm sensum exponere videatur, eò quòd luce & operibus diei plenus occubuerit,tamen magis ad anagogen facit, si simpliciter ponatur plenus. Porrò quod dictum est: Congregatusque est ad populum suum,per similitudinem est intelligendum, quia videlicet quẽadmodum de agris cõgregatur matura messis in horreum: sic de publico vitæ huius,cõgregantur electi temporibus suis, singuli in secreta quiescẽtium. (Hæ sunt generationes Ismahel filij Abrahæ,quem peperit ei Agar Aegyptia famula Saræ, & hæc omnia filiorũ eius in vocabulis & generationibus suis.Primogenitus Ismahelis Nabaioth, deinde Cedar, & Abdehel, & Mabsan: Masma quoq; & Duma,& Masa, Adad,& Thema, & Iachur,& Naphis,& Cedma.) Duodecim filiorũ primogenitus fuit Nabaioth, à quo omnis regio ab Eufrate vsque ad mare rubrũ Nabathema vsque hodie dicitur, quæ pars Abrahæ est.Nam & familiæ eorum oppidaque & pagi,ac minuta castella & tribus,eorũ appellatione celebrantur: ab vnoquoque ex his,Cedar in deserto,& Duma alia regio: & Thema ad austrum,& Cedma ad orientalem plagam dicitur. Quod autem in extremo huius capituli iuxta septuaginta legimus contra faciem omnium fratrum suorum habitabit,verius est illud,quod nos posuimus. (Coram omnibus fratribus suis occubuit.) Id est, in manibus omnium filiorum suorũ mortuus est, superstitibus liberis, & nullo prius morte prærepto. Fratres autem pro filijs appellari,Iacob quoque ad Laban demõstrat,dicens: Quod est peccatũ meum,quia persecutus es post me,& quia scrutatus es omnia vasa mea? Quid inuenisti de vniuersis vasis domus tuæ? Ponatur coram fratribus meis & fratribus tuis, & dijudicẽt inter nos. Nec enim possumus credere, vt scriptura cõmemorat, q̃ Iacob exceptis liberis secum fratres aliquos habuerit. *Gen. 31.*

FINIS LIBRI SEXTI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM

LIBER SEPTIMVS.

De generationibus Isaac, quòd ipsæ aliter sint generationes Isaac, & aliter generationes Christi.

CAPVT I.

HAEc quoque sunt generationes Isaac filij Abraham: Abraham genuit Isaac.)Quas hic Moyses generationes dicit Isaac vsq; ad sua tempora digesturus,ipsas euangelista Matthæus Iesu Christi filij Dei generationes appellans vsque ad ipsum penè cõtinuat. Præmisso nanque frontis titulo,liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahã:protinus à præsenti capitulo sacram genealogiã sic inchoat: Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Porrò aliter huius atque aliter illius generationes sunt. Nam illius videlicet Iesu Christi generationes præcedentes magis secundum fidem, quàm secundũ carnem obseruatæ:& econtra huius, scilicet Isaac generationes magis secundum carnem quàm secundum fidem succedentes digestæ sunt. Vnde & illic ad summum generatio carnis deficit,nec enim dictum est, aut dici debuit: Ioseph autem genuit Iesum, qui vocatur Christus: sed, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Econtra hic generatio fluxæ carnis, dum impetrato Rebeccæ conceptu colliduntur in vtero eius paruuli, de quibus rectè dicat Deus, Iacob dilexi, Esau autem odio habui Igitur quia generationes Isaac quem genuit Abraham, generationes sunt Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, prosequamur eas,& tanquam generationes Iudæorum secundum carnem, qua illi filij Abrahæ sunt: & tanquam generationes gentium secundum fidem, qua idẽ Abraham, per Christum pater est multarũ gentium. *Matth. 1.* *Malach. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eo quòd Isaac quadragenarius duxit vxorem, & in tabernaculum Saræ introduxit.

CAPVT II.

ISaac cùm quadraginta esset annorũ, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuel Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis. Qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in vtero eius paruuli.) Sara nonagenaria peperit Isaac, eademq; vixit CXXVII. annis & mortua est: Isaac verò cùm quadraginta esset annorum vxorem duxit Rebeccam. Ergo tribus annis ante nuptias Rebeccæ, Sara defuncta est. Sic proculdubio ante passionem Christi, qua prædicationis Euangelicæ gratiam ille copulauit, tribus annis à diebus vel baptismo Ioannis, mortua est lex & prophetia, non sibi, sed Iudæis, testante ipso cùm dicit: Lex & prophetæ vsque ad Ioãnem prophetauerunt. Nam ex quo præsentem, & testimonio Ioannis declaratum Christum filium Dei viui blasphemare cœperunt, reliquit omnis sanctitas, omnisque vita iniquos cœtus eorum, eò quòd essent concilium vanitatis, & ecclesia malignantium, præter paucos, qui fidem retinentes Abrahæ, tabernaculũ Saræ esse meruerunt. De qualibus in Psalmo dicitur: In circuitu eius tabernaculũ eius. In hoc tabernaculum introduxit Isaac Rebeccam, & accepit vxorem, id est, apertis illorum sensibus immisit Christus spiritualem scripturarum intellectum, & nouam sibi instituit ecclesiam. Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis. Qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli. (Quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit cõcipere?)

Matth. 13.

Psal. 17.

Cur sterilem Dominus filio Abrahæ præparauerit.

CAPVT III.

QVia Dei donum erat, & non ex hominibus, vt in semine Abrahæ omnes gentes benedicerentur: decebat sic ad dandum extendi manum Dei, vt ad agnoscendum non dormitaret ingratitudo hominis. Quid autem in re huiusmodi melius erudiret fidẽ, vel obstrueret os omnium, quàm vel sterilitas fœminarũ? Benè igitur præparauit quidem Rebeccam prouidentia Dei, nec falsus est seruus Abrahæ, dicendo: ipsa est quã præparasti Domine filio domini mei: veruntamentalẽ præparauit, in qua non posset omnis caro, sed sola fides coram Deo gloriari: Sterilem nanque vterum prouidit: nam ne putes casũ id actum, considerandum adhuc, quòd non solus Isaac, nec solus Abraham, sed tres ordine continuò principes populorum, & colũnæ patrũ Abraham, Isaac, & Iacob steriles coniuges sortiti sunt. Abraham Sarã, Isaac Rebeccam, Iacob Rachelem pro qua seruiuit, quam & penè solam vocat vxorem suam. Vnde quia fœtus illarum, scilicet Isaac, Iacob, & Ioseph, nõ filij carnis, sed filij sũt promissiõis, rectè in illis eius seminis Abrahæ, quod est Christus, in quo tota promissionis summa consistit, figura maximè præfulgere comprobatur, quia videlicet in typum illius, & Isaac immolatus est, & Iacob seruiuit, & Ioseph venditus, atque appellatus post carcerem saluator mundi, liberauit Aegyptum à periculo famis. Deprecantem igitur Isaac pro vxore sua exaudiuit dominus, quia videlicet sic ipse prouiderat, & sic præparauerat, vt fides oratione adiuuaretur, & prædestinatio seminis deprecatione sterilitatis adimpleretur. Hoc dicto, scriptura confestim ex aduerso subiungit. Sed collidebantur in vtero eius paruuli. Quod est dicere: Cõceptus quidem materia erat gaudij, sed gaudium cõceptionis cõturbabat dolor materni vteri. Collidebãtur autem paruuli non in contentione, vel scientia certandi, siue affectatione vincẽdi: sed eodem Dei nutu permoti, quo nõ solũ irrationabilia pecora, verùm etiã inanimata elementa præsagio futurorũ permoueri solẽt, aut permutari, qualia iã sæpe facta & adhuc maiora futura sunt, testante domino cũ dicit: Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ cõfusione maris & fluctuũ. Sed iuxta mysticũ sensum in vtero matris collidebantur paruuli: q; in Act. Apost. factum est: Gentiles nanq; admissos, Iudæi propellere contendebant, saluti eorum inuidentes.

CAPVT XXV.

Quomodo collidebantur paruuli in vtero matris.

Luc. 21.

Act. 11.

De eo quod dictũ est: Duæ gentes in vtero tuo, & catera, & quid spiritualiter significent.

CAPVT IIII.

PErrexitq; vt consuleret dominũ. Qui respondens ait: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex vẽtre tuo diuidẽtur, populusq; populũ superabit, & maior minori seruiet.) Locum hunc timendum esse homini, & cum reuerentia tractandum, Apostolus clamat, cùm dicit: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmẽtum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadẽ massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Dixerat enim cùm nondum nati fuerunt, aut aliquid egerunt boni aut mali, vt secundum electionem Dei propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid autem tractabat cùm hæc diceret Apostolus? Diuisionem vtique & collisionem filiorum carnis, & filiorum promissionis, scilicet, quòd nõ omnes, qui ex Israel hi sunt Israelitæ: neq; quia semen sunt Abrahæ, omnes filij. Vnde testimonium scripturæ subnectens: sed in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Rom. 9.

Igitur

Igitur cum hac auctoritate Apostoli, in ista paruulorum collisione, illam intelligimus præfiguratam esse collisionem filiorum carnis, & filiorum promissionis, quæ protinus innotuit vbi verus Isaac, scilicet dominus Iesus Christus, matrem omnium nostrũm, sanctam scripturam, secundum quam deo renascimur, in coniugium suum, id est, Euangelicæ prædicationis vsum assumpsit. Tunc Aalma, id est, abscondita virgo, illa pulcherrima quæ sterilis fuerat, scilicet sapientia, siue legis prophetarumque doctrina, quæ nihil ad perfectum adduxerat, quamdiu virum Christum non habuerat, geminos concepit, id est, amota occidente litera, per spiritum viuificantem omnem animam hominis ambiuit, Iudæi primùm & Græci. Geminos, inquam, concepit, id est, Iudæos pariter & Gentiles, nihil inter hos & illos discernens, ad vitam vocauit. Hæc est Rebecca illa, quod interpretatur patientia. Nam de hoc Euangelicæ gratiæ vtero, & Apostolus dicit: Quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. De his verissimè dictum est: Populus populum superabit, & maior seruiet minori. Populus nanque qui de gentibus venit, Iudaico populo secundũ vocationis ordinẽ rectè minor dicitur, qui hospes testamẽto rum erat & promissionis, & sine deo in hoc mundo. Nam ille maior est, cuius (vt idem Apostolus ait) adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legis latio, & obsequium & promissa, cuius patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula. Quomodo autem minor maiorem superauerit, & supplantauerit, & maior seruierit minori, & iuxta historiam notum est, quia percussit Dauid Edom, & tributarium fecit. Et iuxta spiritualem sensum pulchrè Apostolus in eadem epistola per similitudinem ostendit oliuæ, & oleastri. Fracti sunt, inquit, naturales rami, & tu, cum esses oleaster, contra naturam insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide sta. Ergo maiorem incredulitate fractum, & minor in fide stãs superauit, & maior seruit minori, dum oleastro naturalis oliuæ ramus in societatẽ cedit radicis oliuæ & pinguedinis.

Roma. 2.

Ephe. 2.
Roma. 9.

1. Reg. 8.
1. Paral 18.
Rom. 11.

De geminorum ortu: quidq; significet, quod iunior prioris tenuerit plantam.

CAPVT V.

IAm tempus pariendi venerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prius egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatumque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob.) Quia rufus erat idcirco vocatum est nomen eius Esau, quod interpretatur rubeus. Nam quia totus erat in morem pellis hispidus, idcirco vocat9 est Seir, id est pilosus, Vtriusq; schema vel habitus prodidit, quis & in vtero princeps fuisse duelli, & post vterum intentator futurus esset inimicitiarum vel odij, quisue & in vtero superasset, & post vterum victoriæ palmam iustè repetiturus esset. Nam sicut ille rufus, & hispidus, prior egressus est: sic & in vtero prior cũ fratre collisus est, & post vterum fratri quieto mortẽ machinaturus erat, & sicut iste lenis erat ab vtero protinus sequẽs plantam fratris erat cum lenitate & modestia, nulla vi siue iniustitia, sicut subsequenter ipsa declarabit scriptura. Porrò iuxta allegoriam, tempus pariendi, tempus est auditu verbi conceptam fidem profitendi. Vnde & Apostolus: qui iam eo vsque Galatas parturierat vt benè crederent & benè currerent, qui subuersi à pseudoapostolis, & fascinati fuerant non creeere veritati, ita vt rectè diceretur, ante illorum oculos Iesus Christus proscriptus, in eis crucifixus, materno dolore affectus, dicebat: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Tunc ille qui prior egressus est, id est qui de priora tu contendebat, & cui primum dei verbum loqui oportebat, rufus egressus est, & hispidus, id est, sanguine Christi pollutus, & intractabilis asperis moribus. Et hic talis non benè egressus est, sed malè, iuxta quod in psalmo scriptum, & de hæreticis quoque intelligendum est. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt, ab vtero locuti sunt falsa, &c. Sequẽs verò gentium populus egressus quidem est, de crudelitate cordis ad confessionem oris: corde enim credit ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem, sed de matris affectibus egressus non est, quemadmodum nec ille lenis & simplex. Rebecca nanque diligebat Iacob.

Psal. 57.

Roma. 10.

Quòd Isaac Esau, Rebecca verò Iacob dilexerit, quæque illa primogenita vendiderit.

CAPVT VI.

SExagenarius erat Isaac quando nati sunt ei paruuli. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, Iacob autẽ simplex habitabat in tabernaculis.) Quia iunior prioris plantam tenuerat, iam victor in oculis dei, qui occultæ pugnæ solus spectator & iudex fuerat, protinus narrandum fuit, qualiter illum supplantauerit, vt notũ sit nõ illum qui supplantauit victorem iniustè, sed eum qui sic supplantari potuit, victũ iudicari iustè in cõspectu eius, qui dixit: populus populũ superabit, & maior seruiet minori. Factus est, inquit, Esau vir gnarus venãdi, & homo agricola: Iacob autẽ simplex habitabat in tabernaculis. Ecce iã in studijs horũ tãta diuersitas quãta Cain & Abel studia fuere dissimilia. Nam & Iacob æquè vt Abel simplex, & (vt sequẽtia declarabũt) pastor fuit ouiũ, Esau autẽ, sicut Cain, homo Agricola, & quod sequentia docebũt, inuidẽdo fratri, licet nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu, voluntate tamen fuit fratricida. Dixit enim: Veniét dies luctus patris mei, vt occidam Iacob fratrẽ meum. Ergo ne talẽ filium pater sanctus amare debuerat, aut obliuiſci vel paruipendere poterat, quod illi fratrem minorem cæleſte iudiciũ prætulerat? Sed notandũ quia differt vtriuſq; dilectionis enunciatio. Abſolutè nanque ſcriptura dicit: (Rebecca diligebat Iacob.) Cõiũctè verò. (Iſaac, inquit, amabat Eſau.) ſubnectit enim cauſam (eò quòd de venationibus eius veſcerẽtur.) Ergo idem eſt ac ſi hoc ſolũ diceretur, Iſaac de venationibus Eſau libenter veſcebatur. Nec hoc dicto conſequitur quòd moribus quoque eius delectaretur: ſicut de Iacob neceſſariò conceditur, quem abſolutè Rebecca dilexiſſe dicitur: (Coxit aũt Iacob pulmentum. Ad quem cũ veniſſet Eſau de agro laſſus ait: Da mihi de coctione hac ruſa, quia oppidò laſſus ſum. Quã ob cauſam vocatũ eſt nomen eius Edom. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille reſpõdit: En morior) quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit Eſau, & vendidit primogenita, & ſic accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit, & abijt paruipendens, quod primogenita vẽdidiſſet.) Ergo iuſtè Iacob ſupplantatori omne conſilium cæli & terræ palmam victoriæ concedit. Nec enim fratrem ſuum fraude circumuenit, ſimplex ñanque erat, ſed cum ſimplicitate colũbæ prudentiam habens ſerpentis, quale habuit precium ſapienter poſcenti guloſo appoſuit, & quod habebat ille, manifeſto nomine, ſine dolo, ſine vi, quæ iuſta & legitima vẽditio eſt, viciſsim flagitauit. Aiũt Hebrei à Sem primogenito Noe, quẽ & Melchiſedech fuiſſe affirmãt, omnes primogenitos ſacerdotes extitiſſe, & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau Iocob vendidit. Nunc ſenſũ allegoricum proſequamur.

Quid ſpiritualiter iſta ſignificent.

CAPVT VII.

Hebr. 12. EN morior, inquit, quid mihi proderunt primogenita? In epiſt. ad Hebr. vbi dictum eſt: Cõtemplantes ne quis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſus germinans impediat, & per illã inquinẽtur multi: ne quis fornicator, aut ꝓfanus, cõtinuò ſubiungitur, vt Eſau qui propter vnã eſcã vendidit primogenita ſua. Scitote enim quoniã & poſtea cupiẽs hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: nõ enim inuenit pœnitentiæ locũ, quanq̃ cũ lachrymis inquiſiſſet eã. Ergo Iudæus qui deeſt gratiæ dei, in quo eſt radix amaritudinis ipſe eſt Edõ ille, q̃ propter vnã eſcã primogenita ſua vẽdidit. Sed quænã illa rufa coctio fuit, q̃ hic talis Edõ tanta auiditate petiuit, tanto diſpendio comedit? Aut quãdo hic Iacob. i. ſupplãtator, ſcilicet, gẽtilis populus tale pulmentũ coxit? O mirũ & magnũ ſpectaculũ huiuſce edulij huius rufæ coctiõis. Etenim ſanguinia mors Chriſti, rufa coctio fuit Iudæis. Vnde & ꝓphetiçè dictum eſt: Saturati ſunt filijs, & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Nã contendẽtes ſatiari de pœnis innocẽtis, clamauerũt Pilato dicẽtes: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Hoc, inquã clamauerũt cõtra illud ꝙ prophetauit gentilis, lauãs manus ſuas, & dicẽs: mundus ego ſum à ſanguine huius iuſti, vos videritis, neſciẽs quid loqueretur aut quid ageret, ſicut nec Cayphas, quãdo ꝓphetauit & dixit, ꝙ expediret vnũ hominẽ mori pro populo. Man' quippe gentiliũ, illã dominicæ mortis coctionẽ rufam coxerunt, inſiſtente hoc Edom vt ſaturaretur (ſicut iam dictũ eſt) & demitteret reliquias ſuas paruulis ſuis, munditias autem manũ populo gentiliũ cõceſſit, quæ vera primogenita ſunt. Ex tunc enim Romano imperio, cuius ille miniſter, & vox fuit, quando dixit: mundus ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis: Romano, inq̃, imperio primogenita ceſſerũt. i. principatus ſacerdotij tali cõmercio trãſiuit illuc, trãſlatus ab Edõ i. à ſanguineis Iudæis. Benè igitur Apoſt. inquit: Sicut Eſau qui ꝓpter vnã eſcam primogenita ſua vendidit, ad dens & illud: Et nõ inuenit locũ pœnitẽtiæ, quãuis cũ lachrymis requiſiſſet eã. Nõ enim valẽt illæ lachrymæ, quæ pro tẽporali gloria donũ cæleſte ambiũt, ſicut lachrymæ Eſau: imò ſicut lachrymę Iudæorũ, quãdo pro ruina tẽpli vel ciuitatis eiulauerunt, pro peccatis aũt non plorauerunt. Ergo ne, inquis, ille Iſaac. i. riſus, in quo quando videbimus, tũc verè beati erimus, talẽ amabat Eſau, & de venationib. eius veſcebatur: & illa Rebecca, ſanctus & viuificãs ſcripturarũ ſpiritus talẽ Iacob diligebat, q agni dei carnes in ara crucis coxerat? Ita planè, nec lõga probatione opus eſt. Nẽpe & Chriſtus Dñs adeò ſecundũ humanũ affectum venatorẽ illum dilexit, vt locũ quoq; venationis eius. i. ciuitatẽ vel tẽplum, vnde tot victimarũ venationes acceperat, ruiturũ prædicẽs veras lachrymas fuderit. Et ſanctæ ſcripturæ ſpiritus, ita gentilem populũ diligebat, vt quodãmodo feſtinans ad illũ diceret: Eccè ego, eccè ego ad gẽtem, quæ nõ inuocabat nomen meũ. & multa his ſimilia. Sed & ſingulariter quenq; noſtrũ tanto hæc Rebecca plus diligit, quanto ſimplicior quiſq; habitat in tabernaculis. Nã ecõtra, quãto plus quiſq; habet de Eſau, tãto minus à Rebecca diligitur. i. quãto amplius foras euagatur, tanto minus ſacræ ſcripturæ lactatur vberib. intusq; repoſito pane cibatur. Quod ſi etiã citius patris Iſaac, venator ſit. i. Chriſtum prædicare conſueuerit: ſi per hoc quæ ſua ſunt quærit: non quæ ſunt Ieſu Chriſti, primogenita ſua vendit & Eſau ſimilis ſit. Quietum verò & ſimplicem (vt dictũ eſt) Rebecca diligit, valdè enim quieti cordis eſt, ſacræ ſcripturæ ex animo conciliari. Vnde & illud: Sapientiam ſcribe in tempore ocij: & qui minoratur actu, percipiet eam.

Luce 19.

Eſa. 65.

Eccl. 38.

Quid

Quid ſignificet, quòd orta fame abijt Iſaac ad Abimelech regem Palæſtinorum.

CAPVT VIII.

CAPVT XXVI. ORta autem fame ſuper terram, poſt eã ſterilitatẽ, quæ accidit in diebus Abrahæ, abijt Iſaac ad Abimelech regem Palæſtinorũ in Gerara, apparuitq; ei dominus, & ait. Ne deſcẽdas in Aegyptum, ſed quieſce in terra quam dixero tibi, &c.) Ordo prępoſterus, nec enim habitanti in Gerara, quæ Metropolis erat Palęſtinorum apparens deus diceret: Semini tuo dabo omnes regiones has. Ergo præpoſterè prius dictum eſt, quia abijt ad Abimelech regem Palæſtinorum in Gerara. Et deindè quod apparente & iubente ſibi domino deo potius illuc, quàm aliàs diuerteret. Et hoc non fruſtra præpoſteratum eſſe poſtmodum liquebit. Iam quia patet lectionis ſuperficies, myſteriorum ſeries con-

Fames bona. tinuanda eſt. Orta, inquit, fame poſt eam ſterilitatem, quæ acciderat in diebus Abrahæ,

Pſal. 58. abijt Iſaac ad Abimelech regẽ Palęſtinorũ in Gerara. Poſtquam modo ſupradicto, Edom ille, id eſt, Iudaicus populus primogenita ſua vendidit, orta eſt fames Iſaac & domui eius id eſt, Chriſto & apoſtolis eius, illa videlicet

Pſal. 79. fames, de qua propheta in pſalmo loquitur: Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem: Ipſi verò diſpergentur ad manducandum. Non enim inueniebant canes, egregij ſcilicet apoſtoli, de quibus & alibi idem Prophe ta dicit: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo, non, inquam, inueniebant copiam eſcarum apud inimicos Chriſti Iudæos, ex quibus & ipſi ſecundum carnem erant, paucos quippe ex illis manducare, id eſt, conuer

Actо. 10. tere, & ſibimet incorporare poterant. Vndè Petro eſurienti, quia de Iudaiſmo parũ comederat, oſtenſum atque præceptum eſt, vt gẽtes apprehenderet & manducaret. Vidit nanque vas quoddam velut linteum quatuor initijs ſummitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ,

Actо. 13. & volatilia cæli, dictumque eſt ad eum: Surge Petre, macta & manduca. Item quæ deus purificauit, tu ne commune dixeris. Extunc qui hactenus famẽ patiebantur, diſperſi ſunt ad manducandum, & murmurãtes eò quòd ſaturati non fuiſſent, & dicentes: Vobis quidem primùm loqui verbum dei oportebat, ſed quoniã repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Abijt igitur Iſaac in Gerara, ſcilicet Chriſtus ad regem Abimelech, & cætera. Abijt, inquã, in iſtis equis ſuis ſuper quos aſcẽderat, id eſt, prædicatoribus ſuis, quos mittebat, de quibus & alibi ſcriptum eſt: Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ

Abac. 3. ſaluatio. Et peregrinari cœpit in Gerara, id eſt, in gentibus, quas antè neſciebat. Gerara nanq; Metropolis erat Palęſtinorũ, quod interpretatur ruentium, ſignificatque Romã vel Romanum imperium, quondam caput pereũtium. Abimelech pater meus rex, vel patris mei regnum, bene multitudinem ſignificat gentium, non quod pridem ſic eſſent, ſed quia extunc ſic factum eſt, vt eas rectè tali nomine Chriſtus appellaret.

Quòd timuerit Iſaac confiteri, Rebeccam ſibi ſociatam eſſe coniugio.

CAPVT IX.

APparuitq; ei dominus, & ait: Ne deſcẽdas in Aegyptum, ſed quieſce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi, &cætera. Secundum hunc ſenſum myſticum ordo literæ (vt antè iam diximus) prępoſteratus eſt: Etenim poſtquam ad gentes conuerſi ſunt Chriſti apoſtoli, non quo volebant ipſi, proficiſcebantur, ſed quo vocabat eos ſpiritus ſanctus. Verbi gratia: In actibus Apoſtolorũ ſcriptũ eſt: Quia vetiti ſunt à ſpiritu ſancto, loqui verbum in Aſia: Tentabant ire Bi- *Act. 16.* thiniam, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu. Cum autem deſcendiſſent Troadem, viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. Et profecti ſunt in Macedoniã, certi facti quia vocaſſet eos Deus euangelizare eis. Igitur in Aegyptum deſcendere vetitus Iſaac, habitauit in Gerara. (Sed interrogatus à viris loci illius ſuper vxore ſua, dixit ſoror mea eſt. Timuerat enim profiteri, quod ſibi eſſet ſociata coniugio, reputans ne interficerent eum propter pulchritudinem illius.) Sic plane perſecutione vrgente fideles timebant, palàm Euangelicam celebrare gratiam, & in latibulis ſe continentes, agebant tamen vt *Hebr. 11.* poterant religionem Chriſtianam, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. Sed & illuc vſque perſcrutatus eſt illos, qui eis dignus non erat mundus. Sequitur ergo: (Cumque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur, proſpiciens Abimelech rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocãtem cum Rebecca vxore ſua. Et accerſito eo, ait: Perſpicuũ eſt, quod vxor

1. Cor. 1. tua ſit. Baptizãtes nanq; clàm in criptis & cemeterijs martyrũ, & cætera celebrãtes vt poterãt fidei ſacramẽta, quæ pro ioco erant ſapientib. mundi, quorũ ſapientiã deus ſtultã fecit, perſçpe depræhẽderũt & ad publicum auditoriũ protraxerũt. Tandẽ & ipſi terreni principes iugũ Chriſti ſuſceperũt, & eius quã prius impugnabãt euãgelicæ fidei, vel Chriſtianę religiõis defenſores eſſe cœperũt. Vndè & protinꝰ ſubditur: (Præcepitq; populo, dicẽs: Qui tetigerit hominis huius vxorẽ, morte morietur.) Nẽpe & primꝰ Conſtãtinꝰ lege edixit, qđ pateret, quiſquis Chriſtiano eſſet moleſtus, & deinceps tam gladijs regum, quàm verbo ſacerdotum Chriſtiana religio defenſatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eo quod dictum est: Senit autẽ Isaac, & catera. quod inuidentes Palæstini puteos eius obstruxerunt.

CAPVT X.

SEuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in anno isto centuplum. Benedixitq; ei dominus, & locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. Habuit quoq; possessionem ouium & armẽtorum, & familię plurimum.) Serere pacati & quieti temporis est. Vix enim aut nunquam tempore belli terra bene exculta seritur, ita præsertim vt semen in messe centuplicetur. Igitur per sationem Isaac, cuius centupla inuentione locupletatus est homo, proficiens atque succrescens, & magnus vehemẽter effectus est: illa rectè intelligitur magnificentia nominis Christi, qua in pace ecclesiæ, dilatatum & multiplicatum est semine verbi dei, cum sacerdotali auctoritate concurrente potestate imperiali, scilicet vt liceret operarijs Euãgelij exire ad seminandum, & non liceret aduersarijs Christi latissimum totius orbis erroribus suis vendicare agrum. (Ob hæc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo intantùm, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nostri factus es valde.) Postquam magnificentia nominis Christi, Romanum quoque cœpit imperium, & idola contempta sunt inuidia sub orta est hæreticorum, per quos diabolus, quia non poterat vi persecutionis extirpare Euangelium, veritatem corrumpere conatus est scripturarum. Benè ergo postquam magnus factus est vehemẽter nimis, ob hoc inquit, inuidentes Palæstini siue Philistijm, quod interpretatur potione cadentes, omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt implentes humo: Nam putei, quos foderant serui patris Christi dei, omnes scripturæ sanctæ sunt, quas condiderunt Moyses & Prophetæ, atque Apostoli omnes serui Dei. Hos puteos, id est, has scripturas, quantum in ipsis fuit, hæretici illo tempore obturauerunt, vt non facilè inueniri posset vbinam esset doctrina veritatis, intantum vt diceret ipse Abimelech: Recede à nobis, quoniam potentior nostri factus es valde. Intãtum nanque aucta est inuida hæreticorum vis, vt regum quoque & imperatorum corda obtineret, eorumque gladijs vtẽs, penè atrociùs quàm gentilium error in Christianos desæuiret. Porrò quod dicit Abimelech, quia potẽtior nostri factus es valde, iuxta hunc eundem sensum constans est: Etenim terreno imperio potentius factum est in gentibus cæleste imperium intantùm, vt feros principes & barbaras nationes, quas imperatorum gladius non attingeret, sacerdotum lingua liget, & latius Romanæ ecclesiæ pótifices, quã Romani imperij dominẽtur Cæsares. Quantus enim multis aucta victorijs Roma ius imperij sui terra mariq; protulerit, minus tamen est, quod illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.

Quid significet, quòd pro duobus quidem puteis pastores Geraræ contenderint, de tertio verò non: & qp Abimelech amicię eius cũ Isaac fœdus inierint.

CAPVT XI.

ETille discedens, vt venirent ad torrentem Geraræ, & cætera.) Ab hæreticis discedit Christus: nihil enim cum deo, nihil cum Christo aut cum spiritu sancto illi operantur, sed totum quicquid illorum est, diabolo relinquitur. Ipse autem Christus ad torrentem, id est, ad auctores scripturarum proficiscitur, ad eos qui de cælo imbrem expectant, quem & susципientes in magnum excrescunt torrentẽ. (Rursum, inquit, fodit alios puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, & quos illo mortuo olim obstruxerant Philistijm.) Semper enim quæcunque hæresis exurgat, semper vtiq; & præstò Christus adest, & de suis aliquos præparat, scientia & sermone ornatos munere suo, qui stare valeant aduersus loquaces hæreticos, & mera veritate scripturarum sitientes potare paruulos. (Appellauitque eos eisdẽ nominibus, quibus pater antè appellauerat.) Id est, eadem veritate, eodem spiritu veritatis fecit eos intelligere scripturas, quo auctores illarum, quos pater antè aduentum filij miserat, & quos ipsi filio dederat, scripserunt eas, (Foderuntq; in torrẽte, & repererũt aquam viuam. Sed & ibi iurgiũ fuit pastorũ Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentiũ, nostra est aqua.) Quos foderunt serui patris eius illos replẽtes obturauerunt, quos verò serui illius foderunt, nó quidem obturauerunt, sed pro illis iurgati sunt & contẽderunt. Sic profecto hæretici sacras scripturas quæ maxima ex parte ante aduentum Christi conscriptæ sunt, terrenis sensibus suis obturauerunt: quæ autem ab aduentu, siue à passione vel resurrectione filij, sacramenta viuæ aquæ, id est, charismata spiritus sancti data sunt, non quidem obstruxerunt, sed pro illis contenderũt, dicentes: Nostra est aqua, quod est dicere: Nostra sacramenta vera sunt sacramenta, nos quod damus sanctum est, vitale & viuificum est, apud nos solos ecclesia est. Hoc dicentes mentiuntur pastores, nõ enim in angulo vno terræ vel in parte cuiusquam hæresiarchæ concluſa vel coangustata, sed in omnes gentes diffusa credi debet ecclesia, iuxta quod filio promisit deus pater loquens in propheta: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & possessionẽ tuã terminos terræ. Sunt autem putei tres, quos serui huius Isaac foderunt: Tria nanque sunt sancti spiritus charismata: Baptisma scilicet, & impositio manuum, & renouatio cunctorum in generali

CAPVT XXVI.

Psal. 2.

resurrectione mortuorũ. Iuxta quæ *Sup. lib. 4. cap. 23.* & Dauid in typum Christi & ecclesiæ (sicut iam aliàs diximus) tertio rex vnctus est. Et pro duobus quidem, pastores illi cõtendũt, pro tertio verò nõ contendunt, quia videlicet de baptismo, & de impositione manuum rixantur nunc hæretici, sibiq́ue vendicando contendunt: vbi autem vniuersali regeneratione immutabuntur, rixari non poterunt, contendere non audebunt. (Itaque vocauit nomen eius latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terrã.) Denique inter calumnias & inimicitias dilatatur Christus & ecclesia eius, & super omnem terram crescit magnificentia nominis eius. (Ascendit autem ex illo loco, in Bersabee. Vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, &c.) Futurum hoc est in fine seculi, vt sopitis cunctis iurgijs, tam Iudæorum, quàm hæreticorum, ascendat, & altare suum ædificet Christus, vbi nunc non est, & fodeat puteũ abundantiæ siue saturitatis reliquijs Israel, vt bibant viuam scripturarũ aquam, simulq́ue Abimelech & Ochozath amici illius, & Phicol dux militum, simulq́ue reges & principes, Iudæi pariter & gentiles, cum Christo fœdus inibunt. Ochozath, pro quo in Hebræo habetur collegium amicorum eius, nõ tam hominem significat, quàm amicorum turbam, quæ cũ rege venerat, in quibus fuit & Phicol princeps militiæ eius. (Fecit ergo eis conuiuium. Et post cibum & potum surgentes mane, iurauerunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac in domum suam pacificè.) Cũ fœdus inierint nouissimum faciet illis conuiuium Christus in regno patris eorum, & vnumquenque dimittet in locum suum, id est, retribuet vnicuiq; secũdum opus & meritum proprium, locum vel mansionem cõ *Ioan. 14.* dignam: multæ enim in domo patris sunt. (Eccè autem venerunt in ipso die serui Isaac dicentes. Inuenimus aquam.) Finis omniũ quæ de Isaac sunt, gratulatio est dicentium: Inuenimus aquam. Et rectè. Nam ipso die quo complebuntur omnia quæ de Christo sunt, laus, & gratiarum actio personabit, dicentium: quia per te Christe inuenimus fontem aquæ salientis in vitam æternam. (Vnde & appellauit eum abundantiam, & nomẽ vrbi impositum est Bersabee vsque in præsentem diem:) Hoc loco nomẽ ciuitatis Bersabee interpretatur puteus abundantiæ, siue puteus saturitatis: licet enim suprà ex verbo iuramenti, siue ex septenario ouium numero, quod Sabee dicitur, asseruerimus Bersabee appellatam: tamen nunc ex eo quòd aqua inuenta est, Isaac ad nomẽ ciuitatis quæ ita vocabatur alludẽs, declinauit paululum literam, & prostridulo Hebræorum Sin, à quo Sabee incipitur, Græcum sigma, id est, Hebræorum Samech posuit. Ciuitas ergo aquarum viuentium, id est, electorũ omniũ, beata societas puteus saturitatis, siue abundantiæ vocatur, cõpleto videlicet quod Psalmista nunc imprecatur illi, dicens: Fiat pax in virtute tua, & abundãtia in turribus tuis. *Psal. 121.*

De vxoribus Esau, quæ ambæ animum Isaac & Rebeccæ offenderunt.

CAPVT XII.

ESau verò quadragenarius duxit vxores Iudith filiã Berei Aethæi, & Basemath filiam Elom eiusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.) Superioribus sermo continuandus est, vbi dictum est, Et abijt paruipendẽs qp primogenita vẽdidisset. Et eccè in initio narrationis filiorũ, degeneratio supplantati & adhuc supplantã di Esau denotatur, qui magis ac magis declinando, minori fratri locum fecit, vt magis ac magis imminens teneret plantam eius. Nã sicut superius primogenita sua propter escã vendidit: sic & nunc vxores ducens aligenigenas, per concupiscentias suas animum Isaac & Rebeccæ offendit: quia benedictionem seminis Abrahæ contẽpsit. Si enim in illa benedictione filios generare optasset, nequaquam duxisset vxorem de filiabus eorũ, quos & pater improbasset, & auus Abraham vitandos iudicasset, & super quibus matrem Rebeccam vitæ suæ tæderet. At ille & horũ iudicium contempsit, & Dei promissiones non curauit, videlicet affinitate hominum habitatorum terræ laudabilem & inclytum se posse fieri, magis quam ope vel gratia dei. Vnde & nomina cognationis eximia præsens scriptura non omisit: Iudith, inquit, filiã Berei Aethæi, & Basemath filiam Elom eiusdem loci. Iudith laudans Berei putei mei, Basemath in nominibus, Elom roboreus siue quercus interpretatur. Ipsis nominibus manifestè coargui videtur, quod laudari, & sine Deo ditari, nominatus esse, & in terra roborari appetẽs, peccatorum se affinitatibus immerserit, super quos meritò irruat formido & pauor secũdum nomen Aethæi, quod interpretatur formido siue pauor. Qui ergo intus à gratia Dei excidit, meritò foris quoque reprobatus est, quod protinus sequens narratio declarabit.

Gen. 15.

De eo quòd senuerit Isaac, & cur vnam tantum benedictionem habuerit.

CAPVT XIII.

SEnuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat. Vocauit autẽ Esau filium suum & dixit ei: Fili mi. Qui respondit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras. Cumque venatu aliquid appræhenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.) Hic iam prætereundum non est, cur vnam tantum benedictionem habuerit Isaac. Sic enim ESAV eiulando dixit:

CAPVT XXVII.

Num vnã tantum benedictionem habes pater? Mihi quoq; obsecro vt benedicas. Dixerat nanq; pater: Dominum tuum illũ constituti, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui. Frumento & vino stabiliui eũ, & tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? Quærendum ergo, cur vnã tantum benedictionem habuerit: quale sit frumentum & vinum, q̃ diuisis communicari non possit: vt claresçat simul, cur eandem benedictionem iustius Iacob, quàm Esau hæreditate possidere debuerit. Primò dicimus, non multa semina, sed vnum esse semen, quod est Christus, de quo promissum fuerat Abrahæ, quòd in illo omnes gentes benedicerentur. Quam verò præter illud semen benedictionem haberet pater? Necessariò igitur vnã tantum habuit. Erant autem duo fratres, & ex illis duo populi contra alterutrum diuidendi, iuxta veritatem dicentis: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur. Quomodo ergo illis diuisis communicaret vnu semen, quod est Christus? Ille quippe vnus est, & non in diuisione, sed in vnitate est. Oportebat igitur alterum alteri præferri: & prælatus est quem Deus commendauit, non quem caro & sanguis commendare volebat iure primogeniti. Eius supplantationis præsens lectio, iuxta simplicem literam aperta narratio est. Ipsa autem primogenita tradunt Hebræi hæreditatem vel successionem fuisse sacerdotij, vel vestimenta illa sacerdotalia fuisse, de quibus hic scriptum est, & vestibus Esau valdè bonis, quas apud se domi habebat, induit eum. Primogenitorũ nanque iure, aiunt illum fungi debuisse officio sacerdotali, & idcircò iam habuisse vestimentum sacerdotale, quo indutus Deo victimas offerret, sicut & omnes primogeniti, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur.

Cur Isaac vnam tantum benedictionem habuit.

Galat. 3.

Gen. 25.

Qualiter imitandum in Ecclesia sit Rebeccæ exemplum, Iacob pro Esau ad benedictionẽ instruente.

CAPVT XIIII.

HIc ergo iam & illud quæritur, quomodo sacerdotium sic fraudulenter surreptum, ratum esse debuerit, cùm lex vsque hodie sit, vt quisquis inuocatus ad benedictionẽ ordinationum accesserit, easque aliũde ascendendo rapuerit, benedictio nõ solũ irrita iudicari, sed & maledictionem illi iure debeat conuerti? Ad hæc facilis patet responsio, quia videlicet nequaquam dãnabili modo benedictionem ille surripuit, imò quisquis hodie, non eius promouetur exemplo, nos secundũ Euangeliũ loquentes, dicimus, quòd nõ per ostium ingressus sit, sed aliunde ascenderit. Lex enim est, vt non pro munere quolibet, manus, obsequij, aut linguæ, quẽpiam debeat quis ordinare, sed eum quẽ pro vitæ merito elegerit testimonium præsentis Ecclesiæ. Quid ergo? Nonne Isaac iuxta anagogen personam gerit eorum, qui pro commodo vel pro pastellatico fauorabiliter ordinare contendunt? Cùm enim dicit: Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, & deinde subiungit, & benedicat tibi anima mea antequã moriar. Nónne manifestè commodum pro benedictione flagitat? Nec tamen in hoc sancto viro derogatur, sed magis placet id, quod in illo prouisor futurorum, ad ædificationem nostram spiritus sanctus operatur. Igitur Isaac præsenti loco cuiusq; summi põtificis: Rebecca ecclesiæ, quæ subiectio est, personam gerit: duo filij, Iacob & Esau, illos præsentãt, qui in domo ecclesiæ contrarijs moribus & diuerso fine sanctum propositũ erudiendi proponuntur. Et quidẽ sacerdos summus commissæ sibi ecclesiæ, tanquã vir coniugi, vel tanquam caput corpori præest? veruntamen ordinandorum electio, non penes ipsum solùm, sed penes ecclesiam est: illo nempe in curis plurimis senescente, & interdum curarum exteriorum puluere oculis eius caligantibus, ipsa filios suos clarius atq; expeditius videt, nouit actus, intuetur propositum, considerat profectum vel defectũ singulorum. Cùm ergo audierit, quòd pontifex cuiuspiam indigni delinitus obsequijs, eum promouere, ac meliori præferri voluerit, exemplo Rebeccæ debebit vti, quæ & viri sui placitum non repræhendit, & tamen egit consilio: ne pater maiorem, venationibus eius delectatus, præferret meliori: memor quid sibi dictum fuisset à Deo, quia maior seruiet minori. Itaque nequaquam ille damnabile furto surripuit, sed potius ordine seruato iustitiæ, dignus accesit voluntate Dei, & eius electione, quæ fuerat conscia meriti.

Obiectio.

Dilutio.

Gen. 25.

Sanctum virum, cur Deus in amorem declinare permiserit reprobi, & quid hœdi duo, vestesque Esau significent.

CAPVT XV.

ITem quæritur, cur sanctum virum deus in amorem reprobi declinare permiserit, cur à nesciente, & non vidẽte illum, qui non vocatus fuisset, benedici voluerit? Hic primò dicim⁹, nõ venisse DOMINVM, nisi ad oues perditas domus Israel, nec voluisse panem accipere filiorum, & dare eum canibus, & benedictionem primam Iudæorũ populo detulisse, quibus credita sunt eloquia DEI, & repromissio, & legislatio, & confessio testamenti, verum quia credere noluerunt illi, ad Iacob, id est, ad minorem populum benedictionem esse translatã, neque tamen maiorem filiũ penitus fuisse despectũ, quia cũ subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus erit. Itaq; cœptum superius sensum allegoricum in promptu habemus, & iamdudum traditum à sanctis patribus, nũc ore totius ecclesiæ celebratur. Senuit nanq; verus Isaac, scilicet dei fili⁹, & caligauc-

Cur Isaac amauit Esau.

Matth. 15

Rom. 9.

Rom. 11.

Quomodo Christi caligauerunt oculi.

& caligauerunt oculi eius, quando vetustate & senio nostræ naturæ indutus, morte quoq; corporea fuit obscuratus. In ipsa caligine senectutis iussit primogenito suo Esau: Sume, inquiens arma tua, pharetram, & arcum, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum. Etenim tota vita & in ipsa morte sua, priorem populum ad pœnitentiam per semetipsum inuitabat, & per Apostolos suos, post gloriam suæ resurrectionis, vt credendo illum sibi cibum offerret, de quo dicit: Meus cibus est, vt faciam volũtatem patris mei. At ille tardauit, & nunc vsque vagatur foris. Interim Rebecca i. mater gratiæ, cuius affectus ab humano affectu patris huius, in alium filium declinauerat, iuniorem filium, id est, populum gentium subintrare suasit, ad præoccupandum hæreditatem benedictionis, non vacuum, sed cum duobus hœdis. Non enim apparebis (inquit lex) vacuus in conspectu Domini Dei tui. Et quidem vnus sufficere poterat ẽsui, etenim nec vnus homo sufficere posset ad esum hœdi, sed & hoc in figura contigit, quia videlicet eum, qui accedit ad gratiam benedictionis Christi, professionem habere oportet, noui pariter & veteris instrumenti, & talis cõfessio cibus est Christi filij Dei (. Et vestibus, inquit, Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.) Has vestes paterfamiliãs in Euangelio nominibus suis exprimit, reuerso ad se filio, qui perierat & inuentus est, qui mortuus fuerat & reuixit: Cito, inquit proferte stolam primam & induite eum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius. Quæ senior ille filius, id est, prior populus pro culpa sua perdidit. (Pelliculasque hœdorum circunde dit manibus, & colli nuda protexit.)

Ioan. 4.

Exod. 23.

Luca 15.

Non mirandum, quòd falsus est Isaac, vt adeò dixerit, vox quidem vox Iacob, manus, & cætera.

CAPVT XVI.

HIs ita falsus est Isaac, vt diceret. (Vox quidem vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.) Nec mirum, quòd vir iustus aliquid ignorauerit, & contra voluntatem suam fecerit. Nullus enim homo, excepto eo, qui ob nostram salutem carnem est indutus humanam, plenam habuit scientiam & certissimam veritatem. Denique Paulus ex parte cognoscit, & ex parte prophetat, & nũc per speculum videt in ænigmate, & secundũ quod oportet orare nescire nos dicit: quia cùm venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur. Samuel propheta cõ numeratus Moysi in sacerdotio Dei, ad vngendum regem missus, cùm maximum filiorum Iesse vidisset Eliab, ait: Eccè coram Domino Christus est. Et dixit Dominus ad Samuel: Nolite respicere faciem eius, neque staturam: quoniam reprobaui eum, quia non quo modo videt Deus, homo videt. Homo enim videt in facie, Deus autem inspicit cor. Et per singulos semper ignorans, vsque ad Dauid nescisse describitur. Helisæus quoque, qui duplici glorificatus est spiritu, cuius ossa vitam exanimi cadaueri reddiderunt, cum Sunamitis ad eum venisset in montem, & ad pedes eius flebiliter corruisset, Giezi prohibente, ne faceret, ait: Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus abscondit à me, & non nunciauit mihi. Plura sunt, quã vt exemplis debeamus docere, sanctos viros, & Deo choros, ea tantummodo scisse, quæ eis à Domino reuelata sunt: ignorasse verò, quæ eis reuelata non fuerant: & ad singulas visiones Zachariam atque Danielẽ interrogare angelum, & suppliciter deprecari, vt exponat sibi quæ sunt illa quæ viderant.

2.Cor. 13.

Rom. 8.

Psal. 98.

1.Reg. 16.

3.Reg. 4.

De benedictione eius, quemadmodum super Christo intelligatur.

CAPVT XVII.

STatimque vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedicens ait: Eccè odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.) Vestimenta prædicta, scilicet stola prima, quam habemus in lauacro, & calceamenta pedum, quæ sunt antiquorum exempla sanctorum, annulus quoque, id est, fidei signaculum, cæteraque virtutes, siue orationes pœnitentium, magni & suauissimi odoris sunt. Talibus ergo delectatus, benedictionis auctor: eccè, inquit, odor filij mei, sicut odor agri, quem benedixit Deus, subauditur, sit. Sequitur enim: (Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundãtiam frumenti & vini.) Siquidem agri est, quem benedixit Deus, accipere de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumẽti & vini: & talium abundantia repleri, id profectò est à Deo benedici. Est autem ratio nali creaturæ ros cæli non aliud, quàm gratia spiritus S. quæ peccata remittit: pinguedo aũt terræ, vel abundantia frumenti & vini, adapertio sensus ad intelligenda quæ latent in scripturis mysteria regni Dei. Illic enim latet granum frumenti, quod cadens in terram mortuum fuit, & multum fructum attulit, & vinum quod lætificat cor hominis, & oleum in quo facies hilarescit. Igitur cùm dicit: Eccè odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Deus, & continuò subiungit, det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini: prophetat simul & optet illud, quod nunc factum est, & fit vsque in finem seculi, scilicet, quòd seminis Abrahæ per fidem velut vnus est ager latitudo totius mundi, gemino fœcundatus munere spiritus S altero, q̃ est in remissionem peccatorum, quo vero cæli rore innouatur facies orbis: altero, quod est diuersarum distributio gratiarum, eiusdem spiritus sancti, quo diteſcimus in omnibus, iuxta Apostolum: vt in vlla gratia nihil nobis desit. His dictis quasi de toto

Ioan. 12.

Psal. 103.

1.Cor. 1.

corpore

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpore ad caput verba conuertit. (& seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ) Quis enim est ille, cui seruiant populi, & quem adorent tribus, nisi caput seminis Abrahæ, & Isaac & Iacob, scilicet Christus, qui non tantum homo, sed & Deus & homo vnus est Iesus Christus? Ille nempe fratrum suorum dominus, & corã illo omnes filij matris eius, id est, omnes ciues supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrũm, iure incuruantur: quia videlicet omnes fratres eius, per adoptionẽ sunt, filij Dei, & omnes adoptati fratres eius: ille autẽ solus est naturalis filius, idem hominis & idem Dei filius, ex altero quidem frater, ex altero autem fratrum suorum adorantiũ
Matth.12. Deus, seruientium Dominus. (Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.) Maledicit Christo qui blasphemat Christum: vt exempli gratia, venenatæ linguæ scribarum & pharisæorum dicentium: Dæmonium habet, in Beelzebub principe dæmoniorum eij cit dæmonia: & his similia. E contrario bene
Ioan.18. dicit Christo, qui confitetur & laudat Chri-
1.Cor. 12. stum, qui corde & labijs dicit: Benedictus qui venit in nomine domini. Dicit autẽ Apostolus, quia nemo loquens in spiritu Dei, dicit anathema Iesu: & nemo dicit Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto: Igitur quia qui Christo maledicit, spiritu sancto caret, quod est verè maledictum esse, & qui benedicit illi, in spiritu sancto loquitur, q̃ est verè benedictum esse: spiritus quippe sanctus vera & sola benedictio est Dei: rectè qui maledixerit, inquit, tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus impleatur.

Quòd carnales Iudæi similes Esau sint, qui spirituale benedictionem non quæsiuit, deq; odio Esau.

CAPVT XVIII.

VIx Isaac sermonem compleuerat, & egresso Iacob foras, venit Esau, coctosq; de venatione cibos, intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui, & benedicat mihi anima tua, & cætera.) Perspicuum est, quòd Esau, sicut fide credebat, sic nec scientiam nec spem seminis illius habebat, quod est Christus: in quo benedictionis paternæ summa constabat. Dicit enim inter alia. (Num vnam tantum benedictionem habes pater?) Sed de hoc iam supra dictum est, cur vnam tantùm benedictionem habuerit, & cur vna eadem benedictio, duobus fratribus communicari non oportuerit, scilicet quia diuisi illi, & diuidendi erant, iuxta responsum dicentis: Duæ gen-
Gen. 25. tes in vtero tuo sunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur. Itaq; quoniã in his geminis fratrib. liquidò patet illud, q̃ futurum erat vsq; in finem seculi, scilicet, vt diuisis cõtra se illis, qui ex carne tantum, & eis qui ex fide sunt Abrahæ, eorum tantum Christus foret hereditas, qui esset ex fide, quocunque secundum carnem fluxissent ex homine. Extremũ sermonẽ, id est, benedictionis reliquias audiamus. Ille qui non vnam, sed multas quærebat benedictiones dicens: num vnam tantũ benedictionem habes pater, magnoq; eiulatu fleret: (Motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua.) Hæc pinguedo terræ, & hic ros cæli, ab illo differt, qui supra in benedictione Iacob præscriptus est. Ille nanq; talis est, quẽ cõsequatur seruitium populorum, & adoratio tribuum, incuruatio fratrũ, & benedictio cunctorum, quicunque Dei benedictione digni sunt. Hanc autẽ ter-
1.Par.16. rena consequuntur (Viues, inquit, gladio, & fratri tuo seruies.) Quod & si secundum historiam factũ est, posuit nanq; Dauid in Idumæa custodes, statuitq; præsidium, & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid: rectitamen hic illa intelligitur seruitus, de qua sapientia dicit: Seruo sensato, liberi seruient. Hoc loco pinguedo terræ, & ros cæli, temporalis est saturitas ventris. Et hæc illi extrema
CAPVT XXVIII. benedictio congruit, qui esuriem nesciebat gratiæ spiritualis, quippe qui propter vnam
Eccl. 10. escam primogenita sua vendidit. Hanc dieb. Titi & Vespasiani Iudaicus populus, magno eiulatu requisiuit, tenens in manibus cibos, nõ quibus libenter Isaac vesceretur, de venatione sua, quos coxerat, id est, incredibili pertinatia magis q̃ tolerantia inter gladios hostium & sanguinem suum, victimas importunas offerẽs, ita vt ante arã (q̃ mirũ erat hostib. spectaculum) & cadentes offerrẽt, & caderent offerentes. Verũ iam sacerdotij dignitas ad iuniorem transierat filium, eiusq; oblationibus plenus pater, iam reb. ipsis loquebatur quod per prophetã fuerat prælocu-
Esa.1. tus. Et cũ extenderitis manus vestras, auertã oculos meos à vobis, & cũ multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Sanè quod hîc tandem dictum est. (Tempusq; veniet cũ excutias, & soluas iugũ eius de ceruibus tuis.) & secundũ
2.Para. 21 historiã factum est, & secundum allegoriam futurum est. Nam & temporib. Ioraã filij Iosaphat recessit Edom, ne esset sub ditione Iudæ, & circa finẽ seculi is qui nunc est Esau, seruiens in litera non erit, vt nunc est, velamen habens militiæ libertatem, sed erit sicut
1.Pet.2. sunt serui dei, quibus nũc seruit codices suos
Rom.6. ad vsum illorum circumferẽs: erit, inquam, & ipse sicut serui Dei, seruus quidem iustitiæ, liber autem peccati. Porrò qualis illius fletus vel eiulatus fuerit, lectio manifestat, cùm protinus subiungit. (Venient dies luctus patris mei, vt interficiam Iacob fratrem
Hebr.12. meum.) Rectè ergo (vt Apostolus ait) pœ-
Gen. 4. nitentiæ locum non inuenit, quamuis cum lachrymis requisisset eã. Talis enim erat animus ei⁹ in ipso fletu & eiulatu, qualis & Cain quando propter Abel decidit vultus eius.

Quid

Quid significet, quod benedictionis surreptionem illam æquanimiter Isaac tolerauit, & quod ad Rebeccæ suggestionem, Iacob ad vxorem misit accipiendã.

CAPVT XIX.

NVnciata sunt hæc Rebeccæ.) Si hæc dixit in corde suo, quomodo nunciata sunt Rebeccæ? Sed sciendum quia ille quippiam dicit in corde suo, qui illud quod dicit non vult audiri in publico, sicut econtrario ille palam loqui rectè dicitur, qui illud
Ioan. 18. quod dicit, vbicunq; dicat in publico audiri vult. Vnde & dominus qui discipulis multa secretò dixerat, dicit tamen pontifici, ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locut⁹ sũ nihil. (Quæ mittẽs & vocãs Iacob filiũ suũ, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te: Nũc ergo fili audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meũ in Aran, habitabisque cum eo dies paucos, &c.) Omne consilium pro Iacob à Rebecca sumit initium: Ipsa ad surripiendam benedictionem, illum submisit, ipsa fugæ consilium prior porrigit, & deinde pro coniugio quoque eius solicita. (Dicit ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Eth. Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.) Isaac & surreptionem benedictionis æquanimiter tolerat, & consilium vel placitum eius optimum comprobat, vt communicato consensu, mittatur Iacob ad accipiendam vxorem de filiabus Laban. Sic nimirum omne consilium salutis gentium, coram domino nostro Iesu Christo ab authoritate scripturæ processit.
Matth.23. Nam ille quidem, pro humano affectu Iudai cum populum fouere volebat, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas: Veruntamen exigente scripturarum veritate vt relinqueretur illis domus sua deserta, sic ille non contradixit neque retrorsum abijt, quomodo & Isaac pro defraudatione Esau, vel submissione Iacob, nullum contra Rebeccam, vel contra Iacob verbum fecit. Monstrat illa, qualem nos gentes tenere debeamus religionem, scilicet de fide patrum,
Actor. 15. & non de ceremonijs Iudæorum, sicut in actibus Apostolorum placitum esse legimus spiritui sancto & Apostolis, & Christus quã quam nihil super hac re præcepisset dum
Matth. 2. cum illis esset, sed potius dixisset in viam gentium ne abieritis, iudicium tamen hoc appellat, & ratum ducit.

Item de eademre, & quod Esau in Iudæorum typũ auxerit peccatum suum.

CAPVT XX.

CAPVT XXVIII. VOcauit itaque Isaac Iacob, & benedixit, præcepitq; ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan, sed vade & proficiscere Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel, patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban, auunculi tui.) Quem iam ipse nesciens, imò quem deus benedixerat per ipsum nescientẽ, eum nunc vocat ex nomine, & scitèr benedicit. i. datum in illo confirmat surreptæ benedictionis. Porrò Esau (sicut superius dictum est) alienigenis vxoribus cum offensione paterni & materni animi adhærendo. nõ iam Abrahæ, non Isaac, aut Rebeccæ filius erat quippe qui non in benedictione seminis Abrahæ, sed nomini suo in carne sua generare, & aliam quàm dei domum ædificare cœperat. Benedixit ergo filium suum pater Isaac. At verò finis eiusdem benedictionis, non alius sperabatur, quàm ipsum semen Abrahæ, quod est Christus. Rectè ergo benedicentis hæc verba sunt. (Deus autem omnipotens benedicat tibi & crescere te faciat atque multiplicet, vt sis in turbas populorum, vt det tibi benedictiones Abrahã & semini tuo post te, vt possideas terram peregrinationis tuæ quã pollicitus est auo tuo. Vidẽs aũt Esau, quod pater suus benedixisset Iacob, probãs quoq;, q̃ nõ libenter aspiceret filias Chanaã pater suus, iuit ad Ismahelẽ, & duxit vxorẽ, absq; his quas prius habebat, Malalehel filiam Ismahel filij Abraham, sororem Nabaioth.) Aut velut insipiens aut vt verè stultus, fecit hoc Esau. Nam si tædium matris aut offensionẽ paterni animi lenire voluit, insipientiæ fuit hoc pacto id facere velle, & hac intentione inconsultis parentibus quos iã in alijs vxoribus offende-
Gen. 21. rat, ad seruilia declinare tabernacula, quod erat cum eiectis exire foras. Sic nẽpè Sara locuta est: Eiice ancillam & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo
Psal. 48. Isaac, & sic factũ fuerat. Sin autem, quod verius est, quia parentibus quoq; propter Iacob iratus erat, sicut Cain, & conciderat vultus eius, idcirco vt eos ampliùs offenderet,
Matth. 15. egit ita, proculdubio stultus fuit. Vtrolibet modo, coniugia sua cũ offensione parentum triplicauerit, excusationem nõ habet, simul enim insipiens & stultus peribunt. Sic & Iudæi, qui & prius propter traditiones hominũ traditiones dei reliquerunt, & postea per sequentes Christum ac discipulos eius amplius in Ismahelem degenerauerunt, testante Apostolo, cum dicit: Sed quomodo tunc
Galat. 4. is, qui secundũ carnẽ nat⁹ est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc vtrolibet modo id faciant, siue per insipien-
Ioan. 15. tiam, siue per stultitiam excusationẽ de peccato suo non habebunt.

De peregrinatione Iacob, & de visione eius.

CAPVT XXI.

IGitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Arã: Cunq; venisset ad quendam locũ, & vellet in eo requiescere, post solis occubitũ, tulit de lapidibus qui iacebãt, & supponẽs capiti suo dormiuit in eodẽ loco.) Nõ ergo frustra Apostolus patres nostros peregri-
Heb.11. nos vocat & aduenas. Cũ enim dixisset, iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis promissionibus, sed à longè aspiciẽtes eas, & salutantes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutátes,addidit continuò: & confitentes, quòd peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent, de qua exierunt, habebant vtiq; tépus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt,id est,cæleste. Eccè illorũ eiusmodi cõfessionem siue expectationẽ, in Iacob agnoscere promptum est. Nunquid adeò tenuis erat,& pauper, vt de terra sua exiret per necessitatem in baculo suo, sicut postmodũ
Gen. 32. fatetur ipse,cùm dicit,in baculo meo transii Iordanem istum, & nunc cũ duabus turmis regredior? Nam quod ita solitarius exie rit testatur & illud,quòd non habuit vbi caput reclinaret, nisi quod tulit de lapidibus qui iacebant & supposuit capiti suo, & dor-
Gen. 26. miuit in eodem loco. Nónne pater eius vehementer magnus erat? Sic enim paulò antè scriptum est: Quia locupletatus est homo,& ibat proficiens atq; succrescens, donec magnus vehementer effectus est, in tantum vt ipse Abimelech diceret: Recede à nobis,quoniam potentior nostri factus es valdè. Sed & auus huius Abraham regũ victor, nulli dubium, quin diues & inclytus fuerit. Quid igitur nisi magna & imitatione digna pauper tas spiritus in hoc patre nostro Iacob spectãda nobis proponitur in tali eius exitu, cùm ad accipiendam vxorem proficiscitur, fide paterna expectans, quod de semine suo salus mundi, & omnium gentium benedictio Christus nasceretur? O profugium cælestis asyli protectione dignum,qui sola fide absque lectione scripturarũ doctus erat, quòd ad possidendam benedictionis hæreditatẽ, ad seminandam beati seminis expectationẽ non pompaticè,sed humiliter, & conscientia supplici esset ingrediendum. Porrò quã veraciter dictum sit: Iuxtà est dominus his qui tribulato sunt corde, ex isto claret quod continuò sequitur. (Viditque in somnis scalam stantem super terram,& cacumen illius tangens cælum, angelos quoque ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ,dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.) Hunc imitantur quicunque benedi-
1. Cor. 2. ctione Dei patris, & filij eius Iesu Christi,cũ gratia spiritus sancti missi,ad spirituale semẽ seminandum depositis seculi oneribus, nudi & expediti ad destinatum tendunt, vigilãtque & in omnibus laborãt, & sobrij sunt,
Hebr. 13. nihil se scire iudicãtes nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum,& cum Apostolo dicẽtes: Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Illis porta cæli aperitur,& ascendẽtibus scala hæc erigitur,quæ
Scala Iacob. huic apparuit, per quã ei ascendentes & descendentes angeli monstrantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur,nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in hoc seculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cælum. Latera enim eius scalæ dicimus, nostrum esse corp' & animam. In quę latera diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ euocatio diuina inseruit ascendendos.

Mystice de eadem visione.

CAPVT XXII.

VEruntamen vt ad rem præsentem propriamque viatoris attineat personam, dicendum est iuxta allegoriã quid significet scala hæc sublimitate sua tangens cælos,portamque apertam habens innixo sibi Domino. Hæc planè magna est dignatio supernæ propitiationis, quæ super hunc peregrinum talem vel profugum viscera sua non continuit,quin properaret ostendere, quàm tutũ illi & semini eius præpararet refugium, in altitudine cæli. Quid enim illi est scala hæc tantæ altitudinis,nisi illa seminis series,quã omnes nouimus secundum euangelicum librum generatiõis Iesu Christi filij Dei? Eius nanque gradus scalæ supremus est,cui & dominus fuit innixus, non alius quã Ioseph in illa generatione nouissimus vir Mariæ de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. *Matth. 2.* Nónne scalæ innixus fuit Dñs, cum huius paterna ope & pia vectatione indigens veteretur Deus,homo factus,de loco ad locũ fugiens Herode persequente. Pupillus in hoc mundo,id est,absque carnali patre genitus? Vidit igitur scalam, summis suis innixum habentem Dominum,tangentem cælos,apecapvt rientemque cæli portam, & tali figura præ- xxviii. uidit sibi innixum Dominum, generationẽ suã,id est, de se incarnatũ habiturã, per quã cælos attingeret,& portã cæli hactenus clausam hominibus,introiret. Et hoc somnium rei congruit ac tempori, secundum personã vel negotium eius qui vidit. Tunc enim ibat cum benedictione Dei, & præcepto patris sui, vt vxorem acciperet de filiabus Laban auunculi sui,cũ fide & spe eius, quæ ad auum ipsius facta est, repromissionis. Vidit & angelos ascendentes & descendentes per eam. Angeli Dei,id est, nuncij sancti, prædicatores sunt veritatis,nũcij vel testes vtriusque,diuinæ pariter & humanæ generationis Iesu Christi. Hi nunquã sursum & deorsum fixi consistunt, nunquam enim purum Deũ aut purum hominem prædicant esse semen Abrahæ Iesum Christũ,sed sursum ac deor- *Ioan. 1.* sum inoffenso pede currentes, dicunt ascendentes,quia in princpio erat verbum,dicunt descendentes,quia verbum caro factum est. Descendendo, Deum hominem factum: ascendendo,fatẽtur Deo hominem vnitum. Idcircò rectè duo generationis huius prædicatores Matthæus & Lucas ascensum hunc & descensum sibi diuiserunt, vt ille ab Abraham descenderet vsque ad virginis vterum: hic ab ipso, qui putatur filius Ioseph,ascenderet vsque ad Deum. (Terram, inquit,in qua dormis,

dormis,tibi dabo, & semini tuo.) Hoc de semine carnis dictũ est: porrò quod sequitur: (Dilataberis ad occidentem & orientem,septentrionem & meridiem.) de semine fidei dixit. Sic enim conclusit. (Et benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.) Illud antè,hoc post Christi seminis eius ad-
Psal. 104. uentum factũ est. Nam in duodecim tribubus suis,terram, in qua dormiebat, tunc illi dedit: In Christo totum mundum per quatuor partes eius benedixit. Necnon & quod addidit,& ero custos tuus quocunque perrexeris,& reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi compleuero vniuersa quę dixi:) tam de ipso quàm de semine eius dictum & factum est. Non enim dimisit donec reduceret eum dicentẽ: In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. Non dimisit semen eius,donec de Aegypto educeret eos in hanc terram,cum argento & auro,ita vt in tribubus eorum nó esset infirmus. Non dimisit nihilominus dila-
Psal. 18. tare in quatuor partes mundi semen eius, quod est Christus,sicut scriptum est: A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius,nec est qui se abscondat à calore eius.

De eo quod ait, verè Dominus est in loco isto, & quis ille locus.

CAPVT XXIII.

CVmq; euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque,quàm terribilis est locus iste,inquit. Non est hic aliud nisi domus Dei,& porta cæli.) Dominus est in loco isto cùm dicit,subaudiendum est, præsentia gratiæ: nam & in isto, & in omni loco est magnitudine præsentiæ. Siquidem de maiestatis immensitate verisimè dictum est. Cælum mihi sedes est,& terra scabellum pedum meo-
Esa. 66. rum. Item: Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Pauensque,quã terribilis est locus iste,inquit, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Notandum, quòd non ipsum Dominum,sed locum pauescit, & terribilẽ esse dicit. Quidnam pauoris, vel quid terroris secundum se locus iste poterat habere? An quia Dominum in loco illo in somnis vidit? Nempe & in alijs locis tam huic,quàm patribus eius Abrahæ, & Isaac multoties idẽ Deus apparuit. Ergo non dubium,quia pro-
Psal. 104. pheta fuit, sicut & in Psalmo de hoc, & de prædictis eius patribus scriptum est: Nolite tangere Christos meos,& in prophetis meis nolite malignari: & hic per spiritũ prophetiæ dilatato corde,quid significaretur huiusmo-
Psal. 76. di somnio,præuidit: illumque locum,cuius iste figura erat, expauit. Qui videlicet locus ecclesia Dei est: Vnde Psalmista. Deus,inquit,in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Ecclesiam ergo Dei futuram,& in ea terribilia dei opera, quæ (vt ait Apostolus.) innotuit principatibus & potestatibus in cælestibus multifor- *Ephe. 3.* mis sapientia Dei, iste miratus expauit, sicut expauerat prophetico nihilominus spiritu Abacuc, quando dixit: Domine audiui audi- *Abac. 3.* tum tuum & timui, consideraui opera tua & expaui. Quorum videlicet operum hæc summa est, quod sicut paulò antè iam dictũ est, per humanitatem Christi aperta est porta cæli,& cælestia iuncta sunt terrenis.

Quæ causa fuerit, vt surgens mane, lapidem quem supposuerat capiti tolleret, erigeretq; in titulum perfundens oleo.

CAPVT XXIIII.

SVrgens ergo mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulũ, fundens oleum desuper. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.) Quæ causa vel ratio fuit, vt surgens mane tolleret lapidem,quem supposuerat capiti suo,& erigeret in titulum fundens oleum desuper,nomenque vrbis appellauit Bethel, quod interpretatur domus Dei: eadem omni homini omni loco dominationis eius esse debet ædificandi domum nomini domini. Primum est,vt huius exemplo confitens, q; peregrinus sit & aduena super terram, lapidem supponat capiti suo, id est, conscientiã suam collocet in Christo, vt dormiens re- *Matth. 11.* quiescat in illo, iuxta præceptum vel cõsiliũ ipsius dicẽtis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos. In illa requie sua dormiens somniet, id est,credendo videat nunc per speculum & in ænigmate,quia facie ad faciem videre non potest iam præteritũ, quod ille vidit futurum, *1. Cor. 13.* scilicet scalam cui Dominus innixus sit, id est, Euangelicam (de qua iam supra dictum est) generationem Iesu Christi filij Dauid,fi- *Ephe. 2.* lij Abraham, quæ cælum attingit & portam *Ioan. 1.* cæli nobis aperuit, quæque soluto pariete inimicitiarum,cælestibus terrestria coniunxit,& completum est quod ipse prædixerat: Amen amen dico vobis, videbitis cælos apertos,& angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Hæc,inquam dor-
Cant. 5. miens,& dicens: ego dormio, & cor meũ vigilat,tota nocte somniet, id est, tota vita sua in pace & quiete cordis sui meditetur. In hac enim fide quisquis erigit altare ad inuocandum nomen Domini, ipse est Iacob per vnitatem fidei,hac distantia, quod ille futura somniauit & credidit: hic autem præterita, vel præsentia legit vel audit,& nihilominus credit: hæc igitur dicta Iacob euigilãtis, & exclamantis: Verè Dominus est in loco isto,& cætera,quæ sequuntur, benè catholica Christi ecclesia,de ore eius rapuit,& de omni loco in quo inuocatur nomen Domini veraciter protestatur, & constantissimè dicit: Terribilis est locus iste,hic domus Dei & porta cæli. Vbi enim sanctum celebratur baptisterium,& corporis & sanguinis Domini

Universidad de Deusto
Biblioteca

conficitur sacramentum, vndè animæ fideles cælo renascuntur, & angelorum descendentium & ascendentium manibus feruntur in cælum, quid nisi porta cæli, & inferna libus portis terribilis locus est? Et illic lapis tituli, & hic lapis altaris, solenniter perfusus oleo benedictionis Christum significat, quẽ vnxit deus oleo exultationis præ participibus suis. Quod autem in parietibus, visibilis structuræ lapides singuli, hoc in spirituali ædificio sunt homines singuli. Proinde non vanè consecratio templi vel altaris festiuis laudibus, per annos singulos celebrari
1. Petr. 2. Ephes. 2. consueuit. Nam sicut altare Christum, & singuli lapides parietum, singulos significant electos, viuos vtiq; lapides superædificatos super fundamentum Apostolorum, & prophetarum ad construendum vnius ecclesiæ templum. Sic omnia quæ sub nominibus altaris, lapidumq; siue fundamentorum atq; murorum decantamus, opportunè gratiarũ actiones sunt, pro principali vnctione Christi sancti sanctorum, & pro regeneratione quorumq; fidelium, nec enim poterat fieri, vt quisque nostrum diem suæ regenerationis annuatim solennizaret, nec rursum omitenda erat absque memoriali celebritate tantæ gratiæ iucunditas quæ singulis nostrum de domo ecclesiæ collocata est. Igitur qui diuersis temporibus nati, diuersis nihilominus temporibus ecclesiæ sacramentis, quæ suis in locis aguntur, renati sumus, opportunè pro particularibus festis vniuersãlia locorum in quibus vitalia dei dona percepimus, festa celebramus.

De voto Iacob.

CAPVT XXV.

VOuit etiam votum, dicens: Si fuerit dominus mecum, & custodierit me, in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.) Hoc & corporaliter ab eis, qui eiusmodi facultates habent, & spiritualiter ab omnibus, tam ab illis qui vtuntur hoc mũdo, quàm ab illis, qui nihil habent in hoc mundo, agẽdum est. Quoniam cogitatio hominis (inquit Psalmista) confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent ti-
Psal. 25. bi. Ac deinceps: Vouete & reddite domino deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera, terribili & ei qui ausert spiritum principum, terribili apud reges terræ. Verũ nec ipsa vouentis oratio conditionalis à nobis prætereunda est. Nam cum dixisset si dominus fuerit mecũ, & custodierit me in via per quam ambulo. Hoc etiam addidit filius potentis (vt superius iam dictum est) magniq; vehementer ac diuitis hominis. Et dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum. Hoc tanquã pauper, & vt verè dei mendicus dixit. Nec mirũ, cũ & rex maximꝰ atq; fortissimus in Psal. egenũ se & pauperẽ profitetur. Ego verò inquit, egenus, siue ego mẽdicus aũt & pauper sum. *Psal. 69.*
Itẽ: Quoniã inops & pauper sum ego. Bonũ *Psa. 85.*
ergo ex patribus exemplun filijs prouisum *Luc. 11.*
est, vt quantumcunq; diuites sumus, dicamꝰ mẽdici omnes ante fores supernæ gratiæ. Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie. Nec verò solum panem spiritualis alimoniæ, *Ioan. 6.*
sed panem quoq; vitalem digneмur à patre omnium deo flagitare, vt illum quoq; ex dono eius fateamur nobis esse, qui solus potuit, & dignatus est creare, non minus regi in solio fulgenti, quàm sedenti ad molam necessarium viduæ. Triplicẽ itaq;, vt veri pauperes precemur panem à patre sub vno nomine panem .s. vitæ æternæ, de quo dixit: Et panis quẽ ego dabo vobis, caro mea est, p mundi vita. Panẽ intelligẽtię de quo dixit: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo q̃ procedit ex ore dei: Panẽ quoq; quem solus ipse producit de rore cæli, & de pinguedine terræ, simulq; vestimentũ quo operiamur, vestimentũ .s. sanctitatis & iusti- *Deut. 8.*
tiæ. His acceptis non ingrati offeremus illi *Matth. 4.*
decimas & hostias de vniuersis: decimas, vi- *1. Cor 9.*
delicet, vt habeat mercedem suam, quia di- *Hebr. 13.*
gnus est operarius qui altario deseruit. Hostias autem pacificas, id est, victimas labiorũ confitentium nomini eius, vt ad ipsum pacem habeamus, & omnia in charitate faciamus.

De eo quòd veniens in terram orientalem, puteum viderit in agro, gregesq; circa eum tres.

CAPVT XXVI.

PRofectus igitur Iacob venit in terram *CAPVT*
orientalem, & vidit puteum in agro tres- *XXIX.*
q; greges ouium accubantes iuxta eum. Nã ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Morisq; erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidẽ, & refectis gregibus, rursum super os putei ponerent.) Plana & aperta est huius narrationis litera, sed in ipsa planicie sua, grandem studioso lectori admirationem faceret, nisi iam præcedentium patrum auctoritas rationes illi aperuisset. Quis enim diuinis rationibus carere arbitretur, quod hic ingenuus tantorum patrum filius, tam laboriosa seruitute, toties immutata mercede, in pascendis ouibus pro vxoribus seruiuit, præsertim sub custodia dei, qui dixerat ei, & ero custos tuus quocunque perrexeris? Non ita, sed admotam fidei oculis in isto quoque speculo rutilantis desuper solis imaginem, id est, filij dei pulchram & veram contemplemur allegoricam similitudinem, simulque iuxta anagogen cuicunque ministro eius fideli normam imitabilẽ. Igitur Esau reprobato, Iacob electus, & paterna benedictione sacratus, ad accipiendam vxorem præcepto patris eiusdem, peregrè proficiscitur, id est, electus ex mi libus deus & homo IESVS Christus, gratiam benedictionis diffusam habens in

labijs

labijs suis, & in æternum benedictus ad coniungendam sibi ecclesiam, in exilio mundi huius, officio sanctæ prædicationis accingitur. Venit autem ad puteum, cuius os grandi lapide claudebatur, & de quo pecora adaquabantur: vbi moris erat, cunctis ouibus congregatis, lapidem deuoluere, & refectis gregibus, rursus super os putei ponere. Ridicula hæc & cætera quę sequuntur, vel inania, publicisq; auribus indigna, planè sapientes huius seculi iudicarent: nisi palàm sub grosso velamine literæ splendidam sensuum maiestatem dispensatores mysteriorum dei monstrare consueuissent. Quid ergo? Magnum sanè & admirabile mysterium. Venit enim in terram oriẽtalem vir iste, cuius (iuxta prophetam) nomen est Oriens, & ipso aduentu suo terram suam, quam (iuxta psalmistam) benedixit, fecit esse orientalem, illuminando scilicet his qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant. Venit ad puteum, cuius os grandi lapide claudebatur, iuxta quẽ tres ouium greges accubabant, id est, venit ad aperiendam scripturam, quam & Iudæi, & Samaritani, atque Gentiles modis omnibus disgregati exquirebant. Nam & Iudæi & Samaritani scripturam sanctæ legis eandem apud se habebant, & tamen sic ab inuicem erant disgregati, vt (sicut Euangelista testatur) nec saltẽ in haustu putei, id est, aquę elementaris conterentur Iudęi Samaritanis. Porrò gentiles ab vtriusque longius diuersi erant, quippe qui nec deum cæli colebant, & tamen eandem scripturam per septuaginta interpretes translatam scire tendebant. Sed frustra hi vel illi taliter accubabant, nam scripturæ sacræ puteum scribæ & pharisæi grandi lapide clauserãt, id est, traditionibus dei relictis, propter traditiones suas prauo sensu obstruxerant. Vndè illis in euangelio manifestè improperatur, dicente domino: Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introbãt prohibuistis. Item: Quare vos transgredimini mandatum dei, propter traditiones vestras? Nam deus dicit, Honora patrem tuum & matrem tuam. Vos autẽ dicitis: Quicũq; dixerit patri aut matri suæ munꝰ quod cunq; est ex me, tibi proderit. Et his similia.

Zach. 6. Psal. 84. Luc. 1.

Ioan. 1.

Luc. 11. Matth. 15.

Qui mysticè pastores fuerint, quibus de adaquandis locutus est ouibus, & quæ Rachel ipsa.

CAPVT XXVII.

DIxitq; ad pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: dẽ Aran.) Aran ira cũdus siue decus interpretatur. Quod nomẽ benè pastoribus illis congruit, qui pascebãt semetipsos, quos & fratres vocat, quasi notos, & tamẽ vt ignotis dicit. Vnde estis, quia videlicet secundum carnem quidem fratres
Matth. 23 eius erant, sed secundum spiritum nesciebat illos, qui vel vnde essent. Iracundi nanque erant, & decori, id est, intus rapina & homicidio pleni, de foris autem religiosi ac seueri, veluti sepulchra dealbata, quæ foris pulchra apparẽt oculis hominum, intus autem plena sunt ossibus mortuorum. (Quos interrogans. Nunquid (ait) nostis Laban filiũ *Laban.*
Bathuel? Dixerunt: Nouimus. Sanus ne est, inquit? Valet inquiunt, & eccè Rachel filia eius venit cum grege suo.) Laban candidus, Nachor requies luminis, Rachel ouis, siue videns Deum interpretatur. Hoc autem secundum accentuum vel literarum euenit diuersitatem, vt diuersis sæpe significationib. nomina commutentur. Significat autem Laban mundum vniuersum pro parte illorum qui per Christi redemptionem, ad æterni luminis requiem pertinent, quem, scilicet illo candidauit baptismate, per fidem passionis suæ, sicut ait propheta in Psalmo: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, *Psal. 50.*
& super niuem dealbabor. Rachel nanque *Rachel.*
filia eius, eam significat partẽ electorũ quæ *Lya.*
ex Iudæis est, nam altera filia nomine Lya, quod interpretatur laboriosa, eius ecclesiæ typum tenet, quæ in gentibus est. Per indicia ergo illorũ, quibus inuestigauit, fratres vnde estis, in domum illam quã quærebat, Iacob peruenit, quia videlicet per electionẽ siue per magisterium eorum, sedentium sup cathedrã Moysi, testimonium certaq; habetur discretio, qui ad Christum pertineãt, vel qui eius sint. Dixitque Iacob: adhuc multum diei supereſt, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges. Antè date potum ouibus, & sic ad pastum eas reducite. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquamus greges.) Quid est quòd melius hic aduena, quã indigenæ pastores tempus ouium nouerat, nisi q̃ Christus pastor bonus, melius q̃ scribę & pharisæi curare sciebat animas? Quid ergo est dicere, antè date potũ ouib. & sic eas ad pastũ reducite, nisi præcipere pastorib quatenꝰ sic dicãt, vt priores faciant. i. vt q̃ verbis prædicant, factorũ suorum exẽplo prædoceant. Quod q̃ non faciũt, eis vtiq; diei, id est, diurni operis multum supereſt, nec tempus est, eiusmodi mercenarijs vt reducant ad caulas oues, vbi reddatur eis quasi debita merces. Tales illi erant pastores Israel, quibus per Ezechielẽ væ prænunciatum est, qui non oues ad pastum reducere, sed semetipsos pote- *Ezech. 34*
rant pascere. Vnde & dicunt: Nõ possumus, donec omnia pecora congregentur, &c. Moris quippe illis erat ab omniũ animarum instructione vacare, donec de cunctis regionibus, & de gentib. etiã ad diem festum (verbi gratia, paschæ vel scenophegiæ) ad adorãdũ in Hierusalẽ cõgregarentur, & tunc pro arbitrio suo quasi amoto lapide, leuem exiguæ doctrinæ aquã illis fundebãt, scilicet docẽtes *Matth. 23.*
decimare mẽtham, cyminumq;, & anetum: & nullo vitæ exemplo propinantes, quæ grauiora sunt, iudicium, iustitiam, & fidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dee adem,& quod oſculatus eſt eam, eleuataq; voce fleuerit.

CAPVT XXVIII.

ADhuc loquebãtur. Et ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui, Nam gregẽ ipſa paſcebat. Quam cum vidiſſet Iacob & ſciret conſobrinam ſuam, ouesq; Laban auunculi ſui, amouit lapidem quo puteus claudebatur, & adaquato grege, oſculatus eſt eam. Eleuataq; voce, fleuit, &c.) Quantò melius hic paſtoribus illis lapidem amouit, gregemque adaquauit, qui damnatis traditionibus phariſaicis, veritatem ſcripturæ ſine perſonarum exceptione prædicauit, non exigens vt ad ſe plebium greges congregarentur, quanuis vltrò irruerent, & de ciuitatibus properarent ad eum, ſed circuibat per ciuitates & caſtella, pœnitentiam, inquiens, agite, appropinquabit enim regnum cælorum, quod erat eleuata voce flere. Vnde & quodam loco non pœnitentibus dicit: Lamentauimus, & non ploraſtis: ſic adaquato grege oſculatus eſt eam, quæ planè iam aliqua, ſed parua futurę coniugis confœderatio fuit: quia videlicet non valdè multos ex Iudæis prædicatione ſua ſibi copulauit. Idcirco autem illam oſculatus eſt, quod conſobrinam ſuam eſſe ſciret. Conſobrini dicuntur, quaſi conſororum, eo quod ex ſororibus, ſiue ex fratre & ſorore ſunt progeniti. Et quidẽ omnes Iudæi ſecundũ carnẽ, domino erãt propinqui: ſed nõ ille, hoc de omnibus ſciuit, id eſt, non omnium propinquitatem approbauit, cuius ſcire appropinquare eſt & approbare. Quos ille ſuo more ſciuit, illorum paruam quãtitatem oſculatus eſt, id eſt, ſibi adiunxit, ſuaq; illis ſecreta reuelauit tanquam amicis. (At illa feſtinãs nunciauit patri ſuo.) Benè, nam per illos paucos, quos ex ſynagoga diſcipulos habuit, toti mundo, cuius totum in Laban, partes autẽ in filiabus eius (vt ante diximus) ſecundum electionẽ figurantur, dominus Chriſtus innotuit. Auditis autem cauſis itineris, quam prono illum affectu exceperit, breui confeſtim enunciatione declarat. (Os meum es, & caro mea.) Idẽ enim eſt ac ſi diceret: En mea ſunt tua, tu enim os meum es, & caro mea. Rurſus ille quàm benigno ſeruitio ſe ſubmiſerit, quamq; temperanter coniugium expectauit, ex ſequentibus manifeſtum eſt. (Et poſtquam impleti ſunt dies menſis vnius, dixit ei: Nũ quia frater meus es, gratis ſeruies mihi? Dic ergo quid mercedis accipies? Habebat verò duas filias, nomen maioris Lya, minor appellabatur Rachel. Sed Lya lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venuſto aſpectu. Eccleſia de gentibus, quæ vt ſupra dictũ eſt) per Lyam figuratur, lippis erat oculis: etenim idololatriæ vitio ſorduerat, in vitijs mẽtis eius: & corrupta fuerat rationis vis, nec videre poterat claritatem eius, quæ in cælo eſt vnius veræque deitatis. Econtrario, ſynago-

Qualis paſtor Chriſtus. *Marci. 3.* *Luc. 5.* *Matth. 4.* *Matth. 11.*

Pſalm. 75.

ga quæ per Rachelem ſignificatur, pulchra facie & venuſto erat aſpectu, videlicet ex eo, quia notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius.

Quid ſignificet, quod Iacob pro coniugio eius ſeruiuit: & quòd Laban pro Rachel ſuperinduxerit Lyam.

CAPVT XXIX.

QVam diligens Iacob, ait: Seruiã tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis. Reſpondit Laban: Melius eſt, vt tibi eã dem, quàm viro alteri.) & reliqua. Hoc proprium huius patriarchæ eſt, quod in peregrinatione pro vxore ducenda, ſemetipſum tradẽs ſpontaneo ſeruitio, ſubditus fuit: neq; enim hoc de aliquo cæterorum legimus alicubi: ſicut & patris eius illud quod à patre ſuo ad immolandum ductus eſt: & filij eius Ioſeph, quòd à fratribus ſuis venditus, emptoribus ſuis in fame præuenit, proprium fuit. In quibus omnibus manifeſtè ſinguli, vt ſterilibus erant matribus, dei dono progeniti, propriam prætulere ſimilitudinem, naſcituri de virgine Chriſti filij dei: Quænam fuit ſeruitus, qua ille pro Rachel, id eſt, pro ſynagoga ſeruiuit? Nempe illa de qua dicit Apoſtolus: Quia cũ in forma dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualẽ deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. An non ſeruire mundo fuit, pœnitentiam agere, imò & pœnitentiæ baptiſmo baptizari propter peccata mundi, vt iuxta prophetam, illa proijceret in profundum maris, tandemque in crucem aſcendendo ſeruilia portare onera ſeculi, id eſt, ſuper ſe tollere peccata mundi, quibus erat grauatus? Huius ſeruitutis merces Rachel, id eſt, ſynagoga eſſe debuit: illam nanq; propter patres amauit Chriſtus, & propter illam ad ſeruitutem ſe veniſſe teſtatur, cum dicit: Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrahel. Sed enim Laban pro Rachel Lyam ſubintroduxit, quia videlicet ſub ſiſtente ſynagoga eccleſia gentium de toto mundo quaſi neſcientis ad Chriſti thalamũ introiuit: dum populus, quem iuxta Pſalmiſtam non cognouit, vel gens quæ iuxta Eſaiam nomen eius non inuocauit, ad ſeruitium eius, ad delitias amoris eius, id eſt, ad ſpiritus ſancti gratiam properauit.

Geneſ. 27. *Geneſ. 37.* *Quomodo ſeruiuit Chriſtus.* *Philip. 2.* *Miche. 7.* *Matth. 15.* *Pſalm. 17.* *Eſaiæ 55.*

Item de eadem re, & quid ſignificet quòd poſt Lyam, iunioris quoque nuptijs potitus eſt Iacob, & de earum ancillis.

CAPVT XXX.

QVid eſt quod facere voluiſti? Nonne, inquit, pro Rachel ſeruiui tibi? Quare impoſuiſti mihi? Reſpondit Laban: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi, & cætera.) Non paruo enim ſecundum humanitatem ducitur affectu pro illa gente Chriſtus

Affectus Chriſti & Apoſt. pro Iudæis.

Chriſtus vel eius Apoſtoli, quod maximè ex gemitu doctoris gentium agnoſcitur, cum dicit: Veritatem dico in Chriſto, non mentior teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu S. quia triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo', & cæt. Ad hæc mundus omnis, imò conditor mundi qui hunc eundem filium vel ſeruitorem miſit cũ auctoritate ſcripturarum, reſpondet & dicit: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias: Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi. Quod eſt dicere: Nõ eſt conſilij vel propoſiti diuini, o Chriſte fili dei, vt populo gentium, qui & antiquior & numeroſior eſt, illam gentem tuam præponas in gratia Euangelij tanquam Iudæorum tantum, & non etiam gentium deus ſit. Nunc interim cæptas cum eccleſia gẽtium nuptias page vſq; in finẽ ſeculi, & cum plenitudo earum ſubintrauerit, tunc & ſynagoga copulabitur tibi. Sanè ſingulis coniugibus, ſingulæ dãtur ancillæ, eodem ex viro filios parituræ, quia videlicet in vtraq; eccleſia ſunt aliqui qui per amorem, alij qui per timorem, vel ꝓpter aliud quid, quã, ꝓpter Chriſtũ, euangelio Chriſti ſeruiunt: Imò ſunt alij qui catholicam integrè profitentes fidem ſpiritualem Chriſto regenerant ſobolẽ, alij quidem (vt Apoſt. ait) ſunt, qui ſpeciẽ quidem habentes pietatis, virtutẽ autem eius abnegantes, extra catholicam eccleſiam prædicant & baptizant. Eorum ſectæ quaſi concubinæ ſunt. Attamen qui apud illos generati ſunt, ſi ad catholicam matrem redeant, hæreditate patris inter liberos non carebunt. Talium ignobilitatem concubinarum ipſa quoque nomina ſuis interpretationibus denotant. Zelphan quippe fluẽs os; ab ore non ab oſſe. Bala inueterata interpretatur, quæ nomina ſectis hæreticorum benè congruunt: fluunt: enim ore per loquacitatem vel contẽtionẽ, & priſtinam vitæ retinẽt vetuſtatẽ.

Rom. 9. *Rom. 12.* *2. Tim. 3.*

Item de eadem re iuxta anagogiam.

CAPVT XXXI.

Duplex vita actiua et cõtemplatiua.

ADhuc iuxta anagogẽ, & alia præſentis loci ratio eſt. Nam quod viro eccleſiaſtico ad perfectionem tendenti ſciẽdum eſt, ſcilicet duas eſſe vitas, actiuam videlicet atque contemplatiuam, quas & gentiles philoſophi adulterantes, alteram practicen, alterã theoricen dixerunt, & per actiuam ordinatè peruenire poſſe ad contemplatiuam, certiſſimo geſta hæc res exemplo eſt. Iacob deniq; de terra ſua egreſſus, ad puteum venit, & illuc Rachelem pulchra facie, venuſto que aſpectu inuenit, ſtatimque in amorem eius incidit, quoties quiſque ſupplantator vitiorũ Chriſtũ ſequi cupiens, ſacræ ſcripturæ ſtudijs incumbit, & inde contemplatiuæ vitæ pulchritudinẽ delectabilẽ eſſe cõperiens, protinus ad eius amplexus prorũpere geſtit. Optimã quidẽ partẽ eligere vult, quæ nõ auferetur, ſedere. ſ. ad pedes dñi & iugiter audire verbũ illius, iuxta conſiliũ dicentis: Vacate & videte, quoniã ego ſum deus. Sed altera prior quæ ſolicita eſt & turbatur erga plurima: in ſex enim exercetur miſericordiæ operib. quæ apud euangeliſtã Matth. hoc modo denumerantur: Eſurijui enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui & dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram, & collegiſtis me: Nudus, & cooperuiſtis me. Infirmꝰ, & viſitaſtis me. In his actiuæ vitæ operibus eruditum, tandem ad contẽplatiuam poſſe progredi, & hunc legitimum eſſe ordinẽ viuendi, ꝓpheta quoq; teſtatur cũ dicit: Bonum erit homini, cũ portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & leuabit ſe ſuper ſe. Et in Iob: Ingredieris in abundantia ſepulchrum. i. cum ditatus fueris actiuæ vitæ redditib. tunc demum non defecturus quieſcere poteris intra contemplationis latibulũ. Hæc per Lyam, quod interpretatur laborioſa, fœcundã quidẽ, ſed minus videntẽ rectè figuratur. Nã quaſi lippis oculis minus cõtemplatur ſpiritualia, dũ ſolicita eſt & turbatur erga plurima. Porrò Rachel pulchra quidem, ſed ſterilis, contemplatiuã deſignat, quæ dũ vni quod neceſſarium eſt intẽdit, venuſto aſpectu plus videt, & ſancto vacans ocio quaſi minus parit. Igitur dũ repentè quis omiſſis gradibus feſtinando ad arcem cõtẽplationis, Rachelẽ præripere contendit, benè nonnunquã cũ illo agitur, vt prius Lyæ teneatur nuptijs, videlicet protractus foras ad actiões laborioſas frequentis miniſterij. Qui ſi contra quid muſitet, vel querulo geſtu ſtrideat, dicit ei ſancta ſcriptura: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. i. non ita ſe habet ordo, vt ad cõtemplatiuam quæ minus operando minor eſt, ante vſum actiuæ vitæ quiſque proſiliat: Imple hebdomodam dierum huius copulæ, & hanc quoque poteris obtinere. Nam ſicut ſex diebus cuncta Deus operatus eſt, & in ſeptimo requieuit: ſic prius oportet quẽq; in ſex prædictis miſericordiæ operibus exerceri, vt tunc demũ iure in cõtemplatiua ſabbatizare poſſit. (Videns aũt Dominus quòd deſpiceret Lyam, aperuit vuluã eius, ſorore ſterili permanente.) Quòd Lyam deſpiceret, id eſt, minus diligeret. Sic enim prædictũ eſt, qa tandẽ potitus nuptijs optatis, amorẽ ſequentis priori prætulit: Nec iniuria: nã hæc iure data vel accepta, illa aũt fraude ad eius thorum fuerat introducta. Et notãdũ, quia videſ dñs, quòd Lyã deſpiceret, nõ ĩ eo miſeratꝰ eſt, vt de lippa venuſtã aſpectu faceret: ſed in eo, vt ſorore ſterili permanẽte, vuluã eius aperiret. Sẽp enim actiua vita minus videt, & lippis perſeuerat oculis, & eſt talis, qualẽ Apoſt. mulierẽ in eccleſia docere non permittit. Saluabitur aũt, in qt, per filiorũ generationẽ. i. per operũ miſericordię exhibitionẽ. Quã enim cauſam ſubijciet rex ſedẽs in ſede maieſtatis ſuæ cùm

Luc. 10. *Pſal. 45.* *1. Tim. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixerit: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ q̃ vobis paratum est ab origine mũdi: nisi esuriui & dedistis mihi manducare, & q̃cq̃d fecistis vni ex his minimis meis, mihi fecistis? Saluabitur ergo per filiorũ generationem, illa quæ ad virilem nõ peruenit perfectionem, id est, vita illorum, qui in solis actibus remanserunt, & nunquã ad contemplatiuæ gratiam profecerunt, iustificabitur per operum bonorum executionem. *Matth. 25.*

De nominibus filiorum Iacob.

CAPVT XXXII.

OMnium patriarcharum nomina, simulque cõpendiosa lectio nominum etymologiam repræsentat. (Et vocauit, inquit, nomen eius Ruben, dicens: Quia vidit Deus humilitatem meã.) Ruben interpretatur visionis filius. (Et concepit alterum filium, & dixit: Quoniam audiuit Dominꝰ haberi me contemptui, dedit etiã istum mihi: Vocauitque nomẽ eius Symeon.) Ab eo q̃ sit audita, Symeon nomen imposuit. Symeon quippe interpretatur exauditio. De tertio verò sequitur: (Et concepit adhuc & peperit filiũ, & dixit: Nunc quoq; copulabitur mihi maritus meꝰ.) Id est, erit mihi in hac vita comes, & eius dilectio ad mortẽ vsq; deducet me, & prosequetur, eò q̃ genuerim ei tres filios. (Et idcircò appellauit nomen eius Leui,) q̃ interpretatur additus. (Quartò concepit & peperit filium, & ait: Modò cõfitebor Domino. Et ob hoc vocauit eum Iudã.) Iuda confessio dicitur. A confessione itaq; confessoris nomen eius est dictum. Veruntamẽ hic confessio pro gratiarũ actione, aut pro laude accipitur, vt frequenter in Psalmis. Et in euangelio: Confiteor tibi pater Dñe cæli & terræ. i. gratias ago tibi, siue glorifico. (Et concepit Bala & peperit filium. Dixitq; Rachel: Iudicauit me Dominus, & dedit mihi filium. Propterea vocauit nomẽ eius Dan.) Causam nominis expresit, vt ab eo q̃ iudicasset se dominus, filio ancillæ iudicij nomẽ imponeret. Dan quippe interpretatur iudiciũ. (Rursumq; Bala concipiens peperit alterum. Pro quo ait Rachel: Cõparauit me dñs cum sorore mea, & inualui. Vocauitq; nomen eius Nepthalim.) Quod interpretatur dilatatio. Et peperit Zelpha ancilla Lyæ filium. (Et dixit Lya: Feliciter. Et vocauit nomen eius Gad.) Gad enim euentus siue procinctus interpretatur. A bono enim euentu, siue felicitatis suæ procinctu, tale filio ancillæ suæ nomen imposuit. (Peperitq̃ Zelpha alterum. Dixitq̃ Lya: Hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicẽt mulieres.) Et ab eo quòd beata dicatur ab hominibus, filium suum beatum vocauit. Aser enim beatus dicitur, duntaxat in præsenti loco. Nam in alijs secundũ ambiguitatẽ verbi, posũt & diuitiæ sic vocari. (Exaudiuit deus preces Lyę, cõcepitq̃, & peperit filium quintum, & ait: Dedit mihi Deus mercedẽ, quia dedi ancillam meam viro meo. Et vocauit nomen eius Isachar.) Etymologia nominis huius ab eo sumpta est, quòd ait: dedit Deus mercedẽ meã. Isachar enim interpretatur merces. Is quippe dicitur est, sacher merces. Hoc autẽ ideò, quia Mandragoris filij sui Ruben introitum, qui Racheli debebatur, ad se viri emerat. (Rursum Lya concipiens, sextum peperit filium, & ait: Ditauit me Deus dote bona. Dotis enim indigebat pro cõmendatione sua, quæ non expetita, insuper & indotata viro clam tradita fuerat. Interpretatur aũt Zabulon habitaculum fortitudinis, ex eo videlicet sumpto vocabulo, quòd ait: habitabit mecũ vir meus, quia peperi ei sex filios. Et est sensus: Propterea iam secura sum, nec futurũ mihi diuortium timeo, siue repudiũ. (Quia sex filios genui Iacob. Et post hæc peperit filiam, & vocauit nomen eius Dinam.) Hæc transfertur in causam. Iurgij enim in Simichimis causa extitit. Post filios & parentum ponenda sunt nomina, Lya interpretatur laborans, Rachel ouis, cuius filius Ioseph, ab eo quod sibi mater alium addi optauerat, vocatur augmentum. *Matth. 11.* *Gen. 34.*

De Ruben primogenito, & quòd primogenita sua reputata sint Ioseph.

CAPVT XXXIII.

RVben itaque primogenitus fuit. Sed cũ violasset thorum patris sui, primogenita eius Ioseph (vt in Paralipom. legitur) data sunt, & non est reputatus in primogenitum. Porrò Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt, primogenita autem reputata sunt Ioseph. Nõ ergo quod odiosa fuerit Lya, dilecta autem Rachel, idcircò primogenita data sũt Ioseph: sed quia culpa sua perdidit is cuiꝰ erãt: deinde, cui voluit dedit pater illa. Nam pro eiusmodi causa, talem fieri transpositionem & lex vetat: Si habuerit homo (inquit) vxores duas, vnã dilectam & alteram odiosam genueritq̃; ex ea liberos, & fuerit filius odiosæ progenitus, volueritq̃; substantiam inter filios diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitq̃; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. Iste etenim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. Igitur primogenita tunc iure trãspolita, quãdo Ruben perdidit, Ioseph duplicia patre dãte accepit, videlicet vbi dixit. En ego morior, & erit dñs vobiscum, reducetq̃; vos in terrã patrum vestrorum: daboq̃; tibi partem vnã extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorræi in gladio & arcu meo. Sacerdotiũ verò, q̃ & ipsum eatenus primogenitorum fuisse Hebræi tradunt, datum est Leui. Ita primogenita quæ vnus perdidit, tripartita diuisa sunt, vt Iudas principatum, Ioseph duplicia, Leui acciperet sacerdotium. Porrò, cur in Apoc. Iudas primus ponatur, & deinceps nullus generationis *1. Paral. 5.* *Cur à Ruben ablata sunt primogenita.* *Deut. 21.* *Gen. 46.* *CAPVT XXX.* *Apoca. 7.*

nerationis huius ordo seruetur, alia ratio est, quæ ad præsentem locum non pertinet.

Quæ sint spiritualiter in Christo coniuges liberæ, & quæ ancillæ.

CAPVT XXXIIII.

AVres nimium pudicas præsens lectio diuerberat, nimium fatigantur audire æmulationes quatuor mulierum de vno viro concertantium. Sed habeant cũ simplicitate sua prudentiam, sciãtq̃;, totum quicquid est dictum vel factum, redolere magnũ liberorum desiderium, tantaq̃; instantia properent animæ prudentes, spirituale de Christo viro suo semen concipere vel parere, quanta illas auiditate virum suum præripere, quãto audiunt gaudio filios suos in partus suscipere. Nã huius Christi nostri, vnius viri, sunt coniuges liberæ, sunt & concubinæ ancillæ. Sexaginta (inquit) sunt reginæ, & octoginta sunt cõcubinæ. Quæcunq; est regina siue libera, vero amore ingemiscit & parturit: v. g. cũ dicit: Filioli mei quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis. Sed nõ eo cõtẽta sit. Tãta beati seminis multiplicandi auiditate dilatetur, vt ancillas quoq; viro huic permittat, & dicat. Quid enim dum omni modo, siue per occasionẽ, siue per veritatem Christus annuncietur? Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Fieri nanq; potest, quia sæpe factum est, vt quẽ ancilla vel concubina cõcepit, eum super genua liberæ pariat. i. vt is qui per annunciationem inuidentis verbum audiuit, cõfiteatur & teneat in catholica matre ecclesia vitæ & vnicæ perfectionẽ fidei, & ita nihil differat à legitimis filijs in acceptione paternæ hæreditatis. Nunquid enim, quãdo eiecit dominus gẽtes à facie filiorũ Israel, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis, Gad, & Aser, & Dan, & Nepthalim, aliquid minus vel tardius acceperunt, pro eo quòd essent ex concubinis siue ancillis? Itaque & in huiusmodi asperitate quidẽ exterioris paleæ simplicium sensus offenditur: sed interiore grano perfectiores, quorũ est solidus cibus, non minimè delectantur. *Cant. 6.* *Galat. 4.* *Philip. 1.* *Psal. 77.*

Quod Ioseph nato, dixerit socero suo: Dimitte me, vt reuertar.

CAPVT XXXV.

NAto autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me, vt reuertar in patriã & ad terram meam. Da mihi vxores & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam. Tu nosti seruitutẽ qua seruiui tibi. (Sic præmissum est: nato aũt Ioseph, vt proculdubio subintelligas, quia nondum nato illo hæc dicere Iacob renuisset. Si enim etiam tunc timuit, ne auferret filias suas, & idcircò clam illo profectus est, sicut ait, quod inscio te profectus sum, timui, ne violenter auferres filias tuas, quantò magis Rachelem quam amabat, auferri sibi timere poterat, si proficisci vellẽt, cùm adhuc nullum in ea filium sibi suscepisset? Ergo quia per natiuitatem Ioseph velle vxores confirmatum sibi esse credidit, rectè nato Ioseph ista dixit: Vel hęc dicta eius relatura nato Ioseph, scriptura premisit, simulq̃; ad exaggerãdũ ius suæ dimissionis, vt dimitteretur exire cum vxoribus suis: Tu (inquit) nosti seruitutem qua seruiui tibi. Sed nec illud prætereundum, quod ait: vt reuertar in terram & ad patriã meã peregrinationẽ patrũ suorum, patriã terramq̃; suã vocans propter deum: & ecõtrario, terrã patrum suorum peregrinationẽ suam vocãs, cùm dicit: apud Laban peregrinatus sum. *Gen. 23.*

Quid sit spiritualiter, quòd Iacob virgas ex parte decorticauerit: conceptusq̃, tempore in conspectu ouium posuerit.

CAPVT XXXVI.

ET ait Laban: inueniam gratiam in conspectu tuo. Experimẽto didici, quòd benedixit mihi Deus propter te. Cõstitue mercedem tuam, quã dem tibi. At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dies factus es: Benedixitq̃ue tibi Dominus ad introitum meum. Iustum est igitur, vt prouideam aliquando etiam domui meæ.) In præsenti lectione habemus, quia tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra erant, viridia permanserunt. Quid est virgas virides amygdalinas, atque ex platanis, ante ora gregum ponere, nisi per scripturæ sacræ seriem antiquorum patrum vitas atque sententias in exemplum populis præbere? In quibus dum plerunque intellectum literæ fugimus, quasi corticem subtrahimus, & dum plerunque intellectum literæ sequimur, quasi corticem reseruamus. In primis igitur & præsentem locum hac similitudine considerandum suscipiamus. Est enim hæc vita patris nostri Iacob virga iure nominãda, quia videlicet iuxta rationis examẽ recta est. Proinde ex parte detracto cortice literæ, in eo quod spoliatum est interim allegorię candor appareat: & ex parte cortice seruato, res sicut gesta est in exẽplum trahẽda permaneat. Quomodo? Videlicet vt nunquam in euangelio Christi carnaliter, exẽplo huius patriarchæ nostri Iacob, licito quadruplicanda cõiugia prædicemus. Imò etiã vno, quod solum licitum est, abstinere cõsulamus. Vetera enim huiusmodi trãsierunt, & eccè facta sunt omnia noua. Post legẽ datã non valuit hoc exemplum ad duas sorores in cõiugium vnius viri ducendas, quanto minus valere debet post legẽ sub euãgelicæ gratiæ præsentia? Fuerit tunc tẽpus seminãdi vel lapides spargendi, nunc autem metẽdi, & lapides colligendi tempus est. *1. Cor. 3.* *Eccles. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Igitur in huiusmodi detracto literæ cortice, intimus quæratur candor allegoriæ, vt superius iam dictum est. Porrò quòd deinceps ait Iacob, iustum est igitur, vt prouideā aliquando etiā domui meæ, scilicet congruæ mercedis exactione: sic in euangelio Christi pro exemplo haberi debet, vt nullatenus amoueatur exterior cortex literæ, sed res vt gesta est sic habeatur pro lege consonante autoritate euangelica, qua dictum est, dignus est operarius mercede sua.

Luca 10.

De eo quod dixit Laban: Experimento didici, quòd benedixit mihi deus propter te.

CAPVT XXXVII.

DIcamus ergo huic mundo, cuius typū Laban tenere supra diximus, quoniam ipse fatetur & dicit: Experimento didici, ꝙ benedixit mihi deus propter te, dicamus inquā, illi in persona capitis nostri Christi, propter quē illum domin⁹ benedixit. Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quāta in manib. meis fuerit possessio tua. Modicū habuisti antequā venirē, & nunc diues effectus es, benedixitq; tibi dominus ad introitū meū. Quid enim habebat hic mundus antequā Christus veniret? Quid nisi modicū legalis sciētiæ, quā & pauci nouerāt, modicūq; carnalium cæremoniarum, quarū ritu vmbratico perpauci vnū deū vt cunq; colebant? At nūc diues (inquit Christus) effect⁹ es, benedixitq; tibi deus ad introitum meum. Verè diues effectus est mundus vniuersus præclara nimis veri dei notitia, benedixitquè illi deus ad introitum Christi filij sui omni benedictione spirituali, qua & in primis illi omnia peccata condonauit: licet pleriq; retrorsum abeant, & conuertantur post Sathanam: & deinde multiplicia dona contulit spiritus sancti. Iustū igitur est (inquit) vt aliquando prouideam etiam domui meæ. Quænā domus Christi est, nisi illa domestica eius familia, quæ altario deseruit, & de sacramentis spiritualibus rationales plebiū greges pascit? Hic est ordo apostolicus, sacerdotalis q;, ac leuiticus, qui prius gratis seruiuit, annuncians euangelium regni dei, non solùm gratis, sed etiam periculosè, recipiēdo scilicet mala ꝓ bonis: donec Lya pariter & Rachel Christo cōiungerentur. id est, vtriusq; actiuæ scilicet & contemplatiuæ vitæ varietates per orbem terrarum in ordinibus suis multiplicarētur. Tandē ad ipsum Laban, id est, ad ipsos mūdi reges imperatores, cæterosq; principes ac summos hominū abūdantia gratiæ peruenit: Iustū igitur fuit Christū aliquādo prouidere domui suæ, id est, de regū palatijs, de principū thesauris ac prædijs suas ecclesias ditare, vt esset vnde haberet sufficientiā in sumpt⁹ necessarios altario seruiētium, in vsus pauperum ac peregrinorum, in restauratiōes ecclesiarū vel cœmeteriorum.

Quæstio de iustitia Iacob.

Iacob an in hoc iustitia sua sibi responderit, cum strophā commentatus sit nouam, dum aduersus naturam albi & nigri pecoris, arte pugnauit.

CAPVT XXXVIII.

DIxitque Laban: Quid dabo tibi? At ille ait: Nihil volo. Sed si feceris quod postulo, iterum pascā & custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, & separa omnes varias oues, & sparso vellere, & quodcunq; fuluum, rufum, & maculosum fuerit tam in ouibus quā in capris, erit merces mea. Respōdebitq; mihi cras iustitia mea, quādo pla citi tempus aduenerit coram te.) & reliqua. Hic iam quæritur, vtrum verè in hoc illi iustitia sua responderit, vel quomodo secundum actum eius, iustitia illius dici vel esse potuit. Quid enim ille egit? Nónne strophā nouam commentatus est, contra naturam albi & nigri pecoris, naturali arte pugnauit? Tollens enim virgas populeas, & amygdalinas, atque ex platanis, & ex parte decorticans, varium virgarum fecit colorem, vt vbicunq; in virga corticem reliquisset, antiquus ꝓmaneret color: vbi verò tulisset corticem, color candidus permaneret, inq; nitorem panderetur. Obseruabatq;, & tempore quo ascendebantur pecora, & post calorem diei ad potandum auida pergebant, discolores virgas ponebat in canalibus, admissisq; arietibus & hircis, in ipsa potandi auiditate oues, capras, faciebat ascendi, vt ex duplici desiderio, dum auidè bibunt, & ascendūtur à maribus, tales fœtus cōciperent, quales vmbras arietum & hircorū desuper ascendentium, in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis, varius erat etiam imaginum color. Nec mirum hanc in cōceptu fœminarum esse naturam, vt quales perspexerint siue mente concepe-rint, in extremo voluptatis æstu quo concipiunt, talem sobolem procreent: cùm hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri. Et Quintiljanus in ea cō trouersia, in qua accusabatur matrona, quòd Aethiopem peperit, pro defensione illius argumentetur, hanc cōceptuum esse naturam, quā supra diximus. Hoc ergo quæritur, vtrum rectè ab hoc in tali facto iustitiæ respō sum speretur, in quo dolus vel impostura manifestè conuincitur.

Item de eadem re, & quomodo in arte illa excusabilis sit.

CAPVT XXXIX.

ADhæc dicimus, qa & ante hāc strophā iamdudū Iacob contra Laban causam iustitiæ habebat, etsi tēpus sibi placiti coram illo cū legitima defensiōe daretur, substantiā illius iure tollere debebat. Ille nanq; vnā postulāti filiā in coniugium, & pro vna seruitium suscipienti, alterā quoq; peregrino & aduenæ per fraudē imposuerat, illā videlicet cuius nuptias, quia despicabilis erat, difficiles sibi fore sciebat. Nec enim sine magna dote quis illā strenuus acciperet, quā facies, quæ multū valet expetibilē in huiusmodi nō fecerat. Si (inquā) tempus sibi placiti daretur, Laban

CAPVT XXXI.

Laban pro hoc in ius vocare habebat, quia filias suas alendas, illi sine dote imposuerat, in super & pro ea quam inrogatus extruderat, seruitium septem annorū extorserat. At ille peregrinus erat & aduena, idcirco violentū & fortiorem indigenā in ius vocare non poterat. Arte igitur necessariò, pro filia contra patrem vsus est, vt ad filiam, cui competebāt bona patris, aliqua deuenirent. Et de hoc illi in omni tempore placiti, iustitiæ respōsum præsto est. (Igitur quādo primo tempore ascendebant oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarū, ante oculos arietum & ouium, vt in earum cōtemplatione conciperēt. Quando verò serotina admissura erat, non ponebat eas. Factaque sunt ea quæ erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob.) Et in hoc euidentissimæ respectus iustitiæ est. De primi nanque temporis nuptijs (sicut iam dictum est) ex parte Laban iniusti tiæ causa suberat: pro serotinis autem nuptijs Rachel nihil querelæ habebat, nihil dotis iure repetere poterat. Iustè itaq; omnia temperauit, vt & ipse fructū laboris sui acciperet, & Laban non penitus spoliaretur.

De eo quod dictum est, Ditatusq; est homo vltra modum, & quid mystice significet.

CAPVT XL.

2. Cor. 8.

DItatusq; est homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas, & seruos, camelos & asinos.) Hic insigniter homo dictus est, vbi qui tenuis venerat, dicitur, quia vltra modum ditatus est. Quod si in isto insigne & admiratione dignum est, quantò magis in homine illo, cuius hic typus est? Et

Psal. 8.

enim ille verè ac singulariter homo, quia Deus & homo, qui pauper fuerat: nam cùm diues esset (inquit Apostolus) pro nobis pauper factus est: & eccè ditatus est, non solùm in seipso, vbi gloria & honore coronatus, &

Luca 10.

super opera manuum patris constitutus est: verumetiam in præsenti domo sua, id est, ecclesia, vbi illa supradictis eius ministris, iam dudum seruatur dignitas, quam illis auctoritas Euangelica iustè vendicat, dicendo: Dignus est operarius mercede sua. Adæquata est enim plerisque in locis, domus Christi re

2. Cor. 1.

gum palacijs, habetque corporaliter greges multos, ancillas, & seruos, camelos & asinos, tanta copia, vt non solùm spiritualia, sed etiam carnalia indigentibus, abundè porrigere sufficiat. Non quòd in his gloriemur, nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, sed quòd gratiarum actionis causa nobis esse debeat, quòd religionem teneamus in abundantia, quam ille pater noster

9. Cor. 9.

Christus acquisiuit inopia, & mendicitate sua. De omnibus respondebit illi iustitia sua: cras, id est in futuro iudicio, quando placiti tempus erit. Quid respondebit: Videlicet quod respondendum significauit Apostolus, cùm diceret. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si vestra carnalia metamus? Nónne hic, cæteriq; Apostoli vel Apostolici viri cùm possent vel scirent Rachelis amplexibus frui, id est, contēplatiuæ vitę dulcedine pasci, ad Lyam, id est, ad actiuam vitam, propter hunc miserum mundum declinauerunt? Nónne qui cælum mente inhabitare, & volebant, & poterant, ex gratia Dei, adusque disponenda coniugia descenderunt. Verbi gratia, dicendo: Vir vxori debitum reddat, & vxor viro? Nempe hinc est illa cuiusq; talium querela. Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Iure igitur qui in nobis loquitur Christus, virgas partim decorticans, partim in eis corticem linquens, in carnalibus ponat, in conspectu ouium, vt varios in earum contemplatione fœtus concipiant: & sic substantiam Laban auferat vnde ditescat, id est, partim allegoricam, partim historicam de scripturis proferendo doctrinam, suos animet auditores ad hoc, vt ministris altaris bona cum hilaritate ingerant, quia videlicet nemo est qui pascat gregem, & de lacte eius non comedat: qui plantet vineam, & de fructu eius comedere non debeat: licet inuideant filij huius seculi, quemadmodum & illi filij Laban, de quibus protinus subditur.

1. Cor. 7. Can. 5.

1. Cor. 9.

Quod vtile fuerit Iacob, verba filiorū Laban audisse, quodq; vxores suas pater quasi alienas reputārit, & vendidit, quod hæc carnalia in typum acciderint spiritualium.

CAPVT XLI.

POstquam autem audiuit verba filiorum Laban, dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fuerant patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus: animaduertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius, maximè dicente sibi domino, reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam. (Hæc verba filiorum Laban, Iacob in bonum cooperata sunt, & illa vultus eius austeritas, de qua vocatis ad se Rachel & Lya dixit: (Video faciem patris vestri, quod nō sit erga me, sicut heri & nudiustertius.) Bonum quippe illi erat, audire vocem Domini Dei, dicentis: reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum, & imitatorem esse perpetuū obedientiæ & peregrinationis, vt hæres quoque in æternum existeret benedictionis Abraham, aui sui, & Isaac patris sui, quibus non parua cura fuit nunquam reuerti illuc, vnde vt exirent præceperat illis DEVS. Vnde est illud. Caue ne filium meum reducas illuc. Ac deinceps: Filium tantum meum ne reducas illuc. Igitur & hæc quæ prædicta sunt, & ea quæ postmodum ad Rache-

CAPVT XXXI.

Gen. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Rachelem & Lyam loquitur, sed pater vester circumuenit me,& mutauit mercedē meam decem vicibus,& cæt.in illud bonum sancto viro cooperantur, vt quo vocabat deus,illuc ipsa aduersitate impellente,citius insequeretur. Nihilominus & ipsis coniugibus in idipsum bonum cooperata est inclementia patris non amabilis, de qua protinus conqueruntur,& dicunt. (Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus,& hæreditate domus patris nostri? Nónne quasi alienas reputauit, & vendidit, comeditque precium nostrum?) Hoc vento aduerso nauigium feliciter impellente, vltro portum aspiciunt,& dicunt.(Sed Deus tulit opes patris nostri, & nobis eas tradidit, ac filijs nostris. Vnde omnia quæ præcepit tibi Dominus, fac.) Hæc,inquam,illis quoque cooperata sunt in bonum suum, vt citius talē sequerentur virum, & cum patribus tanti meriti, promissiones acciperent eorūdem patrum, essentque in exemplum spiritualium ad institutionem animarum, qualiū quilibet in
Psal. 44. Psalmo dicentem audiuimus spiritum sanctum,siue patrem Christi Deum: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,& concupiscet rex decorem tuum. Nam sicut illas coniuges Iacob aduersa hæc impulerunt, vt illum relinquerent patrem,qui filiarū comedisset precium, & talem sequerentur virū: sic & aduersa mundi plerunq; dilectam deo
Osee.1. iuuant animam, vt anhelātius tēdat ad Deū. Vnde & illi per prophetam dicit Deus:Eccè ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria,& semitas suas non inueniet,& sequetur amatores suos, & non appræhendet eos,& quæret eos,& non inueniet, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorē, quia benè mihi erat tunc,magis quàm nunc. Ipse Iacob antequam eiusmodi spinis offensus fuisset,cùm adhuc molliter exciperetur, dicente Laban: Inueniam gratiam in conspectu tuo,experimento didici, quòd benedixit mihi Deus propter te,&c.tardauit reuerti,& dixit: Si feceris quod postulo, iterū pascam & custodiā pecora tua. Nunc autē vbi læsus fuit,surrexit itaque Iacob,(ait scriptura) & impositis liberis & coniugibus suis super camelos, abijt pergens ad Isaac patrem
Rom. 8. suum in terram Chanaan. Ita & in cęteris planum est,verā esse sententiā Apost. dicentis: Scimus quoniā diligentib. Deum omnia cooperantur in bonū,his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Sanè in eo, quod dicit Iacob: Leuaui oculos meos,& vidi in somnis ascendentes mares super fœminas varios & maculosos,& diuersorū colorum,dixitq; angelus Dñi ad me: Leua oculos tuos,& vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas,varios, respersos,& maculosos, vidi enim omnia quæ fecit tibi Labā: manifestat ꝓphetā illam,q̄ de virgis exercuit, cælesti auctoritate egerit,quia videlicet ꝓ causa superiùs dicta, iustum erat vt tolleret Deus substantiam Laban, & daret illi.

Quòd Rachel patris sui idóla furata fuerit.

CAPVT XLII.

EO tempore Laban ierat ad tondēdas oues,& Rachel furata est idola patris sui.) Et si non aliundè,saltem ex hoc satis aduertere poterat Iacob, ꝙ nō esset facies Labā erga se, sicut heri & nudiusterti⁹, quia ꝙ apud antiquos magnæ frequētiæ amicorū,& festiuæ erat lætitiæ.s.tondere oues absq; ipso qui custos gregum erāt, ille agebat. Nam illo relicto,& omnibus qui ad eum pertinebant, tam coniugibus,quàm filijs,ierat ad tondendas oues suas. Benè ergo discessus eius,fuga dicitur,cum protinus subditur. Noluitque Iacob indicare socero suo, quod fugeret. Et Rachel, inquit, furata est idola patris sui. Hoc loco primùm scripturæ auctoritas,ido *Matth. 9.* lorum nomen vel cultum præsentat. Rectè *Marc.5.* ergo in illa Euangelica lectione, qua legitur *Luc.8.* mulier à duodenni fluxu sanguinis sanata, & puella duodennis resuscitata, illud diuinū à patribus animaduersum est, quia quando mulier sanata est,tunc puella mortua est,sicut quando mulier cœpit infirmari, tunc illa puella nata est, in typum videlicet gentilitatis & synagogæ: quia quando gentes in idolatria fluere cœperunt, tunc in istis patribus Abraham, Isaac,& Iacob, synagoga nata est,& quando gentilitas per fidem Christi sanata,tunc synagoga præ inuidia, & infidelitate mortua est. Porrò Rachel, quæ idola furata est,claret quia perfectæ fidei nondum erat. Sed antequam obiret, oportunè nimis *Gen.35.* ad Iacob dictum est: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini ac mutate vestimenta vestra. Dederunt ergo ei. At ille infodit eos subter therebintum. Nec multò post scriptum est:Mortua est autem Rachel,& sepulta est in via, quæ ducit Ephratam,hæc est,Bethleem. Non ergo paruo bono suo virum fidelem sortita vel secuta est, cuius side saluata est. Sanctificata est quippe mulier infidelis, per virum fidelem. Et proinde rectè & rationaliter ab Apostolo dictum est: Si quis frater habet vxorē infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, nō dimittat eam.Et si qua mulier habet *1.Cor.7.* virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa,non dimittat virum.Et post pauca: Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? Aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? Porrò vbi nunc idola legimus, in Hebræo therafin scriptum est, quòd transfertur in figuras vel imagines. Hoc autem *Iud.18.* ideò,vt sciamus quid in Iudicum libro therafin sonet.

Quomodo iniquus in somnis viderit corripientem se Deū: ne asperè quicquam contra Iacob loqueretur.

CAPVT XLIII.

Cumque

CAPVT XXXI.

CVmq; abisset tam ipse, quā omnia quæ iuris sui erant,& amne transmisso pergeret contra montē Galaad, nunciatū est Laban ꝙ fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem, & cōpræhendit eū in monte Galaad.) Non quòd eo tēpore Galaad mons diceretur, sed per anticipationē illo vocatur nomine, quo
Num.3. postea nuncupatus est. Est autem ad tergum Phœnicis & Arabiæ,collibus Libani copulatus,extenditurq; per desertum vsq; ad eum locū, vbi trans Iordanem habitauit quondā Seon rex Amorrhæorum. Cecidit supra di-
Quomodo Laban vidit Deum. ctus mons in sortem filiorū Ruben,& Gad, & dimidiæ tribꝰ Manasse. (Viditq; in somnis sibi dicentem Deum: Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob.) Non audiuit hic Deum vocantē se ex nomine, vt vocare solitus erat Iacob: nec enim eius erat meriti, propter quod nosset eum deus ex nomine, sed tantummodo vidit.s. iratum, cōminantem, & dicētem: Caue. Nempe & hoc ipsum ꝙ vidit,non propter se,sed propter alium vidit, vt sciret ille, quantam sui curam gereret
Gen. 26. Deus,propter quem indigno apparere, vel
Gen.12. 20 ab indigno videri dignaretur. Sic & propter
Psal. 104. Isaac Abimelech corripuit: & propter Abraham Pharaonem flagellauit, iuxta Psal. dicētem,non reliquit hominem,subauditur Laban,nocere eis:& corripuit pro eis reges, subauditur Pharaonem & Abimelech. (Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas, quasi captiuas gladio? Cur me ignorante fugere voluisti,nec indicare mihi,vt prosequerer te cum gaudio, & canticis,& tympanis,& citharis?&c.) Hęc dicens cauit quidem iuxta comminationē dei, ne loqueretur quicquam durius contra Iacob,sed ipsam cautelam suam mendacio infatuauit, ita vt manifestè ex ore suo redarguendus sit,si enim hæc illum cura tāgebat, quòd non fuisset passus Iacob, vt prosequeretur se cum gaudio,& canticis & tympanis, & citharis, quare illū (sicut ipse fatetur) corripuit Deus,ne durius quicquam loqueretur? Rectius ergo sibi cauisset,si verum confitēs, Deo & benè merito clienti, dignam satisfactionem citius obtulisset.

Quòd quamuis propheta esset Iacob, ignorabat tamen quòd Rachel furata esset idola.

CAPVT XLIIII.

STultè(inquit) operatus es. Et si ad tuos
Gen.25. ire cupiebas,& desiderio tibi erat domus patris tui,cur furatus es deos meos?) Hic loquendi tempus erat viro sapienti, qui vtiq; non solùm in hoc, verumetiam & in cæteris erat sapiēs, licet eum simplicem scriptura superius appellauit,dicendo: Iacob autem simplex habitauit in tabernaculis. Simplicitati nanque columbæ, prudentiam serpentis sociauerat, & de vtroque vnam sibi sapientiā formauerat,quippe qui eluso Laban diues reuertebatur,patrocinante sibi iustitia. Igitur cum stultitia coarguerētur ab illo,dicēte: Stultè operatus es,adhuc patienter siluit: vbi autem ab eodem interrogatus est,cur furatus es deos meos, sic ad interrogata dedit responsum,vt prius stultitiæ pelleret elogiū. Ait enim:(Quòd inscio te profectus sum,timui ne violenter auferres filias tuas. Quòd autē furti me arguis, apud quemcūque inueneris deos tuos,necetur coram fratribus nostris.) Tanquam diceret.Quòd inscio te profectus sum,non solùm iniustitiæ non est argumentum,verumetiam stultitiæ repugnās sapientiæ vel rationis effectum. Stultus nanque is iure dicendus est, qui eum vnde malū sentit sibi imminere,non cauet: Ego autem mihi cauendum à te, non dubius sciebam, quippe cùm tu immutaueris mercedē meam decem vicibus. Si igitur non mihi cauissem, vt inscio te proficiscerer,cælesti meipsum tutelæ committens,& credens custodiæ quam mihi pollicitus est: tunc potius ergo stultus damnis meis arguentibus inuenirer. Porrò de eo quòd me furti arguis,cedo:nunc ius esto. Apud quemcunq; inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Fratres hic appellat filios suos, quamuis intelligere liceat aliquos cum Labā veniſſe propinquos, quales iure fratres appellaret more vsitato. (Hæc dicēs, ignorabat quòd Rachel furata esset idōla.) Igitur propheta quidem Iacob, *Psal. 104.* & propheta Isaac,sicut in Psalmo, vbi dictū est: Nolite tangere Christos meos,statim subiūgitur:& in ꝓphetis meis nolite malignari: sed neque hic,qui domesticum furtum ignorauit,neque ille qui in benedicendo filio falli poterat, neque quisquam hominum vn- *Vide su.eo. lib.cap.16.* quam omnia sciuit, vel semper subiectum prophetiæ spiritum habuit,præter eum,qui homo cùm sit,Deus etiam est,& omnia scit, cùm sit ipsa sapientia Dei. Non ergo parum in verbo contra semetipsum offendit, qui tam citò protulit sententiam,non tamen iniustā. Etenim si morte dignus est, qui idola colit,quātò magis qui pro amore idōlolatrię furtū facit? Imò si iustè aliqui Iudæorum, sic ut in lib. Machabæorū legitur,idcircò cor- *2. Mac. 12* ruerūt,quia sub tunicis suis habebāt de donarijs idolorum,quanto magis iustè necari debuerat,qui ipsa furatꝰ esset idola? Sed pepercit Deus Iacob,vt lateret furtū sua prouidētia, simulq; eius quæ furtū fecerat astutia:(Illa nanq; festinans abscondit idola subter strāmenta cameli,& sedit desuper. Scrutātique omne tentoriū,& nihil inuenienti,ait: Ne iratscatur Dominus meus, quod coram eo assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. Sic delusa solicitudo quærentis est:) videlicet dum & afflictæ leuiter credit excusationi,& fœmineis ægrescit approximare immundicijs.

Quàm sit dictum propriè, tumens Iacob cum iurgio præteritam commemorando seruitutem.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XLV.

TVmensque Iacob cum iurgio ait: Quã ob culpam meam, & ob quod peccatũ meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem suppellectilem meam?) Mira hic proprietate dictum est: tumensque Iacob cũ iurgio. Tumor nanque vel iurgium seruilis motus est, neque hoc quisquam de liberi vel ingenui hominis ira rectè dixerit, aut propriè. At verò Iacob in hac vtique causa liber non erat. Quãuis enim nesciret, penes ipsum tamen causa seruilis, id est, culpa furtumque erat, & nunc tanquam omninò munda esset suppellex, quia ille nihil inuenerat, fortiter litem in iudicio proponit, & cũ iurgio dicit. (Quid inueniſti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te.) Quàm enim tumida & iurgiosa ironia est, qua protinus subiungit. (Idcircò viginti annos fui tecum, oues tuæ & capræ steriles nõ fuerunt.) Idcircò, inquit, vt tu exardescerespost me, & scrutareris omnem suppellectilem meam, quæ magna indignitas est. Idcircò, inquã, id est, huius vicissitudinis spe, viginti annis fui tecum, tanta fide, tanta veritate, cum domini benedictione, quæ mecũ (vt tu quoq; confessus es) ad te ingressa est, quanta ex his quæ iam dico comprobari potest. Oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, subauditur, nec ego subtractis fœtibus steriles annos fuisse causatus sum. (Arietes gregis tui non comedi.) Quod videlicet facere solent mercenarij, & qui pastores non sunt: quique non greges, sed semetipsos pascunt. (Nec captum à bestia ostendi tibi.) Videlicet in excusationem mei, vt non cogerer numerum reddere tibi. (Ego damnum omne reddebam, quicquid furto peribat, à me exigebas.) Quanquam esset excusabilis causa. (Diu noctuque æstu vrebar & gelu.) Vtpotè in terra vbi secundum naturam cæli grauis æstus per diem, graue nihilominus gelu per noctem. Hæc & cætera fidelitatis opera commemorans, tandem fortissimum iustitiæ suæ inuehit argumentum. Præmisso nanque. (Afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus.) Protinus adiungit: (Et arguit te heri.) Certum nanq; est præconium iustitiæ, Deum testem aut defensorem habere: proinde Laban continuò victoriæ palmam iusto concedens aliud ingreditur. Fliæ meæ, inquit, & filij & greges tui, & omnia quæ cernis mea sunt. Quid possum facere filijs & nepotibus meis? Veni ergo, vt ineamus fœdus.

Quid spiritualiter velit, quòd Laban Iacob persecutus est, & quod Rachel dixit: Secũdum consuetudinẽ fœminarum accidit mihi.

CAPVT XLVI.

ET eccè vsque hodie, Christum vel Christi alumnos, mundum fugientes, id est, nihil in hoc mundo possidere cupientes, insequitur mundus, dum eos semper quidem malis exemplis, nonnunquam etiam vi sibimet conformare nititur. Vsq; hodie, inquã, sic fugientes insequitur mundus, & vsq; hodie Rachel insectatoris sui mundi idola furatur. Quoties enim hi qui habitu vel ordine religionis contemplatiuam pollicentur vitam, ad auaritiam. (quæ est simulachrorum seruitus) aspiciunt, ita vt nonnunquã de rebus ecclesiasticis fraudẽ faciant, siue (quod & plerunque fit) spiritualia Dei dona tribuant pro pecunia, Rachel veternosi patris sui furatur idola. Porrò quid contemptibilius, quid abiectius, q̃ quòd abscondi ea subter stramenta cameli, & sedit desuper, simulãs quòd secundum cõsuetudinem fœminarum sibi acci derit? Scrutatur quippe Laban tentorium Rachelis, si fortè sua illic idola inueniat, quando seculares homines, illam simulachrorum seruitutem, quam sibi solam esse licitam putant, id est, eiusmodi auaritiam in moribus religiosorum furtim subesse denotant, vulgo iam sciente, quia vendentes & ementes Iesus de templo suo iratus & rigidus cũ flagello eijciat. At illi occasionem quãlibet prætendunt, quæ rationabilis quidem esse videatur, rationis tamen veritate careat quemadmodum camelus munditiæ quippiã habere videtur, quia ruminat, sed verè mundum nõ est animal, quia non findit vngulã. Et illa quidem fortasis mẽtita est, dicendo, quia secundum consuetudinem fœminarũ nunc accidit mihi: sed reuera de anima cuiusquetalium qui de prædicta simulachrorum seruitute furtũ faciunt, rectè propheta dicit: Omnes qui quærũt eã, non deficient, in mense struis suis inuenient eam. Interea tamen de propter eos qui Christi sunt, quiq; in sancta ecclesia eius vsque ad finem seculi non deerunt, iugiter arguit mundum, cuius redarguti ones secularium corda paulatim euincunt. Cùm, inquit Christus, venerit paracletus spiritus veritatis, ille arguet mundum. Ait ergo redargutus à Deo: Veni vt ineamus fœdus. Verba fœderis hæc sunt. Intueatur Dominus & iudicet super nos, quando recesserimus à nobis. Si afflixeris filias meas, & si introduxeris vxores alias super eas, nullus sermonis nostri testis est absque Deo qui præsens respicit. Hæc cùm diceret, maximè pro Lya solicitus erat, quam inexpetitam, indotatam, vultu despicabilem nescienti clanculo immiserat. Illam nanque, non repugnante iustitia, penè vt concubinam repudiare poterat, quippe cui fidem maritalem non dederat, neque coram testibus vel amicis Laban nuptias eius celebrauerat, antequam ad illã ex more ingressus fuisset. At ille non solùm non repudiare intenderat, verumetiam pro iure eius (vt prædictum est) arte vsus, effecerat, vt non abiret indotata, scilicet vbi virgas varias in canalib. positas coram ouibus, mutata est conceptuum natura.

Ephe. 5.

Matth. 21. Iobel. 2.

Hier. 2.

Ioan. 16.

Quid

Quid significet, quòd Iacob & Laban in confœderationem sui tumulum testimonij fecerint: & super eos ederint.

CAPVT XLVII.

Gen. 28. TVlit itaque Iacob lapidem & erexit in titulum, dixitq; fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulũ, comederuntque super eum.) Hic planè sciuit Iacob votũ suum fuisse acceptum, quod vouerat in Bethel, sensitque dominũ fuisse secũ, & custodisse se in via per quam ambulauerat, & dedisse sibi panem ad vescendum, & vestimentũ ad induendũ, seq; reuerti prosperè in domum patris sui, quia sedatus est Laban. Itaq; & hic tulit lapidem, & hic erexit in titulum, fecerũtque tumulum: Vtrobiq; mysterium penè idem est. Nam & illic lapis erectus in titulum, vocãdus domus dei Christum significat, qui est caput corporis ecclesiæ, quæ est domus dei, & hic lapis primus in aceruo testimonij Christum eundem designat principem martyrum, id est, testiũ dei. Quid enim est, Laban & Iacob in confœderationem sui, lapidem erigere in titulũ, lapidesq; congerere in aceruum testimonij, & desuper comedere pro pactiõe postulati fœderis? Quid, inquam, nisi quòd penè iugiter cernimus, post diutunos tumores sæuaque iurgia seculares potentias ecclesijs vel sacerdotibus conciliari respectu martyrum, & Christi domini ac regis eorum? Nempe post inimicitias super aceruum testimonij pariter comedere, id est, post qua sibet iniustitias in basilicis martyrum satisfactione data vel accepta, deinde ob confirmationem pacis corpus in sanguinẽ Christi pariter manducare & bibere. Benè ergo dictum est, quia (iurauit Iacob per timorem, id est,) per Deũ, (patris sui Isaac,) Deus enim à timore nuncupatur, quod Græcè theos dicitur. Quid iurauit? Videlicet quod malũ contra Laban nullum cogitaret, neq; ad illum mali intentione transiret præsentis acerui testimonio commonitus. Benè. Etenim quotquot sacerdotes vel ministri Christi sumus, post reconciliationem altaris aduersarijs nostris indultã, nullam de præteritis molestijs coram communi iudice Deo querelam depromere habemus. (Quem vocauit, inquit, Laban tumulus testis, & Iacob aceruus testimonij, vnusquisque iuxta proprietatem linguæ suæ.) Aceruus lingua Hebræa Gal dicitur, Aad verò testimonium. Rursum lingua Syra aceruus Igar appellatur, Seduth testimonium. Iacob aceruum testimonij Galaad lingua appellauit Hebræa, Laban verò idipsum, id est, aceruum testimonij Igarseduth à gentis suæ sermone vocauit. Erat enim Syrus, & antiquam linguam parentum prouinciæ, in qua habitabat, sermone mutauerat.

Quid est iurare per timorem.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM

LIBER OCTAVVS.

Quòd Esau animalis non intellexit quid spirituali Iacob, paterna contulerit benedictio.

CAPVT I.

1. Cor. 2. ANimalis homo (inquit Apostolus) non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: Stultitia nanque est illi, neq; intelligere potest, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Non ergo putandum, quòd Esau perceperit vel intellexerit, quid minus haberet à fratre suo Iacob, aut quid amplius illi paterna cõtulisset benedictio Animalis enim erat ea tantummodo sapiens, quæ sunt hominis: & quicquid spiritus Dei est, stultitia erat illi. Vnde nec pro bono sapientiæ, sed pro miseria stultitiæ, fraternam peregrinationem atque seruitutem reputabat. At ille, quia spiritualis erat, intelligebat omnia, scilicet non tantum humana, sed humana pariter & diuina, & spiritualib. spiritualia comparans, terrenamque fratris exaltationẽ paruipendens, suam econtrario afflictionem & laborem, gloriosa intrinsecus consolabatur scientia, vbi à nemine iudicandus, ipse iudicabat omnia. His igitur sibi obuiantibus, iam & nobis spiritualiter examinandum est, quid amplius huic, & quid minus illi fuerit, in quo hic ex paterna benedictione creuerit, & in quo ille imminutus sit, pro eo quòd venditis primogenitis suis, benedictionem quoque iure perdidit. Nam si carnaliter examinentur, fortior proculdubio iudicabitur interim ille qui supplantatus est, quàm qui supplantauit.

Quòd Iacob reuertenti, angeli tanquam victori obuiam fuerunt dicenti: Castra Dei sunt hæc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

CAPVT XXXII.

PRimùm ergo pro magnificentia viri accipimus, quod dictum est: (Iacob quoq; abijt itinere, quo cœperat, fueruntq; obuiá ei angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: Castra sunt hæc: Et appellauit nomẽ loci illius Manaim, id est, castra.) Non dictum est, quia apparuit angelus, vel apparuerunt angeli ei, q; & multis accidit, sed dictum est, quia fuerũt ei obuiam angeli Dei, quod insigne sonat victoris & emeriti, cui pro gloria triumphi, pompa cælestis obuiam procedens, festiua exceptione lætum obsequium præbuerit. Nec verò paucos vidit, qui dixit, castra Dei

1. Reg. 9. sunt hæc: & ob hoc appellauit nomen loci illius Manaim, id est, castra: multiplicia nanque castra sunt angelorum. Vnde & in prophetis, qui pro huiusmodi visionibus videntes appellãtur, vsitato dicitur, dominus deus exercituũ, quod Hebraicè dicitur Sabaoth. Et rectè talem habuit occursum, qui sub obedientia peregrè militauerat, in fide certauerat, in spe victoriam perfecerat, in charitate dilatata eius anima, profundissimas beneficijs diuinis gratias, agebat. (Minor sum, inquit, cunctis miserationibus tuis Deus patris mei Abraham: In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis egredior, &c.) Amplius autem & paulò pòst subditur: (Transductisq; omnibus quæ ad se pertinebant, remãsit solus, & eccè vir luctabatur cum eo, vsque mane, qui cùm videret, quòd eum superare non posset, &c.) Veram in isto vltra modum hominis magnitudinem, veramque non carnis, sed spiritus indicat fortitudinem, vnde iudicare nõ possit animalis homo Esau, qui veniebat cum CCCC. viris in hac sola fortitudine sua gloriabundus. At ille antequam spiritualis & eiusmodi glorificationibus indignum Esau iudicare, & in seipso per hæc scire poterat, non leuiter benedictionem adimpletã, vel adimplendam esse, qua dictum sibi fuerat, crescere te faciat dominus meus, per quã

Gen 27. fratrum suorum Dominus erat constitutus. Et quidem ille iam talibus quoque abundare cœperat, qualium copijs extollebatur Esau, sed eadem meliorum comparatione parui pendens, gloriabatur potius in humilitate sua, cæterisq; virtutibus, quas veras diuitias rectè computabat. Porrò vanitatem illius quã optimè nouerat, vtpotè spiritualis homo, qualis (vt iam dictum est) iudicat omnia: vanitatem (inquam) illius oblatis vltra obsequijs saturare festinabat, munera præmittens Domino suo Esau, præcipiẽsq; suis, hæc & hæc dicetis, sic & sic loquemini Domino meo Esau, & deinde ipse progrediens & adorans in terrã, suosq; omnes submittens instructos & ꝓdoctos ad adorandũ. i. inclinãdũ corã Esau. Et dicit: (Sic.n. vidi faciẽ tuã, quasi viderim vultũ dei). i. q; ex vultu tuo sedatum esse aduerti odium tuum, vt nó percuteres matrẽ cum filijs, ita lætus accepi ac si viderim vultũ Dei, cuius præsentia veraciter cognoscitur ex præsentib. beneficijs suis. Et notãda trementis diligẽtia, qua sic disposuit, vt Rachel & Ioseph extremi starent, & extremi adorarẽt, quia videlicet quæ misera spes erat, si percuteret occurrẽtes, fortassis antequã hi extremi attingerentur, satiata crudelitas dehisceret, & in istis extremis maximã vitæ eius partẽ reseruaret. Ecõtrario vtrãq; ancillã & liberos earũ in principio, Lyã verò & liberos eius in secũdo posuit loco, vt quiq; ordines, sicut ꝓfundius hæserant affectibus patris, ita longius absisterẽt gladio feriẽtis. Sed iam super isto quoq; capitulo breuiter aliquid iuxta anagogen dicendum est.

Quòd in hoc Iacob Christi in cælum ascendentis, excepti victoris ab angelis, typum gesserit.

CAPVT III.

IGitur Iacob, postquã præceptũ patris peregit, reuertenti obuiã fuerunt angeli dei, *Quib. sunt reuelationes.* vt sciamus, quia post obedientiæ laborẽ cuique viro fideli supereſt supernis illum reuelationibus glorificari, & cælestium spirituũ crebra visitatione iam in hac vita remunerari: Sic ipse Christus postquam tentationes euicit, exceptus est victor ab angelis, reliquit enim eum tentator, & eccè accesserunt angeli, & ministrabãt ei. Sic pro modulo suo quique electorum quanto superiores hominib. *Matth. 4.* fiunt, tanto proximi Deo effecti ministerio fruũtur angelorum, qui omnes (vt Apost. ait) administratorij spiritus sunt, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Locus autem ipse vbi horũ visitatio declaratur, ecclesiæ secretum est, qui & rectè dicitur Manaim. i. castra. Nã & ipsa *Manaim. Cant. 6.* ecclesia terribilis est, vt castrorũ acies ordinata. Sed huic victori adhuc intus est, quẽ metuat. s. Seir siue Edom ille, qui sub nomine fratris cuncta agit hostilia: metuat, inq;, etsi non sibi, quia fortè citius mori, quã eius imitatione potest corrũpi: at saltẽ paruulis suis, ne fortè percutiat matrẽ cũ filijs. Intus enim est talis Esau, qui & Seir, id est, pilosus dicitur, siue Edom, id est, terrenus siue sangui nolẽtus, qui tenera ecclesiæ nutrimẽta peius nonnunquã interficit exẽplis, quã gladio externi hostis. Prælatꝰ ergo vel pater, quicũq; eiusmodi est, imminente Esau, diuidit suos in duas turmas. i. tenuioribus fortiores de- *Hebr. 13.* putat custodias. Ipse interim peruigilãs, quasi rationẽ pro animab. eorum redditurus, dicit ad Dñm: Minor sum cunctis miserationibus & veritate quã explesti seruo tuo, erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eũ timeo, ne fortè veniens percutiat matrem *Psal. 136.* cum filijs. Huic orationi illa prophetæ vox in Psalmo consona & penè eadem est. Memento Domine filiorum Edom in diem Hierusalem, qui dicunt, exinanite, exinanite, vsque ad fundamẽtum in ea. Timendum quippe est patri pro filijs suis, quod illi dicunt de

cunt de Hierusalem, id est, de Christi ecclesia, cuius & si profitentur nomen, oderunt religionem. Quid enim dicunt? Exinanite, exinanite, vsq; ad fundamentum in ea. Hortantur semetipsos, vt exinaniant vel euacuẽt omnem disciplinam vel religionem, vsq; ad fundamentum in ea, id est, vsque ad nudum nomen Christianum, quod solùm habere cõsentiunt, vt nomine sint Iacob. i. Christi: operibus autem sint Edom & absque iugo viuant. Memento ergo Domine filiorũ Edom in diem Hierusalem. i. retribue retributionem suam imitatoribus Edom, in consolationem Hierusalem in tempore tribulationis, pacem videre cupientis. Hi cùm exaltati fuerint, ita vt non possint Apostolica virga corripi, non solùm tolerandi sunt in spiritu mansuetudinis, verumetiam honoribus præuenientibus demulcendi, vt odium, quod contra spirituales habẽt, quia carnales sunt, temperari vel mitescere possit.

Quòd hæc vox, In baculo meo trãsiui, &c. tam Christo domino, quã cuilibet fideli Christiano conueniat.

CAPVT IIII.

CAPVT XXXII.

ILla sanè oratiõis eius pars, qua dicit deo, In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cũ duabus turmis regredior, tam Christo dño quàm cuilibet perfecto cõgruit Christiano, siue ille prælatus, siue subditus sit, dummodo patriarchæ huius fidem vel iustitiam sectari meruerit. Christo videlicet, quia solus ab omnib. relictus in passione & morte sua, quã pertransiuit in baculo, id est, pro arbitrio sui baptismi sacramentũ, quod per Iordanis nomen solet intelligi, nobis condidit: & nunc cum duabus turmis, Iudæorum scilicet, & gentiũ regreditur: quia priorum pariter & sequentium dominatur, quorum salutẽ est operatus. Christiano aũt, ei qui domui Christi prælatus est, idcircò cõgruit, quia in solo quidẽ & simplici Christianæ confessionis vel fidei verbo transiuit regenerationis eiusdem sacramentũ, nunc autem sancti spiritus donis ditatus, & ecclesiæ dei præpositus, duas turmas suscepit alẽdas,

Hebr. 5. alteram videlicet paruulorũ, quibus adhuc lacte opus est, alterã perfectorũ iam, quorũ solidus cibus est. Nihilominus & subditorũ cupiam, qui perfectionis metã attigit, dicere cõpetit cum eodem Iacob, in baculo meo transiui Iordanẽ istũ, & nunc cũ duabus turmis regredior, eo videlicet respectu, quia quisq; nostrum nudus venit ad baptismum, nihil habens, præter solũ sustentantẽ seChristianæ confessionis baculum, & nunc duabꝰ turmis regreditur, quia & peccatorũ remissionem, quã omnes æqualiter in baptismo accipiunt, & præter hoc per impositionem manuum diuisam accepit gratiam spiritus S. Nam vnicuiq; nostrum (inquit Apost.) data

Ephe. 4. est gratia secundum mensuram donationis Christi. Nunc ordinem historiæ prosequamur.

De eo quod omnibus suis vadum Iaboch traductis, luctabatur cum eo vir vsque mane, & de mutatione nominis Iacob in Israel.

CAPVT V.

CVmque matutinè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas cum vndecim filijs, & transiuit vadum Iaboch. Trãsductisq; omnibus quæ ad se pertinebant, remãsit solus. Et eccè vir luctabatur cum eo vsque mane.) Iaboch fluuij nomen est, & interpretatur lucta siue harena. Fluit autem inter animam, hoc est, Philadelphiã, & Gerasam in quarto eius miliario, & vltra procedens Iordani fluuio cõmiscetur. Vir, inquit, luctabatur cum eo vsque mane. Matutinè surrexerat, & vsque mane luctatus est, id est, ante diem surrexerat sacras celebrare excubias, iuxta illud Psalmistæ: Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor *Psal. 62.* in te, quia fuisti adiutor meus. Et vsque mane, id est, vsque ad auroram cũ viro luctatus est. Sic enim ait ille: (Cùm eum superare nõ posset. Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Quod, inquit, nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille: Nequaquã Iacob appellabitur nomen tuũ, sed Israel.) Sensus hic est: Non vocabitur nomen tuum supplantator, hoc est, Iacob, sed vocabitur nomen tuum princeps cum Deo, hoc est, Israel. Quomodo enim princeps ego sum, sic & tu qui mecum luctari potuisti princeps vocaberis. Si autẽ mecum qui Deus sum, siue angelus Dei, pugnare potuisti, quantò magis cum hominibus, hoc est, cum Esau, quem formidare non debes? Illud nempe quod omnium penè sermone detritum est, vt Israel interpretetur, vir videns deum, siue mens videns deum, nõ tam verè, quàm violenter beato Hieronymo videtur interpretatum.

Quid famosa illa dei & hominis lucta significet.

CAPVT VI.

FAmosa lucta & totius ore ecclesiæ per orbem celebrata, qua homo cum deo luctatus est, & tam diu tenuit, donec à victo benediceretur ille, qui vicit dicens: non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & accepta benedictiõe, victor claudicare cœpit. Res cui hoc præsagium est, ab exitu filiorum Israel de Aegypto vsq; ad incarnationem passionẽque Christi filij Dei protracta est. Tam longa colluctatio fuit fortissimi victoris Iacob & Dei victi, quamuis fortissimus sit spirituũ vniuersæ carnis. Primo ergo non negligenter sciendũ, luctam eiusmodi fuisse, vt contẽderet Deus abire, Iacob certaret abeuntem dominum retinere. Sic enim ait ille vir: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Econtrario Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Igitur Iacob cum Deo luctatur, & victor benedictionem extorquet, quasi inuito & nolenti, ac dicenti: dimitte me, quia videlicet sic futurum erat, vt commineretur Deus, sese à semine eius recedere pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exod. 32. pter peccata eiusdē gentis rebellis & incredulæ. Quod vbi primùm locutus est, consurrexit Moyses, Deumq; reluctantem & ipse luctando tenuit, ne hoc faceret. Cerno, inquit ille, quòd populus iste durę ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. Moyses magnitudine periculi percitus, & quodammodo brachijs illum more luctantis arctius stringens, dicensque: Non dimittam te, cur, inquit, domine irascitur furor tuus contra populū tuum? Ne, quæso, dicant Aegyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret eos in mōtibus, & deleret è terra, quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitiā populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel, seruorū tuorum fideliū, quibus iurasti per temetipsum, &c. Illiciam, id est, in cōflatione vituli, coram quo saltauerunt cantantes & dicentes: Isti sunt dij tui Israel: Illic, inquam, colluctatio vehemens inchoata est. Exinde nanque Deus ab Iacob discedere conatus est, & quoties peccauerunt filij Israel, seruiendo dijs alienis, toties iratus dominus, & auersus ab illis, quasi luctando se excusit vt dimissus abiret. Sed perseuerauit cunctis diebus fortitudo Iacob. Nullo enim tempore defuerunt fideles in populo illo, in quibus tam secundum fidem, quàm secun-
3. Reg. 19. dum carnem esset Iacob pater, in tantùm, vt cùm solum se esse putaret Helias, dicens: domine, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderūt gladio, & derelict⁹ sum ego solus, & quærunt animam meam, dixerit ei Dominus: Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt curuata ante Baal. Itaq; longo luctamine detentus est de⁹, nec antè dimissus, donec benediceret Iacob, donec compleret benedictiones suas legislator, dando benedictionem illam, in qua benedicerentur omnes gentes, sicut primùm ad patrem multarum gentiū Abraham locutus est. Tunc enim reuera Deus benedixit Iacob, quando de semine eius Christus carnem assumens, antiquam maledictionem soluit, vtramq; benedictionem, id est, gratiam sancti spiritus, post passionem suam effudit.

De eo quòd neruus fœmoris Iacob emarcuit, & propterea Iudæi omnem neruum non comedant.

CAPVT VII.

DAndo autem benedictionem, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit. (Ipse verò claudicabat pede. Quamobrem nō comedūt filij Israel neruū qui exaruit in fœmore Iacob vsque in præsentem diem.) Neruus fœmoris propagationē significat carnis. Antequam veniret Christus, & modo prædicto benedictionem daret, virebat & florebat carnale genus Israel, legitimū que ac sanctum erat, singulas tribus per familias, domos, ac viros distinguere diligenter, donec fructus iste benedictionis exiret, ne incertum foret, qua ex tribu, qua de familia prodiret quem de tribu Iuda, de domo & familia Dauid nasci debere prænunciatū fuisset. At vbi venit hic, qui solus generationum texendarum causa erat, cunctas genealogias vel genealogiarum fabulas, quas deinceps Iudæi texere conantur, cū Apostolo contemnimus & deuitamus, imò & arbitramur vt stercora. Ergo vir ille neruum fœmoris Iacob tetigit, ergo neruus fœmoris Iacob exaruit. Quamobrem, inquit, non comedūt filij Israel neruum, qui in fœmore eius exa- *1. Tim. 1.* ruit. Nullum neruū comedunt propter illū *Tit. 3.* vnum fœmoris neruum, qui caput & quod- *Philip. 3.* dam principium est omnium corporis neruorum. Nec frustra tali lege onerati sunt, videlicet, quia futurū erat, quod nunc est, quia ipsi potius in fœmore Iacob emarcuerunt. Imò ipsi illud quod exaruit fœmur Iacob existunt.

Quod Iacob pro reproborū parte claudicauit, & pro parte electorum faciem dei vidit.

CAPVT VIII.

EXinde pro parte reproborum claudicat *Psal. 17.* Iacob, iuxta illud: Filij alieni mētiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis: pro parte autem electorū idem Iacob dicit: (Vidi dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.) Nam reuera antequam benedictionem (vt iam dictū est) dedisset legislator, vt videretur deus *Ioan. 1.* deorum in Sion: deum nemo viderat vn- *1. Cor. 3.* quam: per illam autem benedictionem effectum est, vt videamus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, cum præsentem finierimus peregrinationem. Vnde & non ab re dictum est, ortusque est ei stat im sol, postquam transgressus Phanuel, quod interpretatur facies Dei. Effusa nanq; benedictione ortus est sol iustitiæ populo sanctorū, tam mortuorū, quàm viuorū dando salutem (vt Zacharias ait) in remissionē peccatorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Præsenti tempore dixit, sedent, nam cùm hæc diceret, adhuc om- *Lucæ 1.* nes in tenebris erant, & Deum (vt iam dictū est) nemo viderat vnquam. Item pro parte reproborum Iacob adorat Esau, & munera offert, infirmum quippe est genus eius, cunctisq; hodie populis imbecillius: & vbiq; dispersum, multa tributa soluit Dominus suis & regibus. Pro parte autem electorum, verbi gratia, quales Apostoli fuerunt, ne sal tem ad modicum simul cum illo gradi patitur. Paruulos enim, inquit, habeo teneros, & oues ac boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Hic magnæ discretionis exemplum est. Paruulus enim est & tener,

CAPVT XXXIII. *Vitanda prauorum societas.* tener, qui nondum in fide & sapientia perfectus est: & quasi fœta ouis, cuius inchoatio vel propositum nondum comprobatum est vsu operis. Tales carnalium societate facilè
Esa. 22. corrumpū tur, quorum iuxta prophetam totum gaudium & lætitia est, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinū. Comedamus & bibamus, cras enim
1. Cor. 15. moriemur. Vndè & Apostolus: Corrumpūt
Ibidem. bonos mores colloquia mala. Benè igitur pater Iacob eiusmodi viatores vel cursores improuidos deuitans, paruulos, inquit, habeo teneros, & oues ac boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morié tur vna die cuncti greges. Quamuis hoc exemplo in bonis quoque operibus vti oporteat, quatenus sic omnia pastor discernat & temperet, vt & fortes sint quod cupiant, & infirmi non refugiant.

Quòd omnis qui sacræ scripturæ studijs accinctus incumbit, sensum verbi dei tenere contendens, instar Iacob cum deo luctetur.

CAPVT IX.

CAPVT XXXIIII. CAeterùm & benè iuxta Anagogē claudicat Iacob ille, qui cum Deo luctatus est, & longo atq; assiduo luctamine vsus, victoriæ palmam de illo feliciter consecutus est. Luctatur enim cum Deo, quā diu sacræ scripturæ studijs accinctus incumbit, sensumque verbi Dei fugientem tenere contendit. Quare verbum Dei dilectam atque diligentem animam, tenere se cupientem, tantoperе refugit? Cùm multas ob causas, tum & idcircò, vt auiditatem magis ac magis excitet
Cant. 8. inquirentis, vt eius desiderio, quem quærit,
Cant. 6. aduersantes intentioni suæ verberet, atq; in
Cant. 3. seruitutem redigat sensus improbæ carnis. Itaq; brachijs quasi ad luctandum protentis, quæcunque talis anima dicit: Dilecte mi apprehendam te, & ducā te in domum matris meæ, ibi me docebis. Econtra ille, more reluctantis, penè obuersus, auerte, inquit, oculos tuos, quoniam ipsi me auolare fecerunt. Dulcis colluctatio, & omni pace iucundior. Tandem victrix dicit conscientia Iacob: Inueni quem diligit anima mea. Tenui illum, nec dimittam, donec introducam in domū matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. At ille grandi quidem spiritus commodo, sed & magno carnis suæ vicit detrimento. Denique claudicat is qui vicit, quia tetigit q victus est neruū fœmoris eius & emarcuit: Quomodo claudicat? videlicet vno pede terræ innitens, alterū à terra suspendens, id est, actiuam vitam pro cura subditorum nō omninò relinquens, & cōtemplatiuæ pro eius dulcedine totis viribus inhærens. Iste claudus salit vel ascendit sicut ceruus, terramq; vix tangere dignatur, nam conuersatio eius
Philip. 3. in cælis est. Veruntamen ex parte, vno enim tantum pede nunc interim illuc suspensus est, donec veniat quod perfectum est.

Quare fixis tentorijs nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula vocauit.

CAPVT X.

ET Iacob venit Socoth. Vbi ædificata domo, & fixis tentorijs, appellauit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula.) Quia recentem adhuc spirabat visionem, qua ciuitatis illius ciuitatis viderat, cuius spe manen- *militantium* tem hic ciuitatē habere nolebat, vel in qua uisione cum conditore ciuitatis illius Deo luctatus fuerat, benè locum, quo primùm post hæc venit, appellauit Socoth, id est, tabernacula, videlicet respectu faciei Dei, de qua cognominauerat Fanuel, à cuius gloria peregrinus erat. Tabernacula nanque militantium sunt. Vnde & contubernales dicuntur milites, qui sub eodem tabernaculo commorantur. (Transiuitque in Salem vrbem Sychimorū, quæ est in terra Chanaan, postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ.) Salem ciuitas ipsa est quæ & Sychem. Prius nanque dicebatur Sychem, quod antiquius nomen hactenus perseuerat, nisi quod corrupto nomine legitur Sychar, vt in Euange-
Ioan. 4. lio: Venit Iesus in ciuitatem quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo Ioseph. De quo prædio protinus hic subiungitur: (Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filijs Emor patris Sychem, centum agnis.) Porrò ab Iacob appellata est Socoth. Error oboritur, quomodo Salem Sychem ciuitas appelletur, cum Hierusalem, in qua regnauit Melchisedech Salē sit dicta. Aut igitur vnius vrbs vtraque nominis est, quod etiam de pluribus Iudææ locis possumus inuenire, vt idem vrbis & loci nomen in alia atque alia tribu sit: aut certè istam Salem, quam nunc pro Sychem nominatam dicimus, hic interpretari consummatam atque perfectam: & illam, quæ postea Hierusalem dicta est, pacificam nostro sermone transferri. Vtrunque enim accentu paululum declinato hoc vocabulum sonat. Tradunt Hebræi, quòd claudicantis fœmur Iacob ibi conualuerit, & sanatum sit, propterea ciuitatem eandem curati atque perfecti vocabulum cōsecutam. Postquam, inquit, reuersus de Mesopotamia Syriæ. Hic subaudiendum est, cùm secundum votum, quod vouerat in Bethel, debuisset ire, & q postmodum fecit ibi altare, vel domum deo ædificare. Sic enim vouit, fundens oleum super lapidem quem erigebat in titulum. Si *Gen. 28.* reuersus fuero prosperè, erit mihi Dominus in Deum: & lapis iste, quem erexi in titulum *Gen. 35.* vocabitur domus Dei. Postquam ergo reuersus est, maturè debuit ascendere in Bethel, & vota reddere, quod & paulò pòst fecit, aduersitatibus admonitus, eodem Deo vota sic exigente. Surge & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas fratrem tuum Esau.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Dina filia Lyæ sibi corruptionis causa, à Sychè principe terræ illius vi oppressa sit.

CAPVT XXXIIII

CAPVT XI.

EGressa est autem Dina filia Lyæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cũ vidisset Sychem filius Emor Euæi, princeps terræ illius, adamauit, & rapuit, & dormiuit cum illa vi opprimens virginem, &c.) Dina quod interpretatur causa, secundum nomẽ suum, & sibi corruptionis & alijs iurgiorum grauis causa fuit. In quo? In eo videlicet, quia exiuit videre filias regionis illius, filia vaga, visu dissoluta, facie decora. De qua (quoniã superficies historiæ patet) illud breuiter dicendum, quia talis puellæ exemplum omni animæ religiosæ professionis cauendum est. Nam si foris inuenerit opprimet eam corruptor diabolus, qui per Sychem filium Emor rectè figuratur. Sychem nanq; humerosus, Emor autem Asinus interpretatur. Est autẽ diabolus humerosus vel sortis vt leo siue vrsus, stultus vt asinus. Nec verò spiritualiter tantùm, sed etiam corporaliter, nec per se solũ, sed & per sui similes, id est, asininos homines, circumueniet eam, videlicet quorum iuxta prophetam carnes sunt, vt carnes asinorum: & vt fluxus equorum fluxus eorum. Sic plerunque accidit, & virgo Israel cecidit, nec fuit qui susciteret eam. Porrò hãc Dinã, vxorem fuisse Iob Phylo asserit, & hanc esse ex qua XIIII. filios, & VI. filias genuerit.

Ezec. 25. Amos. 5. VII. videlicet filios, & tres filias ante percussionem, totidem filios ac totidem filias post percussionem. (Responderunt filij Iacob Sychem & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis.) Doli huius Iacob conscių

Iob. vlt. vel participem non fuisse, illud quoque indicat quod ait ipse: (Simeon & Leui vasa iniquitatis, bellantia, in consilio eorum ne veniat anima mea, &c.) Dol⁹ in eo extitit, quod sancta & vtilia locuti sunt, non vt proselytos ad salutem facerent, sed vt securos pariter & saucios tertia die, quando naturaliter

Gen. 49. grauissimus vulnerum dolor est, sic impara tos leuius occiderent.

Quòd Iacob iussus sit ædificare altare in Bethel, & quod ex eo de dijs alienis in familia sua sciscit atus sit.

CAPVT XII.

LOcutus est Dominus ad Iacob: (Surge ascende Bethel, & habita ibi, facq; altare

CAPVT XXXV. Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum.) Hac eadem visione Iacob tandem perdoceri potuit, esse in domo sua scelus idololatriæ, nec posse se stare corã inimicis suis, eosque fugare, quãdiu dom⁹ eius illo contaminata esset scelere. Nam protinus subditur: (Iacob verò cõuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.) Planè hoc ordine & his profectibus ascendendum est in Bethel, id est, in domum Dei, quæ non est alia, quã Ecclesia Christi. Primùm est, pristinos abdicare errores, & vnius veri dei profitere fidẽ quod est auferre deos alienos in medio nostri: deinde baptizare in nomine patris & filij & spiritus sancti, quod est mundari: ac deinceps ambulare in nouitate vitæ, quod est vestimenta mutare. (Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum.) Inaures enim habebant viri more cæterorum orientalium populorum, quod mollis & effœminati erat animi instrumentum. Significant autem inaures falsæ doctrinæ phaleras sermone nitidas, sed sensu veritatis vacuas esse, cuius nos fabulosa dicacitas, (cùm essemus gentes,) ad simulachra muta, tanquàm Syrenarum cantus pertrahebat. (At ille infodit eos subter Therebintum quæ est post vrbẽ Sychem.) Therebintus arbor resinam generans pretiosissimam, lignum crucis, quod virtutis est optimæ, significat: subter quã omnia peccata nostra sepeliuntur, vt eorum vltra nullum vestigium reperiatur. (Cumq; profecti essent, terror Domini inuasit omnes per circuitum ciuitates, & nõ sunt ausi persequi recedentes.) Nõ ergo frustra, sed pro re necessaria diuinitus suggestum est beato Iacob, vt diceret, auferte de medio vestri deos alienos. Nam antehac ipse timidus, & periculosè incedens, adorabat Esau, & domus eius cẽdibus ac sanguine turbabatur: nunc aũt terror Domini inuasit omnes per circuitum ciuitates, & nõ sunt ausi persequi recedẽtes.

Quod ædificato altari in Bethel Iacob sua vota soluit, & quare mors Debboræ sit memorata, alumnæ aũt Rebeccæ sit tacita.

CAPVT XIII.

VEnit igitur Iacob Luzã, quæ est in terra Chanaan cognomento Bethel, ipse & omnis populus cum eo: ædificauitque ibi *Luza.* altare, appellauitq; nomen loci domus Dei.) Luza pristinum nomen ciuitatis erat, quod interpretatur nux siue amygdalus, id est, lõga nux, nunc aũt Bethel, id est, domus dei dicitur. Ibi vota sua soluit, exemploque est omni homini, vt quod vouerit Deo, reddere non moretur. (Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum. Vocatumq; est nomen loc. illius, quercus fletus.) Quid hoc est, quòd Debboræ nutricis mors hic memoriæ commendatur, & eius, cuius nutrix fuerat, scilicet, Rebeccæ, mors nusquam inuenitur? Num dignior existimata est nutrix, quàm alumna, vt pro dignitate mors eius fieret cognita: illius autem pro dignitate maneret incognita? Ergo hic granum sub palea quærendum est. Nempe sicut Rebecca sancti spiritus gratiã, sic nutrix eius Debbora, legem significat Moysi sanctam & iustam & bonam. Quod ex ipso eius vocabulo suscipere amplius placet. Debbora, nanquea-

que apes interpretatur. Scimus autem quòd apes & mel in ore dulcisluum, & molestum sub cauda gestat aculeũ. Sic planè lex sancta in facie sua, quæ Iudæis velata est, viuificantem

Philip. 3. spiritum in posterioribus suis, quæ sanctus Apostolus obliuiscitur, occidentem habet literam. Igitur Debboræ quidem quę Rebeccam nutriuit, mors inuenitur, quia videlicet ascendentibus in Bethel, id est, in domũ dei, occidens litera legis relinquitur: viuificans autẽ spiritus perseuerat, & vbique glorificatur. Et sepulta est, inquit, ad radices Bethel, id est, in primo introitu domus dei. Debbora sepelitur sub quercu, quia videlicet in initio surgentis ecclesiæ in primordijs religionis Christianæ, quæ tota spiritualis est, carnalis sensus legis, & cunctæ carnales cere moniæ, sub ligno crucis obruuntur. Quod quia hactenus à Iudæis sine sacerdote, & sine templo sedentibus deploratur, rectè vocatum est nomen loci, quercus fletus.

Quòd Iacob vbi vota soluit, benedictionem accipit, & de differentia triplicis mutationis nominum Abram.

CAPVT XIIII.

CAPVT XXXV. APparuit autem iterum deus Iacob, postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ benedixitque ei dicens: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel.) Vbi votum soluit Iacob, benedictionem percipit, qua & illud, quod in somnis viderat, quando votum vouit fugiens Esau, & id quod nouissimè audiuit cum deo luctatus, repetitione confirmatur. Non, inquit, vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et adiecit scriptor, dicens ex ore suo, & appellauit eum Israel. Quo dicto firmissimam vocabuli auctoritatem tenendam expresit, quia profectò mutabilis non est vocatio dei. Porrò quod addidit. (Ego sum deus omnipotens, cresce & multiplicare, gentes & populi nationum erunt ex te,) iam ante expositum est, quia multis vicibus idem promissum est, vndè & rectè non iam repromissiones, sed propter iterationem frequentem dicimus dei repromissiones. Hic iam pro dignitate vocantis nomẽ eius Israel

Ephe. 2. Psal. 75. prætereundum non est, triformem esse positionem vocabuli siue appellationis in his tribus patribus nostris Abrahã, Isaac, & Israel. Aliter nanque Abraham, aliter Iacob, atque aliter Israel deus ipse nuncupauit. Siquidem

Oseæ 1. nomen Abraham tantummodo adauxit, nomen Isaac totum antequam nasceretur immutabiliter posuit, nomen Israel totum pro toto nomine Iacob commutauit. Differentiarum causa vel ratio citius clarescit, si prius in animo constet, Abraham anterioris, Iacob posterioris figurã tenuisse populi, medium autem Isaac Christi, qui vtrunque populum in seipso velut duos parietes coniunxit, lapis angularis. Item & anteriorem populum priusquã veniret Christus, aliquid habuisse vitæ vel iustitiæ: qa profectò erat iã motus in Iudæa deus, & Israel magnum nomen eius: posteriorẽ verò qui ex gentibus est, nihil boni habuisse, cùm seruiret dæmonibus, eique iuxta prophetam non populus meus, vel nõ plebs mea vos veraciter diceretur. His ita animaduersis, promptũ iam est intellectui, quàm rectè nomẽ Abraham vna tantùm syllaba adauctum, Iacob autem in Israel nomẽ omnino sit permutatum, quia videlicet anterior Hebræorum populus, qui ex fide patrũ iustificabatur quidem, sed arcebatur tamen à paradisi ingressu, vno tantùm augmento indigebat, vt in Christo perficeretur, posterior autem gentium populus inchoationem pariter & perfectionẽ vitæ vel iustitiæ de Christi sumpsit aduentu. Porrò nomen Isaac neque auctum neq; commutatum, imò nec ab hominibus positm, sed antequam nascerẽtur ore Dei nominatum est: quia profectò Christi iustitia neque augeri vnquam indiguit, neque minui potuit: nec enim ex accedenti dono est, sed antequam in terris appareret ipse iustitia, ipse vita, ipse Deus & Dei filius erat. Post verba huius duntaxat visionis addidit scriptor, & receſsit ab eo. Quomodo à sancto & iusto receſsit? Eo videlicet modo, vt permitteret eum tentari, vel tribulari, vt magnis aduersis occurrentibus ad augmentum meriti premeretur, quæ ab hoc loco vsque ad descensum eius in Aegyptum continuantur. Primùm est, quod protinus subiungitur.

Quòd mortua est Rachel, & quòd eius sit descripta mors, Lyæ autem tacita.

CAPVT XV.

EGressus inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam. In quæ cùm parturiret Rachel, ob difficultatẽ partus cœpit periclitari.) Ac deinceps. (Mortua est autem Rachel in via quæ ducit Ephratã, hæc est Bethlehem.) Verum tempus significat cũ in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum est, vel cùm transeuntes per viam carpunt & eligunt è vicinis agris, quod cunque ad manum venerit diuersis floribus *Io. n. 6.* inuitati. Ephrata verò & Bethlehem vnius vrbis vocabulum est, sub interpretatione consimili. Siquidem in frugiferam & in domũ panis vertitur, propter eũ panẽ qui de cælo se descẽdisse dicit. Mortua est (inquit) Rachel. Sicut supra dictũ est, non carere mysterio, q⁹ Debboræ nutricis mors annotata, & Rebeccæ mors tacita est: sic & nunc sciendũ, non frustra mortem Rachelis inueniri, cùm Lyæ mors scripta nõ sit. Quid enim Rachel, nisi primitiuam ex Hebræis, quid Lya, nisi collectam ex gentibus signat ecclesiam? Moritur ergo Rachel, & mors Lyæ silentio premitur: quia videlicet synagoga palam per infidelitatem à gratia vitæ excidit: ecclesia verò gentium viuit per fidẽ vsq; in finẽ seculi. Et notandum, quòd Rachel in partu obijt. Nam synagoga tũc mortua est, quãdo Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stum & eius Apostolos emisit. Quæ enim assumptio, nisi vita ex mortuis? Vnde & Rachel. (Egrediente anima præ dolore, vocat filium suũ Benoni, quod interpretatur filius doloris mei.) Doluit enim. i. inuidit, & dolenda sorte inde mortua est, quòd ex ipsa vita assumpta sit. (Pater aũt vocauit filium illũ Beniamin, id est, filium dextræ.) Quia profectò ille est filius Apostolorum chorus, quẽ
Rom.11. *Ephe. 2.* considere fecit cum Christo ad dexteram suam in cælestibus.

De eo quod dixit, transturrim gregis, quis locus sit.

CAPVT XVI.

EGressus inde fixit tabernaculum transturrim gregis.) Loci huius vel nominis equiuocatio quibusdam errorem fecit. Quidam enim arbitrati sunt, locũ hunc esse, vbi
Mich.4. postea templum ædificatũ est, & turrim Ader turrim gregis significare, hoc est congregationis & cœtus, quod & Micheas propheta testatur, dicens: Et tu turris gregis nebulosa, filia Sion, &c. Illoc; tẽpore Iacob trãslocum, vbi postea ædificatum est templum, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ pastorum, iuxta Bethlehẽ locus est, vbi vel angelorum grex in ortu Dñi cecinit, vel Iacob pecora pauit, loco nomen imponens, vel (quod verius est) quodam vaticinio futurum iam nunc mysterium monstrabatur. (Cumc; habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cũ Bala cõcubina patris sui.
Ruben. Quod illum minimè latuit) Sic ille effluendo, cũ esset primogenitus meruit audire. Effusus es sicut aqua, nõ cresças, ascẽdisti cubile patris tui, & maculasti stratũ eius. Similes sunt ei oẽs hæretici, qui plebẽ Christi adulterino cõmaculãt semine doctrinæ neq;. Vnde Bala, quod interpretatur inueterata, rectè hoc loco cõcubina dicitur. Nulla enim nisi
Gen.49. cõcubina inueterata hæreticorũ libidini sese prostituit Nam quæ legitima vxor est. i. quę virũ suum Christum agnoscit, neq; seipsam ignorare neq; adulterinum concubitum admittere potest.

De generationibus Esau patris Edom.

CAPVT XVII.

HAE sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir, & hæc nomina filiorum eius.) Esau & Edõ & Seir, vnius hominis nomen est, & quare variè nũcupetur, supra dictum est. (Elifaz filius Ada vxoris
Iob.2. Esau. Iste est Elifaz, cuius scriptura recordatur in Iob volumine. Quod autem sequitur. (Isti duces Horræorum qui imperauerunt in terra Seir.) altius repetiuit: iã enim enumerat filios Esau, & exponit qui ante Esau
Deut.4. principes fuerunt Horræorum, qui in lingua nostra interpretantur liberi. In Deuteronomio manifestius legitur, quomodo venerunt filij Esau, & interfecerunt Horræos, ac terram eorum hæreditate possederunt. Idcircò autem Horræorum recordatur, quia primogenitus filiorum Esau, ex filiabus eorum acceperat concubinam Themna, & ex ipsa natus est Amalech. Quod autem dicitur Themna, Cenetz, & Amalech, & reliqua, sciam⁹ postea regionib. Idumæorum ex his vocabula imposita. (Iste est (inquit) Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui.) In Hebræo scriptum est: Iste est qui inuenit Iamim. Multi putant illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, cuius rei inuentio in eremo difficilis est. Nonnulli putant, aquas calidas iuxta Punicæ linguæ viciniam, quę Hebręæ contermina est, hoc vocabulo significari. Sunt qui arbitrentur onagros ab hoc admissos esse ad asinos, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur Iamim. Plerique putant, quòd equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde, contra naturam, noua animalia nascerentur.

Quare dicturus de ætate Ioseph, qui Christi solis iustitiæ typũ gesſit, præmiserit, hæ sunt generationes eius.

CAPVT XVIII.

CAPVT XXXVII.

HAbitauit autẽ Iacob in terra Chanan, in qua peregrinatus est pater suus. Et hæ sunt generationes eius. Ioseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregẽ cum fratribus suis adhuc puer.) Deinceps Ioseph sanctissimus, stella magna & lucida, de hoc altissimo sanctæ scripturæ cælo lumen suũ dare incipit, qui penè solus claro vitæ suæ ordine præostendit, qualiter sol iustitiæ Christus processurus esset ab initio vsq; ad finem diei, id est, ab incarnatione sua vsq; ad cõsummationem seculi. Vitæ eius narratio sic incipit. Et hæ sunt generationes Iacob. Ioseph cùm sedecim esset annorum, &c. Supra dixerat: Erant autem filij Iacob duodecim, eorũ que catalogum ediderat, nunc autem dicturus, Ioseph cùm sedecim esset annorum, præmittit: & hæ sunt generationes Iacob. Et est sensus: Duodecim quidem filios habuit, sed in vno Ioseph suam generationem, id est, suę *Gen.35.* vel paternæ similitudinis effudit pulchritudinem. Nam sicut & pater suus ex sterili Rebecca, naturam inopem diuina iuuante gratia, progenitus, & diuina benedictione donatus est: sic iste nihilominus ex sterili Rachel dono dei susceptus est, futurus eiusdem benedictionis hæres.

Quòd Ioseph adhuc puer grandiores fratres æmulos suos, crimine pessimo accusarit.

CAPVT XIX.

IOseph (inqt) cùm sedecim esset annorũ, pascebat gregẽ cũ fratrib. suis adhuc puer. Non ita supereffluit sermo Dei, vt nos docere velit, quod hac ætate quisq; adhuc puer sit, dum præmisso, cùm sedecim esset annorum subiungit adhuc puer, sed vt citam iustitiæ vel meriti mireris perfectionem, quæ conti-

continuò subtexitur, idcircò sic vtrunq; vigilanter dictum est, sedecim annorũ, & adhuc puer. (Et erat cum filijs Balæ & Zelphę, vxorũ patris sui. Accusauitq; fratres suos apud patrem crimine pessimo.) Hoc enim diligenti inspectione dignũ est, quia grandiores fratres accusauit adhuc puer. Quod vtiq; non fecisset, si non puritatis amorem, zelum que iustitiæ iam haberet, quod in puero vel adolescente maximè laudabile est. Quo autem crimine fratres suos accusauerit, quia scriptura non edixit, vagæ opinioni locus datus est, quia multa sunt vitia, quorũ consummatum opus pessimum est. Aiũt tamen viri illustres, crimen Sodomitici fuisse sceleris. Porrò q⁹ distinctè dictum est, & erat cũ filijs Balæ & Zelphæ, vxorum patris sui, æmulationem iam insinuat fratrum qui erant ex Lya, cum quibus esse non audebat, quia cũ
CAPVT XXXVI. de libera essent, grandiores habẽtes animos, filium dilectæ Rachelis non libenter aspiciebant. Inuidentiæ causa protinus subiuncta est. Dicit enim scriptura: (Israel aũt diligebat Ioseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum. Fecitq; ei tunicam polymitã.) Et continuò. (Videntes aũt fratres eius, q⁹ à patre plus cunctis fratrib. amaretur, oderãt eum, nec poterãt ei quicquam
Sap. 4. pacificè loqui. (Sed notãda paternæ dilectionis causa posita est, eò q⁹ in senectute genuisset eũ. Nunquid enim secundum corpus senex erat quando genuit eum, iuuenis autem quando cæteri nati sunt? Siquidem præter Beniamin cunctos infra quatuordecim annos genuerat. Restat ergo senectutẽ illã hic asignari, de qua sapientia dicit: Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. In illa nanque veraciter senectute Israel genuit Ioseph, quia propter illã iustitiæ suæ senectutem talẽ habere meruit hæredem. Nec enim vir iustus lætatur in multitudine filiorum si mali sunt: sed in eo tantũ agnoscit se patrem, si filium relinquat post
Eccl. 30. se, qui iustitiæ consequatur hæreditatẽ. Vndè est illud sapiẽtis: Mortuus est pater illius, & quasi non est mortuus, similẽ enim sibi reliquit post se. In vita sua vidit & lætatus est, cum illo in obitu suo non est contristatus. Dignam ergo ob causam diligebat eum, & tanquam perfecto iamq; pleno dierum, id est, virtutum, fecit ei tunicam polymitã, id est, manibus artificis mira varietate distinctam, vsq; ad talos pertingentẽ, videlicet ob virtutum multiplicitatem, vel iustitiæ perfectionẽ. Itaq; videntes (inquit) fratres, oderant eũ, nec poterãt ei quicquã pacificè loqui. Magnitudinẽ odij diligenter expressit, dicendo: nec poterãt ei quicquã pacificè loqui. Nã reuera odiũ tunc magnũ ac molestissimũ est, quando virus animi lingua dissimulare nõ potest. Hæc secũdũ sensum literalem dicta sunt. Cæterùm iam dicendum vel intuendũ est, quã pulchra ex hoc speculo suo Christi filij dei, veri solis imago resplendeat.

Quomodo Iacob patris, Ioseph autem filij Christi typum gesserit.

CAPVT XX.

IGitur in mysterio Ioseph id est adauct⁹, Christ⁹ est dei filius, qui omni spiritu sancto plen⁹ est, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hic & sex & decem annorũ cùm sit, siquidẽ & sex opera vniuersæ creationis ipse explicuit, & decalogũ legis cũ digito Dei scripsit, adhuc puer pauit gregẽ patris sui. i. formã serui indutus rationalium dei patris ouiũ curã susceepit. Eratq; cũ filijs Balæ & Zelphæ, vxorũ patris sui. Bala inueterata, Zelpha fluẽs os interpretatur. Quibus nominib. scribæ subintelliguntur & phariſæi, dierũ malorũ inueterati & ore fluẽtes *Luc. 2.* vitiatã traditionib. suis doctrinã legis. Cũ il- *Ioan. 5.* lis erat, audiens eos, & interrogãs illos, & nõ *Ioan. 15.* quidẽ ipse, sed ꝓpter ipsum Moyses, in quo sperabãt ipsi, accusauit eos apud patrẽ crimine pessimo. Nã si non veniſſem (inquit) & locutus fuissem eis, peccatũ nõ haberent, nunc aũt excusationẽ non habent de peccato suo. Si opera nõ fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Nunc aũt & viderunt & oderunt me & patrẽ meũ. Cui du- *Ioan. 13.* bium est, q⁹ pater diligat istum Ioseph? Pater enim (inquit Ioan.) diligit filiũ, & omnia dedit in manu eius, eò q⁹ in senectute genuisset eum. Qua in senectute genuit ille pater talẽ filium? In senectute æternitatis genuit eum, secundum quã & ipse dicitur & est antiquus dierũ. In illa senectute, in illa matura antiquitate, sine numero annorũ, sine initio dierũ, sine vicissitudine temporum, genuit ille senex & antiquus pater illum æquè senẽ & æ- *Dan.7.* què antiquum filium: & idcircò diligit eum, fecitq; ei tunicã polymitã Quę nã est huius filij tunica, nisi sancta legalis & prophetica scriptura? Cuius enim ob causam, cuius ob testimonium vel gloriã, nisi huius filij sui texuerunt digiti Dei omnẽ scripturã, quam iure fa- *2. Pet. 1.* temur diuinitus inspiratam. Fecit ergo pater filio suo tunicã polymitam variè pulchram, & pulchrè variam. Hanc similẽ genituram, hanc tunicam polymitam, dilectionem q⁹; paternam, qui habet aures audiendi audiat, pa- *Psal. 44.* tre prædicante per Psalmistã in quo dicit: Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi, &c. vsq; ad finem Psalmi. Videntes autem (inquit) fratres eius, oderãt eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui. Notum est, quia nimis oderant hunc dilectionis filium fratres maligni, tanto odio vt nõ possent ei quicquam pacificum loqui. Vnde ait ipse in Dauid: Cum his qui oderãt *Psal. 119.* pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, *Psal. 108.* impugnabant me gratis. Item: Et sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerũt me gratis. Cuncta loquebãtur hostilia,

in Beel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth.12. Ioan.8. Ioan.9. in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia,& dæmonium habet & insanit, & quid eum auditis?& his similia. Sed nūquid viderunt, quòd illum pater amaret, vel q̄ ille filius Dei patris esset? Vtiq;. Nam si cæci (inquit) essetis,non haberetis peccatū.Nunc autem dicitis quia videtis, peccatum vestrū manet. Planè viderunt, & idcircò excusatio nem non habent de peccato suo.

De somnio Ioseph, quod retulit fratribus suis.

CAPVT XXI.

ACcidit quoq;, vt visum somnium referret fratribus suis,quæ causa maioris odij seminarium fuit.)Præter causam supra dictam,accidit hæc etiam causa in augmentum odij. Hoc ita dictum est,ac si diceretur: Accidit vt sermo eius maioris odij seminarium fieret.Et hoc rectè dictum est,quia accidit,neque enim studio quicquam horum dixit,id est,nō in conscientia eius fuit,quòd huiusce somnij relatio seminariū fieret maioris odij.Deniq; hoc simplicis aut innocentis non fuisset animi,velle amplius vrere odientium animas auspicio suæ futuræ felicitatis.(Putabam(inquit)nos manipulos ligare in agro,& quasi consurgere manipulum meum & stare,vestrosque manipulos circūstantes adorare manipulū meum. Item: Vidi(ait)per somnium,quasi solem & lunam, & stellas vndecim adorare me.) Hæc somnia, quoniam cuncti nouimus in illo Ioseph qualiter subsequens rerum compleuerit effectus,restat nūc, vt ea secundum easdē causas vel exitus euangelicis Domini nostri Iesu Christi parabolis consonare sciamus. Etenim sicut in somnio, sic & in parabola, dū aliud dicitur,aliud intelligitur:quēadmodū & aliud vmbra,& aliud corpus,& tamen nō nunquā ex vmbra corpus cognoscitur. Et hoc nulli dubium, quin sicut in hunc causa somniorum,sic & in dominum nostrū causa parabolarū, maioris odij seminarium fuit, maioris inuidiæ fomitem ministrauit.Exem pli causa seminatur parabola hæc: Homo erat paterfamilias,qui fodit vineam,& sepem circundedit ei.Et fodit in ea torcular,& ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est, & reliqua.Etenim sic ut eminentiam Ioseph præsignauit illud, quòd manipulus eius consurgere & stare visus est, eumq; circunstantes adorare manipuli fratrum:sic & Dominus noster,excelentiam suimet innuit ad summam parabolæ,dicendo sic. Nunquid legistis in scripturis:Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli: à Domino factum est illud,& est mirabile in oculis nostris ? Et quemadmodum illi conijcientes quid sibi vellet somnium, amplius inuidentes dixerunt: nunquid rex noster eris, aut subijciemur ditioni tuæ:sic & isti intelligentes intentionem parabolarum amplius zelati sunt,& quærentes eum tenere(inquit Euangelista)timuerunt turbas, quia sicut prophetam eum habebant.Porrò minus in somnio visum, quā in parabola est dictum. Non enim habetur in somnio, qualiter manipulus Ioseph consurgere & stare, & à circunstantibus manipulis suorum fratrum adorari deberet, cū parabola hæc personet, quòd Iudæi Dei patris filium extra portam ciuitatis eiectum occisuri forent,& deinde subiuncto testimonio Psalmi dicentis: Lapidē quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:palam confirmet, quòd sic abiectus vel reprobatus,in caput gentium deberet constitui. Igitur pro quanto Ioseph Christi gesit typum, pro tanto & hæc eius somnia parabolis eiusdē Christi similia sunt. Et duo quidem somnia fuerunt, sed pro vno habita vel habenda sunt, quemadmodū & ipse ad Pharaonem:somnium (inquit) regis vnum est. Quod autem vidisti secundò ad eandē rē pertinens somnium, firmitatis indicium est,eò quòd fiat sermo Dei vel velocius impleatur.Et alterum quidem è terra vel ex agro,alterum verò somnium fuit è cælo,quia videlicet adoranda à fratribus suis eius felicitas nō de terra tantùm,sed & de cælo,non solùm ex hominibus,sed etiā ex deo, imò primam & maximam ex Deo laudem erat habitura.

Matth. 21. Gen. 41.

De interpretatione somnij ex eo quòd Iacob dixit: Num ergo, &c. adorabimus te super terram?

CAPVT XXII.

SED quid ita pater somnium interpretari conatus est. (Nū ego & mater tua,& fratres tui adorabimus te super terram?) Cùm eius matrem Rachel obisse sciret,quomodo illam quæ defuncta fuerat,adorare posse sentiebat? An matrē eius hic appellat eam quæ supererat,vxorem suam, consuetudine non natura?Etenim matertera cū dicatur, q̄ sit mater altera,rectè matrem eius Lyam hic appellare poterat. Veruntamen nec de patre palam legitur, quòd adorauerit, nisi quando iurante Ioseph, quòd patrem auferret de terra Aegypti,conderetque in sepulchro maiorū,adorauit iuxta septuaginta fastigiū virgæ eius pater Israel.Cæterū iuxta Hebraicam veritatē melius legitur,adorauit Deum conuersus ad lectuli caput. Ergo pro parte totum ponitur: vel intelligitur,quia reuera & pater pro filio gratias agendo cælestem adorauit gratiam, quod sine dubio fecisset mater si adhuc viueret. Quòd & si litera cui quam in hac parte infirmare videatur,firmiter sciendū est,quia iuxta spiritualē sensum veritas omnis in Christo perficitur. Quis enim hoc loco pater eius, nisi anterior populus, de quo est incarnatus, q̄ à die passionis vel resurrectiōis eiusdē filij sui in cælesti regno pro parte electorum fulget sicut sol? Et quæ luna nisi præsens ecclesia, quæ mutabilitati subiacet,& minꝰ lucet quādiu peregrinatur in

Quomodo Iacob adorauit filiū suum Ioseph. Gen. 47.

turin ista vita? Singuli autem electorum stellæ sunt,secundum se quidem imperfecti quasi in vndenario numero, sed eorū perfectio stella duodecima, stella(inquam) perfecta & matutina,ipse Christus frater ipsorū est. Omnes adorāt sol & luna,& stellæ omnes, cuncta cælestia, vniuersa terrestria, maiora siue minora,illū venerantur & adorant. Mihi(inquit) curuabitur omne genu,& confitebitur omnis lingua. Quis enim manipulus eius,nisi ab ipso seminata, ad messem vsq; perducta & perducenda fides euangelica?Porrò manipuli fratrum,lectiones sunt legis & propheta rum, quas Iudæi legentes quasi manipulos ligant vel colligunt. Ecce palā omnibus est, & de toto mūdi agro spectatur manipulus Christi stans & manipuli fratrum eius circunstantes & adorantes,id est, euangelium fida messis & frumentum optimum, solum & vnicū Christi asserens imperium, omnesque legis & prophetarum lectiones illi testimoniorū præbent obsequium debitumque adorationis famulatum.Imitentur ergo fratres inuidi manipulos suos,quod quādoq; facturi sunt, cum adorando, cuius manipuli ipsorum iam adorant manipulum.

Esaie 45.

Quòd Ioseph obediens patri in Sychem missus ad fratres suos,Christi patri suo obedientis vsque ad mortē typum gesserit.

CAPVT XXIII.

CVmque fratres illius in pascēdis gregib. morarentur in Sychem, dixit ad eum Israel.Fratres tui pascūt greges in Sychimis,veni,mittā te ad eos.) Hęc erat causa paterne solicitudinis,quia pascebāt filij oues eius in Sychimis, videlicet vbi dudum populo terræ illius odiosos fecerat illos furor ipsorum pertinax & indignatio dura. Eadē solicitudine æger superius locutus est. Turbasti me, & odiosum fecisti Chananæis, & Pherezeis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus,illi congregati percutient me,& delebor ego & domus mea. Non ergo ab re visitationem pater arbitratus est, quia non qualemcunque hominem, sed eum quem diligebat filium mitteret ad eos, vade(inquiens) & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora, & renuncia mihi quid agatur.Breue quidem,sed præclarum scriptura interposuit obedientis filij verbum, dicendo.Quo respondente,præsto sum. Perseuerantiam quoq; beneuolentiæ vel attentationis eius illud indicat, quòd cum nō inuenisset eos in Sychem, tādiu quæsiuit eos errans, & duce siue indice indigens,donec inueniret eos Dotaim:Hoc planè in mysterio illud est, quod in Christo Dei filio mirandum & imitandum prædicat Apostolus, quia factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Fratres eius secundum carnem scribæ & pharisæi in Sychimis pascebant oues, id est, secundum exemplum Sychimitarum docebant, imò decipiebant insipientes,de qualibus Psalmista: Sicut oues(inquit)in inferno positi sunt, mors depascet eos. In quo secundum exemplum Sychimorum?In eo videlicet,quia circuibāt mare & aridam vt facerent vnum proselytum:& cum factus esset, faciebant eum filiū perditionis,duplo quā semetipsos. Sic enim Sychimitis fecerunt patres eorum dolo circumuenientes eos,vt circunciderentur,proselytos fecerunt, & incautos interfecerunt. Et ad eiusmodi pastores cum à Deo patre mitteretur passurus filius.(Præsto sum ait.) Dominus enim(inquit)aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Venit ergo ad tabernacula pastorum, ascendit Hierosolymam ad diem festum renunciaturus patri quid ageretur, non locali recursu vel retrogradis passibus,sed clamore valido sui sanguinis, quo fratrum illorum scelus crudelissimum iugiter in cælum annunciatur.

Psalm.46. Matth.23 Genes.34. Esaie 50.

CAPVT XXXVII. Genes.34.

Philip.2.

Quòd Ioseph dolore mortis circundatus similitudinē mortis Christi,& passionem eius figurarit.

CAPVT XXIIII.

PErrexit ergo post fratres suos, & inuenit eos in Dotaim. Qui cum vidissent eum procul,antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere,& mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite occidamus eū, &c.)Non opus erat,vt gratia similitudinis filij sui Deus illum permitteret occidi resuscitaturus à mortuis, quamuis & hoc illi possibile fuerit,cum omnipotens sit. Occidi nanq; non iā mortis similitudo,sed ipsa est mors. Si enim complantati (inquit Apostolus) facti fuerimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Nunquid hæc dicens, suadet nobis corporaliter extingui? Ergo pro similitudine satis fuit, viuentē absq; dispendio vitæ doloribus mortis circunda ri,& ita cōmunicare futuris passionib. Christi. Vt autem euaderet mortem dicentibus illis:Ecce somniator venit, venite occidamus eū,& videamus si prosint illi somnia sua : diuisio malorum, præsidium iusto fuit. Dixit enim Rubē.(Non interficiamus animā eius, nec effundamus sanguinē, sed proijcite eū in cisternā hāc quę est in solitudine,manusq; vestras seruate innoxias. Hoc aūt dicebat, volēs eripere eum de manib.eorū,& reddere patri suo. Fortè quia se magis suspectū fore totūq; pondus criminis in se versandū existimabat, quippe q primogenita pdiderat,quæ in illū ab altera vxore primogenitū pater trāsferre ceperat. Hic,profecto diuisus est à cæteris & cauēdū erat illis,vt nō offenderēt eū, cum posset offensus rē indicare patri. Igitur acquiescētes vni cōfestim vt peruenit ad ipsos nudauerūt Ioseph tunica talari & polymita,miseruntq; in cisternā quæ nō habebat aquā. Sed hoc pacto,si ibi relinqueretur,mortē nō euaderet,si aūt Ruben vt facere intēderat,eripe-

Matth. 21. Psal. 117. Ioan. 8. Ioan. 9. Gen. 37. Ruben.

Cur non permisit Deus Ioseph occidi. Rom. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret eum de manibus eorum, & redderet patri suo: nó implerẽtur diuinitus prouisa eius somnia. Facta est igitur & alia diuisio, sicque in tres diuisi sunt partes, vt citius propositũ Dei ordine suo percurreret. Nam sequitur: (Et sedentes vt comederent panes, viderunt viatores Ismahelitas. Dixit ergo Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest, si occidamus fratrem nostrum? Melius est vt vendatur Ismahelitis, &c.) Hoc profecto ex semetipso non dixit, sed quemadmodum ille Caiphas
Ioan. 18. qui prophetauit, dicens: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: sic & iste nutu dei prophetauit, melius fore Ioseph venundari quam occidi, magisq; sibi profuturum, si Ismahelitis venderent, quam si occiderent, & sanguinem eius celarent. Hæc potius voluntas Dei fuit, sed ille quidem cogitauit de fratre suo malũ, Deus aũt conuertere nouerat illud in bonũ. Num (inquit ipse Ioseph) Dei renuere possumus volũtatem? Vos cogitastis de me malũ,
Genes. 50. & Deus vertit illud in bonum. Hæc &
Psal. 104. Psalmista testatur, dicens: Misit ante eos virum, & continuò subiungens, in seruum venundatus est Ioseph. Illi (inquam) cogitauerunt malum de fratre suo, qui in seruum illum vendiderunt: Deus autem vertit in bonum mitten do ante eos virum. Hoc vero fuit Christo cõparari, verè ferro passionis transuerberari. Sic enim qui supra cũ dixisset: Humiliauerũt in compedibus pedes eius, statim adiecit, ferrum pertransijt animam eius. Ferrum pertrãsiens animam, appellat animæ angustiã. Quæ quàm vehemens fuerit, fratres testantur ad inuicem loquẽtes: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes an
Gen. 49. gustiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus.

Quod fratres Ioseph mittentes tunicam hœdi sanguine tinctam nunciauerunt patri mortem eius. Et de luctu patris.

CAPVT XXV.

TVlerunt autem tunicam eius, & in sanguine hœdi quem occiderãt, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non?) Hoc deliberauerunt, & non ipsi dicere voluerunt: hanc inuenimus, sed summiserunt qui ferrent, seq; inueniſſe dicerent. Videlicet sic tutius innoxij parerent, sic dissimulandi sibi laborem minuerent, sic animũ patris, à suspicione sui sceleris longius repelle rent. Sed nunquid vel sic tam diligentem fallere potuerunt? Et si huic sancto viro præterhumanam nihil affuit cõiecturam, nunquid totum eius spiritum suæ fallaciæ tenebris obuoluere valuerunt? Dicit nempe quodam loco sic: Vos scitis, quod duos filios genuerit mihi vxor mea. Egressus est vnus, & dixistis, bestia deuorauit eum. Quid nam dixistis, ni-
Genes. 44. si & eos qui dicerent, summisistis? Ergo illa fera pessima, illa bestia sæuissima, quæ quãtũ in se fuit deuorauerat, qualis esset, non omnino patrem latere poterat. Sed quid ageret? Qualiter ferã illã cõstringeret? Quomodo de ventre bestiæ illi⁹ quẽ deuoratũ putabat filiũ extrahi posse putaret? Tacendi potius & dissimulandi quod conijcere poterat, tempus illi erat, ne si notam sibi illam feram, id est filiorum inuidiam audacem atque violentã querelis manifestis exagitaret, maiorem in rabiẽ dẽtes eius acueret. Itaq; in acerbissimo dolore vim sibi faciens, & verba sua moderans. (Tunica (inquit) filij mei est, fera pessima cõedit eum, bestia deuorauit Ioseph.) Nec hoc dicens falsus aut mentitus est. Talis nanq; sæuitia cum leone & vrso feræ aut bestiæ vocabulo rectissimè æquiuocari potest. Scissisq; vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Qualem ergo inuidiæ suæ requiem? quale zeli sui refrigerium abactores Ioseph adepti sunt? Nempe si grauis illis erat ad videndũ frater, quia diligebatur: grauior multo esse poterat pater, quia cum languore vel tristitia vniuersa domus corã oculis eorum perpetuo dolore cruciabatur, nimioq; labore consumebatur. (Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit cõsolationem recipere, & ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.) Quia mortuum esse putabat filium suum, omnes autem mortui, quanquã iusti ante Christi aduentum descendebant in infernum: idcirco dixit, descendam in infernum ad filium meum, pro eo, vt diceret, cum vita mea finiam præsentem luctum, non nisi moriendo cessabo lugere filium meum. Sed quonam instrumento liberi eius congregati aderant ad leniendum patris dolorem? Quis enim dolorem eius mitigare poterat, nisi quẽ medullitus dolor ipse mordebat? Hæc nanq; *2. Cor. 2.*
veri doloris natura est. Si enim (inquit Apostolus) ego contristo vos, & quis est qui me lætificet, nisi qui cõtristatur ex me? At illi nó in veritate plorare, vel fideliter cõtristari poterant, quippe qui pro remedio tristitiæ suæ, pro lenimento torquentis inuidiæ fratrem abegerant. Qua ergo fronte congregati ade- *Ouid. in Metam.*
rant? Heu (inquit quidam secularium) quam difficile est, crimen nó prodere vultu. Patris lachrymæ, quia vulneratam cordis venam inuenerunt, freno laxato currebant quantũ volebant, nec retineri adiunctis habenis poterant, quia forti impetu sese excusserant. Verùm lachrimæ fratrum concluſæ erant, nec leuiter, quamuis calcaribus vrgerentur, erũpere volebant. Ergo cum lenire vellent verum patris dolorem, noluit consolationem recipere, noluit eos audire, noluit eos saltem ad luctum inuitare, non curauit saltem (quæ extrema consolatio est) eorum voces secum in fletũ excitare. Solent nanq; & hoc facere *Thren. 1.*
qui omni gaudio destituti, solis pascũtur lachrymis suis, solis feriuntur gemitibus, quomodo verbi gratia Hierem. propheta loquitur: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.

Item de re eadem. Et quòd sicut Isaac, sic & Ioseph ad occidendum impetitus, non tamen mortuus, Christi passionem præfigurabat.

CAPVT XXVI.

Gen. 22. IGitur quemadmodum puer Isaac ad immolandum ductus, colligatus & aræ impositus non tamen etiam gladio percussus: sic & iste à fratribus suis ad occidendum impetitus, in cisternam proiectus, ac venditus est, non tamen etiã occisus, rectè dicitur passus, & in passione sua filio Dei assimilatus.
CAPVT XXXVII. Item & quemadmodum aries pro Isaac in holocaustum oblatus, mysterium similitudinis filij Dei peregit, cuius diuina impassibiliter permanente natura, sola passa, vel mortua est humana. Sic & hœdus iugulatus, quo tunica Ioseph talaris & polymita sanguine eius intingeretur, eandem figuram vel similitudinem prætulisse dignoscitur. Tunicam Christi polymitam, sanctã esse scripturam superius iam diximus, qua videlicet tunc inuidi fratres Iudæi, quantum in ipsis fuit, dilectum patris filium nndauerunt, quando illum detestati sunt, & eum quẽ scripsit Moyses in lege, & prophetę, hunc esse negauerũt. Eccè respice in manibus Iudæorum Christi tunicam, id est, legalem ac propheticam scripturam, sanguine illo cruentata est, sanguine hœdi, id est, eiusdem Christi, non sua, sed aliena peccata portantis, & idcircò per hœdum significati, in manibus Iudæorum polluta est. Quicquid legere, quicquid sabbatizare contendunt, omne quod sanctum se habere putant, sanguine plenum est, sed & ipsæ manus Iudæorum plenæ sunt sanguine. Quinam sunt hi quos miserunt, quibus tunicam istam pãtri afferendam imposuerunt? Nimirum nos sumus, qui neque filium istum vendidimus, neque hœdum (quod ipse idem est secundum naturam humanam) peccata nostra portantem occidimus, sed vbi factũ est, audiuimus, & superueniẽtes iam intinctam tunicam suscepimus. Non quidem nos illi miserunt, sed & nos & patres nostros Apostolos emiserunt, eiecerunt, anathematizauerunt: Veruntamen quin spolia hæc auferremus, prohibere non potuerunt. Quoties igitur patri assistimus, quoties cantantes psallantes siue legentes sacram scripturam tractamus, familiariter Deo dicamus. Hanc inuenimus, vide vtrũ tunica sit filij tui, an non?
Hier. 12. Et respondet nobis: Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Gens enim illa, quõdam patris domus vel hæreditas, nunc fera pessima vel bestia dicitur & est, & vocatur Hyena. Sic enim in propheta dicit filius ipse: Facta est mihi habitatio mea quasi spelunca Hyenæ. Iamdudum scissis vestibus hic pater indutus est ciliciũ, id est, laceratis & abiectis à se ornatib.

veterum cæremoniarum, contempto ritu sacerdotum vel ornatu sacrificiorum, admisit & astruxit sibimet multitudinem pœnitentium Idololatrarum. Planè congregatis cũctis, qui eiusmodi sunt liberis, eius, vt deliniant dolorẽ eius, id est, vt sacrificijs & Mosaicis lectionibus illi adulentur, omninò nó vult eos audire, & dicit: Cùm extenderitis manus vestras, auertã oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non ex *Esa. 1.*
audiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Sed quid? Descendam, inquit, ad filiũ meum lugens in infernum. Lugens, inquam, id est, gemitibus inenarrabilibus lugentes *Ioan. 3.*
faciens, ad eos descendam, qui cùm in inferno siue in monumentis sint, audiunt vocem filij mei, & in hoc descendam, vt quicunque audierint, viuant.

Quomodo Ioseph semel venditus viginti denarijs à fratribus, secundò venditus sit Putiphar Eunucho in Aegypto à Madianitis.

CAPVT XXVII.

ET illo perseuerante in fletu, Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto Putiphar eunucho magistro militiæ.)Quæritur de isto, q̃ nũc eunuchus asseritur, quomodo postea vxorem habere dicatur. Tradunt Hebræi, emptum ab hoc Ioseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium, & à Domino virilibus eius arefactis, postea electum esse iuxta morem hierophantarum in pontificatum Heliopoleos, & huius filiam esse Asenech, quã postea Ioseph acceperit. Eccè secundò in seruum venũdatus est Ioseph. Et hoc interesse notandum est, quia primæ venditionis pretium scriptura non tacuit, viginti enim argenteis vendiderunt eum fratres sui Ismahelitis, secundò autem quanti venditus sit, dicere neglexit. Et rectè: Quia Ismahelitæ siue Madianitæ negotiatores permixti, quod suum erat, & quod emerant licenter iam vendiderũt. Fratres aũt hoc faciendo malum, ipsi venundati sunt, & idcircò sciendum fuit, quanti seipsos vendiderũt, id est, quam paruo pretio tam ingentis peccati serui facti sunt. Nam tali in negotio, viginti argentei, quid sunt inter tantos? Siquidem cũ decem fratres vnius venditores fuerint, singulæ portiones eorum, boni argentei sunt. Paruo igitur venundati sunt, nisi q̃ & illi non tam marsupijs suis consulere, q̃ inuidiæ suæ satisfacere curauerunt. Porrò Madianitis qui emerunt, & rursus vendiderunt Ioseph, illi fratrum nequissimi comparabiles sunt, scilicet, principes sacerdotum, qui & vendiderunt Christum, & vt sibi venderetur, pecuniam discipulo spoponderunt: vẽdiderunt, inquam, quia iuxta suam occasionem, vt locum & gentem sibi seruarent, qua *Galat. 4.*
si rursus vendentes eum Pilato tradiderunt. Nam si secundum Apostolum ex Ismahel sunt omnes qui sequuntur eos qui vel secundum spiritũ nati, vel promissionis filij sunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanto magis illi Ismaelitæ rectè dicantur, qui hunc vsq; in mortem persecuti sunt: non vtcunque secundum spiritum natum, sed ex sancto spiritu conceptum, cui non ad mẽsurã Deus spiritũ dat, sed in eo corporaliter
Coloss. 2. omnis plenitudo diuinitatis inhabitat? Hęc mira venditio eorum fuit, cùm propter locum & gentem regem suum & loci & gentis suæ solum præsidium tradiderunt, dicendo,
Ioan. 11. ne fortè veniant Romani & tollant nostrũ & locum & gentem. Et pretium quidem emptionis eorum similiter supputatum est. Triginta nanq; argenteos traditori discipulo derunt. Vbi notanda diligenter, secundum distantiam personarum, differentia quoque diuinitus prouisa pretiorum. Binarius nanque & ternarius in denario limite viginti & triginta faciunt. Ergo quantitas pretij, quo Ioseph venundatus est, binarius: pretij verò quo emptus est Christus, ternarius est. Et rectè: Nam Ioseph, vtpotè purus homo solummodo ex anima constat & corpore, Christus verò ex anima, & corpore, simul ex veritate constat diuinæ naturæ. Benè igitur illic binarius, hic autem pretij quantitas ternarius est. Porrò & illic, vbi in Aegypto venditus est Ioseph, & hic vbi gentibus traditus est Dominus noster, pretium vel emolumentum vendentium siue tradentium definitum non est. Attamen in propheta dicẽte, paueant illi, & non paueam ego, induc su-
Hier. 17. per eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos Domine Deus meus: iusta merces iniquitati illorum concessa est. Nã quia pauentes, imò pauorem simulantes dixerunt, & veniẽt Romani & tollent nostrũ locum, non solùm hac simplici contritione contriti sunt: sed & duplicata est cõtritio illorum, scilicet, vt & locum perderent, & æternam animæ mortem incurrerent.

De coniugio Iudæ & filiorum eius. Et quod alienigena Thamar & adulterinus concubitus Iudæ, os Iudæorum gloriantium in carne obstruxerit.

CAPVT XXVIII.

CAPVT XXVIII

EOdem tempore descendens Iudas à fratrib. suis, diuertit ad virum Odollamitẽ nomine Hyram, viditq; ibi filiam hominis Chananæi vocabulo Sue. Et vxore accepta ingressus est ad eam. Quæ concepit & peperit filium, vocauitque nomen eius Her. Rursum concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. Tertium quoque peperit, quem vocauit Sela. Quo nato parere vltra cessauit. Dedit autem Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuitque Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est, & reliqua.) Vbique Deus gratiæ suæ dona circa electos suos
Rom. 3. ita dispensat ac moderatur, quatenus & iustitia fidei sit, vnde prædicetur, & præsumptio carnis sit vnde non glorietur, vt iuxta Apostolum omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, neque glorietur omnis caro coram illo. Eccè enim Iudæis carnalib. in carne gloriantibus magnæ erat cõfidẽtiæ, q̃ patres eorũ vocati sunt sancti, & ipsi sanctas habuere coniuges, alienigenas. i. Chananæorum, inter quos habitabant, filias abominati, sed eccè os illorum obstruit alienigena Thamar, & adulterinus Iudæ concubitus, vnde duces suos, principes suos, reges suos, prophetas suos, & seipsos emanasse, si dissimulare velint, palã coarguantur, Omnis gloria gentis, cuncta nobilitas populi huius, ex hoc adulterio profluxit, vt (sicut iam dictũ Rom. 3. est) omne os obstruatur, & de meritis suis nemo glorietur, sitq; solus iustus & iustificans eum qui ex fide est Deus. Iam quia patet literæ textus in superficie decolor, pulchritu- Matth. 9.
dinem spiritus introrsum quæramus, ad honorem eius, qui neminem venit vocare iustum, sed omnes peccatores & impios. Neq; enim arbitrandum est, quòd frustra talibus ex principijs nasci voluerit patres, ex quibus ipse secundũ carnem nasciturus erat, qui est Rom. 9.
super omnia Deus benedictus in secula.

Quid mysticè per adulteram Thamar significetur.

CAPVT XXIX.

IGitur Thamar (quod interpretatur amaritudo) pœnitentiam significat, quæ omni homini necessaria est, ex quo primus peccauit Adã, in quo moriuntur omnes. Her & Onam, quorũ alter pelliceus, alter interpretatur mœror eorum, qui vxorẽ Thamar ducere iussi, filios ex ea nõ genuerunt, & mortui sunt propter suam nequitiam, eos qui ante legem & sub lege fuerunt, designant, qui pœnitentiã agere iussi, neglexerunt: Imò & expectatione Dei nequiter abusi, tempora pœnitentiæ perdiderũt. Iudas qui tandem ad illam ingressus duos ex ea filios vno genuit concubitu, Christum designat, qui tandem agendam pro omni modo pœnitentiam suscepit, & vno mortis experimento duorum populorum salutem, & vitam æternam, quasi parturiens in dolore mortis fructificauit. Latius secundũ literæ ordinem, sensum hũc explicemus. (Mortua filia Sue, vxore Iudæ, ille post luctum consolatione accepta, ascendebat ad tonsores ouium suarum, ipse & Hyras opilio gregis Odollamita in Thamnas.) Iudas confessio, Hyras vidi fratrem meum, Odollamita testimonium in aqua, Thamna vetans interpretatur vel deficiens. In Iuda ergo Christum quem & Apostolus vocat confessionis nostræ pontificẽ. In Hyras Ioannem Baptistam, qui dicit: Et ego vidi, & testimoiũ perhibui qa hic est filiꝰ dei. In eo q̃ dicitur Odollamites, ipsum testimonium propter quod venit in aqua baptizans. In Hebr. 3.
Thamna Iudæos vetantes & vetando deficientes. In morte filiæ Sue (quod interpretatur loquens siue cantilena) silentium intelligimus legis & prophetarum, qui vsque ad Ioannem prophetauerunt. Tunc ascendebat Iudas ad tondendas oues suas, & cum eo

Matth. 11. cum eo ille Hyras: tunc enim Christus venerat ad oues quæ perierant domus Israel: & cum eo, vel ante eum Ioannes baptista, baptizans in aqua & prædicans lauacrum ad tõsuram ouium necessarium, id est, pœnitentiam, dignosq; pœnitentiæ fructus, necessarios ad deponenda onera peccatorum.

Quid mysticè significet, quod Thamar Arrabonem accepit, donec mitteretur hœdus?

CAPVT XXX.

ANnunciatum est hoc Thamar,) id est, amaritudini, (sũptoq; habitu meretricio sedit in biuio.) Audita est enim vox illiꝰ opiliõis gregis dominici, clamãtis & dicẽtis: Pœnitẽtiã agite, & facite fructꝰ dignos pœnitentiæ. Extunc omnis qui de peccatis suis timuit, amaricatus est: & sic publica confessio
CAPVT XXXIX. ne se ostendit quæque anima peccatricẽ, quẽ admodũ talis habitus asserebat Thamar esse meretricem: sumpserat enim theristrũ. i. æstiuum ac subtile palliolum, sedẽs in biuio, per quod intelligitur legis & gratiæ confinium. Vidit Iudas noster, id est, miseratus est: adamauit, id est, satisfactionem eius suscepit. Quomodo enim cõcubitu eius frui voluit, nisi quia communicare dignatus est pœnitẽtiam amaritudini? Vsqueadeò facere hoc ille non dedignatus est, vt inter pœnitentes ipse à seruo suo baptismum pœnitentiæ susciperet. Sed quænam conuentio fuit, vel qua pro mercede inter vtrumq; conuenit? (Mittam, inquit, tibi hœdum de gregibus.) Quid porrò est huic Thamar hœdum pro mercede dari, nisi Christum pro pœnitentib. sacrificari? Nam ille quidem secundum suam innocentiam agnus est Dei: secundum peccata aliorum, quæ in se expianda susceperat, hœdus fuit. (Quid tibi, inquit, vis pro arrabone dari? Respondit. Annulum tuum, armillam, & baculũ quem in manu tenes.) Annulus fidem: armilla, dilectionis operationem: baculus, spei significat fortitudinem. Ista rectè Thamar pro arrabone postulat, donec accipiat hœdum. Fide nanq;, spe, & charitate pœnitens anima subarratur, donec sacrificatum pro peccatis suis facie ad faciem videat Christum. Accusata quoque his tribus defenditur testimonijs quòd nequaquam vagam sequendo turpitudinem fornicata sit, sed de Iuda conceperit, quia videlicet in die iudicij fide, spe, & charitate, vocata iustificata, & magnificata defensabitur, quod non alio quàm de Christi spiritu conceperit, dicens
Esa. 26. iuxta prophetam: A timore tuo Domine cõcepimus & peperimus spiritum, salutes non fecimus super terram.

De partu Thamar & quid significent gemini in vtero eius, quòd vnus manum prius protulit, & alter maceriam destruxit.

CAPVT XXXI.

INstante autem partu, apparuerunt gemini in vtero eius. Atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manũ, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicẽs: Iste egredietur prior. Illo verò trahente manum, egressus est alter. Dixitque mulier: Quare diuisa est propter te macería? Et ob hanc causam vocauit nomen eius, Phares. Postea egressus est alter, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zaram.) Tempus est vel dies partus, hoc tẽpus acceptabile, & hic dies salutis est, 2. Cor. 6.
ab hora passionis Christi, cuius amaritudo, id est, mors omnem hominem, tã Iudæum, quàm Græcum ad æternam vitam parturiuit. Nam isti sunt duo gemini, qui in vtero Thamar reperti sunt discordantes, & quasi de priuilegio nascendi contendentes, quos Apostolus exæquare & ad pacis concordiã Rom. 2.
formare cupiens exterret minis, mulcet promissis. Ira, inquit, & indignatio, tribulatio & Actor. 13.
angustia in omnem animam hominis operãtis malum, Iudæi primũ & Græci. Gloria autem & honor, & pax omni operãti bonũ, Iudæo primùm & Græco. Non est enim personarum acceptio apud Deum, &c. In ipsa, inquit, effusione infantiũ vnus protulit manum. Vnus ille qui primo manum protulit, Iudæus est, qui primus legem accepit, & cui primùm oportebat loqui verbum Dei. At ille repulit illud, & indignum se iudicauit æternæ vitæ. Manum ergo coccino legatam citò retraxit, id est, conscientiam Christi sanguine pollutam auertit. Alter protinus egressus Rom. 11.
est, Græcus, id est, Gentilis populus ad lucẽ venit, & Deo natus est. Quare, inquit, diuisa est, ppter te maceria? Hoc profectò à semetipsa non dixit, sed verum prophetauit, quod nunc palam factum est, quia videlicet cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Hæc interruptio Israel, diuisio maceriæ est, quã & significat nomen Phares, interpretatur enim diuisio. Alterum appellauit Zaram. Quo nomine pellenda designatur cæcitas, quæ contigit in Israel, vt post præsentem infidelitatis noctẽ veram videat lucem, respiciens ad orientem. Zara nanque interpretatur oriens.

Quòd Ioseph venditus eunucho à Domino liberatus sit, ne in turpe ministerium ad sumeretur.

CAPVT XXXII.

IGitur Ioseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius de manu Ismahelitarum, à quibus perductus fuerat illuc.) Superioris narrationis serie interrupta, præsenti repetitione scriptura redintegrat. Igitur, inquiens, Ioseph ductus est in Aegyptum, & cætera. Statimque iuxta Psal
misstam in beatitudinibus, iusti dicentem, a- Psal. 33.
pud Dominum gressus hominis derigetur, & viam eius volet, cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit animam suã. (Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis agens prosperè.) Vbinam ceciderat

CAPVT XXXIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic vēditus: vel qua collisiõe ne collideretur, suppositum manū suam Dominus? Nempe iuxta superius dictam Hebræorum traditionem in malam seruitutem ecciderat, quem ad turpe ministerium vir ille Aegyptius emerat: sed domino supponente manum suā, non collisus est, aruit enim (inquiunt) idem Dominus eius, & factus est eunuchus: Et fortasse propter hoc ipsum tanto pondere dictū est, qui optimè nouerat esse Dominum cum eo, quòd videlicet tali circa semetipsum dicerat experimento. Supposuit ergo manū suam Dominus, nō quidem ad hoc vt totus subleuaretur, sed ad hoc tantū, vt non collideretur. i. peccato alieno non inquinaretur, vel vt aduersitate non frangeretur. Nondū enim sicut vasa figuli probat fornax, sic & hunc virum receptibilem caminis tentationis satis probauerat. Nec dum satis spectatū fuerat, quantus esset intus, qui iam placebat extrinsecus. Adaugeatur igitur secundū nomen suum Ioseph, nec enim frustra sic appellatus est, nec à semetipsa locuta est mater, sed diuino præsagio præeunte, augmenta virtutum eius, grandia fore vaticinata est, quamuis hoc nomen imponēs, futura nesciret. Ad augeatur, inquam, & propter quem Deus virū mirabiliter eneruat, ne vim pateretur, ipse per virtutē, fœminam vincendo, dignū se illo miraculo fuisse cōtestetur. Sequitur.

Ecclꝛ.27.

Quòd in Ioseph quatuor virtutes notentur, eò quòd dominam suam libidinosam spreuerit.

CAPVT XXXIII.

Psal. 80.

ERat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit domina oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nephario, & cætera.) In hac tribulatione, in hoc abscondito tempestatis discrimine, vbi exauditus atquè probatus est Ioseph: quatuor agnoscimus virtutes, temperantiā, iustitiam, fortitudinem & prudētiam. Quid enim temperantius eo, quòd dicenti non cuilibet, sed dominæ suæ, dormi mecum, adolescens suum non inclinauit animum. Quid iustius eo, quod ait: (Eccè Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel nō tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? Quid fortius ea perseuerantia, quod huiusmodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescēti, & ille recusabat stuprum? Quid prudentiꝰ eo, cꝰ cum illa apprænsa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum: Ille relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras?) Tutiùs nempe iudicauit, vestimentum suum cum temporali dispendio excutere, & ignem procul à se abijcere, quā silentio diu premendo flammā fœmineam in sinu suo alligare, cum periculo animę. Rectè igitur hūc Psalmista virū nuncupauit dicens, misit ante eos virū. Sed tantarum virum virtutum mente inuictum, corpore mulieres captaue runt. Nam sequitur: (Cumq; vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse cōtemptā, vocauit homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit dominus meus virū Hebrēū, vt illuderet nobis, &c. His auditis dominus, & nimium crēdulus verbis coniugis, iratus est valdè, tradiditq; Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur.) Itaq; liber peccati, seruus aūt iustitiæ cū esset vir, per mulierem cōpeditus est, sed corpore tantum, non mente: & ita humiliauerunt in compedibus pedes eius, & ferrum pertransiuit animam eius, deum iudicem & conscium suum sustinentis, donec veniret verbum eius. Atque in hunc modum non longè à vero fuit, quod dixit pater Israel. fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Reuera nanque bestia vel fera pessima fuit ei mulier illa, libidine saucia, suiq; contemptus dolore exasperata, quæ & si non deuorauit animam eius consensū peccati, momordit tamen, & acri dolore tanquam ferreo dente transuerberauit: Hæc de sensu literali. Cæterùm in typū Domini Saluatoris illa fœminæ tragœdia, synagogæ vesania est. Et secundum historiā quidē tempora diuisa sunt: post multos nanque dies iniecit domina oculos in Ioseph, sed secundum sensum mysticum res coniuncta & ordo continuus est. Nam Dominus noster, cùm à Iudæis fratribus suis comprænhensus, & tota nocte irrisiones vel opprobria passus fuisset, subsecuta luce ante præsidem adductus, & cū testibus falsis accusatus est: Dicendum igitur, quid in Christo synagoga concupierit, quid non adeptam se esse dolēs, Christum præsidi suo tradiderit.

Gen. 37.

Psal. 104.

Item de eadem re mysticè.

CAPVT XXXIIII.

Cant. 4.

ERat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Omne quod de Christo sancta prædicat scriptura, pulchrum ac decorū est, sed non absque eo quod intrisecus latet: verbi gratia: & dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, coram illo procident Aethiopes & inimici eius terrā lingent: reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabū & Saba dona adducent: & quicquid eiusmodi de Christo canitur aut legitur, pulchrum est, sed vnam eandemque pulchritudinem, aliter synagoga carnalis, aliter ecclesia spiritualis intuita est. Illa quam hoc solum delectat, quod in mundo est, quod concupiscentia carnis, & cōcupiscentia oculorum, quod ambitio spiritus, & superbia vitæ est: illa, inquam cùm legeret venturū Messiam, id est, Christū regē magnum, & speciosum forma præ filijs hominum, sperabat totum carnaliter futurum. s. quòd secundū hominē sessu rus esset super solium Dauid, in illa Hierusalē, quæ prophetas occidit, in illa Sion, quæ lapidauit eos, qui ad se missi sunt, vt inde dominaretur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, Aethiopibus & insularum regib. coram illo procedētibus, regibus Arabum & regibus Saba in illam auream & gemmatam Hierusalem munera offerentib. & dona adducentibus, omnibus omninò regem illum & ciuitatem adorantibus, gentibusq; cunctis auaritiæ Iudaicæ sub tanto rege seruientibus. Nempe hæc & huiusmodi de Christo carnaliter sentire, & secundum hominem sperare, id erat petulantē mulierem incæstos oculos in pulchrū Ioseph inijcere. Sed Christus talē intellectū non admittit, imò taliter intelligentem odit ac refugit, & iamdudum sic legentem, sic sentientem synagogam spreuit, effugiensq; cum suo viuificante spiritu, solam illi occidentē literam reliquit. Benè igitur Ioseph relicto in manu adulteræ pallio fugit, & egressus est foras. Fugit enim qui & dixit: Eccè relinquetur vobis domus vestra deserta. Fugit, inq; & egressus est foras, quod præsignauit etiā facto, quando tollentibus lapides Iudæis, vt iacerent in eum, ipse absondit se & exiuit de templo. In argumentum ergo fidei, retentū pallium ostendit marito reuertenti domū, & ait. Ingressus est ad me, vt illuderet mihi. Retentum ostendit marito pallium. i. corā præside suo vana protulit testimonia scripturarum in argumentum fidei, quòd Dominus Iesus aut seductor sit aut illusor. Verbi gratia: Nos, inquiunt, legem habemus, & secundum legem debet mori, quoniam filium Dei se fecit. Item: Commouit vniuersam Iudæam, docens à Galilæa vsque huc, & dicēs se Christum regem esse. Pilatus sanè, vel potius Cæsar talis synagogæ maritus tunc fuit, qualem per eunuchū Aegyptium significari nunc decuerat. Nam quomodo illa quæ maritum habet eunuchum, nec verè maritū habet, nec à lege viri soluta est, vt cuicunq; voluerit nubat: sic Iudæa neque virum suū, scilicet, Deum, qui in propheta loquitur, amodo voca me vir meus, tunc habebat, neq; tanquā vidua siue virgo erat, quia regē suū dūm suum nō habens, adulando ambiebat Cæsarē, dicens: Nō habemus regē, nisi Cæsarem. His autem auditis, ille tradidit illum in mortē, ferrumq; pertransijt animā eius, nec solum animam, sed & carnem eius: manus enim & pedes eius clauis confixi sunt, & lancea perforatum est latus eius.

Matth. 23.

Ioan. 8.

Ioan. 19.

Luc. 23.

Hier. 3.

Ioan. 19.

Quomodo Ioseph in carcerem cōiectus, à domino nō sit derelictus.

CAPVT XXXV.

FActus est ergo sicut homo sine adiutorio quidē, quantū ad iudiciū vel opinionem hominū, veruntamē inter mortuos liber, libertatis eius hæc vera similitudo est. (Dedit, inq;, ei gratiam Dns in cōspectu principis carceris. Qui tradidit in manu ipsius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebātur: & quicquid fiebat, sub ipso erat.) Et quidem benè, & cū sapientiæ digna laude de illo iusto dictum est. Hæc venditum iustū non dereliquit, sed à peccatorib. liberauit eū, descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Quia præiudicium passus est, non habens adiuuātem hominē, qui pro eo causam diceret, vel cuius fiducia seruus solitarius iudicium postularet. Rectè & ille dixerit, factus sum sicut homo, vel certè sum homo sine adiutorio. Quia verò sapiē tia cum illo descēderat in foueam. i. in cisternam, quo fratres eius summiserunt eū, & in vinculis, id est, in carcere Aegyptij nō dereliquit eum, rectè nihilominus idem dixerit, non quidē inter mortuos liber, sed inter vinctos regis liber. Nam liberali animo traditus in carcerem, vbi vincti regis custodiebātur, & vbi clausus, prosequēte sapientia gratiam inuenit in conspectu principis carceris, qui & tradidit in manu eius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur: & quicquid fiebat, sub ipso erat. Et fortassis, quia vinctis vniuersis sub manu eius traditis, nullius personam accipiebat, sed eadem sedulitate cunctis ministrabat, idcircò dictum est. (Non noverat aliquid cunctis ei creditis.) Nam si personam acciperet, aliquid nouisset. Verùm hic illius quoq; propria dicamus, cuius illa prophetica conquestio: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.

Sapien. 10.

Psal. 17.

Quòd sicut Ioseph, sic & Christus in carcerem missus, omnia in potestate eius fuerint.

CAPVT XXXVI.

ILli, qui ppter peccata nostra descendit in carcerē mortis, scimus quia deus pater gratiā dedit. Lex enim (inquit Ioan.) per Moysen data est, gratia & veritas per Iesū Christū facta est. Illi, inquam, deus gratiam dedit in cōspectu principis carceris. i. in cōspectu suo, qui solus potestatē habet vitæ & mortis. Etenim secundū historiæ veritatē alius quidē homo fuerit, Pharao sedens in loco regni, & alius qui erat sub illo princeps carceris: nā secundum hunc spiritualē sensum vnus idēq; & altissimi solij rex, & inferni princeps carceris est. Dici quidē potest diabolus princeps carceris, quoniā dicitur & princeps mundi: at nō taliter princeps est carceris, vt à carcerali pœna aut vinculis sit liber, quēadmodū ille cuius gratiā Ioseph innocēs habuit, sed sic est princeps carceris, vel præpositus mortis, vt principalē accipiat sententiā dānationis. Igitur in cōspectu principis carceris. i. in cōspectu suo deus pater homini Iesu Christo gratiā dedit. Nā idcircò in carcerē eundē præcepto patris ille descēdit, vt gratiā inueniret, & misericordiā oportunā captiuis impetraret, diceretque iuxta prophetam his qui vincti erāt, exite, & his qui in tenebris, reluamini. Vnde & protinus subditur. Qui tradidit in manu ipsius vniuersos vinctos qui in custo-

Ioan. 1.

Esa. 49.

Ioan. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dia tenebantur,& quicquid fiebat sub ipso erat. Hoc nempe est quod antequam traderetur, ipse dixit: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Omnia, in quam, scilicet cælestia, terrestria, & inferna, *Ioan.12.* & iuxta Apostolum in nomine Iesu Domini nostri omne genu flectatur, cælestium, *Philip.2.* terrestrium,, & infernorum: prius aũt infernorum, deinde cælestium, & post hæc terrestrium. Prius enim ad inferna descendit, & mortuis vitam, vinctis solutionem reddidit, deinde cælos ascendit adorandus ab omnibus, qui iam erant in cælo, hominum spiritibus, & angelis sanctis: & post hæc prædicatum est nomen eius gentibus, vt adorarent eum omnes reges, & omnes gentes seruirent ei. Constat igitur, quia tradidit princeps carceris vniuersos vinctos in manu eius. At ille non nouit aliquid, cũctis ei traditis, id est, omni iudicio sibi dato nullius personam accipit, sed in æquitate iudicans, & cum iustitia reddit vnicuiq; secundum opera sua.

Psal. 61. *Quòd sicut Pharao è duobus reis vnum suspendit, alterum in pristinum statum restituit: sic Deus cui vult miseretur, & quem vult indurat.*

CAPVT XXXVII.

CAP. XL. HIs ita gestis, accidit vt peccarẽt duo eunuchi, pincerna regis ægyptij, & pistor domino suo. Iratusq; est Pharao contra eos. (Nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) & misit eos in carcerem princeps militum, in quo erat vinctus & Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis.) Manifestis immorandũ nõ est. Veruntamen ab eis, qui iudicia Dei scrutari *Exod. 33.* & reprehendere audent, verbi gratia dicentis ad Moysen: Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit, & dicunt, ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat, quærendum est in hac lectione, an *Rom. 9.* Pharaonem hic reprehendere velint. Quid enim? Accidit, inquit, vt peccarent duo eunuchi domino suo. Ambo peccauerunt ei, ambobus iratus est, ambos in carcerem misit. Exinde recordatus amborum, alterum ex ipsis pristinum in gradum restituit, alterum in patibulum sulpendit. Ecce & hic misertus est cui voluit, & clemens fuit in quem sibi placuit. Poterat de vtroque supplicium sumere, quoniam vterq; peccauerat: poterat vtrique donare, quoniam sibi vterque peccauerat. Hoc nanq; iudici iustitia cõcedit, vt factam sibi iniuriã donet cui velit, & hęc donatio nõ solũ non reprehẽsibilis, verumetiã laudabilis est. Cæterũ in causa vel accusatione aliena, nõ eandẽ tribulantib. licentiã permittit ordo iudicij, vel suscepta cura mi- *Rom. 13.* nisterij. Nõ enim sine causa (inquit Apost.) gladiũ portat. Quòd autẽ in ipsum Pharaonẽ vterq; peccauerit, scriptura patenter expresit. Cũ enim dixisset: Accidit vt peccarẽt duo eunuchi pincerna regis & pistor, addidit dño suo. Cõmunem ergo irã, vel cõmunem vtriq; poterat exhibere clementiã: verũ hoc vel illud pro potestate facere noluit, sed medium tenẽs in alterum quidẽ irã, in alterum clementiam ostendit. An hoc in illo quisquã reprehẽdit? Non vtiq; cum firmamẽto rationis. Nã sicut clemẽtia honor est principi, sic & honor regis iudicium diligit. Etenim vbi *Psal. 98.* totum punitur, regia seueritas crudelitate polluitur: vbi verò totum remittitur, facies maiestatis sine metu disciplinę cõtemnitur. Quis porrò nesciat, mundum vniuersum, to tã humani generis massam, sic esse vel fuisse in manu dei, tanq̃ duos reos, vel duos vinctos in manu regis aut iudicis? Etem ex quo pater omniũ, ptoplastẽ Adã peccauit, vniuersi secũdũ illũ rei, oẽs, ppter illũ fuimꝰ vincti. Ergo duo sũt rei, sed vnus assumitur & alter relinquitur. Siquidẽ hanc vniuersitatis diuisionẽ triformiter, ppter tres vinctorum ordines dñs insinuat, cùm dicit: Duo in agro, vnus assumitur, & vnꝰ relinquetur. Duæ molentes in vnum, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur & vnꝰ relinquetur. Tu ergo ô homo quis es, vt respondeas deo, cùm Pharaoni respondere nõ *Matth.24* posis? Quoniã oẽs rei & oẽs sunt vincti, an *Lucæ 17.* nõ habet potestatẽ deus, cõtra quem reatus *Rom. 9.* admissus est, saltẽ æquè vt Pharao, vni donare, ab alio pœnã exigere? Imò quoniã homo qui per gratiã ad gloriã imaginis & similitudinis dei factus fuerat, per vitium suum factus est lutum. An nõ habet (inquit Apost.) potestatẽ figulus, facere de eodẽ luto, aliud quidẽ vas in honorẽ, aliud in contumeliã? Nõ enim dixit: An non habet aurifex siue argentarius potestatẽ facere de eodẽ auro, siue de eodẽ argento aliud vas in honorẽ, aliud in contumeliam, q̃ indignum posset iudicari: sed à figulo luti argumentum similitudinis cõpetenter edixit. Figulus nanq; luti nihil luto adimit faciendo de illo vas in contumeliam, cùm ipsum lutum contumeliosum *Gen.3.* sit: multum autẽ illi confert, dum ex eo vas *Rom.9.* in honorem facit. Et nunc domine (inquit propheta) pater noster es tu, & nos lutum: & fictor noster, & opera manuum tuarum oẽs nos. Lutum sumus nõ solùm, quia de luto facti sumus, quod ad quærelam nostram nõ pertinet, verumetiã qa cum argentea ratione vel aurea plastæ nostri similitudine splen- *Esa.64.* descere debuimus, patre nostro peccante, omnes cum illo in lutum recidimus, & mortales facti sumus. Quod vtrunq; vir sanctus dolens. Comparatus sum, inquit, luto & assimilatus sum fauillæ & cineri. Obstruitur itaque omne os: nihil enim Deus adimit eis, *Iob.30.* quos esse vasa cõtumeliæ permittit, quia suo sunt vitio lutum facti: facit autem gratis quod non debuit, cùm aliqua ex eis formatvasa honoris.

Quòd sicut Pharao mediante Ioseph vnum reum, sic Deus de cruce vnum latronem mediante Christo assumpserit.

CAP.

CAPVT XXXVIII.

ALiquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationẽ sibi congruã,) & reliqua. Ecce qui somniator fuerat, & nihil somnia sua profuerant, ille somniorum aliorum interpres fieri incipit, vt videant qui inuidebant fratres, quia multum somnia sua prosint illi. Et quàm pulchrè Ioseph duorum medius vinctorum in carcere, & vtriq; somnij sui proferens interpretationem congruam, in hoc quoque forma est vel vmbra saluatoris nostri, qui duorum medius latronum, in cruce vtriq; iuxta fidem vel meritum suum dignam dedit sententiam. Quantum enim interest? Illic Pharao de carcere mediante Ioseph, hic autem Deus de cruce mediante Christo vnum assumit, & vnum relinquit. Et illic figura, hic autem exemplum est. Vniuersitatis diuisio supra dicta, illic tantum præfigurata, hic autem & in re demonstrata est. Quomodo duo in agro, duo molẽtes, duo in lecto, & eorum vnus assumitur, & vnus relinquitur, vt supra dictum est: sic duo in carcere, quorum vnus à Pharaone assumptus est, & vnus relictus est: duo nihilominus in cruce, quorum vnus à Deo assumptus, & vnus relictus est. Veruntamẽ vtrobiq; mysterium est: Nã sicut pincernam Pharao pristinum in gradũ restituit, magistrum verò pistorũ in patibulo suspendit: & sicut latronum alter confitẽs, paradysum cum domino introiuit, alter verò mortuus est in peccatis suis: sic per Christi passionem gentilis populus in gratiam recipitur, & Iudaicus in iram missus est. Vnde A- *Rom.11.* post. huic tanquam pincernæ regi suo poculum laudis porrigenti, vel tanquã latroni paradysum introeunti dicit: Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei. In eum quidem qui cecidit seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, &c. Sed & q eloquium domini in eo inflammauit Ioseph, vt ea quæ nemo aperire poterat, obscura sõniorum aperiret, & secundum illa prophetaret: ad mysterium vel typum eiusdem filij *Luc.24.* Dei pertinet, super quem septiformis spiritꝰ adeo requieuit, vt prophetas omnes adimpleret, sensumque apostolis suis ad intelligẽdas scripturas aperiret. Sequentia percurramus, in eo quoque mirantes altitudinẽ diuini consilij, quod succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Nam sequitur:

De Pharaonis somnio; & quòd illud nemo præter Ioseph interpretari potuerit.

CAP. XLI. CAPVT XXIX.

POst duos annos vidit Pharao somniũ: Putabat se stare super fluuium, de quo ascẽdebãt septem boues pulchræ & crassæ nimis, & pascebantur in locis palustribus. Aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ, confectæq; macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa, in locis virentibus. Deuorauerunt- que eas, quarũ mira species & habitudo corporum erat, &c. Quæ facturus erat Deus, ostendit Pharaoni. Quis enim facturus erat illa? Quis inquam, nisi ipse, de quo verissimè *Esa.45.* est dictum: Faciens pacem, & creans malum? *Psal.104.* Nam Psalmista pulchrè ità sentiens: Et vocauit, inquit, famem super terram, & oẽ firmamentũ panis contriuit. Hoc ergo ostẽdit, qa vocaturus esset famẽ super terrã, durum vtique carnificem, tristemque ministrum: cuius austeritate constringeret eos, qui comederãt fratris sui pretium. Nunquid qui in seruũ vẽderant fratrem, non & ipsi serui fierent? Et qui quasi in prædam subduxerãt hominem, non & ipsi in prædam hominum irent? Hoc nempè firmiter memoriæ commendandum est, quia iustè in seruitutem Aegyptiorũ traducti sunt filij Israel, & alijs meritò seruierũt, quibus eorum scelere in seruum venũdatus est Ioseph. Sola autem gratia Dei visitati sũt: sola clementia, non merito suo, de illa domo seruitutis liberati sunt. Benè igitur quæ facturus erat Deus, ostendit Pharaoni, & idcirco ostendit, vt præuisa leniretur multis populis magnitudo periculi: & illis labor inde maximus obueniret, à quibus fratrem oportebat, quem vendiderant, sub pœna & fame vindice adorari. Sed quomodo dictum est, ostendit Deus Pharaoni, cum ille somnia quæ viderat, non intellexerit? neq; quisquam ex coniectoribus Aegyptiorum, cunctisque sapientibus, ad quos miserat, interpretari potuerit? Verũ hoc ille rectè dixerit, apud quẽ certa iam erat interpretatio, quam per ipsum mox Deus ostenderet Pharaoni. Porrò sicut somnium regis interpretari nemo potuit, nisi solus Ioseph: sic Dei patris cõsilium in scripturis sub velamine literæ absconditum, aperire nemo, præter dominum Iesum Christũ, *Apoc.5.* dignus inuentus est. Vndè in Apocalypsi dicit Ioannes: Et nemo poterat in cælo, neque in terra, neq; subtus terram, aperire librum, neq; respicere illum. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre illum. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librũ, & soluere septem signacula eius.

Quòd sicut Ioseph de carcere eductus triumphat ornatu, sic Christus victo mundi principe, gloria & honore coronatus à patre suo super opera manuum suarum constitutus sit.

CAPVT XL.

IGitur Ioseph, ad regis imperium de carcere eductus, tonso crine, quem longa custodia nutriuerat; ac veste mutata, stola vestitus byssina, annulum regis, torquemque circa collum habens auream, sedensque super currum regis, qui & constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis *Psal.104.* possessionis suæ, vt erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret: appellatusq; inquam, lingua

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegyptiaca Saluator mundi, eo quòd ab imminente famis excidio, orbem terræ liberauerit. Talis, inquam, Ioseph, & sic procedens, clamante præcone vt oés coram eo genu flecterent, suscitati à mortuis, & incorruptionis atq; immortalitatis stola induti filij Dei Iesu Christi pulchra similitudo, clarissimumque speculum est, quem dudum minoratum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronauit pater, & constituit eum super omnia opera manuum suarum, & omnia subiecit sub pedibus eius. Pro compedibus, in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem auream suscepit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, stola byssina Deo iudice indutus est: pro seruili nomine, regium gestat annulum, & pro carceris humilitate super altũ sedet imperij currum. Perseuerat in victore, atq; triumphatore, cum altitudine gloriæ & honoris modestia, & humilitas mentis. Quid enim? Nunquid non poterat iã exaltatus venturos ad se fratrum suorum camelos siue asinos regijs anticipare curribus, grandi tuba canente ante se, qua & æmulis fratribus insultaret, & sanctum patrem diuturno luctu fatigatũ, ad suæ lætitiæ festiuitatẽ inuitaret? Poterat planè, sed de suo spiritu nil præsumens, totusq; de diuino arbitrio pendens, reliqua tẽpora sua manibus eius committebat, quem curam sui habere hactenus compererat. Igitur quicquid de patribus Abrahã, Isaac, & Iacob laude dignum, dicit Apost. fide demorati sunt in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram: qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere: & siquidem illius meminissent, de qua exierant, habebant vtiq; tempus reuertẽdi, totum inquam huius non iam peregrinatio, sed captiuitas huius patientia vel potius passio superat. Plus namq; in seruum venundatum, quã peregrinum esse volũtariũ: plus in carcere, quàm in aliena terra degere: plus in cõpedibus humiliari, quàm in casulis fuit habitare. Nam nisi propter spem iste eandem amplecteretur captiuitatem, propter quam & patres eius suam amplexi sunt peregrinationem, habebat vtiq; iam liber, tempus conuocandi patrem, quemadmodum & illi ciuitatis suæ meminissent (inquit Apostolus) habebant vtiq; tempus reuertendi. Nunc autem vt illi meliorem ciuitatem, sic & iste meliorem appetit patrem, quanquam & illius ex Deo iustè speraret consolationem. Præterea quia in seruum venundatus est Ioseph, iure quoq; & ex lege humana illorum se agnoscebat proprium, quibus venundatus est. Rectè itaq; & cum laude digna fide, sicut in domo, sicut in carcere, sic & in curru Pharaonis tam humiliter seruiuit, quã fideliter, illud semper attendens, quia seruus emptitius est, nõ illud quia per prudentiam pater Pharaonis effect' est. Sic & Christus, ex quo à fratribus suis Iudæis negatus, & Gentibus est traditus, quanquam pro humano affectu gentem illam diligat, sintq; (vt Apostolus ait) charissimi propter patres, tamen apud eos quodam iure tenetur, quibus traditus est, eosq; iure ignorat, à quibus ignoratus est: & negat eos, à quibus negatus est.

Psal. 8. *Heb. 11.* *Vbi sup.* *Rom. 11.*

Quod sicut Ioseph Aegyptum pauerit, sic nos steriles Saluator noster cibo euangelicæ gratiæ enutriuerit.

CAPVT XLI.

ECce illos quasi oblitus, terrã Aegypti regio curru circuiuit. i. pulchris euangelicę gratiæ quadrigis, de quibus Abacuc: Quia ascendis, inquit, super equos tuos, & quadrigę tuæ saluatio. Vtiq; quando vertit Pharao nomen illius, vocauitq; nomen illius lingua Aegyptiaca, Saluator mundi, nõ à semetipso locutus est, sed hãc saluationem veraciter prophetauit. Circuiuit inquã terram Aegypti, & alendorum curam oẽm Aegyptiorum suscepit. Aegyptus enim (quod interpretatur tenebræ) nos gentes aliquando fuimus, quibus tunc illuxit dominus, dicente Apostolo: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in domino. Nec verò qualiscunq; Aegyptus, sed Aegyptus esuriens, ac steriles nos aliquando fuimus: nunc autem & in domino lux, & in saluatore nostro panibus repleti sumus, fratribus Christi secundum carnem. i. Iudæis fame pereuntibus. Et quidem secundum historiam diuisa fuere tempora saturitatis, sed secundum hunc sensum mysticum tempus vnum idemq; est, quo & comedimus nos Aegyptij, & esuriunt fratres Christi Iudæi: statim vt ascendit Christus in currum suum, & exiuit per hanc Aegyptũ, simul egressæ sunt de flumine hinc septẽ boues pulchræ & crassæ nimis, & aliæ totidem fœdæ, confectæque macie: simulq; pullulauerunt hinc septẽ spicę plenę, atq; formosæ, inde septẽ aliæ tenues & percussæ vredine. Boues pulchræ & crassę nimis: siue spicæ plenæ atq; formosæ Christianorũ, quiscripturarũ viuificantẽ sequuntur spiritum, septem annis, id est, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: septenario nanque solet numero vniuersitas designari: Boues verò fœdæ, confectæque macie, siue spicæ tenues & percussæ vredine, Iudæorum sunt, qui occidenti literæ incumbunt, & semper legentes, semperque legendo solam scripturæ paleam sectantes, nullum saturitatis possunt dare vestigium. Hanc Aegyptijs saturitatem, & hanc Iudæis famem dominus prænuncians: Ecce inquit, serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis.

Abac. 3. *Ephes. 5.* *Esa. 65.*

Quòd Ioseph ob duos filios suos laborum suorum oblitus sit, cum domo patris sui, quibus ex hoc typum Christi gesserit.

CAPVT XLII.

NAti sunt aũt Ioseph filij duo, antequam veniret fames, quos ei peperit Asthenech filia

filia Putifaris sacerdotis Heliopoleos.) Notandum, quod domini quondam, & emptoris sui filiã vxorẽ acceperit, qui ad id locorũ pontifex Heliopoleos erat. Neque enim fas absq; eunuchis idoli ipsius esse antistites, vt vera illorum, super eo quod antè iã dixim⁹, Hebræorum suspitio comprobetur. Vocauitq; nomen primogeniti Manasse, dicens: Obliuisci me fecit dns omniũ laborum meorum, & domum patris mei.) Nomenq; secũdi appellauit Effraim, dicens: (Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.) Hoc quoq; domino nostro ita mysticè congruere arbitremur, quatenus & nos exemplo eius obliuiosi primùm, & deinde fructuosi simus, secundũ nomina Manasse & Effraim, quorũ alter obliuio, alter fructificans interpretatur. Nã ille propter nos oblitus est domum patris sui. i. gentẽ illam, in qua pater eius Deus synagogã & templum, multosq; filios. i. sui nominis adoratores habuit, & propter nos grano fruméti assimilatus est, quod cecidit in terram & mortuum est, vt multũ fructum afferret. Hoc, inquã, eius exemplo, & nos obliuiscamur domum nostrã. i. omnẽ cognatiõem carnis, vbicunq; nos ab eodem dño nostro Iesu Christo deuocare contendit, iuxta quod vnicuiq; fideli animæ dicit spiritus sanctus in Dauid: Audi filia & vide, & inclina aurem tuã, & obliuiscere populũ tuum, & domum patris tui. Nã & ipse Christus in Euã. dicit: Si qs venit ad me, & nõ odit patrẽ suũ, & matrẽ suã, & vxorẽ, & filios, & fratres, & sorores, adhuc aũt & animã suã, non potest meus esse discipulus. Quo fructu id faciat, vt secundum nomẽ Effraim dicat: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, idẽ in alio denunciat, cum dicit: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quod tandem venientibus Aegyptijs ad Pharaonem, & alimenta petentibus, rex ait: Ite ad Ioseph, & quicquid vobis dixerit facite: nos itaq; de illius dictum sciamus potentia: & pariter nouerimus, quod nemo, nisi per nomen domini nostri Iesu Christi, consequi possit à Deo vitæ æternæ alimenta. Nõ enim est in aliquo alio salus (ait Petrus Apostolus) nec enim nomen aliud sub cælo datũ est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et ipse dicit: Nemo venit ad patrẽ, nisi per me. Et Ioannes Baptista: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.

Psal. 44. *Luc. 14.* *Matt. 19.* *Ioan. 12.* *Acto. 4.* *Ioan. 14.* *Ioan. 3.*

Finis libri Octaui in Genesim.

CAP. XLII.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN GENESIM COMMENTARIORVM LIBER NONVS:

De eo quod dictum est ad beatum Iob: Nũquid feriet tecum pactum, &c. qualiter in Christo implendum, in Ioseph figuratum est.

CAPVT I.

DE diabolo, loquens ad beatum Iob, dominus inter cætera dicit: Nũquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternũ, subauditur, vt ego? Hoc quam veraciter dicat, præsens attestatus est scripturæ locus, vbi quod de beato Ioseph in typum Christi filij sui proposuerat intus bonitas Dei, foris inuidia diaboli per fratres eius operante, ad effectum peruenit. Nã & ille qui idcirco venditus est, ne sicut somniarat, adoraretur à fratribus suis, idcirco adoratus est, quia venditus: Et Dei filius, qui idcirco reprobatus est ab ædificantibus, ne ipse (sicut in parabola Euangelica prædixerat) fieret lapis in caput anguli, idcirco quia reprobatus & crucifixus est, factum est hoc à domino, & est mirabile in oculis nostris. Igitur voluntatẽ quidem aduersatur, & propterea Græco vocabulo dicitur Satanas. i. aduersarius: actu autem seruus est sempiternus, & sic seruit tanquam sit fidelis, ita cooperatur, & bonis proficit, tanquam adiuuare velit spiritum domini, & sic vigilantia procedit, tanquam maturet cõsilium dare, & ostendere illi. Igitur cum laude sapientiæ Dei dicendum abhinc, qualiter fratrum opitulante inuidia, somnia Iosephi impleta sint: quali ambitione stantem manipulum eius, manipuli illorum circunstetterint & adorauerint, siue sol & luna cum vndecim stellis.

Iob. 40. *Matth. 21.* *Psal. 117.*

Quomodo fratres Ioseph adorantes, somnium eius impleuerint.

CAPVT II.

AVdiens autem Iacob, quod alimenta venderentur in Aegypto, dixit filijs suis: Quare negligitis? Audiui quod triticũ venundetur in Aegypto: Descendite & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Inopiæ magnitudo quanta fuerit, primæ patris voces insinuant dicentis: Quare negligitis? &c. Primò, vt excitet & attentos faciat redargutionis manu percutit: deinde narrat, quid audierit. Tertiò pertonat quid velit: Descendite in Aegyptum scilicet inquiens, breuemque tandem sermonem terribiliter ita concludit, ne consumamur inopia. (Descenderunt igitur fratres Ioseph, vt emerent frumenta in Ae-

CAP. XLII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Aegypto, Beniamin domi retento ab Iacob, quia dixerat fratribus eius, ne fortè in itinere quicquã patiatur mali.) In Beniamin qui erat vterinus frater Ioseph, paternus reſocillabatur animus, crebris & penè continuis exhauſtus ſingultib⁹, propter Ioſeph, de quo patri (vt iam ſuperius dictum eſt) ſuſpitio non leuis eſſe poterat, quòd fratrũ periſſet malitia. Proinde Beniamin domi retẽtus eſt ab eodem dicente: Ne fortè in itinere
Lib. 8. cap. 25. quicquam patiatur mali? Cumq; adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Vndè veniſtis? &c.) Primo introitu beneuolentiam principis ambientes adorauerunt. i. regio more ſalutauerunt. Quam autem ob cauſam adorauerunt? Videlicet vt emendi quæ vellent, haberent licentiam: nam vt alimenta emerent, idcirco cum ſaccis ſuis aduenerãt, quod facere abſq; Ioſeph imperio vel nutu non poterant. Edixerat enim, & hanc legẽ ſtatuerat Pharao dicens: Ego ſum Pharao: Abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem: manum videlicet
Gen. 41. ad accipiendum, aut pedem ad efferendum, in omni terra Aegypti. Bene igitur & propria ſecundum rem futuram imaginatione, hæc adoratio per ſomnium illi præſignata fuerat quando narrans fratribus dicebat: Putabam ligare nos manipulos in agro, & quaſi
Gen. 17. cõſurgere manipulũ meũ & ſtare, veſtroſq; manipulos circunſtantes adorare manipulũ meũ. Ecce enim reuera quodãmodo manipuli eorũ manipulũ eius adorant, dũ non ob aliud ignotũ ſibi principẽ Aegypti adorãt, niſi quia defecerant manipuli eorum, ille autẽ de manipulis plenum habebat horreum. Et vt iuxta Pharaonis quoque ſomnium dictũ ſit, idcirco adorant, quia ſpicæ illorũ tenues, & percuſſæ vredine, ſuperiorum copiam anorum deuorauerant: ille autem per ſapientiam ſpicas plenas atque formoſas partim ab illarũ edacitate liberauerat, & in horreis recõdiderat. Stabat namq; & ſublimis erat manipulus Ioſeph: circunſtantes autẽ humiles manipuli fratrum manipulũ eius adorabãt.

Qualiter et quanta prudentia ab illo diſcruciati ſint.

CAPVT III.

REcordatusq; ſomniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores eſtis, vt videatis infirmiora terræ veniſtis, & reliqua.) Et in agnoſcendis fratribus imaginem retinet Ioſeph mãſueti & veri filij Dei, cui in cantico Epitalamij dicitur per os Dauid: Intẽde proſperè, procede & regna propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Iuſtitiæ namque & idoneæ ſeueritatis
Pſal. 44. fuit, quod peccatores tã diu flagellat, & corripit verborum ſuorum ſtimulis, clauiſque acutis tandem configit, donec peccatum ſuũ agnoſcant & dicant: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videtes angustiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & nõ audiuimus. Et crimen eorũ ſatis vicino, licet non proprio nomine tetigit, dicendo: (Exploratores eſtis.) Pro eo vt diceret, fures eſtis. Nam fecerant furtum, imò ſacrilegium, vbi ſancto patri filiũ, fratremq; ſuũ furati ſunt, & vendiderũt. Proinde cum dicerẽt: (Non eſt ita domine, duodecim ſerui tui fratres ſumus, filij viri vnius in terra Chanaã, minimus cũ patre noſtro eſt, & alinõ eſt ſuper.) Continuò vbi dixerunt, & alius nõ eſt ſuper. (Hoc eſt, inquit, quod locut⁹ ſum: Exploratores eſtis.) Quòd vnus nõ eſt ſuper, ex eo vos exploratores, ex eo vos fures eſtis. Notãda quippe calliditas, quia cum dixiſſet, exploratores eſtis, cõtinuò ſubſecutus verbũ cõmutauit: nõ. n. dixit, vt explore tis: ſed, vt videatis infirmiora terræ veniſtis. Infirmitatẽ namque terræ videre, venerant, ſcilicet quod non adeò infirma etiam tempore famis eſſet, quin ipſa ſuo præſidio alijs terris ſubuenire poſſet. Aliàs autem & verè quando præſentia patris, cunctisq; arbitris *Gen. 37.* deſtitutum fratrem videntes, dixerunt: Venite occidamus eum, immunita terræ conſideraverunt & inſpexerunt, & proinde reducto in ſe digitulo, ſine mẽdacio dicere potuit, immunita terrę huius cõſiderare veniſtis. Veritati igitur & iuſtitiæ aſsignãdum eſt, q quaſi ad alienos durius loquitur, dicẽs: (Exploratores eſtis, immunita terræ huius cõſiderare veniſtis, & per ſalutẽ Pharaõis, nõ egrediemini hinc, donec experimentũ veſtri capiã, tradiditq; eos cuſtodię trib. diebus. Itẽq;: Et frater veſter, inquit, vnus ligetur in carcere, fratrẽq; veſtrũ minimũ adducite ad me, vt poſsim veſtros probare ſermones, & non moriamini.) Porrò mãſuetudinis opera quis explicare poterit? Inter ipſa ſeueritatis acta vel dicta fleuit, & tandẽ cuncta quæ potuit bona pro malis reddidit. Non ignorabat rẽ fore difficilẽ, vt fratrẽ ſuũ minimũ adduceret, imò & idcirco ab illis exigebat, vt ex *Gen. 44.* rei difficultate laborãtes, merita ſua perpẽde- *Pſal. 104.* rent, vt iã cœperant dicẽtes: (Meritò hæc patimur, qa peccauimus in fratrẽ noſtrũ.) Qui & poſtmodum dicturi ſunt, deus inuenit iniquitatem ſeruorum ſuorum. Nam ſicut animam eius cruciauerũt & corpus, etenim humiliauerunt in compedibus pedes eius & ferrum pertranſiuit animam eius, ſic pius tortor & per triduum humiliauit in compedib. eorum pedes, & propter illum fratrem minimum, ſicut ſequentia declarant, ferro tranſuerberauit animas eorum, vſq; dum pietate ſuperat⁹, reputaret diuino iudicio ſatisfactũ. Nam niſi ad hoc tenderet, poterat vtiq; primo intuitu fratrem ſe fratribus oſtendere.

Quòd exemplo Ioſeph, principes Chriſtianos vti dignum ſit, erga Iudæos Chriſtianorum inimicos.

CAPVT IIII.

QVo exemplo, hodieque dignum eſt agere principes Chriſtianos erga fratres *Pſal. 52.* Chriſti Iudæos, id eſt, non occidere eos auctoritate ſpiritus ſancti per Pſalmiſtã ex perſona eiuſdem Chriſti proteſtãte ſic: Deus oſtẽdit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiſcãtur populi mei. Sed quid? Diſperge illos in virtute tua. Nõ ergo illos occidere, ſed ad cognitionẽ ſui reatus hoc exẽplo conuenit euocare. Nã ſicut tunc adoraueruntilli principẽ Aegypti, neſciẽtes eſſe Ioſeph, quẽ vẽdiderunt: ſic hodie Iudæi Chriſtianis principib. ſubiecti ſunt, neſciẽtes hoc modo ſe eſſe ſubiectos pedibus Chriſti, quẽ negãtes patres ipſorũ crucifixerunt. Igitur quẽadmodũ Ioſeph illos in vltionem ſui non occidit: ſed pia tortura ad pœnitentiam cõpulit, vt diceret, meritò hęc patimur, quia peccauimus in fratrẽ noſtrũ, &c. ſic & hodie Chriſtũ. i. nos vel oẽs in quib. loquitur Chriſtus, nõ decet vt captiuos, vinctosq; Chriſti Iudæos occidãt, ſed vt multũ ad pœnitentiã cõpellant. Quod fructuosè ſimulq; ſalubriter interdũ à ſanctis patrib. actũ eſt. ſ. vt patrimoniorũ ſuorũ ruſticos Iudæos ad Chriſtũ venire minimè cõſentiẽtes, tãto pẽſionis onere grauarent, vt ex ipſa actionis ſuæ pœna cõpellerẽtur ad fidem feſtinare, & econtrariò, perductis ad Chriſti gratiã penſionis onera eleuarẽt, quia & ſi ipſi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint iam fidelius baptizantur. Aut ipſos ergo, inquiunt, aut filios ipſorum lucrabuntur.

Quòd Iacob Beniamin filium ſuum, cum illis mittere timuerit. CAPVT V.

AT illi portãtes frumẽta in aſinis, profecti ſunt, &c.) Dimiſi fratres & quaſi nõ dimiſsi reuertũtur, nã eorũ pedes quidẽ cõpedib. abſoluti, ſed animi cũ Symeone vincti retinerẽtur. Neſciebãt aũt, quod eos dominus terræ diligeret, & idcirco ne exterriti nõ redirẽt ad eũ, vnũ ex eis in vinculis retinuiſſet. Reuerſi igitur, quaſi infauſta renunciãt. Locutus eſt nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores eſſe, &c. Stuporẽ ſiue terrorẽ ſimul omnib. adauxit, quod cũ
Gen. 43. frumẽta effunderẽt ſinguli, repererũt in ore ſaccorũ ligatas pecunias. Putauerũt. n. cõtra ſe ſubtiliter agi, & deuoluẽdæ in eos calũniæ occaſiones paratis artibus inquiri. Vndè & poſtmodũ in Aegypto ad diſpenſatorẽ locuti ſunt: Oramus dne vt audias. Iã ante deſcẽdimus vt emeremus eſcas, quibus emptis, cũ veniſſemus ad diuerſoriũ, aperuimus ſaccu- los noſtros, & inuenimus in ore ſaccorũ pecuniã, q̃ nũc eodẽ põdere reportauimus. Nõ eſt in noſtra cõſciẽtia, quis eã poſuerit in marſupijs noſtris. Omnibus itaq; exterritis addi tur ad cruciatũ mẽtis eorũ & luctuoſa patris querela, dicentis: (Abſq; liberis me eſſe feciſtis.) Penè q; sẽtiebat edixit. Cũ. n. dicit: abſq; liberis me eſſe feciſtis, & cõtinuò ſubiungit: (Ioſeph nõ eſt ſuper.) Quid aliud dicit, quã abſq; Ioſeph me eſſe feciſtis? Simul quoniã & cõtinuò proſequitur. (Simeon tenetur in vinculis, & Bẽiamin aufertis.) Et de Ioſeph conſcientia reos torquebat, timere poterãt, quod ſuſpicaretur pater, quia Symeonẽ pro frumento vendidiſſent, & ſic pecuniã reportaſſent, itemq; malitioſè Beniamin auferre vellent. Deinde & cum dicit: (Non deſcẽdet filius meus vobiſcum. Frater eius mortuus eſt, ipſe ſolus remanſit, ſi quid ei aduerſi cõtigerit in terra, ad quã pergitis, deducetis canos meos ad inferos.) Palam datur intelligi, quia ſi audeat, plus dicere velit, præſertim *CAP. XLIII.* quia præmiſſo, ſi quid ei aduerſi contigerit, nõ ait, deſcẽdẽt cani mei, ſed deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Nẽpè ſic ſe habente dictorũ ſerie, quòd dicit: ſi quid ei aduerſi contigerit, idem eſt ac ſi dicat, ſi quid ei aduerſi feceritis. Sed parcit ori, neq; dolori cuncta permittit, ne quod viri iracũdi eſt, ſatis turbatã amplius turbet ipſe domũ ſuã.

De ſponſione Iudæ, dicentis. Si nõ reduxero eum tibi, &c. & quomodo ſol & luna & vndecim ſtellæ adorauerint Ioſeph. CAPVT VI.

INterim fames oẽm terrã vehemẽter pre- *CAP. XLIII.* mebat. Cõſumptiſq; cibis, quos ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios ſuos: Reuertimini, & emite pauxillulũ eſcarũ. Reſpõdit Iudas: Denunciauit nobis vir ille, ſub atteſtatione iuramenti, dicens: Nõ videbitis faciẽ meã, niſi fratrẽ veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum.) Et reliqua. Magna rei difficultas, magna paterni animi anguſtia, grandis fraternæ conſcientiæ pœna. Sed quid diu tius quaſi ſomno conſopitus pater, gaudio foris præſtolãte, in profundo triſtitiæ premitur? Oportet impleri & alterum ſomnium, quoniã iã vnum impletum eſt. Oportet inquã, quoniã manipuli fratrum iã manipulũ Ioſeph (vt ſupra dictum eſt) adorauerunt, & tẽpus eſt vt ſol, & luna, & ſtellæ vndecim adorent Ioſeph. Traditur ergo tandẽ Beniamin cõmiſſus Iudæ, dicẽti (. Si non reduxero eum tibi, ero peccati in te reus omni tempore.) Et hanc ſponſionẽ pater ſapiens libẽtius accepit. Nã quod ante hunc dixerat Ruben, duos filios meos interfice, ſi nõ reduxero illum tibi, nec ſuſcepit pater, nec ſuſcipere aut probare debuit. Igitur profectæ in Aegyptũ ſtellę vndecim. i. fratres vniuerſi adorãt Ioſeph, munera tenentes in manibus, modicum reſinæ & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, & amygdalarum. Sol autem, id eſt, ipſe pater, & in eo maternus lunæ, id eſt, Rachelis, affectus. Sol, inquam, remanens, & *Libro 8. cap. 2.* corpore abſens, adorat tamen cum dicit pro Beniamin. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittet vobiſcum fratrem veſtrum, quẽ tenet, & hunc Beniamin. Vel certè tunc quoque iſte ſol, id eſt, pater Iacob, adorauit Ioſeph, quãdo protinus reſalutatis fratrib. clemẽter, mox vt dixit: (Saluus ne eſt pater veſter ſenex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit? Illi reſpõderũt: Soſpes eſt ſeruus tu⁹, pater noſter adhuc viuit, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

uit,& incuruati pro illo adorauerunt.)Nimis ambitiosè supplicãtes, vt senectutis eius intuitu illis esset propitius, cuius mentionẽ facere ipse dignaretur. Nam vbi in persona sua præsens pater ipse adorauerit (sicut iam longè superius dictum est) non inuenitur. Et notandum,quanta fuerit in Ioseph altitudo honoris, quanta maturitas vel dignitas in illo cum spiritu mansuetudinis,quem pro vno dignationis suæ verbo,quo dixerat:saluus ne est pater vester, adhuc viuit, iterum adorauerunt incuruati. Benè ergo fratres visuri eratis, quid illi profutura essent somnia sua.

De pietate Ioseph, qua viso Beniamin, se continere non potuit.

CAPVT VII.

ATtollens autem Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suum vterinum,& ait:Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum deus(inquit) misereatur tui fili mi:Festinauitq;,quia commota fuerant viscera eius super fratre suo,& erumpebant lachrymæ & introiens cubiculum fleuit.) Attollens oculos Ioseph. Iam ante dictum fuerat, quia steterunt coram Ioseph. Quos cùm ille vidisset & Beniamin simul,præcepit dispensatori domus suæ,dicẽs: Introduc viros domum,& occide victimas, & instrue conuiuium,quoniã mecum comesuri sunt meridie. Quid ergo est,quòd quasi nondum viderit, ita nunc dicitur, attollẽs autem oculos Ioseph, vidit Beniamin fratrẽ suum vterinum: nisi quia primùm ita vidit vt dissimularet,nunc autem ita vidit,vt eius visione denũciationis suæ meminisse videretur,qua dixerat: non videbitis faciem meã, absque fratre vestro minore? Necdum enim scire merebantur illi adorantes, quod inter summa regni negocia princeps Aegypti, & Dñs terrę taliũ meminisse potuisset. Sed dũ affectata austeritate quasi in alienos intenderet,rupit pietas iniusta, nimiumq; vltronea præparatam fortitudinem pectoris, & dissimulandi virtus non fuit, vnde & quasi fugã iniẽs, festinauit in cubiculũ & plorauit,quia erumpebant lachrymæ,& non poterat se cõtinere. Victus itaque commotis visceribus suis,& tumultuantib. lachrymis,cesit, easq́ue quantum voluerunt currere, permisit. Rursusq́ue lota facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes, &c.) Hoc conuiuium, vt de illo quoque secundum mysterium aliquid loquamur, rectè cũ Beniamin,id est,filio dextræ celebratũ est:sic enim in fine mũdi,cũ plenitudo Aegyptiorum, id est, gentium, subintrauerit:fratres Iesu Christi scilicet Iudæi,filio dextræ,id est, Apostolicæ fidei in conuiuio corporis & sanguinis eiusdẽ Christi fratris sui fœderabũtur, & tunc reuera cũ opulento fratre suo bibentes inebriabuntur. Hoc tantùm interest, quod hic ante quã agnoscerent fratrem suum, dicentem: Ego sum Ioseph,cõuiuium factũ est,illic autem prius oportebit Christum agnosci, & tunc demum eos prædicto eius conuiuio participari.

Rom. 11.

De conuiuio, quod fecit Ioseph fratribus suis, & de ordine primogeniti, iuxta primogenita sua.

CAPVT VIII.

QVibus appositis: seorsum Ioseph,& seorsum fratribus, Aegyptijs quoq; qui vetcebantur simul seorsum (illicitum enim est Aegyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum esse putant huiuscemodi cõuiuium)sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.) Primogenitus iuxta primogenita sua sedit,& minimus iuxta ætatem suam, id est,quo erat quisque natu prior,eo sedit & superior:& econtrario,quo erat quisque natu minor, eo sedit & inferior. Summus sine dubio cunctorum & maximus, vtpotè Dominus domus,& conuiuij princeps,sedit ipse Ioseph,coram quo sederunt omnes, vtpotè longè minores. Quid ergo sibi vult hoc loco ista scripturæ diligentia, cum præmisso, quia sederunt coram eo,addidit:primogenitus iuxta primogenita sua, nisi vt insinuaret iam ex tunc ipso vsu cessisse Ioseph primogenita? Sic enim & in Paralip.libro legitur: Quia cũ violasset Ruben thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph filij Israel,& non est reputatus ille in primogenitum. Porrò Iudas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt: Primogenita autem reputata sunt Ioseph. Etenim quod primogeniti erat, accepit enim duplicia, dicente patre Iacob: Do tibi partem vnam extra fratres tuos,quã Quõ Christuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo.Igitur Ioseph post carcerem primogenitus in hoc etiam Christo assimilatur, qui est primogenitus ex mortuis, & primogenitus ex multis fratribus, & secundum renouationem orbis principium creaturæ dei,nouæ nanq; creaturæ oportet subaudire.Quod & euangelista Lucas cõsiderans,cùm de virgine Maria, quæ nullum deinceps erat partura,dixisset: & peperit filium suum, statim adiecit,primogenitum,quanquam & secundum diuinam generationem rectè primogenitus debeat dici. Prius enim quam aliquid crearet pater illum genuit. Aegyptios & Hebræos, quibus illicitum erat & prophannm pariter conuiuari, & tamen eadem domo, eodemq; epulantur conuiuio, licet seorsum hi,& seorsum illi, Ioseph auctore vel principe conuiuij,duo parietes sunt,scilicet gentes & Iudæi, quos hactenus discordes Christus in semetipso coniungit,& ad vnius fidei concordiam quandoque perducet. Quod dictũ est,& inebriati sunt cum eo,idioma linguæ Hebraicæ est,vt ebrietatem pro satietate ponant,sicut ibi: Riuos eius inebrians multiplica genimina eius,in stillicidijs eius lætabitur siue ine-

1. Par. 5.
Gen. 48.
Quõ Christus est primogenitus.
Coloss 1.
Rom. 8.
Luc. 2.
Ephe. 2.
Psal. 64.

siue inebriabitur germinans. Haud dubium, quin terra pluuijs irrigata.

De eo quod dixit, Cyphum meum pone, &c. iunioris. Et de oratione Iudæ pro Beniamin. CAP. IX.

CAP. XLIIII. PRæcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ,dicens: Imple saccos eorum frumento quantum capere possunt, & pone pecuniam singulorum in ore sacci. Cyphũ aũt meum argẽteum,& precium quod dedit tritici,pone in ore sacci minoris,&c.)Fortè quis æstimet hoc voluisse Ioseph, vt hac occasiõe vterinum fratrem suum Beniamin quasi ex iure retinere posset,præsertim quia postmodum dicturus est. (Qui furatus est cyphum meum,ipse sit seruus meus, vos autem abite liberi ad patrem vestrum.) Sed hoc indignũ sancto viro quis non æstimet? Siquidem fratris venditio,& fratrum eiusmodi circumuẽtio,parum in crimine differunt. Ergo id potius quod euenit,illum intẽdisse arbitremur, quoniam dominus erat cum Ioseph, & omnia opera eius dirigebat,cuius cum directiõe hoc opus illum prædicta intẽtione agere potuisse ratio negat,quippe, quia iustitiæ repugnat,quia veritati non appropinquat. Quid tandem euenit? Cum dixisset Ieseph, qui furatus est cyphũ,ipse sit seruus meus, vos autem abite liberi ad patrem vestrum. (Accedens propius Iudas, multis corã astantibus.) Secreta paternæ domus,q̃ ad testimoniũ ipsius Ioseph multũ valebãt, tali narratione exposuit, vt duorum causa fratrum, quorũ alter ipse,& alter erat Beniamin saxeis etiã pectoribus lachrymas gemitumque elicerent, tandemq; sũam ita concludit orationem.(Ego proprię seruus tuus sim, qui in meã hunc recepi fidem,& spopondi,dicens: nisi reduxero eum,peccati reus ero in patrem meũ omni tempore, manebo itaq; seruus pro puero in ministerium domini mei,& puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire ad patrem absente puero,ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum, testis assistã.) Quid hoc iustitiæ ordine pulchrius? Nempè qui hic seruitio se addicit,ipse est cuius cõsilio in seruum venundatus est Ioseph. Sic enim supra habemus,quia dixit Iudas fratrib. suis:Ecce Ismahelitæ transeunt, venite, venũdetur. Igitur & in hac similitudine doli, laus est viri glorioſi,quia per occasionem argenti sui,consultorem venditionis in hanc necessitatem compulit,vt optaret seruus fieri, & sic argenteos quos accepit vendito fratre,& per fratrum marsupia diuisit insectatus est, vt aliud quidem pro alio argentum conscientijs eorum excuteret,attamen tali pœna nonnihil macula illa reos liberaret.

Qua intẽtione Ioseph cyphũ suũ iussit poni in sacco Beniamin.

Gen. 37.

De eo quod dixit: An ignoratis,quòd nõ sit similis mei in augurandi scientia. CAPVT X.

VEruntamen præter hæc quę dicta sunt, & in hoc,& in eo, quod tribus diebus eos custodiæ tradidit, alia ratio est. Nunquid enim sine vero aut cum mẽdacio dixit: (An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?) Etenim augurari quidem gẽtilium est,& ex lege Dei illicitum est, attamẽ rem diuinam,id est,futurorum intelligentiã, qua gratia somniorum quoque fides erat interpres,verbo augurandi rectè illum significasse non dubium est. Ergo quicquid hactenus in fratres suos egit, præsentialiter quidẽ illis aliquantula pœna fuit: sed reuera nõ tam quam augur, sed tanquam Dei vates pro intuitu futurorum tunc illa præsentia gesit. Sciebat enim, quod pro culpa suæ venditionis, seruituri essent Aegyptijs in tribus generationibus suis: generatione autem quarta reuersuri, vndè & moriturus dixit fratribus suis: Post mortem meam visitabit vos Deus,& ascendere faciet de terra ista, ad terram quam iurauit Abraham,Isaac,& Iacob, asportate vobiscũ ossa mea de loco isto. Sed & illud præscire poterat, quod educendi essent cum auro & argento, sicut scriptum est: Et dices filijs Israel vt postulet vir ab amico suo,& mulier à vicina sua vasa argẽtea & aurea,&c. Nam & Abrahæ vtrunq; prædixerat Deus,generatione autem quarta reuertẽtur huc,& gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo,& post hæc exibunt cum magna substantia. Benè igitur in prophetia trium generationum seruiturarum in Aegypto, & expoliationis Aegyptiæ,tribus illos dieb.in custodia tenuit,& abeuntibus argenteum cyphũ suũ imposuit. Item in auspicio Aegyptiorum, qui fugientem Israel persecuturi erant,misit executorem post illos, qui eos quasi ad iudicium cum nimia turbatione reuocaret, & sicut tandem cantaturi erant filij Israel, dicentes:Cantemus domino, gloriosè enim magnificatus est, ita rectè & ipse tristitiam fratrũ inopinabili gaudio terminauit,dicendo:Ego sum Ioseph.

Gen. 50.
CAP. XLIIII.
Exod. 11.
Exod. 15.

De agnitione mutua,vbi dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph. CAPVT XI.

NOn se poterat vltrà cohibere Ioseph, multis corã astantibus. Vndè præcepit vt egrederentur cuncti foras,& nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Eleuauitque vocem cum fletu,quam audierunt Aegyptij omnisq; domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis:Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit?) Postquam benè accepit, grãdem esse vel fuisse pro se calamitatem patris:& eãdem calamitatẽ ne innouaretur aut inualesceret grãdi curæ esse fratrib. suis, nõ (inquit scriptura) poterat se vltra cohibere Ioseph. Venerat.n. dolor quasi vsq; ad partum, & virtus non erat pariẽti. Nã quomodo mulier grauida tristitiam habens, quando imminet hora eius, tacet quidẽ & silet quantũ valet,& patiẽs est: hora aũt ipsa qua parturit, loquitur,& erumpit,& clamat, neque se cohibere potest, quin dolori inualescenti clamando satisfaciat: sic ille qui hactenus se continuerat vtcunque,

4. Reg. 19.
Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gemitus intercidens & abscondendo deglutiens, ac violentia lachrymarum fluenta diuidens, hora qua os aperuit, dicturus ego sum Ioseph, citius ac properantius erupit incõdito clamore doloris turbo violentissimus, vocemq; cum fletu in altum extulit, quam & foris audierunt Aegyptij, omnisq; domus Pharaonis. Tandem dixit: Ego sum Ioseph, & quasi grandi pauoris fulmine excusso fratres attonitos, & quasi amentes reddidit. Nec enim poterant respõdere illi. Imò timore perterriti. Benè ergo præceperat, vt egrederétur cuncti foras, vt nullus interesset alienus cognitioni mutuæ. Non enim alienis iam cõmunicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentia pius frater edicere voluit rem tantę confusionis, quam ferre nõ potuerunt fratres remotis etiam cũctis arbitris. Ego (inquit) sum Ioseph. Et cõtinuò: Adhuc pater meus viuit? Quod vtiq; nõ vt sciret interrogando dixit, iam enim interrogauerat & audierat quia viuit, sed dolenter admirando quod adhuc viueret, & nimis compatiendo, quod in luctu sui causa consenuisset, tanta calamitate oppressus, quantã vel ex eo conijcere potuit, quod Iudas nouissime narrans ita concluserat, ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum testis afsistam. (Perterritis itaque nimio terrore, accedite (inquit) ad me. Et cum accessissent prope, ait: Ego sum Ioseph, frater vester, quem vẽdidistis in Aegypto, &c.) Magna moderatio vbi dixit: Ego sum Ioseph adhuc pater meus viuit, quia nimis perterriti sunt, idcirco quasi impetũ turbinis paulisper retinuit, consolationeque interposita, dicendo, accedite ad me: & hac illis inuitatione aliquantulum refocillatis dictum repetijt, cursumq; expositionis suæ cõtinuauit. Et tanta priorem austeritatem dulcedine aclenitate superauit, vt meritò etiam in hac parte illi Samaritano similis existimetur, qui reuera vulneribus. i. peccatis hominum, vinũ & oleum vt curarentur, infudit.

Quomodo dixit, Nolite pauere, et quòd tantas moras perpeti potuerit, qui dixit: Festinate, & adducite eum ad me. CAPVT XII.

NOlite (inquit) pauere, nec vobis durũ esse videatur, quòd vendidistis me in his regiõibus.) Nolite pauere cum dicit, subaudiendum est me, Dei nanq; pauor & terror illis præsertim in tali scelere nõ debuerat abesse. Nam quòd ait: (Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius.) tale est ac si dicat Christus Iudæis: Non vestro consilio dicentium, *Ioan.11.* ne fortè veniant Romani, & tollãt nostrum & locum, & gentem: sed Dei voluntate moritus eram pro gente, & non tantum pro gẽte, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregarem in vnum. Vestrum enim consilium *Psal.40.* fuit, verbi gratia, vt diceretis: quando morietur, & peribit nomen eius: Dei autem voluntas, vt per passionem mortis, gloria & honore me coronaret, & constitueret me super opera manuum suarum. Ita non vestro consilio (inquit Ioseph) sed Dei voluntate huc missus sum: vestrum quippe fuit consilium, vt nihil mihi prodessent somnia mea, Dei autẽ voluntas vt faceret me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, & principem in omni terra Aegypti. Cum ergo dicit: Nolite pauere, nec vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus. (Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum. Biennium est, quòd fames cœpit esse in terra, & adhuc quinq; anni restant, quibus nec arari poterit, neq; meti, præmisitque me Deus vt reseruemini super terrã. Non vestro cõsilio, sed Dei huc voluntate missus sum.) Cum (inquam) hæc dicit, non culpam eorum nullam facit, sed pro conscientia animi timore perterritis, nec audẽtibus loqui, sceleris sui magnitudinem ad horam subtegere, vt sapiens medicus satagit. (Festinate (inquit) & ascẽdite ad patrẽ meũ, & hæc & hæc dicetis ei.) Et infrà. (Festinate, ait, & adducite eũ ad me.) Qui sic iusto patris desiderio festinat, quomodo tãtas hactenus potuit perpeti moras? Videlicet quia si patrẽ prius inuitasset, quàm congregatos ad se fratres suos omnes, sub spe solidissima cõposuisset, grandem nimis in domo patris sui turbã concitasset. Iam quippè consolatis omnibus, postquam osculatus est omnes, & super colla singulorum fleuit, & sic pro vera remissione vt certi essent de pace eius, & gratia satisfecit, postquam osculo confirmati lachrymoso, iam ausi sunt loqui ei, postquàm binas singulis stolas protulit, adhuc tamen solicitus hortatur, & dicit: (Ne irascimini in via.) Ne (inquit) irascimini, ne rixemini, ne dum alius alio iustior, vel innocentior videri vult, & à se in alium crimen depellere contendit, inuicem prouocetis, & contra inuicem diuidamini. Tẽpore igitur oportuno festinãs Ioseph: dicite (inquit) patri meo, quia quinque anni residui sunt famis, nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis, vt sit ex me vel gloria mea quod inuitet, si ex metuendo famis periculo quod impellat, & sic festinet. (En oculi vestri.) En (inquam) vt certi vosipsi certum facere patrem meum debeatis, oculi vestri. (Et oculi fratris mei Beniamin vident, quod os meum loquatur ad vos. Auditumq; est, & celebri sermone vulgatum in aula regis, venerunt fratres Ioseph.) Adiungit Pharao suas simul inuitationes, proferuntur opes Aegypti, & promittuntur ampliores, regiæ quoque mittuntur subuectiones paruulis & coniugibus transfẽrẽdis, ne pater Iacob parum confortetur, aut in aliquo dubitet.

Hebr.2. *Psalm.8.* *Cur Ioseph tã diu distulit vocare ad se patrẽ suum.*

Quid significet, quod singulis fratribus suis iusserit proferri stolas binas.

CAPVT XIII.

Sin-

SIngulis (inquit) proferri iussit stolas binas. Beniamin verò dedit trecẽtos syclos argenteos, cum quinque stolis optimis, tantundemque pecuniæ ac vestium mittens patri suo.) Ad hoc primum exemplo perfectæ charitatis, profectum esse arbitremur dictũ illud sapientis, quo & Paulus vtitur apostolus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ. Hic enim inimicis suis, qui inter comedendum vendiderant eum: dictum est enim supra, quia sẽdentes vt comederent panem, viderunt viatores Ismahelitas venire de Galaad, & dixerunt: Melius est vt vendatur Ismahelitis, inimicis (inquam) suis, qui manducando esuriẽtem vendiderant, cibum dedit & potum: etenim cum eo (vt supra dictũ est) inebriati sunt & eis à quib⁹ tunica talari & polymita nuda tus est, ecce binas singulis dedit stolas. Porrò finẽ cunctorũ Christi mysteriorũ, quæ digitus Dei in Ioseph præfigurauit, in hoc agnosci promptum est, quod non vnam tantùm, sed singulis binas stolas largitus est. Etenim nunc quidem electorum animæ vbi depositio carnis onere feliciter lætantur, vna stola. i. sola suimet beatitudine perfruuntur: vbi autem omnes resurrexerimus, quicunque immutabimur, binas stolas singuli. i. animæ simul & corporis duplicem gloriam obtinebimus? Proinde vsque ad hunc descensum in Aegyptum ab initio narrationis de isto beato Ioseph mysteriũ Christi secundum simili tudinem eius spectata sint: nam ex hoc aliud principium sumitur, & sacramentorum mirabilium series alia texitur, quæ iam in ecclesia Christi celebri collatione frequentata, & nota, secundum ordinem historiæ, quam nouo retractatu recurrimus, speculari duce Spiritu sancto conabimur.

Prouer.25. *Rom.12.* *Gen.7.* *Epilogus.*

De eo, quòd nuncium detulerunt ad Iacob, de Ioseph adhuc viuente. CAPVT XIIII.

NVnciauerunt Iacob dicentes: Ioseph viuit & dominatur in omni terra Aegypti. Quo audito Iacob, quàsi de graui somno euigilans, tamen non credidit eis.) Quomodo tantæ rei nuncium pater acciperet, cõpendio scriptura pulchrè sic expresit, vt nullo verborũ circuitu melius explicari potuerit. Quasi de graui somno euigilans, inquit: Qualis enim astat, qui de graui somno repentè percitus euigilat? Attonitus vtique & stupidus ad intelligendum vel respondendũ, segnis, & hebes præ mortuis sensibus. Vndè protinus, cum econtra nec dum credenti referrent omnem ordinem rei, & ille vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat, eadem proprietate vsa, reuixit (inquit scriptura) spiritus eius, & ait: (Sufficit mihi si adhuc filius meus Ioseph viuit, vadam & videbo illum antequã moriar.) Reuixit spiritus eius, id est, discernendi facultatem recepit, vt multitudinẽ gaudiorum suorum accipere posset, & rationem habere cum eis sciret, quorum repentinus aduentus imparatum, nihilque tale opinantem animum magna inundatione oppressisset.

Quid timuerit Iacob, vt diceret illi Deus: Noli timere & descende in Aegyptum. CAP. XV.

PRofectusq; Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum iuramẽti. Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem nocte vocantem se, & dicentem sibi. Noli timere, & descẽde in Aegyptum, &c.) Puteus iuramenti, superius habemus vnde cognominatus sit, scilicet ex eo quòd Abrahã & Abimelech illic fœdus percusserunt: ille locus idcirco namque vocatus fuit Bersabeæ, quia ibi vterque iurauit. Noli (inquit) timere, & descende in Aegyptũ. Pater ex hoc, quia Iacob in Aegyptum descendere timebat, alioqui frustra diceret ei Deus: Noli timere. Et fortè idcirco timebat, quia difficilem fore reditum non ignorabat. Nã præter hoc quòd propheta erat, sicut de illo & patribus eius, ex persona Dei psalmus dicit: Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari, illud quoque timorem hunc illi incutere poterat, quod ad Abraham sopore & horrore magno & tenebroso oppressum Deus locutus est: Scito prenoscens, quod peregrinũ futurũ sit semẽ tuũ in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringẽtis annis. Nam & hoc dictum fuisse sciebat, & Aegyptios gentem illam fore existimabat, præsertim quia magn⁹ & tenebrosus horror domesticæ malitię iam præcesserat. Timenti igitur consolatio diuina fiduciam subministrat. Noli timere (inquiens) & descende in Aegyptum, quia in gẽtem magnam faciam te ibi. (Ego descendam tecũ illuc, & egò inde adducã te reuertentẽ.) Summa consolationis hæc est. Ioseph quoq; ponet manum super oculos tuos. Hoc enim pro maximo habens, postmodum dicit Iacob: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuã, & superstitem te relinquo.

Gen.11. *Cur Iacob timebat de descendere in Aegyptũ.* *Psal.104.* *Gen.15.*

Quomodo scriptura hic dicat: Omnes animæ domus Iacob fuere septuaginta. Lucas autem dicat septuaginta quinque.

CAPVT XVI.

SVrrexit Iacob à puteo iuramenti, venitque in Aegyptum cum omni semine suo, filij eius & nepotes, filiæ & cuncta simul progenies.) Quanquam timuerit posteris suis, Deo tamen confortante hoc melius sibi & optabilius arbitratus est, vt super oculos suos manum poneret Ioseph. Vndè & dicebat: Sufficit mihi si Ioseph filius meus viuit. Filiorum nominibus, qui ingressi sunt in Aegyptum ordine suo supputatis, tandem ita series concluditur. (Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta. (Quòd, excepto Ioseph & filijs

Quomodo oẽs animæ Iacob septuaginta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

filijs eius, sexaginta sex animæ, quæ egressæ sunt de fœmore Iacob introierunt in Aegyptum, nulla dubitatio est. Ita enim paulatim per singulos supputatus numerus approbat. Reperierunt autem animas tres in Aegypto, Ioseph scilicet cum duobus filijs eius. Septuagesimus autem ipse fuit Iacob. Quòd si e contrario nobis illud opponitur, quomodo in actibus Apost. in concione Stephani dicatur ad populũ, septuaginta quinq; animas ingressas esse in Aegyptum: sciendũ, hoc quidem illum ex septuaginta sumpsisse interpretibus, vbi sic scriptum est: Filij autem Ioseph qui nati sunt in Aegypto animæ nouem. Verũ in Hebræo duæ sunt, non nouẽ. Ephraim quippe & Manasse nati de Ascenech filia Putiphari in Aegypto, antequam Iacob intraret in Aegyptum, & fames tempus ingrueret, cõstat, quia tempore quo ingressus est Iacob in Aegyptum, non eius ætatis erant, vt filios generare potuissent. Quòd si quæritur cur sanctus Lucas qui supradictæ scriptor est historiæ, in gentes actuum Apostolorum volumẽ emittens, non secundum Hebraicam veritatem septuaginta, sed septuaginta quinque animas iuxta septuaginta interpretum editionem ingressas in Aegyptum esse dixerit, facilis excusatio est. Non enim debuit contrariũ aliquid scribere aduersus eam scripturã, quę iam fuerat gentilibus diuulgata. Et vtiq; maioris opinionis illo tempore dũtaxat septuaginta interpretũ habebatur auctoritas, quã Lucas, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus dicebatur. Hoc autem generaliter obseruandũ, quòd vbicunque sancti Apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerunq; testimonijs abutũtur, quę iam fuerant diuulgata in gentibus. Licet pleriq; tradant Lucam euangelistam vt proselytum Hebræas ignorasse literas.

Act. 7.

Cur Lucas potius septuaginta interpretes quàm Hebræos est secutus.

Quomodo quisque nostrum debeat in amore Christi huius exemplo vti, dicentis: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. CAPVT XVII.

IVncto Ioseph curru suo ascẽdit obuiam. Vidensque eum, irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit. Dixitq; pater ad Ioseph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuã, & superstitem te relinquo.) Hoc miræ pietatis dictum de ore patris huius arripientes dicamus omnes, dicamus singuli vero Ioseph. i. domino nostro Dei filio, qui verè saluator mundi est. Iam lætus moriar, quia vidi faciẽ tuam, & superstitem te relinquo. Quando Christiane defungeris, imò & dũ viuis, quia moriturus es, dic vnico Dei patris filio, saluatori tuo: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, & in hora qua quisq; nostrũ moritur, superstitem illũ relinquimus, qui solus, quod nos non possumus, in quo nos deficimus, depositis corporibus, & de animabus nostris curare sit idoneus. Ille namq; nobis superstes est, vt causam nostrã emendet: qui idcirco mortuus est, vt animas nostras viuificaret: & idcirco resurrexit, vt corpora nostra resuscitaret, & ad dexteram suam in cælestib. in corpore & anima quenq; nostrum constitueret. Scio enim (inquit beatus Iob) quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.

1. Cor. 13.

Iob. 19.

De patrum humilitate, qua se coram Pharaone pastores ouium & peregrinos professi sunt. CAPVT XVIII.

ET ille locutus est ad fratres, & ad omnẽ domum patris sui: Ascendam & nunciabo Pharaoni, dicamq; ei: Fratres mei & domus patris mei venerunt ad me, & sunt viri pastores ouium, &c.) Sãctum peregrinorum studium, Deo peregrinantium scripturæ locus exprimit, scilicet quòd hominibus non solùm non placere, sed etiam displicere quæsierunt, & quòd verè non hic manentem habentes ciuitatem, futuram & manentem inquirere studuerunt. Primus: (Ioseph ingressus nunciat Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres, oues eorũ, & armenta, & cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan, & ecce consistũt in terra Gessen. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros statuit coram rege.) Primogenitos, & interrogati à rege dicente: (Quid habetis operis? respondent, pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri.) Quare? Quia detestantur, inquit, Aegyptij omnes pastores ouium, videlicet, quia superbiunt in equis, & currib⁹, plus cæteris gentibus, & ob hoc humile pastorum opus, veluti ignominiam despiciunt, & detestantur. (Postmodum introductus pater ante regẽ, interrogatus est ab eo: Quot sunt dies vitæ tuæ?) Nunquid nil aliud rex sapiens locutus est cum venerabili sene, nisi quòd interrogauit eum, quot sunt dies vitæ tuæ? Sed profectò solùm hoc scribi dignum fuit, propter memorabile responsum, dicentis: (Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.) Vltrò, peregrinum se confessus est: & hanc vitam miseram, peregrinationem dicere maluit, melioris vitæ vel patriæ ciuis, id est, cælestis. Eo sensu percontationem regis vera correctione suppleuit, cum dicente illo: Quot sunt dies vitæ tuæ? respondit, dies peregrinationis vitæ meæ parui sunt & mali. Paruos videlicet dies suos pro humili cõscientia dixit, malos pro cõtinuatione tribulationis. Parumq; illi visum est, quòd peregrinum se confessus est, nisi etiam patres suos peregrinos fuisse assereret. Nam protinus subiungit: Et non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum quib. peregrinati sunt. Adeò hominibus placere, vel ad pompam secularium tam pater, quàm filius se extendere, dedignati sunt.

Heb. 13. CAP. XLVII.

Benè

Heb. 11. Benè ergo Apostolus in laudem fidei patrũ istorũ inter cætera dicit: Et confitentes quòd hospites & peregrini sint super terram. Eorum confessio nusquam clarior, aut certior inuenitur quàm hoc loco vbi peregrinus iste in aula regis non oblitus patriæ cælestis, vltro peregrinum se cõfitetur. Igitur vetus pastorib. ouium spiritualium & omnibus, qui cælestem patriam inquirunt propositum est exemplum, vt humilitate gloriosa contenti, vanam & inopem despiciant altitudinem seculi, dicantque vbicunque equitantes Aegyptios viderint: Hi in currib⁹, hi in equis, nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus: dicant coram terrenæ patriæ ciuibus, aut regibus, non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Psal. 19.

Hebr. 13.

Quoto patris anno Ioseph natus sit. CAPVT XIX.

PORRÒ quòd dicit, centum & triginta annorum sunt dies peregrinationis meæ, facilem pãdit aditum, ad inuestigandum quoto ætatis ipsius anno Ioseph natus sit. Imò & quoto ætatis anno vxores Lyam & Rachel fororẽ eius acceperit. Nam & de fratre eius Esau, superius scriptura dixit, quod quadragenarius vxores duxit: & de Isaac patre eius, quia cum quadraginta esset annorũ Rebeccã vxorem acceperit, & quia sexagenarius erat, quãdo nati sunt paruuli: de isto autem nõ est dictũ, qua ætate vxorẽ acceperit. Centũ ergo & triginta annorum cum se esse dixerit, Ioseph autem triginta annorum fuerit, quãdo stetit in conspectu Pharaonis regis, & exinde septem fertilitatis anni, cum biennio subsecutæ famis effluxerint, qui sunt simul ætatis Ioseph trigintanouem anni, constat procul dubio quòd nato Ioseph Iacob nonagenarius extiterit. Cui ætati quatuordecim annos adime, quibus Laban pro filiabus seruiuit, & manifestè liquet, quia iam septuaginta sex annorum erat, quando præcepto patris peregrè profectus, vxores accepit. Viginti namque annis seruiuit, quorũ ante sex posteriores natum fuisse Ioseph qui legit, intelligit. Nato quippe Ioseph, cum dixisset Iacob socero suo: dimitte me vt reuertar in terram, & ad patriam meam, tunc demum cõuentione iterata, qui pro filiabus quatuordecim annis seruierat, addidit, vt seruiret annis sex.

Gen. 26. *Gen. 25.*

Gen. 4.

Gen. 30.

De eo quòd Ioseph subiecit omnem terram Aegypti, vendentibus eam illis præ magnitudine famis. CAPVT XX.

Psal. 104.

INtrauit igitur Israel in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham, id est, in eadem Aegypto. Aegyptij namque ab vno de posteris Cham, scilicet, Mesraim exorti sunt. Attendamus quid deinceps actum sit. (Postquam benedicto rege, Iacob egressus est foras, & possessionem dante Ioseph, accepit in optimo terræ solo Rameses vbi præceperat Pharao, venit cuncta Aegyptus (inquit scriptura) ad Ioseph, dicẽs: Da nobis panes. Quare morimur coram te, deficiente pecunia? Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, si precium nõ habetis, & sustentauit eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei: Cur morimur, te vidente? Eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne percunte cultore redigatur terra in solitudinem, &c.) Hos habuit effectũ, illud quod vocauit dominus famem super terram, & ad hoc vocatio eius profecit, vt & Israel intraret in Aegyptum, & in seruitutem redigeretur superbia Aegyptiorum, quam & scriptura paulò supra denotauit, dicendo: quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium. Proinde sapientibus quoque, qui nitore gaudent eloquij, placeat & illud quod metonomicè Psalmista dixit: & vocauit famem. Benè ergo tãquam strenuus lictor astitit vocanti, & voluntatem fecit imperantis, cũ duos reos, veluti vno carcere arctauit, & alter scilicet Israel, qui fratrem suum vendidit, flagellatus generatione quarta solueretur ad gloriam: alter, id est, Aegyptius populus superbiens in currib. & equis, educeretur ad pœnã. (Emit igitur Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus possessiones suas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius, à nouissimis terminis Aegypti, vsque ad extremos fines eius, præter terram sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis. Dixit ergo Ioseph: En, vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet. Accipite semina & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem & in cibos, familijs & liberis vestris.) Tanquam diceret: Vobis possessiones vendentibus & dicentibus: eme nos in seruitutem regiam, non mittam super vos aliud pondus, veruntamen id quod cepistis tenete æqua conditione. Quinta pars fructuum per septem fertilitatis annos de cunctis regionibus sub curam & custodiam Pharaonis recondita est, pro salute vestra: quintam ergo deinceps partem regi dabitis, cui vos in seruitutem venditis. Ex eo tempore vsque in præsentem diẽ in vniuersa terra Aegypti regibus quinta pars soluitur. Et quidem quia superborum tunc ceruicibus victrix fames insederat, læti susceperunt conditiones seruitutis, dicentes: Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantùm dominus noster, & læti seruiemus regi. Verùm vbi rediuiua saturitas famem depulit, pariter & superbia reuixit. Et fortasis inde inimici filijs Israel facti sũt, & inde versum est cor eorum, vt oderent populum domini, & dolos facerent in seruos eius, quia quos tempore famis subijcientes sibi regiæ seruituti susciperis & pascens, dictus est saluator mundi: tempore saturitatis à posteris eorum, qui se vendiderant, odio cœpit haberi memoria eius, tanquam fuisset proditor

CAP. XLVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditor libertatis.

Quòd oportuerit Ioseph de transferendo corpore eius adiurare, et cur sanctus vir in terra illa sepeliri noluerit.

CAPVT XXI.

CVmque appropinquare cerneret Israel diem mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuã sub fœmore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis, vt auferas me de terra hac, condasq; in sepulchro maiorũ meorum.) Ergóne de obedientia filij pater diffisus est, nec aliter securus esse potuit? Nõ vtique sic, sed rationem in ore ponere voluit, quam in transferendo patrem haberet coram Pharaone & seruis eius, compendio dicens, pater enim meus adiurauit me, suspitionemque fugeret, ne alienum ab amore terræ Aegyptiæ videretur animum gerere. Quid autem patriarcha tantus, ciuis cæli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantoperè de corpore suo curauit, & seriò scire voluit, quo loco puluis in puluerẽ, & cinis reuerteretur in cinerem? Videlicet quia terra repromissionis domini erat Dei, dicentis: verbi gratia, terram in qua dormis, dabo tibi, & semini tuo, & his similia, quæ tam illi, quàm etiam patribus suis de terra illa locutus est Deus, & repromisit. Donum autem Dei qualecunq; sit, siue magnum siue paruum, cæleste siue terrenum, pro honore vel charitate dantis pretiosum est, & esse debet in oculis sapientis: Si ergo moriturus, continuò promissiões terræ, quas acceperat, tãta cum gratiarum actione veneratus est, vt saltem mortuo corpore illam tenere cuperet: quanto magis viui possessores curare debuerunt, sic in ea viuere, vt nõ iratus Deus, donum suum ingratis rursus auferret? Exemplum enim viuis mortuus dedit, vt in spe patriæ cælestis pignus amarent, requiem æternæ hæreditatis. (Quo iurante adorauit Israel Deum, cõuersus ad lectuli caput.) Scilicet quia postquam iurauit filius, iam de effectu petitionis erat securus. Ad lectuli, inquit, caput. Sanctus quippe & Deo deditus vir oppressus senectute, sic habebat lectulum positum, vt ipse iacẽtis habitus absque difficultate vlla ad orationem esset paratus.

Cur Iacob in terra promissionis sepeliri voluit.

Gene. 28.

Quòd Ioseph ad ægrotantem patrem assumptis duobus filijs properauerit, & de benedictionibus eiusdem patris.

CAPVT XLVIII.

CAPVT XXII.

NVnciatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater eius. Qui assumptis duobus filijs Manasse & Effraim ire perrexit) .i. ire properauit, & eo totus intendit, ad accipiendas partes de diuitijs paternis: ad videndos thesauros benedictionis, quos pater thesaurizauit filijs suis. Idcirco filios suos secum assumpsit Manasse & Ephraim. (Dictumque est seni. Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo.) Quamuis intelligi rectè valeat, quòd ob aduentum filij quẽ diligebat confortatus sit gaudio, sicut dudũ dixerat, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitẽ te relinquo: tamen & hoc sciendum, quia sancto prophetiæ spiritu super eũ irruente confortatus est. Vnde enim fiduciam vel auctoritatem habere poterat, vt diceret, & iste quidem erit in populos & multiplicabitur, sed frater eius iunior maior erit illo, & his similia, nisi quia virtute prophetici spiritus inualuerat? Confortatus igitur adeò mente est, qui ægrotabat corpore, ita vt corpus quoq; fessum alleuiaretur mẽtis alacritate: & cuius oculi corporei caligauerant præ nimia senectute, nec clarè videre poterat, interioris eius hominis acies clarificata est, vt ventura nunciaret, & possidendã hæreditate benedictionem daret. Itaque sic incipit: (Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan, benedixitq; mihi, & ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam in turbas populorum, daboque tibi terram hanc, & semini tuo in possessionem sempiternam.) Vnde habeat dandæ benedictionis ius aut officium, prælocutus est. Non dixit, Pater meus Isaac benedixit, quamuis & hoc factũ sit: sed Deus omnipotẽs (inquit) benedixit mihi, quia benedictio non hominis est, sed Dei, & tunc valet hominis benedictio, cum ex Deo procedit, vel confirmatur testimonio Dei. Dicat quis: Cur Abrahã moriturus, non Isaac item eo modo quo & Isaac Iacob, & Iacob filios suos benedixit? Videlicet quia Isaac iam ex quo in holocaustum Deo oblatus est, benedictionem hæreditate possedit, neque opus fuit illum sermone consecrari, qui re ipsa in typum saluatoris sanctum sacrificium, & hostia viua esse meruit. Item. Si quærat quis, cur non Isaac duos tantùm habens filios, vtrunque benedixerit, cum Israel plures habens, singulos benedixerit, benedictionibus proprijs? Facilis responsio est, quia duo filij Isaac in duos erãt populos diuidendi, sicut oraculum diuinum prædixerat illi, vel Rebeccæ matri. plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in vnitate paternæ fidei Deum verum & viuum hæreditate possessuri, vel ab ipso erant possidendi. Post istos patriarchas tres, in quibus omnipotens Trinitas inuocãda est, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, iam non inuenitur eodem successionis ordine, & cum potestate benedictio carnalibus filijs data est, sed per sacerdotum ministerium deinceps ex lege Moysi, in populum communiter exorata est, effectu non semper vel vbique prosequente.

Cur Abrahã moriturus non benedixit Isaac sicut Isaac Iacob?

Cur Isaac vnum tantùm benedixit, filium.

Gen. 25.

Quur

Quur dixerit, duo filij tui mei erũt. Manasses, & Effraim reputabuntur mihi.

CAPVT XXIII.

Gen. 48.

DEus, inquit, omnipotens apparuit mihi, benedixitque mihi, & cæt. vt supra. Quorsum istud? Videlicet vt recogites, & scias, quia paternæ fidei meritis actũ est, quatenus dicere posses, obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domũ patris mei, & ob hoc vocares nomen primogeniti tui Manasse. Itemq; crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, & ob hoc vocares nomen secundi Effraim. Nam ex eo q; mihi sponte peregrinãti benedixit Deus, & ita dixit, ego te augebo, & multiplicabo, & faciam in turbas populorum, ex eo, inquã, tu quoque non intuitus exul, & in seruũ venundatus in laboribus tuis, & in terra paupertatis tuæ creuisti. Nec enim opem cælestem vos filij parentibus, sed nos parentes Abraham, Isaac, & Iacob, vobis filijs thesaurizauimus. (Duo igitur filij tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam venirem huc ad te, mei erunt Effraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.) Ac si dicat: Quoniam ego, antequam huc venirem absens tibi profeci, etenim in magnis doloribus fides paterna pro te decertauit, tuamq; salutem parturiuit, in qua & duos filios procreasti iure ipsi filij mei erunt: Sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi, &c. quod dicit hoc est sicut Ruben & Simeon duæ tribus erunt, duosque populos procreabunt, & sic hæreditabunt repromissionis terram, sic & filij tui. (Reliquos autẽ filios, quos post mortem meam genueris.) Ostendens nec dum illo tempore procreatos: (tui erunt & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.) Non, inquit, accipient separatim terram, nec funiculos habebunt proprios, vt reliquæ tribus, sed in tribubus Effraim & Manasse quasi appendices populi commiscebuntur Quam autẽ ob causam mihi reputabuntur, & mei erunt? (Mihi enim, inquit, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratq; vernum tempus. Et ingrediebar Ephratã, & sepeliui eam iuxta viã Ephrate.) Mihi, inquit i. in meũ detrimentum, vel dũ parit mihi filium mortua est mater tua Rachel, quã ego diligebã, & ex qua filios adhuc susciperе optabã, eratq; vernũ tempus, subauditur mihi, & ingrediebar Ephratã, q; interpretatur frugifera, videlicet cùm illa post hyemẽ sterilitatis optato partu floresceret, & frugifera mihi esse inciperet. Idcircò hi duo filij tui mei erunt, vt mortuæ coniugi semen suscitẽ & suppleã adoptione, q; minus habui naturali generatione. Quod q; magno id acceperit Ioseph. s. vt duo filij sui principes, & capita tribuũ fierent in Israel, illud indicat, quòd cùm tulisset eosdẽ filios suos de gremio patris deosculantis, & circumplectentis eos, adorauit pronus in terram.

Quod Iacob filijs Ioseph benedicens, commutatione manuum crucem Christi præfigurãrit.

CAPVT XXIIII.

ET posuit Effraim ad dextrã suam, id est, ad sinistram Israel, Manassen verò in sinistram suam, ad dextram, scilicet, patris, applicuitq; ambos ad eum. Qui extendens manum dextram posuit super caput Effraim iunioris fratris, sinistram autẽ super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus.) Cur ita fecerit ipse reddit causam, cùm Ioseph grauiter accipiente, & dicente: (Non ita cõuenit pater, quia hic est primogenitus: pone dextram super caput eius, renuens ait: Scio fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius, maior erit illo, & semen illius crescet in gentes. Sine dubio transpositio manuum crucis expressit figuram. Nunquid in eo sic manus commutando casu crucem figurauit? Nunquid non poterat eadem ratione data, Manassen ad dextram, Effraim verò ad sinistram suam posuisse? Poterat planè, sed propheta erat, & prophetico spiritu sciebat, quòd per crucem componenda esset benedictio, quã venturus legislator daret, vel qua in illo semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Qui enim CAPVT XLIX. postmodum de illo qui mittendus erat, & qui expectatio gentium futurus erat, id est, de Christo dixit: Lauabit vino stolam suam, & sanguine vuæ pallium suum, nescire poterat quali torculari ipsa vua premenda vel ipsum vinum foret extorquendum? Igitur tanquam propheta simul & patriarcha, quomodo verbis verum prophetare potuit dicendo, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius iunior, maior erit illo, sic & manuum positione crucem Christi præfigurare sciuit, per quã prior iunior, id est, Iudaico proferendus erat populus Gentilis. Ad ipsum Ioseph dicit. (Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo.) Sychimam dicit siue Sychem, quæ apud Ioannem Euangelistam Sychar vitiosè dicitur, quod errore inoleuit, & est nunc Metroplis vrbs Samaritanorũ. Quod autem dicit se eam in arcu & gladio possedisse, arcum hic & gladium iustitiam vocat, per quam meruit peregrinus & aduena interfecto Sychem & Hemor, de periculo liberari. Vel certè in gladio & in arcu meo tuli, id est, in fortitudine mea emi, scilicet in pecunia, quam in multo labore & sudore acquisiui.

Quòd vocauerit filios suos. Congregamini vt annunciem vobis, & cætera.

CAPVT XXV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XLIX.

VOcauit aũt Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini vt annunciem vobis, quæ ventura sunt diebus nouissimis. Cõgregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum.) Vocatio hæc nõ vt simplex litera resonat, nec solũ duodecim homines inuitat, sed vniuersos qui se agnoscunt, vel profitentur esse filios Iacob conuenit & cõgregat. Et profectò quicunq; sumus ex fide patris huius, quicunque Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob in veritate cõfitemur, & colimus, filios nos esse Iacob, & fideliter agnoscimus, & veraciter dicimus. Nos igitur inuitat, pater Iacob tuba prophetica, cùm dicit: Congregamini vt annunciẽ quæ futura sunt vobis in nouissimis diebus, iterumque personat ac dicit: Congregamini, videlicet vt & corporibus congregemur in eisdem parietibus, in eadem domo Dei, in eadem schola Christi, & quod magis expedit, mentibus congregemur, in vnitate fidei, in societate spiritus, in vinculo pacis. Tandemque congeminat, quo attentum faciat auditorem. Audite, inquiens, filij Iacob, audite Israel patrem vestrum. Non enim vnus corporis auditus satis est, sed alium quoq; id est, interioris hominis, auditum adhibere oportet, vbi spiritus loquitur & annunciat quæ ventura sunt. Itaque tanquam filij in domo patris sub fidei magisterio, morumque disciplina eruditi, audiamus his diebus nouissimis quæ tunc ventura erant, nunc autẽ iam venerunt & facta sunt diebus istis, diebus vtique nouissimis testante Paulo: quia nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt, & Ioanne dicente: Filioli nunc nouissima hora est.

1. Cor. 10.
1. Ioan. 2.

De benedictionib. Ruben, & quorũ ille typũ gesserit.

CAPVT XXVI.

RVben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principiũ doloris mei. Prior in donis, maior imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.) Sensus hic est. Tu es primogenitus meus maior in liberis, & sedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & hæreditatem quæ primogenitis iure debebatur, id est, sacerdotium sperabas accipere & regnum. Hoc quippe in portando onere, & præualido robore demonstratur. Verum quia peccasti, & quasi aqua quæ vasculo nõ tenetur, voluptatis es impetu effusus, idcircò præcipio tibi, vt vltra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnam ex peccato luẽs, quòd primogeniti ordinem perdidisti. Itaque duobus præmissis, tu fortitudo mea, tu principium doloris mei, duo subiũcta respõdent. Vnde enim tu fortitudo mea? Ex eo, videlicet, qa prior in donis, maior imperio. Vnde principium doloris mei? Ex eo, quia effusus es sicut aqua, ascendendo cubile patris tui. Hoc enim principium doloris eius extitit, nõ qa in nullo ante doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primum in domo eius de isto accidit, deinde incrementum accepit de venditione filij. Huic videlicet Ruben similis est, quicunq; thorum dei patris, id est, plebis eius regnum adulterino introitu ascendit, scilicet non audientium salutem siue profectum, sed gloriæ suæ quærendo voluptatem, quemadmodum isse ascẽdendo patris sui cubile, non exinde generare sobolem, sed proprij corporis quæsiuit explere libidinem. Sic & ante Christi aduentum Pharisæi, Sadducæi, Samaritæ, cæteriq́ue temporis illius hæretici, vel hæresum auctores, thorum Dei patris, id est, sanctæ legis scripturam violenter ascendentes, plebẽ eius iniquo semine corruperũt, & post Christi aduentum Cherintis, Marcion, atque Heb eon, cæteriq; hæresiarchæ thorum eiusdẽ Christi, id est, doctrinam Euangelij non vocati, ascendentes suis quiq; locis, vel temporibus plebem eius peruersa doctrina commaculauerunt. Vnde sciendum quod non libera sed ancilla, non vxor legitima fuit quã adulterauit Ruben, & dicta est Bala, quod interpretatur inueterata. Deniquæ & quæcũque plebs siue quæcunque anima libera, vel Christi vxor est legitima, vero amore Christum diligens, adulterium non recipit, incẽstum non admittit, quæ autem ancilla est, nõ habens spiritum Domini in quo est libertas, quæ inueterata est, & ambulat in vetustate peccati, citò adultero succumbit, facilè hæretico consentit. Talium iniquo cætui spiritus dicit: Tu primogenitus meus, tu fortitudo mea, grauissima ironia pro arrogantia vel præsumptione eius dici rectè intelligitur, quia sic illi videtur, sic prædicat, sic de se arbitratur. Dicit enim: Quod ego do, sanctum est, qa ego baptizo, qa ego consecro, plenum atq; perfectũ est, apud me solũ viritatis fortitudo est. Quod aũt ex repugnanti additur, & principiũ doloris mei, vera patris cõquestio est, quia reuera sub lingua eius labor & dolor, quia cõcepit dolorẽ, & peperit iniquitatem. Cur enim pater tales non vocet, principes doloris siue laboris sui? Etenim per prophetã illis dicit: Si affiget homo Deũ, qa vos cõfigitis me? Et dixistis, in quo confiximus te? In decimis, & in primitiuis, in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Item laborare fecistis Dñm in sermonib. vestris. Et dixistis, in quo eum fecimus laborare? &c. Et hic ergo tanquam dicat patri adulter hæreticus, in quo ego principium doloris tui? Effusus es, inquit, sicut aqua, videlicet per oris tui incontinentiam. Incontinenter enim & sine discretione, fluunt hæretici verbis aquaticis. Sunt enim cisternę veteres, quæ non valent continere aquas.

Ironia.
Psal. 7.
Malach. 3
Ibidem.
Hier. 2.

De benedictionibus Simeon & Leui, & quorum typum gesserint.

CAPVT XXVII.

SImeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilio eorũ ne veniat anima mea, in cœtu illorum non sit gloria mea. Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suo effoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio illorum, quia dura. Diuidã eos in Iacob, & dispersam eos in Israel.) His verbis palã significat, non sui fuisse consilij, qp Sychem & Emor fœderatos viros interfecerunt, cõtraque ius pacis & amicitiarum sanguinem fuderint innocẽtem, & quasi quodam furore sic crudelitate grassati, muros hospitæ vrbis euerterent. Vnde & dicit: Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispersam eos in Israel. Leui enim hæreditatẽ propriam non accepit, sed in omnibus sortibus paucas vrbes ad habitandum accepit. De Simeon verò in lib. Iesu scriptũ est, quod & ipse proprium funiculum nõ sit consecutus, sed de tribu Iuda quiddam acceperit. In Paralip. aut libro manifestius scribitur, quod quum multiplicatus fuisset, & non haberet possessionis locum, exierit in desertum. Verùm quia de diebus nouissimis se prophetare dicit: Congregamini & annunciabo quæ ventura sunt vobis dieb. nouissimis, rectè de pharisæis propheticè dictum intelligitur, qui vtiq; secundum Simeon & Leui primos circuncisionis suæ proselytos, scilicet Sychimitas interfecerunt, vasa iniquitatis bellantia fuerunt, quia cũ circuissent mare & aridã, vt proselytos facerent, tandem in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum, Christum enim occiderunt, & murũ templi (quod est corpus eius) clauis & lancea suffoderũt, & hoc faciendo proselytos & omnes auditores suos secum filios perditionis fecerunt. At ille vir propheta potens in opere & sermone, sicut de templo corporis sui prophetauerat dicens: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, sic fecit, & in vltionem furoris eorum, & indignationis duræ sic dixit: Diuidam eos in Iacob, & dispersam eos in Israel. Iacob nanque vel Israel ipsi esse desierunt, & gentes per fidem hoc nomen hæreditauerunt. Cur autẽ nolit eos occidere, sed diuidere ac dispergere, Psalmista in persona eius edicit, vbi præmisso, Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, continuò subiungit: ne quando obliuiscantur populi mei. Et ait: Disperge illos in virtute tua.

Gen. 34.
Iosue 19.
1. Para. 4.
Psal. 38.

Quid sit in benedictionibus Iuda.

CAPVT XXXVIII.

IVda te laudabunt fratres tui: Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: Adorabũt te filij patris tui. Catulꝰ leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti. Requiescens accubuisti, vt leo & quasi leæna.) Hic os suum latius aperuit, spiritumque attraxit, & clarius edixit, quod gaudenter totus exaudiret orbis. Iuda, inquit, te laudabunt fratres tui. Cõstat quidem, quia de tribu Iuda reges extiterunt, at illi præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam, omnes peccauerunt, neque adeo fortes fuerunt, vt meritò in laudem fortitudinis eorum tantus patriarcha tantopere dilatare debuerit os suum. Vnus igitur de omnibus electus sit rex Christus in quẽ ista rectè dicantur. Iuda quippe, quod interpretatur confessio, ipse est nostræ confessionis princeps & auctor, sine quo non erat nobis confiteri, sine quo non fieret quod scriptũ est: Illuc enim ascenderunt tribus tribubus Domini testimonium Israel, ad confitẽdum nomini Domini, neq; transiret quisquam in loco tabernaculi admirabilis vsq; ad domũ Dei, in voce exultationis & confessionis. Iuda ergo te laudabunt. Te (inqnam) Christe confitebuntur fratres tui, & laudabunt & prædicabunt te omnes filij Dei, & pro hoc ipso etiam laudabunt te, quòd sunt fratres tui, quòd nominantur, & sunt filij Dei viuẽtis. Nam nisi per te recepti, & per te fuissent adoptati, essent semper, vt erant, omnes inimici, omnes filij mortis, filij iræ, filij diaboli. Iure ergo te laudabunt. Quomodo laudabunt? Quid laudantes clamabunt? Manus tuæ in cernicibus inimicorum tuorum. Hoc verè laudabile, hoc laude canora dignũ est, quia vera fortitudo, quia glorioſa victoria est. Ad quid enim manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum? Videlicet ad hoc, vt depressi & incuruati aut te adorent, aut expellãtur de finib. tuis, claudendi carceribus in vinculis sempiternis. Pro meliori parte victoriè continuò subiungit. Adorabunt te filij patris tui. Qui inimici tui ipsi filij patris tui, sed prius secũdum meritũ suum inimici, postea per gratiã tuã filij patris tui. Ad hoc manus tua in ceruicib. inimicorũ tuorũ, vt adorent te illi, & recócilientur tibi, fiãtq; ex inimicis fratres tui, fiãt filij patris tui. Ita mirabiliter deducet te dextera tua, ceruicib. inimicorũ tuorũ impressa, ita populi sub te cadẽt in corde inimicorũ regis, factì sedes tua deus in seculũ seculi. Nã quia deus es tu, idcircò parũ dictum erat, te laudabũt fratres tui, suppletũ ergo est, dicẽdo: adorabunt te filij patris tui. Quæ aũt causa vel materia laudis, aut vnde tibi dignitas adorandæ maiestatis? Ait. Catulꝰ leonis Iuda, ad prẽdã fili mi ascẽdisti. Quia catulus leonis tu es. i. filius dei fortissimi cunctarũq; fortitudinũ, vel virtutum principis, idcircò adorabũt te filij patris tui, & quia tu ad prædã fili mi ascendisti, & infernũ debellasti: idcircò iure te laudabunt fratres tui. Quãuis enim dicantur & sint fratres tui, vel filij patris tui, nõ tamen vt tu catulus, sic & ipsi dici vel esse possũt catuli leonis. Nõ enim natura, sed adoptione sunt filij dei, patris tui, vnde & prẽter te fili mi, nullꝰ ad prædã ascendere, nullus infernũ spoliare potuit. Tu solus prædator mortis, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Hoc mirabile est. Requiescens, id est, moriẽs accubuisti vt leo, nec enim

Psal. 121.
Psal. 41.
CAP. XL XLIX.
Psal. 44.
Esa. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec enim moriendo defecisti, aut imminuta est fortitudo tua. Nec verò tantum vt leo apertis accubuisti oculis, sed & quasi leæna, quam vt seuiat grandis agit amor, & affectus grandis erga fœtus suos esurientes ad prædã excitat. Acceleraſti enim spolia detrahere, festinaſti prædari, vt ad catulos, id est, Apostolos tuos magnæ prædæ gaudium, magnũ reportares triumphum resurrectionis.

De eo quòd ait: Quis suscitabit eum, & non auferetur sceptrum, & cætera.

CAPVT XXIX.

QVis suscitabit eum?) Hactenus prona mente blandientis affectu loquebatur pater ad illum principem fortitudinis, suum secundum carnem filium, nunc tota irruente admiratione, quasi astantem circunspicit orbem vniuersum, & dicit interrogans, vt interrogando totum in admirationem excitet genus humanum. Quis suscitabit eum? Et rectè nos quoque de præterito dicamus: Quis suscitauit eũ? Helias viduæ filiũ suscitauit. Ipse Lazarũ suscitauit. Quis spiritũ eius adiuuit? Ipse nempe nullo indigens, proprio rugitu euigilauit, potestatem enim habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Iam quasi quæreretur, quando ille veniet, & quod signũ temporis aduentus eius, cõtinuò sequitur. (Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.) Hoc omni homini oculos habenti certum & præclarum est. Quando enim, vel ex quo ablatum est sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius? Videlicet extunc, quando regnum Iudæorum Romanis tradentibus adeptus est Herodes alienigena, patre Idumæo, matre ortus Arabica. Et qui dem reges iamdudum defecerant à tempore captiuitatis Babylonicæ, duces tamẽ qui essent de gente illa, perseuerauerunt vsque ad cõtentiões Hircani & Aristoboli, qui ex cõmixtis tribubus, sacerdotali scilicet, & regia orti, regnum & sacerdotium discordibus sibi diuidentes animis, contendendo, & inuicem pugnãdo, tandem occasionem porrexere Romanæ potestati, locumque aperuerunt alienigenæ Herodi. Ita paulatim deficiente & claudicante fœmore Iudæ, tandem potestas omnis ab eo sublata est. Vnde prudẽter non tantum dictũ est, non auferetur sceptrum de Iuda, sed additum est, & dux de fœmore eius. Tunc primùm ergo sublatum est sceptrum de Iuda, quando tulit illud Herodes, qui vtique Iudæus non erat. Quis autem nesciat, quia tunc venit qui mittendus erat? Tunc enim Iesus Christus Dei filius in Bethleem Iudæ de virgine nasci dignatus est. Cùm ergo dicit, nõ auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, firmum sermonem propheticũ prophetarũ sanctissimus, tã quã lucernam lucentẽ, in caliginoso loco attollit, vt sciat inquisitor regni Dei, quando vel ex quo certus esse debeat de aduẽtu eius, quẽ laudare & adorare habeant omnes fratres eius, cũcti filij patris eius. Huic lucernæ, huic prophetico sermoni, Simeon senex, homo iustus & timoratus in spiritu sancto attendens, cũ sciret, & videret, regnante alienigena, ablatum esse sceptrum de Iuda, & ducem de fœmoribus eius, intellexit tempus esse, vt veniret qui mittendus erat, & idcircò ad ianuas cælorũ, vnde venturum illũ sperabat, tamdiu suspensa prece pulsauit, donec responsum acciperet à spiritu S. non visurũ se mortem, nisi prius videret Christum dominum. Et vidit, & sicut legebat in hoc scripturæ loco, & ipse erit expectatio gentium, ita credidit & confessus est, eum esse lumen ad reuelationem gentium. Vnde autem scire poterat ipse pater Israel, vt diceret, & ipse erit expectatio gentium? Ex Deo videlicet, non solùm quia propheta erat, sed & quia sic ad Abraham Deus locutus est: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Qualis sit illa expectatio gentium, secundũ quod ait, Ligans ad vineam pullum suum, & cætera.

CAPVT XXX.

QValis verò sit expectatio gentiũ, subsequenter notis nominib. & clara similitudine propheticum hoc declarat oraculũ. Ligans ad vineã pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinã suam.) Quãto affectu, cùm de tertia persona loquatur, apostrophen faciat ad secundam, dicendo o fili mi, nulla valet lingua verbis consequi, vix illa valet mens persentiscere: benigna venia charitatis. Ligãs inquit, ad vineã pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinã suam. Pullum asinæ nouimus, cui supersedit Dominus Iesus, hoc est, gentilium populũ, quem vtiq; nunc ad vineam suam alligauit, quando Apostolicæ ecclesię, quæ ex Iudæis est, illum gratia sua copulauit: Quod per pullum, idẽ per asinam: & q̃ per vitem, idem intelligimus per vineam. Vna vitis, vel vna est vinea omnium electorum ab initio seculi, vsque ad Apostolicam fidem, vna cum capite suo Christo ecclesia. De semetipso caput Christus dicit: Ego sum vitis, & pater meus agricola est. De ecclesia quæ est corpus eius, propheta dicit: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, & cætera. Ad hanc vitem, ad hanc vineam, nos gentes, Christum expectantes, donec illum facie ad faciem videamus, nunc interim ligati sumus tanquam pullus vel asina, cui animali rectè comparatur gentilitas, propter antiquæ stultitiæ onera: Ligati, inquam, sumus ad huiusmodi vineam, scilicet vt post paleas asinorum pabulum, botrum manducemus suauissimum, & in spiritu sancto scripturarum vinum bibamꝰ optimũ. De quo protinus subditur: (Lauabit vino stolam suam, & sanguine vuæ palliũ suũ.)

Idcircò

2. Reg. 17. Ioan. 11. Esa. 40. Ioan. 10.

Matth. 2. Luca 2.

2. Pet. 1.

Luca 2.

Vinea ecclesia. Ioan. 15. Esa. 5.

Idcircò ergo ligabit ad vineam pullum suũ, & ad vitem asinam suam, vt lauet vino stolam suam, & sanguine vuæ pallium suum. Nihil verius. Quod per pullum & asinam, idem per pallium & stolam, id est, vnam eandemque intellige ecclesiam. Nam vna eadẽque gentilitas, antequam lauacro isto renasceretur, asina vel pullus petulcus erat: postquam verò lauit eam Christus, stolam vel pallium eius est, de quo in Psalmo dicitur: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Lauabit ergo vino stolam suã, & sanguine vuæ pallium suum, id est, emundabit spiritu sancto Ecclesiam suam, & sanguine passionis fidelem populũ suũ. Vua enim ipse est, de quo in Cãticis Canticorum sponsa dicit: Botrus Cypri dilectus meus mihi. Hæc vua, siue hic botrus, torcularicrucis expressus, sanguinem suum fudit, & spiritum sanctum dedit, vnde & lauit stolam suam, id est, mundauit ecclesiam suam, vt exhiberet sibi sponsam gloriosam non habentem maculam aut rugam. Pulchritudinẽ huius propheticæ laudis spiritus sanctus ita concludit: (Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.) Oculi huius pulcherrimi VII. esse, & in Zacharia propheta, & in Apocalypsi Ioannis legimus, qui sunt, inquit, septem Dei spiritus, missi in omnem terram. Porrò vinum hoc loco, vetustam legimus austeritatem legis, sicut mustum alijs scripturæ loci nouam Euangelicæ gratiæ significare doctrinam. Cõstat autem, quia septiformis gratia spiritus sancti, quam accepimus ex gratia Euangelij, vetustate legis pulchrior atque dulcior est. Dentes quoque hi sunt, qui in corpore eius (quod est ecclesia) fortes sunt ad capiendum solidum cibum. Et hi profectò lacte candidiores, id est, illis quibus pro infantia sensuum lacte literę opus est, sanctiores atque pulchriores sunt. Dicat itaque: Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

Cant. 1.

Ephe. 5.

Zach. 3. 4. Apoc. 5.

De benedictionibus Zabulon, & Isachar.

CAPVT XXXI.

ZAbulon in littore maris habitabit, & in stationenauium, attingens vsque ad Sidonem. Isachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerũ suum, ad portandum, & factus est tributis seruiens.) Iuxta literam, quia de Zabulon dixerat, quòd maris magni esset littora possessurus. Sidonem quoq; & reliquas Phœnicis vrbes contingeret: nunc ad mediterraneam prouinciã redit, & Isachar quia iuxta Nepthalim pulcherrimam in Galilæa possessurus est regionem, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autem fortem vel osseum vocat, & humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ, & in vehendis ad mare oneribus, quæ suis finibus nascebantur, plurimùm laboraret, regibus quoque tributa comportans, aiunt Hebræi, per metaphoram significari, quòd scripturas sanctas die ac nocte meditans, studium suũ dederit, ad laborandum: & ideo ei omnis tribus seruiuit, quasi magistro dona portantes. Ergo nos potius hæc, & illud, quod post modum de Nepthalim dicitur: Nepthalim ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis, cuncta ad doctrinam saluatoris referamus, eò quòd ibi vel maximè docuerit, sicut in Euãgelio scriptũ est: Et habitauit in Caphar naũ maritima, in finib. Zabulõ & Nepthalim vt adimpleretur quod dictum est per Esã. prophetam: Terra Zabulon & terra Nepthalim via maris trans Iordanem Galileæ, & cætera. Igitur iuxta anagogen, Zabulon, & Nepthalim, prouinciamque mediterraneam obtinẽs Isachar, Apostoli sunt vel apostolici viri, qui habitantes in littore maris, & in statione nauium, videlicet quia facti sunt piscatores hominum, ad hoc semper intenti fuerunt, vt de profundis & salsis fluctibus multitudines educerent piscium rationaliũ. Vidit requiem, inquit, quòd esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandũ, & factus est tributis seruiens. Hoc, inquam, vidit Isachar, quod interpretatur merces, siue Zabulõ, id est, habitaculum fortitudinis, scilicet quisquis datorem æternæ mercedis atque largitorẽ habitaculi fortissimi prædicantem audiuit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meũ super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue, & onus meum leue. Bona ergo mercede secundum nomen suum Isachar, supposuit humerum suum ad portandum onus leue, quia vidit & inuenit requiem animæ suæ.

Esa. 9.

CAPVT XLIX.

Matth. 11.

De benedictionibus Dan, & quid ad literam, & quid ad allegoriam habeant.

CAPVT XXXII.

DAn iudicabit populum suũ, sicut & alia tribus Israel. Fiat Dã coluber in via, & cæraſtes in semita, mordẽs vngulas equi, vt cadat ascẽsor eius retro. Salutare tuum expectabo Dñe.) Samsõ iudex Israel de tribu Dã fuit. Hoc ergo dicit: Nunc video in spiritu comã nutrire Samson Nazareum tuum, cæsis hostibus triumphare, quòd in similitudinem colubri, reguliq; obsidentes vias, nullũ per terram Israel transire permittat, sed etiamsi quis temerarius virtute sua, quasi equi velocitate confidens, eã voluerit prædonis more populari, effugere nõ valebit. Totum aũt per metaphoram serpentis & equitis loquitur. Videns ergo tam fortẽ Nazareũ tuum, quod & ipse propter meretricem mortuus est, & mortuus nostros occidit inimicos, putaui ô deus ipsum: esse Christũ filium tuũ. Verũ, quia mortuus est, & nõ resurrexerit, & rur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit,& rursus captiuus ductus est Israel: alius mihi saluator mundi,& mei generis præstolandus est, vt veniat cui repositū est, & ipse erit expectatio gentium. Aliter, fiat Dan coluber in via,& cærastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Nonnulli de tribu Dan venire Antichristū ferunt, pro eo, quòd loco hoc Dan & coluber asseritur cærastesque mordens. Vnde & non immerito dum Israeliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad Aquilonem castrametatus est, illum .s. signans qui in corde suo dixerat: Sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. De quo per prophetam dicitur: A Dan auditus est fremitus equorum eius. Qui non solùm coluber, sed etiam cærastes vocatur. Cærastes enim Græcè, cornua dicuntur. Serpens hic cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristi aduentùs asseritur, quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armatur etiam cū cornibus potestatis. Quis autem nesciat, semitam angustiorē esse quā viam? Fiat ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare prouocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed in via mordet, quia eos quibus libertatē tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cærastes in semita, quia quos fideles repperit, & se se ad præcepti cælestis angustia itinera constringentes, non solùm nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua potestatis. Quo in loco equus etiā hunc mundum significat, vel insinuat, qui per elationē suam in cursu labētium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mūdi apprehendere nititur, cærastes istius equi vngulas mordere perhibetur. Vngulas quippe equi mordere, est extrema seculi feriendo cō tingere, vt cadat ascensor eius retro. Ascensor equi est, quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, & non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur. In faciem enim cadere, est in hac vita suas vnumquenque agnoscere culpas, easque pœnitendo deplorare. Retro verò, quo non videtur cadere, est ex hac vita repentè decedere, & in quæ supplicia ducatur, ignorare. Et quia Iudæa erroris sui laqueis capta Antichristum expectat, benè Iacob eodem loco repentè in electorum voce conuersus est, dicens: Salutare tuum expectabo Domine, id est, non sicut infideles Antichristum. Sed eū, qui in redemptionem nostram vēturus est, credo fideliter Christum.

Esa. 14.

Ierem. 8.

Cærastes.

Actor. 9.

De benedictionibus Gad, & quid habeant secundum vtrumque sensum.

CAPVT XXXIII.

GAd accinctus, præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.) Totum hoc (vt Hebræi asserunt) illud est, quod ante populum suum, scilicet, ante Ruben & dimidiam tribū Manasse ad filios suos, quos trās Iordanem in possessionē dimiserat, post quā tuordecim annos reuertens, prælium aduersus eos vicinarum gentium grande repperit, & fortiter dimicādo hostes vicerit, quod & partim ex libro Iesu Naue, & maximè ex Paralipomenon colligere poteris. Verùm hic sensus Iudaicus aridus nimis est, & exiguus, nec ad nouissimos dies istos pertinet, de quibus sicut in initio profitetur pater Israel, hæc omnis enunciatio est. Igitur altiùs hoc indagandum est. Etenim duobus adhuc modis intelligi potest, Gad accinctus præliator ante populum suum, qui præliatur quidem ante eum trans Iordanem, mystice Iudaicus populus est, nos autem populus illesumus, ante quem iste accinctus præliatur. Arma eius sacri codices sunt, quibus accinctus quidem, sed retrorsum tantùm & non ante accinctus est, nec enim arma sua ipse videt, id est, ipsas non intelligit scripturas, quibus ante nos pro veritate dimicat, nosq; adiuuat, dum libros per orbem baiulat, ex quibus vera, & non à nobis esse conficta probamus, quæ de Christo prædicamus prophetarum testimonia. Sed de hoc aliàs plenius dicendum erit. Aliter, quoniam hæ non solùm propheticæ futurorum annunciationes, sed & tam de præsentibus, quàm de futuris paternæ institutiões sunt, sic postmodū scriptura dicit: Finitisque mandatis, quibus filios instituebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt, licet & in bono accipere, vt sit dictū: Gad tunc rite obseruabit nomen suum, si accinctus præliatur ante populum suum, accinctus retrorsum, id est, de futuro cautus, & prouidens. Prælium autem ad quod filios instituere deceat virum sanctum, talis causa debet esse, qualem ob causam, verbi gratia: Machabæi fratres præliati sunt, imò vt ad Euangelicam feramur perfectionem: talia debent esse prælia eorū, qui veraciter accincti sunt, qualium victorias honorantes prædicamus in eis, qui pro testamento dei sua corpora tradiderunt, & moriendo quam occidendo vincere maluerunt.

Ioſua 22.

1. Para. 5.

De Aser benedictionibus.

CAPVT XXXIIII.

ASer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Aser beatus interpretatur Benè ergo alluſit ad nomen eius, dicendo: Pinguis panis eius. Pinguedo namque vel abundantia panis quædam beatitudo est, vulgi iudicio. Vnde Psalmista: Beatum (inquit) dixerunt populum cui hæc sunt, scilicet prōptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: oues fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boues crassæ. Et hac beatitudine sua præbebit, inquit, delicias regibus, deliciosa namque est regibus populi seruitus, vbi pinguis est panis eius.

Pſal. 143.

eius. Verùm istis diebus nouissimis, de quibus se annúciare pollicit est, Aser, id est, beatus est populus, cuius est dominus Deus ipse pinguis panis eius, quemadmodum dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descēdi. Verè enim pinguis est iste panis Dei, qui descendit de cælo, quia dat vitam huic mundo. Præbebit ergo delicias regibus Aser, qui huius panis pinguedine perfruitur, regibus, inquam, id est, eis qui semetipsos studēt regere, vt sint digni mēsa regalis curiæ, delicias præbebit vitalis alimoniæ, siue eucharistiam porrigendo, siue pinguē medullam scripturarum exponendo.

Ioan. 8.

De benedictionibus Nepthalim.

CAPVT XXXV.

NEpthalim ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis.) Hebræi putant, propter temporaneas fruges, & velocitatem terræ vberioris, Nepthalim ceruum emissum dici, & propter Tyberiadem, quæ legis habere videbatur notitiam, eloquia pulchritudinis prophetari. Sed hoc sensu, super temporaneis frugibus, & velocitate terræ vberioris, non magni ponderis est. Ergo melius est, si cuncta ad doctrinam saluatoris referamus, eo quòd (sicut iam supra dictum est) ibi vel maximè prædicauerit, dans eloquia pulchritudinis, quippe cui verisimè dictum est: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, & tanquam ceruus emissus currendo rem omnem breui tempore cō fecerit. Vndè illi in Canticis canticorū sponsa dicit: Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel. Aliter. Nepthalim ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis. Ac si dicat: Qui dignus est hoc nomine censeri, quod interpretatur, latitudo, oportet vt dilatato corde tanquam ceruus emissus, currat viam mandatorum Dei, detq; eloquia pulchritudinis, quemadmodum ceruus ille, qui in emissione sua currens, & stationis impatiēs dicit: Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Nō angustiamini in nobis. Hæc & huiusmodi eloquia charitatis, eloquia sunt pulchritudinis, qualia quisquis dat, iure dicitur Nepthalim, quia profectò cor eius charitas dilatauit, quæ vera nitet pulchritudine eloquij.

Pſal. 44.

Cant. 2.

2. Cor. 6.

De benedictionibus Ioseph.

CAPVT XXXVI.

FIlius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderunt; illi habentes iacula.) Iterum latius vt in Iuda, sic & in isto pater suos pandit affectus, maximè propter Christum, quem per prophetiæ spiritum & de illo nasciturum, & de isto videbat, fuisse præsignatum. Filius, inquit, accrescens Ioseph, subauditur nomine. Ioseph namque accrescens siue adauctus interpretatur, accrescēs subauditur etiam effectu, creuit enim in terra paupertatis suæ, & magnus vehementer est effectus. Et decorus, inquit, aspectu. Quis hoc diffamauit, aut vndè hoc sancto patri intimatum fuit, quod filius suus decorus esset aspectu? Ait: Filiæ discurrerunt super murū. Nisi filiæ vagæ ac petulantes discurrentes super murum, iniecissent oculos in eum, dixissentq;, dormi nobiscum, non adeò memoriæ datum fuisset, eum aspectu fuisse decorum. Nunc autem quia decor aspectus eius causa certaminis, & vinculorum, magnæq; fuit victoriæ occasio, dignè scitur, & prædicatur filius fuisse decorus aspectu. Dicēdo, filiæ discurrerunt, pluralem pro singulari posuit, quod frequens & vsitatum est in scripturis, vt plus enuncietur ob amplificationem rei, qui tropus dicitur synecdoche. Vna namq;, scilicet domina ipsius, filia magis dicenda, quàm materfamilias, iniecisse in eum, legitur oculos suos, filia, inquam, stulta & incustodita, cuius & incontinentia denotatur dicendo, discurrerunt super murum. Qualis apud Salomonem describitur: Garrula ac vaga, quietis impatiens, nec valens in domo cōsistere pedib. suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Intexui funibus lectū meum, straui tapetibus pictis ex Aegypto, asper si cubile meum myrrha & aloe & cynamomo, non est vir in domo mea, abijt via longissima. Hæc & his similia dixit, sed filius accrescens & decorus aspectu non attendit verbis oris eius, nec abstracta est mēs eius in vijs illius, nec deceptus est semitis eius. Talis est filius Ioseph. Sed exasperauerūt eum, & iurgati sunt, inuiderunt; illi, habentes iacula, subauditur, fratris. In quo exasperauerūt, aut in quo iurgati sūt? In eo videlicet, quòd videntes, quia à patre plus cunctis fratrib. amaretur, oderāt eū, nec poterant ei quicquā pacificè loqui. Ergo iurgabantur, & iurgādo exasperabant eum, quia dictante odio nō poterant quicquam pacificè, non poterāt quicquam sine iurgio loqui. Habentes itaq; iacula, scilicet in ore suo. Dentes quippe eorum arma fuerunt, & sagittæ, dicentium: Venite occidamus, venite venundemus eum, inuiderunt & inuidiam suam opere compleuerunt. Sed quid deinde? (Sedet in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum eius, & manuum illius, per manū potētis Dei Iacob. Inde pastor egressus est lapis Israel.) Illi inuiderunt habentes liuoris sagittas, & zeli sui iaculis ipsi vulnerati: verum hic arcum suum, & arma pugnandi in Deo posuit, qui fortis est pugnator: & vincula eius, quibus fratres eius eum ligauerant, ab ipso soluta sunt, & disrupta, vt ex eius semine tribus Effraim nascatur fortis ac stabilis, ac instar lapidis durioris inuicta, imperans quoque decem tribubus Israel. Hoc est quod ait: inde

CAP. XLIX.

Prou. 7.

Gen. 37.

Pſal. 56.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pastor egressus est, scilicet regiæ tribus pater Effraim de Ioseph natus est. Lapis, id est, fortitudo Israel. Aliter: Ipse Ioseph pastor cum dicit, ego pascam vos, & paruulos vestros, qui tempore famis vigilantissima pastoris cura multos pasceret populos. Inde scilicet de vinculis brachiorum & manuum suarum egressus est, per manum potentis Dei Iacob: & ipse lapis, id est, fulcimentu est Israel. Hoc enim ad mysterium magis accedit, quia videlicet pastor bonus, cuius hic in typũ præcessit, de vinculis mortis egressus est, per manũ potẽtis Dei patris, q̃ est Deus Iacob, factusq; est in caput anguli lapis Israel egressus de vinculis suis, quẽ Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Lapis, inquam, Israel, lapis angularis, quem reprobauerunt ædificantes. Sequitur.

Psal.117.

Actor.2.

Cur dixerit: Benedictiones patris tui cõfortatæ sunt, & cur Ioseph Nazareum appellarit.

CAPVT XXXVII.

DEus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi, benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abysi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui, confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazarei inter fratres suos.) Benedictionibus cæli desuper, & benedictionibus abysi, id est, in rore cæli, & in pinguedine terræ, benedictionibus vberum & vuluæ, id est, in Effraim & Manasse populosa multiplicitate. Tanquam quærere tur ab ipso, vndè scierit, vt diceret: Deus omnipotens benedicet tibi benedictionibus his atque illis, continuò subiunxit: Benedictiones patris tui confortatæ benedictionibus patris eius. Ac si dicat: Benedictionibus Isaac patris mei, siue Abraham, benedictiones istæ, quibus nunc ego pater tuus Israel te benedico, vtique ita confortatæ sunt, vt non dubiũ finem vel incertum habeant effectum: Benedictionibus, inquam, Abraham siue Isaac, per quos ad me patrem tuum benedicendi ius ac facultas ex Deo hæreditaria gratia manauit, benedictiones meæ tam diu fortes esse, tam diu consistere iussæ sunt, donec veniat desiderium collium æternorum, id est, Christus, desiderabilis expectatio omnium iustorum. Adeò valent & fortes sunt, vt secundum illas, nõ solùm tuæ posteritatis incrementum, sed & illud venire debeat, & impleri sanctorum omnium desiderium, in quo omnes gentes secũdum benedictiones patris mei Abraham benedicendæ sunt. Confortatæ igitur, & veritatis firmamento subnixæ fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazarei inter fratres suos. Quod dixerat, in capite Ioseph, repetiuit dicendo, & in vertice Nazarei inter fratres suos, scilicet alludens intonsis quondam eius capillis, quos longa carceris custodia nutriuit, quia videlicet Nazareorum est, pro voto seruare crines, & hoc illi pro Nazareo, id est, cõsecrato rectè imputari debet, quia pro sacra castitate hoc passus est. Porrò Nazareus reuera dominus noster Iesus Christus inter fratres suos est, sanctus quippe sanctorum est, cuius in vertice vniuersæ complentur benedictiones patris sui, benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abysi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ, id est, iugiter parientis & lactantis ecclesiæ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. De isto namq;, siue de capite eius propheta dicit in psalmo: Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso.

Num.6.

Philip.2.

Psal.20.

De benedictionibus Beniamin.

CAPVT XXXVII.

BEniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.) Elegantissima trãsfigurationum proprietas. Catulus leonis Iuda. Beniamin autem lupus rapax. Ille rex, iste armiger. Ille expectatio gentium, iste vorator gentiũ. Manifesta quippe de Paulo apostolo prophetia est. Quemadmodum Iuda Christus, quia de tribu Iuda erat nasciturus: sic Beniamin Paulus, quia de tribu Beniamin erat assumendus. Ipse enim dicit: Nam & Israelita sum de semine Abrahæ, de tribu Beniamin. Item: Si quis alius videtur fidere in carne, ego magis, circumcisus octaua die ex genere Israel, de tribu Beniamin. Beniamin lupus rapax. Hoc certè malũ erat. Sed audi quod sequitur: Manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia. Si malum erat lupum rapacem esse, & manè prædam comedere: bonum sit vespere spolia diuidere. Manè lupus rapax prædam comedebat, nã in adolescentia persecutor, & blasphemus, & contumeliosus, quoscunq; inuenire poterat huius viæ viros ac mulieres, vinctos ad principes perducebat: sed vespere, id est, vsque ad finem vitæ suæ diuisit spolia sua, sacra scilicet euãgelicæ prædicationis eloquia, de quib⁹ Psalmista: Lætabor (inquit) ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Hebræi quia Paulum nesciunt, & à veritate lõgè sunt, hoc ita edisserunt: Altare quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte Beniamin fuit. Hoc ergo, inquiunt, significat quòd sacerdotes manè immolent hostias: & ad vesperam diuidant ea, quæ sibi à populo ex lege collata sunt. Lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris expositione ponentes: & spoliorum diuisionem super sacerdotibus, qui seruientes altari, viuant de altari.

Rom.11.

Philip.3.

1.Tim.1.

Actor.9.

Psal.118.

Cur dicatur: Hi omnes in tribubus Israel duodecim, cum duo filij Ioseph additi sint.

CAP.

CAPVT XXXIX.

ETHi oẽs in tribubus Israel duodecim.) Subauditur, patres & principes sunt, id est, de singulis horum singulæ tribus exortæ & denominatæ sunt, & sunt tribus duodecim. At verò istis Effraim & Manasses appositi sunt, dicente patre ad Ioseph. Duo igitur filij tui, qui nati sunt in terra Aegypti, antequam venirem huc ad te, mei erunt, Effraim & Manasses, sicut Ruben & Symeon reputabuntur mihi. Cur ergo non iam quatuordecim, sed tantummodo duodecim computantur tribus Israel? Sed sciendum, quòd vbi Symeon & Leui numerãtur, scilicet in propria generatione carnis, Effraim & Manasses qui adoptiui filij sunt, numerari non possunt. Et econtrariò, vbi Effraim & Manasses inseruntur, videlicet in possessionibus, proprijsq; tribuum singularium funiculis, Symeon & Leui relicti sunt. Isti enim proprios (vt superius iam dictum est) funiculos non consecuti sunt, sed in omnibus sortibus paucas vrbes habuerunt, iuxta patris prophetiam dicẽtis: Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel. Itaque quocunq; respicias, siue ad funiculos distributionis, siue ad proprietatem generantis, duodecim tantummodo sunt tribus Israel. In Apocalypsi Iohannis Dan, qui natus fuit filius Israel, relinquitur: & qui adoptatus fuit Manasses, assumitur. Item Rubẽ qui natus fuit, licet paruus, numero assumitur: & Effraim adoptatus, quamuis multiplex relinquitur, ad insinuandum videlicet, quòd ad consequendam hæreditatem pro qua signamur in frontibus nostris signaculo Dei viui, neq; soli nati, neq; soli adoptati filij Israel, id est, neque soli qui ex Iudæis, neque soli qui ex Græcis, sed communiter tam ex his, quam ex illis assumuntur vel reprobantur, quos vel fides commendauerit, vel infidelitas reprobabiles fecerit.

Gen.48.

Apoc.7.

Cur in Apocal. Dan & Ephraim non cõmemorat.

Cur de sacerdotio Aaron & Leui nil meminerit.

CAPVT XL.

BEnedixitq; singulis benedictionib. proprijs, & præcepit eis dicens: Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, &c.) Hic itẽ quæritur, cum singulis benedixerit benedictionibus proprijs, cur de sacerdotio Aaron in tribu Leui, quod in illa gente sanctissimũ atque celeberrimum fuit, nullam mentionẽ fecerit. Nam & si rectè dixit, Symeõ & Leui fratres vasa iniquitatis bellãtia, in cõsilio illorum ne veniat anima mea, & in cœtu illorũ non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum, &c. Attamen filij Leui postea in vltionem vituli laudabiliter arma corripuerunt, & proinde illis dictum est: Consecrastis manus vestras hodie domino, vnusquisque filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Hoc ergo quæritur, cur illud sacerdotium in benedictionibus suis pater omiserit, nullamque Leuitici prædicauerit laudem ministerij? Ad quod primò dicendum, quia de nouissimis diebus se annũciare professus est, illud autem sacerdotium, siue ille Leuiticus ordo ad istos nouissimos dies, ad istos fines seculorum non pertinet. Deinde & hoc sciendum, quia sacerdotium Aaron nõ pro benedictione datum, sed pro significatione benedictionis fuit cõcessum. Nec illa sacrificia taurorũ, aut vitulorum, seu arietum & hircorum, nõ à Deo iussa fuere, sed permissa, sicut & prophetæ testantur, quod suo loco dicendum erit plenius. Cæterùm verum sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, in tribu Iuda Christo fuit repositum, dicente Dauid: Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech. Et si rectè perspiciens, hic idem pater in benedictionibus Iudæ de isto non tacuit, dicendo: lauabit vino stolam suã, & sanguine vuæ pallium suum. Lauare quippe vino stolam, & sanguine vuæ pallium suum, id est, dare pœnitentiam & remissionem peccatorum per sanguinem suum, veri & vnici sacerdotis officium est. Sane quod dicit: Ego congregor ad populum meum, id est, descendo ad inferos, vbi saluatorem qui mittendus est, & qui erit expectatio gentium, vniuersus expectat, donec veniat populus sanctorum. De cura quam habet sepeliendi corporis sui, iam superius dictum est.

Exod.32.

Hiere.7.

Psal.39.

Psal.49.

Psal.109.

Quòd Ioseph patrem defunctum cum planctu magno sepelierit in terra Chanaan.

CAPVT XLI.

FInitisque mandatis quibus filios instituebat, collegit pedes suos super lectulum & obijt, appositusque est ad populum suum. Quod cernens Ioseph, ruit super faciem patris, flens & deosculans eum, &c.) Hanc omnem curam pro mortuo habitam, quòd patri filius pias impẽdit lachrymas, quòd præcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrẽ, quòd celebratis exequijs, planctu magno atq; vehementi sepeliuit eum in terra Chanaan, in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Aetheo, contra faciem Mambre. Hæc inquam omnia paternæ curæ officia à Ioseph exhibenda diuinum oraculum breui consolationis responso promiserat ipsi Iacob. Ioseph quoq; (inquiens) ponet manum suam super oculos tuos. Quod ille pro magno accipiens, iam lætus (inquit) moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. Porrò quòd fleuit eum Aegyptus septuaginta, & alijs septem diebus, non imitandum exemplum est eis, qui se peregrinos & hospites super terram esse profitentur, qui hic manentem non habent cititatem, sed futuram inquirunt. Nã quòd filij quoq; Israel Moysen & Aaron tricenis diebus fleuisse dicuntur in scripturis, hoc ex Aegyptia consuetudine populo nondum erudito supererat,

CAP. L.

Gen.64.

Heb.13.

Nume.20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deinceps quippe melioribus paulatim assuefactus, ab illa superstitione desciuit, scriptura dicēte: Modicū plora super mortuū, sciens quoniam requieuit. Planctus autem, aut fletus in huiusmodi non semper propriè dicitur: sunt namq; & ludi funerei, qui planctus nomine significantur. Cęterùm veri tantum planctus, & veri fletus viris dignis mediocriter exhiberi conceduntur. Vndè & quidam sapiēs dicit: Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, & nō despicias sepulturam illius, & fac luctum super meritum eius, vno die vel duobus. Nec mirum, Aegyptios ita fleuisse planctu magno, atque vehementi, vt etiam nomine locus exinde signaretur. (Appellatusque est Planctus Aegypti.) Nam & Flaccus dicit, quia qui conducti plorant in funere, dicunt & faciunt plura dolentibus ex animo. Non quidem Ioseph vir sapiens Aegyptios conduxit aut postulauit vt flerent, sed dum aliud intendit, hoc etiam ex abundanti sibimet spontè occurrere permisit. Quid enim intendit, dicendo ad familiam Pharaonis: (Si inueni gratiā in conspectu vestro, loquimini in aurib. Pharaonis, eo quòd pater meus adiurauerit me, dicens: En morior, in sepulchro meo quod fodi in terra Chanaan sepelies me. Ascēdam igitur & sepeliam patrem meū, ac reuertar.) Hoc vtiq; intendit, vt in transferendo patrem, vitaret inuidiam, præcludendo os obloquentium, qui fortè dicerent, quia non diligit terram nostram. Nec frustrata est huius humilitatis prouidentia, non solū enim hanc inuidiam, non solum iram Pharaonis euasit, sed ita omnes in gratiam eius sunt locuti, vt insuper irent cū eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu, haberetq; in comitatu currus & equites, fieretque turba non modica. Igitur sicut prudenter beneuolentiam quæsiuit, sic & exequias Aegyptias sapienter admittere debuit, nihil nocituras sancto proposito peregrinatiōis, in qua illud potius flendum est, quia incolatus suus prolongatur eis, à quibus melior patria, melior ciuitas speratur.

Deut. vl.

Eccle. 22.

Eccles. 38.

Psalm. 119.

De clemētia Ioseph, qua fratrib. suis indulsit, et quòd ipse quoq; de transferendis ossibus suis mandauerit.

CAPVT XLII.

QVo mortuo, timētes fratres eius, & mutuò colloquentes, ne fortè memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis malum omne quod fecimus, mandauerunt ei: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt tibi hæc verbis illius diceremus: obsecro vt obliuiscaris sceleris fratru tuorum &c.) Ingenitæ clementiæ laus est, quòd auditis verbis fratrum suorum dicentium: (Nos quoque oramus vt seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc, fleuit Ioseph.) Sanctissimum & optimum donationis vel remissionis genus hoc est, vbi illis qui peccauerunt non flentibus, sed tantummodo confitentibus, solus ille flet qui peccatis offensus indulget, & adorantibus pro indulgētia pias quoque reddit lachrymas cum venia. Attamē vbi mulcet pietas, illic pariter pungit veritas, ne sic de remissione eius qui læsus est fratres gaudeāt, quatenus à solicitudine iudicij Dei mentis oculos claudant. (Nolite inquit metuere. Num Dei possumus resistere voluntati?) Hoc planè pietatis est. Vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Hoc asperæ veritatis est. Vtile omnibus qui præsunt hinc exemplum sumendum est, vt citò quidem in se peccantibus dimittant, & insuper bona pro malis retribuant, sed de Dei iudicio peccatores nimium securos esse non sinant. (Vixitque centum decem annos, & vidit Ephraim filios vsq; ad tertiā generationem.) Ad fortitudinem paternarum benedictionum, inter quas & benedictiones edixit vberum & vuluæ, & de quibus ait: benedictiones patris tui confortatæ sunt, hoc referri debet, quòd vidit Ephraim progeniem vsq; ad tertiam, & quòd filij quoq; Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph, id est, quòd natos filios Machir nutritio affectu gestauit in genibus suis proauus Ioseph. Sic & illud matris eius Rachelis dictum accipiēdum est. Ingredere ad famulam meam, vt pariat super genua mea, id est, vt quod pepererit illa ego adoptatum gestem, sicut mater super genua mea. Et hic quoque de transferendis ossibus suis mandauit. (Post mortem meā (inquiens) Deus visitabit vos, & ascendere faciet de terra ista, asportate vobiscum ossa mea de loco isto.) Quod fecit et Moyses, sicut scriptū est in Exodo. Non tamen eodem sepulchro cum patribus suis Abraham, Isaac, & Iacob conditus est in Hebron, sed in Sychem, quam (vt supra dictum est) dedit Iacob absq; sorte tribui Ioseph, & ibi mausoleum eius vsq; hodie cernitur.

Genes. 30

Exod. 13.

COMMENTARIORVM IN GENESIM FINIS.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN EXODVM COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Continuatio præcedentis libri Geneseos, & sequentis Exodi, & quòd Pharao diabolum, agnus verò paschalis, Christum præfigurārit.

CAPVT I.

QVa causa, vel quo ordine intrauerit Israel in Aegyptum, & Iacob accola factus sit in terra Cham, præcedentis libri Geneseos extrema parte narratum est, scilicet, quia vocauit dominus famem super terram, & omne firmamentum panis cōtriuit, sed præmisit ante eos virum, non pro meritis ipsorum, nam in seruū venundatus est Ioseph, & humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrumque pertransijt animam eius, patienter sustinentis, spemq; suam in Deo ponētis, donec veniret verbum eius. Tandem venit & eloquiū Domini inflammauit eum, tanquam lucernā celso cādelabro dignam, lumenq; eius clarescere cœpit ab interpretatione somniorū. Proin de misit rex & soluit eum, misit princeps populorum & de carcere dimisit eum, de compedibus expediuit eum, dicensq;: Num inuenire potuimus virum qui spiritu Dei plenus sit, constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, deinde iuxta Coniectoris veritatem vocauit dominus (vt iam dictum est) famē super terram, & ob hoc intrauit Israel in Aegyptum, & habitauit in terra Gessen, & possedit eam, auctusque est & multiplicatus nimis. Hæc (inquam) præcedētis libri extrema parte narrata sunt. Incipes sequentis huius libri Exodi primæ partes illud continent, quia conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius, & quia misit Moysen seruum suum Aaron quem elegit ipsum, posuitque in eis verba signorum suorum. In his & in cęteris vti positum est atq; incœptum, literam cursim vellicabimus, & quæ intrinsecus condita sunt, mysteria Christi filij Dei, diligenter pro posse ipso adiuuante proferre integra fide conabimur. Primò omnium ferè nemo est qui nesciat, Pharaonem illum regē nouum (qui ignorabat Ioseph) diaboli gessisse typum: paschalem agnum, qui immolari iussus est, Christum Dei filium, Aegyptum hunc mundum, trāsitum filiorum Israel per mare rubrum, Christi præsignare baptismū. Igitur vt ad hęc recto proficiscamur ordine, altiùs recurrentes, quæramus & illud, quid significet introitus filiorum Israel in Aegyptum, vt sicut exitum, sic & introitum in figuram contigisse sciamus omnium peregrinorum cælestem patriam incolatu præsenti expectantium.

Psal. 104.

Quòd ille Israel vniuersos electos, & illa Aegyptus hunc significauit mundum, in quo omnes electi peregrinantur. CAPVT II.

VNiuerso Israeli, beatæ genti, & populo quem elegit dominus in hæreditatem sibi, primùm iustitiæ ac salutis instrumētum est, scire & confiteri quòd suam ob culpam, in hoc exiliū proiectus sit, procul à facie Dei, longè à terra viuentium, in qua debuit videre bona Domini: per solam autem gratiam fieri, quòd quandoq; eripitur de præsenti sęculo nequā, & transfertur in regnū filij dilectionis Dei. Verū huius confessionis scientiā Israel idē non apprehendisset, nisi similitudinis extrinsecus accidentis introductione ad intellectum iustitiæ profecisset. Vt ergo similitudo idonea paruulis introducendis nō deesset: factum est vt ille particularis siue carnalis Israel intraret in Aegyptum, tali causa vel ordine, vt suæ culpæ fuerit, quatenus intraret: Dei autem gratiæ, quatenus inde liberatus exiret. Ecce enim quærenti cur factū sit, vt intraret ille in Aegyptum, si respondeas, quia Deus ita fieri voluit, verum quidem est quod dicis, sed minus quam veritas habet, responsum tuum comprehendit. Restat enim adhuc quæri, cur ita voluerit Deus. Deus nēpè iustus est, & nihil est quod sine ratione velit, aut iubeat fieri. Prosequente ergo rationis inquisitione, responderi oportet, idcirco Deum hoc voluisse, quia domus Israel peccauit: fratrem enim suum in seruum vendidit. Ob hoc iustè Deus illud voluit, propter hoc famem vocauit, & illi tanquam duro exactori reos suos iustè tradidit, vt abigeret in Aegyptum, in illud ergastulū, quo præmiserāt fratrem suum. Sanè pater Israel liber à culpa fuit, idcirco præeunte ac subsequente consolatione intrauit. Audiuit enim Deum patris sui Isaac, per visionem nocte vocantem se, & dicentem sibi, Ego sum fortissimus Deus patris tui. Noli timere, & descēde in Aegyptū, quia in gētem magnam faciam te ibi. Ioseph quoq; ponet manum suam super oculos tuos. Ita ille quia sine culpa, idcirco cum gratia intrauit: domus autem eius, quia culpam admisit, sub virga districtionis coercenda iustè ad ergastulū nesciēs ambulauit. Itaq; Dei iustitię fuit, q; populus ille seruiturus in Aegyptum

CAP. I. *Cur Israel intrauit in Aegyptū.*

Gen. 47.

Gen. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptum intrauit: gratiæ verò (vt prædictũ est) quòd illum Deus eduxit. Acta igitur in parte res est, quæ vniuersitatis parabola existeret. i. cuius ex similitudine plenius erudita vniuersa generatio quærétium Deum, quærentium faciem Dei Iacob, in initio iustificationis suæ semetipsam accusaret, claroq; concentu hinc suæ culpæ, inde diuinæ confessionem iustitiæ decantaret. Tunc etenim Israel terram fluentem lac in promissione accepit, quando tulit Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, proposita conditione hac, vt operaretur, subauditur, obediendo præcepto Dei, & ita custodiret eum sibi. Tunc autem inter comedendum idem Israel fratrem suum vendidit in Aegyptũ, quando ille in quo omnes peccauerunt per gustũ cibi vetiti, semetipsum venundedit diabolo. De qua venditione per prophetam Deus inclamans: Gratis (inquit) venundati estis, & gratuitam continuò liberationẽ promittens subiungit: & sine argento redimemini. Vocauit igitur dominus famem super terram, vt Israel intraret in Aegyptum, quando dixit Adæ: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis dieb. vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi: & præscripta sententia hac, emisit eum in huius mundi exilium. Hæc enim habitatio rectè dicitur Aegyptus, quòd vocabulum in tenebras vertitur, quia tenebræ hic sunt vbi Deus non videtur. Ibi Pharao nouus Aegypti rex, hic diabolus nouus regij nominis adulter, imò vetus tyrannus, tenebrarum princeps. Ibi Aegyptij odientes Israel: hic principes & potestates mundi, rectores tenebrarum harũ, spiritualia nequitiæ in cælestibus, contra quos iuxta Apostolũ nobis colluctatio est. His ita præmissis, deinceps sequentia liberatricis gratiæ mysteria secundum scripturæ huius ordinem sunt pertractanda.

Gen.2.

Esa.52.

Gen.3.

Ephe.6.

De nominibus filiorum Israel, quòd rectè initio eiusdem libri præscripti sint.

CAPVT III.

CAP. I. HAec sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob, singuli cum domib. suis, & vxoribus introierunt. Ruben, Symeõ, Leui, Iuda, Isachar, Zabulõ, & Beniamin, Dan, & Nepthalim, Gad, & Aser. Erant igitur omnes animæ eorũ qui egressi sunt de fœmore Iacob, lxxv. Ioseph autem in Aegypto erat.) Hoc libri principium, etsi ad solam literam spectes, periti historiographi laudem egregiã possidet, qui quod in præcedenti libro latius dixerat, hoc ipsum breuiter hic repetere idoneum ratus est. Poterat enim ab eo, quod cõtinuò sequitur, oriri sic: (Ioseph mortuo, & vniuersis fratribus eius, omniq; cognatione sua, filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleuerũt terrã.) Essetq; huiusmodi principium fini præcedẽtis libri satis cohærens atq; cõtiguum. Sed voluit libri huius corpus exhibere integrũ, idcirco caput præmisit eximium, nominib. scilicet filiorum Israel, qui introierũt in Aegyptum, veluti quibusdam stellis illustratum. Hæc planè capitis illustratio tam pro historiæ quam pro allegoriæ digna expectatione valet, quia videlicet quorum siue secundum literam, siue secundum spiritum in hoc libro continetur exitus de Aegypto, rectè eorundem introitus præsentatur in principio. Dignè igitur in foribus collaudato fabricæ architecto, iam gradiamur intus, & hanc domũ perspiciamus scripturæ latissimæ, quam extruxit refertam thesauris cælestibus.

Exod.1.

Quòd Pharao in eo etiam similis fuerit diabolo, quòd peruersa solicitudine dixit: Ecce populus, &c.

CAPVT IIII.

SVrrexit interea rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israel multiplicatus, & fortior nobis est: Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisq; nobis egrediatur è terra.) Hic nempè si prudẽter legas, necessariò subintelligis, filios Israel solitos fuisse suspirare ad terram, quæ patribus eorum repromissa fuerat. Hoc auditũ à patrib. venientibus filijs, spem verbosam auscultantibus, Aegyptijs iracundam excitabat inuidiam. Benè ergo rem aperit dum præmisso, ne si ingruerit contra nos bellum, non addidit expugnatis nobis obtineat terram, sed egrediatur è terra. Porrò nouus spiritualiter Aegypti rex, qui sic solicitus est, & sic loquitur, diabolus est, rex Aegypti, id est, tenebrarum princeps, rex inquam Aegyptiorum, id est, omnium superborum, domino ad beatũ Iob dicente: Quia ipse est rex super omnes filios superbiæ. Ecce (inquit) populus multiplicatus & fortior nobis est, &c. Hoc iratus dixit, quia vidit & doluit, per fraudem suam non perire benedictionem potuisse creatoris, qua in electorum prædestinatione primis parentibus nostris benedicens, inquit: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam. Nam de reproborum luxuriãte propagine, postmodum dixit ad mulierẽ seductam: Multiplicabo ærumnas tuas, & cõceptus tuos. Verum quantacunq; inuidia locutus sis ô diabole, hoc verũ dixeris, & hoc sine mẽdacio locuti sunt oẽs Aegyptij satellites tui, quia multiplicati & fortior vobis populus sum⁹, & si ingruerit, imò dudũ ingruit contra vos bellũ, principe belli Christo filio Dei, suæ crucis attollẽte vexillũ, addimur inimicis vestris, scilicet sanctis ac beatis angelis, quibus fortioribus caduca terga vertistis fugiendo, expugnatisq; vobis egredimur è terra, quia cælum non expectat.

Iob.41.

Gen.1.

Gen.3.

De eodem, & quòd inter oppressiones Pharaonis filij Israel creuerunt, similiterq; inter diaboli infestatiões electi Dei proficiunt.

CAPVT V.

VEnite (inquit) sapienter opprimamus eum. Hoc dixit, (Præposuitq; eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus,) Subauditur, vt non sineret eos coniugales complexus inire, filiosq; procreare, labore vel iniuria, voluptatis obliuionem afferente. (Aedificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni Phyton, & Rameses.) Hoc agebat naturæ hostis demens & inefficax, qui quasi sole æstiuo radices arborũ ne in flores aut poma prorumperent exurere certabat. Aestu nanque laboris operosi naturæ radix nõ aresçit, sed potius post laborem cibi, potusq; ac somni auidior fit, quib. rebus voluptas nõ emori solet, sed refota glisçere, & prorumpere gestit: frustra igitur sic inuidia pugnabat, præsertim vbi cæli ros & terræ pinguedo. i. dei & patrum benedictio, sterilem esse Israelem non sinebat. Sequitur ergo: (Quantoq; opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.) Et continuò: (Oderantq; filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes, &c.) Notandum valdè est, quid de hoc Psalmista senserit. Nam cùm dixisset, & auxit populum suũ vehementer, & firmauit eum super inimicos eius, ita subiunxit:

Esa.14.

Quando ablatũ est diabolo imperium.

Psal. 104. Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. Quid enim? Nunquid hoc dicendo odientes Aegyptios iustificat, aut odium eorum excusat? Non vtiq;. Sed nimium peccatores fuisse indicat, quos tales deus inueniret, vt ex conspectis beneficijs suis cor eorum in odium seruorum suorum conuerteret. Non enim sic intelligendum est, quòd cor eorum de bono cõuerterit in malũ, q; de corde bono corfecerit malũ, sed sic: Cõuertit cor eorum in odium, quemadmodũ sol molle lutum conuertit in durum. Sed de hoc alias vbi deus loquitur: Ego indurabo cor Pharaonis & seruorum suorũ eius. Hic illud dixisse sufficiat, quòd lutosam illorũ gratiam, in qua dudum Israel exceperat propter Ioseph, feliciũ aduenarum ita splẽdor vsit, vt in odij duritiã cõuerteret, & vnam & meritã illis pœnã, deus retribueret, vt quia non solũ non cõpatiendo, verumetiã illudendo affligebant eos, idcirco quẽadmodum illa luti & lateris opera prius mollia, deinde coquente igni, fiebant dura, sic eorũ corda paulatim æterna indurarentur impœnitentia. Nunc ad illũ Pharaonem & illos Aegyptios sermo redeat, de quib. nos Christi gratia liberauit. Venite (inquit) sapienter opprimamus eũ, &c. Huius sapientis & sapienter opprimentis quam grauia sint onera, quib. humanũ genus afflixit, iamdudũ persentiscere cœpimus, ex quo vocẽ audiuimus in euangelio suo sic dicentis liberatoris: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos: Tollite iugũ meũ, &c. vsq; ad onus meũ leue. Nã antequã hoc dixisset, nos laborẽ nostrũ nesciebamus, imò peccati onerib. delectabamur, sub quib. & animæ sensum vitæ expirauerãt, & corpora nostra instãte mortalitate languebãt. Tot aũt iuga sunt seruitutis illius, quot vitia, tot onerã quot peccata, quæ persequi nimis longũ & difficile, imò impossibile est. Hoc tantum dixerim, quia ex quo intrauit Israel in Aegyptum vsq; ad vespertinã immolationẽ agni. i. ex quo Adam de paradyso cecidit, vsque ad passionẽ Christi filij dei, non cessauit ille exactor, nõ quieuit tributũ, nõ solutũ est iugum dominantiũ. Nã extunc facta est pax, reddita libertas, nec enim, vt ante, ita nunc agit quicq; pro imperio, veruntamẽ vt latro insidiosus post nos incedit, & inuidus insectatur liberatos, vacuas esse gemens vrbes, quas ædificauimus illi Phyton, q; interpretatur os abysi, vnde nos Christus eduxit, & Rameses, quòd interpretatur de tinea, à qua medicus ille capita nostra purgauit.

Conuertit cor eorum Aegyptiorum in odium.

Exod.47.

Quòd rectissimè Pharao similis diabolo prædicetur, in eo quoque q; ait: Si masculus fuerit interficite, &c.

CAPVT VI.

DIxit aũt rex Aegypti obstetricib. Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis. Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite illũ: si fœmina reseruate. Timuerunt aũt obstetrices deũ, & non fecerunt iuxta præceptũ regis Aegypti, sed conseruabant mares, &c.) Et si meritò quorumlibet visibiliũ inimicorum Israel nominib. sancta scriptura vtitur, quoties contra spiritualia nequitiæ inuehitur, v.g. cũ dicit Psalmista: Quoniã cogitauerunt vnanimiter simul aduersus te testamentũ dispossuerunt tabernacula, &c. vsq; in adiutoriũ filijs Loth: multò magis Aegyptiã iustissimè isto modo infamat nequitia, diabolicã scilicet in Pharaone regẽ Aegypti, & in seruos eius transfigurãdo superbiã. Exẽpli causa: Hæc dicit Dns in Ezechiele: Eccè ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne: qui cubas in medio fluminũ tuorũ, & dicis: meus est fluuius, & ego feci memetipsũ, & ponã frenũ in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluminũ tuorũ squamis tuis, & extrahã te de medio fluminũ tuorum, & vniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt, & proijciã te in desertũ & omnes pisces fluminis tui, &c. Eccè enim Pharao vel Aegyptus primo loco contra Israelẽ, diabolũ imitatur in tribus, imò in quatuor scelerib. suis, secũdum scelera super quibus iuxta Amos prophetã, Damascũ, Gazã, Azotum, Tyrũ, cæterosq; finitimos hostes Israel nõ conuertere se profitetur deus. Primũ scelus Pharaonis est, q; hoc intendit opprimendo filios Israel, quatenus voluptate generandi emortua, filij nõ procrearentur. Secundum, quòd obstetricũ dolo agere nititur, vt nati paruuli clã interimantur. Tertiũ, cùm aperta sæuiens persecutione præcepit omni populo suo, dicens: Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite,

Matth. 11.

Ezech.29

Amos 1.

Psal.82.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quicquid fœminei, reſeruate. Quartũ, quòd
Exod. 5. mandante ſibi domino ac dicẽte: Filius meus primogenitus Iſrael, dimitte filium meum vt ſeruiat mihi, at ille ſuperbè reſpõdit: Quis eſt dñs, vt audiã vocẽ eius, & dimittã Iſrael? Neſcio dominũ, & Iſrael nõ dimittã: Et his ſimilia. Meritò ergo in ſcripturis, meritò in ore totius eccleſiæ pro diabolo Pharao decãtatur, & per Pharaonẽ diabolus intelligitur, ad gloriã Chriſti, cuius victoria de tali Pharaoni liberati ſumus. Etenim ille eſt, qui hoc egit ab initio quantũ in ſe fuit, vt nullus Iſraelita verus, verbo prædicationis, ſpirituales deo filios gigneret, deinde vt naſcentes eiuſmodi paruulos, obſtetricante hæretica malignitate occideret, tandemq; caſſatis artib. aperta perſecutione armatus eſt, vt in illa flu
Pſal. 92. mina filios gratiæ proijceret, de quibus Pſalmiſta: Eleuauerunt, inquit, flumina dñe, eleuauerunt flumina vocẽ ſuam, &c. magnas
Eccl. 42. & apertas perſequentium inimicorum ſignificans tempeſtates. Et notandum, q̃ hic quoque ſpiritualis Pharao maſculinũ magis quã fœmineum ſexum odit, ea videlicet diſcretione, quã obſeruans vir ſapiens, dicit: Melior eſt iniquitas viri, quã benè faciens mulier: Vir nanq; pro virtute eſt, is qui præeſt vel regere poteſt: Mulier verò, quæcunque anima pro imperfectionis ſuæ mollicie, quia deceptibilis eſt, rectore indiget, & ſine diſciplina ſi fuerit, fit opprobrium in Iſrael. Porrò eiuſmodi viro accidens iniquitas, augendæ virtutis occaſio ſit, ſicut Dauid. Mulieris
2. Reg. 15. autem eiuſmodi benefactũ ſi claruerit corã hominib. citò illud leuis vẽtus humanæ gloriolæ tollit: & ſi monitor deſit vir, hoc ipſum qualecũq; ſit, ceſſat fieri, vertiturq; in apoſtaſin. Sapiens ergo hic Pharao talem virum odit, et iubet interimi, certus quod talẽ fœminam viro deſtitutam, conſentientem ſibi adulterare poſſit.

De mendacio obſtetricum, & qualiter benefecerit eis Deus, quia timuerunt Deum.

CAPVT VII.

TImuerunt, inquit, obſtetrices Deum, & nõ fecerunt iuxta præceptũ regis Aegypti, ſed cõſeruabãt mares, &c. Hinc importũnè nimis de mendacio diſputatur, q̃ nõ iuſtificari poſſint obſtetrices mentiendo, dicentes: Non ſunt Hebręæ mulieres ſicut Aegyptiæ: Ipſę enim obſtetricãdi habent ſcientiã, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt.) In tẽpore nanq; parientib. aderant, de quib. dictum eſt, quia cõſeruabãt mares. Quod quiſquis pro culpa obijcit, reſtat vt Raab meretricẽ mendacij redarguat, quæ tollens duos exploratores, quos Ioſue miſerat, abſcõdit, & quærentib. ait: Fateor, venerũt ad me, ſed ego neſciebã vnde eſſent. Cũq; porta claderetur in tenebris, & illipariter exierũt, neſcio quo abierunt. Perſequimini citò, & compræhendetis eos. Ergo qui obſtetrices pro tot infantibus ſeruandis mentientes accuſant, cõſequitur vt multò magis pro duobus hominib. liberandis mentientẽ nõ iuſtificẽt Raab, quã & prophetica ſimul & euangelica iuſtificat auctoritas. In euãgelio nanq; Chriſti, ma
Matth. 1. ter aſſumitur & parens veritatis, quæ Chriſtus ipſe eſt, quia ſic mentita & Raab, Salmõ
Pſal. 86. quippe genuit Booz de Raab. Et propheta de eadem in typum eccleſiæ de gentib. præcinit: Memor erat Raab & Babylonis: Apoſtolus aũt vſq; adeò nullã omninò veritatẽ charitati præponit, vt optet ipſe anathema eſſe à Chriſto, qui ſubauditur veritatis, p̃ cha-
Rom. 9. ritate i. pro fratrib. ſuis, qui ſunt cognati eius ſecundũ carnem, qui ſunt Iſraelitæ. Prædixerat enim quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principat⁹, neq; poteſtates, neq; virtutes, neq; inſtãtia, neq; futura, neq; altitudo, neque fortitudo, neq; profundũ neq; creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate dei. Nullas igitur quaſi mendacij tenebras, aſſcriba-
m⁹ lucido charitatis operi, vbi ſic homicidã impium fefellerunt, vt vitã reſeruarent hominum, præſertim cũ deus hoc ipſum laude & remuneratione dignum duxerit, ſcriptura cõtinuò dicẽte. (Benè igitur fecit deus obſtetricib. & quia timuerunt obſtetrices deũ, ædificauit illis domos.) Subauditur æternas. Aeternũ quippe eſt, quod deus ædificat.

De ortu atque elegantia Moyſi.

CAPVT VIII.

EGreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui, CAP. II.
accepta vxore ſtirpis ſuæ, quæ concepit, & peperit filium. Et videns eum elegantem, abſcõdit tribus menſibus. Cumq; iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, poſuitq; intus infantulum, & cætera.) Principio dicendum, quia non factum eſt de omnibus impium regis imperiũ dicentis: quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite: quicquid fœminei, reſeruate. Alioquin quomodo aljus ante hunc elegantem infantulum, ſcilicet Aaron euaſit, triennio natus
Exod. 6. ante eum. Nempe cùm dictum ſit, quia poſt hæc, ſubauditur impij regis edicta, vir ille de domo Leui egreſſus eſt, & accepit vxorẽ, ſine dubio & Aaron poſt hæc eadẽ natus fuit, ſiquidem vna eademq; vxor illi, ſicut alio loco ſcriptura teſtatur, peperit Aaron, Moyſen, & Mariam. Quòd autem triennio ſenior Moyſen Aaró fuerit, manifeſtius poſtmodũ ſcriptum eſt hoc modo: Erat autem Moyſes
Exod. 7. LXXX. annorũ, & Aaron LXXXIII. quãdo locuti ſunt ad Pharaonem. Sed & paruulos, & XX. annorum iuuenculos, in exitu ſuo filij Iſrael habuerũt. Claret igitur quod nõ impletum eſt vniuerſum nequam regis præceptũ, alioqui nõ fuiſſet in exitu Iſrael, de Aegypto vir inter eos infra ætatem LXXX. annorũ, neq; ante Moyſen quidẽ, ſed neq; poſt illud regis præceptũ euaſiſſet Aaró: Proinde litera præſẽs diligẽtius intuẽda eſt. Sic enim videtur ſignificare, quòd cũ omnes infantuli proijce-

rentur, mater huius propter elegantiam ſtudioſior facta, tribus eũ abſconderit menſib. vt ſaltẽ hic ſeruaretur alijs pereuntibus. Verũ huic ſenſui, quæ prædicta eſt euidentiſsima ratio refragatur. Potius ergo illud cõſtat, ne propter elegantiã eius quæ iam ardere cœperat, magis inflammaretur inuidia, etenim breuiter quidẽ, & parcè de ſemet ipſo loquẽs Moyſes dixit, infanté ſe eſſe elegantem, ſed reuera tanta fuit elegantia, quãta diuinum illum ſplendorem præſignari de
Exod. 34. cuit, quo poſtea facies eius ex collocutione dei ſplendida facta eſt. Neq; enim elegantia ſtudioſa nato mox infantulo ineſſe potuit. Notandum deinde, q̃ vbi obſtetrices Deum timentes in ſancta ſcriptura nominatas eſſe iure voluit, pro eo quòd charitatẽ vtilẽ præpoſuêre vero inutili: dixit enim mox, quarum vna vocabatur Sephora, quod interpretatur pulchritudo ſiue placẽs: altera Phua. i. perfectio, illic patrẽ & matrem nominib. ſuis non expreſsit, ita dixiſſe cõtentus. Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui accepta vxore ſtirpis ſuæ. Veruntamen alibi, nõ quidem amota hac humilitate, ſed obſeruata lege hiſtoriæ, & nomẽ patris Amrã, quod interpretatur populus excelſus, & matris ſuæ nomẽ
Exod. 6. ponit Iochabeth, quod interpretatur vbi eſt
Aaron. gloria mea, ſiue eſt grauis. Quæ peperit ei, in
Moyſes. quit, Aaron, Moyſen, & Mariam, quorum Aaron mons fortitudinis, ſiue mõs fortis, q̃ nomen vtiq; dignitati ſacerdotij congruit. Moyſes ſumptus ex aqua, ſiue aſſumptio,
Maria. quod à cauſa legis quæ per eũ data eſt nõ diſcrepat, de diuinæ nanq; ſapiẽtiæ abundãtia ſumpta eſt: Maria verò illuminatrix, vel ſtella maris. Ppheta nanq;, quæ per illã ſignificata eſt, & nos illuminat, & noſtro mari. i. huic ſeculo ſtella eſt, vbi attẽdimus illi tanquã lucernæ lucẽti in caliginoſo loco, donec lucesçat dies, & lucifer oriatur in cordib. noſtris.

Quid præſagierit, q̃ infantulus in fiſcella poſitus, & à filia Pharaonis inuẽtus matri ſuæ nutriendus traditus ſit.

CAPVT IX.

SVmpſit, inquit, fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eum bitumine ac pice, poſuitq; intus infantulum, ſubauditur in papyrione. Sic enim deinde de filia Pharaõis ſubditur. (Quę cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione, & cæt.) Quantum ad literam fugitiua matris pietas, & dolenda inſinuatur ſedulitas, veruntamẽ non ſine fide & ſpe, qua tutòri Deo pupillũ ſuum committebat, in quo gratiæ eius elegãtia præfulgebat, magnum quidem cæli ciuẽ, ſed in terra nimiè peregrinantem: Scirpus nanque genus aquoſæ geneſtæ eſt, ſine no-
Luca. lib. 4. Pharſ. do: papyrus leuis canna, de qua Lucanus ſic inquit, cùm tenet omnia Nilus. Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro. Bitumen autem contra ſentinam aquæ tenaciſsimum præſidium eſt. Hoc ergo ſategit, quantum potuit, quantumuis infans ſcirpeo cophino ſuauiter cubaret, & leui papyro cõſerta cymba, ſine pondere ſupernataret, & bituminata ſentinam omnem aquæ excluderet. Porrò myſticè totum adminiſtrandæ per illum ſcripturæ præſagium eſt. Elegans quippe infantulus vili ſcirpo collocatur, quia futurũ erat eo ſcribente, vt elegantia ſpiritus, vilitate literæ tegeretur. Ipſe papyrio ſcriptoris eiuſdem futuri calamum præſignat, ituri cũ impetu fluminis, qui lætificat ciuitatẽ dei, contra illa vaſa papyri. i. vaſa ſcriptorũ ſal-
Pſal. 45. ſitatis, de quibus per prophetã dicit: Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Aethiopiæ, quæ mittit in mare legatos ſuos
Eſa. 18. in vaſis papyri ſuper aquas Nec enim terra illa, ſcilicet diabolus ſiue Antichriſtus, in terreno corpore futurus (qui propter ſuperbiã dicitur cymbalum alarum i. accentus blaſphemiarum) aliud mittit quàm mendacium per legatos ſuos paganos, ſuos hæreticos in mare huius ſeculi, in ſuis vaſis papyri. i. ſcriptoribus ſuæ partis, vnde aduerſus Deũ conſiſtit, quo contra per hunc elegantem infantulum miſſurus erat deus elegantiam veritatis. (Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi Hebræã mulierem, quæ nutrire poſſit infantulum? Reſpondit ei, vade. Perrexit puella, & vocauit matrem eius, &c.) & hoc futuri præſagium, quod filia Pharaonis infantulum ſic inuenit, & tali nutrice altum, ſibi in filiũ adoptauit. Futurum erat quidem, vt ſcholæ gẽtilium ſanctarũ cõplaceret elegantia ſcriptu
CAP. III. rarũ. Verbi gratia Ptolomeo Philadelpho, q̃ cũ omnium ſcripturarũ vtilium ſtudio flagraret, leges quoq; dei per iſtũ conſcriptas, ſibi in græcũ transferri ſumma inſtantia depoſcens, accepit ab Eleazaro Iudæorum pontifice ſeptuaginta ſeniores, quib. ea interpretãtibus, relegens, oppidò lætatus eſt. Nã quod hic egit, ſimile quodammodo fuit, quòd ſoror pueri. ſ. Maria, quæ procul ſtetit, præſto lans euentum rei matrẽ eius vocauit, quæ & (Nutriuit infantem, & adultum tradidit filiæ Pharaonis.) Mater quippe ſanctæ ſcriptu
CAP. II. ræ huius lingua Hebræa eſt, quam ad interpretandum vel transferendum in græcum euocare, illa vera philoſophia perſuaſit, vt prædictum eſt. Porrò elegans infantulus elegãti proſpiciens è cælo miſerationis occurſu exceptus eſt, vt matri ſuæ cui natus fuerat non periret, ad aliam matrem præpotentem adoptandus inueniret, cuius auctoritate omni quoq; ſcientia Aegyptiorum, vt in actibus Apoſtolorum legimus, eruditus eſt.

Quòd Moyſes Aegyptium quendam de fratrib. ſuis percutientem redarguit, & liberatorem ſuæ gentis ſe fore præſcierit.

CAPVT X.

IN diebus illis poſtquã creuerat Moyſes, egreſſus ad fratres ſuos, vidit afflictionẽ
CAP. VII. eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis.) Et reli
Actor. 7. qua. Poſtquam creuerat, id eſt, per annos quadraginta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actor. 7. quadraginta. Sic enim Stephanus protomartyr in concione Iudæorum oratione faciens loquitur. Cùm autem impleretur ei XL. annorum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israel, & cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Et qua fretus auctoritate id fecerit, continuò subsecutus, ait: Aestimabat autè intelligere fratres suos quo modo Deus per manus ipsius, daret salutem illis. Cùm enim hæc dicit, profectò illud significat, quòd Moyses gentis suæ liberatorem fore se præsciret. At illi, inquit, non intellexerunt. i. intelligere noluerunt. Nam & continuò subsequitur. Sequenti verò die apparuit illis litigantib. & reconciliabat eos in pace dicens: Viri fratres estis, vt quid nocetis alterutrum? Qui autem iniuriam faciebat, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? Hanc vnius negationem omnibus asscribit postmodum, dicens: Hic est Moyses, quem negauerunt dicentes: Quis te constituit principem & iudicem. Et rectè: Nam cunctis profitentibus vni negare nō licuisset, præsertim pro omnibus, quia

Deut. 18. non dixit super me, sed super nos. Amplius autem iniustam negationem exaggerans, inculcat, & replicat illū, principem designans & iudicem. Hunc, inquit, Deus principem & redemptorem misit, hic eduxit illos, hic est Moyses, qui dixit filijs Israel, prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine, cū angelo qui loquebatur ei, &c. Hæc & huiusmodi cur coram attulerit, nouissima exclamatiõe depromit. Dura ceruice & incircuncisis cordibus & auribus vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Nempe subauditur Moysen negauerunt, Samuelem abiecerunt, Dauid de regno exturbauerunt, alios lapidauerunt, alios secuerunt, alios in occisione gladij interfecerunt. Tandē ita concludit, & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti, cuius nunc vos proditores & homicidæ fuistis. Igitur Moyses in exemplum huius negatus est à dicētibus.

Ioan. 19. (Quis te constituit principē & iudicē super nos?) Videlicet quēadmodū negandus erat iustus à dicentib. nō habemus regē nisi Cæsarem, quēadmodū hic negatus à suis, abijt acquirere sibi ecclesiā de gentib. sic Moyses negatus fugit suos, & vxorem accepit alienigenā de filiabus sacerdotis Madian. Porrò talis egressus Moysi ad fratres suos, vt videret af

Hebr. 11. flictionē eorū, illa negatio, quā Apost. in catalogo patrū fide nobiliū cōmemorat, rectè esse dicitur, qui sic ait: Fide Moyses grādis factus, negauit se esse filiū filiæ Pharaonis, magis eligēs affligi cū populo dei q̄ temporalis habere peccati iucūditatē, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorū improperiū Christi. Aspiciebat enim in remunerationē. Fide dereliquit Aegyptū, nō veritus animositatē regis. Vndē hoc q̄ non veritus sit animositatē regis? Videlicet quia fugiēs animos regis, non tamen armaturā depositi zeli, eadem quippe iustitia vel pietate septē filias sacerdotis Madian à pastorib. defendit, & oues earū adaquauit, qua & virū percusserat Aegyptium, eò quòd percussisset quendam de Hebræis fratribus suis, & qua nihilominus altera die Hebræos rixantes cōspiciens, eum qui faciebat iniuriā corripuit, vnde inuisibilem quem tanquā videns sustinuit, hoc modo vel ordine videre meruit.

De clamore filiorum Israel ad dominum, & quòd nō viuente, sed Pharaone mortuo, vociferati sunt.

CAPVT XI.

POst multū verò temporis, mortuus est rex ægypti, & ingemiscētes filij Israel, p̄pter opera vociferati sunt ad Dñm. Ascenditq; clamor eorū pro operib. & audiuit gemitum eorum, &c.) Quare dū viueret Pharao nō ingemuerunt, non vociferati sunt filij Israel ad Dñm? Videlicet, quia nimietas oppressionis ingemiscere nō sinebat, vociferari prohibebat. Hoc nanq; habet violenta tyrannorū vis, vt eis, quos opprimunt, liberationē optare pro crimine audaciæ vel contumaciæ sit. Et quidē gemebāt prius afflicti Aegyptijs illudentib. atq; ad amaritudinē vitā illorum perducentib. sed differt, vtrū quis clāculo gemat, tacitoq; gemitu dolorem sub pectore cōsumat, an publico cōuentu in auditu quorūlibet clamosam in altū depromat querelā. Vnde cuidā victo sub victoris potē tia dictū est fauendo. O miseri, quorū gemit' edere doloré. Qui te nō pleno pariter planxē re theatro. Ergo & ante filij Israel gemebāt quidē, sed nō audebant gemere palā: nūc autē, quià mortuus est Pharao rex Aegypti, publicis conuentib. gemuerunt, gemitūq; in cælum sustulerunt, vt ascēderet clamor eorum ad Dñm, qui & audiuit gemitum eorū, & recordatus est. i. non oblitum se ostendit esse fœderis, q̄ pepigit cum Abrahā, & Isaac, & Iacob. Porrò iuxta anagogen morale est q̄ præsenti loco scriptura intēdit. Quādiu viuit Pharao. i. quādiu regnat peccatum, regnat in mortali corpore, & nō ingemiscit animus, ne que ad dominū vociferatur, sed libēs & seruitutis pesimę laborē vel cōtraria onera sentiens subigitur operibus duris luti ac lateris, omniq; famulatui quo in terrę operibus premitur. Gemit quidem vtcunq; & suspirat, interdum etiam plorat. Sed differt vtrum quis gemendo & plorādo lutū lauet, an luti operibus abiectis melius propositum arripiat, & p̄ auxilio dei fortiter in cælum clamet. Et si moriatur impius rex Aegypti, si iuxta prophetam cōputrescat iugū à facie olei, cessetq; amor

amor peccandi vera cōfessione spiritus S. tūc ingemiscit Israel, & libere vociferatur, ascenditq; ad ominū clamor eius, & audit liberator gemitum eius.

Cur deus apparuerit Moysi in flamma ignis potius, quā in alia specie elemētari, & quid significet q̄ rubus ardens non est combustus.

CAPVT XII.

CAP. III. MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian. Cumque minasset gregē ad interiora deserti, venit ad mōtē dei. Apparuitq; ei dñs in flamma ignis de medio rubi. &c.) Ordo verborū est: Filij Israel in gemiscentes, p̄pter opera, vociferati sunt ad Dominū. Dñs autem audiēs gemitum eorum, apparuit Moysi in flamma ignis de medio rubi, vbi pascebat oues Iethro soceri sui Madiā sacerdotis. (Dixit ergo Moyses: Vadā & videbo visionē hanc magnam quare nō cōburatur rubus.) Magnā, inquit, visionē videbo. Verè magna fuit illa visio, & cunctorū per fidē videntium vocib. prædicatur hactenus in toto mūdo. Et huius causa visionis, si deo illustrāte animaduersa fuerit, declaratio est operis subsequentes, & ipsa intellectū dat paruulis. Hoc ergo primū quę rimus, cur eo tēpore tali pro causa, Deus apparens homini, potius in flāma ignis, q̄ in alia aliqua qualibet specie videri voluerit? Deinde quare rubus ardens nō cōbustus sit? deus inuisibilis, qui nec loco circunscribitur, nec vllis sensib⁹ corporis percipitur, quoties visibiliter hominib. apparet, rebus ipsis congruā assumit specié, propter quas apparere dignatur. Quis aūt visionis huius magnæ subsequētes effect⁹ fortissimos atq; clarissimos fuisse nesciat? Nā etsi tunc non fuimus, attamen potentiæ vel virtutis Dei, quā tunc notā fecit claritas magna lucet nobis, & terribiliū eius miraculorum memoria mirabilis in oculis nostris est. Vnde & hodie mirantes dicimus.

Exod. 15. Quis similis tui in fortib. Dñe, quis similis

Ibidem. tui magnificus in sanctitate? Terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia? Item dextera tua domine magnificata est in fortitudine. Et his similia. Rectè igitur in igne, quod elementum forte ac lucidum est, deus hic apparuit, fortitudinem suam quodāmodo præparans, cùm dicit: Ego scio quòd non dimittet

Exod. 9. vos Pharao rex Aegypti, vt eatis, nisi per manum validā. Item ad Pharaonē: Idcircò autē posui te, vt ostendā in te fortitudinem meā, & narretur nomē meum in omni terra. Qua re autem rubus nō comburitur, & Moyses tanquā comburendus appropinquare prohibetur, nisi soluat calciamentū de pedib. suis? (Cernens enim dominus q̄ pergeret ad videndum, vocauit eū de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Quo respōdente, assum, ne appropies, inquit, huc.) Et continuò (Solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.) Hoc nimirum ita dixit, tanquā continuò comburi potuisset appropiando, nisi soluisset calciamentum de pedibus suis. At certè rubus nō comburebatur, & virgultis quorum de medio lucebat sanctus ignis erat innoxius. Quid ergo hoc sibi vult? Illud nempe quia deus noster ignis *Deut. 4.* quidē consumens est, veruntamen igni elementario multum dissimilis iste ignis est. Ignis nanq; corporeus, quo in corporalib. administrationibus vtimur, q̄ quartum mundi elementum dicimus, res ipsas cōburit, quibus continetur, procul autē positis innoxius est. Deus autem noster verus & perpetuus ignis, suam ecōtrario naturā vel potentiā exerit. Nā illis intra quos est nō solū innoxius, verumetiam salutaris & clementissimus est: longè autē positis, & dignè appropinquare nolentib. nimium damnosus existit, de qualibus psalmista dicit: Sicut fluit cera à facie ig- *Psal. 67.* nis, sic pereant peccatores à facie Dei. Quod in beata virgine Maria clarius atq; conspicabilius est. Totus enim hic ignis, subauditur Christus deus & homo, nouē in vtero eius mensib. habitauit, & leuē carnis vel animæ eius stipulam siue fœnum, non solū non cōbusit, verū etiam maiore cum virginitatis honore gratiaque formati exinde hominis, quem assumpsit, perenniter illustrauit. Et ad illud templū ignis æterni, quanto quis per fidem propius accedit, tantò decentius illo igne fulgescit. Nam ecōtrariò quanto lōgius, siue Iudæus, siue paganus, siue hæreticus absistit, tanto citius vt cera liquescit, cùm ignis ille apparuerit. Hoc interim appropinquātibus nobis agendū est vt calciamenta nō habeamus in pedib. quæ fiunt de mortuorū animalium pellib. i. vt mortuorum mortifera & in peccatis suis morientium exēpla non imitemur. Nam ille quidem corporaliter nudus pedibus accedere iussus est, quod est so- *CAP. III.* lenne humilitatis instrumentum, nobis autē hoc spiritualiter ita vt prædiximus agendū est, scientes quia Deus noster, ad quem acce- *Matth. 12.* dimus, non est mortuorum, sed viuorum.

De humilitate Moysi, qua iussus ire ad Pharaonem, toties recusauit. CAPVT XIII.

CLamor filiorum Israel venit ad me vndiq;, vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur. Sed veni mittā te ad Pharaonē, vt educas populum meum de Aegypto.) Notandum, quod cùm dixisset, clamor filiorum Israel venit ad me, addidit vndique, vt subaudias tam ab Aegyptijs opprimentibus quā à filijs Israel ingemiscentib. Vtrinq; enim venit clamor, sed modo valdè diuersō. Nā clamor filiorum Israel, tanquā defensorē & iudicem ad iram prouocantium ascendit ad dñm. Veni, inquit, mittā te. Prius veni, deinde mittam te dixit. Hoc non leue est in ore Dei præsenti ac corporaliter astāti dixisse, veni. Nō, inquā leue est, neq; deinceps leuiter actū, vt q̄ corpore Deo præsens aderat animo quoq; ad obediendū parato adesset. Palā est ex subsequentibus, quia non

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia nondum venerat, quo toties ire iussus fuerat. Primum dicenti, veni, continuò respondit: (Quis ego sum vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel ex Aegypto?) Bonum quidem & imitatione dignum humilitatis exemplum est, Deo vocanti ad tantum tamque glorioſum ministerium dicere: Quis ego sum, vt pro conscientia vel æstimatiõe ipsius, subaudiatur nullus. Quapropter talem velut ex abrupto salientem eius percunctationem placido vultu suscipiens Dominus Deus. (Ego, inquit, ero tecum, & hoc habebis signum quòd miserim te.) Ac si dicat: Et si tu nullus es, ego Dominus, qui Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob sum, ego, inquam, ero tecum, in ore tuo verba proferens, & in manu tua signa faciens, ex hoc, inquam, significabitur omnibus quod miserim te, sine quo non potest homo quicquam facere. Proinde: (Cùm eduxeris populum meum de Aegypto.) Tu præsenti non ingratus visioni, sed agendarũ memor gratiarum. (Immolabis Deo super montem istum.) Bonum, inquam hoc, & imitandum placidæ humilitatis exemplum est. Veruntamen nec illud contemnendum, quòd quidam eiusdem, id est, prophetalis ordinis, vir magnam & ipse videns visionem, scilicet Deum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, implentia templum. Eidem Domino percunctanti ac dicenti, quem mittam, & cætera, continuò & alacriter se offerens, dixit: Eccè ego, mitte me. Cùm igitur quis ad hoc vocatur à spiritu sancto, vt mittatur contra Pharaonem, id est, contra diabolum, scilicet vt aliquo fungatur ministerio salutis animarum, sic inter hos viam teneat regiam, vt nõ declinet ad dextram siue ad sinistram, videlicet vt nec nimius sit dicendo, quis ego sum vt eam, nec importunus vociferando, eccè ego, me mitte. Nam hinc pertinaciæ, illinc præsumptionis cauendum est vitium. Interim faciem suã absconderat Moyses, id est, stabat demisso capite, sed sic absconditus inueniri, sic demissus magis merebatur à Domino subleuari. Nam accrescente paulatim gratiæ fiducia, ait ad Dominum.

Esa.6.

De eo q̃ dixit: Ego sum qui sum. Qui est, misit, &c.

CAPVT XIIII.

ECcè ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorũ misit me ad vos: Si dixerint mihi quod est nomen eius, quid dicam eis?) Videlicet quia nomen Dei phanaticus error commune fecerat multis, idcircò proprium quærebat vocabulũ huius Dei qui loquebatur sibi: Nam etsi sunt (inquit Apostolus) qui prædicantur dij siue in cælo, siue in terra, siquidem sunt dij multi, & domini multi, nobis tamen vnus deus pater. (Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum: Ait: Sic dices filijs Israel. Qui est misit me ad vos.) Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem. Ad vnam percunctationem duo reddidit, quia fortis erat inquisitor qui pulsabat, fortis, inquã, vera fortitudine, quæ est virtus humilitatis, quæ & vsu vel exercitio diuinæ collocutionis, in tantum robur excreuit, vt fortem & iratum deum postmodum tenere posset, stans in conspectu eius in confractione cordis. Duo, inquam, nomina sua deprompsit, quorum alterum, scilicet, ego sum qui sum naturæ est, alterum verò gratiæ vel dignationis videlicet: (Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, quod nomen mihi, inquit, est in æternũ.) Et hoc quia gratiæ est, idcircò iam supra non interrogatus vltro protulerat, dicendo: Solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est, ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Verùm hic addidit quod illic non dixerat, hoc nomen mihi est in æternum, scilicet propter dignè nominandam fidem illorum vel ob obedientiam illorum, in qua peregrinos & hospites se esse confessi sunt super terram meliorem expectantes patriam, id est, cælestem. Ideo enim (inquit Apostolus) non confunditur Deus eorum vocari Deus. Hoc ergo, inquit, nomen mihi est in æternum. (Et hoc memoriale meum.) Subauditur secundum ea quæ operatus vel operaturus sum in illis adoratoribus meis, & in semine eorũ. His duobus sumptis, ego sum qui sum, sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos, iterumque hæc dices filijs Israel, dominus Deus patrum vestrorum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos. Ergo non esse deos cõsequitur eos quos Abrahã nesciuit, quos Isaac ignorauit, quos Iacob non cognouit. Et hoc pro tempore & re hic oportunè respõsum est, scilicet vt cessent filij Israel quasi pro multitudine deorũ proprium dei sui quærere vocabulum, hoc tantum scire contenti, quod est qui mittit ad eos Moysen, nõ vt cæteri, falsò dicitur deus, sed est. Præterea non solùm multitudini illorum qui non sunt, sed & omni numerositati creaturarum se eximit creator dicendo, ego sum. Quid enim? Nunquid aliquid eorũ quæ creata sunt, simpliciter vel absolutè esse dicendum est? Non vtique, quia nihil eorum simplex vel incompositum est. Quicquid enim præter deũ est, ex materia simul & forma cõstare dicitur, vt manifestum est. Verbi gratia. Statua cuius est materia æs, forma autem, quælibet effigies quam finxit artifex, vt puta Iouis aut Serapis. Proinde quod statuam vocamus non est quod est, nam nõ vnum idemque aut simplum est. Sed nec ipsum quidem æs simplum quid est, quippe cuius materia terra est, ab ipsa multum differens æris specie. Terræ quoq; nomen à forma tractum est, dicitur enim terra, quod grauis & sicca, suumq; esse sumpsit ex hile, quã materiam

Exod. 32.

2. Cor. 6.

materiam creatam esse cõstat informem. At verò Dei substantia forma simplex est sine materia vlla, ac proinde est quod est, nec enim potest illi quicquã inesse, præter id quod substantialiter est, nec enim potest hoc esse subiectum, nec ab aliquo accidente, quælibet motũ siue mutatiõem admittit, videlicet cũ sit forma carens materia, vndè pateretur accidentia? Deniq; quòd formata quælibet homo siue iumẽtum, & cætera vicibus permutantur, hoc illis ipsorum materia fert. Inde homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nũquam in eodem statu permanet. Inde est quòd sicut herba manè transit, manè floret, vespere decidit, indurat ac arescit. Igitur Deus qui non formatus, sed forma tantum est, rectè tam dijs, qui dicuntur quidem, sed nõ sunt, quam creaturis omnibus, quarum diuersissimę formationes vel naturæ sunt, solum se excipiens, suum edixit proprium vocabulũ, dicendo ego sum, & hæc dices filijs Israel, qui est misit me ad vos. De terra quam repromittit, dicens: (Visitans visitaui vos, vt educã vos de afflictione Aegypti in terram Chananæi, & Ethæi, & Amorræi, &c.) Iam locis alijs dictũ est, quòd terræ viuentium figuram gestauerit, quæ ruera riuis fluit lactis & mellis. Etenim sicut populum illum à Pharaonis seruitute liberatum in illam terram Dominus induxit, sic vniuersam electorum multitudinem, à iugo diaboli solutam, supernæ patriæ restituit, de qua malignos spiritus sub his nominibus intelligendos expulit. Chananæus namq; possidens, Amorrheus amarus, Gergesæus colonum eijciẽs, Iebuzeus calathus, Aethæus formidans, Pherezæus separãs, Euæus ferus interpretatur. Quæ cuncta in malo accipi, & malignis spiritibus valent vtiliter asscribi.

Iob. 13.

Psal. 89.

De eo quod dictum est: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, et quo iure dictum sit: Et vos spoliabitis Aegyptum. & qualiter spoliemus nos eius exemplo.

CAPVT XV.

INgredierisqua tu & seniores Israel ad regem Aegypti, & dices ad eum. Dominus Deus Hebræorum vocauit nos. Ibimus per solitudinem viam trium dierum, vt immolemus Domino Deo nostro. Et reliqua. Hoc ita factum est. Transito namq; mari rubro, cum ceciniſſet Moyses & filij Israel carmen hoc Domino, dicentes: Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Ingressi sunt, inquit, in desertum Sur, ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquã, & venerunt in Marath. Ecce qualem viam Hebræis, exituris de Aegypto, & ad terram promissiõis ituris, Dominus Deus ipsorum coram Pharaone profiteri imperat. Ad hoc manum validam exerit: extendã, inquiens, manum meam, & percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum, ad hoc, inquam, vt eant non per viam terræ Philistijm, quæ vicina est, sed per solitudinem, ad hoc tantum vt immolent Domino Deo suo. Ergo quisquis Hebræum, id est, transitorẽ se esse, & de Aegypto exisse profitetur, vt transeat secũdum nomẽ Hebræorum, quorum Dominus Deus est ad patriam cælestem, nõ habens hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirens, hanc viam teneat, solitarius incedat, id est, remotus, tam ab Aegyptijs quàm à Philistijm. Aegyptij namq; tenebrosi, Philistijm potione cadentes interpretantur. Et talium vtiq; societas illi cauenda est, qui ad hæreditatem Dei peruenire, qui Domino Deo suo immolare cupit victimas iustitiæ. Daboq; gratiam populo huic coram Aegyptijs.) Et cum egrediemini nõ exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospite sua vasa argentea & aurea ac vestes, ponetisque eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Aegyptũ.) Non iniusta præceptio. Aegyptij namq; vio lenter subegerant Israel, qui non erat vernaculus aut emptitius, illudentes ei, & affligentes operib. luti ac lateris. Iusta ergo vice spoliare habebant oppressores suos, veluti non dominorum direptores, sed vt verè hostiũ victores, quatenus dolore auri & argenti sui nimium concitati persequerentur abeuntes, & ita perirent in mari, transeunte ad salutem Israel. Porrò nos iuxta anagogen, egredientes (vt dictum est) omni auro & argento cunctisque pretiosis vestibus spoliare debemus Aegyptum, vt siue aurei dialecticorum circuli, siue argenteæ rhetorum faleræ sint, siue quarumlibet artium philosophicarum telæ, ac vestes, quibus Aegyptius malè vtens mendacium ornat ac vestit, non permaneat horum quicquam, quin cum huiusmodi Hebræis transeat in seruitium verbi Dei, ad ornatum veritatis, ad famulatum dominæ nostræ sapientiæ cælestis. Is ipse Moyses cum dicuntur hæc, primus hoc modo spoliauit Aegyptum. Fuit enim (vt iam superius dictum est) eruditus omni sapientia Aegyptiorum, sed eadem spolia contulit (vt hæc scriptura testatur) in thesaurũ Domini Dei sui. Hæc, inquit, ponetis super filios & super filias vestras, id est, docebitis eos tollere quæ eiusmodi sunt Aegypti spolia, vt sciãt omnia probare, quod bonũ est tenere, ab omni specie mala se abstinere.

Exod. 15.

1. Thess. 5.

De signis quæ Moysi monstrabantur in testimonium.

CAPVT XVI.

REspondit Moyses, & ait: Non credent mihi, neq; audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eũ: Quid est quod tenes in manu tua? Respõdit, virga. Ait Dominus: Proijce eã in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.) Iusta Dei expectatio: nam veridica est, & sana hæc hominis oppositio. Non credent, inquit, mihi, subauditur, nisi signa viderint. Nam vsq; hodie Iudæi signa

CAP. IIII.

CAP. IIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.1. quærunt, & Græci ſapientiam inquirunt. Ergo Dominus hæc opponentem placidè ſuſtinens: proijce, inquit, virgam quam tenes, in terram. Proiecit,& verſa eſt in colubrum. (Et Dominus: Extende manum tuã, & apprehende caudam eius. Extendit & tenuit, verſaque eſt in virgam. Et rurſum mitte manum tuam in ſinum tuum, &c.) Quia ratio cõſentit, vt in ore duorum aut (vt multum) trium teſtium, ſtet omne verbum: idcir co duo hæc ſigna pro teſtibus dextra leuaq; compoſuit. (Vt credãt inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, De⁹ Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Item:
Deu.19. Si non crediderint tibi, neq; audierint ſermonẽ ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.) Addit & tertium, tanquam à tergo conſequentem teſtem, eos qui duobus teſtimonijs non crediderint, quaſi ſanguinea mortis pœna condemnãtem. (Sume, inquit, aquam fluminis & effunde ſuper aridã, & quicquid hauſeris de flumine vertetur in ſanguinem.) Horum teſtium veritatem ſiue teſtimoniorum conſtantiam literalem omnes agnouimus, myſticam auctoritatẽ requiramus. Nã ſicut populus in Aegypto ſeruiẽs, vniuerſam proculdubio multitudinem electorũ in hoc mundo peregrinantiũ: ſic ſigna hæc per quæ debuit vel potuit agnoſcere tẽpus viſitationis ſuæ, ſignificare debuerunt alia ſigna meliora, per quæ debuit aut potuit cognoſcere tempus eius (quæ per Chriſtum facta eſt) redemptionis ſuæ.

De cauſis eorundem ſignorum myſticis.

CAPVT XVII.

QVid igitur virga hæc, niſi illã ſignificat humanitatem Chriſti filij Dei, quæ de radice Ieſſe ſumpta eſt? Tunc enim veraciter in terram proiecta eſt, atque in colubrũ verſa, ita vt fugeret Moyſes, quando vnigenitus Dei filius per aſſumptionem humanitatis in hunc mundum venire, & mortem ſubire dignatus eſt, ita vt in eũ credere fugiat ille carnalis Iſrael. Hoc facto, extende, inquit, manum tuam, & apprehende caudam eius. ſ. vt iterum vertatur in virgã: quia videlicet poſt quam omnia conſummata ſunt, qui mortuus fuerat, iterum redijt in vitam. Et benè per colubrum mors Chriſti præfigurata eſt, quia per aſtutiam colubri mors euenit humano generi, quam in corpore ſuo Chriſtus veraci
Rom.6. ter ſuſcepit. Moyſes ergo caudam colubri apprehendit, & coluber in virgam redijt, quia fides electorum paſsionem vel mortem Chriſti conſecuta eſt, qui reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sed poſt hoc ſignum, pars maxima Iudaicæ gentis reſilit & credere renuit. Cui ergo comparabitur? Mitte, inquit, manũ tuã in ſinum tuum. Quam cum miſiſſet in ſinũ, protulit leproſam albam inſtar niuis. Nempe manus protracta de ſinu leproſa, ſynagoga eſt à gratia Dei proiecta. Ex quo latus ſaluatoris ſui lancea rupit, retracta eſt manus illa de ſinu eius, peccatorum ſuorum lepra cãdente perfuſa. Quòd longè Propheta præui- *Pſal.72.*
dens gemibundus ait: Vt quid auertis manũ tuam, & dextram tuam de medio ſinu tuo in *Leuit.13.*
ſinem? Ecce videmus populum illũ à caſtris Dei ſegregatum, & ad arbitrium ſummi ſacerdotis haud dubiè, lepræ condemnatum, habentem veſtimenta diſſuta, caput nudũ, os veſte contectum, clamantem, id eſt, diffiteri non valentem, contaminatum ſe ac ſordidũ. Nuda eſt lepra, facies autem velamine perfidiæ contecta. His duob. ſignis atteſtantibus, quiſquis non credit, quòd qui mittẽdus erat iam venerit, iſq; ſit Ieſus Chriſtus, qui ſolus à Pharaone ſpirituali, ſcilicet diabolo, liberare nos potuit: reſtat, vt tertium contra illum impleatur ſignum. ſ. quicquid hauſerit de fluuio vertatur in ſanguinem, id eſt, quicquid attingere tentauerit de ſcripturarum fluentis, malè neceſſariò intelligat ad ſuam damnationem. Fiet tandem, vt manus eadem in ſinum gratiæ retracta & prolata, iterum ſimilis ſit carni reliquæ. Cum enim plenitudo gẽtium ſubintroierit, tunc omnis Iſrael ſaluus *Rom.18.*
erit.

De eo quod ait: Obſecro te domine, mitte quem miſſurus es, &c. CAPVT XVIII.

AIt Moyſes: Obſecro domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius, ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.) Claret ex iſto, quia cuncta hæc non vno die dicta vel acta ſunt, ex eo videlicet, quod ait: Ab heri & nudiuſtertius, &c. Nempè nudiuſtertius, idem eſt, ac ſi dicas: nunc dies eſt tertius, ex quo, inquit, locutus es ad ſeruum tuum. Ac ſi diceret: Antequam loquereris ad ſeruum tuum, videbar mihi eloquens, & velocis linguæ & expeditæ: nunc autem, ex quo loqui cœpiſti, & occulta ſapiẽtiæ tuę manifeſtare mihi, hoc de me didici & ſenſi, quòd eloquens nõ ſim, neque tam expeditæ linguæ, vt ea quæ nunc agenda intelligo, dignè valeã corã hominib. eloqui. Moyſes nanq; propheta eſſe incipiẽs, & illa intus flamma illuſtratus, quam foris viderat, tanta ſibi imponi myſteria ſentiebat, quantis adminiſtrandis indignum ſe & impa rem rectè & laudabiliter ſe iudicare poterat. Proinde & hanc obiectionem eius, tanquam rationabilem amplectens dominus, dixit ad eum. (Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutũ, aut ſurdum, & audientem, videntem, & cæcum?) Sine dubio ſubaudiendum, quòd is qui hæc omnia fecit, ipſe linguã paulò antè hebetiorem, citò acuere poſsit. (Perge igitur, inquit, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. At ille obſecro, inquit, domine, mitte quem miſſurus es) Tandem nobis aperuit quid vellet, quo tenderet toties excuſando Moyſes, Mitte, inquit, domine, quem miſſurus es. Quem enim dominus miſſurus erat cum hæc diceret, niſi illum qui

qui nunc miſſus eſt, quem patriarcha Iacob annunciauerat, expectationem fore gẽtium,
Heb.9. deſiderium collium æternorum? Non ergo ex diffidentia, ſalutari imperio miniſtrare recuſabat, ſed ſciens, quòd miniſterium ſuum nihil ad perfectum duceret, audebat vrgere dominum, vt mitteret eum qui mittendus & perfectam ſalutem operaturus erat. (Iratus dominus in Moyſen ait: Aaron frater tuus Leuites, ſcio, quòd eloquẽs ſit.) Iratus, inquit, dominus in Moyſen: multum iraſci viſus eſt, quia tenerum pietatis deſiderium valde afflixit, in eo quòd ad poſtulata non reſpondit. Præira, inquit, humano generi debita, Chriſtum ſuum differens, de illo ſiluit, & hæc & hæc alia pro alijs dixit. Hos geminos ire iuſſit, Moyſen tanquam legem, Aaron tãquam ſacerdotiũ, ſed vterq; homo, & neuter Deus & homo, & proinde nihil ad perfectũ adduci poterat eorum miniſterio. Quid enim magnum erat, educere populum de loco in lo-
2.Cor.3. Hebr.9. cum, de Aegypto in terram Chanaan, ſcribere occidentem literam, & non viuificantẽ conferre gratiam, offerre pro populo ſanguinem hircorum, aut vitulorum, & non ſaluũ facere populum à peccatis eorum? Nẽpè hoc vnum erat illi neceſſarium, educi vel trãſire de peccato ad iuſtitiam, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de hoſte ad dominũ, de
Act.7. diabolo ad Deum, quòd per ſolum faciẽdum erat, & nunc factum eſt, filium Dei vnigenitum Deum & hominem Ieſum Chriſtum. Iratus igitur in Moyſen eſt, inquit .i. non ita propitius fuit Moyſi, vt non differret complere deſiderium obſecrantis, vt dicenti: mitte quem miſſurus es, ſaltem diceret, mittam poſt tot annos, vel illo tempore, indignum eum arbitratus ſcire tempora, vel momenta quæ poſuiſſet in ſua poteſtate.

Quòd Moyſes à cognato ſuo poſtulans dimitti, ſecretum quod audierat, tenuit.

CAPVT XIX.

ABijt Moyſes & reuerſus eſt ad Iethro cognatum ſuum, &c.) Cognatum ſuũ, hic appellat eum propter filiã eius, quã vxorem duxerat, id eſt, ſocerum ſuum. Nõ dixit vadam, vt fratres meos educam de Aegypto iuxta Dei mei imperium, qui mihi apparuit eo quod viderit afflictionem & audierit clamorem eorum, ſed ſecretum hoc tenuit. (Vadam, inquiens, ad fratres meos in Aegyptum vt videam ſi adhuc viuãt.) Non enim ſuam, ſed Dei gloriam quærebat, quàm ille ſatis oportuno tempore ſine præcurrẽte vocis ſuæ nuncio viſurus erat. Interpretatur autem Iethro ſuperfluus eius. Igitur quicunq; hic eſt, quicunq; hunc imitatur ſuperfluum, huiꝰ ſit propalare gratiã ſibi collatam coram homi-
Matth.9. nibꝰ, vt videatur ab eis, ſed opportunum tẽpus expectet, donec vltro clareſcat lux eius coram hominibus, vt videant & glorificent patrẽ Deũ qui in cælis eſt. (Cui ait Iethro: Vade in pace. *Quòd dominus voluerit occidere Moyſen, & quòd Sephora circũciſis filijs tetigit pedes eius: & quid iſta myſticè ſignificent.*

CAPVT XX.

DIxit ergo dominus ad Moyſen, in Madian. Vade, reuertere in Aegyptũ. Mortui ſunt enim, qui quærebant animam tuã.) Mortuus enim fuerat ille Pharao, qui audiuit quòd occidiſſet Aegyptium, & quærebat occidere Moyſen, & hic poſt multum tẽpus, vt ſupra dictum, id eſt, poſt alios XL. annos, *Acto.7.* ſicut Stephanus protomartyr in actib. Apoſtolorũ teſtatur, mortuꝰ fuerat. (Tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, &c.) Antequã progrediamur, dicendum quid de hac vxore & filijs Moyſi actum ſit. (Cum eſſet, inquit, in diuerſorio in itinere, occurrit ei dominus, & volebat occidere eum. Tulit ilico Sephora petram acutiſsimam, & circuncidit præputiũ filij ſui, &c.) Volebat, inquit, occidere eum. Quare? quia filios ſuos nõ circunciderat. Ve- *Cur Moyſes non circũciderat filios ſuos.*
rùm hoc obſiſtente vxore alienigena facere nequiuerat in terra alienigena, in terra non ſua: Igitur videnteSephora volebat dominꝰ occidere eum, vt quæ ratione noluerat addu ci, præſentia periculi cognoſceret ſalutare eſſe ſemini Abrahæ, omne maſculinum eius circuncidi. Nihil ergo cunctata, quid potius eligeret, viri necem an filiorum circunciſionem, tulit ilico acutiſsimam petram, & circuncidit præputium filij ſui. (Tetigitq; pedes eius, dicens: Sponſus ſanguinum tu mihi es.) Vt quid tetigit pedes eius? Videlicet vt dimitteretur. Nam protinus ſequitur. (Et dimiſit eum, poſtquam dixit: Sponſus ſanguinum tu mihi es, ob circunciſionem.) Idcirco tetigit pedes, id eſt, importunè ſupplicauit, ne illum longius ſequi cõpelleretur, exterrita vel imparata tantis viſionibus, vtpotè quibus gentiliter viuens nondum intereſſe merebatur. Tangens ergo pedes eius dixit: Sponſus ſanguinum tu mihi es. Nõ dixit: vir ſanguinum, neq; cõiugij, ſed crudelitatis reſpectu hoc dixiſſe putaretur. Siquidem vir ſãguinum cru- CAP.
delitatis, & homicidiorum in communi vſu IIII.
ſignificat triſte carnificium. Melius ergo quã uis impropriè dictum eſt, ſpõſus ſanguinum, quamuis ſponſus non conſueuerit dici, niſi dum eſt in celebratione nuptiarum. Poſtea reuerſa eſt ad eum ſcriptura, dicens: Cumq; *Exod.18.*
audiſſet Iethro ſacerdos Madian, cognatus Moyſi, omnia quæ fecerat dominus Moyſi & Iſrael populo ſuo, eo quòd eduxiſſet dominus Iſrael de Aegypto, tulit Sephoram vxorem Moyſi quam remiſerat, & duos filios eius, &c. Quod & ipſum à myſterio non vacat. Alienigena quippe vxor Moyſi Sephora, quòd interpretatur pulchritudo ſiue placens, alienigenã (vt ſuperiùs dictum eſt) gentium ſignificat eccleſiam. At illa non interfuit victoriæ, quam vir eius Chriſtus de principe tenebrarum diabolo moriẽdo conſummauit: ſed ſolus vir ille pugnauit, ſolꝰ triumphauit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

phauit, postquam antiquorum populum sanctorum de tenebris inferni per suum sanguinem eripuit, tunc & ipsa accessit, tunc adducta est in equis & quadrigis Euāgelicis, & victoriæ sacramentum in baptismate suscepit. 1.Pet.2. Cæterùm & quotidie filios suos mater ecclesia circuncidit circūcisione spiritali, ne fides Christi moriatur in illis, tangitque pedes eius, dicitque inter circuncidēdum filijs suis, Christus passus est pro vobis, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius, & his similia.

De eo quod ait dominus: Ego indurabo cor Pharaōis.
CAPVT XXI.

DIxitque ei dominus reuertēti in Aegyptum. Vide vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. Ego indurabo cor eius, & non dimittet populū.) Homini, qualē ignorat Apostolus, imò qui in Apostolo loquitur Christus, dicens: ô homo tu quis es, qui respondeas Deo, nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me feciſti sic, & cætera, homini, inquam, id est, secūdum carnem sapienti, scrupulum fecit, & suspicionem generauit hic locus, vbi cum dixisset Deus: Vide vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone, continuò subiunxit: Ego indurabo cor eius, & nō dimittet populum. Dicit enim: Quid ergo ad huc quæritur? Volūtati eius quis resistit? Verū hic talis idcirco offendit, quia flāmæ eius dē, quæ illic apparuit Moysi, diuinā lucē non attendit, vt sciat quid sibi desit. Deest enim quod quærat, priusquam suam, quæ prædicta est, quærelam proferat, videlicet vt quando dicit Deus: Ego indurabo, modum indurationis non penitus ignoret homo. i. quid agente Deo induratus fuerit Pharao. Quid enim? Nunquid iniquitas apud dominū? Nunquid gloriam suam quærens Deus, cor Pharaonis, quòd prius tenerum fuerit, indurasse putabitur, vt per occasionem duritiæ eius, ipse mirabilia faciendo glorificaretur? Absit. Non hoc sensu accipiat homo dixisse Deum, indurabo. Sed enim ille oderat filios Israel, omnesque Aegyptij, vt supra dictum fuit, & ipsum odium surrexerat ex inuidia dicentiū: Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est, &c. Nec enim aliter iuxta Psalmistam, conuertit cor eorum vt odirent populum eius, nisi dum benedicit, & multiplicat populum suum, cor eorum inuidens profecit, imò conuersum est in asperum odium. Est autem inuidiæ vel odij propriū, vt quanto eis, quibus inuidetur, maiora conferuntur beneficia: tāto magis ipsa inuidia vel odium confirmetur. Siquidem quo amplius splēdescit, cui inuidetur, tanto magis indurescit atque vritur inuidus. Pleni sunt libri talium exemplis. Veruntamen vel vnum proferamus exemplum. Pulsatus Deus est à propheta, dicente: Quare feciſti nos domine errare à vijs tuis, & quare cor nostrum induraſti, ne timeremus te? Primùm hoc modo respondet eidem Prophetæ. Quæsierunt me, qui ante nō interrogabant: inuenerunt me, qui non quæsierunt. Deinde dicit & patri filius Dei: Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non inuocabat nomē meum. Nempè idem est, ac si dicat: In eo feci vos ô Iudæi de vijs meis errare, & in eo cor vestrum induraui, ne timeretis me. In eo, inquam, quòd à non quærentibus me gētibus inueniri volui, quorum salutem vos odio habetis. Nā propter odium illorum vos indurati estis, & eos in via socios habere non ferentes, auersi estis. Ita licet aliud intendēs, ego vos errare feci de vijs meis, & cor vestrū induraui. Igitur dum dicit Deus: Ego indurabo cor Pharaonis, subaudiendum est, non eum corrumpendo, sed filios Israel, quos iniquè odit ipse, compatienti charitate visitando. Hoc enim ego quidem facio intentione charitatis: sed illi inuidenti proficiet ad duritiem cordis, ad incrementū odij. Sic vno eodemque solis iucundo lumine, & glacies dura liquescit, & lutum molle durescit. Idcirco sæpius quidem sic dicitur in sequentibus. Indurauitque dominus cor Pharaonis, & non dimisit populum. Sed & nōnunquam sic habes, quia ipse Pharao indurauit cor suum.

Quomodo debet rectè intelligi illa duratio Pharaonis. Exod.1.

Psal.104.

Ibidem.63

Rom.9.

De eo quòd dictū est: Filius meus primogenitus Israel.
CAPVT XXII.

DIcesque ad eum: Hæc dicit dominus: Filius me⁹ primogenitus Israel. Dxi tibi: dimitte populum meum vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.) Cùm, inquit, omnia ostenta quæ posui in manu tua feceris coram Pharaone, & ille indurato corde, non dimiserit populum, tandem dices ad eū: Filius meus primogenitus Israel, &c. Quamuis etiam si solus esset Dei populus ille Israel, posset tamen dici primogenitus, sed non econuerso, omnis primogenitus vnigenitus. Hoc quod dicit, filius meus primogenitus Israel, minoris filij, scilicet respectu Gentilis populi dictum oportet intelligi. Et iusta quidem comparatione populo illi pro parte electorum concedimus omne priuilegium primogeniti, quibus (vt Apostolus dicit) credita sunt eloquia Dei, quorū est adoptio filiorū, & gloria, & testamentū, & legislatio, & obsequiū, & promissa, quorū patres, & ex quibus Christus secundū carnē, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Verū vbi primogenitus iste iuniori fratri inuidet, & odio eius cæcatus offendit in lapidem offensionis & petram scandali, intrare non vult in domum patris, pro eo quod frater suus venit, & pater læ tus vitulum saginatum occidit illi: vbi (inquam) sic agit primogenitus, talem illum fatemur primogenitū, qualis fuit Cain, qualis Ismahel, qualis Esau. Notandū quippe, quòd præter Sem primogenitum Noe, cunctos ferè patriarcharum primigenitos, aut propria nequitia destruxit, aut diuina auctoritas iunioribus postposuit. De eo quod cum Moyses esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Deus, & volebat eum occidere, iam supra dictum est.

Rom.9.

Luc.15.

Quòd Moyses & Aaron loquentes contra Pharaonē, legem & vetus sacerdotium significent, & quid significet, Pharao saeuior effectus est.
CAPVT XXIII.

DIxitq; dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit ei obuiam in monte Dei, & osculatus est eum. Narrauitq; Moyses Aaron cuncta verba domini, pro quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. Veneruntque simul, & cōgregauerunt cunctos seniores filiorum Israel, &c.) Cūcta capituli huius historica superficies plana est, videlicet quia superbè respōdens Pharao. (Quis est, inquit, dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel: Nescio dominum, & Israel non dimittam.) Nō solum non dimisit Israel, verumetiam auxit afflictionem eorum. (Et nequaquā (inquit) vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres sicut prius, sed ipsi vadant & colligant stipulam, & mensuram laterum quam prius faciebant imponetis eis, nec minuetis quicquam.) Quibus vociferantibus ad Pharaonem, ac dicentibus: (Cur sic agis contra seruos tuos? vacatis (inquit) ocio, & idcirco dicitis, Eamus & sacrificemus domino?) Hęc (inquam) secundum literam plana sunt. Porrò sub litera fulgidus allegoriæ sensus hic est. Pharao quod interpretatur dissipans, diabolus est, & regnum eius mors: Regnauit (inquit Apostolus) ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Vsque ad Moysen regnauit inquit) mors. i. peccatum per quem mors in hunc mundum introiuit, nullam ante legem ex præceptis iustitiæ contradictionem habuit, cunctis in anima mortuis, & corpore morientibus. Moyses namque & Aaron, contra Pharaonem agentes legem significāt & legis sacerdotium, per quæ iustitia contra diabolum ad destructionem peccati, & mortis vocem aliquam habere cœpit. At vbi venit mandatum legis, regnās peccatū & mors infremuit. Quid ergo dicemus, inquit idem Apostolus, Lex peccatum? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, nō concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Hæc quia melius ex singulis hominib. cognoscitur, continuò sequitur. Ego autem sine lege viuebam aliquādo. Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit, &c. Quando enim sine lege viuit homo? Tunc videlicet, quādo adhuc sine timore peccat, quādo nullum adhuc propositum habet vt peccato resistat, sicut verbi gratia, iuuenculus aut adolescentula vaga. Quādo autem venit mandatum? Tunc profectò, quando metu pœnæ futuræ veterem proponit cō suetudinem relinquere, & propter mandatū iustitiam tenere. Illic pugna est. Nam caro cō cupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & hæc sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque volumus illa faciamus. Talis homo postmodum in eodem Apostolo dicit: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mētis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominū nostrū. Quādo liberat ista Dei gratia? Tunc videlicet, quando bellicosus animus post tentationes carnis adhuc in corpore manens, consolatiōis spiritu demulcetur, & post colaphos stimulātis Satanæ aurea libertatis torque donatur. Sic vnus homo, sic triplici statu totus proficit mundus. Antequam lex subintraret, regnabat quidem mors, & ille fortis armatus custodiebat atrium suū, erantq; in pace omnia quæ possidebat. Veruntamen peccatum non adeò imputabatur, vt & præuaricatio nuncuparetur: vbi enim non est lex, ibi nec præuaricatio, & idcirco lentius grassabatur in subditos ille tyrannus. At vbi lex subintrauit, & fortis illius munitiones explorare venit, ille hoc præsentiens, infrendens fremuit, & tandem captiuorum libertatem suspirantium colla concidit, donec fortior superueniens vinceret eum, & spolia eius diriperet, cantantibus eis quos liberauit, quia per Moysen lex data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. (Igitur ex eo die, inquit Moyses, quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer de nomine tuo domine, afflixit populum tuum.) Illis congemiscētibus ac dicentibus, quoniam fœtere fecisti odorē nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium vt occideret nos, quia videlicet, cum venisset mandatum (inquit Apostolus) reuixit peccatum, ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nā peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

Rom.5.

Rom.7.

Rom.7.

CAP. V.

CAP. VI.

De eo quod dictum est: Et nomen meum Adonai non indicaui eis.
CAPVT XXIIII.

LOcutus est dominus ad Moysen, dicens: Ego sum dominus qui apparui Abrahā, & Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum ADONAI non indicaui eis. Pepegiq́ue cum eis fœdus, &c.) Decem nominū

CAP. VI.

Ioh.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus apud Hebræos vocatur, septimũ est ADONAI, quem nos generaliter Dominũ dicimus. Et nomen meũ ADONAI, inquit, non indicaui eis, subauditur, quod indico tibi. Sed quomodo nomen hoc eis, quibus in Deo omnipotente apparuit, non se indicasse asserit? Primùm ad Abraham dicit: Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Ecce hic, & dominum & Deũ omnipotentem, quod est ADONAI palam se nuncupauit. Ergo, q̃ hic dicit non indicaui, sic accipiendum est, vt subaudias quantæ esset potentiæ vel virtutis. Magnalia namque & terribilia facturus, hæc loquitur, ad ostentionem gloriæ nominis sui, qualia non fecit in diebus Abraham, Isaac, & Iacob, quibus tamen in Deo omnipotente apparuit, quiq; hoc ipsum quod omnipotens esset, non quæsierunt miraculis explorare ratione contenti. Vndè & fides eorum gloriosior ac maioris habetur meriti. Econtra Pharaonis duritia, quæ faciẽdorum causa fuit signorum, detestabilior extitit, & quanto plura facta sunt, tanto iustius æternum contemptor incurrit interitum. Hoc, inquam, cum dicit, & nomẽ meum ADONAI non indicaui eis, subaudiendum est, quod iam nunc, poscente causa, indicabo tibi, quàm gloriosum & quàm terribile sit. Nam & paulò ante dixi, nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni, & postmodum dicturus eidem Pharaoni. Idcirco autẽ posui te vt ostendam in te fortitudinem meam. Sanè illud sciendum, quia nomen domini Tetragrammatõ quod ineffabile dicitur, vbicunq; scriptũ est, Hebræus ADONAI, & Latinus dominum dicit, vt verbi gratia: Confitemini domino, & inuocate nomen eius, lætetur cor quærentium dominum, quærite dominum, & confirmamini (Pepigiq́ue cum eis fœdus, inquit, vt darem illis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ordo verborum est: Abraham, & Isaac, & Iacob, in Deo omnipotẽte apparui, & pepigi cum eis fœdus, vt darem illis terram Chanaan. Porrò illud sciendum, non hoc esse totum fœdus, vel fœderis causam, dare illis terram Chanaã, sed partem fœderis pro toto posuit. Summa namque fœderis, est in hoc sermone: atq; in te benedicẽtur omnes cognationes terræ, in quo Christi filij dei incarnatio promittitur manifestè. Hac propositione data, pepigiq́ue cum eis fœdus, vt darem eis terram Chanaan, nunc promissi debitorem iure se teneri consentiens, sumit & dicit. (Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegyptij oppressẽrũt eos, & recordatus sum pacti mei.) Recordatus sum, inquit, id est, non oblitum me esse ostendi, subauditur, cum te misi seruum meum, & Aaron, & posui in vobis verba signorum meorum. Et continuò conclusit sic. (Ideo dic filijs Israel, Ego dominus qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, &c.) Dicendo super quam leuaui manum meã, vt darem eam Abrahã, Isaac, & Iacob: palã fecit ad quid dixerit, & nomen meũ ADONAI non indicaui eis, videlicet eo q̃ nunc leuando manum suã, illud indicari velit in brachio excelso & indicijs magnis. (Narrauit ergo Moyses omnia filijs Israel, qui non acquieuerunt ei propter angustiã spiritus, & opus durissimum.) Hęc videlicet à dño pro consolatione dicta, vel mãdata fuerãt. At illi perfectæ fidei spẽ nõ habẽtes firmã, gemebãt sub afflictione inimicorum, & idcirco non acquieuerunt. Sic nimirum iuxta anagogen vbi exacerbatum pro cõtradictione legis (vt supra dictũ est) regnũ peccati, populũ Dei sub suo seruitio curauit, vt sæpè factũ est, ita vt dicerent, eamus & seruiamus dijs alienis, frustra lex & prophetę locuti sunt: non enim eos audierũt. Sic nihilominus nonnunquam in hominem, qui condelectatur quidẽ legi Dei secundum interiorem hominem, sed aliam patitur legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, frustra ad horam redargutio fit: proximus enim est desperationi.

Gen. 17.

Exod. 9.

Psal. 104.

Gen. 22.

3. Reg. 21.

Rom. 7.

Qualiter in Moyse et Aaron impletum probetur quod dictum fuerat, Generatione aũt IIII. reuertẽtur huc.

CAPVT XXV.

LOcutusq́ue est dominus ad Moysen, dicens: Ingredere & loquere ad Pharaonẽ regem Aegypti, vt dimittat filios Israel de terra sua. Respõdit Moyses coram domino: Ecce filij Israel non me audient, & quomodo me audiet Pharao, præsertim cum sim incircuncisus labijs? Hanc incusationis suæ narrationculam vix ingressus, qua dicit se incircũcisum labijs, repentè digressionem facit huiusmodi: (Isti sunt principes domorũ per familias suas.) Cur hoc? Videlicet ob cõprobandã veritatẽ Dei, qui ad Abrahã de hac seruitute, & subsequenti liberatiõe filiorũ Israel, ante locutus, cũ dixisset: Scito prænoscẽs, quòd peregrinũ futurũ sit semẽ tuũ in terra nõ sua, & subijcient eos seruituti, & affligẽt CCCC. annis, ita præfiniuit dicens: Generatione aũt IIII. reuertentur huc. Hoc nempè est quod dicit: (Et hæc nomina filiorũ Leui, per cognationes suas, Gerson, Caath, & Merari. Filij Caath, Amram, & Isuar, & Hebrõ, & Obiel. Accepit aũt Amram vxorẽ Iocabeth patruelẽ suã, quæ peperit ei Aarõ, & Moysen, & Mariã.) Claret itaq; IIII. esse generationem. Leui namq; genuit Caath, genuit autẽ Caath Amram, Amram genuit Aaron, & Moysen, & Mariam. Idcirco iterum ac tertiò repetendo, designat dicẽs: Iste est Aarõ & Moyses, hi sũt qui loquũtur ad Pharaonẽ regẽ Aegypti, iste Moyses, & Aaron in die qua locutus est dñs ad Moysen in terra Aegypti, vt subaudias, q̃ in generatione sua quarti sunt à Leui. Et notandum, quia primò sic dicit: isti sunt Aaron & Moyses, deinde præposterat, iste Moyses & Aaron. Natiuitatis namq; ordine Aaron, vocatiõe aũt vel administrationis priuilegio, Moyses

Gen. 13.

Moyses prior est apud Deum. Porrò, vt digressionem illam pro se factam, & idcircò in se terminatam sursum, à Ruben scilicet inciperet, humilitatis prudentia cautum est, videlicet ne in tribubus XII. suæ solius, id est, Leuiticæ meminisse videretur. Illud quoq; non prætereundum, quia primus legis sacerdos Aarõ, ex ea tribu accepit vxorem, cui verum in Christo sacerdotium debebatur. Accepit enim Aaron vxorẽ, inquit, Elizabeth filiam Aminadab, sororem Naason, videlicet de tribu Iuda.

Quod ait ad Moysen, eccè cõstituite deũ Pharaonis.

CAPVT XXVI.

CAP. VII. ET locutus est dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus, loquere ad Pharaonem regẽ Aegypti omnia quæ ego loquor tibi. Et ait Moyses coram domino. En incircuncisis labijs sum, quomodo audiet me Pharao? Dixitq; dominus ad Moysen: Eccè constitui te deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loquéris omnia quæ mando tibi, ille loquetur ad Pharaonẽ, vt dimittat filios Israel de terra sua.) Post prædictam digressionem, illud quod supra dicere prosequitur. Nam quod illic dixerat, præsertim cùm incircuncisis labijs sim, hic idcircò repetit, vt adijciat, quidnam dominus ad hoc respõderit. Eccè, inquit, constitui te deum Pharaonis. Glorioſa virtutũ regina humilitas, quæ in cælum volare consuetuit, locuta est in eo, dicente se incircuncisum esse labijs, & idcircò dignum ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus, regnantis hominis se esse deum. Nec dixit Deus auctor deorum: Eccè constituam, sed, eccè constitui te deum Pharaonis, subauditur à constitutione mundi, nec enim ille deus deorum nouo quicquam consilio constituit aut destituit.

Quomodo deus Moysen constituit deum Pharaonis

Ac si dicat: Quoniam tu mitissimus virorũ, pro tam glorioso negotio, cũ Pharaone dimicare, & cum regib. confligere te indignũ ducis, atq; hoc modo vsq; ad nouissima terræ te deprimis, eccè ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamq́; te deũ, non quem ille fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet, vt imperes aquis pro potestate Dei, vt ranas crees, vt imperes terræ, ac cineri, faciasq́; in rege, & in exercitu eius cynifes & vesicas, imperes aeri, & pestem valdè grauẽ generet, imperes igni, & cum grandine mixtus feratur super peccatores. Ita imperando elementis deus eris Pharaonis. Et quia Pharao saltem cũ huiusmodi deo loqui non est dignus, Aaron frater tuus erit propheta tuus, plagas quas tu facies pronunciaturus, siue tanquã minister illaturus. Ergo sunt dij, in quorũ synagoga (iuxta Psalmistam) stetit deus, quos in medio dijudicat, quibus loquitur, ego dixi dij estis, & filij excelsi oẽs. Non enim sol, hic est, quo Pharao nõ erat dignus, sed & alij plures, quales cũ cõmemorasset Apostolus, ita cõclusit, dicens: Quibus dignus nõ erat mũdus. Tu, inquit, loquéris omnia quæ mando tibi, ille loquetur ad Pharaonẽ, vt dimittat filios Israel de terra sua. Item & superius dixerat: Ipse loquetur ad populum pro te, & erit os tuũ, tu aũt eris ei in his, quæ ad Deum pertinẽt. Et est sensus, sicuti sic diceretur: Tu deus Pharaonis constitutus, cui ego Deus deorum loquor facie ad faciem, vti loqui solet homo ad amicum suũ, non dignaberis multa loqui, vel orationẽ protelare cum rege Aegypti, vel faciẽ tuam aperire populãrib. ineruditis, sed loqueris prophetæ tuo Aaron, & contra Pharaonẽ & ad populum tuum, exemplo mei, qui nec verborum indicijs ago cũ principe tenebrarum, nec passim visibiliter appareo, mortalib. filijs hominum, sed per prophetas meos mando quæ illi audire emerentur, vel quòd facturus sim iudiciũ. Porrò, tu illi eris in his quæ ad deũ pertinent. De te enim loquente pariter & audiẽte ille accipiet quid loquatur. Et isti duo homines pauco tempore, ita egerũt, alter poteſtatẽ in sermone habens, alter potestati in faciendis corã Pharaone signis obtemperãs, vsq; ad immolationẽ paschalis agni, verũ & lex, quæ per Moysen data est, & sacerdotiũ quo primus Aaron functus est, idem eadem differentia egerunt, vsq; ad immolationem paschalis veri agni, scilicet Christi filij Dei. Nã postea neq; Moyses stat pro illo populo cõtra spiritualẽ Pharaonẽ, id est, diabolum, sed potius accusat euhdẽ populum, & de medio sublatum est sacerdotiũ Aaron, non iam habens altare vel templum. Antea cũ legeretur, Moyses præerat sacerdotibus de genere Aaron, in his quæ ad Dominum pertinent. Formidabant enim Moysen lectione sua, vt facerent sacrificia secundum exemplar quod in monte viderat, & illi pro populo loquebantur, contra Pharaonem, id est, diabolum, nunc autem remotis sacerdotibus illis, & statuto sacerdote secũdum ordinem Melchisedech, populo illi os suum clausit, & faciem suam velauit, ad istũ conuersus Moyses. (Sed ego, inquit, indurabo cor eius, &c.) De hac induratione supra dictum est: nunc cætera prosequamur.

Psal. 81.

CAP. VII

Sup. ca. 21.

De ætate Moysi & Aaron, & vnde clareat, quòd nequam regis edictum non fuerit impletum.

CAPVT XXVII.

ERat autẽ Moyses octoginta annorum, & Aaron LXXXIII. quando locuti sunt ad Pharaonẽ. (Hanc. i. octogenariam ætatẽ Moysi Stephanus protomartyr in Actibus Apostolorum ita distinguit: Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israel. Et cùm vidisset quendã iniuriã patientem, vindicauit eum. Et post pauca:

Actor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus, in igne flammæ rubi. Porrò vtrunq; scilicet, Aaron & Moysen natum constat post illud impij Pharaonis edictum dicentis: Quicquid natũ fuerit masculini sexus, in flumen proijcite, quicquid fœminei, reseruate. Post hæc enim, inquit scriptura. i. post ista Pharaonis edicta & acta, egressus est vir de domo Leui, accepta vxore stirpis suæ, &c. Cùm igitur & Aaron, qui de illa vxore triennio ante Moysen natus est, seruatus fuerit, & in exitu Israel de Aegypto paruuli, atq; infra viginti annos adolescentuli extiterint, claret: quia tale nequam regis edictum non præualuit, & vt nato Moysi timeretur, magis elegantia eius, de qua superius dictum fuit, causa erat. Quãdo loquuti sunt, inquit, ad Pharaonẽ Moyses & Aaron, Moyses octoginta annorum erat. Porrò cùm in deserto præfuisset populo quadraginta annis, mortuus est. Eratq; non plus quàm CXX. annorum. Non ergo relinquitur opinabili licentiæ locus, vt vel dubitare liceat, multo, an pauco tempore, coram Pharaone steterint in faciendis prodigijs.

Deut. 8. Nam ne ante XL. annum egressionis ex Aegypto obijsse illum suspicari vacet, morituros ipse in Deut. dicit: En quadragesimus annus est, vt recogites in corde tuo, sicut homo erudit filium suũ, sic dominus eruditiuit te, &c. Additi autem quadraginta priorib. LXXX. annis, sine dubio fiunt CXX. omnes

Deut. 34. anni Moysi, sicut in Deutero. scriptum est, quia Moyses CXX. annorum erat, quando mortuus est. Igitur LXXXI. ætatis suæ anno, in initio anni, id est, verno tempore, Moyses stetit coram Pharaone, & peractis signis, eodem tempore anni eduxit filios Israel de terra Aegypti.

De mystica ratione signorum, quæ facta sunt coram Pharaone.

CAPVT XXVIII.

DIxitque Dominus ad Moysen & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao, ostendite signa. Dices ad Aaron: Tolle virgam, & proijce eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum, &c.) Quoniam narratio signorũ in superficie literæ plana videtur, mysticas potius, adiuuante domini spiritu, requiramꝰ rationes, & tunc litera quoque benè procedentem sensum dignior apparens ipsa sequetur. Et primò quærendum, quid mysticè rationis habeat hæc diuina dispositio, quòd

Aegyptiorum plagæ ante immolationem paschalis agni, quo res omnis confecta est, X. fieri numero signa placuit, quibus Pharaonem superari non posse

I. nouerat, antequam faceret ipse qui fecit. I. fuit signum, vbi virga Aaron versa in colu-

II. brum, deuorauit virgas incantatorum. II. v-

III. bi aqua fluminis versa est in sanguinem. III. vbi ranæ descenderunt de aquis, & operue-

IIII. runt terram. IIII. vbi puluis terræ versus est

V. in cynifes. V. vbi deus misit oẽ genus muscarũ. VI. vbi mortua sunt peste animantia *VI.*

Aegyptiorũ. VII. vbi sparso cinere in cælũ *VII.*

facta sunt vulnera vesicarũ turgentiũ. VIII. *VIII.*

vbi dedit Deus tonitrua & grandinem, & discurrentia fulgura super terrã, & grando & ignis pariter mixta ferebantur. IX. vbi dixit *IX.*

Deus, & venit locusta & bruchus, cuius nõ erat numerus. X. vbi factæ sunt tenebræ hor- *X.*

ribiles in omni terra Aegypti. His decẽ quidem signis siue plagis vexatus quidem Pharao, & attrita est Aegyptus, non ita vt dimitteretur ab Aegyptijs Israel. Post hæc tandẽ tolli iubetur agnus in domos filiorũ Israel, immolandus XIIII. die mẽsis I. ad vesperã, & in illo res omnis peracta est. Mortua sunt eadem nocte omnia primogenita Aegypti, & ita Pharao victus, mollia locutus est, dicens: Egredimini citò, & abeuntes benedicite mihi. Et filijs Israel transeuntibus, Pharao rursus induratus, & omnes Aegyptij insequentes in mari rubro submersi sunt. Quorũ ergo in figura hæc facta, rectè quærimus.

De decem mandatis, quæ pendent in dilectione Dei & proximi.

CAPVT XXIX.

DIximus supra (quod omnibus notum est) per Pharaonẽ diabolum, per Moysen legem, per Aaron vetus significatũ esse sacerdotium, & per illa regnum diaboli, regnum peccati & mortis non destructum, sed motum fuisse & exasperatum propter mandatum. Sunt autẽ legis decem præcepta, quæ in Dei & proximi dilectione pendent vniuersa. I. est: Non habebis deos alienos coram me. II. Non facies tibi sculptile. III. Non as- *II.*

sumes nomen Dei tui in vanum. IIII. Me- *III.*

mento vt diem sabbati sanctifices. Quatuor *IIII.*

hæc ad dilectionem Dei pertinent, deinde *V.*

primum eorum quæ ad proximi dilectionẽ *VI.*

pertinent, in ordine vero V. est: Honora pa- *VII.*

trem tuum & matrem. VI. Non occides. *VIII.*

VII. Non mœchaberis. VIII. Nõ furtum fa- *IX.*

cies. IX. Non loquêris contra proximum *X.*

tuum falsum testimonium. X. Non concupisces. His X. iustitiæ præceptis, qui seruauerunt ea veteres sancti ante aduentum Christi, vexauerunt quidem spiritualem Pharao- *Hebr. 7.*

nem, id est, diabolum, repugnantes & resistentes illi, vt de regno mortis exirent, sed nõ prẽualuerunt: nihil enim lex ad perfectum adduxit, inquit Apostolus, vno quoque de ve- *Esa. 64.*

teribus. s. Esa. prophieta cõsonanter prædicãte: Sicut pannus menstruatæ oẽs iustitiæ nostræ: Tandẽ in hunc mundum ingreditur immolandus verus agnus, & sacrificium iustitiæ futurus Christus filius Dei, & quod per iustitiam hominum, quãtumuis fortiter præcepta legis adimplentiũ, fieri nõ potuit, ipse *Rom. 8.*

per suũ sanguinẽ solus impleuit. Nã q; impossibile erat legi (inquit Apost.) quæ infirmabatur per carnem, deus filiũ suum mittẽs in similitudinẽ carnis peccati, de peccato dãnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis implere-

Legis præcepta X.

implerẽtur in nobis. Igitur quemadmodum vespertina immolatio illius agni, per quem Pharao victus, & Israel liberatus est, agnum dei Christũ significauit vel passionẽ eius, per q̃ in nouissimis dieb. diabolus victus, & mũdus liberatus & saluatus est. Sic illa decem signa, vel plagæ, quib. ille Pharao flagellari quidem, sed non vinci potuit, decẽ legis præcepta significauerunt, quorũ obseruatione, mortis regnum inquietari quidem, sed non destrui potuit. Nunc eorundem signorum singula (testantibus plagis Pharaonis) digito Dei effecta, qualiter præceptorum singulis, quæ in tabulis lapideis eodem digito dei scripta sunt, conueniant, dicendum est.

De signis Aaron & magorum coram Pharaone.

CAPVT XXX.

TVlitq; Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrũ. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Aegyptias, & arcana quædam similiter. Proieceruntq; singuli virgas suas, quæ versæ sũt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Induratumq; est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præceperat dominꝰ. (Hoc fecit Moyses tanquam deus Pharaonis, quia quod solius diuinæ potestatis est, virgam inanimatam in verum animal conuertit, videlicet, quia transformauit in colubrum:) Deuorauit enim, inquit, virga Aarõ virgas eorum. Et rectè, illæ enim virgæ erãt quod fuerant, sed per incantationes Aegyptias & arcana quædam fascinauerant magi oculos hominum, vt virgæ viderentur eis speciem habere draconum. Deuorari ergo, & non deuorare potuerunt, quæ deuoratrices esse videbantur, & nõ erant. Mystice hic digitus Dei clarè præostendit, primum eorũ quæ scripturus ipse erat in tabulis lapideis: Non habebis deos alienos coram me. Virga nanque Moysi versa in colubrum, in mysterio est omnipotens sermo dei, qui missus est in terram in similitudinem carnis peccati. Porrò virgæ magorum fallaciæ sunt dæmonum, qui se pro dijs coli fecerunt. At ille, scilicet sermo Dei, carne indutus, deos gentium dæmonia esse conuincens, vt solus ipse adoraretur, cunctos fallaces deos deuorauit, dicens publica prædicatione, cum summa potestate: Non habebis deos alienos coram me, volentibus quidem, sed non valentibus operarij mendacij, contra veritatem stare, quorum illi magi Pharaonis patres vel exemplaria prima fuerunt. Quemadmodum enim (inquit Apostolus) Iamnes &

2. Tim. 3. Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient. Insipientia enim illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum.

Quid significet, quòd aquæ in sanguinem versæ sunt.

CAPVT XXXI.

DIxit autem Dominus ad Moysen: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum.) Et post pauca: (Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegypti, & super fluuios eorum ac paludes, & omnes lacus aquarum, & vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vasis, quàm in saxeis.) Secunda hæc plaga pœnam significat mandati secundi præuaricatoribus debitam, quòd dictum vel in tabulis scriptũ est: Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem, non adorabis ea, neque coles. Sequitur enim: Ego sum Dominus Deus *Exod. 20.*

tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Hoc denique vbi auditum est, & observari cœptum, omnes Aegyptiorũ aquæ, id est, idololatarum conscientiæ sanguineæ factæ sunt: multum enim sanguinem sancto

Exo. 5. rum fuderunt, quemadmodum isti Aegyptij, qui pro eo, quia dixerunt filij Israel: Eamus & sacrificemus deo nostro, crudelius in eos debacchati sunt. Vnde quia masculos eorum in aquam proiecerunt, meritò realiter quoque illis aquæ in sanguinem conuersæ sunt, vt affligerentur bibentes aquam flumi-

CA. VIII. nis, & postea persequentes illos in mari rubro submersi sunt. Sic omnibus imitatoribus eorum, adorantibus sculptilia, & in simulachris suis gloriantibus, & propter illa sanguinem fundentibus, sanguinẽ reddidit fortis zelotes dominus, vt bibant, & bibentes affligantur, non vno aut duobus, sed totis VII. diebus, sicut scriptum est. (Impleti sunt VII. dies, postquam percussit dominus fluuium.) Quo numero significatur vniuersitas seculorum. Nam in secula seculorum in sanguinem versi permanebũt fontes aquarũ, id est,

CA. VIII. profunditates sapientium, sculptilia facere scientium, & pro illis veri dei adoratores persequentium. Vnde in Apocalypsi auditur an-

Apoc. 16. gelus, dicens: Iustus es qui es, & qui eras sanctus, quia hæc iudicasti, quia sanguinem sanctorum & prophetarum fuderunt, & sanguinem eis bibere dedisti, vt digni sunt.

Quid significet quòd fluuij ranas ebullierunt.

CAPVT XXXII.

DIxitque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonẽ, & dices ad eum: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ra- *CA. VIII.* *Cur magi*

nis, & ebulliet fluuius ranas, & cæt.) Et ter- *cynifes fatium*

tium legis est mandatũ. Non assumes nomẽ *legis est*

domini tui in vanũ. Huius mandati præuari- *mandatũ.*

catoribus fœditatis opprobrium in ranis præfiguratum est. Quinam sunt vaniloqui isti, qui nomen dei in vanũ assumunt, nisi maximè loquaces poetæ, non solùm in fluuijs

Aegyptio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegyptiorum,sed & in cæterarum fabulan tes atque coxantes paludibus gentium? Vel qui iustius cõparantur fœditati ranarũ, quã poetæ perstrepẽtes in theatris ridicula figmẽ ta fabularum? Hi planè assumũt nomen dei in vanum,verbi gratia:Cum adulterio Ioui, & meretriculæ Veneri,nomen diuinitatis a scribunt. Et illæ quidem ranæ permolestæ fuerunt, ascendentes & ingredientes domũ regis,& cubiculum lectuli eius, & super stra tum eius & in domos seruorũ eius, & in po pulum eius,& in furnos eius, & in reliquias ciborum eius,istæ autem ranæ,id est,fabulo si poetæ corporaliter aures lectitãdo,& ocu los gesticulando delectauerunt, sed animis exitiales extiterunt.

Quid quod cynifes sint in omni terra Aegypti, quas malefici facere nõ valẽtes dixerũt: Digitus dei est hic.

CAPVT XXXIII.

DIxit Dñs ad Moysen:Loquere Aaron, extende virgam tuam, & percute pul uerẽ terræ,& sint cynifes in omni terra Ae gypti. Fecerũtq; ita,& reliqua.) Cynifes mus cæ sunt minutissimæ, aculeis permolestæ. Hic malefici Pharaonis defecerunt. (Nã fe cerunt,inquit,malefici similiter,vt educerẽt cynifes,& non potuerunt.) Supra dictũ est, quia fecerunt similiter incantationib.suis,vt verterent aquas in sanguinem,fecerunt simi liter,eduxeruntq; ranas super terram Aegy pti,In isto defecerunt.(Et dixerunt ad Pha raonem: Digitus dei est hic.) Hoc dixerunt victi, videlicet ad consolationẽ pudoris sui. Ac si dicerent:Siquidem pugnaret cõtra nos homo,preualuissemus:nũc autẽ qui pugnat, non hominis, sed Dei digitus est, & idcircò danda nobis est venia,quia vincimur. Quid nam hoc est,quòd malefici incantationibus suis aquas in sanguinem vertere, & ranas e ducere potuerunt, cynifes autẽ non potue runt? An cynifes videri quoq; potuerũt, sed quia molestos aculeos nulli infixerunt,idcir cò fallaciter fecisse conuicti sunt? Nẽpe quia sanguinis horror,& ranarum fœditas cõpræ henditur solo visu,idcircò præstigiatores ra nas falsissimas, & sanguinem fallacem fasci natis oculis ostenderunt. Cynifes autẽ,quia molesto quoq; aculeo, apertè dijudicantur, idcircò nõ fecerunt,quia quod verum esset, quod veraciter sentiretur, homines sine deo creare non potuerunt. Porrò iuxta anagogẽ puluerem terræ percutere,& cynifes facere, est in condemnationem superbiæ hominis, qui vtique puluis est, talia in scripturis verba facere,quæ sensus audientium, quia intelli gere digni non sunt,à vero repellant,quem admodũ cynifes & oculis ne videant, & au ribus ne liberè audiant, molestæ atque im portunæ existunt. Verbi gratia: Quartum legis mandatum est, memento vt diem sab batorum sanctifices. Tali dictione præuen tus Aegyptius, qui se dicit Iudæũ esse, & nõ est, nihil aliud hic imperari arbitratur, nisi sabbatum,quale odit Dominus, testãte ipso, cùm in prophęta dicit: Neomeniam & sab batum, & festiuitates alias non feram, Ka- *Esa.1.*
lendas & solẽnitates vestras odit anima mea.
Ita planè præuentus, illud sabbatum, illum septimum diem intelligere nõ meretur,quo compleuit deus opus suum quod fecerat,in quo requieuit,cui benedixit,& quem sancti ficauit,sicut ipse ait: Quem pater sanctifica uit,& misit in mundũ vos dicitis, quia blas phemas,quia dixi,filius dei sum. Sine huius reuerentia sabbati,de quo & Psalmista:Hæc *Gen.2.*
est dies,inquit,quam fecit Dominus,exulte *Ioan.10.*
mus & lætemur in ea, quid sunt in æstima *Psal.117.*
tione Iudæorum sabbata,& aliæ festiuitates, nisi quòd in oculis Aegyptiorum importu næ cynifes liberum lucis aspectum prohibẽ tes?Itaq; in conuertendo aquas in sanguinẽ, & educendo ranas,id est, in prædicando fu turas malorum pœnas, & contemnendo lo quaces poetarum fabulas inimici prædicato ribus veritatis, vtcunque comparare se pos sunt,sed vltra nõ proficient. Non enim quẽ admodum ipsi cæcati sunt, sic versa vice ve ritatis discipulos per sua sophismata, tanquã *Matth.12.*
per cynifes vagas & volatiles circunuenire *Luc.12.*
poterunt. Digitus,inquiunt,Dei hic est. No tum quidem, & celeberrimum apud fide ẽ dei ecclesiam est, spritum sanctum digitum dei esse vel dici. Nam & ipse filius,de spiritus sancti loquens potentia: Si ego,inquit,in di gito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnũ dei. Sed & plures digiti in eiusdem spiritus significatione dicuntur, quem admodum & vnus est spiritus, & tamen se ptem spiritus ante thronum legimus. Vnde & Psalmista:Quoniam videbo,inquit,cælos *Psalm.8.*
tuos opera digitorum tuorum. Pluraliter di xit digitorum, videlicet ob pluralitatem do norum vnius eiusdemq; spiritus sancti. Sed nunquid homines mente corrupti, videlicet incantatores & malefici illi, ita spiritui pro ximi erant, vt scienter dicerent, digitus Dei est hic,id est, proprietatem considerãdo eius personæ, causamq; propter quam diceretur digitus dei? Ergo nec isti à semetipsis locuti sunt,id est,nescientes quid dicerent,proprie tatem nobis confessi sunt spiritus sancti, ni hil aliud intendentes, nisi vt dicerent, virtus vel operatio Dei est hic.

Quid significet, quòd missum est omne genus muscarum,& quid in eo, quòd Moyses ait: Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino DEO nostro.

CAPVT XXXIIII.

DIxitq; dominus ad Moysen: Cõsurge & sta in diluculo corã Pharaone,egre dietur eũ ad aquas, & dices ad eũ: Hæc dicit Dominus,dimitte populum meum vt sacri ficet mihi. Quia si non dimiseris eum, eccè ego mittam in te & in seruos tuos,& in popu lum tuum, & in domos tuas omne genus

muscarum,&c.) Grande spectaculum Deus vniuerso orbi præstitit,cũ superbiam Aegyptiorũ non de leonibus & vrsis, sed de ranis
Psal.104. domuit& muscis. Dixit(inquit Psalmista)& venit cynamia,id est, canina musca, dignam illis fecit contumeliam, videlicet caninas sor des,& contumeliosam ipsorum superbiam omni genere muscarum domando. Hæc pla ga quinta est. Porrò quintum legis mandatũ dicit sic: Honora patremtuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus deus dabit tibi. Pulchrè hæc ex ad uerso respondent sibi. Nam istinc honorato res parentum sunt in terra viuentium lon gæui,illinc omnes cõtumelioſi, breui pereũt honore, velut gratia patris & creatoris dei
Eccl.10. indigni, quemadmodũ scriptum est de eius modi: Muscæ morientes, perdunt suauitatẽ vnguenti. Ergo potens & magnus Pharao rex Aegypti, à muscis penè victus est. Nam sequitur: (Vocauitq; Pharao Moysen & Aa ron,& ait eis: Ite sacrificate Deo vestro in ter ra ista. Et ait Moyses: Non potest ita fieri. Abominatiões enim Aegyptiorum immo labimus deo nostro. Quia si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus non obruent.) Gratis Aegyptiorum dete statio,& eorũ qui verè adoratores vnius dei esse cupiunt,pulchra instructio. Primò scien dum,quia de nullo hic pecore agitur q; vel abominandum,vel colendũ sit Aegyptijs,
Hier.7. vt Dño deo vero mactetur, aut immoletur. Nam per prophetã ipse loquitur: Holocau stomata vestra addite victimis vestris,& cõ edite carnes, quia non sum locutus cum pa tribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holo caustomatum & victimarum, sed hoc præce pi eis dicens: Audite vocẽ meam,& ero vo bis deus,& vos eritis mihi populus,&c. Quæ nam ergo sunt abominationes Aegyptiorũ, nisi fides,& omnes animi virtutes? Vel quæ colunt Aegyptij, nisi omnia vitia? Abomina
Psal.50. bilisnanq; est superbis humilitas, & iniustis vniuersa iustitia. Dicit aũt scriptura: sacrifi cium Deo spiritus contribulatus, cor contri tum & humiliatum deus nõ despiciet. Econ trario,tumidam ceruicem & cor crassum Aegyptij colunt: Sed enim hæc primitus ma ctare debet verus Israel,& tunc demum,spi ritum contribulatum,& cor offerre contri tum atq; humiliatũ, vt legitimum & ritè or dinatum sit sacrificium. Igitur abominatio nes,inquit, Aegyptiorum.i. veritatẽ & san ctitatẽ immolabimus, & ea quæ colunt Ae gyptij, scilicet omnẽ falsitatem, omnemq; prauitatem,vnum verum deum colendo,in nobismetipsis immolabimus. Sed omnes qui hoc ordine volunt immolare, persecutionẽ patiuntur: Ait ergo. Quod si mactauerimus ea,quæ colunt Aegyptij,corã eis,lapidib nõ obruẽt. Iuxta anagogen nõ auditur Pharao dicens: Ite sacrificate Dño deo vestro,sed tã tum in ista terra, cũ dicit Apostolica veri sa crificij tuba: Nolite iugum ducere cum infi delibus: Quæ enim participatio iustitiæ cũ *2.Cor.6.*
iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tene bras? Quæ autẽ conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autẽ consensus templo dei cum idolis.

Quid significet, quòd super agros, & super iumenta pestis grauis facta est.

CAPVT XXXV.

DIxit autẽ Dñs ad Moysen:ingredere ad *CAP.IX.*
Pharaonẽ, & loquere ad eum. Hæc di cit dominus Deus Hebræorum: Dimitte po pulum meum vt sacrificet mihi. Quod si ad huc renuis,eccè manus mea erit super agros tuos, & super equos,& camelos,& asinos,& oues,& boues pestis valdè grauis,&c.) Hæc iam sexta peccatorum plaga, sexti mandati transgressorib. flagellum illis pronunciat. Nam & illic dicitur,nõ occides,& hic occiso ribus infantum filiorum Israel, quos in flu uium proiecerunt,mors in aquis eorum cõ secutura eos approximat. Primum in anima lia vindicta grassatur, non repentè eruẽs,sed paulatim ad ipsos vq; progrediens,ac pedetentim corripiens peccatores,vt inexcusabi les sint. Nam de tali retardatione dei vindi ctæ Apost. dicit: An diuitias bonitatis eius & *Rom.2.*
patientiæ,& longanimitatis contemnis,igno rans quoniã patientia Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundum duritiã autem tuã & cor impœnitens thesaurizas tibi iram die iræ. Cũ ergo hæc dicit,subaudiendum est, quemad modum Pharao sibi thesaurizauit, cuius ex emplum ex auctoritate præsentis scripturæ cauendum est omni homini, cuicunq; peccã ti vindicta quasi tarde occurrit, ne cum ve nerit, tanto copiosior, quanto tardior obue niat duro atq; impœnitenti, quemadmodum *CAP.X.*
& huic cui magis ac magis indurãti cor suũ, tandem æternæ iræ totus thesaurus, quẽ con gregauit,in mari rubro incubuit.

Quid significet, quòd puluis factus est super omnem terram Aegypti.

CAPVT XXXVI.

ET dixit Dominus ad Moysen & Aa ron: Tolle manus plenas cineris de cami no,& spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone, sitq; puluis super omnem terram Aegypti, erũtq; in hominib. & in iumentis vulnera & vesicæ turgẽtes in vniuersa terra Agypti.) Hæc plaga septima, septimo mãda to,imò ei qui mãdati septimi trãsgressor est, meritã pœnam præsagit. Mandatum quippe septimũ est,non mœchaberis. Quid autẽ est adulter cõbust⁹ libidinis igne sulphurio, nisi cinis de camino? Omnes enim adulteran- *Osea.7.*
tes(inquit propheta) quasi clibanus succen sus à coquente. Tollitur ergo & spargitur in cælũ cinis de camino, fiuntq; vulnera ves icarũ turgentium, in hominibus & iumẽtis, quia rapitur mœchus de perpetrati adulterij incendio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

incendio, ad cæleste iudicium: & æterna pœna turgens, totusque vlcerosus, sempiternũ in anima & corpore portat incendium. (Nec poterant (inquit) malefici stare coram Moyse propter vulnera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti.) Eccè tertio victi sunt, vnde & deinceps nulla fit mentio maleficorum, perijt enim memoria eorũ. Primò virgis suis, non sine confusione exarmati sunt, quia virgo Aaron deuorauit virgas eorum. Secundo confusi, quia cùm non potuerunt cyniphes educere, dixerunt: digitus Dei hic est. Hoc iam tertio superati sunt, vt possent respirare spe vllius victoriæ. Vlcerosi quippe & ipsi, nec iam poterant stare corã Moyse. De simili confusione certi sunt, quicunq; resistunt veritati. Insipientia enim eorum (inquit Apostolus) manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. *2. Tim. 3.*

Quòd grando & ignis pariter mixta ferebantur: Et de eo quod ait Deus: Idcircò autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.

CAPVT XXXVII.

DIxitque Dominus ad Moysen: Mane consurge, & sta corã Pharaone, & dices ad eum. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi, &c.) Et subinde: Idcircò autem posui te, vt ostendam in te fortitudinẽ meã, & enarretur nomen meũ in omni terra, & cætera.) Terribilis huius sententiæ Apostolus ita meminit. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est dei, dicit enim scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, vt annuncietur nomẽ meũ in vniuersa terra. Protinus quicunque est proteruus scrutator iudiciorum Dei dicendo, quid adhuc quæritur, voluntati eius quis resistit, rectè indignãtem eundem Apostolum audit: O homo tu quis es qui respondeas Deo? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Ita ille qui propter suam proteruiam cognitione Dei secretorũ dignus non est, ab auditorio suo procul repulsus, conuertitur ad eum qui mente subdita in timore Domini, vel exiguam rationis stillam, à cælesti magisterio deposcit, & dicit huic. Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patiẽtia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, &c. Cùm hæc dicit, profectò Deum ab hominũ suspitione defendit, ne liceat cuiquam suspicari, quòd idcireò vel Pharao, vel quisquam alius iram sibi iniquam thesaurizauit, quia in hoc ipsum Deus illum excitauerit. Nam idcircò potius Deus Pharaonem excitauit, subauditur in regnum, & idcircò summam illi potestatem contulit, quia vas iræ fuit, & quia iamdudum aptus erat in interitum, idcircò corripiendis superpositus est misericordię filijs vt esset virga furoris & baculꝰ in manu Domini super eos, quos per tribulationem in gloriã transferre præparauit. Igitur cùm dicit, idcircò excitaui te, subaudiendum est in regnum, permittendo videlicet, nõ agendo, vt in summum ascenderes imperium, & haberes potestatem secundum nequitiam vel duritiam cordis tui, sæuiendo in populum meum. (En, inquit, pluam hac ipsa hora cras, grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto à die, qua fundata est.) Ac deinceps. Et pluit Dominus grandinem super terram Aegypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebãtur. Octaua hæc plaga est, iam cunctis superioribus propinquior ad implendam eorũ perditionẽ. Percussit enim grando in omni terra Aegypti, cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vsque ad pecus. De hominibus nondum quisquã fuerat mortuus, sed hac plagã iam illorum primitiæ feriebãtur. Porrò octauum legis mandatum est, non furtum facies. Sanè cùm sint plures differentiæ furti, pessimum illud constat furtum esse, quod est veritatẽ dei in iniustitia detinere. Huic peccato meritam pœnam hæc plaga denunciat, quæ de cælo facta est, vbi grando & ignis mixta pariter ferebantur. Reuelatur enim ira dei de cælo (inquit Apostolus) super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem dei in iniustitia detinent: quia cꝙ notũ est Dei, manifestũ est in illis: deꝰ em illis reuelauit. Hoc deniq; cꝙ dixerat, qui veritatẽ dei in iniustitia detinent, subsecutus exponit. Quia cùm cognouissent Deum, inquit, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrũ, & quadrupedum, & serpentum. Item quæ sit ira Dei, quæ de cælo super impietatem reuelatur, quæq; hic per grandinem, & ignem designatur, terribiliter exprimit, cũ protinus subdit: Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, &c. Grando hæc, & ignis iste, cunctam, inquit, herbam agri pecusit, & omne lignũ regionis contriuit, quia videlicet hæc prædicta est ignominia, secundum Apostolũ cunctam humanam substantiæ pulchritudinem cælesti ira in vasis iræ iniecta polluit, vniuersam rationalis creaturæ dignitatẽ omni modo destruit. Multa quæ sequuntur, quoniam per se patẽt, studio proficiscendi præterimus. *Rom. 9.* *Rom. 1.*

Quòd leuata sunt locustæ super vniuersam terram Aegypti.

CAPVT XXXVIII.

DIxitque autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Aegypti ad locustam, vt ascendat super eã & deuoret omnem herbã, quæ residua fuit grandini. Et extendit Moyses virgam super terram Aegypti, & dominus induxit virentem ventum tota die illa & nocte. Et mane facto, ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti,) & reliqua. Ecce quales instruxit acies, quibꝰ ex ordinibus sua castra compleuit dominus pugnando pro Israel, ranæ, cyniphes, muscæ atque locustæ fuerunt castrorum eius acies, & ex eiusmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios composuit legiones. Singuli milites secundum se breues quidem, & infirmi: verùm pro exercitibus Pharaonis satis valentes fuere, duce imperio Dei. Nempè quod multus hominum exercitus facere non potuisset, istæ phalanges locustarũ strenua peregere militia. (Operuerunt enim vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Quamobrem festinus Pharao,) tanquam ad deditionem, (vocauit Moysen & Aaron,) duces tanti exercitus, atque primates imperatoris eius Dei. (Peccaui, inquit, in dominum Deũ vestrum, & in vos, sed nunc dimittite peccatum meum, etiam hac vice, & rogate dominum Deum vestrum, vt auferat mortem istã à me.) Hoc & supra dixit, peccaui etiam nũc. Dominus iustus, ego & populus meus impij. Hoc & illud velut dedititius dixit, sed vbi data est requies, velut refuga indurauit cor suũ, nec dimisit filios Israel. Nõ ergo satis est cuiquam dixisse peccaui, nec prodesse potest cõfessio, non admixta fide. Attamen à locusta victus est fortis rex. Proinde satis eleganter cum dixisset quodã loco per prophetam: Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & eruca, continuò addidit: Fortitudo mea magna, quam misi in vos. Fortitudo, inquit, mea magna, locusta, bruchꝰ, & eruca, subauditur, nõ supernarũ virtutum, & fortitudinum cælestium, sed infirmorum atque imbecillium comparatione hominum, in infirmitate sua superbientium, qui ceruicem erigunt contra Deum, quam pulici subijciũt. Hæc locustarum plaga nona est. Porrò nonũ legis mandatum hoc est, Non loqueris cõtra proximum tuum falsum testimonium. Hoc videlicet maximè hæretici faciunt, & omnes qui loquuntur mendacium. At verò in Apocalypsi Ioannis hæreticorum mendacij vis per speciem locustarum hoc modo designata est: Et ascendit, inquit, fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aer, & de fumo exierũt locustæ in terrã, &c. Et illic vbi de fumo exierunt locustæ in terram, & hic ventus vrens leuauit locustam, mysticè idem intelligendum, videlicet, quia sicut locustæ proprium nõ habent volatum, sed vento in perniciem Aegyptiorum sunt leuatæ: sic omnes falsi testes, siue in foro, siue in ecclesiastico concilio, contra sanguinem proximi, siue contra fidem Christi falsa de scripturis testimonia proferentes, volare se putant pennis scientiæ, sed proculdubio per inane tolluntur vẽto diabolicæ superbiæ, ad subuersionem audientium, ad perditionem sibi consentientium. *Sup. ca. 9.* *Iclo. 1.* *Apoc. 9.* *CAP. X.*

Quòd factæ sint tenebræ horribiles in terra Aegypti.

CAPVT XXXIX.

DIxit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, & sint tenebræ super terram Aegypti, tam densæ, vt palpari queant. Extendit Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat. Vbicunque autem habitabant filij Israel, lux erat.) Hæc tenebrarum horribilium densitas, rectè Aegyptijs secundum nomen & meritũ suum illata est. Aegyptij namque nomine dicuntur & re, quia videlicet inuidia & odio filiorum Israel oculi eorũ fuerant obtenebrati. Porrò vt ab ipsis Aegyptiorũ tenebris teipsum liberes, quæ decima plaga est, & decimum legis mandatum tibi audiendum est, scilicet non concupisces domũ proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, nõ seruum, non ancillam, non asinum, non bouem, nec omnia quæ illius sunt. Vt, inquam, cum Aegyptijs non maneas in tenebris, sed cum Israel in luce habites, hoc tibi mandatũ obseruandum est. Quid enim magis quã concupiscentiæ oculus totum hominem obscurat? Lucerna corporis tui (inquit dominus) est oculus tuus. Si oculus tuꝰ fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autẽ nequam fuerit, etiã corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Quid, inquam, tenebrosius oculo nequam. Verbi gratia, cum videt mulierem ad concupiscendum eam, cum intuetur aliquam rem proximi, vt rapiat eam? Nempè hic talis neminem proximum agnoscit. Si enim agnosceret proximum, non faceret in eo quicquam eorum, quæ suadet illi cupiditas, radix omnium malorum. Vndè signanter de Aegyptijs est dictum, quia tribus diebus nemo vidit fratrem suum. Cupiditate namque præoccupatus animus, non videt fratrem suum, nõ agnoscit proximum suum, eo tãtum intentus, vt loquatur contra illum falsum testimonium, vt furetur, quia concupiuit quæ illius sunt, vt mœchetur vxorẽ eius, quia cõcupiuit eam, quod procul non est videre fratrem, vel agnoscere proximum. (Vocauitq; Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate domino.) Sequitur paulò pòst. (Indurauit autem dominus cor Pharaõis, & noluit dimittere eos.) Quinimo & sic ait: (Recede à me, caue ne vltrà videas faciẽ meã, &c. *Matth. 6.* *CAP. XII.*

Conclusio eorundem signorum, & prælibatio mysterij cur per hæc signa non victus Pharao tandem immolatione agni paschalis superatus sit.

CAPVT XL.

IGitur (sicut superius dictum est) decẽ plagæ Aegypti, quibus Moyses & Aaron affligere

Universidad de Deusto
Biblioteca

fligere quidem Pharaonem, sed non ita, vt dimitteret populum, vincere potuerunt, mysticè decem legis præcepta sunt, quæ obseruando quisq; iustus, pugnare quidem contra diabolum, sed ita non superare potuit, vt in seipso funditus destrueret peccati vel mortis regnum. Porrò immolatio agni, quam eadem nocte subsecuta est mors primogenitorum Aegypti, & ortus est clamor magnus, neq; enim erat domus in qua nó iaceret mortuus, quid significet iamdudum totus nouit Israel Dei, & itidem iam supra dictum est, quia passionem significauit Christi filij Dei, per quã & originale peccatum, & omnia deleta sunt peccata mundi: Itaque iam abhinc narratio tanti operis Dei prosequenda est in laudem & gloriam eiusdem agni Dei sancti & immaculati, q̃ solus tulit peccata mundi, vna tantũ plaga crucis suæ spiritalem tangendo Pharaonem vt salutem perficeret populi sui, quem lex decẽ prẽceptorum decretis ad perfectum adducere non potuit.

LIBRI PRIMI IN EXODVM FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN EXODVM COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

Consideratio rursus tertiæ ætatis mũdi, qua primo sancta scriptura condita, secundum similitudinem diei tertij.

CAPVT I.

RVocemus ad memoriam, quòd ab Abrahã, tertiã mundi sumimus ætatem, tertio mundanæ creationis diei quadam similitudine respõdentem, & eius qui sursũ à spiritu timoris tertius est spiritus sciẽtiæ veras diuitias possidẽtẽ. Tertio namq; die, dicente Deo: Germinet terra herbã virentẽ facientẽ semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, paradisum voluptatis plantatum esse accepimus. Et hac tertia mundi ętate, loquente pariter & scribente eodem Deo per Moysen, sanctam scripturam conditam nouimus verè paradisum voluptatis, verè deliciarũ hortum, hortum conclusum, fontem signatum, cuius emissiones paradisus malorum punicorum. Hinc enim cæteræ omnes scripturæ habent principium. In illo paradiso plantauerat dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiã vitæ in medio eius. In isto scripturæ paradiso plantauit pulchra & suauia, patriarcharum plantaria, & in medio eorum speciosa ligni vitæ, id est, Christi mysteria. Proinde in hac ætate diutius immoramur, pomorum fructib. delectati, dum de singulis lignorum aliquid carpere cupimus, noua semper pulchritudine oculos inuitante, atque ideo auiditate mẽtis nunquam cõtenta repositis. Cuncta siquidem visu pulchra, cuncta sunt ad vescendum suauia. Lignum enim vitæ est in medio eorum: cuncta enim dicta vel acta in vitæ auctorem Christum respiciunt. Igitur quia ad hoc medium, id est, paschalem agnum peruenimus, libet diutius immorari, dulce est enim vitæ mysticis fructibus vberius pasci. Paucis interpositis, quę per se satis patent. Ita sequitur.

Gen.1.

Can.4.

De mense paschali, quem dicit, primum esse in mensibus anni.

CAPVT II.

DIxit quoq; Dominus ad Moysen & Aaron in terra Aegypti. Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensib. anni. Loquimini ad vniuersum cœtũ filiorũ Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat vnusquisq; agnũ per familias & domos suas, &c.) Mensis iste inquit: Quis iste mẽsis? Is videlicet, quem illi Nisan, nos Aprilẽ dicimus. Verùm non quomodo apud nos. i. Romanos, sic & apud illos mensis vel annus cõputatur. Nã Romani solarẽ annũ in mẽses placitos per Kalendas diuiserunt: Hebræi secundum legem solos lunares mẽses & annos nouerunt. Vndè quoties in hac scriptura sancta siue in lege, siue ante legem quota die mensis quid factũ, quidue dictũ sit indicatur, nihil aliud q̃ lunæ ætas significatur. Et alius quidẽ 30. alius autem 31. dierum mensis habetur, videlicet, quia lunæ cursus 29. diebus, ac semisse. i. duodecim horis perficitur. Iste igitur mẽsis quẽ lunã Aprilis mensis decimus, principiũ ait vobis mensiũ erit. Signanter dixit vobis. Nã Aegyptijs principiũ erat mensiũ, mensis qui Septẽber nominatur apud Romanos, & apud illos dicitur Toth. Nec cõtentus dixisse principiũ mẽsiũ, addidit, primus erit in mensib. anni. Principiũ videlicet mensiũ, proverni tẽporalis naturali ordine: primus in mẽsibus anni pro paschali, diuinæ auctoritatis festiuitate. Primus enim. i. præcipuus, & cæterorũ mensiũ festiuũ decus vobis (inquit) habebitur. Huius principij mensiũ, siue primi mẽsis, hic tenor est legitimus, vt post lunã mẽsis Martij, qui apud illos dicit Adar, sequens luna si vel vno die citius ante æquinoctium plena euenerit, nó habeatur principium, vel primus mensis in mensibus anni, sed superioribus duodecim mensibus additus, annũ peragit tredecim mensium, vndè & Græcè embolismus, id est, supercrescens, dicitur: Nam duodecim mensium lunarium, annus communis dicitur, quo prolixior est solaris annus vndenis diebus. Vndè fit, vt multiuagus nusquam certo loco cõsistat lunæ discursus, & luna mensis Aprilis, quem propter paschæ rationem quærimus nunc in Martium mensem, nunc in Aprilem incidat, nunc aliquot dies mensis Maij occupet, rectius tamẽ Aprili deputetur. In qua eius vagatione nos tamẽ certa regula dirigimur, vt post æquinoctiũ vernum, vbicunq; primum occurrerit pleni lunium, is sine dubio paschalis sit terminus.

CAP. XII

De decima die, & quartadecima eiusdem mensis, & de mysterio agni eiusdem.

CAPVT III.

DEcima die, inquit, mẽsis huius, tollat vnusquisq; agnũ per familias & domos suas. Hoc loco nihil aliud familia à domo differt, nisi quod à parietibus domus eius habitatores. Per domos, inquit, id est, inter domesticos parietes, & per familias vestras. i. singuli ad esũ familiæ vestræ tolletis agnum. Sed fortè familiola tam exigua sit alicubi, vt ad vescendum agnum eadem hora sufficere nó possit. Ait ergo: (Si autem minor est numerus, vt sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad vescendum agnum.) Et continuò: (Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus.) Non, inquit, licebit, vt secũdum quantitatem domesticæ familiolæ suæ maiorem quisque vel minorẽ tollat agnum, sed erit secundum æqualitatem. i. omnibus vbique masculus, apud omnes anniculus. i. vnius anni. Vt autem non desint qui vescantur: prouidebit, & de vicina domo sumet domunculæ dominus. (Iuxta quem ritum tolletis & hœdum.) Hoc per anticipationẽ dictum est. Necdum enim ipsum tollendi agnum dixerat ritum, & iam dicit, iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Et est sensus: Siue agnum siue hœdum tollat quis, pro causa benè erit, dummodo in tollendo, immolando, vescendo, ritum eundem obseruetis. Ritum eundẽ continuò subnectit. (Et seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius.) Vt quid tam diu ante tolletis, tanto tempore seruaturi? Videlicet vt dum ille præstò est, causa quoque eius corda vestra sollicitet, ne sitis immemores, vel imparati, quia transeundum est, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet. Quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus, exituras castrorum acies excitet. (Et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel, ad vesperam.) Tot vtique agni vel hœdi erant, quot in vniuersa multitudine filiorum Israel domus vel familiæ esse poterant. Veruntamen rectè immolabis eum, dixit singulariter, non solum quia plures agni, vel plures homines sint (vt philosophi perhibent) participatione speciei vnus agnus vel vnus homus, sed quod magis ad rem attinet, quia in omnibus vnitas sacramenti, in cunctis vnius erat futuri, de quo postmodum dicendum erit. (Et sument de sanguine agni, & ponẽt super postem vtrunque, & in superliminarib. domorum, in quibus comedent illum.) Cur ita fieri iubeat, primus aperire videtur, cum dicit: (Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti.) Et paulò post. (Trãsibit enim dominus percutiens Aegyptios.) Ait Moyses ad seniores Israel. (Cumque viderit sanguinem in superliminari, ac in vtroque poste, transcendet ostiũ, & non sinet percussorem ingredi.) Nõ per semetipsum percutit, sed potestatem dat angelo percutienti, angelo malo, sicut & Psalmista testatur, cum dicit: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissionem per angelos malos. Ergo nec ipsa subita Dei, sed missa in eos ira indignationis eius est, quæ transit. Et rectè percussori tradũtur angelo malo, postquam subijci noluerint per semetipsum corripienti, & decem plagis ad pœnitentiam inuitanti Deo. Porrò quod ait: videbo. i. fidem vel attentam credentium expectationem approbabo. Nec enim obliuiosus est, aut errabundus incedit Deus, vt nisi signum sanguinis viderit in postibus, nesciat quibus in domibus sit, aut nó sit comestus agnus, & errore deceptus percutiat pariter iustos cum peccatoribus. Ita non quidem sanguis agni bibitus est: alio namq; loco scriptũra dicit: Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, excepto quod carnem cũ sanguine nó comedetis: sed nihilominus proficit, cum eius intuitu non sinitur percussor domum ingredi. (Et edent, inquit, carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.) & reliqua. Quid causæ secundum literam, vel vtilitatis hæc habeãt, quòd cum azymis panibus, & cũ lactucis agrestibus agnus comedi iubetur, scire non possumus. At verò quod ait: (Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane, si quid residui fuerit, igni comburetis.) Idcirco secundum literam debet intelligi, quia videlicet qui comedat hoc sacrum mane, Hebræus nullus erit, media nocte cogentib. exire Aegyptijs. Et nunquid consueuerat populus ille carnes comedere crudas, vt dicatur eis, non edetis ex eo crudũ quid? Porrò quod (sic, inquit, comedetis eũ, renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenẽtes baculos in manibus, & comedetis festinãtes,) potest idcirco factum vel dictũ intelligi, vt qua hora fieret clamor in Aegypto, quòd mox futurũ erat mortuis omnib. primogenitis, illi essent parati vrgen-

Psal. 70.

CAP. XII

Gen.9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus Aegyptijs,& exire compellẽtibus, nullamq; omninò in proficiscendo moram facere sinentibus. Proinde iam & nos proficiscamur, videlicet ab ista literali gloria, quæ euacuatur, ad permanentem in facie Christi gloriam viuificantis spiritus. 2. Cor. 3.

Mystícè de eodem agno, quòd in illo figura, in nostro autem pascha veritas sit. CAPVT IIII.

1. Cor. 5. IAm phasè siue pascha, id est, transitum nostrũ, nouimus, Apostolo dicente: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Illic figura, hic autem veritas. Illic vmbra, hic autem corpus est. At verò, inquis, per eandem fidem saluati sunt illi, per quam saluamur & nos. Acquiescimus, quia per eandem fidem, sed non per eandem fidei confessionem. Hodie palã exigitur, vt corde credas ad iustitiam, & ore confitearis ad salutem, quia verꝰ est agnus, Christus filius Dei, qui nos morte sua redemit de morte, qui nos sanguine suo consecrauit, & resurrectione sua in vitam reparauit. Et hoc præfiguratum fuisse, in illa immolatione paschalis agni, in illo transitu filiorum Israel, in illa submersione curruum & exercitus Pharaonis, filijs Israel per mare rubrum transeũtibus, manifestum est. Nunquid iam illi habebant fidei vel confessionis scientiam? Et quidẽ Moyses, & prophetæ, alij plus, alij minus secundum placitum spiritus sancti, diuidentis singulis prout vult, sacramenti huius habuere notitiam, sed qualiter hoc à populo subtegere deberent, in vno Moyse omnibus Rom. 10. Exod. 34. significatum est. Vbi enim cognitionẽ secretorum cælestium accepit, facies eius secundũ similitudinem mentis refulsit, sed splendoré eundem non valentibus sustinere filijs Israel, velamine operuit. Nunquid splendidã faciem tàtum operuit, & splẽdoris causam, scilicet sacramentorum Christi filij Dei cognitionem, publica cunctis prædicatione operuit? Non vtique, sed sicut faciem tantùm operuit sub velamine, sic secretum spiritus abscondit sub tegumento literæ. Sed & prophetæ palam annuntiare prohibiti sunt. Vndè veni illorum dicitur: Liga testimonium, signa legẽ in discipulis meis. Et alij dictum est: Tu ergo signa visionem, quia post dies multos erit. Item: Vade Daniel, quia clausi signatiq; sunt sermones vsq; ad tempus præfinitum. Igitur fides quidem exigebatur à populo Israel, scilicet vt crederent, quòd Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, vnus & solus verus Deus esset, & quòd in semine Abrahæ benedicendæ essent omnes gentes: sed illud ab eis exigi non poterat, quòd non eis erat annuntiatum vt crederẽt, scilicet quòd hoc modo, vel tali ordine benedictiones illæ implendæ forent in Christo. Si enim cognouissent, inquit Apostolus, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Quid cognouissent? Sapiẽtiã, inquit, quã loquimur inter perfectos, sapiẽtiã verò nõ huius seculi, Esa. 8. Daniel. 8. Ibid. 12. 1. Cor. 2.

neq; principũ huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur sapientiã Dei, in mysterio quę abscondita est, quã prædestinauit Deus ante secula in gloriã suã, quã nemo principum huius seculi nouit. Si enim cognouissent, nunquã dominum gloriæ crucifixissent. Itaq; & hanc immolationem agni paschalis, & cætera quæcunq; (vt ait idẽ Apostolus) in figura cõtingebant illis, sic accipimus & sic legimus, tã quam actuales prophetias vel promissiones Christi venturi, clausas sub sigillis quæ solus aperire posset idem agnus Dei, quod & fecit postquã resurrexit à mortuis, dicente Euangelista: Quia tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Idcirco verò passionis eius mysterium in huiusmodi figuris præfiguratum est, quia nõ caperet mundus, vt sibi iam tunc dictis manifestis prænunciaretur, nec huiusmodi manifestatio spiritus in eo tẽpore ad vtilitatem daretur. 1. Cor. 10. Apoc. 5. Luc. 24.

De testimonio Ioannis, dicentis: Ecce agnus Dei, & quid significet, quòd agnus in plenilunio immolari iussus sit. CAPVT V.

ET in hac quidẽ figura agni, qualis res indita sit, ex eo maximè clarescit, quòd Ioannes, Christum digito demonstrans. Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Cũ enim hæc dicit, profectò (vt est lucerna ardens, & lucens) illam nobis illustrat vesperam, qua omnis multitudo filiorum Israel istum, de quo diximus, agnum tali ritu immolauit, & cuncta quæ illic acta sunt in tenebris, hic in vero lumine manifesta dicit: Cuncta splendida, cuncta diuinæ ratiõis sunt plena. Primũ ipsum quo immolatur agnus plenilunium, mysticè illa plenitudo tẽporis est, de qua dicit Apostolus: At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. In plenitudine namque temporis, id est, quando multus iam impletus erat electorum numerus apud infernalẽ Aegyptum, redemptionem suam expectantiũ, tunc venit filius Dei, tunc venit agnus Dei tollere peccata mundi. Quid illud, quòd non ante, sed post vernum immolatur æquinoctium? Nempè ab æquinoctio verno, superare incipit dies noctem: nam ante illud tempus prolixiores tenebras, breuioremq; habemus lucẽ. Ergo & in hoc mysterium est, quia videlicet ab immolatione agni incõtaminati & immaculati Christi, cœpit lux iustitiæ, peccatorum tenebras superare. nam antea longa & profunda peccatorum nox, breuis autem & nubilosa, legalis iustitiæ lux erat. Sed & ipse mensis Nisan, id est, Aprilis, verna temperies, cum tellus resloresci, totusq; post hyemem, quasi post senium, rursus iuuenescit orbis, nonne sensatum hominem docet, quatenus renouatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spẽ lætus, & charitate floridus, paschalis agni epulis interesse spiritualibus. Ioan. 1. Verna temperies.

Quod

Quòd verus agnus Christus secũdum legis mysterium, decima die ciuitatem intrauerit, & quarta decima, ad vesperam, manducandi corporis, & bibendi sanguinis sacramentum instituerit.

CAPVT VI.

Quomodo Christus agni typici mysteria impleuit. BEnè ergo verus iste agnus immolationis suæ tempus ipsum, quòd typico præscripserat agno, per omnia prouidit. Mẽse primo decima die mensis, quo secundum legem agnus, in domos Iudæorum tollebatur, intrauit in sanctam ciuitatem Hierusalem, turbis deducentibus, & quàm diu idem secundum legem seruatus est, tam diu & iste circa ciuitatem eãdem, & circa templum demoratus est, id est, vsque ad quartamdecimam diem mensis eiusdem, sanctæ scripturæ herbam ruminans, & ad vitæ æternæ pascua interim suos auditores iugi balatu inuitans. Tãdem quartadecima die, ad vesperam, vbi illum paschæ veteris agnum comedit cum discipulis suis, tunc ipse noui sacrificij agnus continuò capiẽdus & ducendus ad immolandum, iam in angustia passionis agonizans, prius proprijs manibus Deo patri semetipsum immolauit, accipiens panem & vinum, & mira atque ineffabili sanctificationis potẽtia transferẽs hæc in corporis & sanguinis sui sacramẽtum. Nã, quòd deinde in manibus peccatorum crucifixus & mortuus est, idem agnus præteritorum atque præsentium salus omnium continuò fuit, & ad illos qui in inferiori Aegypto, id est, in infernalibus detinebantur tenebris, descẽdit: quiq; per quinque retroactas mũdi ætates, ibidẽ fuerãt collecti. Vndè & cõstat recte quinque diebus, à decima scilicet vsq; ad quartamdecimã mensis agnum seruari, quia videlicet, ex quo in typum eiusdem filij Dei, primus Abel agnum obtulit, quinque fluxerunt ætates mundi, quarum in fine immolandus erat hic verus agnus Dei. Continuò, inquam, vt manibus impiorum occisus est filiꝰ Dei, destructum est regnum mortis, & soluta captiuitas populi Dei, non valentibus eos tenere Aegyptijs, quos ita cum principe eorũ diabolo mortis præpositio virtus sanguinis Christi obruit, quomodo illos Aegyptios homines, regemque eorum Pharaonem, cũ curribus eius profundum maris inuoluit. Quod verò manibus suis (vt iam dictum est) corpus & sanguinem suum sub specie panis, ipse sumus pontifex obtulit, & hoc facite in meam commemorationem dixit, eorum salus est, qui in ista vita detinentur, quibus Aegyptꝰ hic mũdus est, quibus vera captiuitas sub diabolo mundi principe, ignoratio Dei. Nisi enim hoc sacramentum corporis & sanguinis sui cum mysterio baptismi, in quo similitudo est mortis eius instituisset, nobis omnibꝰ quicunque nondum eramus, siue omnib. qui tunc erant gẽtes, & ad simulachra muta prout tunc ducebantur euntes, quando Christus pro peccatis nostris semel mortuus est, mors eius nihil profuisset. Solos enim illos, in illa hora lauit à peccatis, quos siue mortuos siue viuos, mors eius fideles inuenit. Ritum ergo legitimũ manducandi corpus, & bibendi sanguinem domini nostri Iesu Christi, de ritu spiritualiter metiamur illius typici agni, in gloriam & honorem huius veri agni Dei, qui tollit peccata mundi.

Quod dictum sit, Tollat vnusquisque agnum per familias, et domos suas, quomodo annuatim et quotidie celebrat ecclesia.

CAPVT VII.

DEcima die, inquit, mẽsis huius, tollat vnusquisq; agnũ per familias & domos suas, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem, & immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel, ad vesperam. Hoc agit solenni ritu omnis Israel, id est, ecclesia Dei, cùm redeunte anni tempore, quo Christus passus est, ante quinq; dies, sacrosanctæ eius passionis, illum eius ingressum in sanctam ciuitatem, atque occursum puerorum cum ramis palmarum, religiosa deductione, vel exceptione laudes canendo imitatur. Ea sola distãtia, vt qualicunq; feriarũ luna eueniat decima, quæ est secundũ Hebræos decima dies mẽsis, siue luna quartadecima q̃ est quartadecima dies mẽsis, semper tamẽ in prima hebdomadæ. i. dominica die, hunc processionis occursum, & in sexta mortẽ, itemq; in prima celebret eiusdem resurrectionem, vt qui morte & qui resurrectione eius semel sacratus est dies, is mortis & is resurrectionis memoria per omnes annos sacer perseueret. Cæterùm ad immolationem vel esum agni, non vna vespera, sed totus annus, sanctæ ecclesiæ acceptus est. Quocunque die, quacunq; in domo Israel immolare, vel edere libet, scripturæ huius mysterium obseruandum est. Si autẽ minor numerus est, inquit, vt sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui coniunctus est domui suæ, &c. Numerum hic mysticè sic penè oportet intelligi, quomodo & in Psalmo, cum Propheta dicit: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciã quid desit mihi. Numerus enim hominis (vt secundum præsentẽ causam loquamur) tunc sufficiens est, quando is qui agnum manducat, mysteria eius penetrare prævalet. Sed ad hæc quis tam idoneus? Quis infantiam tantũ supergressus est, tantamque dierum bonorũ multitudinem collegit, vt ad capiendum totum cibum, tam solidum, nihil sibi desit? Ergo quoties hunc agnum immolamus, rectè paucitatem nostram cõfitentes in nobis, quia totum eius mysterium capere nõ possumus, assumimus vicinũ, qui coniunctus est domui nostræ, scilicet apostolorum & martyrũ chorum, qui per eandem fidem propinqui sunt familiæ Christianæ. Deniq; sine illorum inuitatione, nunquam comedere præsumimus. Dicimus enim: Communicantes & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper CAP. XII. Psalm. 38.

Universidad de Deusto
Biblioteca

virginis Dei genitricis Mariæ, sed & beatorum apostolorum & martyrum tuorum. Quod idem est, ac si dicamus in eadē fide nos immolare & comedere agnū Dei, in qua virgo concepit & peperit, quam apostoli sancti prædicauerunt, pro qua beati martyres passi sunt. Ita vicinis assumptis, nos per Dei gratiam ad esum agni sufficimus. Quia videlicet, & si totum eius mysterium comprehendere non valemus, satis tamen est, quia nihil de illo, quòd apostolicæ fidei sit contrarium, sentimus.

De eo quod dictū est: Erit agnus sine macula masculus anniculus. Et quid sit, hœdum tolli.

Esaiæ 53.

CAPVT VIII.

ERit autem, inquit, absque macula masculus anniculus: Macula peccatum est. At ille peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Erit ergo, inquit, absque macula, id est, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, in quo nulla est iniquitas. Sed parum haberet gloriæ sola innocentia, si non adesset fortitudo quoque ad agēda perfectæ iustitiæ opera. Erit ergo, inquit, & masculus. Masculus enim, hoc est, fortis, quia nihil fœmineum, hoc est, molle vel fluxum admittit. Vndè & in Apocal. dicitur de muliere magna, quia peperit filium masculum, qui recturus erat gentes, in virga & ferrea. Addi tur adhuc, quia erit anniculus. Anniculus, id est, perfectus: perfectionem enim ab illo consequimur, quemadmodum & ipse in prophe ta testatur: Spirit⁹ domini super me, eo quòd vnxerit me, ad annuntiandum mansuetis mi sit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domini, & diem vltionis Deo nostro. Annum, inquit, placabilem pro his quos ad gloriam prę parauit, & diem vltionis pro his, quos in iram destinauit. Annum quippe placabilem siue acceptabilem, plenam acceptionem dicit, quam & Apostolus prædicat his verbis: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, &c. de huius anni illius, imò & nostri plenitudine, dicitur ei per os Psalmi stæ: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, subauditur, cùm venerit ad te omnis caro remunerāda in illa dierū æternorū lōgitudine, Et quia is, qui sua non habuit, aliena peccata portauit, sequitur lex & dicit: Iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Sicut enim propter suam innocētiam in agno, sic propter iniquitates omnium nostrum, quas Deus posuit in eo, rectè idem figuratur in hœdo. Siue ergo agnus, siue sit hœdus, qui apud illum & illum immolatur, vnus idemque in mysterio est Christus, à suis (quia nulla sunt) mundus pro alienis peccatis offerendus. Vel mala æstimatione hominum, hœdus, id est, peccator, vera autem verisimè similitudine, innocentiæ agnus erit. Quod vtrunque Propheta considerans. Et nos, inquit, putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: ipse autem vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra. Et sanabitis eum vsque ad XIIII. diem mensis huius. De hoc iam dictum est.

Apoc. 12.

Esaiæ 61.

Lucæ 4.

2. Cor. 6.

Psal. 64.

Esaiæ 53.

Quid sit ad vesperam agnum immolari, & prius postes sanguine eius signari, ac deinde carnes eius manducare.

CAPVT IX.

ET immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperā. Vespera præsens seculi ætas, in qua nos sumus, in quos (vt ait Apostolus) fines seculorum deuenerunt, rectè dicitur. Porrò vniuersa multitudo filiorum Israel, vniuersitas credentium est. Quæ quandocunq; sit per orbem terrarum diffusa, vnus est agnus, quem in tot locis immolat, vnus est panis quem frangit, vnus est Christus, cuius manducat carnem, & sanguinem bibit, dummodo id quod sequitur spiritaliter testimonium habeat catholicæ fidei, sument, inquit, de sanguine, & ponent super vtrunque postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. Quidnam sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicimus. Qui sanguinis super vtrunque postem ponitur, quādo non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroque enim poste sanguis agni est positus, quando sacramentum passionis illius ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic redemptoris sui sanguinem accipit, vt imitari passionem eius necdum velit, solum in vno poste sanguinem posuit. Qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritualiter domos, nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem habitamus? Cuius domus superliminaris est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem dominicæ passiōis dirigit, in superliminari domus, agni sanguinē ponit. Vel certè domus nostrę ipsa sunt corpora, in quibus quousque viuimus, habitamus. Et in superliminari domus, agni sanguinē ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus. Aliter: Sument de sanguine agni, &cæt. Notandum, quia prius oportet domum signari sanguine agni, & tunc demum carnes eius in illa māducari. Hoc verè legitimum ac necessarium est, nec aliter dignè fieri potest. Etenim prius oportet quemque baptizari in morte agni, id est, Christi, prius, inquam, complantatum fieri similitudini mortis eius, vt sit & resurrectionis, atque ita consecrata domo, tunc demum intus mensæ viuificæ participari. Sunt autem notæ sanguinis tres, duæ scilicet in vtroq; poste, tertia in superliminari. In nomine enim patris & filij & spiritus sancti baptizamur, quæ tria nomina siue tres personæ sunt, sed vnus Deus. Cuius videlicet trini nominis confessio, dū fide passio-

1. Cor. 10.

Quid sanguis super vtrunq; postem.

Rom. 6.

passionis Christi perornatur, vnius ostij duo postes cum superliminari, agni sanguine titulantur.

Qualiter in sacramento altaris obseruandum sit, quod dictum est: Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni.

CAPVT X.

ET edent carnes nocte illi assas igni. Non edetis ex eo crudum quid, vel coctum aqua, sed tantum assum igni. Signata domo, comedimus, quia videlicet per baptismum cōsecrato cuiq;, & à macula veteris cibi, per quem perijt humanum genus, emundato, corpus & sanguis Christi traditur, quo cibo non superbè fieri velit sicut deus, sed humiliter in gratiam filiorum Dei adoptari mereatur. In nocte quippe agnum comedimus, qui in sacramento modo dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinuicem cō scientias nostras non videmus. Carnes, inquit, assas igni. i. excoctas molestia passionis. Vnde quia vis ipsa passionis, eum valentiorem redidit ad resurrectionē, dicit in persona eius Psalmista: Aruit tanquā testa virtus mea. Quid nanq; est testa ante ignē, nisi mol le lutum? Sed ei ex igne agitur, vt solidetur. Virtus ergo humanitatis eius, velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit. Amplius aūt, quia de spiritu S. qui æternus est ignis, virgo illum cōcepit, & ipse per eundem spiritum sanctum (vt Apost. ait) obtulit semetipsum hostiam viuam deo viuenti, eodē igne assatur in altari, operatione nanq; spiritus S. panis corpus, vinnm fit sanguis Christi. Sed istud non capit humana sapientia. Repellitur ergo illa non tam sapientia quā curiositas, dum repetendo dicit: Nō comedetis ex eo crudū quid nec coctum aqua, sed tantū assum igni. Crudum nanq; comedere nihil aliud est, nisi qd videtur æstimare, & coctum aqua comedere est, quomodo sit, velle carnaliter dijudicare. Sed comedetis (inquit) assum tantū igni. i. totum attribuetis operationi spiritus sancti, cuius effectus non est destruere vel corrumpere substantiā, quamcunq; suos in vsu assumit, sed substantiæ bono permanenti quod

Hæc opinio post in concilio Lateranensi, sub Innocētio IIII. repro bata est: Substanta enim panis & vini non permanet, sed conuertitur in cor pus & sanguinē Christi.

in Christo est, immortalis substātię veritatē. Proinde sicut hominem, qui de virgine sumptus in cruce pependit, rectè & catholicè deū confitemur, sic veraciter hoc quod sumimus de sancto altari, Christum dicimus, agnum Dei prædicamus.

admittitur adducta similitudo.

Quid significent azymi panes cū lactucis agrestib.

CAPVT XI.

ET azymos panes cum lactucis agrestib. Alterum horū, scilicet quod de azymis iubetur, tam in re, quàm in mysterio obseruamus, vt videlicet azymum panē ad conficiendum Christi corpus habeamus, & mysticè vetus fermentum à nobis, scilicet fermentum malitiæ & nequitiæ secundum Apostoli præceptum expurgemus. Alterum verò. i. quod de lactucis agrestibus præcipitur, tantum spiritualiter attendimus, quia videlicet auctor huius sacramenti, non eas corporaliter adhibuit, sed solūmodo panem & vinum benedicens, dedit discipulis suis. Vnde mirādum, quo Græcorū consuetudo auctore tradita inoleuerit, qui fermentatum panē quærunt, & à sacramento Christi azymum reijciunt, cùm nulli dubium esse debeat, quòd Dominus noster non nisi de azymo illud primitus effecerit. Etenim neque fermentatum nocte illa secundum legis edictum inueniri licebat in cunctis domibus Israel, neq; ipse apud se habendo fermentatum, legitimā porrigere debebat occasionem inimicis suis, cū diceret lex: Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel, tā de aduenis q̄ de indigenis terræ. Sed de hoc aduersū illos abundeq; iamdudū à Romana sede disputatū est. Porrò, azyma & lactucas agrestes vt spiritualiter edam⁹, ab ipsis q̄ primi hoc egerūt Apostolis euidēs exemplū habemus. Etenim in eo vetus fermentum expurgauerunt, & erāt noua cōspersios epulando in azymis synceritatis & veritatis, quia præsens passio Christi mūdabat illos ab omnib. peccatis, quib. corruptus homo primus totā generis sui massam fermētauit. Dixit enim illis in illa cœna sacrosancta, hic ver⁹ agnus dei Iam vos mūdi estis, ppter sermonē quem locutus sum vobis. Nisi enim qa sermonem meū audistis, & credidistis, nequaquā per hāc passionem meā mandaremini. Quasi præteritū dixit, mūdi estis, eo videlicet modo, quò postea ibidē ait ad patrē: Et iam nō sum in mundo, cū nondū peractū, sed agere cœpisset, vt transiret ex hoc mundo. Lactucas verò agrestes, quæ valdè amaræ sunt, simul comederunt, quia profectò propter illa quæ dicebantur, iā in summa tristitia erant, & per totū triduū amaritudini passionis eius satis molestè cōmunicauerūt. Eorū ergo exemplo nos carnes agni cū lactucis agrestibus comedemus, cùm corpus redēptoris accipientes, nosmetipsos pro peccatis nostris affligimus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho, peruersæ humorem vitæ.

CAP. XII

Psal. 21.

Ephe. 5.

Exod. 12.

Ioan. 13.

Idem 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid sit agnum totum vorari, caput quoque cum pedibus & inteſtinis.

CAPVT XII.

Quid eſt caput agni edere.

CAput cum pedibus & inteſtinis vorabitis. Hoc facere oēs cōmuniter poſſunt, ſingulatim quiq; adimplere nō poſſunt. In magna nanq; & in parua domo, ſunt & perfecti, quorum ſit ſolidus cib⁹ quale eſt oſſeū caput: ſunt & paruuli, quorum infirmo dente vix inteſtina mollia terantur. Deniq; caput agni vorare, eſt alta diuinitatis Chriſti eloquia viriliter capere. v.g. quale eſt: In principio erat verbum, & verbum erat apud deū, & Deus erat verbum. Pedes vorare eſt, nec illud ignorare, quia verbum caro factū eſt. Inteſtina vorare cum pedib. eſt verborum illius occulta & myſtica mandata cum auiditate ſumere, vel certè ſingulas infirmitatis eius actiones ſiue paſſiones in vſum virtutis aſſumere: verbi gratia, quòd eſurijt, quòd

Hebr. 5. ſleuit, ꝙ contriſtatus eſt, ad ſummum, quòd tentatus eſt, pro ſimilitudine abſq; peccato. Vorare cùm dicit, quid aliud quā pigritię noſtræ torporē reprehendit, qui eius myſteria atq; verba & per nos nō requirimus, & dicta ab alijs audimus inuiti? Totum ergo voran dum eſt, dum tempus habemus. Ait enim, non remanebit ex eo quicquam vſq; mane. Dicta quippe huius magna ſunt ſolicitudine diſcutienda, quatenus priuſquam dies reſurrectionis appareat, in hac præſentis vitæ nocte omnia mandata eius, intelligendo & operando penetrentur. Sed quia valdè eſt difficile, vt nihil ex eo remaneat i. vt omne agni eloquium intelligi, & omne eius myſterium poſsit penetrari, rectè ſubiungitur: Si quid autem remanſerit, igni comburetis. Quod ex agno remanet, igni comburimus, quando hoc ꝙ de myſterio incarnationis eius intelligere ac penetrare non poſſumus, poteſtati ſancti ſpiritus humiliter reſeruamus, vt nō ſuperbè quis audeat vel contemnere, vel denunciare quod non intelligit. Sed hoc igni tradit, cùm ſpiritui ſancto reſeruat.

Quid ſit, renes accinctos & calceamenta in pedibus habere, & baculos tenere.

CAPVT XIII.

QVia igitur, qualiter edendum ſit paſcha cognouimus, nunc à qualib. edi debeat,

Pſal. 25. agnoſcamus. Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis. Quid in renibus, niſi delectatio carnis accipitur? Vnde Pſalmiſta poſtulat, dicens: Vre renes meos. Si enim voluptatem libidinis in renibus, id eſt, ſi libidinem in lumbis ſuis eſſe neſciret, eos vri minimè petiſſet. Vnde quia poteſtas diaboli,

Iob 40. humano generi maximè per luxuriam præualuit, de illo voce dominica ad Iob dicitur: Poteſtas eius in lumbis eius. Qui ergo paſcha comedit, accinctos renes habere debet, vt qui ſolennitatem reſurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni iam per vitia nulla ſubiaceat, voluptates edomet, carnis luxuriam reſtringat. Neque enim cognouit quæ ſit ſolennitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni ſubiacet. Hæc quibuſdam dura ſunt, ſed anguſta eſt porta, quæ ducit ad vitam. Et habemus iam multa exempla continentium. Vnde & benè adhuc ſubditur: Calceamenta habebitis in pedibus. Quid ſunt em̄ pedes noſtri niſi opera? Quid verò calceamenta, niſi pelles mortuorum a- *Matth. 7.* nimalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ verò ſunt mortua animalia, ex quorum pellibus noſtri muniantur pedes, niſi antiqui patres, qui nos ad æternam patriam præceſſerunt? Quorum dum exempla conſpicimus, noſtri operis pedes munimus. Calceamenta in pedibus habere, eſt mortuorum vitam reſpicere, & noſtra veſtigia à peccati vulnere cuſtodire. Tenentes baculos in manibus. Quid lex per baculos, niſi paſtoralem curam deſignat? Et notandum, quòd prius præcipimur renes accingere, poſtmodum baculos tenere, quia illi debent curam paſtoralem ſuſcipere, qui iam in ſuo corpore ſciunt fluxa luxuriæ edomare, vt cum alijs fortia prædicant, ipſi deſiderijs mollibus eneruiter non ſuccumbant. Benè ergo ſubditur, & comedetis feſtinantes. Notandum & hoc, quod dicitur feſtinantes. Mandata Dei, myſteria redemptoris, cæleſtis patriæ gaudia, cum feſtinatione cognoſcenda, & præcepta vitæ cum feſtinatione implenda ſunt. Quia enim adhuc hodie licet, benè agere ſcimus, vtrum cras liceat, ignoramus.

De eo quod dictum eſt: Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini, & de percuſſione primogenitorum.

CAPVT XIIII.

CAVSAM faciendorum omnium quæ hic præcepta ſunt, ita ſubiungit: (Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini, & tranſiboper terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine vſque ad pecus, & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autem vobis ſanguis in ſignum in ædibus in quibus eritis, & videbo ſanguinē, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terrā Aegypti.) Idcircò, inquit, poſtes veſtros ſanguine agni ſignabitis, & hoc ritu carnes eius feſtinantes comedetis, carnes videlicet agni: ſubditur enim, quia phaſe eſt, id eſt, tranſitus domini. *Phaſe.* Domini nō eſt in verbo phaſe, ſed interpretationi eſt additū, quia neceſſariò ſubaudiendū eſt. Sequitur enim, & dicit ipſe dñs: Trāſibo per terram Aegypti nocte illa. De eo quod ait, & videbo ſanguinem, iam ſuprà dictum eſt. Porrò tranſire de loco ad locū, dei nō eſt, quippe qui loco nullo tenetur, ſed vbiq; eſt. Ergo quod dicit, tranſibo, ſecūdum figuram tempo-

tempōris illius, pro ſimili dictum eſtū. egrediar ad modum gygantis, in fortitudine cōtra hoſtem irruētis, & poſt abſceſſum ſuum

Sap. 18. victoriæ ſuæ veſtigia plena relinquentis plāctibus. Vnde liber Sapientiæ dicit: Cū enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus venit, durus bellator in mediam exterminij terram proſiliuit, gladius acutus, in ſimilatum imperium tuum portans, & ſtans

Ioan. 23. repleuit omnia morte. Cæterùm de illo tranſitu qui per iſtum figuratur, dicit euangeliſta ſanctus: Ante diē feſtum paſchæ ſciēs Ieſus, quia eius hora venit, vt trāſeat ex hoc mundo ad patrem. Ille enim verè tranſitus Domini, imò omnium noſtrū tranſitus eſt. Nam illo tranſeunte, ex hoc mundo ad patrem, tranſiuimus & nos eiuſdē patris gratia, de vinculis ad abſolutionem, de tenebris ad oculorum noſtrorum reuelationē. Tranſiuit ille de hoc mundo quidem, qui & ipſe quodammodo dicitur Aegyptus, tranſiuit per Aegyptum inferiorem, id eſt, infernum, qui ſecundum nomen Aegypti verè iam tenebroſus eſt, & locus horridus. Et quoſcunque inuenit illic dignos filios Iſrael ſignatos ſide ſanguinis ſui à iuſto Abel, qui primum in typum illius obtulit agnū, vſq; ad latronē, quē ſanguine ſuo ſignauit in ipſa hora tranſitus ſui, cunctos liberauit, percutiendo primogenitum Pharaonis, id eſt, peccatum primæ præuaricationis, ꝙ originale dicitur, ꝙ perſuaſio diaboli generauit. Igitur poſtes certatim ſignandi, & carnes agni feſtinanter edēdi ſunt: tranſijt enim Dominus vltra nō

Rom. 6. reuerſurus. Mortuus enim ſemel reſurrexit, & iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Iſto tranſitu eius contenti eſtote, & poſtes ſignate omnes filij Iſrael, aliū enim tranſitum ſperare non licet. Veniet quidem idem Dominus, ſed per Aegyptum inferni non tranſibit amplius. Non vltra pro illis, qui nūc in tenebris exire iuſsi ſunt morietur.

Quid ſit myſticè VII. dieb. azyma comedere, & quis ſit I. dies quo fermentum non ſit inueniendū in domib.

CAPVT XV.

HAbebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolennē domino in generationibus veſtris, cultu ſempiterno. VII. diebus azyma comedetis.) Præclarum monumentum, grande & magnificum memorialis inſtrumentum, VII. dieb. non comedere fermentatū. Hoc ſumma diligentia cauendum eſſe, confirmando ſubiūgit: (In die I. non erit fermentatum in domibus veſtris.) Subauditur ne dū præſens eſt, faciliùs poſsit quis in præuaricationem labi.

A quali fermento abſtinendum eſt. Eſt autem primus dies azymorum, XIIII. menſis. Quid enim? Nunquid de fermento panum cura eſt Deo? An propter peccatum dicit diabolicæ ſuperbiæ, quo fermentatum eſt genus humanum in primi parentis præuaricatione? VII. ergo diebus, id eſt, tota vita noſtra, ab hoc fermento caueamus. Nam per gratiam fit, vt primo die nō inueniatur, deinceps noſtri ſtudij ſit, ne iterum corrumpatur. Et enim primo die ſolēnitatis noſtræ, id eſt, mox vt quiſquis noſtrum ſignatus eſt Chriſti ſanguine, id eſt, baptizatus, in illius morte omne peccati veteris fermentum vacuatum eſt, veſtigia eius nulla ſuperſunt, inueniri non poteſt. Idcircò grandi intermina tione iterum atq; iterum prohibendo repetit. (Quicunq; comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael à die I. vſque ad diē VII.) Ordo verborum eſt: Quicunq; anima fermentatum comederit à die I. vſque ad diē VII. peribit de Iſrael. Et cōtinuò ſubiungit: (Dies I. & dies VIII. huius feſtiuitatis erit æquè venerabilis.) VIII. nanque dies in I. diem, & VII. dies diſpertiuit. Nam deinceps *CAP. XII.* ait: I. menſe, XIIII. die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem XXI. eiuſdem menſis ad veſperā. Planè hoc dicto dies VIII. cōplexus eſt. Protin⁹ adhuc fortiſsimū vinculū adhibens proponit ſic: XII dieb. fermentū nō inuenietur in domib. veſtris. Cōtinuò ſubdit: Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ.) Nec mora, quaſi currens ſub vno ſpiritu concludit: (Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus veſtris edetis azyma.) Quiſnam ille I. dies, niſi is de quo Pſalmiſta: *Pſal. 117.* Hęc eſt, inquit dies quā fecit dñs, ſubauditur illuceſcere nobis, ſubiungēs ita: Exultemus & lætemur in ea. Hæc dies planè eſt Chriſti, dies magnus & præclarus, in quo de Aegypto exiuim⁹, in quo de tenebris vocati in ad mirabile lumē educti ſumus. Propter ꝙ di- *1. Pet. 2.* cit: Dies I. erit ſancta atq; ſolennis. Itemque de eodē pſalmiſta: Cōſtituite, inquit diem in cōdenſis, vſq; ad cornu altaris. i. poſiti in cōdenſis, & multiplicitate bonorum operum, vacate à peccatis ſecundū diem, quę illuxit no- *Pſal. 117.* bis, vſquequo peruenias ad cognitionē diuinitatis eius, in cuius fide tanquam in altari quicquid boni in nobis eſt, Deo offerimus. Dies itaq; I. inquit, ſancta erit, atq; ſolennis. Qui enim velut agnus occiſus eſt ex infirmitate hominis, ipſe verus dies æterna claritate fulget ex virtute dei. Hanc diem ſequuntur noſtri dies VII. continua celebritate, vt VII. quoq; eadē feſtiuitate ſit venerabilis. tota nāque vita noſtra ſic agenda eſt, vt in eo conſummetur à quo cœpit. Tantæ nanq; diligenter obſeruandæ feſtiuitatis cauſam interpoſuit. (In eadē enim, inquiens, ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Aegypti.) Signāter dixit, exercitum veſtrum, videlicet quia non ad otia ſiue ludicra eximus de terra Ae- *Ephe. 2.* gypti, de domo antiquæ ſeruitutis, ſed ad pu- *Matth. 11.* gnandū, aduerſus principes & poteſtates, ad uerſus mundi huius rectores tenebrarum harū, cōtra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtib,

quippe

Universidad de Deusto
Biblioteca

quippe cùm tempus sit vt regnum Dei vim
patiatur,& nos violéter agendo diripiamus
illud. Idcircò illud interposuit. (Nihil operis
facietis in ea exceptis his, quæ ad vescen-
dum pertinent,& obseruabitis azyma.) Pro-
1.Tim.6. pugnatoribus nanq; regni dei, nihil de omni
mundo curandũ est,sed iuxta Apostolũ habẽtes victũ & vestitum,his cótenti sint,præ-
optantes tamẽ, & primũ quærentes panem
verbi dei,& interim sine vlla obliuione ob-
seruent azyma, de quibus sæpe dictum est.

Quid sit cum fasciculo hysopi,postes sanguine signari, & foras vsque mane non egredi. Quodq; aliud sit, verbum istud custodiri, atque aliud, cæremonias istas obseruari.

CAPVT XVI.

VOcauit autem Moyses omnes seniores
Israel,& dixit ad eos,Ite tollentes ani-
mal per familias vestras, immolate phase,fas
ciculũq; hysopi, tingite in sanguine, qui est
in limine,& aspergite ex eo superliminare,
& vtrunq; postem.) Animal dixit generali
nomine,tam hœdũ significans, quã agnum,
quorum vtrumlibet toleret quis (vt supra
dictum est) præceptum perficeret, præscri-
ptum obseruando ritum, fasciculũ, inquit,
hysopi tingite in sanguine, qui est in limine.
Quasi iam esset sanguis in limine, sic locutus
est: & non dixit,quẽ ponetis in limine. Vn-
de & qualiter habendus esset sanguis in li-
mine,vtrum agnus in limine deberet occidi,
an alio quolibet modo debuerit illic effun-
di, incertum reliquit. Cæterũ de sanguine ve
ri agni Christi filij Dei,certum est, quia non
in absconditò,vel intus repositus, sed omni
mundo palam expositus est, vt quicunque
domum suam signare velit, vt liberetur de
manu percussoris diaboli, citò inueniat,citò
& velociter salus illi occurrat,dummodo sic
faciat. Tollat fasciculum hysopi,& intingat
in sanguine,id est,recitet symbolum, spem
totam constituens in sola salutifera Christi
passione,& inde tres notulas faciat in vtroq;
poste,& in superliminari, baptizatus videli-
cet in nomine patris & filij & spiritus sancti.
Hysopus nanque herba humilis est,nascitur
quẽ in petrosis locis,& deponit tumorẽ pul-
monis. Significat verò fidem & humilitatẽ
passionis Christi,per quã superbię tumor de
ponitur,quo primus homo corruptus con-
tra suum creatorem intumuit. Quod sperãs
Psal. 50. Psalmista,dicebat: Asperges me hysopo &
mundabor,lauabis me,& super niuem deal-
babor. Igitur hysopus tinctus agni sanguine,
quo domus signetur, humilitas mẽtis est cũ
passionis Christi fide,in quo quisq; creden-
tium baptizetur. (Nullus,inquit,vestrũ egre
diatur ostium domus suæ vsq; in mane. Qua
re? Transibit enim Dominus percutiens Ae-
gyptios.) Et hoc nobis vigilantissimè obser-
uandum est,vt vsque mane, id est, vsque ad
finem huius nostræ nocturnæ vitæ,intra ca-
tholicæ ecclesiæ claustra maneamus, neque
per hæreses vel schismata, tumultuando fo-
ras erupisse quis inueniatur. Nam quisquis
foris fuerit inuentus,reputabitur Aegypti⁹,
& cum Aegyptijs pariter pertranseuntis do-
mini flagello percutietur. (Cumq; viderit
sanguinem in superliminari, transcendet o-
stium,& non sinet percussorem ingredi do-
mos vestras,& lædere.) De hoc iam superius
dictum est,quia(sicut ex hoc loco constat)
quamuis dicatur dominus Aegyptios percu
tere, non tamen per seipsum percutit, sed
percussori scilicet angelo malo potestatẽ dat
percutiendi. Tandem ita concludit.(Custo-
di verbum istud legitimum tibi & filijs tuis
vsq; in sempiternũ. Cumq; introieritis terrã
quã Dominus daturus est vobis, vt pollici-
tus est vobis,obseruabitis cæremonias istas,
&c.) Quòd dixit,custodi verbum istud,hoc
idem repetisse cuilibet fortè videatur, dicen
do: obseruabitis cæremonias istas,verũ non
ita est. Verbum enim,id est,ratio,tantum dif
fert hoc locoà cæremonijs, quantum signifi
catum vel sensus à signis distat & literis. Cæ
remoniæ nanque significationes sunt,id est,
figuræ vel vmbræ futurorum: verbum autẽ
ratio vel veritas sacramentum, quæ in Chri-
sto(vtiã pro posse diximus) adimpleta sunt.
Rectè ergo cũ dixisset, custodi verbũ istud
legitimum,addidit,in æternum: vbi autẽ di-
xit,obseruabitis cæremonias istas,non addi-
dit in æternum. Etenim quæcunq; cæremo-
niæ carnales datæ sunt, temporalem statum
habuerunt, propter transgressiones posi tæ
vsq; ad tempus præfinitum, donec veniret
id quod sub ipsis promittebatur, verbũ do-
mini manens in æternum. Porrò qualiter po
sitioni illarum, contrarium non sit illud, ℣ Hier. 7.
per Hieremiam prophetã dictum est. Quia
non sum locutus patribus vestris, nec præce
pi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti,
de verbo holocaustomatũ & victimarum,
alio loco plenius erit dicendum.

Quid innuat, ℣ medio die nõ sunt cæsa primogenita, sed media nocte.

CAPVT XVII.

FActum est autem in noctis medio,
percussit Dominus omne primogenitũ
in terra Aegypti,à primogenito Pharaonis,
qui sedebat in solio eius, vsque ad primoge
nitum captiuæ, quæ erat in carcere, & om-
ne primogenitum iumentorum. Surrexitq;
Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaq;
Aegyptus, & ortus est clamor magnus in
Aegypto. Neque enim erat domus, in qua
non iaceret mortuus.) Grande flagellum,
& mira continuatio percussionis innuitur,
scriptura dicente,à primogenito Pharaonis,
qui sedebat in solio eius, vsque ad primoge-
nitum captiuæ, quæ erat in carcere. Ergo i-
ram Dei, nec reges pro turrium altitudine,
nec superbi pauperes effugiunt, pro taberna
rum obscuritate. De hoc iam suprà dictum
est,quia quòd omne primogenitũ per immo
lationem

lationẽ agni dominus percussit, illud signi
ficat,quòd originale peccatum mundi,deus
in passione Christi filij,sui deleuit. Verũ hac
eadem salua significatione, poterat media
die cunctis vigilantibus idem fieri. Cur er-
go potius medio noctis dormientes placuit
interficí? Videlicet vt historicum quoq; ex-
emplum dormitantibus proficeret, atq; ad
vigilandũ eos percelleret,scientes, quia quis
quis exemplo Aegyptiorum thesaurizaue-
rit sibi irã,nihilominus exemplo illorũ im-
prouisam accipiet vindictam. Sic enim & v-
niuersale iudicium duris corde & impœni-
tentib. ex improuiso superueniet, tanquam
Matth.25 laqueus,& tanquã fur. Idcircò dominus ad-
uentum suum, quo perdendi sunt impij,me
diæ nocti comparauit. Verbi gratia: Cum in
parabola prudentium virginũ atq; fatuarũ
dicit: Media nocte clamor factus est,eccè spõ
sus venit, exite obuiam ei. Sed & ipse media
Ibidem 28 nocte surrexit,atque in exemplum discretio
nis piorum atq; impiorum,pias mulieres an
gelica visione & allocutione demulsit, im-
pios aũt ac fatuos custodes exterruit, & ve-
Psal. 118. lut mortuos magno terræmotu præeunte
reddidit. Proinde per os Psalmistæ sancta ec-
clesia dicit: Media nocte surgebam ad confi-
tendum tibi. Illud enim tempus sacris vigi-
lijs, & confessioni saluberrimæ deputatum
est,vt videlicet domino profunda nocte cõ-
fitentes,cõmoneamus nos, quatenus illa ho
ra quæ præuideri nõ potest, non simus impa
rati. Ille ergo clamor magnus, qui ortus est
in Aegypto, salubriter interiori auditu fati-
1.Thes. 5. gat nos, vt non dormiamus sicut Aegyptij,
sed vigilemus,& sobrij simus. Qui enim dor
miunt,inquit Apost.) nocte dormiunt, &
qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.

De eo ℣ Pharao dixit: Abeuntes benedicite mihi, & ℣ illi nocte exeuntes literalem legẽ preuaricati sunt.

CAPVT XVIII.

VOcatisque Moyse & Aaron nocte ait:
Surgite egredimini à populo meo vos
& filij vestri. Ite,immolate Dño sicut dicitis.
Oues vestras & armenta assumite, vt petiera
tis,& abeuntes benedicite mihi.) Si nocte vo
catis Moyse & Aaron hæc dixit, quomodo
illud, ℣ suprà dictum est, nullus vestrum e-
grediatur ostium domus suæ vsq; mane iu-
xta literam stabit? Sed fuerit hoc illis mane,
quòd vocati exire compulsi sunt, transacta
iam media nocte,& aspirante præsentis læti-
tiæ luce. Cæterùm illi manifestè hanc legem
transgressi sunt, qui qua nocte, agnum eodẽ
ritu immolauerant, exierunt ad compræhen
dendum Dominum Iesum. Vnde & eos scri
ptura prophetica in vno traditore, qui cùm
accepisset buccellam exijt continuò, cũ esset
Ioan.13. nox, sic occultè quidẽ, sed grauiter accusat.
Psal.40. Cor eius congregauit iniquitatem sibi, & e-
grediebatur foras. Oues vestras & armenta,
inquit,subauditur, ne qua vt pridem remo-
randi causa sit,assumite vt petieratis,& abeũ
tes benedicite mihi. Tandem duri cordis Ae
gyptius rex molle aliquid locutus est. Et qui
dem suprà quoq; semel & iterum dixit,pec-
caui,sed non dixit,abeuntes ignoscite mihi,
nunc autem etiam abeuntes, inquit,benedi-
cite mihi. Nunquid nõ & hoc futurum erat,
vt ille superbus, cuius hic typum gerebat,
mollia loqueretur? Nempe sic de illo Domi
Iob 49. nus ad beatum Iob loquitur: Nunquid mul-
tiplicabit ad te preces,aut loquetur ad te mol
lia? Quis enim dubitet, quod ei mollia locu-
tus fuerit infernum spolianti, cùm adhuc in
corpore viuenti clamauerit,dicens: Quid ti-
bi & nobis Iesu Nazarene, venisti perdere
nos scio quis sis, sanctus Dei. Nec enim fru-
Lucæ 4. stra propheta dicit in eum. Tu humiliasti sic
Psal. 88. vt vulneratum superbum. Nam sicut super-
bus, quantumuis ante percussionem stet ri-
gidus,sub ictu tamen vulneris à tumore de-
scẽdit,verba deponit,ceruicem demittit: sic
superbiæ rex diabolus, quantumlibet antea
vt fortis armatus confidenter locutus sit,v-
bi tamen fortiorẽ sensit,arma deposuit, spo
lia reddidit,& mollia non ex pietate,sed præ
dolore locutus est, & adhuc in extremo iu-
dicio molliora cũ omni corpore suo locutu-
rus ipse caput iniquorũ. Sed nõ parcam ei,in
quit, Dominus, verbis potentibus,& ad de
precandum compositis, quia videlicet sera CAP. XII
& indigna pœnitentia est,quam cruciatus ex
torquet. Hæc idcircò dicta sint, ne laudan-
tium Dominum dignæ admirationi pulcher
rimum illud desit miraculum, quòd agnus
exiguus vicit, & contriuit leonem maximũ,
presitque os superbi, vt molle proferret e-
loquium. Porrò quod hic dictum est. (Fece- Matth.12.
runtque filij Israel, sicut præceperat Domi-
nus,& petierunt ab Aegyptijs vasa argentea
& aurea, vestemque plurimam, & spoliaue- Iob 41.
runt Aegyptios.) Non sic putandum est, ℣
tunc primùm cũ exire compellerentur, illa
petierunt: neq; enim abeuntib. cõmodarent
Aegyptij: sed hic intelligendũ est, petierunt,
ac si diceretur, quæ petierant asportauerunt.
De cuius etiam spolij iusta causa, spirituali-
ter nobis imitanda, iam superius est dictum.

Quid sit, vulgus promiscuum & innumerabile cum eis ascendere.

CAPVT XIX.

PRofectique sunt filij Israel de Rameſſe
in Socoth, sexcenta fere milia virorum
absque paruulis. Sed & vulgus promiscuum
& innumerabile ascendit cum eis, oues & 1.Cor.10.
armenta & animantia diuersi generis mul Num. 14.
ta nimis.) Quamuis non in pluribus eorum
beneplacitum fuerit Deo, siquidẽ prostrata
sunt corpora eorũ in deserto, nomen tamen
filiorũ Israel, numerusq; perfectus, scilicet,
cẽtuplex senarius eos tantũ significat, qui sic
ad Christũ veniunt fugientes hunc mun-
dum, vt & digni gratia vel adoptione filiorũ
Dei,& a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei,& apud patrem omnes numerati sunt. Cæterùm vulgus promiscuum & innumerabile,quod ascendit cum eis,eo ipso quod innumerabile fuit, typum eorum gesit, qui
Psal. 39. quàm plurimi ad fidē nomine tenus veniūt, & verbotenus confitentur se nosse Christū. De qualibus propheta in psalmo dicit: Annunciaui & locutus sum,multiplicati sunt super numerum. Porrò quòd sequitur.(Coxeruntq; farinam quam dudum consparsam de Aegypto tulerant,& fecerunt subcineritios panes azimos,neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Aegyptijs & nullam moram facere sinentibus.)Idem est acsi diceretur. Etiam si non fuissent à fermentato prohibiti,tāta fuit instantia exire cōpellētiū,vt nō possent fermētari.Eiusmodi dictio sepè dicto cōsentit azymorū mysterio, quia videlicet q̄ azymi,id est,synceri de tenebris peccatorū nostrorum exiuimus, non hoc in dustriæ nostrę,sed diuinę gratię debet asscribi,quæ spirituales Aegyptios cum suo fermento citius absistere compulit.

De quadringentis & XXX. annis, quibus habitauerunt filij Israel in terra Aegypti, vnde incipiendo debeant computari.

CAPVT XX.

HAbitatio autem filiorū Israel,qua manserant in Aegypto, fuit quadringentorum XXX.annorum. Quibus expletis,eadē die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.)Hoc si ad solas quatuor generationes respicias, quia generatione quarta exierunt filij Israel de Aegypto,stare non potest,etiam si Leui, Caath,& Amram,non prius quā centenarij essent, filios genuissent, & Moyses quartus à Leui iam centenarius coram Pharaone stetisset,præsertim,cū Leui & cæteri filij Iacob iam grandes,& singuli cū coniugibus suis, & filijs introierunt in Ae-
Galat.3. gyptum. Vnde ergo,vel quo potius à principio istos quadringentos XXX. annos numeremus, Apostolo teste habemus, qui cùm dixisset ad Galatas: Abrahæ dictæ sunt promissiones,& semini eius, non dicit & semini bus,quasi in multis, sed quasi in vno,& semini tuo,qui est Christ⁹,statim intulit. Hoc autem dico: Testamentum confirmatum à Deo,quę post quadringentos & triginta an-
Gen. 12. nos facta est lex,non irritum facit ad euacuā
Gen. 22. dam promissionē. Igitur à promissione dei dicentis ad Abraham,cū ille esset LXXV.annorum,benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi,atque in te siue(vt in alio loco dicit)in semine tuo benedicentur vniuersæ cognationes terræ, quo verbo Apostolus dicit, confirmatum testamentum à Deo. Hos annos computari oportet & scire, quia cum hac seruitute filiorum
Gen. 15. Israel,peregrinatio quoque patrū intra quadringentos & triginta annos compræhensa est. Et rectè,nam & pater Abraham post eandem promissionem primus in Aegypto peregrinatus est. Vnde & reuersus erat quando dictum est ei:Scito,quòd peregrinum futurum sit semen tuum, in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis,nec dum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Vbi notandum,quia non dixit,& affligent quadringentis & triginta,sed tantum quadringentis annis, iā enim aliquid de hac summa diminutum fuerat à prædicta confirmatione testamenti. Itaq; summæ CCCC. triginta annorum,detrahere primū XXIIII. annos,qui ex quo locutus est Deus ad Abraham vsq; ad natiuitatem Isaac interfuerūt, & quadraginta annos Isaac ante natiuitatem Iacob.Itemq; XC. annos Iacob,quibus exactis genuit Ioseph, ac deinde C. & X.annos Ioseph,quo viuente cuncta fuēre prospera, & non remanent seruituti filiorū Israel plures quàm C. XLIIII.anni,sicut ante nos diligenter à temporum scriptoribus pernotatū est.Et nota diligenter, quia sceleris quod in fratrē suum filij Iacob commiserunt,in decuplum filijs eorum in tertiam & quartam generationem,pœna secundum tempus reddita est. Ille nanque venditus ab eis,quatuordecim annis seruiuit,quippe qui cùm venundatus esset, sedecim erat annorum, quando autem de carcere eductus coram Pharaone stetit,triginta erat annorum.Quatuordecim verò decies multiplicati, centum & quadraginta fiunt.Igitur vt dictum est in decuplum illis pœna seruitutis repensa est. Quibus expletis,ait,eadem die egressus est omnis exercitus domini de terra Aegypti.Hoc dicto palam innuit scriptura,quia non saltem vna die remorati sunt vltra annos quadringentos triginta.

De eo quod dictum est: Nox ista obseruabilis domino, &c. Et de nocte paschali Christianorum.

CAPVT XXI.

NOx ista obseruabilis Domino,quando eduxit eos de terra Aegypti(Hanc obseruare debent omnes filij Israel, in generationibus suis.)Nox ista,subauditur,quando immolatus est agnus, & primogenita Aegypti cæsa sunt. Equidē alia nox fuit illa, cuius in vigilia matutina,respiciēs dominus super castra Aegyptiorum,per columnam ignis & nubis,interfecit eorū exercitum,& subuertit rotas curruum, ferebāturq; in profundum. Verùm nox vna pro duarum noctium rebus gestis,Domino obseruabilis iussa est. Et rectè:Nam vna eademque liberatio Israel,quę in morte primogenitorum inchoata, in submersione Aegyptiorum cunctorum peracta est.Non ergo noua vel præsumpta auctoritate,sancta Romana ecclesia duarum itidem noctium acta, vna eademque nocte celebrari instituit: vnius scilicet qua compræhensus & ad mortem ductus, primogenitum Pharaonis,id est,superbiā diaboli cruce sua transfixit:alterius verò,qua resurgens à mortuis

plenum gaudium tam de animarum redemptione,quam moriendo acquisiuit, quam de corporum resurrectione, quam resurgendo acquisiuit,toti mundo attulit. Hæc inquam, duarum noctiū acta vna nocte celebrare instituit, in laudem & gloriā veri agni,qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostrā moriendo deuicit, & vitam resurgendo reparauit.Hanc,inquit,obseruare debent omnes filij Israel.Ita planè faciunt.Omnes filij Israel, imò omnes filij Dei,qui dispersi fuerant, cōgregati in vnum,post huius noctis sacramentum,qua Christus Dei filius tanquam agnus occisus pro illis,tanquā leo resurrexerit, noctem istam concordi vbiq; tripudio concelebrant,illam esse non dubitantes, de qua scriptū est.Et nox vt dies illuminabitur, & nox
Psal.138. illuminatio mea in delitijs meis. Idcirco noctem æquè vt diem sequentem, sancta ecclesia quantum potest concelebrat,eodem namque victoriosæ resurrectiōis obsequio in vespera, quo & sequenti die persultat. Prius enim vespertinum quàm matutinum sacrificium tantæ solennitatis immolat. Cur hoc? Videlicet quia est resurrectio prima, quæ noctem,& resurrectio secunda, quæ diem illustrat.Resurrectio prima,est remissio peccatorum,quam renascentes ex aqua & spiritu sancto in illa paschali vespera accipiūt, & ita iam in anima resurgunt. Resurrectio secunda resuscitatio corporum est, quæ iam in Christo facta, & tandem in omnibus facienda est. At verò præsens ecclesia,quæ nox aliquando erat, hac prima resurrectione fit lux, & sicut dies illuminatur.Per hāc enim quisq; nostrū, & nunc dum in corpore est, veritate fulget, & post corporis solutionē tota vespera sabbati,donec lucescat in prima sabbati,quę ipsa octaua erit,illuminabitur vt dies, & interim sola anima sabbatizat,quia in requie est. Rectè igitur ante lucem primæ sabbati ipsa vespera sabbati iucunditate illuminatur paschalis sacrificij præcentore Christo, dicente, & nox vt dies illuminabitur,&nox illuminatio in delitijs meis.

De eo quod dominus ait: Hæc est religio phase.

CAPVT XXII.

DIxitq; Dominus ad Moysen & Aaron, Hæc est religio phase: Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem seruus emptitius circuncidetur,& sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo.In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius cōfringetis? Hæc est, inquit, religio phase. Planè religio sancta & iusta & bona.Quid enim?Nunquid alienigenam pro vili conditione refutat? Proculdubio repugnat quod dicitur, omnis autem seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet. Ergo alienigena quamdiu fuit liber, non vescetur, vbi autem in seruum fuerit emptus,ipse vescetur ex eo. Quare? Videlicet quia alienigena,dum liber est,postquam hodie comederit phase,cras vel continuò, si volet cōmunicabit superstitioni Aegyptiæ, non dijudicans inter vtrunque: similiterq; mercenari⁹, quia stabilitatem in domo Israelitica non est professus, & idcirco non habet vndè ad phase semel gustatum cōstringatur.Igitur Deus, non quia sit Deus carnalis Israel tantùm, & non gentium,sed propter vagam instabilitatis licētiam,refutat alienigenam & mercenarium,cum admittat seruum emptitium.Cæterū spiritualis phase religio,certū est, quòd nullum admittat nisi seruum emptitium, id est,eum tantùm, qui susceperit per baptismū emptionis Christi sacramentum. Etiamsi iā sit catechumenus,nō vescetur,sed quasi mercenarius à cœtu vescentium segregabitur, vt nec saltem consistat in domo,dum hoc phase immolatur, dum à domesticis fidei comeditur.Sed & in alterius sectæ homine, in quoscunque hæreticos,vel schismaticos,hoc phase diuidere,nefarium est,etiam si sanguine agni signatos se habere dicant suarum frontium postes.Ait enim: In vna domo comede- CAP. XIII.
tur,nec efferetis de carnibus eius foras. Hæc iusio secundum literam,illud necessario fieri cogit,quod superius dictum est:Si autē minor est numerus,vt sufficere nō possit ad vescendum agnum,assumet vicinum suum,qui coniunctus est domui suæ, &cæt. Porrò secundum spiritum vnitas sanctæ ecclesiæ cōmendatur attentiùs,scilicet, vt manducaturi mēsam dominicam simus domus vna,id est, idipsum dicamus omnes, & non sint hæreses in nobis & schismata. Tunc enim non vna in domo comeditur agnus, sed foras carnes ei⁹ efferuntur,quando indiscretè tribuitur scindentibus vnitatem fidei,cum in scissura mentium Deus non sit. Ergo cum præsenti testimonio scripturæ licet confidenter dicere,qa non est verum sacrificium, quod sit extra vnitatem ecclesiæ.Nec os,inquit,illius cōfringetis.Hoc testimonio sanctus euangelista sic
Ioan.19. vsus est. Ad Iesum autē cum venissent,& viderunt eum iam mortuum,non fregerunt eius crura.Et subinde:Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur. Os non cōminuetis ex eo.Ergo & iuxta proprias vocū significationes prophetia manifesta est. Et nihilominus tamen quotidie nobis mysticè obseruādum est, vt os illius,id est, verbum,per quod subsistit, cibi & potus huius sacramentum non confringamus,sed integrum atque illibatum custodiamus.Qui enim quippiam de diuinitate agni huius peruersum sentit, ipse sibi os illius confringit.Præscripto quod intus manducari,& nihil de ossib. eius foras efferri debeat,tandem de illis qui foris sunt, cōsilium dat.(Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniā, & facere phase domino, circuncidetur prius omne masculinū eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circuncisus non fuerit,non vescetur ex eo.Eadē lex erit indi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

genæ & colono, qui peregrinatur apud vos.) Ergo quisquis adhuc peregrinus, & nõdum domesticus fidei est, siue ille paganus, siue sit hæreticus, aut certè falso Iudæus, circuncidatur domino circuncisione cordis, & aurium, quod est in Israelitarum transire coloniam, & tunc vescetur carnibus agni, quæ non debent extra vnam catholicam ecclesiam efferri. Possumus per indigenã & colonum, quorum lex eadem sit, & eum qui ex circuncisione est, & eum qui ex præputio est, intelligere populum, quorum alter qui ex circunsione est, indigena rectè dicitur, alter qui ex præputio, colonus: hospes enim testamentorum, & alienus olim erat à conuersatione Israel.
Ephes.2. Vtriusque populi eadem lex est, vt tam hic quam ille, omissis cunctis superstitionibus, vel iustitijs carnis, solam CHRISTI quærant gratiam, & per hunc angularem lapidem quasi duo parietes in vnam domum cõueniant.

De Socoth, id est, tabernaculis, et de duabus solennitatibus paschæ, et tabernaculorum.

CAPVT XXIII.

FEcerunt omnes filij Israel sicut præceperat dominus, & in eadem die eduxit dominus filios Israel de terra Aegypti.) Dicendo, in eadem die eduxit dominus, ad memoriam reuocare cõtendit, vbi hæc & ea quæ sequũtur præcepta sint data, scilicet in Socoth, vbi primùm tetenderunt tabernacula, profecti de Rameſſe. Congregati enim in Rameſſe, quod interpretatur commotio tineæ, siue tonitruum gaudij, videlicet vbi seruilem tineam deposuerunt, & in gaudium exierunt, illic (vt dictum est) primùm tabernacula tetenderunt. Vndè & ex ea re, locus nomen accepit. Socoth quippe interpretatur in lingua nostra tabernacula, siue tentoria. Et ob hoc septimo menſe solennitas tabernaculorũ cõstituta est, non quòd illuc septimo menſe venerint, sed vnum eiusdemq; gaudium exit⁹, in duas solẽnitates ita dispartitũ est, vt in principio anni, id est, primo menſe, solennitas paſche, vel azymorum, in medio autem anni, id est, septimo menſe, festiuitas ageretur tabernaculorum, quintadecima die menſis septimi, quota videlicet die menſis primi venerũt in Socoth, & post ergastula Aegyptiorũ propria libertatis suæ tentoria fixerunt.

De eo quod ait dominus: Sanctifica mihi omne primogenitum, &cæt. Et cur addiderit dicens: Quod aperit vuluam.

CAPVT XXIIII.

CAP. XIII. LOcutus est dominus ad Moyſen dicens: sãctifica mihi omne primogenitũ, quod aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis. Mea enim sunt omnia. Et post pauca: Cumq; introduxerit te dominus (ait Moyses) in terram Chananæi, separabis omne primogenitum, quod aperit vuluam domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis. Omne autẽ primogenitum hominis de filijs tuis pretio redimes.) Lex ista propria primogenitorum est. Cæterùm illa tam primogenitorum, quàm & posterius natorum lex cõmunis est, quæ in Leuitico hoc modo scripta est. Cumq; expleti fuerint dies purgationis eius, scilicet mulieris, quę filium vel filiam peperit, pro filio vel filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullũ columbæ, siue turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, & cæt. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Itaq; primogenitus hominis dupliciter legi debitor fuit, primùm vt domino sisteretur redimendus, deinde vt hostia pro illo sicut pro cæteris daretur. Vtrunq; in deductione domini, Euangelista hoc modo denuntiauit. Tulerunt, inquit, eum in Hierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptũ est in lege Moysi, quia omne masculinũ adaperiẽs vuluam, sanctum domino vocabitur. Hoc pro lege primogeniti, quia videlicet dominus noster, cum sit matri suæ vnigenitus, consequenter est & primogenitus: quamuis non econuerso, primogenitus omnis sit etiã vnigenitus. Sequitur in Euãgelista. Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc pro lege matrum cõmuni, quia videlicet sic fieri tam pro filia, quàm pro filio, lex absq; vlla exceptione iussit, non pro redemptione partus, sed pro emundatione parientis. Porrò quod dicit, Omne autem primogenitum hominis, de filijs tuis subaudi tur, non de alienigenis siue mercenarijs, pretio redimes: non tam iusio, quàm permisio est. Nam qui pretio redemit, benè quidem fecit: veruntamen Anna quæ Samuelem non redimere voto proposuit, melius fecit. Quare autem cum dixisset, sanctifica mihi omne primogenitum, addidit, quod aperit vuluã? Videlicet vt dubium non esset quod intẽdit. Vult autem primogenitũ omnis vteri, quod plus est, quàm primogenitũ viri. Sæpè enim factum est & fit, vt plures vnius vxoris viri sint. Ne ergo suspicari liceret, quòd de quãlibet multis vxoribus vnum deberet primogenitũ vnus vir, rectè cũ dixisset, omne primogenitũ, addendo quod aperit vuluã, suã exactionẽ definiuit. Porrò q᷑ dicit, sãctifica. i. sanctione legis, q᷑ violari vel prẽteriri non liceat, mihi vendica. Quod deinde ait: (Primogenitum asini redimes oue, quòd si non redemeris, occides.) cùm literali rectitudine, moralẽ quoq; suauitatem continet, scilicet vt præcedentia carnis opera, posteriore spiritus correctione quisq; superet. Peccatum namq; carnis primogenitũ asini: eleemosyna verò qua præcedẽs peccatum redimitur, rectè dicitur ouis. Quòd si non redemeris, inquit, interficies, quia videlicet qui peccata sua redimere

renuit, morti sempiternæ semetipsũ addicit.

De lege ceremoniarum, et quòd non fuerit eiusdẽ auctoritatis & stabilitatis, cuius Christi præcepta, quæ sola referuntur scripta esse digito Dei.

CAPVT XXV.

SAnctifica mihi, inquit, omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Israel, tã de hominibus quam de iumentis. Mea sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum: Me mẽtote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto, de domo seruitutis, & c. Notandum, quòd cum dixerit dominus: Sanctifica mihi omne primogenitum, hic internuntius domini, alia præloquitur ad populum, & dicit, vt meminerint diei huius, cum eos introduxerit dominus in terram Chananæi, vt custodiant eius cultum statuto tempore à diebus in dies. Hodie mẽse nouarum frugum, id est, quintodecimo die Aprilis, quo iã secundum temperiem aeris, apud illos primæuæ fruges vesci possunt, hoc intendens, vt agnum & azyma, quorum vsum semel acceperunt, diligenter per omnes annos obseruent. Hoc dicimus, ne ignoremus, quid Iudæis respondeamus, arbitrantibus carnales ceremonias suas eiusdem auctoritatis siue stabilitatis esse debere, cuius & illa decem præcepta vitæ, quæ in tabulis lapideis scripta sunt. Verùm ipse legislator hoc pro summa differentia de illis dixit, quia scripta sunt digito Dei, quod nusquã dixit, nec dicere debuit de huiusmodi, quas transitorias fore nouerit ceremonias. Et
Gala.3. Apostolus cũ dixisset: hoc autẽ dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos, facta est lex, non irritum facit ad euacuandas promissiones, protinus ait: Quid igitur lex? Propter transgressores posita est, donec veniret semen cui repromiserat ordinata per angelos in manu mediatoris. Legem ceremoniarum ordinatam dixit, non in manu vel digito Dei, sed in manu mediatoris Moysi, cùm testamentum à Deo confirmatum asseruerit, sicut econuerso, Moyses præcepta vitæ digito Dei scripta dicit, cum de sacrificijs vel solennitatibus obseruandis nihil tale dixerit. Igitur nõ tantùm hic, vbi Moyses iniussus repetit de azymis, legemq; dat de festis annuis, sed & vbicunq; per manum eiusdem mediatoris, populo illi aliqua instituuntur eorum, sine quibus testamentum à Deo cum Abraham cõfirmatum fuit, sic accipienda sunt, non tanquam iussa, sed tanquã permissa, videlicet propter transgressiones, vt verissimè Apostolus ait: Vincula enim quædã fuerunt propter transgressiones posita, scilicet vt dum talium sacrificiorum vel festorum ritu detinerentur, non vacaret eis errare à Deo suo, in suis adinuentionibus, & illicitis idolorum cultibus: Proinde confidentibus in illis loquitur per
Hiere.1. prophetam idem Deus: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatũ & victimarum, sed hoc verbũ præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. Et ambulate in via quam mandaui vobis, vt benè sit vobis. Non sum locutus, ait, id est, non præcepi. Nã quæcunque talium velut ex ore meo Moyses iussit, non me iubente, sed me permittente præcepit. Et in Dauid: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et multa his similia. *Psalm.46.*

De primogenitis domino sanctificatis, et quòd filij Leui vsq; ad Christum, in carnali sacerdotio fuerint reputati.

CAPVT XXVI.

QVO iure primogenitum omne exigat, ratione subiuncta manifestat. (Cùm (inquit) interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? Respondebis ei: Quia in manu forti eduxit nos de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit dominus om- CAP. XIII. ne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito hominis vsque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo domino omne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia pimogenita filiorum meorum redimo.) Consentimus æquitati quotquot in hoc sanctarum legum auditorio consistimus iurisperiti, vel sensum habẽtes veritatis, quia ius est, vt pro quorum liberatione, illa corporaliter primogenita cæsa sunt, ab eis liberatori suo deberetur omne primogenitum. Sed loquitur dominus in libro Numerorum ad Moysen, dicens: Ego tuli Leuitas à filijs Israel, pro *Numer.3.* omni primogenito, qui aperit vuluã in filijs Israel. Eruntq; Leuitæ mei, meum est enim omne primogenitum, &c. Item: Numera (inquit) primogenitos sexus masculini, à menſe *Ibidem.* & supra, & habebis summam eorum. Tollesque Leuitas mihi, pro omni primogenito filiorũ Israel. Quæritur ergo: Si omne primogenitum de filijs Israel, pretio redẽptum est, quo iure tolluntur domino Leuitæ, pro omni primogenito filiorum Israel? Vel si Leuitas tollere habebat pro primogenitis, qua rectitudine pretium pro primogenitis dari iussit vel accipi? Ad hæc inquam. Sacerdotium verum primogenitorum est. Etenim eorum omnium vnus futurum erat vt fieret sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, quẽ multis locis scriptura sancta primogenitum appellat, videlicet respectu omnium filiorum Israel. i. omnium filiorũ Dei, vt Apostolus dicit: Nã quos prescíuit, & prę- *Rom.8.* destinauit, conformes fieri imaginis filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Amplius autem Lucas dicturus: Tulerunt e- *Luc.2.* um in Hierusalem, vt sisterẽt eum domino, sicut scriptum est in lege domini: quia omne masculinum aperiens vuluam, sanctum domino vocabitur, præmisit ita de virgine, dicens: Et peperit filium suum primogenitum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

videlicet vt cognitor legis domini, ſubauditur, quòd vocaretur domino ſanctũ, cui ſummum & verum repoſitum erat ſacerdotium. Porrò illud carnale ſacerdotiũ legis, veri huius ſacerdotij vicarium fuit, nec tanquam neceſſarium vel ad ſalutem ſufficiens poſitum
Galat.3. eſt, ſed quaſi pædagogus propter trãſgreſsiones, donec veniret cui repromiſerat ſacerdotium, teſtatur Deus, dicens: Quod in illo benedicerentur omnes gẽtes. Ergo quia primo
Gen.22. genitorum (vt iam dictum eſt) ſacerdotium erat in Chriſto repoſitum, carnale autem ſacerdotium, huius fuit vicarium: iuſtum erat vt quorũ videlicet primogenitorum filij Leui vicem egerunt, eorum quoque ad neceſſarium victum acciperẽt pretium, proprios funiculos inter fratres ſuos filios Iſrael non habituri, iuxta ſententiam patris ſui Iacob dicẽ
Gen.49. tis: Symeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellãtia, diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael. Igitur quia propter tranſgreſsiones vicarium ſacerdotium poſitũ eſt, donec verum veniret ſacerdotium, quòd primogeniti eſt iure: & vacantia primogenita redimebantur, & eorũ vicarij ſacerdotes ac miniſtri, illorũ pretio locabãtur miniſtraturi pro ipſis, donec primogenit⁹ veniret, qui ſeipsũ nõ redimeret, ſed aſsiſtens domino per proprium ſanguinem amoto ſtatim vicario, tolleret ſacerdotiũ ſuũ ſecũdum ordinẽ Melchiſedech.

De eo quod dictũ eſt: Non eos duxit dominus per viã terræ Philiſtijm, &c. CAPVT XXVI.

Exod.15. IGitur cum dimiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſtijm, quæ vicina eſt, reputans, ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum, ſed circunduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum.) In cantico ſuo paulò poſt Moyſes dicit: Aſcenderunt populi & irati ſunt, dolores obtinuerunt habitatores Philiſtijm. Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obrigueruntomnes habitatores Chanaan. Cùm dixiſſet, aſcenderunt populi & irati ſunt, quaſi quæreres, qui populi? & quomodo irati ſunt? Dolores (inquit) obtinuerunt habitatores Philiſtijm, &c. Principes Edom conturbatos fuiſſe, robuſtos Moab tremuiſſe, omnes habitatores Chanaan obriguiſſe: habitatores autẽ Philiſtijm doluiſſe dicit, id eſt, inuidiſſe. Igitur maximè habitatores Philiſtijm erant vitãdi, nõ fruſtra, quia alijs timẽtib. ſoli cõtra Iſrael iã hoſtilẽ cõquebãt inuidiã. Sed nunquid dominus contra Pharaonem & Aegyptios pro Iſrael pugnare poterat, & contra Philiſtæos non poterat? Planè & contra iſtos poterat, ſed in hoc ſicut in cæteris factis, quæ ſuperficies hiſtorica cõtinet, ſpirituale inſtrumentum rationabiliter prouidebat. Spiritualiter namq; hoc agit in omnib⁹ electis ſuis, in Aegypti exitu, id eſt, in initio conuerſionis, vel dum nouitius eſt conuerſi animus, nec totus exiuit de priſtinis erroribus, peccatum à vitijs paret viã, quatenus qui vocati ſunt, tranquillè & delectabiliter egrediãtur, ne ſubitis tentationibus pulſati, à propoſito ſancto vix incœpto deterreantur. Prætereà & illa gens erat, quam dominus Iſraeli reſeruare decreuerat vtiliter, vt per illã exerceretur, & quaſi proximo flagello caſtigaretur, quoties legẽ dei ſui relinqueret, quod ſæpè futurum erat. Igitur non quaſi timidus, vt ſimplex ſermo ſonare videtur, ſed benè prouidus, non eos duxit per viã terræ Philiſtijm, ſed circunduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum. Circunduxit, & circunducendo erudiuit, ſicut ipſe hic Moyſes ait in cãtico Deute- Deut. 32.
ronomij: Circunduxit eũ & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. (Et armati (inquit) aſcenderunt.) Videlicet in noſtri exemplum, qui non ad ocia, de Aegypto huius ſeculi, ſed ad bella vocati ſumus, cõtra barbaricas acies vitiorum, aduerſus phalanges malignorum ſpirituum, quanquam ipſi nondum eſſent idonei ad bellum ante rubri maris trãſitum, ſicut & nos nihil fortiter agere potuimus, ante perceptum ſalutare baptiſmi Chriſti ſacramẽtum. (Tulit quoq; Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quòd adiurаſſet filios Iſrael, dicens: Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.) Admirandus ordo diuini iudicij. Venditores fratris fecit Deus deſcendere poſt eũ in Aegyptũ, & non ipſi viuentes viuũ reduxerunt, ſed ipſis defunctis illic remanentibus, filij eorum mortuum reuexerunt, eisq; in peregrina terra ſepultis, hicverò reconditus in terra & hæreditate patrum.

De eo quod dictum eſt: Nũquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.

CAPVT XXVIII.

PRofectiq; de Socoth, caſtramentati ſunt in Etham, in extremis finib. ſolitudinis.) Etham interpretatur fortitudo. In eo quod dicitur, In extremis finibus ſolitudinis, oſtẽditur, locum inter confinia eſſe eremi & Aegypti. (Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columnam nubis, & per noctem in columnam ignis, vt dux eſſet itineris vtroq; tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.) Vbique in hoc ſanctæ ſcripturæ cælo lucida occurrunt ſydera, omnia in fontem ſui luminis, ſcilicet in verum ſolem Chriſtum reſpicientia, & nullus locus vacuus eſt. Ecce columna nubis per diem, & columna ignis per noctem, dux itineris vtroq; tempore in conſpectu filiorum Iſrael, videlicet iuxta oculorum naturã, qui vt ſequi valeant, & ſub ſole nubem, & in nocte facilè dignoſcunt ignem. Quiſnã eſt hic dux itineris, niſi qui & dux & via nobis eſt, Ieſus Chriſtus filius Dei? Ipſe nẽpe columna ignis, quia verus Deus: ipſe idẽ columna nubis, quia ver⁹ homo eſt. Vndè ſignãter & pro-

& propriè loquẽs ſcriptura nõ dixit: dñs autẽ præcedebat eos in columna nubis, & in colũna ignis, ſed in alio caſu, quẽ accuſatiuum dicunt grãmatici, in columnã nubis, & in colũnam ignis. i. ſicut columna nubis, & ſicut columna ignis. Cũ adhuc eſſet nox, erat tantùm ignis: vbi autẽ dies gratiæ, vel tẽpus miſerationis aduenit, nubes factus eſt qui ignis erat. i. homo vel caro factus eſt, carnẽ induẽdo qui Deus erat. Plus eſt ſol igne⁹, ſol iuſtitię in die, q̃ ignis ſplẽdidus igni verbi prophetici in nocte. Sol vt tolerari poſsit venit in nube. i. De⁹, vt cũ hominib. conuerſaretur, venit in carne. Hinc iã oportunè propheticum arripimus teſtimonium. Ait Eſaias: Ecce aſcendet dñs ſuper nubẽ leuẽ, & ingredietur Aegyptũ, &c. Cũ præſenti nunc hiſtoria illa cõferatur prophetia. Etenim quę hic factis eadẽ illic myſteria ſignata ſunt dictis. Siquidẽ Aegyptus hũc mundum, filij autẽ Iſrael, electum ſignificãt populum Chriſti, nunc pro parte illorum, q̃ eius vſq; in finẽ ſeculi ſequuntur aduentum. Nã ſuprà vbi agnus immolatus, & Aegypti primogenita cæſa ſunt, Aegyptus infernum, filij autẽ Iſrael electum Chriſti ſignificabant populum, pro parte illorum qui aduentum vel paſsionem eius præceſſerunt, & apud inferos repoſiti, illuc venturum expectauerunt.
Eſa.19.

De eiuſdem columnæ ſenſu myſtico.

CAPVT XXIX.

IGitur columnæ huius myſteria nouim⁹, quæ in nocte. i. nondum reuelata luce gratiæ, ignis erat, & exiguum. i. perpaucis in prophetalem gratiam lucẽbat, exiguum inquã, videlicet cõparatione diei præſentis, quando totus fons ignis verus ſol & fons luminis totus cum nube ſuæ carnis venit. Quamuis ſit ſol in nube, clarius tamen lucet, quàm dudum ignis in nocte. Ad quid eiuſmodi colũna nos præceſsit? Videlicet vt oſtenderet nobis viam fugiẽdi à Pharaone rege Aegypti. i. à diabolo principe huius mundi, ad hoc vt aperiret nobis viam maris rubri. i. gratiam baptiſmi ſanguine ſuo rubentis, vt ingreſsi cum Pharaone, Aegyptij poſt nos in mare. i. baptizatos nos in mortẽ Chriſti perſequentes, ido
Pſal.69. lolatræ gentes perirent de memoria noſtra cum dijs, imò cum dæmonijs ſuis, & confunderentur oẽs qui adorant ſculptilia, qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Quid aliud propheta ſupradictus capitulo prædicto declara
Eſa.19. uit? Cùm dixiſſet: Ecce aſcendet dominus ſuper nubem leuem. i. accipiet mundam carnẽ, quæ hic intelligitur per nubem candidam, & ingredietur Aegyptum, ſtatim ſubſequentes eius effectus intulit huiuſmodi. Et mouebũtur ſimulachra Aegypti à facie ei⁹, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius, & occurrere faciã Aegyptios aduerſum Aegyptios. Et poſt aliqua, dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens, & c. Hoc tãtum intereſt ſimilitudinis, quòd hinc omnes reprobi per Aegyptios, & omnes electi per filios Iſrael ſignificantur: in illa autẽ prophetia diuiduntur Aegyptij contra Aegyptios, ſubauditur, electi contra reprobos, eò videlicet intuitu, quòd omnes homines tam qui è nobis aſſumũtur, quàm qui relinquuntur, omnes inquam nos eramus gẽtes ad ſimulachra muta prout ducebamur e- 1. Cor. 12.
untes. Pro parte reproborum, qui cum dijs ſuis & principe diabolo relicti ſunt, dicit: Stulti principes Thaneos, ſapiẽtes conſiliarij Pha Eſa.19.
raoni dederunt conſilium inſipiens. Quomodo dicetis Pharaoni, filius ſapientiũ ego filius regũ antiquorum? Vbi ſunt nũc ſapiẽtes tui, &c. Pro parte verò electorum, qui à diabolo receſſerunt, ſubſecutus ait: In die illa erit altare domini in medio terræ Aegypti, & titulus iuxta terminum eius domini. Et erit in ſignũ & in teſtimonium domino exercituũ in terra Aegypti: Clamabunt enim ad dominũ à facie tribulãtis, & mittet eis ſaluatorem & pro- CAP.
pugnatorẽ, q̃ liberet eos. Et cognoſcetur dñs XXIIII.
ab Aegypto, & cognoſcẽt Aegyptij dñm, &c. quæ cuncta nunc perſequi oneroſum eſt. Pro inde quomodo dominus populi ſui ductor fuerit in colũna nubis, & perſecutores eius in profundum demerſerit, proſequendum eſt.

De myſtica caſtrorum poſitione.

CAPVT XXX.

LOcutus eſt dominus ad Moyſen dicens: Reuerſi caſtrametentur è regione Phiairoth, quæ eſt inter Magdalum & contra Belſephon. In conſpectu eius ponetis caſtra ſupra mare.) Phiairoth os nobilium, Magdalũ ſiue Magdol (vt in pleriſq; codicibus habetur) magnitudo ſiue turris, Beelſephon dominus aquilonis interpretatur. Reuerſi inquit, ſubauditur de Etham, vt non irent (ſicut iam dictum eſt) per terram Philiſtinorũ. Etham interpretatur fortitudo. Tu (inquit Pſalmiſta) ſiccaſti fluuios Etham. i. annihilaſti ſapientiam fortium. Ergo contrariam for- Pſal.37.
titudinem, tam Aegyptiorum quàm Philiſtinorum. i. tam dæmonum, & eorum qui illos colunt, quàm & Iudæorum ſiue hæreticorũ ſecundum nomen Philiſtijm potione cadentium, quia miſcuit eis dominus ſpiritum vertiginis, ſicut eſt ex propheta ſupra dictũ. Has inquam, contrarias fortitudines fugiẽtes, caſtrametentur è regione Phiairoth, quod (vt iam dictum eſt) interpretatur os nobilium, & ſignificat nobilem doctrinam vel fidẽ Apoſtolorum. Inter Magdalum & mare. i. inter magnam turrim fortitudinis, ſcilicet Chriſtum, & ſanctum eius baptiſmum. Cõtra Belſephon. i. contra diabolum, aquilonis domi
nũ, qui auſu ſuperbiæ elatus. Sedebo (inquit) Eſa.14.
in monte teſtamenti, in laterib. aquilonis. i. eos poſsidebo, qui frigidi remanebunt à dilectione creatoris. Tali vtiq; poſitione ſpiritualiter caſtrametãtur noſtri catechumeni, quãdo fugiẽtes huius mundi Aegyptum, vbi ſimulachra muta coluerunt, & abominati ſunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

oēs sectas hæreticorum, qui æstimatione sua Etham. i. fortes sunt, veniūt ad mare, scilicet ad vnici & veri baptismi sacramentū, q̄ in vna sancta catholica atque apostolica ecclesia querendū atq; confitendū est. Quid hoc præcepto intendat dominus, subdendo manifestat. (Dicturusq; est Pharao super Israel: Coarctati sunt in terra, concluſit eos desertum. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos.) Ordo præposterus. Nam sensu prius est, & indurabo cor Pharaonis, posterius verò, dictu rusq; est Pharao super filijs Israel. Sed vt cōpetentius, secundū personā sermo continuaretur, & indurabo cor Pharaōis ac persequetur vos, ac glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ei⁹, sic rectè commutatum est. Porrò de verbo hoc, & indurabo, modò superius est dictum, quia videlicet indurabo. i. odium ac liuorem eius felicitate exeuntium torquebo. Dicturus est, inquit, coarctati sunt in terra, cōcluſit eos desertū. i. hinc terra Aegypti, inde terra Philistijm, atq; inde rurs⁹ deserto, à quarto climate mari rubro concluſi, effugere non poterunt. (Et glorificabor (inquit) in Pharaone, & in omni exercitu eius.) Propriè tam secundum historiā, quàm secundum allegoriā dictū est, & glorificabor, quia videlicet, cùm multa fecerit magnalia in Aegypto, nullo magis glorificatus, q̄ eo, quòd sic terribiliter Pharaonem & exercitum eius demerſit in mari rubro. Et cum in cælo & in terra magnalia fecerit absq; numero, de nullo gloriosius prædicatur, quàm de eo, quòd per humilitatem Christi filij sui diabolū deiecit, & consiliū eius præcipitauit. Porrò quòd tandē dicit, & sciēt Aegyptij. i. nescire non licebit Aegyptijs, quia ego sum dominus: verbi gratia, cū dicēt, occurrentib. sibi aquis, fugiamus Israelem, dns enim pugnat pro eis.

De eiusdem Pharaonis, diaboli typū gerentis, indurationē.

CAPVT XXXI.

ET nunciatum est regi Aegyptiorum q̄ fugisset populus, &c.) Nonne hic est Pharao, qui supra dixit: Surgite, egredimini, & abeuntes benedicite mihi? Quomodo ergo nunc dictum est: & nunciatum est regi quod fugisset populus? An quia petierant filij Israel ab Aegyptijs vasa argentea & aurea, vestēque plurima, & spoliauerāt Aegyptios, & vulgus promiscuū atq; innumerabile, forsitā de mancipijs Aegyptiorū dominos suos fugiens, ascenderat cū eis, idcirco sic dictū est: & nunciatum est, quod fugisset populus. Et enim ea ipsa quoq; causa non paru innuit, vt spolijs Aegypti potiti filij Israel, quanto cupidius onustati, tanto libentius ac properātius irent ad imperium domini. Pharao autē, tanto ad prosequendum proniorem haberet exercitum, quāto insanius accepissent, auro vel argento suo se esse spoliatos ab eis, quos dudum libertate spoliauerāt. Vndè inflammati seq; inuicem cęco furore inflāmantes. (Quid (inquiūt) voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis? Iunxit ergo currum suum Pharao, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitq; sexcentos currus electos, quicquid curruū in Aegypto fuit, & duces totiꝰ exercitus. (Induravitq; dns cor Pharaōis regis Aegypti, & persecutus est filios Israel. At illi egressi erāt in manu excelsa, &c.) Sæpè vsa est, & nunc extrema vice sancta vtitur scriptura, verbo illo terribili, Induravitque dominus cor Pharaonis, nihil verita, ne loquatur lutum siue figmentū contra figulū & dicat: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Quid adhuc quæritur? Volūti enim eius quis resistit? Nā si quid tale muti re audeat, dicetur ei: O homo tu quis es qui respondeas Deo? &c. Sed de hociā alio loco plenius dictū est. Spiritualiter tunc nuntiatū est regi Aegypti, q̄ fugisset populus, quando percepit diabolus, q̄ exaltato super oēs cęlos Christo, vocatis ad fidē eius cunctis gentibus tēpla sua derelinquerētur, & simulachrorū eius sordes abijcerentur. Nam de illis, quos de inferno amisit, quos triūphator Christus paradiso restituit, & intra muros supernæ pacis collocauit, nullū postea nunciū audiuit, nec anhelanti post illos eius inuidiæ spes vlla superesse potuit. Tunc ergo quādo resurrectionis Christi gloria prædicari cœpit, & signum victoriæ eius effulsit, vt audirent omnes gentes, quòd iā iudicatus esset princeps huius mūdi, & idcirco transfugerēt ad regnū victoris, titulumq; eius acciperēt in frontib. suis: tunc inquam, audito tristi nuncio, tulit currus electos, quicquid curruū in Aegypto fuit, verbi gratia: Neronē, Traianū, Deciū, Diocletianū, vel Maximianū. Isti enim & cæteri huiusmodi currus Pharaonis, currus electi fuere diaboli, & equi eius, iuxta Apocalypsim, Rufi. i. sanguinei. Super hos ascēdit, & persecutus est filios Israel. i. persecutionē publicā excitauit contra oēs in Christum credentes. At illi (inquit) egressi erāt in manu excelsa. Elegātissima oppositio. Excelsi videbātur prędicti currus Pharaōis, & duces diabolici exercit⁹: sed reuera manꝰ domini excelsa est, in qua egressi sumus, excelsa inquam manus domini, & excelsus agnus Dei, cuius sanguine redempti exiuimus.

Cur Pharao abeuntes persecutus est.

Rom. 9.

Ioan. 16.

Apocal. 6.

De eo quòd leuantes filij Israel oculos, viderūt Aegyptios post se, & timuerunt, iuxta sensum mysticum.

CAPVT XXXII.

CVmq; appropinquasset Pharao, leuātes filij Israel oculos suos, viderunt Aegyptios post se, & timuerūt valdè, &c.) Iuxta historiā parua nimis est, nec dignis profectibus erudita, secundum quæ viderant opera Dei, illorum fides dicentium ad Moysen. (Forsitan non erant sepulchra in Aegypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine.) Porrò iuxta altiorem sensum tunc leuantes filij Israel oculos suos, viderunt Aegyptios post se: quando auditores euāgelij præcedentis colū-

Psalm. 41.

næ iam

næ iam illuminatos oculos cordis habentes, respiciunt præteritos errores, in quibus fuerunt, & cōferentes veritati, quā nouo nūcio audierunt, valdè admirati sunt, & cōturbati sunt, cōmoti sunt, tremor appræhendit eos. Verùm ibi dolores vt parturientis. i. dolores non vani, sed fructū afferentes gaudij sempiterni: quēadmodum parturiens postq̄ peperit, dolorum vel pressuræ suæ iam nō meminit, propter gaudium nati hominis. (Et ait Moyses ad populum: Nolite timere, state, & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie. Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquā vltra videbitis vsq; in sempiternū: Dns autem pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.) Hoc sicut in veritate historiæ factum est, ita veraciter in abundātia spiritualis gratiæ, per Christum hactenus factum est, & fit iugiter. Quia videlicet quoscūq; Aegyptios, quæcunq; opera tenebrarū, post se vident catecumini ecclesiæ, venientes ad catholicæ fidei baptisinum, nequaquā vltra videbunt, nec erit eorum recordatio vsq; in sempiternum. Ibi enim per Christi sanguinē deletur omne peccati chirographū, dato spiritu sancto in peccatorum remissionem. Christus enim multorum peccata tulit, eorum sine dubio, qui per baptismum cōmunicant similitudini mortis eius & resurrectionis. Vnde pulchrè ac fideliter, inquit: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, nō quòd iterū pugnet Christus, aut iterum moriatur, sed quia omnium qui crediturі erant, peccata tulit pugna præterita vel mors eius.

De eo q̄ ait Moysi dominus: Quid clamas ad me? Et quid significet virga eleuata super terram.

CAPVT XXXIII.

DIxitq; Dns ad Moysen: Loquere filijs Israel, vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt ingrediātur filij Israel in medio maris per siccū, &c. Quid (inquit) clamas ad me?) Hoc planè magnæ gratiæ, hoc dignę & gratiosæ acceptionis est, dixisse dominum ad vnū Moysen, in tali tempore, quid clamas ad me? Quid enim? Nónne & Aegyptij clamabant? Nonne & paulò ante dictum est, quia leuantes oculos suos, viderunt Aegyptios post se, & timuerunt valdè, clamauerunt q; ad Dominū? Clamabant planè & isti, grandemq; turbam faciebant vocibus confusis. Sed quid sequitur? Forsitan (inquiunt) non erant sepulchra in Aegypto, ideò tulisti nos vt moreremur in solitudine. Ergo clamabant quidem, sed non clamabāt dignè, vt meritò diceret eis deus, quid clamatis ad me? Clamabant enim sine fide, qui clamor vanus & indignus creditur dei auribus. At verò Moyses quid clamauit? Nolite (inqt) timere, state, & videte magnalia Dei, Dominus pugnabit pro vobis, vos tacebitis. Hoc voce corporis ad populum, hoc grandi vociferatione fidei dixit ad dominū. Rectè igitur solū hunc audiuit illà colūna nubis, illa columna ignis. Sic nimirum eadem columna, iam vere columna nubis. i. idem deus iam indutus nube carnis, dum cū turbis ambularet, & à turbis cōprimeretur, subitò inclamauit: Quis est q̄ me tetigit? Mirantib. omnib⁹ ac dicentib. turbæ te cōprimunt & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit? Ille in sentētia persistens, ait: Tetigit me aliquis. Ita planè hoc loco Moyses, quia filijs Israel sine fide clamātibus, solus cū fide locutus est, solus audiri magno clamore potuit, quemadmodū illic mulier, quia turbis Dominum irreuerenter comprimentib. ipsa cum fide reuerentissima fimbriā vestimenti eius tetigit, sola sentiri meruit. Tu autē (ait) eleua virgā tuam, &c. Iuxta altiorem sensum, quo hactenus cucurrimus, virga Moysi quā super mare iubet dominus eleuari, vt diuidatur mare, & ingrediantur filij Israel per siccum in medio maris: potestas est Christi filij Dei, & vnica regula baptismi, quā super aquas extēdere iussit ducib. populi sui. s. Apostolis, postquam resurrexit à mortuis. Data est mihi (inquit) omnis potestas in cælo & in terra. Euntes baptizate oēs gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus S. Ad hanc enim, quasi virgam, id est, vocē potestatiuā diuidū tur aquæ, vt ingrediātur filij Israel, filij acquisitionis & salutis, id est, aperit se gratia spiritus S. suscipiens filios diaboli, renascituros in filios dei filios iræ regenerandos in filios gratiæ.

Ioan. 16.

Matth. 9.

CAPVT XIIII. Matth. vlt.

De eo quod dictum est: Qui diuisit mare in diuisiones, iuxta Psalmistam.

CAPVT XXXIIII.

AIunt Hebræi, quia non vna diuisio, sed duodecim factæ fuerint maris diuisiones, videlicet secundum numerum duodecim tribuum filiorum Israel, vt vna quæque tribus per suam diuisionem incederet, & hoc esse quod in psalmo pluraliter dictum est: Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Quod si ita est, nec hoc quidem à mysterio vacat, quia videlicet multæ sunt in vno spiritu, quæ baptizatis in Christo aperiuntur, gratiarum diuisiones. Et non vni cunctæ tribuuntur, sed alia alij plus vel minus, secundum beneplacitum vnius eiusdemque spiritus, diuidentis singulis, prout vult. Attamen primum donum & summa baptismi vtilitas, quæ est remissio peccatorum, sciendum quia non particulariter, neq; alij plus, alij minus donatur, sed omni æqualiter pari gratia, in dissimili donationis abundantia: omnium, inquam, peccata absorbentur, & baptismi fluctibus omnes Aegyptij cuncti reatus, tam originalis culpæ, quàm actualium criminum confestim obruuntur. Cæterùm spirituales gratiæ, quales Apostolus cōmemorat, dicens: Vnicuiq; no

Psal. 135.

2. Cor. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Cor. 12. strum datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidē per spiritū datur sapientia, alij aūtē sermo scientiæ, secundum eundē spiritū, &c. dubium non est, qui nulli conferuntur oēs, præter vnum caput corporis ecclesiæ, quod est Christus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Igitur si cui placet, plures factas fuisse diuisiones, nō quidem ad recipiendum nos inuitos cogere potest, quia certam de scripturis sanctis auctoritatem non habet: veruntamen ipsē, hoc sensu literali susceptο, habet quòd mysticè subintelligat vtiliter.

De eo quod dictum est: Angelus Domini pariterq; columna ignis priora dimittens abijt post eos, & quid mysticè significet. CAPVT XXXV.

TOllensq; se angelus Dñi, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cū eo pariter columna nubis, priora dimittēs post tergum, stetit intēr castra Aegyptiorum & castra Israel. Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto nōctis tempore accederenon valerent.) Hoc ex motu columnæ priora dimittētis, & post tergum stantis agnosci vel præuideri potuit, q; angelus dei qui præcedebat castra Israel, post eos abierit. Neq; enim angelus, siue ille erat angelus magni consilij, siue angelicorū spirituum aliquis, in quo esset virtus liberatoris dei, per semetipsum apparebat omnib. neq; hoc litera cogit intelligi, alioqui nō necesse esset, vt vel per diem columna nubis, vel per noctem columna ignis appareret coram populo dux itineris. Sed quomodo vna eademq; columna, & nubes tenebrosa, & nōctem illuminās erat, nisi quia secundū diuersas, imò cōtraria merita vna eademq; virtus, pijs lucebat, impios excæcabat? Ergo in hoc quoq; mysterium pulcherrimum est, quia videlicet vnum eundēq; Christum (inquit
1. Cor. 1. Apost.) prædicamus, Iudæis quidē scandalū, gentibus aūtē stultitiā, quòd valdè est obscurum: ipsis autem vocatis Iudæis atq; Græcis Christum dei virtutem & dei sapientiam, q; valdè est luminosum. Quid porrò sibi vult, quòd illa colūna talis, priora dimisit, & post tergum Israel intra castra Aegyptiorum & castra Israel stetit? Hoc nempe mysticè illud figurat, q; optimè credit & firmiter catholica tenet ecclesia, quia dominus noster Iesus Christus qui nos præcessit, qui antequā sciremus eum, abijt, transiuit & præcursor pro nobis cælum introiuit: ipse tamē adest in hora sancti baptismi, iuxta veritatē ipsius, qui mox, vt dixit, euntes docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, ita conclusit: Eccè ego vobiscum sum omnib. dieb. vsq; cōsummationē seculi. Tendamus securi, quo ille per passionem suā præcessit, nam vbi ad baptismum accesMatth. vl. simus, ipse per passionis eiusdē sacramētum post nos stare cœpit, nosq; intra gratiæ suæ muros includens, peccata nostra à nobis excluſit, vt tota nocte. i. tota vita præsenti, nos consequi, vel ad nos accedere non possint.

De ingressu filiorum Israel per medium maris rubri. Et de sacramento baptismatis.

CAPVT XXXVI.

CVmq; extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud dominus flante vento vehementi & vrente, & vertit in siccum, diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris, &c.) Clara est gloriosæ magnificētiæ domini res gesta, quia diuisa est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris, & quia interfecit dominus exercitum Pharaonis, & subuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum, & ita scierunt ipsi Aegyptij, quia dominus ipse est deus, vt dicerēt: (Fugiamus Israelē, domin⁹ enim pugnat pro eis cōtra nos.) Sed fugientes inuoluit eos dominus in medijs fluctib. respiciens supra castra eorum vigilia matutina. i. quarta vigilia. Quatuor enim computabantur vigiliæ noctis, ternis horis per singulas vigilias cōputatis. Porrò sensu mystico vigilia matutina, ipsa est resurrectio vitæ dominica. Matutino nanq; tempore sedit angelus ad sepulchrum domini, & post profundā tristitiæ noctem, magni gaudij diem mulieribus & per illas lugentib. Apostolis, euangelizauit. Hinc est illud in Psalmo: A custodia matutina vsq; ad noctē speret Israel in domino. Custodiā matutinam dixit custodiā militum mane exterritam, in exemplum omniū *Psal. 129.* impiorum: nam mulieres lætificatæ sunt in exēplum omnium piorū. Quid speret Israel in domino ab illa custodia matutina? Videlicet qa in se, quod in illo factū esse extunc innotuit, futurum est quia resurrexit à mortuis, quia apud dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israel ex omnib. iniquitatibus eius, subauditur, quemadmodum redemit illos filios Israel ex omnib. Aegyptijs hominib. Itaque vigilia matutina qua pertransierunt filij Israel Aegyptijs remanentib. mysticè nobis gaudium est dominicæ resurrectiōis, in qua veterem deponentes hominē, renati sumus, diabolo remanēte, cui renunciauimus & omnibus pompis eius. Dicit enim Apostolus: Quia quicunq; baptizati sumus in Christo *Roma. 9.* Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismū in mortē, vt quomodo resurrexit Christus à mortuis p gloriā patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Si enim cōplantati facti sumus similitudine mortis eius, simul & resurrectionis erimus. De huius igitur facti glorioſi mysterio celeberrimo iam silere non debemus, habentes canticū Moysi, quod sequitur: Quia hic est sapientia quæ aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas, vt victricem *Sap. 10.* manum tuam laudemus pariter Domine Deus noster: Nam ab ore nostro quicunque gratiam hāc sumus cōsecuti, canticū hoc nō debere

Apoc. 15. debēre deficere, innuit illud de Apoc. Et vidi tanquā mare vitreū mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiā & imaginē illius, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, habentes citharas dei, & cantantes cāticum Moysi serui dei, & canticum agni, dicentes: Magna & mirabilia opera tua domine de⁹ omnipotēs, &c. Eccè stam⁹ supra mare vitreum, videlicet laborantes seruare innocentiā, q̄ accepimus per baptismum, mare, in quā, vitreum, videlicet propter puram quā ibi fecimus relinquendorum confessionem peccatorū, sed & igne mixtum. i. spiritu S. viuificatum, quo peccata ipsa cōsumpta sunt, qui & hoc loco mysticè designatur per ventum vrentē, cū dicitur: quia cùm extēdisset manum supra mare, abstulit illud Dominus vento flante vehementi & vrēte tota nocte. Habentes ergo citharas dei. i. mortificationem carnis, quā Deus præcepit, cantātes canticū hoc Moysi serui Dei, & canticum agni vtobiq; exultātes, & pro re gesta, quæ facta est per manum Moysi, & pro mysterio agni immaculati, & incontaminati Christi, quod ille in eadem re propheticè intellexerit.

Quid est stare super mare vitreum.

Canticū Moysi ad laudē Christi domini, qui peccata nostra in mari rubro, id est, in baptismate demersit.

CAP. XV. CAPVT XXXVII.

CAntemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equū & ascensorē proiecit in mare.) Prima vox præcentoris ammonitio est, adhortans oēs, qui in Sunamite sūt choros castrorum: vt subleuent concentum
1. Cor. 4. secundum magnitudinē festiuitatis, secundū quantitatem siue qualitatē diuinorum operum. Cantemus (inquit) Domino, cantemus spiritu, cantemus & mente. Nam & Apostolus dicit: Psallam spiritu, psallā & mente. Deniq; spiritu cantare vel psallere, id est, rem gestam memoriter tenere, & eam solam pro materia cantationis habere. Cantare autem mente, id est, in exteriore facto mysterium interius persentire. Cātemus igitur domino. Quare? Gloriosè enim magnificatus est. In quo? Equum & ascensorem proiecit in mare. Verè glorioſa magnificentia, etiamsi solū factum exterius attendas. Si autem & mysterium interius perspicias, ibi glorioſior magIoan. 12. nificenti æ abundantia est. Nam hic mun*Abac. 3.* dus per equum, diabolus per ascensorē significatur. Quando illum ascensorem, & talem equum proiecit? Tunc videlicet, quando dixit, nunc iudicium est mundi, nūc princeps huius mundi eijcietur foras, & subsequente protinus exponens actu quid dixerit, accepit cornua crucis in manib. & ibi abscondita est fortitudo eius, & obrepere ausa mors, deinceps victa iret ante faciem eius, & egrederetur diabolus ante pedes eius. Tunc proiecit, & extunc proijcere nō desinit illum in mare, nobis quidē vitreum, & spiritus S. igne mixtum: illi autem piceum, igneumq; ac sulphureum. Nam iliud quidem mare, quo trā-
fierunt filij Israel, vnum idemq; istos emisit, & illos absorbuit: verùm' nostrum mare, quo baptizamur, in nomine patris & filij & spiritus sancti, equum istum & ascensorem eius nequaquam admittit, sed dum nos per illud mare vitreum transimus, ille in profundum inferni proijcitur. Hoc valdè gloriosū est, quod sic fecit Dominus. Olim ascensorē istum, in cælum ascendā, dicentem, & supra astra dei exaltabo solium meum, detraxit, & proiecit in istum aerem caliginosum: nunc autem sedentem super equum. i. super infrenatā stultitiam superbientium, & à se decepCAP. XV. torum hominum, deiecit in profundum la*Esa. 14.* ci, in baratrum ardentis inferni. Veruntamē *Ibidem.* (inquit propheta) ad infernum detraheris in profundum laci, qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient, &c. Eccè videmus, adhuc in dei iudicij visuri sumus, tunc *Iob 40.* enim cunctis videntib. præcipitabitur. Cantemus igitur domino, ait hic doctus, & benè vocalis præcentor: Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem:) Accepta commonitione, chorus vniuersus vnum ex multis membris corpus, tali initio ingreditur carmen delectabile. Fortitudo mea & laus mea Dominus. Quid deinde? Et factus est mihi in salutē. Ergo fortitudo tua facta est tibi in salutem? Planè fortitudo mea nā fortitudo capitis mei, fortitudo mea est: imò caput meum si forte est, fortitudo mea est. Quis aūt nesciat, quia dominus ipse magnificus caput meū est, ex quo verbum caro factum est, & ego vna ecclesia, quæ ad carnē hoc vocata sum, vnum corpus eius sum? Licet igitur vniuerso simul corpori, licet singulatim quibusq; membris gloriari, salua capitis gratia, & dicere, quia fortitudo mea est, factus est mihi in salutē, & hæc laus mea est, *Esa. 51.* & laus capitis totum corpus non dedecet. Aliàs aūt nisi caput istud fortissimum habere, sicut hactenus ex quo bibi calicem iræ eius de manu domini, & potaui vsq; ad feces propter Adæ præuaricationē, sicut hactenus (inquit) non fuit qui suscitaret me ex omnibus filijs meis, quos genui, ita & vsq; in sempiternum dormirē, sicut bestia illaqueata plena indignatione domini. (Iste deus meus, & glorificabo eū, deus patris mei, & exaltabo eū.) Iste, inquam, quondam despectus, & nouissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatum, qui moriendo talē equum, & talē ascensorē sic proiecit deus me⁹ est. Et homo est, & deus meus est. Glorificabo eum, nō erubescā eum. Sed dicūt mihi aduersarij popu *Esa. 53.* li, qui ascenderunt & irati sunt, quos dolores obtinuerunt. s. synagogæ Iudæorum, cōciliabula hæreticorum. Si deus tuus iste est, *Psal. 80.* ergo deus recēs, deus alienus est in te, & non facis secundum scripturæ præceptum, sed cōtra scripturā dicentem: Israel, si me audieris, *Ioan. 8.* non erit in te deus recēs, neq; adorabis deum alienū. Dicam adhæc, & cantabo confidēter. *Ibidem* Iste deus meus, & glorificabo eum: deus patris mei Abraham, & exaltabo eum. Abrahā (inquit)

Universidad de Deusto
Biblioteca

(inquit) pater vester exultauit vt videret diē meum, vidit, & gauisus est. Itē: Amen dico vobis, antequā Abrahā fieret, ego sū. Igitur deus recēs nō est in me, neq; adoro deum alienum, sed deū patris mei, deum antiquū. Nam etsi filius, etsi genitus, vel natus est, nec vno tamē pūcto siue atomo iunior est patre suo, antiquo dierū. Istum glorificabo, istū exaltabo, dicāq; (Dñs quasi vir pugnator (omnipotens nomē eius) currus Pharaonis & exercitū eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro, abysi operuerunt eos, descenderunt in profundū, quasi lapis. (Per parēthesin lege (omnipotens nomē eius) videlicet, vt in medio orationis suggilletur aduersarius, cui nimiū videbatur, vt diceretur dñs. Quasi vir pugnator, inquit. i. ad modū viri pugnatoris hæc fecit. Sicut enim vir pugnator, pro modo vel qualitate hostis sui semetipsum aptat, & armis induit: sic iste secundū naturā hostis sui, nouis & mirabilibus modis bellū ordinare debuit. erat aūt hostis eius non caro & sanguis, sed principatus quidā & potestas aerea, rector mundi huius, tenebrarū harum, spiritualis nequitia in cælestib. Non ergo materiali gladio super fœmur suū semetipsum potētissimus accinxit, nō loricā vel galeā ferro textā induit, sed cōtra eiusmodi principatū vel potestatē superbiæ, humilitatē & obedientiā induit: cōtra spiritualia nequitiæ, charitatis fortitudinem induit, & prēcinxit se. Ita quasi vir pugnator currū Pharaonis aerei, quo super altitudinē nubiū equitare se credidit, vt esset altissimo similis, & exercitū eius tam vitiorū q̄ dæmonum, quos proposuerat in tēplis vel delubris gentium, proiecit in mare. Moriendo quippe accepit potestatē in cælo & in terra, & omnia traxit ad se. Extunc electi principes eius submersi sunt in mari rubro, vndosa nāq; tribulatio eius, de qua dicit in psalmo. Saluum me fac Deus, quoniā intrauerunt aquæ vsq; ad animā meam, inūdauit super capita eorū ex hora qua in latere percussus lancea, fudit sanguinē & aquam: & ita abysi operuerunt eos, & perijt memoria eorū, & descenderunt in profundum, quasi lapis propria iniquitate depressi. Nihil ēm iuris habent in omnibus quorū hic Deus est, & qui glorificant eū, qui hunc patris sui profitentur deū. Inde laudes, inde gratiarū actiones. (Dextera tua dñe magnificata est in fortitudine, dextera tua domine percussit inimicum, & in multitudine glorię tuę deposuisti aduersarios meos.) Sit vox ista maximè martyrum nostrorum: per illos enim dextera dñi quæ cælos fundauit & terram, mirificè glorificata miraculis, tēpla dæmonum euertit, idola disperdidit. Ita percussit inimicū, non ferro, sed sanguine martyrum, in multitudine gloriæ suæ, in laudē & honorē gloriosæ gratię suæ, ô sancta ecclesia deposuit aduersarios tuos. Dicāt ergo victores isti, præliatores fidei, propugnatores veritatis. (Misisti iram tuā quæ deuorauit eos sicut stipulā, & in spiritu furoris tui cōgregatæ sunt aquæ. Stetit vnda fluēs, cōgregatæ sunt abysi in medio mari.) Iram tuā. i. zelum tuū, misisti domine deus: zelatus ēm es pro gentibus te ignorantib. quæ in errorē adductæ ad simulachra muta ibant, prout ducebantur: & deuorauit ira tua, siue zelus tuus deos phanaticos, sicut deuorat ignis stipulā. Vbi nūc adulter Iuppiter? Vbi Venus meretrix? Vbi cæterorum portenta deorum? Vbi sunt equi eorū, qui sub illis cōtra martyres tuos hinnierunt, id est, reges & præsides truculenti, qui pro illis martyrum sanguinē fuderūt? Deuorauit eos ira tua sicut stipulam, & in spiritu furoris tui, id est, in cōminatione futuri iudicij, congregatæ sunt aquæ. Iuxta literam, in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, illud est, q̄a abstulit eas Dominus flāte vento vehementi, & vrente tota nocte, erātque quasi murus ad dexteram & leuam, quæ res vtiq; fugientib. opem, persequentib. portabat furorem. Cęterùm, iuxta cœptū mysterium, aquæ, populi sunt. Vnde est: Beati qui seminatis super oēs aquas. Itē intonuit dominus super aquas multas. Istæ aquæ spiritum furoris. i. comminationē futuræ examinationis sentire vel audire potuerunt, quia rationales sunt, & à timore eius congregatæ sunt. Vbinam cōgregatæ sunt? In medio mari. Sic enim ternaria repetitione vsus, per tropum, qui periphrasis. i. circūlocutio dicitur, & ornandæ rei causa fieri solet, tandē determinauit. Cōgregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens, cōgregatæ sunt abysi in medio mari. Aquarum enim nomine (vt iam superius dictum est) populus significatur, vnde vel abyssorū vel fluentis vocabulo fluidā & profundam populorum signat miseriam, iuxta quod alibi de isto persecutore dicitur: Absorbebit fluuium, & non mirabitur. Sed stetit hic fluuius, vel hæc fluens vnda: tunc stetit, quādo congregatæ sunt aquæ, id est, populi multi, vt stanti & terno deo per fidem vnirentur. Et alio loco scriptura dicit: Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ergo & abysi cōgregatæ sunt in medio mari, quādo praui hominis, de occultis tenebrarum, de profundis vitiorū confluxerunt ad vnicum & vniuersale Christi baptisma. Medium enim rectè dicitur, id quod cōmune vel publicū, aut vniuersale est, quod nos dicimus catholicum. Et hoc expedit congregationi aquarum, vt cōgregentur ad mediū: nam quod in parte est, non est autenticum. Illud hæreticorū est, qui angulos quærunt, quib. aquæ furtiuæ dulciores sunt. (Dixit inimicus: Persequar & cōpræhendam, diuidam spolia, & implebitur anima mea.) Hoc dixit inimicus. i. diabolus, qui antonomaticè, id est, quasi proprio nomine dicitur inimicus. Quid mirū, si hoc dixit, habens fiduciā, q̄ influat Iordanis in os eius: & falsus est, qui dixit,

In cælum

Exod. 5.
Ephe. 6.
Esa. 14.
Ioan. 12.
Psal. 68.
1. Cor. 12.
Iob 40.
Hier. 17.
Prou. 9.
Apoca. 17.
Esa. 31.
Psal. 28.
Iob. 40.

Esa. 12. In cælum cōscendā, affectans similis esse altissimo, & spes eius eū frustrata est? Quid mirū, si de cordib. renascentium in Christo, iam exclusus, sic dicit & loquitur. qui de cælo ꝓiectus, cū angelis suis adhuc aduersatur & extollitur supra omne, q̄ dicitur deus, aut

2. Thes. 2. q̄ colitur? Persequar (inquit) & cōpræhendam. Persequar quātū licet: nā de his qui mare ingressi sunt, neminē cōpræhendit, nisi fictum aliquē aut hypocritā. In quo habet fiduciā, vt dicat, diuidā spolia, implebitur anima mea. Ait: (Euaginabo gladiū meum, interficiet eos manus mea.) Gladiū euaginare id est, apertā persequutionē excitare, sicut e cōtrario arcū intendere. i. occultè velle decipere. Vtrunq; Psalmista exprimēs, persecutionis modū, Gladiū (inquit) euaginauerunt peccatores, intenderunt arcū suū. Ergo euaginabo (inquit) gladiū meum. i. à cordib. exclusus, manifesta vtar tyrannide, regū, imperatorum, vel paganorum crudeliū. Et quia non pertingo ad animas, corporaliter interficiet eos manus mea, potestas mea permissio diuina. Sed qui fecit eum (ait ad B. Iob Dominus) applicabit gladiū eius. i. non quantū volet, sed quātum vtile est, sęuire aut interficere permittetur. Non ergo timeat victoriosus populus dei festinans ad hæreditatem, quam promisit deus: etenim inimicus iste, dū persequitur, dum occidit: ꝓposito magis illorū proficit, vt citius ad patriā perueniant peregrini. Inde fatuus esse conuincitur, quia dum pro se cōtra deū, vel cōtra dei populū agere nititur, cōtra se potius agit, & dei propositū adiuuat, vt perficiatur. Diciturque ad B. Iob de illo. Nūquid pones circulū in narib. eius? Hoc enim dicto fatuitas eius maximè denotatur. Et subinde: Nunquid feriet pactum tecum, & accipies eū seruum sempiternū, subauditur, vt ego, cui volūtate aduersando sic ille cooperatur, tanq̄ iurauerit obsequium, seq; seruū studeat exhibere fideliss imum. Sequitur. (Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbū in aquis vehementib.) Certum hoc tenet catholica fides, quia mare Christi, nobis ingressis aspirat, spiritus Dñi, spiritus gratię & remissiōis, deponēs iuxta prophetam oēs iniquitates nostras, & proijciens in profundū maris omnia peccata nostra. Hæc ruina diaboli est. Quod enim primū in semetipso caput nostrum fecit in præsentia suæ mortis, delens q̄ aduersus nos erat (vt Apost. ait) chirographum decreti, quod erat cōtrariū nobis, & ipsum (inquit) tulit de medio, affigēs illud cruci, & expoliās principatus & potestates traduxit cōfidenter, palā triumphās illos. Quod, inquā, tunc in semetipso caput nostrum fecit, hoc idem in baptismo facit in membris suis, vbi est similitudo mortis eiusdem, cui cōplātamur, vt idem Apost. ait: Rectè igitur dicas & veraciter cantes, quicunq; de hoc mari ascēdisti in Christo renatus, quia operuit eos ma

Quid est gladiū euaginare.
Psal. 36.
Iob. 40.
Ibidem.
Mich. 7.
Col. 2.
Rom. 6.

re, submersi sunt quasi plumbū in aquis vehementib. impleta veritate dicentis prophetiæ: Eccè ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminū tuorum, & dicis: Meus est fluuius, & ego feci me metipsum, & ponā frenū in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extrahā te de medio fluminū tuo rum, & vniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt, & proijciam te in desertum, & oēs pisces fluminis tui. Et nota q̄ supra lapidi videlicet propter grauedinem peccati, hic aūt eos plumbo cōparauit. s. propter pœnam vel retributionē peccati, secūdum Zachariā prophetā, apud quē talentum plumbi mittitur in os eius iniquitatis. Iterum laudes, iterū gratiarum actiones. (Quis similis tui in fortibus dñe, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atq; laudibilis, & faciens mirabilia?) Hoc contra illud, quia dixit iste Pharao: Ero similis altissimo. Parū erat prædicasse in illo fortitudinē, dicēdo: Quis similis tui in fortib. domine, nisi & sanctitatem prædicaret, addēdo: Quis similis tui magnificus in sanctitate? Hoc enim à se differunt hoc loco fortitudo & sanctitas, quod alibi iudiciū & misericordia. Forti tudo iudicij cōtra superbientes: sanctitas misericordiæ, super pios fugientes. Secundū hæc duo subiūgit nomina laudis, terribilis atq; laudibilis, terribilis videlicet ꝓ iudicij fortitudine, laudibilis pro misericordiæ sanctitate. Secundū vtraq; ista, & faciēs, inqt, mirabilia. Quæ mirabilia? (Extēdisti manū tuā, & deuorauit eos terra.) Hoc est mirabile fortitudinis, vnde es tu dñe terribilis? Deuorauit (inquit) eos terra, terra in quā iuxta B. Iob tenebrosa, & operta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarū, vbi vmbra mortis, nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. (dux fuisti in misericordia tua, populo quē redemisti, & portasti eū in fortitudine tua ad habitaculū sanctum tuū.) Hoc mirabile sanctitatis vel misericordiæ est, inde es tu dñe laudabilis. Terribilis atq; laudabilis tā diuersa mirabilia fecisti, & portasti eū (inquit) in fortitudine tua. Tēpore præterito ꝓ præsenti vsus est, portasti inquiēs, ꝓ eo vt diceret, portabis, certissimè sciēs, quia q̄ cœpit perficeret, vel quia propositū eius infirmare nemo posset. Quod aūt est habitaculū dei sanctū? Nunquid terra peccatorū, terra Chananæorū? Fuerit quidē illic habitaculum sanctū. i. ciuitas sancta Hierusalem vel templum, & sancta sanctorum: verū nō propter se illa sancta fuere, sed propterea quia cælestium erant exemplaria sanctorum. Ergo non tam locum illum terrenum, quā terram viuentium, cuius illa erat vmbra, dixit habitaculum Dei sanctum: quo per gloriosam ductoris dei magnificentiā, portandum præuidebat esse vniuersum sanctorum populū in fortitudine dei, quæ non est alia, quā filiꝰ dei. (Ascēderunt populi, & irati sunt, &c.)

Vnde

CAP. XV.
Zach. 5.
Esa. 14.
Iob 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde scire poterat, vt diceret quasi præteritum quod futurum erat, tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan? Nam de eo quod ait, dolores
Num. 20. obtinuerunt habitatores Philistijm, illud fortè responderi posit, quia vicina erat terra Philistijm, & antequam mare ingrederen
Num. 21. tur, cauendum illis erat, ne per eos transire conarentur, sicut superius iam dictum, eo q̃ eorum dolor, id est, inuidia, iam exeuntibus ex Aegypto, innotuisset. Verùm Edom, dicentibus, obsecramus, vt nobis trãsire liceat per terram tuam, necdum respõderat, non transibitis per me, alioqui armatus occurrã tibi. Neq; dixerat rex Moab, ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorãtur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Vnde ergo, nisi ex prophetico spiritu iam ista cantare nouerat? Porrò spiritualiter Edom, id est, terrenus vel sanguinolentus, & Moab, quod interpretatur ex patre, subauditur diabolo, Chanaan quoque, quod interpretatur commotio, Philistijm, quod interpretatur potione cadentes: omnes illos & nominibus significauerunt, & factis suis præfigurauerunt, qui Christo victo coronato, gloriam eius cælis enarrantibus, atque in omnem terram exeunte sono Apostolorum eius, victi diaboli causam quasi tuendã susceperunt, & spiritu eius inflammati in omnes in Christo credentes, ascenderunt & irati sunt. (Irruat (inquit) super eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui.) Formido de futuris, pauor de præsentibus. Hoc iustè illis imprecatur, qui gloria Dei cruciantur, cunctis videlicet hostibus fidei, vel nominis Domini, tam visibilibus quam inuisibilibus. (Fiant immobiles quasi lapis.) Videlicet vt mobilibus & benè
Hebr. 13. ad Deum currentibus nocere non possint. (Donec pertranseat populus tuus Domine.) Subauditur, qui manentem hic non habet ciuitatem, sed futuram inquirit. (Donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti) Repetitio pertranseuntis populi, est quidem in litera quoque ornatus sermonis vel cantici, sed in mysterio placet magis, si post priorem Hebræorum sequentem quoq; gentiũ populum intelligere velis, quem suo sanguine emptum, ductor Christus possedit patre dicẽte: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. (Introduces eos, & plãtabis in mõte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es domine.) Hoc secun-
Psal. 2. dum similitudinem vineæ dictum, Psalmista quoque amplectens canit Domino, Vineam de Aegypto trãstulisti, eiecisti gentes, & plantasti eã, &c. In monte (inquit) hæreditatis tuæ. Terra quidem montosa est, quã dedit dominus populo illi, sed incomparabiliter ea celsior est terra, quam rectè dicas mõtem hæreditatis domini, præsertim cùm protinus subiũxerit, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine, sanctuarium tuũ domine quod confirmauerunt manus tuæ. Ergo mons, in quo magnum sit plantari populo Dei, quod rectè vocetur firmissimum habitaculũ domini, quod operatus ipse sit, quod sanctuarium sit domini, quod manib. suis ipse confirmauerit, ille est Libanus, de quo propheta, plantationem apostaticã eiectam dicit esse his verbis. Eccè Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, & frondib. nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius. Et post pauca. Omne lignum paradysi dei non est asimilatum illi & pulchritudini eius, quoniam speciosum feci eum. Ac deinceps: Cui asimilatus es ô inclyte atq; sublimis inter voluptatis ligna? Eccè deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam, in medio incircuncisorum dormies, cum his, qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao, & omnis multitudo eius dicit dominus. In hoc monte primũ, quod est mirabile, latronem plantauit, dicendo: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. (Dominus regnabit in æternum & vltra.) Pulcherrimi cantici clarissimus, & valdè sonorus finis hic est. Nã quòd sequitur. (Ingressus est enim Pharao, &c.) subiungendo ad caput redit, & vniuersa quasi breui epilogo concludit. Dominus regnabit in æternum. Certum hoc habet omnis qui nouit dominum, quia dominus regnabit in æternum. Sed quis hoc ipsum capiat, quod dicitur in æternum? Significatũ huius vocis nimis spatiosum est. Longitudinem & latitudinem siue altitudinem eius noster intuitus permetiri non potest. Hac voce audita, fortè leuamus capita nostra, sed non tota videmus æternitatis spatia. Addidit, & vltra, velut si dicat: Quantum videre in lõginquum potes, regnabit dominus, & vltra quàm videre potes, vltra id quod ipsa vox, qua dicitur in æternũ, animo vel intellectui tuo infert. Quasi quereres, vnde scis, quia dominus regnabit, rationem reddit huiusmodi. Ingressus est enim Pharao, &c. Ergo nisi ille in mare ingressus fuisset, & nisi dominus eum super aquas reduxisset, Dominus non regnaret? Planè regnaret vbique potestate, sed non regnaret illa hominum possessione quam propheta suspirans. Et possederũt nos (inquit) domini absque te. Nisi, inquam, fuisset oppressus ille Pharao spiritualis, Dominus non regnaret in nobis, id est, nisi fuisset eiectus princeps mundi, non possideret nos Christus filius Dei, non regnaret in nobis saluator mundi.

Ezech. 31.

Luca 23.

Esa. 26.

Maria idem canticum cum mulieribus post viros cantans, cui rei nobis mysticum exemplum dederit.

CAPVT XXXVIII.

SVmpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus domino, &c.) Pulcher narrationis ordo. Prius Moyses cum viris, deinde Maria cũ mulierib. vnum idemq; canticum canit. Nos hunc ordinem spiritualiter intelligentes, saltem vt mulieres cum mulieribus, quoniã infirmæ animæ sumus, eadem fide cantemus: nam apostolus & apostolicos homines, quicunq; armati de Aegypto ascenderunt, & ad præliandum fortes sunt, viros esse fatemur, & eorum comparatione, cum quasi mulieres simus, nequaquam eorum choro consistere, vel eodem tono personare valemus. Notandum, quia Mariam hic prophetissam scriptura nuncupauit, quia videlicet (sicut prædictũ, partimq; expositum est) futurorum prophetiam verba continent huius cantici, cum sonare videantur tãtum de præsentibus & præteritis. Et pulchrè sumpsisse dicitur tympanum, quod modulationis instrumentum, corium est in ligno extentum, significatq; carnis mortificationem, sine qua nulla potest anima probam se exhibere cãtatricem. Egressæ sunt (inquit) oẽs mulieres post eã. Mulier à mollitie dicta est. Sed oportet ab ipsa mollitie sua fidelẽ animã parumper egredi, quatenus viros imitari, & dignè Deo canere possit.

LIBRI SECVNDI IN EXODVM FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN EXODVM COMMENTARIORVM

LIBER TERTIVS.

Quomodo iuxta Paulum monemur, ne sicut multi filij Israel in nube & mari baptizati, sic nos in Christo baptizati, malis operibus baptismi gratiam perdamus.

CAPVT I.

IGnorare nos Apostolus nõ vult, ea quæ prædicta sunt & quæ sequũtur, in figura nostri facta esse, scripta esse autẽ ad correptiõem nostrã in quos fines seculorũ deuenerunt. Quomodo ad correptionem nostrã? Videlicet vt non iam nos comprehendisse, vel hoc solum nobis sufficere arbitremur, quòd in Christo baptizati sumus, & hac fiducia decepti, susceptã
2. Cor. 10. baptismi gratiam, malis operibus iterum perdamus. Hanc enim inutilem nobis confidentiam rumpere nitẽs, nescitis (inquit) quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currũt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Ac deinceps: Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes
Ibidem. 9. sub nube fuerunt, & omnes mare trãsierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Et omnes eãdem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundẽ potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiri-
1. Cor. 10. tuali consequente eos petra. Petra erat Christus. Sed non in plurib. eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, &c. Igitur
CAP. XV. concupiscentias & idololatriam illorum, fornications quoque, tentationes, atq; murmurationes illorum sic prosequamur, quatenus de prostratis eorum corporib. prædictæ correctionis emolumentum capiamus: & ante omnia de figuris rerum corporaliũ cum auctoritate eiusdem Apostoli spiritualia mysteria Christi filij Dei iuxta propositum nostrũ perscrutemur. Nam hæc omnia, inquit, in figura contingebant illis.

Quomodo iuxta aquas Marath dominus populum tentauerit.

CAPVT II.

TVlit autem Moyses filios Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur. Ambulauerunt q̃ue tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam, & venerunt in Marath, &c.) Sur desertum inter Ca- *Gen. 16.*
des & Barath: Vbi inuenit angelus ancillã Saræ Agar. Extenditur aũt vsq; ad mare, quod ad Aegypti confinia peruenit. Interpretatur autem Sur, murus siue directus. Ambulauerunt, inquit, tribus diebus, &c. Hoc quòd nõ inueniebant aquã, & quòd venientes in Marath. (Non poterant bibere de aquis eius, eò quòd essent amaræ, vndè & congruum loco nomen imposuit, vocans illud Mara, id est, amaritudinem.) pro tẽtatione factum est. Sic enim habes. (Ibi constituit ei iudicia, atque præcepta, & ibi tentauit eum.) Tentatus autem, continuò reprehensibilis populus inuẽtus est. (Nam murmurauit contra Moysen, dicẽs: Quid bibem??) Nõ quia dixit: Sed quia murmurãdo dixit, quid bibem? rectè arguitur. Sed hæc prima tentatio improbitas fuit. Ergo mãsueta Dei patiẽtia suauiter corripit, & dicit: (Si audieris vocem domini Dei tui, &c. cunctum languorem quem posui in Aegypto, non inducam super te. Ego enim dominus Saluator tuus.) Ac si dicat: Si nõ murmurare aut cõtentiosè agere incipias, ego qui Aegyptum contriui in ira mea, ductor tuus ero in misericordia mea. Aliàs autem si Aegyptiorum peccata rebellando secutus fueris: cun-

ris:cunctum languorem inducam super te, quem in Aegypto posui. Grande & hic mysterium est.

Quòd Moyses sedulus nutritius, filios Israel tanquam paruulos exceperit, & quid aquæ Marath significent.

CAPVT III.

TVlit Moyses (inquit scriptura) filios Israel de mari rubro. Puta dixisse, quia tulit nutritius sedulus, paruulos alũnos de nouæ regenerationis sacramento. Nam illi quidem non nisi in figura baptizati erant, nec ita
1. Cor. 10. vt nos in Christo, renati erant: ac proinde illi quoq;, sicut omnes homines, futura emunda tione sanguinis Christi adhuc indigebãt. Veruntamen propter eãdem præfigurationem baptismi, in ipso ascensu suo de mari rubro, il
2. Pet. 2. los significabant paruulos, quibus beatus Petrus apostolus dicit: Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes rationabiles & sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Constat autem, eiusmodi infantes oportere affectu nutritio portari, quãdiu paruuli sunt, quamdiu lacte illis opus est, & non solido cibo. Et hæc maxima rectoribus populorum cura impendet, vt eiusmodi quasi in
Esa. 66. humeris tollant, iuxta prophetam dicentem: Pueri eorum in humeris portabuntur, & super genua consolabuntur. Benè ergo dictum est & propriè, tulit: quia videlicet grande onus super se tollit, quisquis infantiles hominum mores, rectè & secundum Deum portare intendit. Quod primùm hic Moyses in se
Nume. 11. ipso expertus, dicit ad dominum: Cur afflixisti seruum tuum? Quare nõ inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi vniuersam multitudinem hanc, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iurauit patribus eorum? Et venerunt, inquit, in Marath. Marath, cuius aquas bibere non poterant, eò quòd essent amaræ, legem significat veterem, cuius carnales ceremonias, nos paruuli sanguine Christi redempti, non possemus portare. Sed neque
Act. 15. patres ipsi potuerunt, apostolo Petro dicente: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruicem discipulorũ, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Profectò quibus hæc dicebat paruulis, aquas de Marath propinare volebant, quas neque ipsi præ amaritudine bibere poterãt? (Clamauit Moyses ad dominum, qui ostendit ei lignum.) Hoc lignũ, quod Moysi, imò per gratiam & nobis ostendit dominus, sanctæ & viuificæ crucis lignum est. Lignum enim in aquas Marath mittere, & sic eas in dulcedinem vertere, est dominicæ passionis sacramentum cum litera legis conferre. Quod quam dulce sit, qui experiri meruit ipse nouit, qui bibit, ipse sapit.

Quid per Helim, quid per duodecim fontes, quid per septuaginta palmas significetur.

CAPVT IIII.

VEnerunt autem in Helim, vbi erãt duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.) Quid erat opus scire nos numerum fontiũ, numerumque palmarum, nisi & in his quoque scitu dignũ subesset mysterium? Helim namque vertitur in arietes. Ergo quoniam & in Psalmo cãtamus, Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron. Et in euangelio de nobis pastor dicit, & alias o-
Psalm. 76. ues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas
Ioan. 10. oportet me adducere, & vocem meã audiẽt, & fiet vnũ ouile, & vnus pastor: ipsum ouile dominicũ hic accipiamus per nomen Helim, id est, arietum. Arietes namque duces gregum & ouilis principes sunt. Porrò per abundantiam fontium duodecim, copiamque palmarum septuaginta, demonstrari nobis arbitremur, ouile ipsum quàm sit delectabile o-
Psal. 28. uibus ad manendum, quàm commoda sit statio educandis filijs arietum, de quibus Psalmista: Afferte, inquit, domino filij Dei, afferte domino filios arietum. Quid enim per plenitudinem duodecim fontium, nisi vniuersitatem debemus intelligire doctorum? Nam quia duodecim apostoli sunt, quorũ primarium est docendi officium, rectè duodenario numero designantur omnes, qui apostolica doctrina tantum profecerunt, vt sedere valeant in ordine doctorum in medio dominici ouilis, id est, in medio ecclesiæ aperire os suum. Nec mirum, quòd apostolicus ordo, vel apostolicorum hominum vniuersitas, iuxta talẽ cõcluduntur numerũ, scilicet, duodenarium, quemadmodũ Arithmetici dicũt, superfluũ, eò quòd ex duodenarij partibus conficitur, supra ipsius sit duodenariũ. Videlicet quia media pars eius senarius est, tertia quaternarius, quarta ternarij, sexta binarius, duodecima vnum, qui simul cõpositi sedecim efficiunt, qui vtique numerus superat quatuor vnitatib. duodenariũ. Hoc, inquã, nõ mirum: nam & in ecclesia doctores superflui fuerũt, qui eloquentiam sine sapientia habentes, hæreses & schismata fecerunt: & in initio fidei, pleriq; supra modum apostoli. i. pseudoapostoli reperti sunt. Quid autem per septuaginta palmas florẽtes circa ipsos fontes, nisi pios ac fortes accipiamus martyres? Nam de taliũ
Hier. 17. quolibet scriptura dicit: Et erit tanquã lignũ quod plantatur super aquas, quod ad humores mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus, & cæt. Hic igitur nobis spiritualibus ouibus salubris amœnitas ouilis nostri designata est, vt nõ timeamus lupos, contra quos martyres nostri pugnauerũt, vndè modo coronati sunt, & accipiunt palmas, tanti & tales, quãtos intelligere licet per hunc numerum septuagenariũ, qui ex septenario & denario compositus est, quorum alterum septiformis spiritus gratia, alterum legis decalogus commendat. Delectet nos duodecim fre
Cant. 4. quẽtare fontes, vt meritò de ouibus ecclesiæ suæ Christus sic pronuntiet. Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

De murmuratione filiorum Israel pro carnibus, & de specie mannæ.

CAPVT V.

CAP. XVI. PRofectique sunt de Helim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertũ Sin, quod est inter Helim & Sinai, quintodecimo die mensis secundi, postquàm egressi sunt de terra Aegypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & contra Aarõ in solitudine, &c.) Desertum Sin idem dicit scriptura esse, quod est Cades, interpretatur autem Sin tentatio, Sinai tentatio mea. Quod nomen rei satis cõgruit. Videlicet qa murmurãtes dixerũt filij Israel: (Vtinam mortui essemus per manum domini in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus carnes in saturitate, &c.) Nam huiusmodi murmurationẽ
Psal. 77. tentationem esse, Psalmista manifestè testatur, dicens: Et tentauerunt Deum in cordib' suis, vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo, & dixerũt: Nũquid poterit Deus parare mensam in deserto? Tentatio huiusmodi peccatum illorum fuit. Nõ enim quia petierunt, sed quia dixerunt, petierunt escas, & dixerunt: Nunquid poterit Deus mẽsam parare in deserto, quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Idcirco in peccatum reputatũ est illis. Ideo enim (inquit Psalmista) audiuit dominus & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel. Sicut iam dictum est, non quia petierunt escas,
Exod. 16. quibus necessariò caro mortalis alitur, sed quia cum peterent non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutare eius. Plana est hi-
Num. 11. storia quomodo pluerit illis manna ad manducandum, & sicut puluerem carnes, scilicet gregem coturnicum. Erat autem manna (sicut alio loco scriptum est) quasi semen coriandri, videlicet herbæ, quæ Græcè corion dicitur, coloris bdellij, scilicet aromaticæ arboris, de cuius natura Plinius plenissimè scribit. Pro coturnice autem pleriq; ortigometram legunt, alij autem pro ortigometra coturnices interpretati sunt: cum sit aliud genus auium, quamuis coturnicibus non vsquequaq; dissimile. Alij autem ortigometras duces coturnicum esse affirmant ab Ortigia, in qua abundant, insula nominatas. Iam nobis intro tendẽtibus ad mysteriũ quod de hoc capitulo sumptũ toto orbe celebratur: iuxta quod veraciter dicitur in Psalmo: Panem angelorũ mãducauit homo. Primò, inquam, nobis notandum est, quanti reatus sit murmurationis malum, dicente Moyse ad populum: (Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum.) Non tamen prima vice, vbi pro aqua murmurauerunt, neq; secunda, vbi nunc pro carnibus murmurãt, pœna correpti sunt, patientia Dei vsq; ad tertiam vicem supportante. Tertio namq; murmurantes apud sepulchra concupiscentiæ, nõ iã solis verbis correpti, sed pœna mortis mulctati sunt. Adhuc enim (inquit scriptura) car- Num. 11.
nes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor domini concitat' in populum percussit eum plaga magna nimis. Vndè hactenus in sancta ecclesia iusta est patientia, vt quisque pro quolibet vitio, vsq; ad tertiã vicem verbis corripiatur: & tũc demum, si non emendauerit, puniatur.

De ordine præposterato, an prius panis petentibus datus sit, & post aqua de petra percussa secundum historiam, an econuerso secundum prophetam.

CAPVT VI.

NOn idẽ ordo est in Propheta, quo hæc CAP. XVI
sancta & veridica scriptura historiæ cõtexta est: Hic enim res gestæ, quæ factæ sunt eodem & narrantur ordine, id est, prius panis petẽtibus datus, & post aqua de petra percussa producta esse memoratur. At verò in pro-
Psal. 77. pheta taliter præposteratum est. Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abyssо multa, & eduxit tanquam flumina aquas, &c. Hoc primùm posito ita subiũctum est. Et apposuerunt adhuc peccare ei. In quo? Dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mẽsam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquę, & torrentes inundauerũt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Hæc ita cum dicit, manifestè prius esse vult, quòd percussa petra, fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: posterius autem, quòd mandauit nubib. desuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis mãna ad manducandum. Cur hoc? Videlicet, quia parabolicè loquitur, sicut in initio Psalmi proposuit, dicens: Aperiam in parabolis os meũ, loquar propositiones ab initio. Quarum videlicet parabolarum, ne difficilis esset solutio, subsecutus Apostolus cum dixisset:
1. Cor. 10. Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra, continuò subiunxit, Petra autem erat Christus. Hoc enim dicto, quasi vno solari radio per fenestram iniecto, totius domus tenebras dispulit: vt clarè videremus, quòd aliam petram, aliamque profluentem aquam de petra, in parabolis prædictis sapere debeamus. Dominus quoque cum dicentibus sibi Iudæis: Patres nostri manducauerunt man-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na in deserto (sicut scriptum est) panem de cælo dedit eis manducare, continuò contradicit, respondendo: Amen amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Prosectò ostendit, alium esse panem in propheta, cuius testimonio fuerant abusi, aliumque in hac historia quam patres suos manducasse recolebant Iudæi. Igitur cum auctoritate multiplici scilicet cum testimonio prophetæ loquentis hæc in parabolis, cùm fide Apostoli dicentis, hæc omnia in figura contigisse illis, cùm veritate Christi, panem se esse asserentis, & in percussione petræ, cùm ad ipsum locum venerimus, passionem domini, & in largitate panis cum rore super castra descendentis, in præsentiarum corpus ipsius, quod de sancto sumimus altari, fideliter intelligamus.

Ioan. 8.

An congruè iuxta mysticum sensum talis historicus ordo potuerit à propheta præposterari.

CAPVT VII.

SEd dicit aliquis: Et si petræ interruptio, Christi passionem: & manna Christi mensam significauit, paratam nobis in terra salutem: nec sic oportuit historica facta præposterari, vt prius diceret Propheta, percussam fuisse petram vt aquæ fluerent: & deinde mandatum esse nubibus desuper, & manna illis deplutum esse, vt ederét. Nam antequam molestia crucis percuteretur dominus Iesus Christus, ipse verbo suo ianuas cæli aperuit, & hoc manna pluit: eadem quippe nocte, qua tradebatur, proprijs ipse manibus sanctã Eucharistiam, vt hoc faceremus nos, ipse consecrauit. Ad hęc, inquam: Non ante passionem suam dominus noster, sed in ipso suæ passionis articulo hoc fecit. Iam enim venditus erat, iam tradebatur, iam tristis erat anima eius vsq; ad mortem, iam pauebat, & mœstus erat, iam factus in agonia, & orans sanguineas guttas desudabat, iam se propter certitudinẽ mortis instantis, in mundo non esse dicebat. Vndè & hoc notandum, quia cum alijs locis panis huius, id est, suimet esum necessarium commendauerit, dicendo: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, nusquam tamen nobis ostendit, quomodo posset, vel deberet hoc fieri, nisi in hora illa, qua tradebatur, qua (vt iam dictum est) in angustia passionis agonizabat. Cur hoc? Videlicet quia passiõis eius opus, res & virtus est sacramenti, qua substantia panis & vini in veritatem nobis conuertitur corporis eius & sanguinis. Vndè Apostolus: Quotiescunque enim mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec veniat. Sed & illud nemo qui nesciat, prius esse vt inuitetur quisque ad fidem dominicæ passionis, quàm ad participationem huius panis, id est, vt prius baptizetur in morte eius, quàm ad sanctum altare admissus, communicet carni & sanguini illius. Rectè igitur sic Propheta historicos actus præposterauit, vt prius diceret interruptam fuisse petram, vt fluerent aquæ: posterius ianuas cæli apertas, vt homo cibaretur angelorum pane.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

Quando dicit Apostolus, Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, &c. Et Christus dicit Iudæis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater, &c. vtrum figura & res in hoc idem sint.

CAPVT VIII.

ITem dicat aliquis: Cùm dicat Apostolus de patribus: Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, quomodo dicit Christus, vbi Iudæis loquitur: Non Moyses dedit vobis panẽ de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum? Dicimus ad hæc: Cùm dicit Apostolus, escam eandem, nullatenus litera innuit illum subaudire voluisse, eandem quam nos. Equidem ante nos magni patres hanc relationem subintellexerunt, sed sicut à quodam pro alia re dictum est, quamuis grandis sint auctoritatis, & sanctitatis vel sapientię ipsorum magnitudo nos opprimat, nos magis euangelica Christi auctoritate ducimur, quàm cuiuslibet eloquentiæ argumentis. Nec enim ratio patitur, vt figura & res idem sint. Dixit autem Apostolus tam de hoc, quam de cæteris quæ facta sunt, quia in figura contingebant illis. Proinde cũ dicit, & omnes, omniumque deinde distinctionem facit, dicendo: sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo, nam prostrati sunt in deserto: planum intellectui est, idẽ esse ac si dicat, vnam escam omnes manducauerunt, & vnum omnes potum biberunt spiritualem, id est, non naturali ordine, sed spirituali virtute prouenientem, & tamen in illam repromissionis terram nõ omnes introierunt, videlicet in figura nostri, qui omnes eodem sacramento corporis Christi participamur, & tamen in illam terram viuentium non omnes pariter, ssiue benè, siue malè viximus, simus admittendi. Igitur & quod veritas de præterito tempore negans, de præsenti verò confirmans, Non Moyses, inquit, dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum, & quod veritatis Apostolus dicit: Omnes eandem escã spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, non esse repugnantia siue contraria, ratio manifesta conuincit. Nunc iam de huius panis mysterio dicturi aliquid, ad caput lectionis redeamus.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Quid significet, quòd murmurantes contra Moysen dixerint, Sedebamus super ollas carnium, &c.

CAPVT IX.

SEdebamus, inquiũt, super ollas carnium, & comedebamus panes in saturitate. Cur in de-

in desertum istud induxistis nos, vt occideretis omnem multitudinem fame? Murmuratio hæc filiorum Israel, Iudaicę contentionis forma est. Sicut enim illi post immolatiõem agni, submerso Pharaone, & omni exercitu eius, transito mari rubro, nimia ingratitudine respexerunt ad ollas carnium Aegypti, & ad panes illius saturitatis, cùm fuissent serui, & multa afflictione ad amaritudinem perducti: sic post passionem agni immaculati, & incontaminati Christi, iam foras misso huius mundi principe, nouitij Iudæorum in Christo baptizati, stulta pertinacia respicientes vetera taurorum & arietum sacrificia, quæ dominus Deus in prophetarum dictis manifestè contemnit, contendebant, dicentes: quia nisi circuncidamini, & nisi incedatis per omnia secundum morem Moysi, non potestis salui fieri. Moyses ad hæc. Non cõtra nos est murmur vestrum, sed cõtra dominum. Hoc planè Apostoli dicere potuerunt. Nunquid enim ab ipsis euangelij prædicatoribus, carnalium sacrificiorum reprobatio sumpsit initium? Non vtique: Sed ab ipso domino. Verbi gratia cum diceret in Psalmo: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinẽ hircorum potabo? Et multa his similia. Dicant ergo duces credentium Apostoli, qui populum carnali consuetudine prægrauatum educunt ad spiritualem sensum per baptismũ Christi. Nos enim quid sumus? Videlicet qa dum in corpore viuimus, vestro arbitrio, lõgè minoris auctoritatis sumus, quàm prophetarum (qui dudum excesserunt) quisquam vel minimus. Nec mirum, nam & ipsi cum adhuc viuerent adeò contempti sunt, vt occiderentur, quos quia vos minores estis, quasi honorantes sepulchra eorum ædificatis. At verò, confitemini quia Deus deorum dominus per illos locutus est, quòd nõ vos arguat in sacrificijs vestris, hoc potius dicens: Immola sacrificium laudis domino. Igitur non contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum, id est, non contenditis contra nouitatem euangelistarum, sed contra vestrorum antiquitatem prophetarum.

Act. 15.

Psalm. 49.

Psal. 77.

Quis sit ille panis, quem de cælo pluebat dominus filijs Israel in deserto.

CAPVT X.

ECce ego pluam vobis panes de cælo. Egrediatur populus, vt colligat quæ sufficiunt per singulos dies, vt tẽtem eum, vtrum ambulet in lege mea, an nõ? Die autem sexta parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.) Pluam vobis, inquit. Huic verbo cõsonans Propheta dixit: Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad mãducandum. Quid autem per manna intelligi velit, innuens continuò subiungit: Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Quisnam hic panis cæli, panis angelorum? Nunquid angeli illo pane cibãtur in cælo, quem populus ille colligens similem coriandro frangebat mola, siue terebat mortariolo? Ergo panis cæli, panis angelorum ipse est, qui in euangelio suo dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Hic enim victus est, & vita est angelicæ substãtiæ, nam in eum desiderant angeli prospicere. Quod quia facere contempsit angelus, cecidit, & factus est diabolus. Qui & huius panis, sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, & mors illum sequitur. Digna ergo Prophetæ exclamatio, digna admiratio, quia ianuis cæli apertis, panem angelorum manducauit homo. Vnde hoc? Videlicet ex eo, quòd mãdauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, id est, præostendit apostolis siue etiam prophetis, de quibus illud est, Tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, occulta scientia in prophetis: & deinde per semetipsum clausas prius hominibus ianuas cæli aperuit, solutis in carne sua veteribus inimicitijs, sicque terrenis cælestia coniunxit, id est, homines angelis sociauit, vt eodem vescantur pane cæli: illi in cælestibus in manifesto conspectu diuinitatis, isti adhuc in terra positi in sacramẽto pietatis, de quo dicit Apostolus: Magnum est, in quit, sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria. Equidem illic panem cæli, panem angelorũ singulariter: hic autem ego pluam vobis panes, pluraliter dictum est. Nullam tamen suspiceris dissonantiam, nam & illic pluraliter subiunctum est, cibaria misit eis in abundantiam. Ergo secundum se panis vnus Christus vel vnum corpus Christi: veruntamen secundum locales ecclesias, & secundum offerentium personas, siue accipientium innumerabiles populos, cibaria siue panes rectè dicas pluraliter. Verbum ipsum pluit, quo vtraq; scriptura vsa est, in ista Deo dicente: Ecce ego pluam, in illa autem, & pluit illis manna ad manducandum, eandem vbiq; terrarum paratam omnibus pusillis & magnis significat copiam, vt de seipso mãgnus propheta dicat: Parasti in conspectu meo mensam. Et de nobis, licet minimis: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt dominum, qui requirent eum, viuẽt corda eorum in seculum seculi.

1. Tim. 3.

CAP. XVI.

Psal. 77.

Psal. 22.

Psal. 21.

Mysticè de eo quod dictum est: Egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies.

CAPVT XI.

EGrediatur, inquit, populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies.) Profectò & nobis spiritualiter egrediendum est, vt colligamus quantum sufficere potest. Vndè egrediemur? De pristina conuersatione, de vetustate vitæ. Nondũ enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere: non est nobis hunc panem dominicum

Universidad de Deusto
Biblioteca

manducare. Prætereà, si dignè manducare cupimus, ab omni curiositate corporei sensus egrediamur, vt videlicet, visu, gustu, odoratu, & tactu dijudicandũ non esse arbitremur, an verè sit corpus Christi, an vera sit caro, id quod sumimus. Nam istis permanentibus colore, odore, atque sapore, est quod sufficiat fidei, quod satis sit caholicæ pietati. Spiritus est, inquit, q viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Verba fidei, verba veritatis, sufficit prolata esse super substãtiam panis & vini, vt inspiretur spiritus & vita æterna creaturis inanimatis, quamuis species exterior non mutetur in illis: sufficit, inquam, ad salutem credẽtis, ad vitam dignè percipientis. Tantum ergo vnusquisq; colligat, quia tantum sufficit. Colligat vnusquisq; quæ sufficiãt, id est, credat, verba domini spiritum esse & vitam, & per ea panem & vinum, exteriori specie non mutata, transferri in veram viuentis corporis & sanguinis Christi substantiam. Nam mutari visibiliter in speciem nouam, id est, hoc in ouinam carnem, illud in sanguinis horrorem, non prodest quicquam, imò & infidum est.

Ioan.6.

De eo quod dictum est, Vt tentem eum, vtrum ambulet in lege, an non.

CAPVT XII.

Atpostremo: Vt tentem eum, vtrũ ambulet in lege mea, an non. Ergóne iustũ fuit vt vel illum tali modo tẽtaret populum, vel hodieque super tali cibo & potu tẽtet hominem Christianum? Planè æquum fuit, vt illum Deus tẽtaret populum: nam ille populus tentabat Deum. Hoc iam superius dictũ fuit, quòd in eo fuerit magnitudo peccati eorum, non quia petierunt, sed quia tentando & murmurando escas petierunt, quia iuxta Psalmistam, tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis, & malè locuti sunt de Deo, dixerunt: nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Ergo dũ tentantibus ostendit Deus, quid ipse posit parando mensam illis: æquum fuit, vt ipse versa vice tentaret eos, ne nescirent quales erant ipsi. Penè huic simile est, quod dicit Deus in cantico Deuteronomij. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & ego prouocabo eos in eo, qui nõ est populus. Tẽtati quippe deprehensi sunt, quòd non ambularent in lege eius, id est, in fide eius, dum diffidentes de crastino, colligerent plus quàm sufficeret per singulos dies, sicut habes in sequentibus. Porrò vt de hoc spirituali cibo & potu tentemur nos, æquum esse manifesta defendit ratio. Tentatus enim est homo à diabolo, & victus est: tẽtetur à Deo, vt illius tẽtatoris fraudem vincat, & tali antidoto iuxta naturam morbi competenter vitæ suæ subueniat. Tẽtati, inquam, sunt primi homines à diabolo dicente: Comedite & eritis sicut dij, & crediderunt ei plus quàm Deo, dicẽti: In quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini. Proinde tenetur à Dei filio dicente de pane & vino. Comedite hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, comedite & eritis filij Dei, & credamus verbo eius plus, quàm oculis nostris carnalibus, quibus non nisi exteriorem panis & vini speciem intuemur, & ita iniquã credulitatem parentum nostrorum pia crudelitate in nobismetipsis euacuemus.

Psal.77.

Deute.32.

Gen.3.

Quòd in sabbato non colligebant, sed de manna repositio die sexta manducabant, & de duplici sabbato.

CAPVT XIII.

Die autem sexta, parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.) Quod inferant, inquit, id est, quod reponant sabbato sequenti quo vacare vel requiscere debeant in commemoratiõem creatoris, qui sex diebus operatus est, & in septimo requieuit. Sed diximus non in prima parte huius operis, quod illi dies alterius conditionis intelligendi sint, & quòd longè aliud quàm hominis sit sabbatum, id est, Dei requies. Cur ergo de huiusmodi sabbato, quale hactenus obseruant carnales Iudæi, tunc cura fuit? Videlicet, quia dupliciter vtile hoc homini fore præuidit. Primùm, vt sicut omnia in figuram contingebant illis, ita & illud figuratiuum sabbatũ figura esset spiritualis sabbati, & sua carnali similitudine, illius recordationem faceret, operatio Dei nõ solum quandiu obseruatum est, sed & quandiu legitur aut legendum est. Deinde vt vno ex septenis diebus, refrigeraretur hominis mercenarius, pietas prouidit, sicut alio loco lex dicit: Sex diebus operaberis, septima cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus, vt refrigeretur filius, ancillæ & aduena. Si ergo verũ Dei agnouimus sabbatum, vbi requiescente illo & lætante in operibus suis, nunc deposito carnis onere, cùm eo requiescunt animæ sanctorum: sciamus & illud, quia manna quod nobis datum est, sabbato non inuenietur vt colligatur, sed quod antè collectum est, tunc manducabitur, quando facie ad faciem videbitur. Neq; enim qui nunc baptismum perdit, illic aliud inuenire poterit: neque is qui nunc corpus dominicum manducare, & sanguinem bibere indignè præsumpserit, vel omninò contempserit, illic inueniet hostiam quam pro peccatis suis offerre, vel in remissionem peccatorum sumere possit. Proinde quod hac sexta ætate paramus, duplum sit, quàm dudum colligere solebat populus Dei: nam ille solam literam legens, DEVM coluit: nobis quia verbum caro factum est, DEVS & homo CHRISTVS colendus & adorandus est.

Exod.20.

Deut.3.

Quòd Moyses populo carnes & panes promittit, cum dominus solummodo de panibus dixerit: Et quare dictum sit, Vespere scietis, mane videbitis.

CAPVT XIIII.

Dixe-

Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israel. Vespere scietis, quòd dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam Domini. Audiui enim murmur vestrum contra dñm: nos verò quid sumus quia musitatis contra nos? Et ait Moyses? Dabit dominus vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitatẽ, &c.) Notandum quòd cùm Dñs de panibus solummodo dixerit, eccè ego pluam vobis panes de cælo: Moyses ad populum mandata perferens quasi de suo, carnes promittit. Dabit, inquiens, dñs vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitatem. Et quidẽ dominus inferius loquens ad Moysen: Loquere, ait, ad filios Israel, vespere comedetis carnes, &c. Veruntamẽ ex Moysi prius quã ex domini ore vespertinas carnes promitti audimus. Quid ergo per carnes, nisi vetera sacrificia, quid per manna, nisi nouum sacrificium accipimus? Etenim sicut iam superius pertractatum est, & prophetæ testantur, illa dñs sacrificia permisit fieri, non iussit: hoc autem nouum corporis & sanguinis sui sacrificium per semetipsum tradidit, & hoc facite in memoriam meam dixit. Rectè igitur saturitatem panis prius ipse dominus, & deinde Moyses, pollicitus est. Quid autem per vesperam, nisi vetustam vitam: quid per mane, nisi nouam nouæ vitæ claritatem intelligimus? Ad vesperam (inquit Psalmista) demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nam quia circa vesperam primus Adam, inobediens conuictus & iudicatus, in hanc mortalitatem deuenit, matutino autem nouus Adam, obedientia peracta in immortalitatẽ atque incorruptionẽ resurrexit, rectè hic per vesperam veterem vitam, in qua carnes taurorum & sanguinem hircorum sacrificauerunt Iudæi: per mane autem nouam vitam intelligimus, in qua præcurrente summo sacerdote Christo sacrificant, & pane cæli saturantur Christiani. Ad illam vesperam demorabatur, fletus cunctis ad inferos descendentib. ab hoc aũt matutino lætitia est, quia cælum patet, paradysus apertus est. Dicat itaq; Vespere scietis, q dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini. Vespere comedetis carnes, & mane suturabimini panib. Ac si dicat: quoniã recordati estis, quia sedebatis super ollas carnium, tota ista vespera, quæ lucifluũ Christi aduentum præcurrit, carnalib. sacrificijs qualibus auelli nõ potestis, vobis inseruire licebit: ita tamen, vt per illa sciatis & memoriæ repræsentetis, q Dominus eduxerit vos de terra Aegypti, verbi gratia, per vespertinam immolationẽ agni paschalis, & mane videbitis gloriam, id est, gloriosam resurrectionẽ domini, cuius cõparatione gloria non est, quòd eduxit vos de terra Aegypti.

Exod.16.

Psal.35.

Quid significet, quòd coturnix castra, & ros per circuitum castrorum operuerit superficiem terræ, in similitudinem pruinæ, dicentibus filijs Israel: Manhu.

CAPVT XV.

FActum est ergo vespere, & ascendit coturnix & operuit castra, mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Cumq; operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudine pruinæ super terram. Quod cùm vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem, Manhu, q̃ significat, quid est hoc?) Præclara rerum imaginatio, & decora figurarum distinctio. Coturnix castra operuit, ros autem cũ quo pariter & manna descendit, non in castris, sed per circuitum castrorũ iacuit, non, inquam castra, sed superficiem terræ operuit, ipsumque minutum in solitudine apparuit, dicentibus filijs Israel, Manhu. Ros spiritum S. significat, de quo in Psalmo habemus: Sicut vnguentum in capite, q̃ descẽdit in barbam, barbam Aaron, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, sic bonum & iucundum est habitare fratres in vnum, quòd fit per vnum & solum dilectionis spiritum. Aaron quippe, quòd interpretatur montanus, Christus est, cui sicut barba capiti, sic adhærentes perfecti & fortes Apostoli, tunc eiusdem capitis vnguento madue runt, quando eius sancto spiritu repleti sunt, & eiusdem vnguenti ros, id est, gratuitũ donum descendit, in montes Hermon, atque Sion, id est, in ecclesiam vtriusq; populi gentilis & Iudaici, quorum alter, scilicet Gentilis per Hermon, quòd interpretatur anathematizatum, alter, id est, Iudaicus intelligitur per montem Syon. Ros ergo qui cum manna descendit, spiritum sanctum significat, per cuius sanctificationem ad inuocationem sacerdotis conficitur corpus Christi. Coturnix castra operuit, ros autem per circuitum castrorum iacuit, quia videlicet cum synagoga carnalibus vacante sacrificijs, commune nihil est huic vero & viuo pani, qui cum isto rore descendit. De castris illis ex eundũ tibi est, quicunq; hoc minutũ, quòd detulit ros iste, colligere contendis. Castra solummodo coturnix, ros autẽ superficiem terræ operuit, & in solitudine minutum apparuit, quia videlicet non vni genti, sicut legem de carnalibus sacrificijs, sed vniuersæ terræ & solitudini cunctarum gentium, gratiam spiritus S. & panem de cælo verum, id est, semetipsum Christus dedit. Erat autẽ quasi pilo tusum, quòd planè Christũ significat in ligno crucis attritum per passionem. Descendit autem in similitudine pruinæ, quia videlicet illi genti pro parte reproborum frigidam fecit nebulam infidelitatis & inuidiæ. Vnde & dixerunt ad inuicem Manhu, quod significat, quid est hoc. Hoc enim dicere cœperunt, ex quo dicente illo, ego sum panis viuus, qui descendit de cælo, & qui manducat carnem meam, habet vitam æternam, & his similia, litigauerũt, & murmurauerũt, dicẽtes,

Psal.132.

CA.XVI.

Ioan.6.

quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Tunc, inquam, dicere cœperunt Manhu, & vsq; hodie siue Iudæi, siue hæretici sequaces eorũ dicere non desinunt, cũ dicimus eis caro Christi est & dicũt semper quomodo est, quomodo est?

Quòd filij Israel tentati à domino, in tribus rebus infideles reperti sunt.

CAPVT XVI.

FEceruntque filij Israel, & collegerunt, alius plus, alius minus, & mensi sunt ad mensuram Gomor. Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod poterant edere, congregauerunt, &c.) Tentati filij Israel Domino dicente, vt supra dictum est, vt tentem eos, vtrum ambulent in lege mea an non, in tribus rebus tentationem inciderũt, & infidi reperti sunt. Primùm quia audito sermone Domini dicentis, colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescẽdum, Gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, collegerunt, alius plus, alius minus. Nam quod tamen mẽsi sunt ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat reperit minus, hoc virtutis & operis fuit diuini, & ad mysterium pertinet, de quo paulò pòst dicendum erit. Secundo tentationem circa rem eandem inciderunt, cũ dicente domino per Moysen: Nullus relinquat ex eo in mane, non audierunt eum, sed dimiserunt ex eis quidam vsq; mane. Tertio, quia venit dies septima, & egressi de populo vt colligerent, non inuenerunt. Tripliciter ergo præuaricatione peracta, vsque quo (ait dominus) non vultis custodire mandata mea? Et cætera. Porrò Gomor mensura Attica duodecim sextarios habens, est decima pars Ephi, sicut in sequentibus habes. Ephi ergo, vt batus, vna est mensura, id est, modiorum trium.

Quòd non secundum quantitatem portionis corporis aut sanguinis Christi, alius plus, alius minus colligat de gratia spiritus sancti.

CAPVT XVII.

NEc qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit min⁹, & cætera. Hoc pro virtute cibi & spiritualis potus, id est, corporis & sanguinis Christi, sciendum & firmiter tenendum est, quia nõ pro quantitate portionis, quam ore percipit, secundum visibilem speciem panis & vini, alius plus, alius minus consequitur de gratia spiritus viuificãtis, sed singuli iuxta id quod possunt edere, congregant, id est, quod possunt credere remissionem peccatorum percipiunt, & vitam æternam. Sicut enim pater noster qui primus peccauit, cuius nos iniquitatem portauimus, non pro quãtitate morsus sui siue pomi quod momordit, sententiã vel damnationem iustam accepit, tantumq; illi valuit pomum vnum momordisse, quantum quicquid pomorum in arbore illa fuit, deuorasset, ad consummationem infidelitatis & inobedientiæ: sic econtrario, quisque nostrum, non pro quantitate portiunculæ viuifici panis, quæ frangitur illi, quam ore sumit, aut dentibus terit, gratiam vel vitam accipit, sed tantum illi valet ad consecutionem iustitiæ exiguum quid percepisse, quantum valeret, si totum quod oblatum est, prio prio solus perciperet ore. Rectè ergo sancta Christi Ecclesia, panes non valdè grandes, sed exiguas ad conficiendum corpus Christi componit similas & valdè tenues, neque vini multum, sed exiguum quid infundit, quia (sicut iam dictum est) nec qui plus colliget habebit amplius, nec qui minus parauerit, reperiet minus.

De eo quod dictum: Nullus relinquat ex eo vsque mane, & quod auari colligentes, in deo spem suam non ponant.

CAPVT XVIII.

DIxitque Dominus per Moysen ad eos. Nullus relinquat ex eo vsque mane.) *Matth. 6.* Iuxta literam fides exigitur à populo, vt totam sui curam Deo committentes, solliciti non sint de crastino. Quorum inobedientiæ, vel minimæ fidei pœnam dignam miraculũ illud præsignauit, quod cùm dimisissent quidam ex eis vsque mane, scatere cœpit vermibus, & computruit. Hoc enim exemplo cõmoneri se sciat infidelis auarus, qui spem suã in deo non posuit, & idcircò diuitias recondendo mammonæ seruit. Videbunt iusti, inquit Psalmista, & timebunt, & super eum ridebunt & dicẽt: Eccè homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum. *Psal. 51.* Nam eum qui eiusmodi est, & nunc quamdiu viuit, curarũ atque solicitudinum vermis comedit, & in futuro vermis qui non morietur comesturus est. Porrò spiritualiter scatens de manna vermiculus ille est, qui loquitur in Psalmo: Ego autem sum vermis, & nõ homo. *Psal. 51.* Sicut enim vermis sine concubitu de manna scaturit, sic solus sine virili semine de virgineo ventre conceptus & natus est Christus filius Dei. Sed hoc vbi prædicatur infidelibus Iudæis, scandalum est illis, sordidum enim & indignum deo reputãt, de fœmina potuisse nasci. Computruit ergo talibus manna verum, quod de cælo descendit, sed quod hoc pacto infirmum est eis, fidelibus virtus est & sapientia. De eo quod dicit, hoc est quod locutus est: requies sabbati sanctificata est Domino. Itemque sex diebus colligite, in die autem septimo sabbatum est Domini, idcircò non inuenietur, & cæt. iam superius dictum est. De vrna aurea, quæ cum manna reponi iussa est coram Domino, ad seruandum in generationes sempiternas, alio loco oportunius dicemus.

Quod

Quòd Iudæis de suis non gloriandum meritis, & quæ sit percussa petra, è qua emanauit aqua.

CAPVT XIX.

CA. XVII IGitur profecta omnis multitudo filiorũ Israel de deserto Sin, per mansiones suas, iuxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendũ populo. Qui iurgatus contra Moysen ait: Da nobis aquam vt bibamus.) Ac deinceps. (Cur nos exire fecisti de Aegypto, vt occideres nos, ac liberos nostros, ac iumenta siti?) Vbicunq; murmurationes ac iurgia, & beneficia Dei spontè venientia, nulla præueniunt merita. Non ergo ille populus glorietur, q̃ pro suis meritis magnificauerit eum vel honorauerit dominus. Nam magnificentiam & honorem non solùm non promeruerunt, *Rom. 3.* sed confusione & opprobrio dignos se fecerunt. Obstruatur ergo omne os, & subditus fiat omnis mũdus Deo. Quæ enim vel in hac parte distinctio Iudæi & Græci? Omnes peccauerunt, & egent gloria dei. Primus Moyses dicit: Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me deus, vt terram istam possiderem. Item. Scito igitur, quòd nõ propter iustitias tuas dominus deus dederit tibi eam, cũ durissimæ ceruicis sis populus. *Deut. 9.* Ex eo die quo es egressus ex Aegypto, semper aduersus dñm Deum tuum, in solitudine contendisti. Et Dauid: Oẽs, inquit, declinauerunt simul inutiles facti sunt, nõ est qui faciat bonũ, non est vsq; ad vnũ. Scimus (inquit Apost.) quoniam quæcunq; lex loquitur, *Psal. 23. Rom. 2.* his qui in lege sunt loquitur, &c. Sola igitur glorificetur gratia dei, quæ & tunc murmurantibus contra dominum, & iurgia concitantibus, & manna de cælo, & aquam de petra produxit, & nunc blasphemantibus Iudæis atq; Gentilib. ita clemẽter astitit, vt panem vitæ (de quo iam suprà dictum est) & aquam salutis perpetuæ ori eorũ apponeret, *2. Cor. 5.* rogantib. interea legatis eius ac dicentibus: Obsecramus, p Christo, recõciliamini Deo. Cũ pane & aqua occurrens nobis inimicis suis, cum pane, inquam, corporis sui, & aqua quã percussa petra. i. Christus ipse crucifixus effudit, nos deo patri in reconciliationem ve- *1. Cor. 10.* nire deposcit. Quæ enim petra illa fit, quæ percussa est cunctis sitientibus notum est, Apost. præcinẽte, Petra aũt erat Christus, vnde iam superius dictum est. Porrò per aquam quæ de petra fluxit, non solũ sanguis intelligendus est Christi filij dei, siue aqua visibilis quæ de patefacto eius latere cum eodem sanguine cucurrit, sed & inuisibilis gratia spiritus sancti, de qua mulieri Samaritanæ ipse dicit: *Ioan. 4.* Qui autẽ biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et alibi: Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent *Ioan. 7.* aquæ viuæ. Hoc autem, inquit Euangelista, dixit de spiritu, quem accepturi erant credẽtes in eum. Vt continuò subiunxit. Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ergo nisi petra percussa fuisset, aqua nõ fluxisset, id est, ni si Christus per passionem hinc abisset, ad nos (sicut ipse ait) paracletus iste non venisset. Veruntamẽ & aliàs de hoc mysterio dicendum erit. *Ioan. 16.*

De pugna Amalech contra Israel prima, quomodo Moyse orante superatus sit.

CAPVT XX.

VEnit autem Amalech, & pugnabat contra Israel in Raphidim. Dixitq; Moyses ad Iosue: Elige viros, & pugna contra Amalech. Cras ego stabo in vertice collis, habens virgam dei in manu mea, &c.) In hac pugna Israelis contra Amalech, est quod iure miremur, quodq; nullus pugnæ legitimæ peritus à mysterio vacare arbitretur. Quid enim? Nunquid hic hostis Amalech maior aut fortior erat cunctis hostibus Israel, aut solus hic erat, contra quẽ necessariò tali modo pugna fieret? (Moyses, inquit scriptura, & Aaron & Hur, ascenderunt super verticẽ collis. Cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi e- CA XVII rant graues, & cetera.) Num, inquã, sine certi causa mysterij prouisum est, vt tali ordine vinceretur hic hostis? Ipsum ergo mysterium diligenter indagandum est. Ante omnia sciendum, quia primus ex omnibus *Num. 24.* gentibus iste Amalech egressum ex Aegypto Dei populum gratis impugnauit. Propterea de illo Balaam in prophetia sua dicit: Principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur. Porrò qualiter eum impugnauerit, ita legitur in libro Deuteronomij: Mẽ- *Deut. 25.* mento quæ fecerit tibi Amalech in via, quã do egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit. Lassos hic Hebræi immundos secundum legem extra castra manentes intelligunt, quos cecidisse Amalechitæ dicuntur, quia sicut ipsi tradunt eorũ circuncisionem amputauerunt, & in subsannationem Dei in cælum proiecerunt. Igitur quia sic principium gentium factus est Amalech, & primus ex omnibus post exitum ex Aegypto, pugnauit contra Israel, & ipsum nomen Amalech populus lingens interpretatur, rectè omnium visibilium & inuisibilium inimicorum populi Dei, de hoc mundo ad Deum fugientis typum tenere iudicatus est: & ita contra illum pugnatum est, vt qualiter diabolus cum omnibus, qui ex parte eius sunt expugnandus sit, pugna ipsa figuraret. Venit Amalech, venit populus lingens, & post concupiscentias suas vadens, cuius princeps & dux diabolus est, & cõmunicato cõsilio cum spiritib. malignis, peregrinantem in hoc seculo Dei populum impugnauit semper, & impugnare non desinit.

Contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Contra hunc Moyses in montem ascendit, & cum eo Aaron, quod interpretatur montanus, siue mons fortitudiuis. Per Moysen legem, per Aaron Christũ, per Hur, sanctũ
Hebr. 7. intelligimus spiritũ. Vt quid eñ data est lex, nisi vt pugnare doceret, & vt secundũ illã homo contra diabolũ manus suas. i. opera iustitiæ in cælum sustolleret? Sed manus, inquit, Moysi erant graues, quia videlicet nihil ad perfectum adducere poterat lex. Sumentes igitur lapidem, posuerũt subtus eum in quo sedit, quia videlicet ad hoc in mundum venit Christus filius Dei, & ad hoc glorificato illo, datus est spiritus S. vt legi quæ infirmabatur, solida substitueretur gratia Euãgelij, in quo federet Moyses, id est, in quo adimpleretur lex. Aaron, inquit, & Hur sustentabant manus eius ex vtraq; parte: nam difficultatem occidentis literæ, quã neq; patres
Hebr. 7. *Actor. 15.* nostri, neq; nos (inquit Apost. Petrus) portare potuimus, Christus & quem ille misit paracletus, suauem nobis atq; portabilem fecerunt in spiritu viuificãte. (Ita factum est, inquit, vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum solis, fugauitq; Iosue Amalech & populũ eius in ore gladij.) Igitur bellum Christianis indictum hoc exẽplo monstratur, & belli effectus orationis instantia aperitur. Orat enim Moyses & vincit, cessat & vincitur. Didicit Christianus, quid egerat, inuenit quid fugiat: didicit, inquam, vnde aut vincatur, aut vincat. Moyses enim cõtra hominem, & pro alijs orando pugnabat. Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere nolit, dum orando cessauit. Et tamen in Moyse corpus deficiebat, non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moyse excusari non potuit, quemadmodũ in nobis voluntas poterit excusari?

De eo quòd dictum est Moysi: Scribe hoc in libro, &c.

CAPVT XXI.

1. Reg. 15. DIxit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriã Amalech de cælo.) Non solùm ex eo Saul abiecisse sermonem domini redarguitur, & pro peccato inobedientiæ quasi pro scelere idololatriæ proiectus à Deo est, quia per Samuelem mandatum est ei à Domino dicente: Recensui quæcũque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Aegypto, nunc igitur vade, & percute Amalech, & demolire vniuersa eius, ipse autẽ versus est ad prædam, & fecit malum in oculis domini, verùm & ex hoc, quia sic dictum, & sic fuerat scriptum: scribe hoc ob monumentum in libro, delebo enim memoriã Amalech sub cælo. Cũ enim is, qui sine auctoritate de nihil vsquã scripsit, hic eius imperiũ interponit dicentis, scribe hoc, & deinde subiungentis, delebo enim memoriã Amalech sub cælo, magno vtiq; iudicij pondere futurum præuaricatorẽ premit, ne paruæ videatur audaciæ, quòd non parcente Deo parcere ausus sit, vel quòd iustitiæ vindictam imperante Deo, ipse ad prædam se conuerterit. Porrò spiritualiter in libro cordis cuiusque nostrum scriptum esse vult, quia diabolum antiquum inimicum Israel, & angelos eius, & homines sequaces eius, perdere habeat, & memoriam eorum sub cælo delere, videlicet dicendo: Ite maledicti in ignem æternũ, *Matth. 25* qui paratus est diabolo & angelis eius, vt hac scriptura permanẽte in cordibus nostris, nunquã cum illo pacem habeamus, neq; pugnare iussi contra hunc Amalech, inobedientes simus. Quod enim vni mandatum est dicendo: Et trade auribus Iosue, ad oẽs nos pertinet, & omnibus audiendum traditum est. Si ita pugnantes deleuerimus Amalech, melius triumphabimus, quàm Saul, qui parcendo illi triumphalem superbiæ fornicem erexit, meliusq; placebit obedientia nostra, q̃ illius victimæ. Nam hoc innuit quod sequitur. (Aedificauitq; Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, di- *Alias soliꝫ.*
cens: Quia manus solius domini, & bellum dei erit contra Amalech à generatione in generationem.) Suam quippe animam in Dei templum ædificauit, qui vicit, vt stans iugiter suppositio lapide manibus eius non lasse tur vsque ad occasum solis, id est, vsque ad finem vitæ præsentis, dicatq; cum Dauid: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Ac deinceps. In petra exaltauit me, & nũc exaltauit caput meum super inimicos *Psal. 26.*
meos. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis, & cætera.

Quòd Moyses cognati sui consilia audierit, iuxta sententiam saluatoris, quia filij huius seculi prudentiores, & cætera.

CAPVT XXII.

CVmque audisset Iethro sacerdos Ma- *CA. XVII*
dian cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Dominus Moysi, & populo suo Israel, eò quòd eduxisset Dominus Israel de Aegypto, tulit Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat, & duos filios eius.) Quam ob causam remiserit vxorem & filios suos Moyses superius scriptum est, videlicet ob circũcisionem, tetigit enim pedes eius, & ait: *Exod. 4.*
Spõsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum. Notandum hoc loco, quòd ei, in quo Deus loquebatur, quem principem plebis suæ constituerat, non homo, sed Deus, per quẽ mirabilia tãta deus fuerat operatus, cõsiliũ dedit homo Ethnic⁹. (Stulto (inquiẽs) labore consumeris & tu & populus iste, qui tecum est. Sed audi verba mea atq; consilia, & erit dominus tecũ. Esto tu populo in his quæ ad dominum pertinẽt.) Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat, & electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi. Ergo ex hoc quoque loco, veram

Luce 16. veram esse claret euangelicã domini sententiam, dicentis. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Nã in genere quidẽ causarũ, ad dominũ pertinẽtiũ Moyses prudẽtissimus erat omniũ lucis filiorum, neq; surrexit propheta vltra in Israel, sicut Moyses, quẽ nosset dominus facie ad faciem, in omnib. signis atq; portẽtis, quæ misit per eum: verùm in genere causarũ pertinentium ad rempub. hominum, prudentior illo cognatus eius inuẽtus est, in quo hodie quoq; plerosq; filios seculi videmus filijs lucis prudentiores. Quod sciens Apostolus ita Corinthijs loquitur. Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia constituite ad iudicandum. Contemptibiles eos vocat comparatione nobiliorum, qui causarum ad dominum pertinẽtium minus capaces sunt. Nam in Christi ecclesia non ex genere carnis, sed ex regenerationis gratiæ spiritualibus donis, cuncta censetur nobilitas. Igitur quoties filij lucis à filijs huius seculi quippiam percipiunt, quod sit auditu vel imitatione dignum, hoc exemplo superioribus erit vtiliter ad inferiorum consilia descendendum.

Quòd Moyses Deo immolauit, in signum quòd ab eo missus esset.

CAPVT XXIII.

CA. XIX. MEnse tertio egressionis Israel, de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinẽ Sinai. Nam profecti de Raphidim, & perueniẽtes vsq; in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibiq; Israel tentoria fixit è regione montis. Moyses autem ascendit ad Dominũ.) Quod dicit mense tertio in die hac, idem est ac si dixisset, mense
Exod. 5. tertio in die mensis prima. Hic immolaturus erat Moyses, & implẽda veritas eius qui miserat eum, dicentis: Cùm eduxeris populum meũ de Aegypto, immolabis deo super montem istum. Hæc immolatio Moysi pro signo veritatis fuit, quòd deus eum miserit, non quia immolauit, sed quia inter immolãdum Deus clarissima suæ præsentiæ signa dedit, ita vt perterriti ac pauore concussi filij Israel, dicerent Moysi: Non loquatur nobis
Infra 20. dominus, ne fortè moriamur. Et Dominus ad Moysen: Hæc, inquit, dices filijs Israel: Vos vidistis quòd de cælo locutus sum vobis, &c. Ergo sic immolasse super montem istum, signum fuit Moysi, quòd Dñs misisset eum. Porrò hic mensis tertij primus dies à primi mensis quarta decima die, qua agnus immolatus est, iuxta lunarẽ suppositionem, quadragesima septima est. Dixit autem Dominus ad Moysen in die hac: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentq; vestimenta sua, & sint parati in diem tertiũ. Ac deinceps: Iam aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & eccè cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operuit montem. Hic dies à prædicta immolatione agni, XLIX. est. Quibus adde vnum, & fiunt L. qua die videlicet L. dixit dominus ad Moysen: Daboq̃ tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israel. Igitur legis & gratiæ summa secundũ numerũ consonantia est, quia videlicet à paschali vespera quinquagesimo die, lex in tabulis lapideis digito Dei scripta per Moysen data est: gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est, quinquage *Ioan. 1.*
simo nihilominus à resurrectione eius die, spiritu sancto misso de cælo, in cordibus Apostolorum scripta est.

Quomodo simul impleti sunt dies pentecostes Iudæorum, & dies pentecostes Apostolorum.

CAPVT XXIIII.

HIc iam quæritur, quomodo dies pentecostes Iudæorum in dominicam completi fuerint, qua & spiritus sanctus super Apostolos venit iuxta fidem Euangelij. Constat quippe, qa L. dierũ vltimus in eãdem feriam semper erumpit, in quamcunque illuxerit & primus. Quis autẽ nesciat, quia prima dies azymorum Iudæis in quintam feriã anno illo euenit, qua vespera Dominus noster traditus, subsequente die parasceues crucifixus est, sabbato quieuit, & deinde prima sabbati, id est, prima die post sabbatum, quã extunc dominicam dicimus, resurrexerit? Quomodo ergo illa festiuitas, id est, pentecostes, in primam sabbati tunc emicuit? Ad
hæc sciendum, quia L. quidem ab immola- *CA. XIX.*
tione agni Dei, in exitu Israel de Aegypto lex data est, sed non itidem per annos singulos, ab immolatione agni L. die solennitas eiusdem muneris celebrari iussa est, siquidẽ
in Leuitico scriptum est. Cùm ingressi fueri- *Leuit. 23.*
tis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos, feretis spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem. Qui leuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabilis sit vobis, altera die sabbati, & sanctificabit illum. Numerabitis ergo ab ipso die, in quo obtulistis primitiarũ spicas, septẽ hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, & sic offeretis sacrificium Domino nouum. Et vocabitis hunc diem celeberrimum atq; sanctissimum. Perspicuum est, hoc esse præceptum legis, vt in quamcunque feriã cecidisset quarta decima dies primi mensis, cuius in vespera foret immolandus agnus paschalis, post eã dem immolationem, expectaretur altera sabbati, id est, dies quæ sabbato succedit, & ipso die leuato spicarum fasciculo coram Domino, numerantur exinde septem hebdomadę plenæ, dies videlicet XLIX. & altera dies expletiõis hebdomadæ septimæ, quæ dies quinquagesima est, celeberrima vocaretur, atque sanctissima, quæ Græcè dicitur pentecostes. Vnde plenius in Leuitico dicendum est,

Itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque dubiũ non remanet, neque iam quæstione indiget, quomodo simul impleti fuerint dies pentecostes Iudæorum, & dies pentecostes Apostolorũ, quia videlicet, qua die suum leuare fasciculum iubentur, eadẽ surrexit à mortuis Christus dei filius, fasciculus viuentium, membra sua super terram mortificantium. De quo in canticis sponsa loquitur: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cómorabitur. Et continuò subiungit: Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Nam ex nostra quidẽ infirmitate, fasciculus myrrhæ erat, dum iaceret in sepulchro mortuus, sed ex virtute dei leuatus est, tanquã botrus cypri, quo ad dulcedinem resurrectionis. Exinde Iudæis numerantibus secundum legẽ septem hebdomadas, vt altera die post expletionem earũ, mortuam ageret festiuitatem, Christus deo viuens, & seipsum viuum præbens discipulis suis, in multis argumẽtis XL. die super omnes cælos ascendit: L. autẽ celebrantib. illis acceptionem literæ occidentis, ipse suis viuificantibus donis spiritu sancto descendente credentes repleuit. Nunc prædicti montis Synai caliginem ingressuri, lucernam præferamus sensus Apostolici, vt cum illo ad nostram vtilitatẽ scrutemur secundum Euangelium Christi, quæ dicta sunt illic.

Cant. 1.

De his quæ mystice gesta sunt iuxta montem Synai.

CAPVT XXV.

Hebr. 12.

AIt: Non accessistis ad tractabilem & accesibilẽ ignem, & turbinem, & caliginem, & procellã, & tubæ sonum, & vocẽ verborum, quã qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si tetigerit bestia montẽ, lapidabitur. Et ita terribile erat, quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem viuẽtem, & multorũ milium angelorum frequẽtiam & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omniũ Deum, & spiritum iustorum perfectorum, & testamẽti noui mediatorẽ Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel. Cũ hæc dicit, acri nimirum cõparatione rem nobis ostendit, nec desides nos esse sinit circa curã ac reuerentiam cælestium, quorum ad exẽplar illa visibilia siue sensibilia tã terribiliter dicta vel acta sunt, quæ mox tractanda occurrunt. Primùm vt fieri solet, captandæ beneuolentiæ gratia, Dominus sua commemorans beneficia præterita, & promittens futura. (Vosipsi, inquit, vidistis quæ fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, &c.) Si hæc dignè cõmemoranda erant eis, vt nõ ingrati essent, quos à dominis quamlibet superbis, & iniustis hominibus tamen liberauerat, & ad illum tractabilem ignem, ad illum turbinem & caligi nem adduxerat: quanto magis illud nobis rememorandum est, quòd non vt tunc, sed abundantiore gratia liberatos à peccatis nostris, portauit nos Deus homo factus, ad Sió montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, quasi super alas aquilarum, velociter & altè volantium, fœtusq; suos forti ter portantium, & assumpsit sibi, vt vbi ipse est, ibi & nos simus? Si ergo, inquit, audieritis vocem meam, & custodieritis pactũ meũ, subauditur, quod pepigi cum Abraham. Siue pactum, id est, legem quam in præsentiarum vobis daturus sum. Non dixit tantùm, *Rom. 2.* si audieritis, sed addidit, & custodieritis pactum meum, quia profectò, non auditores legis iustificabuntur apud dominum. Eritis, ait, mihi in peculiũ de cunctis populis. (Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.) Sicut dictum est, sic & hodie factum est à Domino. Nam eccè domini est terra, & per Christum ipse dominatur gentium. Omnium autẽ nostrum regnum sacerdotale siue regale sacerdotium, ille populus est pro parte electorũ. ex illo enim secundum carnẽ Christus rex, & sacerdos omnium sanctus sanctorum. Vnde verisimè ipse testificatus est, quia salus *Ioan. 4.* ex Iudæis est. Ergo ille peculiaris Dei popu- *Ephe. 2.* lus est, nam nos aduenæ sumus & hospites. Et si ex nobis plures sunt sacerdotes, peculiariter tamen regnum & sacerdotium illius populi est, ex quo rex & sacerdos Christus, cuius ipsum, quo fungimur sacerdotium est. Et nota, quòd tanquam paterfamilias conuentionem faciens cum operarijs diurnis, quos continuò missurus est in opera legis, tã diu verba facit, donec ab eis ipsa collaudetur conuẽtio, dicentibus cunctis: (Quæ locutus est dominus, faciemus.) Hæc enim verba populi, vbi ad dominum nunciauit Moyses, ipse nihil moratus. (Vade, inquit, ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauẽtq; vestimẽta sua, & sint parati in diem tertium.

De eo quod dictum est: Estote parati in diem crastinum, ne appropinquetis vxoribus vestris.

CAPVT XXVI.

MVlta in hoc sunt capitulo, quæ diligẽter consideranda sunt. Primùm, quòd sanctificare iussus populũ Moyses, eandẽ ita sanctificationẽ determinat. (Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis vxoribus vestris.) Ergóne appropinquare vxoribus *Eccl. 2.* res est illicita? Non vtiq;. Sed sicut alia dicit scriptura, omnia tempus habent, & suis spacijs transeũt vniuersa sub cælo. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri à complexibus. Tempus longè fieri à complexibus tunc est, quando sanctificationis tempus impendet. Quid enim est sanctificari, nisi abstinere etiam à licitis? Nã qui abstinet solummodo ab illicitis, pœnam quidẽ euasit peccati, sed gloriam

Luc. 17. gloriam nõdum est assecutus sanctitatis. Vndè & dominus in Euangelio dicit: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Et enim ad sanctificationem non satis est, fecisse præceptum, nisi adijcias facere & consilium. Hoc autem hic agebatur, qua tenus sancti essent, id est, digni audire vel videre, quomodo hominib⁹ possibile est, præsentem Dei maiestatem. Rectè igitur consulitur illis, vt continentiam habeant etiam licitæ rei, dicendo: Estote parati, ne appropinquetis vxoribus vestris. Si hoc rectè dici debuit accessuris ad illum ignem visibilem, ad turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, vt supra iam dictum est: quanto magis accedentibus nobis ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, & multorum milium angelorum frequentiam, & ecclesiã primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spirituum iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel? Hoc enim alio

1. Cor. 7. loco perpendens idẽ Apostolus, incontinentibus quidem manum indulgentiæ porrigit: Nolite, inquiens, fraudare inuicem, nisi fortè ex cõsensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram: cõtinentibus autem persuadet, vt habendo vxores, tanquam non habentes sint: virginibus verò, vt sic permaneant, consilium dat, existimans hoc bonum esse propter instantẽ necessitatem.

Quid significet, quòd sanctificationis præparatio mandatur in diem tertium.

CAPVT XXVII.

QVid præterea sibi vult, quòd sanctificationis præparatio mandatur in diem tertium? Hoc planè si quærimus, pariter & illud occurrit quærere, cur ipse qui hoc mandauit dominus Deus, homo factus, per triduũ sanctificauerit seipsum? Instante namque hora passionis suæ, cum dixisset, sanctifica eos in

Ioan. 17. veritate, sermo tuus veritas est, sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, ita continuò subiunxit: Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Quæ sanctificatio eius, haud dubium, quin immolatio ei⁹ sanctificationi nostræ necessaria fuerit, quã tertio die consummauit, resurgendo à mortuis, in gloriam immortalitatis & incorruptionis, & ita, iuxtà

Zacha. 3. prophetam Zachariam, ablatis ab eo sordidis vestibus, indutus est mutatorijs. Sed de hoc citius respondetur, quia Deus, cui in Christo seipsum sacrificante, nostra natura satisfactionem offerebat, vt nos ei reconciliaremur, Deus, inquam, noster trinitas est, pater, & filius, & spiritus sanctus: ac proinde iustum fu-

Psal. 17. it, vt etsi non deberet videre corruptionem sanctus eius, tamen festiua eius resurrectio saltem in diem tertium differretur. Itaque rectè ad suæ futuræ sanctificationis exemplũ, iam hic triduanam sanctificationem indixit hominibus, vndè triduanæ pœnitentiæ vel afflictionis auctoritas deinceps peccatoribus sanciretur. Porrò, quòd dictum est, lauentq; vestimenta sua, secundum literalem quidem sensum non multùm apud dominum ad sanctificationem valere constat, veruntamen cũ pro ritu sanctificationis fit, internam quoq; munditiam Deo placitam esse cogit intelligi. Cæterùm hæc vtcunq; se habeant, lauare oportet per pœnitentiam animæ vestimenta, id est, mẽbra corruptibilia. De quibus ait sanctus Iob: Et abominabuntur me vestimenta *Iob. 9.* mea, id est, abominabilem reddent me membra corruptibilia. De his lauandis siue nõ inquinandis, alibi scriptum est: Beatus qui cu- *Apoc. 16.* stodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. Item: Omni tem *Eccle. 9.* pore vestimenta tua sint candida, & oleum de capite, id est, charitas de corde tuo non deficiat.

De eo quod dictum est: Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.

CAPVT XXVIII.

OMnis, inquit, qui tetigerit montẽ, mor- *CAP. XIX* te morietur. Manus non tangent eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Siue iumentum fuerit, siue homo, nõ viuet, &cæt.) Horum terribilium causa præsens populi rudis erat insciti a, cui tanquam adolescentulo petulanti, qui pium patrem reuereri nesciret, seuerum pædagogum adhiberi oportebat. Docendus enim erat, quod Deus patrum eius non esset talis, vt dij Aegyptiorum, quorum in sacris, imò sacrilegijs ludere, & choros ducere, manducare, & bibere, ac deinde polluere, & pollui, solenne erat in omni genere fornicationum. Siquidem nõ vltrò vel facilè hoc perdiscere poterat, quippe cum & post tales tantosque terrores nihil cũctatus, quasi nihil vidisset, fecerit vitulum conflatilem. Sederit populus manducare & *Exod. 32.* bibere, & surrexerunt ludere. Dixeruntque: Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Ergo terribiliũ quę ostensa sunt, id est, buccinæ perstrepentis, tonitruorum, ac micantium fulgurum, montisque fumantis, ac densissimæ nubis, siue caliginis, ac sententiæ, quæ interponitur, omnis qui tetigerit montem, morte morietur, causa fuit ipse populi stratus, qui, quoniam ad charitatem nõdum peruenerat, oportebat vt timore strin-

Exod. 20. geretur. Vndè & post aliqua Moyses dicit: Vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Sed nunquid dominum velle videre malum est? Imò bonum, & omnium optimum est. Sed malum est ei, qui per curiositatem illũ quærere audet, æstimans quòd Deus in sua natura visibilis, aut mẽbris suis vt homo localiter distinctus aut circunscriptus sit. Rectè igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

interpositiõe præcepti curiositas importuna atq; indigna repulsa est. Posito autem præcepto, preuaricatoris pœna iusta est, ac proinde iustissimè, omnis, inquit, qui tetigerit montẽ, morte morietur, & taliter, vt cæteri metum habeant. Quomodo? Manus, inquit, non tangẽt eum, videlicet abiectum, sicut pollutum & immundum, sed lapidibus opprimetur aut confodietur iaculis. Iumentum quare occidetur? Videlicet vt dominus iumenti, qui illud custodire neglexit, in eo contristetur, & in quo negligentia eius est, in eodem æqua iudicij mensura feriatur.

Quomodo dictum sit: Cum cœperit clãgere buccina, tunc ascendant in montem, cum supra contrarium dictum sit. CAPVT XXIX.

CVm, inquit, cœperit clangere buccina, tunc ascendant in mõtem.) Sed & suprà iam dictum est, cauete ne ascendatis in montem: & postmodum item dominus dicit: Cõtestare populum, ne fortè transcẽdere velint terminos ad videndum dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Ergo cum dicitur, cum cœperit clangere buccina, ascendant in mõtem, subaudiendum est, vsq; ad terminos constitutos per circuitum. Porrò Moyses, *Moyses.* quàm auidè inhæreat diuinę visioni, illud innuit, quòd cum dicente sibi domino: (Descẽde, & contestare populum, ne fortè velint transcendere terminos. Sacerdotes quoq; qui ascendunt ad dominũ sanctificentur, ne percutiam eos.) Ita respondens, ait: (Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai. Tu enim testificatus es, & iusisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum.) Attamen licet hac occasione prætenta, quasi securum Deum reddere voluerit, non profecit. Nam dominus in sententia persistens. (Vade, inquit, descende, ascendes que tu, & Aaró tecum.) Hoc in exemplum eorum, qui populo Dei præficiendi erant, sicut Moyses, dictũ vel factum est, quibus supernorum contemplationi arctius inhærere cupiẽtibus, nonnũquam causa vel cura subditorum impedimẽto fit. Exemplo namq; simul, & imperio saluatoris, qui de sinu patris propter nos exiuit, coguntur interdum omittere dulcedinem altissimæ contemplationis, & condescendere paruulis, vt cum eis tractent de carnalib. negotijs, vt Paulus Apostolus, qui cum raptus *2. Cor. 12.* fuisset vsque ad tertiũ cælum, vel paradisum, & audisset arcana verba, quæ non licet homini loqui: de tam altis, ad tam infima descẽdit, *2. Cor. 7.* vt disponeret iura coniugij: Vxori, inquiens, vir debitum reddat, & vxor viro.

Quid significet mons Sion, iuxta sententiam Apostoli. Et quid intelligendum sit per hoc, quod dictum est, Bestia si tetigerit montem, lapidibus opprimetur.

CAPVT XXX.

MOns namque Sinai, quid significet, capitulo superius scripto, idem Apostolus aperuit: Sed accessistis, inquiens, ad Sion *Hebr. 12.* montem & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem. Cùm enim hęc igni montis Sinai, & caligini opponit, in quam Moyses ascẽdit, quo populus ascendere non potuit, profectò illic figuram, hic veritatem: illic vmbram, hic nos intelligere vult corpus aut rẽ. Quem ergo Deus milit, cui iuxta exemplum Moysi signum dare dignatur, quòd eum ipse miserit, huic montis Sion & ciuitatis Dei viuentis Hierusalem cælestis ianuas aperiet, vocando illum intra secreta cõtemplationis, quo populus ascendere nõ meretur, quia carnali sensu premitur. Et bestia, inquit, si tetigerit mõtem, lapidibus opprimetur. Si enim is, qui bestialiter viuit, alta diuinitatis audeat scrutari, illa gloriosa dignitas caliginem sibimet obducit, & fumante toto scripturarum monte, indignos oculos cæcitate obuoluit. Vnde Psalmista: Et posuit, inquit, tenebras la- *Psal. 17.* tibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aeris. Ita cũ fit splendida lux veritatis, ille nihil vidẽs, nisi caliginem mendacij, illis opprimitur lapidibus, quos alijs verbis idem significat, cum dicit: Pluit super peccatores laqueos, ignis, sul- *Psal. 10.* phur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Sic Arrius, & alius quilibet hęresiarches à superna maiestate lapidatus est. Et hoc idcirco, quia bestia fuit. Si enim rationabiliter vt homo per actiuam vitam, seipsum prius exercuisset, ac deinde ad contemplandam veritatis gloriam ordinatè promouisset suos, ab illo fortitudo maiestatis lapides continuisset. Intereà qui vocatus à domino est, is vsq; in tertium cælum, aut in paradisum raptus, & illud vsque mente excedẽs, ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem perambulat, *Apoc. 21.* murosq; eius ex omni lapide precioso, turres quoq: gemmis ædificatas, atque plateas mundo auro stratas, multorumque milium angelorum frequentiam, in circuitu eius & intus miratur, tantæque visionis eius nunquã abesse festiuitati, totis visceribus optat. Sed oportet vt qui audit dicat, veni, id est, vt is qui supernam dulcedinem prægustauit, inuitet alios, ad promerendam requiem, qui miserè laborantes & onerati, nesciũt adhuc vbi pax & vera refectio sit. Nec enim idcirco aperti sunt illi thesauri beatitudinis, vt repertis solꝰ incumbat diuitijs. Dicitur ergo Moysi vt descendat, ascensurus iterum, & assumat secum Aaron fratrem suum, populo quoque prædicet, quatenus lotis vestimentis ascendant ad dominum. Illic tonitrua, fulguraque micantia, fumus quoque & ignis, & clangor buccinæ, vt fiat quod scriptum est: Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant. Item: Commota est, & tremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus es eis. *Psal. 103.* Ascẽdit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo, & cætera. Terra quippe commouetur, & contremescit, fundamenta quoque montium conturbantur

bantur & fumigant, ex ardescente igne à facie domini, cùm audito per prædicatorem futuro aduentu tremendi iudicis, hi qui prius terram tantummodo nouerant, semetipsos pœnitendo discutiunt, & montuosa superbia descendẽte, fumus, id est, lachrymosa oratio, ascendit à timore iræ domini, & ignis doloris à facie eius, id est, à cognitione veritatis exardescens, peccata consumit.

Decalogus præceptorum, & cur dictum sit in fine: Nõ concupisces, cum omnium malorum radix sit cupiditas: & de charitate.

CAPVT XXXI.

CA. XX. LOcutusque est Deus cunctos sermones hos: Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quę est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ in aquis sunt sub terra, non adorabis, neque coles ea, &c.) Hic decalogus in capite legis positus est, id est, decem præceptorum numerus, quorum primum est. Non habebis deos alienos corã me. vltimum: Non concupisces. Dicit autem *1. Tim. 6.* Apostolus: Quia radix omnium malorum est cupiditas. Cur ergo non hic primum positum est, non concupisces? Sed sciendũ, quia sicut malæ arboris, superiores primùm rami præciduntur, & sic paulatim vsque ad radices peruenitur, sic prius opera mala, prout sunt cupiditati viciniora, paulatim præcidũtur, & sic ad vltimum ipsa cupiditas vel concupiscentia voce prohibẽtis amputatur. Notandum quippe, quòd prohibendo pẽnè cuncta hæc enuntiãtur. Vndè verissimè Apostolus dicit: Quia iusto lex non posita est, sed in- *1. Tim. 1.* iustis, impijs, & peccatoribus, sceleratis, & cõtaminatis. Iniustos nempè & totos cupiditati deditos homines, Deus curandos susceperat, & idcirco tanquam negotioso agricolæ, primùm hæc illi cura impendebat, vti malis radicibus occupatam terram sarcitudo meliori plantationi præpararet, scilicet charitati, quę sola iusto posita est. Nam & idem Apostolus antequam diceret, quia iniustis & non subditis lex posita est. Iusto, id est, Timotheo discipulo, dixerat: Finis præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et enim vbi charitas est, non opus est dicere: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices. Proinde interrogatus dominus à legisperito, dicente: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Respondit: Diliges dominum *Matth. 12.* Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. Igitur hic in initio iam charitas imperatur, sed quæ contraria sunt charitati, prohibẽtur: vt in illis extirpatis, tunc demum ipsa charitas radix omnium bonorum substituatur.

Quòd præceptorum quatuor pertinent ad dilectionem Dei, sex verò ad dilectionem proximi.

CAPVT XXXII.

SVnt autem præcepta decem, quorum primum (vt prædictum est) nõ habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, sequens, sed vltimũ est, non concupisces. Quatuor ex his dilectioni Dei, sex dilectioni subseruiunt proximi. Non habebis deos alienos corã me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinẽ, nõ assumes nomẽ domini Dei tui in vanum, memento vt diem sabbatorum sanctifices. Quatuor ista Dei dilectioni repugnantia prohibendo, locum eidem dilectioni Dei, sermo Dei parare intendit. Habere namque deos alienos, & Deum verum diligere simul non potes. Ait ergo, non habe- CA. XX. bis deos alienos coram me, id est, neminem æstimabis Deum præter vnum creatorem cæli & terræ. Item: Facere sculptile, vel vllã similitudinem eorum, quæ in cælo, vel in terra, vel in aquis sunt, & æstimare, alicui horum Deum similem esse, iniquitas est & dilectioni Dei repugnat. Cui similem (inquit propheta) fecistis Deum? Aut quam imagi- *Esa. 40.* nem ponetis ei? Hoc aduersus humaniformios valet, qui Deum humanis putant esse compactum membris. Nimirum hoc pacto, grande sibi fingunt simulachrum, quòd in cælo sedeat, & terram pedibus contingat, dicente ipso: Cælum mihi sedes est, terra autem *Esa. 46.* scabellum pedum meorum. Dicit itaq;: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & cætera. Sanè quod hic ait: (Ego sum dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiũt præcepta mea.) Hoc in omni præcepto subaudiendum est, videlicet, vt timeat pœnam transgressor, speret præmium præcepti executor. Oportuno quoque tempore fortem se & reddentem iniquitatem patrum in filios, in quartam & tertiam generationem, hic asseruit, videlicet vbi totus mõs Sinai fumigabat, & totus erat terribilis, eo quòd descendisset dominus, quod erat indicium fortitudinis, & iniquitatem patrum, qui Ioseph fratrem suum vendiderant, nunc reddiderat in tertiam & quartam generationem, non absque misericordia: soluta nempè captiuitate, reuertebantur de Aegypto, generatione quarta. Item, Assumere nomen Dei in vanum (quod poetæ faciunt) vel reuerentia dignum non æstimare, vbicunque nomen domini fuerit inuocatum, dilectioni Dei omninò est aduersum. Ait ergo: (Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipies nomen domini Dei tui in vanũ. Nec enim habebit insontem dominus eum, qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra.) Item: Aliquid boni facere, non ad laudem Dei, siue ob spem æternæ retributionis, sed vt videaris ab hominibus, dilectioni Dei cõtrarium est. Dicit ergo: (Memento vt diem sabbatorum sanctifices.) Id est, in omnibus operibus tuis, Dei retributionem attẽde, vel in Deo requiem tibi præpara pro mercede: quod verè est diem sabbati sanctificare. De carnali Iudæorum sabbatismo iam alias dictum est. Quæ sequuntur sex: (Honora patrem tuum, & matrem tuam, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Nõ loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, Non concupisces.) Cuncta quæ dilectioni proximi sunt inimica, extirpãt, legẽque adiuuant naturalem, quæ dicit: Quòd tibi non vis fieri, alij ne feceris. Hæc à gẽtibus, siue honestioribus gentilibus vtcunque obseruari poterunt, sed ad vitam illis absque dilectione Dei non profuerunt, vtpote deos alienos habentes, & cætera q̃ supradictis quatuor præceptis inhibentur facientes, beatitudinem non sunt consecuti. Decem præceptorum distinctio nunc in nostris codicibus, ex translatione beati Hieronymi sic habetur. Cæterùm alias quatuor præcepta quæ ad dilectionem Dei pertinent, in tria esse redacta, & econtrariò eorum quæ ad dilectionẽ proximi spectant, vltimum, id est, non concupisces, in duo diuisum legimus, vt aliud sit in auditum, non concupisces vxorem proximi tui, & aliud, non cõcupisces rem proximi tui, & ita ad dilectionem quidem Dei tria, ad dilectionẽ verò proximi septem pertinere præcepta. Quod ex septuagintus interpretib. sumptum fuisse arbitramur. Istæ sunt decẽ chordæ cantoris Dei, dicentis in psalmo: Deus cãticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi. Item: Cõfitemini domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Qui enim sine istis viuit, mentitur, quoties se in decachordo psalterio domino confiteri profitetur.

Psal. 143.
Psal. 32.

De eo quod dictum est: Populus videbat voces & lampades, &c. Quid altare de terra sine gradibus.

CAPVT XXXIII.

CVnctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem.) Videbat voces, id est, intelligebat, sed eum qui voces formabat, Deũ, non videbat. Nec verò lampades tantum micantes, sed & montem fumantem videbat, quia videlicet non erat in omnibus integritas fidei, vel perfectio timoris domini, qua Moyses perfectus fuit, & idcirco flammam in rubro sine fumo vidit. (Et perterriti, ac pauore concussi steterunt procul, dicẽtes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus, & cætera.) Quod ita laudabiliter dixerunt, claret in libro Deuteronomij ex cõmemoratione Moysi dicentis: Quod cum audisset dominus, ait ad me: Audi vocem verborum populi hui⁹, quæ locuti sunt tibi, benè omnia locuti sunt. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis, & filijs eorũ in sempiternum? Ad hunc sensum respicit, quòd hic præterea dominus dicit: (Vos vidistis, quòd de cælo locutus sum vobis. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi.) Et post pauca: (Non ascendes per gradus ad altare meũ, vt reueletur turpitudo tua.) Nunquid enim hoc iubet, vt non nisi de terra congesta sibi altare fiat, ne vel idipsum altare plano solo non emineat? Non vtique, nam idem postmodum: Altare, inquit, facies mihi de lignis Sethim, & operies illud ære. Sed & Salomon altare fecit in templo æreum, altitudinis decem cubitorum. Nunquid sine gradibus illuc ascendi poterat? Imò XV. gradibus ascendebatur in illa sancta sanctorum, iuxta quæ cantantur in Dauid, XV. cantica graduum, continentia quid significauerunt gradus illi, scilicet virtutum profectibus ascendendum esse in cælestia sancta sanctorum. Ergo potius ad id quod humiliato corde dixerant, non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur, cuncta hæc figuratè dicta esse probãtur. Nam huius quoque loci memor Moyses, iterum in Deuter. dicit: Prophetã de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti à domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est, atque dixisti: Vltra non audiam vocem domini Dei mei, & ignẽ hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait dominus mihi: Benè omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum, similem tui, &cæ. Hunc prophetam, id est, semetipsum dicit, in isto loco: Veniam ad te, & benedicam tibi. Est post aliqua: Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, ne contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Igitur cum dixisset Moyses: Vt enim probaret vos, venit DEVS, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis, videlicet, quia initium sapientiæ timor domini, dominus illum prophetam, illum magni cõsilij intendens angelum, vos, inquit, vidistis, quòd de cælo locutus sum vobis, dicens: Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis, & portare non potuistis. Dico ergo, altare de terra facietis mihi, id est, incarnationẽ prophetæ illius, quẽ suscitabo vobis de fratrib. vestris, humiliter credetis. (Et offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oues, & boues in omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei.) A solis ortu, vsque ad occasum,

Deut. 5.
Exod. 26.
3. Reg. 8.
2. Para. 4.
Deu. 18.
Exod. 23.

Malach. 1. occasum, inquit per prophetam Malachiam, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Hoc ergo dicit, quia quicquid ritè offerre voluerit quis, ouem siue bouem, id est, minorem vel maiorem actionem in structura altaris illius, id est, in fide dominicæ incarnatiõis solidabit. Veniam ad te, subauditur, secundũ illud altare, & benedicam, scilicet omni benedictione cælesti, & gratia spirituali. (Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim leuaueris cultrum tuum super eo, polluetur.) Lapides virtutes animi sunt, de quibus tunc altare domino facimus, dum fidem habẽtes incarnationis eius, super hoc fundamentum, illas super ædificamus. Ferrum aũt siue cultrum arrogantia est, quo maximè vitio mens à creatore suo præciditur. Aedificatum ergo altare, si super eo cultrum leuaueris, id est, si tibi virtutes ipsas arrogaueris, polluetur. Non ascendes per gradus ad altare meum, subauditur de terra factum, id est, minorem patre non dices incarnatum filiũ, ne reueletur turpitudo tua. Turpius enim nihil est turpitudine hæretica. Siue non ascendes per gradus, id est, non extolleris de tuis profectibus, propter quod vitiũ turpitudo reuelatur, quia profectò superbiã mentis contumelia carnis comitatur.

Quòd rectè post præcepta iudicia ponantur.

CAPVT XXXIIII.

CA. XXI. HAec sunt iudicia quæ propones eis.) Rectè & ordinatè post data præcepta, iudicia proponuntur. Futurum namque erat, nõ omnes obseruare, vel audire præcepta, & idcirco necessariũ fuit perscribere, qualis transgressor, quali reus foret iudicio. Non autem idem singulariter iudicium sonat, quòd pluraliter iudicia. Nam singulariter iudiciũ plerunque damnationem: pluraliter verò iudicia, tam rei vindictam, quàm innocentis significat defensionem. Vtriusque partis iudicij scilicet & misericordiæ, sentẽtias post data decẽ præcepta proponit hic lex domini sancta, & immaculata, & iusta, & bona, vt veraciter Psalmistæ psallenti in decachordo psalterio, primam locus hic materiam videatur dedisse, quatenus diceret: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Cantandi nãque iudicij materia est insignis, ab hoc loco vsquequo dicit: Qui immolat dijs, occidetur, præter Deo soli: misericordiæ verò moduli dulces sunt ab eo, quod continuò subiungit: Aduenam nõ contristabis, vsque ad id quod ait: Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus, vt refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. Res quidem obscuræ & exiles, sed iudicio splẽdidæ, & iustitia illustres. Verbi gratia: Si bos alienꝰ bouẽ alterum vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuũ, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter se dispertient. Noli hic attendere quantitatem peculij, sed æquitatem iudicij. Quid enim de bobus curare tantæ maiestati? Sed verè laudabilis sapientia iudicantis de bobus cornupetis, sicut & mirabilis fortitudo præliantis contra Pharaonem, in ranis & muscis. Hæc igitur iudicia domini iudicia vera iustificata in semetipsis, quæ propones eis, inquit: Nõ sunt illa iudicia, de quibus Psalmista: Iudicia tua (inquit) abyssus multa: vel illud Apostoli, O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: sed eiusmodi sunt hæc, de qualibus item Psalmista dicit: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Manifestam quippe habent æquitatẽ, conspicuamq; omni homini rationabiliter disputanti, vndè & regibus gentium ante Christi quoq; aduẽtum cum summo fauore, & collaudatiõe accepta hęc & historię fuisse tradunt. Breuiter, aliqua de his discutienda sunt ad comprobãdum manifestæ iustitiæ testimonium.

Psal. 18.
Rom. 7.
Psal. 100.
Exod. 22.
Psal. 35.
Rom. 11.
Psal. 118.

Quare de emptione Hebræorum, prima iudicia proponantur, & vndè illis illa ingenuitas comigerit.

CAPVT XXXV.

SI emeris seruum Hebræum, VI. annis seruiet tibi: in VII. egredietur liber, gratis, & cætera. Si quis vendiderit filiam suã in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueuerunt) & reliqua. Quæri non frustra potest, cur de proponendis iudicijs, hæc in ordine priora sunt? Et ad hæc inquam: Hæc Hebraicæ genti iudicia propria, cætera verò cunctis hominibus siue cunctis gentibus debent esse communia. Quare hæc Hebræorũ sunt propria? Quia videlicet pater eorum Iacob, sex annis pro gregibus Laban seruiuit, in septimo dignitate sua seruata liber exiuit, magis eligens cum patribus suis Abraham & Isaac peregrinari, quàm in terra vel cognatione patrum suorum plura seruiendo lucrari. Hæc ingenuitas patris illã suis posteris apud dominum thesaurizauit, quatenus lege defendat eos, vt nemo ex illis vltra sex annos togatur seruire, si nolit. Econtrariò: mater ipsorum Lya per iniustitiam patris vendita quasi in famulam, sic egressa est, sicut ancillæ exire consueuerunt. Vndè tam ipsa, quàm soror eius Rachel, hoc modo conquestæ sunt. Nunquid habemus residui quicquam in facultatib⁹, & hæreditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum? Itaq; hæc propria secundum literam Hebræorum iudicia sunt. Si emeris (inquit) seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis, subauditur, si voluerit: nam ingenuus est, & pater eius à semetipso venditus, septimo seruitij anno liber exiuit, quia voluit, nec enim se in perpetuum vendidit. Cum quali veste, id est, cum quali conditio-

CAP. XXII.
Gen. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne intrauerit,cũ tali exeat, quia videlicet pater eius nec plus nec minus,sed tantum abduxit,quantum iure acquisiuit.(Si habens vxorem, & vxor egredietur simul.) Quia pater eius habens vxores, vtramque sororẽ Lyam & Rachel, quas facta conuentione acquisierat, iam quando seruiendo pro gregibus intrauit,cùm eisdẽ egressus est.(Quod si dixerit seruus, diligo dominum meum,& vxores,ac liberos,nõ egrediar liber, offerat eum (inquit)dominus dijs,& cætera.)Deos,facerdotes intellige, secundum quod dictum est ad Moysen.Ecce constitui te Deum Pharaonis, videlicet secundum dignitatem diuini of-
Exod.7. ficij.(Applicabitur (inquit)ad ostium & postes.)Scilicet vt multos habeat inspectores & testes.(Perforabitq; aurem eius subula.) Videlicet vt amplius semel dictę professiõis suę delere vel abscõdere nõ possit monumentũ. (Et erit ei seruus in seculũ.)Festinãdo ad alia moralẽ huius capituli suauitatẽ præterimus, suo namq; loco inuenie da est edita à sanctis patribus.(Si quis vendiderit filiã suam in famulam.)Subauditur,quemadmodum vendi
Gen.30. dit Laban matrem vestram Lyam, quam in rogatus protulit & indotatam.(Non egredietur sicut ancillæ exire consueuerunt.)Videlicet auctoritate patris vestri Iacob præeunte,qui non passus est illam quasi ancillam sine omni dote exire.Egit namq; arte sua,ponendo virgas populeas in canalibus, quas ex parte decorticauerat, vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerẽt maculosa & varia,& diuerso colore respersa. Ita nempè,quia cum fortiore Laban iudicio contendere non potuit pro dote non postulatæ vxoris,iusta sibi & illi arte prouidit, ditatusq; est homo vltra modũ, & habuit greges multos, seruos,& ancillas,camelos, & asinos. Ita planè satagere licebit emptori vt ei quam emit, quia filia est, nõ omne dotis subsidiũ desit,siue sibi siue filio illam despondere noluerit. (Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerit,dimittet eam.) Hic clanculo illos suæ vel maternæ conditionis admonet,quia profecto cum displicuisset Lya, nam lippis erat oculis,iure Iacob dimittere eã poterat, quippe pro qua non seruierat, cui fidem coniugalem non dederat.(Populo autem alieno vendi,non habet potestatem,si spreuerit eã.) & reliqua.

De diuerso supplicio eius,qui hominem in insidijs occidit,& eius qui occidit inimicum suum.

CAPVT XXXVI.

QVi percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, quo fugere debeat.)Constituam, inquit, tibi locum,id est, separabo tibi vrbes fugitiuorum,quo fugere debeat qui non est insidiatus, sed Deus inimicum tradidit in manus eius. Exempli gratia:
1.Reg.24. Persequente Saule Dauid, cùm ille fuisset ingressus speluncam vt purgaret ventrem,Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant.Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de quo locutus est dominus ad te,ego tradam tibi inimicum tuum,& cętera.Ité: Venerunt Dauid & Abisai ad populum nocte,& inuenerunt Saul iacentem, & dormiẽtem in tentorio. Dixitq́ue Abisai ad Dauid: *1. Reg. 26.* Conclusit Deus inimicum tuum in manus tuas.Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel,& secundo opus non erit. Planè Dauid nõ fuerat insidiatus, sed Deus inimicum gratis insidiantem tradiderat in manus eius. Vndè & dicit: Animaduerte & vide,quoniã non est iniquitas in me,tu autem insidiaris animæ meæ. Et ille secundum hanc legem locutus:Iustior,inquit,tu es quàm ego, quia vi *1.Reg.24.* delicet permissu legis poteras occidere me, legitimum habiturus refugij locum, donec tẽporis huius moreretur sacerdos.

Si quis per industriam.) Quòd homicida ab altari euellendus,& morti tradendus sit.

CAPVT XXXVII.

SI quis per industriam occiderit proximũ suum,& per insidias:ab altari meo auelles eum,vt moriatur.) Ab altari, inquit,meo auelles eum,vt moriatur, id est,etiam si ad altare meum confugerit,illuc vsque persequeris eum,auulsumq; interficies, quia videlicet ei nihil debet fides altaris, qui per dolum occidendo proximum,omnem fidem perdidit. Iure ergo nemo vel Salomonis iudicium, vel Banaie manum reprehendit, quia Ioab profugum in tabernaculum domini, tenentem- *1.Reg.2.* que cornu altaris,& dicentem: Nõ egrediar, sed hic moriar, ibidem aggressus interficit, quia occidit duos viros iustos, melioreśque se,Abner,& Amasan,principes militiæ,& ef- *2.Reg.20.* fudit sanguinem belli in pace, id est, in osculo pacis,dicendo:salue mi frater, tenens manumentum more osculantis. Non inquam, iure quisquam hoc reprehendit,quòd hic talis auulsus est ab altari & interfectus, dicente hic domino, de huiusmodi, ab altari meo auelles eum, vt moriatur. Cætera quoq; similiter manifestam habentia pulchritudinem æquitatis, facilè rationalis ac diligens homo discernit, vt vltro facie eius delectatus dicat, fidelis dominus in omnibus verbis suis, iustus dominus in omnibus vijs suis. Cùm ergo hæc omnia fecerit seruus Hebræus opera iustitiæ,nũquid statim perfectus erit, & præmium accipiet vitæ æternæ? Non vtiq;. nam *Hebr.7.* & Apostolus testatus est,quia nihil ad perfectum adduxit lex. Et iustorum in lege, de præcipuis vnus dicit lachrymosa confessione,quasi pannus menstruatæ vniuersæ iusti- *Esa.64.* tiæ nostrę. Bene igitur dominus ipse,hic post omnia non regnum cælorum iam legis huius operarijs repromittit,sed dicit.

Quod dictum est: Ecce ego mittam angelum meum, & cætera.

CAPVT XXXVIII.

Ecce

CAPVT XXXIX.

NON erit infœcunda,nec sterilis in terra tua. Numerum dierum tuorum im- *Esa.34.* plebo.)Beati seminis fœcunditatem ecclesiæ sanctæ repromittit, quã & propheta Esaias præuidens: Lauda, inquit, sterilis, quæ non paris: erumpa & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ magis quã eius quæ habet virum. Nam postquã nos angelus ille præcesit,& in cælum ascendens dona sancti spiritus hominibus dedit, non est in hac terra, quam ille sanguine suo rigauit,quæ sit infœcunda verbo Dei, & sterilis ab operibus bonis. In omni loco mater ecclesia spirituales filios parit, & de mortuis viuos in vitam æternam regenerando parturit. Cui us fœcũditatis præmium breuiter contingens,numerum,inquit,dierum tuorum implebo,id est, CAPVT XXXIIII. in seculorum secula, quæ dinumerari non possunt,vitam tuam extendam, & dilatabo. (Terrorem meum mittam in præcursum vestrum,& occidam omnem populum ad quẽ ingredieris,&c.)Hæc ita facta esse nouimus, vt in figura terroris, quo per crucem Christi fulminati sunt, maligni spiritus inimici nostri,cõtigisse veraciter prædicemus. Vnde & ipsi inimicorũ capiti fiducialiter dicamus. O tortuosè serpẽs,q mille per meandros,fraudesq; flexuosas agitas quieta corda, discede, Christus hic est, hic est Christus, liquesce,signum q ipse nosti damnat tuam cateruam. Sed quinam sunt crabrones, de quibus ait: (Emittam crabrones prius,qui fugabunt Euæum,& Chananæũ, & Ethæum antequam introeas.)Qui,inquam,spiritualiter sunt per crabrones intelligendi,quos scimus de equino stercore nasci,quos cõtra Chananæum se missurũ dicit, sicut cõtra Aegyptios muscas misit,nisi ignobiles, & contemptibiles huius mũdi,quos vt nobilis & fortior confunderet,ante conspectũ nostrũ misit, vt per illos cõtrita superbia seculi, pacificè possimus ad vitã æternam ingredi? Isti crabrones qui se tã *1. Cor. 4.* quam purgamenta mundi profitebantur, & omnium peripsema,miluos vicerunt,diabolum pincipem mundi fugauerunt, & omnes pompas eius sub pedibus suis velociter conculcauerunt.(Non eijciam,inquit,eos à facie *1. Cor. 12.* tua,anno vno, ne terra in solitudinem redigatur,& crescant contra te bestiæ.) Hoc est dicere. Non absque legitimi certaminis labore vitia delebo repugnãtia proposito tuo,vel intentioni tuæ, ne extollat te in superbiã repentina gloria victoriæ. Satius enim est pugnare cũ hominibus quã bestijs subdi, id est,tolerabilius est,verbi gratia, colaphizari stimulo carnis,quã deuastari elatiõis stimulo. Hæc enim humana,illa tentatio est diabolica. Ait ergo.(Paulatim expellã eos de cõspe- *Psal. 83.* ctu meo,donec augearis & possideas terrã.) Ac si dicat. Ascensiones quas in corde tuo disposuisti, in hac valle lachrymarum, in hoc loco quem tibi posuisti, in quem ò homo, p

CAPVT XXIII.

ECcè ego mittam angelum, qui præcedat te,& custodiat in via,& introducat ad locum quem paraui.Obserua eum,& audi vocem eius:nec contemnendum putes,quia nõ dimittet cũ pecaueris,& est nomen meum in illo.)Nõ est hic ille angelus,quem promittẽs dominus per Malachiam prophetam: Eccè ego, inquit, mittam angelum meum, & *Malach.3.* præparabit viam ante faciem meam. Ille est nanque Ioannes Baptista propheta,& plus q̃ propheta angelus,id est,nuncius,non præco venturi,sed nuncius atq; index iam præsentis huius magni angeli,de quo confestim idẽ *Hier.14.* propheta subiungit: Et statim veniet ad templum suum dominator quẽ vos quæritis,& angelus testamenti quem vos vultis.Propria huius angeli differentia hic posita est, dicẽte Deo,& est nomen meum in illo. Non dixit, & nomẽ meum super illum, quod rectè dici queat de quolibet infimo electorum, quorũ omnium illa est prophetica vox: Tu autem in nobis es domine, & nomen tuum inuocatũ est super nos:sed est,inquit,nomen meũ in illo,id est, pro naturali diuinitate eodem, quo & ego,censetur nomine. Dicitur enim, & est,æquè vt ego deus,Dominus, omnipotens,inuisibilis,increatus, immensus, æternus,& quicquid de deo substãtialiter prædicatur,vt hoc solũ de nomine intersit,quòd ego ad illum relatiuè pater, ille ad me relatiuè filius dicitur. Hunc ego mittam,qui præcedat te,scilicet aperiendo tibi portas iustitiæ,& custodiat te in via,quatenus q̃ arbitrio non præuales,eius consequaris gratia:& introducat ad locum quem paraui, scilicet mansionibus multis distinctum ab origine mundi,de quo ceciderunt apostatæ angeli, quib.pes superbiæ, & idcirco expulsi sunt, nec potuerunt stare.Obserua eũ,& audi vo- *Psal.33.* cẽ eius.Obserua,inq̃, eum, non à semetipso loquentẽ,& opera mea facientẽ,& audi vocẽ eius,dum sub duobus testibus. s.sermone & opere se in nomine dei patris sui venisse profitetur. Nec contẽnendũ putes,quia non dimittet cũ peccaueris, ne contemnendũ putes quod homo est, q̃ mortalis est, quòd mortuus ex infirmitate hominis, viuit enim ex virtute Dei,habensq; potestatẽ iudicium faciendi,non dimittet cùm peccaueris odio habendo illũ gratis. (Quòd si audieris vocem eius,& feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis,& affligã affligentes te,præcedetque te angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum,&c.)Inimicos Israel,id est, omnium quærentium dominum, & Aegyptum huius mundi fugientium, malignos esse spiritus,eisque Amorrhæi & Euæi,cætera rumq; gentium congruere nomina secundũ interpretationes suas, iam alio loco dictum est,proinde præsentia pertranseuntes,ad alia curramus.

Quomodo fœcunditatem ecclesiæ repromittit, dicendo: Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuo vitio incidisti, paulatim per auxiliũ exercitantis gratiæ perficies, ibis de virtute in virtutẽ, donec videas Deum deorũ in Sion, quod est veraciter augeri & posside re terrã viuentẽ. (Ponam autẽ terminos tuos à mari rubro vsq; ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuiũ.) Spiritualiter aũt termini Christianitatis hi sunt. Per mare rubrum & per desertum populũ intelligimus Iudæorũ, rubrum mare pro parte electorum, qui primi rubente sanguine Christi mundati sunt, & apud quos priores baptisma est ecclesiæ celebratũ: desertum autẽ pro parte reprobo rum, qui propter infidelitatem ab inhabitatore deo & homine Christo deserti sunt. Per mare autẽ Palæstinorum, & fluuiũ magnũ, quem alio loco nominat scriptura Euphratem, quod nos Latinè dicimus frugiferum, multitudinem intelligimus gentium, siue ꝓ sunditatem nationum, ad quas dilatati sunt termini Apostolorum, incipientium ab Hie rusalem vbi (sicut dictum est) primò sacratũ est nostri baptismi mare rubrum. Porrò iuxta literam quatuor climata terræ repromis sionis distincta sunt, dicẽdo à mari rubro vsque ad mare Palæstinorum, & à deserto vsq; ad fluuium. Mare Palæstinorũ alio loco legi mus appellari mare magnũ, quòd iuxta terræ situ ipsorum erat illis cõtra solis occasum.

Quòd sermonis Dei cum Moyse, exordium, medium, & finis, idem sit.

CAPVT XL.

TRadam in manibus vestris habitatores terræ, & eijciam eos de cõspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus, nec cum dijs eorum, non habitent in terra vestra, ne forte peccare te faciant in me, si seruieris dijs eorũ: quod certè erit tibi in scandalum.) Quod sermonis huius fuit exordium, ipsum medium, ipsum & finis est. In exordio nanq; dictum est, Non habebis deos alienos coram me. In medio autem, qui immolat dijs, occidetur, præter deo soli. Porrò hic in fine dicitur, Nõ inibis fœdus cum dijs eorum, &c. Et rectè, quia bonorum omnium radix est, vnius dei diligentissima notitia, idcircò maximè circa hanc tota beneuoli plantatoris impenditur opera. Hac etenim in corde prius radicata & fundata, quicquid inde pullulat, frondet ac floret in gratiam, & fructum affert in vitam æternam: sicut econtrario deorũ alienorum seruitus causa est perditionis, efficiens omnẽ fructum nequam, & mortem afferens sempi
Rom. 1. ternam, testãte Apostolo, cùm dicit: Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quã creatori, qui est benedictus in secula, Amen. & reliqua. Ergo sicut creaturæ seruitus contumelioſum reddit hominem, etiam in exterioribus carnis operibus, sic econtrario fida creatoris adoratio glorioſum illum efficit succedentibus fructibus spiritus. Equidem nos hodie cuncti verbo palam creatoris adoratores sumus: sed auctoribus magnis, Christo videlicet & Apostolo eius, simulachrorum seruitus sic æquiuocatur, vt in illo sacrilegio pleriq; professores Christia *Matth. 6.* nitatis inuoluantur. Nam euangelica auctori- *Lucæ 10.* tate, si auari sumus, non Deo seruimus, sed *Ephes. 5.* mammonæ. Et Apostolus testatur, quia aua *Colos. 3.* ritia idolorum est seruitus. Igitur & hic & supra, vbi dictum est. Non facietis deos argẽteos, nec deos aureos facietis vobis. apud nos idẽ est, ac si dicatur: Non studebitis auaritiæ, non seruietis mammonæ.

Quoto die lex data sit, & quòd altari ædificato ad radices montis, populus trina repetitione dixerit: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.

CAPVT XLI.

VEnit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini atque iudicia. Respondit*que* populus omnis vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.) Memoriter tenendum est, hunc tertium diem mensis tertij (vt superius dictum est) non quinquagesimum, sed quadragesimum nonum esse, à quarta decima mensis primi, id est, ab immolatione agni. Cùm enim iuxta lunarem computationem mensis, alius triginta, alius vndetriginta sit, profectò sedecim dies à quarto decimo, qui residui fuerunt mensis primi, cum triginta secundi, & istis tribus diebus mensis tertij, quadraginta nouem sunt. Num ergo fallimur, dicentes, quia quinquagesimo die data est lex, quia quadragesimo nono die, locutus est Deus cũctos sermones hos, venitq; Moyses & narrauit plebi omnia verba domini, atque iudicia, respondit*q;* cunctus populus vna voce, omnia verba Domini faciemus quę locutus est? Non vtique. Nam vide, quid sequitur. (Scripsit autẽ Moyses vniuersos sermones Domini, & mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos, per duodecim tribus Israel.) Hoc mane quinquagesimus est dies, quo demum lex data est. Quomodo? Misitque (ait scriptura) iuuenes de filijs Israel, qui & abstulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulit itaque Moyses decimam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumens*que* volumen fœderis, legit, audiente populo. Qui dixerũt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Quæ professionis tertia repetitio plena, insolubilis quoque iam confirmatio est. Nam & primo die mensis, dixerunt: Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, & tertio die dixerunt: Omnia verba Domini, quæ locutus est Dominus, faciemus: & hic dicunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.

(Ille

(Ille verò sumptum sanguinem, respersit in populũ, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dñs vobiscum, super cunctis sermonibus his.) Ac deinceps. Dixit aũt dominus ad Moysen: Ascende ad me, in montem, & esto ibi, daboq; tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ scripsi.) Hic demum solennis & ritè peracta legislatio est. Nam præterito die, quadragesimo nono erat, ꝙ factum, quasi quædam catechizatio est dicenda. Aliud nẽpe est dicere, eccè lex sub qua militarevis: si potes obseruare, ingredere: si non potes, liber discede: aliud, postulatæ legis ꝓfessionẽ confirmatã manu propria signare.

De dedicatione testamenti, post ædificationem altaris in sanguine duodecim vitulorum.

CAPVT XLII.

Hebr. 9. APostolus loci huius memor, cũ dixisset: Testamentum enim in mortuis cõfirmatum est, alioquin nondum valet dum viuit, continuò subiunxit: Vnde nec primũ quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiẽs sanguinem vitulorum & hircorũ, cum aqua & lana coccinea, & Hysopo, ipsum quoq; librum & omnem populũ aspersit, dicens: Hic sanguis testameti, quod mãdauit ad vos deus. Dedicatum hic primũ asserit testamentum, in eo ꝙ ædificato altari cum duodecim titulis duodecim tribuũ, legem recitatam profitentium & immolatis victimis, dimidiã partem sanguinis fundens super altare, reliqua parte Moyses populum aspersit, dicẽs: Hic est sanguis fœderis. Quid autẽ esse putamus hanc dedicationẽ testamẽti, nisi acceptionem conscriptionis propter promissiones testatoris, vt ipse eis in deum, ipsi autem illi essent in populum, secundum similitudinem fœderis maritalis? Nam hinc
Ezech. 16. est, quod in Ezech. inter cætera dicit. Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda, & confusione plena. Et transiui per te, & vidi te, & eccè tempus tuum tẽpus amantium. Et expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iurauit tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus deus, & cætera. Igitur huius quinquagesimi diei magna & digna memoria, qua mulier illa, scilicet synagoga, quæ in Aegypto multiplicata fuerat, & grandis effecta, iamque (vt ait idem propheta) ad nundum muliebrem peruenerat, quæq; in die ortus sui præcisum vmbilicum non habens, nõ fuerat lota aqua, in salutem, multis enim dijs seruire incœperat, vni viro, vni deo facta est & lota aqua, & emundata à sanguine suo, vestita & calciata est, & cuncta iustitiæ accepit ornamenta, quæ sub nominibus ornatuũ idem propheta diligenter dinumerat. Dicit
Hebr. 9. autem Apostolus supra dicto capitulo: Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostijs quàm istis. Cælestia sunt secundum Euangelicam vel Apostolicam fidem sancta *Hebr. 8.* illa, quæ introiuit Iesus, id est, ipsum cælum, vt appareat nunc vultui dei pro nobis. Hæc autem sancta populo illi tradita illorũ sunt exemplaria, quemadmodum idem Apostolus, cum testimonio scripturæ præsentis ait: Si ergo essent super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium, sicut responsum est Moysi, cùm consummasset tabernaculum. Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, ꝙ tibi ostensum est in monte. Proinde præsentem locũ in cælestibus, quorum hæc & cætera quæ sequuntur exemplaria sunt, iam nũc libet conferre diligentiùs. CAPVT XXXIIII

Quod sanguis vitulorum sanguinem cælestis hominis Christi significet.

CAPVT XLIII.

PRimò sanguis vitulorũ, quo hæc exemplaria mundata sunt, sanguinis exemplar fuis cælestis hominis Iesũ Christi, quo cælestia simul & terrena pacificata sunt. Salutis nanque, quam sanguis eius in veritate contulit, signum hircorum vel vitulorum sanguine præcurrit. Porrò, quòd iuuenes potius ꝙ *Psal. 102.* senes de filijs Israel Moyses misit, vt offerrẽt holocausta, illius sunt iuuentutis exemplar, de qua Psalmista: Renouabitur, inquit, iuuẽtus tua, vt aquilæ. Neque enim veteres, sed nouos homines: neque in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus missurus erat Dominus Iesus Christus duodecim Apostolos, sacerdotes nouos, noui & veri sacrificij ministros. Quid deinde nobis illud exẽplificat quòd dimidiam partem sanguinis super altare fudit, & dimidiã in populum respersit: nisi quòd cælestia duo simul de vno eodemque deriuata sunt sanguine Christi filij Dei, alterum quo per baptismum in remissionẽ peccatorum aspergimur: alterum quo verũ, cum carne vera, sanguinem de sancto altari sumimus? Missus itaque sanguis in crateras, partim in altare funditur, partim in populũ respergitur: quia reconditum verbum do- *Hebr. 9.* minicæ passionis, in Apostolorum omnium que sacerdotũ Christi cordibus sic per os linguamq; illorum in hæc sacramẽta diffunditur, vt & veraciter in mortẽ Iesu Christi baptizati, sanguine eius respersi simꝰ, & de sancto altari sanguinẽ eius in veritate bibamus. Apost. aspersionem illam exemplarem cum aqua & lana coccinea & hysopo factam esse testatur. Sic nimirum & de latere Christi cũ aqua effluxit, & idcircò rectè, cum vino a qua misceri in sacramento sanctæ Ecclesiæ, fides Apostolica sanxit. Quòd autem in celebratione sancti baptismi, aqua per verbum crucis, per potentiam sancti spiritus, virtutem accipiat sanguinis Christi, ad abluenda peccata credentis, nullus dubitat fidelis.

Hysopus,

Universidad de Deusto Biblioteca

Hysopus. Hysopus, herba humilis, humilẽ significat fidem dominicæ posionis, quia sicut illa tumorem pulmonis, sic fides Christi superbiã cordis sanando deprimit. Per lanã coccineã, propositam nobis eiusdem pasiõis imitationem intelligimus, quia Christus passus est, p nobis (vt ait beatus Petrus Apostolus) vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sed & ipsum librum aspersum esse Apost. asserit: quia videlicet sic sancta scriptura penè vbique fidem continet pasionis Christi, vt sine illa nullatenus intelligi possit. Absq; aspersione huius sanguinis, Deum nemo videbit. Nã nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu S. (Christus ait) non potest videre regnum Dei. Item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Benè ergo ante quam sanguine illo exemplari respersus fuisset populus, ait dominus: Descende & contestare populum, ne fortè velint transcendere terminos ad videndum, & pereat ex eis plurima multitudo at nunc post aspersionem: (Ascenderunt, inquit scriptura, Moyses & Aaron, & Madab, & Abiu, & LXX. de senioribus Israel, & viderunt deum Israel. Sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphyrini, & quasi cælum cùm serenũ est. Nec super eos qui procul recesserãt de filijs Israel misit manum suam, videruntq; deum, & comederũt & biberunt) Viderunt deum Israel, sed non sicuti est. Non enim, inquit, videbit me homo & viuere potest. Et longè post visionem istã, deũ (inquit Ioan. Euangelista) nemo vidit vnquã. Ergo & visio hæc, cælestis visiõis dei, qua videbm⁹ eũ sicuti est, exemplar est. Quod em̃ dicitur sub pedib. eius quasi opus pidis Sapphyrini, & quasi cælum cũ serenũ est, regni illius, in quo videdus promittitur, soliditatem, puritatem, atq; altitudinem mystic̃ innuit. Nec super eos, inquit, qui procul recesserant, de filijs Israel, misit manum suam. Tanquam diceret: Antequam respersi essent sanguine fœderis, q̃ pepigit cũ eis Dominus, miserat super eos manum suam, manum terribilẽ ac tremendam, dicendo: Omnis qui tetigerit montem, morte morietur, lapidib. opprimetur, aut confodietur iaculis: nunc autem quia fœderati, quia sanguine fœderis erant conspersi, non misit super eos manum suã, non prohibuit eos à visione sua, qui præ timore superius dicto procul recesserant, terminosq; cõstitutos ascendere nõ audebant. Videruntq; deum, sicut iam dictum est, & comederũt ac biberũt, quod totũ illius fuit visionis exemplar, in qua comedemus ac bibemus, eademq; visione saturabimur, & inebriabimur. Dicit enim Psalmista: Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Item: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

1. Pet. 2. *Ioan. 3.* *Marc. 16.* *Exod. 19.* *Exod. 33.* *1. Ioan. 4.* *Exod. 19.* *Psal. 16.* *Psal. 36.*

De eo quod dictum est: Ascende ad me, & esto ibi. Et de duabis tabulis lapideis, digito Dei scriptis.

CAPVT XLIIII.

DIxit autem Dominus ad Moysen: Ascẽde ad me in montem, & esto ibi: Daboq; tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israel. Surrexerũt Moyses & Iosue ministere ius.) Et suprà dictum est: Ascenderunt Moyses & Aaron & Abiu, & LXX. de senioribus Israel, sed non dictum est: Ascenderunt ad dominum, hic autem dictum est, ascẽde ad me, quod significat, illum inuitari ad colloquiũ familiare, additumq; est, & esto ibi, subauditur, non vna hora, vel vno die, sed esto ibi, id est, mane ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Daboq; tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mãdata quæ scripsi: non ait, & legem quam scripsi, sed mandata quæ scripsi: legẽ enim Moyses ipse scripsit, sicut & de iudicijs supra scriptis dictum est, quia scripsit Moyses vniuersos sermones domini: mandata autem digitus Dei scripsit, sicut ipse Moyses in Deut. dicit: Deditq; mihi Dñs duas tabulas lapideas scriptas digito dei. Et hoc cælestiũ exemplar fuit. Quorum cælestiũ? Eorũ videlicet quæ facta sunt per nouum hominẽ Iesum Christũ, qui ascendit ad deum, non in montẽ terrenũ, sed in ipsum cælum, vt acciperet nobis nõ occidentẽ literam, sed viuificantẽ spiritum. Vnde est: Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatẽ, accepisti dona in hominibus. Quæ dona? Et ipse dedit quosdã quidem Apostolos, quosdã autẽ prophetas, alios verò euangelistas, alios autẽ pastores & doctores. Hæc & huiusmodi dona spiritualia scripsit nobis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalib. Scripsit autem nõ calamo neq; atramento, sed digito dei, id est, spiritu S. Nam L. die, postquã resurrexit à mortuis, cuius etiam hic dies L. exemplar fuit, cũ essent oẽs discipuli eius pariter congregati, missus est ad scribendum hic dei digitus, hic spiritus S. multiplex, subtilis, disertus, certꝰ ac discretus. Prima scriptoris experientia claruit in hominibus, qui prius erant idiotæ, & sine literis, in eo quod statim cœperũt loqui linguis magnalia Dei. Illa & quæ deinceps subsecuta sunt, opera cælestia fuerunt, vt rectè hic scriptura data in tabulis lapideis, illorũ dicatur exemplar cælestiũ. Nam de huiusmodi dictũ est: Quoniam videbo cælos tuos opera digitorũ. Sed dicit quis: Istæ tabulæ lapideæ digito dei scriptæ, postmodũ confractę sunt. Reuersus nãque Moyses de monte, cũ appropinquasset, vidit vitulũ & choros, iratusq; valdè, proiecit de manu tabulas, & cõfregit eas ad radices mõtis. Quid hoc ad exemplar pertinuit cælestium? Planè & hoc pertinuit, quia videlicet gens illa, cuius tabulis prius inscripta sunt dona cælestia digito Dei, eccè rebellãdo confracta atq; proiecta est. Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorũ, & scribam super eas verba quæ habuerũt tabulæ quas fregisti. Istæ iuniores tabulæ nõ cõfractæ sunt.

Deut. 9. *Psal. 67.* *Ephe. 4.* *2. Cor. 3.* *Actor. 2.* *Psal. 8.* *Exod. 32.* *Exod. 34.* *Actor. 13.*

Etenim

Etenim reprobatis illis, quib. oportebat primùm loqui verbum Dei, gentibus annunciatum est, & ibi scriptura digiti dei permanet. Sanè secundum literaturæ ordinem, sic mandata in duabus tabulis illis distincta sint, vt in altera continerentur, quæ ad dilectionem dei pertinent, quorum primum est, non habebis deos alienos coram me. in altera quæ ad dilectionem proximi, quorum primum est: Honora patrem tuum & matrem tuam. Vnde & Apost. hoc primum dicit mandatũ.

Ephe. 6.

Quomodo Moyses durare potuerit sine cibo quadraginta diebus.

CAPVT XLV.

CVmq; ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegẽs illum nube VI. diebus.) Gloriam domini habitasse super Sinai, dixit: quia expertus est magnã & glorioſam multitudinem dulcedinis domini, quam abscondit quidem timentib. se, sed huic ostendit nõ parua ex parte, vt in illa epularetur, non vno die, sed quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Nam quasi quæreres, quomodo tã diu durauit homo sine cibo, & sine potu, cũ vltra septem dies natura humana sine omni alimonia durare non possit. (Septimo autem die, inquit, vocauit eum de medio caliginis.) Fuerit hoc omninò humanæ possibilitatis, quòd præ auiditate cælestiũ epularum VI. diebus panem non comedit, & aquam non bibit. Cæterùm, ni si VII. illum die dominus vocasset, natura hominis in semetipsa residens, in breui penitus aruisset. Vocauit ergo illum de medio caliginis, cuius vox suauis, ac super mel & fauum est dulcis, & vocatione sua sic inopem hominis naturam ditauit, vt vsq; ad XL. diem nõ solùm cibi & potus, sed & totius humanæ conditionis posset obliuisci. Sic in semetipso meruit experiri, vt veraciter diceret, quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quòd procedit ab ore dei. Item nec in Helia ieiunante similiter quadraginta dieb. & quadraginta noctibus, scriptura tacuit, quòd non hoc de hominis possibilitate habitum, sed de virtute dei, pro munere sumptum est. Vbi enim illum angelus domini secundo tetigit, dicẽs: Surge & comede, postquam comedit & bibit, statim subiunctum est: Et ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In fortitudine cibi illius scriptura sic dixit, vt subintelligas, q̃ non erat nec esse poterat in natura quamlibet fortis & in ieiunijs exercitati hominis. Vtiliter satis prouidit diuinitas, quatenus idoneum haberet testimonium Christi humanitatis. Ille nanq; ieiunare habebat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vt pro gula peccatoris primi hominis innocens hic homo secundus, ordinata satisfactio ne vapularet, nobisq; que in se credentib. quẽ ille manducando perdidit cibum vitæ æternæ ieiunando acquireret. Sed hoc (vt prædictum est) supra naturam hominis est, & idcircò hæretica prauitas, quæ illum nó verè, sed in phantasmate hominem apparuisse cõtendit, tam diuturnum ieiunium in suæ vesaniæ patrocinium procaciter arripuisset. Vtiliter ergo nobis (vt iam dictum est) diuinitas prouidit, vt duos testes veritatis ieiunantis hominis Christi, humanitas obtineret, alterum scilicet ex lege, alterũ ex prophetis. Imò si libet dicimus, quia non duos tantum, sed & tres habuit testes in hoc negotio hic Deus & homo verus saluator noster. Vnus enim Moyses, secundo ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Igitur in ore non tantum duorum, sed etiam trium testium stabit & hoc verbum.

Psal. 30. *Deut. 8.* *3. Reg. 19.* *3. Reg. 19.*

Quid sit quòd Moyses præcepta capescens, egressus in medium nebulæ, montem ascendit, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

CAPVT XLVI.

ERat autẽ species gloriæ Dñi, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel.) Talis quoq; species gloriæ domini, cælestium exemplar fuit. Nam vbi L. die (sicut suprà dictum est) gratia cælestis effulsit, erat itidem species gloriæ domini quasi ignis. Et apparuerũt, in q̃t, illis dispertitæ linguę, tanquã ignis, seditq; sup singulos eorum. Vtrobiq; viuacitas ignis zelũ & feruorẽ spiritus aduersus peccata præsignauit. (Ingressusq; Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta dieb⁹, & quadraginta noctibus.) Nebulam siue caliginem, quã in his locis scriptura sæpius expressit, nõnulli lucem inaccesibilem dixerunt, videlicet, quia dicit Apostolus: Quem vidit hominum nemo, nec videre potest qui lucem habitat inaccesibilem. Verũ hic sensus, vt in vocabulo nebulæ siue caliginis lux intelligatur, per antiphrasim pluribus scripturarum tractatorib. non complacuit. Porrò præter typicam intelligentiam, id q̃ Moyses medium nebulæ ingreditur, moraliter quoq; appetendam esse quietem atq; cordis munditiam, eis qui ad contẽplationẽ tendunt, innuit. Quid enim est, q̃ hic vt sublimia dei præcepta perciperet, alta conscendit, atq; vt interna penetraret, ab exteriorib. tumultibus occultatus est: nisi quòd sancti viri, qui exterioribus ministerijs deseruire officij necesitate coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt, ibiq; cogitationis intimæ cacumen ascendunt? Et legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice, supernæ voluntatis sentẽtiam perscrutantur.

Actor. 2. *1. Thim. 6.*

LIBRI TERTII IN EXODVM FINIS.

RVPERT

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN EXODVM COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

De tabernaculo Moysi, quòd cæleste tabernaculum exemplar eius fuerit.

CAPVT I.

Exod. 23. Abernaculum verum quod fixit deus, & nó homo, tabernaculi q̃ fixit Moyses, exemplar fuisse, auctor est idem Deus, & non homo. Ait enim: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. *Hebr. 9.* Cuius dicti memor Apostolus: Non enim in manufacta, inquit, sancta, Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum. Hęc tanta auctoritas architecti dei illius tabernaculi manufacti structuram toti mundo spectabilem fecit. Vbi? In hac sancta & veridica scriptura, quæ retinuit, & obliuioni sustulit ædificationis illius mensuras vniuersas, numerosq̃ & pondera. Diuertunt huc omnes, qui in hoc mundo peregrinantur, regni cælorum milites, qui pertranseunt, & manẽtem hic ciuitatem non habentes, futuram inquirunt: atque cæleſtium, quæ iam ex parte *Psal. 83.* cognoscunt, hic exemplaria contemplantur, vt proficiant ad cognoscendum. Qui & mirantes, dicũt, Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum. Et nos igitur quos ad hũc locum, recta præpositi nostri via perduxit, paulisper immoremur hic, quatenus ex pulchritudine tabernaculi allecta, concupiscat & deficiat anima nostra in atria domini, corde & carne exultantibus in deum viuum, vbi passer domum, & turtur inuenit sibi nidum. Aspiciat deus & passerem secundũ cor, in illam cœlestem domũ tendentem, & turturem secundum carnem præsenti tabernaculo laborantem, & quia tam sancta quàm alta sunt quæ molimur, auxiliũ gratiæ eius, & ad benè cogitandum præueniat passerem, & ad benè agendum subsequatur turturem.

Cur Apostolus versa dictione tabernaculum Moysi exemplar dicat fuisse cæleſtis tabernaculi.

CAPVT II.

PRimùm quærere libet, cur in ratione exemplarium, diuinæ dictionis Apostolus immutauerit modum. Nam Deus dicit, iuxta omnem similitudinẽ tabernaculi, quod ostensum tibi, & omnium vasorum in cultũ eius, sic facietis illud. Item: Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Manifeste hic eorum, quæ mandabat facere Moysi, ea quæ demonstrabat illi exemplaria esse dixit. *Hebr. 8.* Econtra Apostolus, ea quæ fecit Moyses, illorum exemplaria nũcupauit, quæ deus illi demonstrauit. Ait enim: Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cælestium. Et continuò subiungit testimonium iam dictum, quo deus cælestia potius exemplaria esse dixit terrestrium. Sicut responsum est Moysi: Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Hoc ergo quærimus, & deo donante, citius inueniemus. Moysi deus loquebatur, & ei cælestia, priusquam faceret terrestria, spiritualia prius demonstrabat, quàm faceret carnalia. Quomodo vel quali visione demonstrabat? Visione interna, visione prophetica. Loquebatur enim illi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Quomodo solet homo loqui ad amicum suum: Non celando illi consiliũ suum, faciendo illum secretorum suorum conscium. Cùm ergo loqueretur ad illum, sicut loqui solet homo ad amicum suum, nunquid illi occultaret summum amicitiæ suæ fructum, id est, futurum Christi filij sui cæleste sacerdotium? Immò tam de præteritis quàm de futuris docuit eum. Nunquid non cum auctoritate scripturæ Mosaicæ, dicit Ioannes: In principio erat verbũ, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum, hoc erat in principio apud deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil? Et enim prior ille sic locutus est, quia dixit deus, fiat, & factum est, quod æquipollens est. Nam si dixit, fiat, & factũ est, per verbũ factum est. Ergo multò magis illud amico suo non abscondit, quòd verbum caro futurum esset: quòd Deus & homo Christus, propitiatio p̃ peccatis nostris futurus esset: quod idem in tabernaculo suo (quod est præsens ecclesia) mensam corporis & sanguinis sui positurus esset: quodq̃; idipsum tabernaculum Christus, ipse magnum candelabrũ cunctis spiritus sancti donis lucens illustraturus erat. Itaque quoniam prius hæc spiritualia siue cælestia vidit, & postmodũ carnalia populo illi sancta sanctorum fecit, ipsa cælestia illi exemplaria dicuntur & sunt. Porrò Hebræi (ad illos enim illa epistola Apostolus loquitur) prius tabernaculum manufactum, prius arcam, propitiatorium, mẽsam, candelabrum, & cætera omnia manufacta nouerunt, & de illorum similitudine commonebantur ab Apostolo, vt se extenderent ad cognitionem cælestium. Rectè igitur istis econtra

Exod. 33. Quomodo cum Moyse loquebatur Deus.

econtra terrestria hæc dicta sunt exemplaria fuisse cælestium, exemplaria verorum, exemplaria, inquam, & vmbræ futurorum. Iã nũc tabernaculi ipsius structurã Deo duce, & cãdelabro, q̃ ille est, prælucente, ingrediamur.

De primitijs quas dominus ad constructionem tabernaculi iussit tolli.

CAPVT III.

CAPVT XXV. LOcutusq̃; est dominus ad Moysen, dicẽs: Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias. (Exponens quid dixerit, vel quid intelligi voluerit, dicendo primitias, continuò subiũxit: (Ab omni homine qui offert vltroneus accipietis eas.) Vltroneus offert, qui nó coacta seruitute, sed spõtanea charitate quippiam offert. Ergo charitatis oblationes, siue magnæ siue paruę sint, primitiæ domino sũt, & ad cælestes tabernaculi eius ornatum proficiunt. Ecõtra quicquid ex tristitia offertur, serotinum est, & ad decorem domus domini proficere non potest. *2. Cor. 9.* Proinde Apostolus cũ dixisset: Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: continuò subiunxit: Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit deus, &cæt. Benè ergo dixit, quod opportunè audiant omnes tabernaculi Dei, id est, ecclesiæ Christi adiutores ab omni homine, qui offert vltroneus accipietis eas. Quod de corporalibus dictum est, itidem de spiritualibus dicendum est, & sentiẽdum. *Matth. 5.* Nam quicquid boni, siue corporale siue spirituale sit, si idcirco facimus coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent pãtrem nostrum qui in cælis est, primitiuum est, & primitiarum acceptor Deus suscipi iubet. Econtra, si quis faciat coram hominibus, ad hoc tantum vt videatur ab eis, nullam sibi in tabernaculo Dei collocat memoriam. Nam in eo quod visus est ab hominibus, recepit mercedem suam.

Item de eisdem, & quòd minora interdum maioribus charioraſint Deo pro intentione offerentis.

CAPVT IIII.

HAec sunt aũt, quæ recipere debetis: Aurum, & argentum, & æs, & hyacinthũ, & purpuram, coccumq̃; bis tinctum, & byssum, & pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas, & ligna Sethim, & cætera.) Ergo vt primitiæ sint, quæ offerũtur, non oblationum quantitas, sed offerentium bona efficit voluntas. Multum enim ab auro & argento, pili caprarum in precio differunt, & tamen sub eodem vocabulo primitiarum positi sunt. Nec dubitandum, pilos caprarum, & pelles arietum, interdum auro & argento, lapidibusq̃; preciosis, priora fuisse apud cordium inspectorem Deum. Nam eiusdem tabernaculi Deus ac dominus, cum sederet contra gazophylacium aspiciens, quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, multiq̃; diuites iactarent multa, venit vna vidua pauper, & misit duo minuta, quod est quadrans. Et conuocans discipulos suos, ait illis: *Mar. 12.* Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pau- *Luc. 21.* per, plus omnibus misit. Omnes enim quod abundabat illis miserunt, hæc verò de penu CAPVT. ria sua omnia quæ habuit, misit totum victũ XXV. suum. Porrò quæ ad spiritualem ædificationem conferantur, spiritualia bona sunt, quorum vtiq; cui plus cõmittitur plus ab eo exigitur, ad cõsummationem cælestium sanctorum, quorum illa (vt sæpè dictum est) nobis exemplaria sunt. Vndè cum dixisset Apostolus: Et ipse dedit quosdã quidem apostolos, *Ephe. 4.* quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem doctores, & pastores, signanter adiecit, ad consummationem sancto rum, in opus ministerij, in ædificatiõem corporis Christi. Hæc & huiusmodi dona grandia, aurum sunt, argentum sunt, lapides precioſi sunt. Videmus, quia legimus longos ordines beatorum hominum, virorum pariter ac mulierum, puerorũ ac puellarum, ad cælestem ministerium Christi procedentium, qui in sanctuarium domini talia fideliter ac deuotè obtulerunt. Et nos igitur exigui, quoniam tale quid cælesti offerre sacerdoti non possumus, ne tamen vacui omninò coram illo appareamus, bona voluntate ad videndum sanctuarium alacres ingredimur, placere nobis omnia veraciter profitentes, sacerdotis ordinem, ministrãtium religionem, offerentium charitatẽ. De argento & auro, cæterisq̃; primitijs, quæcunq; ab vltroneis oblata accipi iubentur, quam significationem habeant, suis in locis prout singula in opera expenduntur, pro posse dicemus. Et quàm verè dictum sit, & habitabo in medio eorum, cum fecerint mihi sanctuarium, ipsa lectionis mysteria declarabunt. De similitudine tabernaculi, quod ostensum est Moysi, iam suprà dictum est. Principiũ ædificationis arca est, quæ sic incipit.

De arca, quòd incarnationis dominicæ vel corporis ipsius mysterium fuerit, & qui sint vectes, quibus debeat portari.

CAPVT V.

ARcam de lignis Sethim compingite, cuius lõgitudo habeat duos & semis cubitos. Latitudo cubitum & dimidium: altitudo cubitum similiter, & semissem, & deaurabis eam auro mundissimo intus & foris. Faciesq̃ue suprà coronam auream, per circuitum, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos.) Arcam, inquit, de lignis Sethim, ligna Sethim imputribilia sunt spinosa, & à qualitate albæ spinæ nõ multum distantia. Principio sanctuarij arca compingitur, quia principio sãctæ ecclesiæ filio Dei, corporis humani membra compegit ex virgine sanctus spiritus. Compingitur autem arca de lignis Sethim, lignis imputribilib⁹, quia de semine patrum fidelium, æterna memoria redolentium, Dei filius est incarnatus. Cuius, in-

Mysteriũ arcæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius, inquit, lógitudo habeat duos & semis cubitos, latitudo cubitum vnum & dimidium, altitudo similiter cubitum & semissem, videlicet, vt homini salua reuerentia sit accessibilis, & attrectabilis intus & foris, prout est mẽsura vel statura hominis. Staturæ namq; humanæ longitudo, à planta pedis vsq; ad collum, tricubitalis est. Cum ergo altitudo arcę tantum vnius cubiti sit ac semissis, palam est, quia curuaturam corporis humani non excedit: & longitudo cum sit duorum cubitorum ac semissis, porrectis manibus ad dexteram & ad sinistram ad quemlibet actum religionis vltrò accedit. Latitudo cubiti quoq; ac semissis liquet incumbentis manibus, quã accommoda sit. Quod totum mystícè nobis illud innuit, quia incarnata diuinitas, omnibus modis mensuræ, id est, capacitati hominis, benigna se charitate indulsit. Deus appropinquans in terra visus, & cum hominibus conuersatus est, oculis hominum expositus, auribus hominum propositus, manibus hominum appositus est. Quod fuit ab initio, inquit Ioannes, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerũt. Et deaurabis, inquit, eam auro mundissimo intus & foris, quia verę diuinitatis auro, & intus per insitam sapientiam, & foris per diuina opera clarificatus est Christus, quod sit Dei filius. Faciesque supra coronã auream per circuitum. Suprà corona aurea arca circundatur, quia filio Dei quasi diadema capitis est, hic miserationis ornatus, quod & per bonitatis gratiam voluit, & per maiestatis potentiam valuit hominem assumere, quod non potuisset nisi Deus. Creaturarum quippe ordo vel natura nõ patitur, vt altera alteri substantialiter inseratur, verbi gratia, homo angelo vel homini angelus, ergo & pro hac humilitate omnipotẽtissima mirabilis, verus, & victoriosus prædicetur Deus. Et IIII. (inquit) circulos aureos, quos pones per IIII. arcæ angelos, quia videlicet in eo quod per IIII. mundi partes fides incarnationis Christi dilatata tenditur, proculdubio IIII. sancti Euangelij libris accincta prædicatur. (Facies quoque vectes de lignis Sethim, &c.) Vectes de lignis Sethim siunt, qui eisdẽ ad potandum circulis inseruntur, quia fortes & perseuerantes doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui institutioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ ecclesiæ vnitatem denuntiẽt, & quasi intromissi circulis arcam portent. Vectib. quippe arcam portare est, bonis doctoribus sanctam ecclesiam ac rudes infidelium mentes prædicãdo deducere. Et operies eam, inquit, auro, videlicet cum splendore sermonis alijs insonant, ipsi etiam splendore vitę fulgescãt. Qui semper erũt in circulis, nec vnquam extrahentur, ait, id est, semper excubabunt in sacris libris, & nunquam recedent à studio sacræ lectionis. Ad hoc enim vectes in circulis semper esse iubentur, vt cũ portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectib. portandi nulla haberetur tarditas. quia videlicet cum spirituale aliquid subditus à pastore inquirit, ignominiosum valdè est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. (Semper ergo vectes in circulis erũt, inquit, ad portandam arcam parati.) Id est, qui ad prædicationis accedunt officium, semper erunt parati ad reddendam rationem omni petenti de ea, quę in ipsis est fide Iesu Christi. (Ponesque in arca testificationem, quam dabo tibi.) Subauditur vrnam auream, habentem manna, & virgam Aaron, quæ fronduit, & tabulas testamenti.

Baruch. 3.

1. Ioann. 1.

1. Pet. 3.

De propitiatorio, quòd dominicæ passionis signum fuerit. Et quid mystícè sint duo Cherubin, & cur dictum sit, inde præcipiam tibi.

CAPVT VI.

FAciesq; propitiatorium de auro mundissimo. Duos cubitos tenebit, & dimidium longitudo eius, semissem & cubitum latitudo.) Longitudinis & latitudinis eiusdẽ propitiatorium, cuius & arca est, quia videlicet eadem charitatis intẽtione filius Dei pro nobis passus, qua & incarnatus est. Propitiatorium namque nobis idem incarnatus Deus est, sed per passionem & mortem suam. Per illam enim propitiatus nobis est Deus, & per illam peccatorum remissionem accepimus, in qua baptizati sumus (vt ait Apostolus) quicunq; baptizati sumꝰ in eodem Christo Iesu. Ergo quia nisi Deus incarnatus, etiam mortuus fuisset, ipse solus maneret. Post arcæ fabricam, facies, inquit, & propitiatorium. Vnde? de auro mũdissimo. Aurũ diuinæ in Christo substãtiæ significat preciũ: Signãter & expresè dixit mundissimo, quia videlicet ex eo quod Deus ab omni est sorde mundissimus, ex eo, inquã, propitiatorium nobis factus est Christus Dei filius, ex eo peccata mũdi tollere potuit agnus Dei sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Hoc duo testamẽta consonis vocibus cathegorizant, hoc lex & Euangeliũ vno spiritu, eodemq; sensu prædicãt. Sequitur ergo: (Duos quoq; Cherubin aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi.) Iuxta literã, qualis factura, qualis vel vndè sumpta fuerit Cherubin forma nõ exprimit scriptura, creaturæ tamen angelicæ monumentũ est, quam fortitudinem cum gladio flammeo atq; versatili, ante paradisum collocatam in Genesi scriptũ est, cui licentia pictorum alas effingit, nõ sine auctoritate scripturæ præsentis. Videlicet propter velocitatem naturæ spiritualis. Sequitur enim: (Vtrunq; latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operiẽtes oraculũ.) Id est, propitiatorium. Sequitur adhuc: (Respiciantque mutuò versis vultibus in propitiatorium.) Respiciãt, inquit, non aspiciant. Nempè & alis propitiatoriũ operire & mutuos vultus in se conuertere, id est, non ante se aspicere, sed alam versus caput diuertẽdo, in alterutrũ respicere. Porrò iuxta prædictam exemplarium rationem, duo Cherubin, quòd nomẽ plenitudo scientiæ interpretatur, duo testamenta sunt, vndè scientiam Dei sitientes haurimus, vbi nihil deest eorũ, quæ de Deo quærẽda vel scienda sunt. Duos ergo, inquit, Cherubin aureos, & productiles facies. Duo Cherubin, duo testes sũt, quorum in ore stat omne propitiationis nostræ verbum. Aurei sunt, quia vetus & nouum testamentum eadem Dei sapientia vera lucent, eadem simplici veritate descripta sunt, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multũ. Productiles, quia profecto inter tunsiones & pressuras, sancta vtriusq; testamenti scriptura condita est. Expandunt alas suas, & oraculum protegunt, quia videlicet humilitatem crucifixi domini nostri Iesu Christi, à Iudaicis vel hæreticis blasphemijs defendũt. Nam Iudæi putarunt eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum, ipse autem duobus Cherubin attestantibus, vulneratus, est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore eiꝰ sanati sumus. Mortuus est pro gẽte, & nõ tantũ pro gente, sed vt filios Dei, q̃ dispersi erãt, cõgregaret in vnũ. Versis vultibus respiciunt in propitiatoriũ, quia vtraq; testamẽta in nullo à se discrepant. Quod enim vnum promittit, aliud exhibet, & ita dispositum inter se mediatorem Dei & hominum vident: Facies à semetipsis Cherubin auerterent, si quod vnum testamentum promittit, aliud negaret. Quo operienda est, inquit, arca. Ergo propitiatorium sublimius quàm arca, & ita dictum est, quo operienda est arca, ac si diceretur, cui submittenda est arca. Vnde Apostolus: Supraque eam Cherubin gloriæ obumbrãtia propitiatorium. Hic quidem neutro genere obumbrantia dictum est. Cæterùm masculino genere Cherubin enuntiari, ex hoc loco duos quoq; Cherubin aureos & productiles facies, ex alijs plerisq; locis magis patet. Et notandum, quàm sonora dixit Apostolus enũtiatione, supraq; eam Cherubin gloriæ. Duo nempè testamenta vbiq; gloriã filij Dei spirare sapit quisquis spiritus sancti delibutus est vnctione. Alterum namq; eorum inquit, gloria & honore coronasti eum. Alterum verò, & vidimus gloriã eius, gloriã quasi vnigeniti à patre. In his quidem dictis, nomen quoq;, sed vbique in tota serie scripturarum, res est gloriæ, personantis iugiter consona fide. Inde præcipiam, inquit, & loquar ad te super propitiatorio, scilicet ac medio duorum Cherubin, qui erũt super arcam testimonij. Quid est, inde præcipiam, & loquar ad te? Nunquid non aliunde poterit homo responsa Dei percipere? Nõ vtiq;. Nã nisi per mortem Christi filij sui, parietem inimicitiarum Deus diruisset, non erat accessus homini ad Deum, non erat aliud, quòd daret homo reconciliationis pretium. Per mortem repropitiatoris huius reconciliati sumus, & perinde recõciliationis spiritum accepimus, de quo alibi Propitiator ipse dicit: Nisi abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autẽ abiero, mittam eum ad vos. Ergo quia per illum paraclẽtum accipimus, qui docet nos omnẽ veritatem, & quæ ventura sunt annuntiat nobis, inde, inquit, præcipiã & loquar ad te cuncta quæ mandabo per te filijs Israel.

Isa. 53.

Ioan. 11.

Hebr. 9.

Ephes. 2.

De mensa, quòd refectionem significauerit eiusdem corporis & sanguinis domini, et de coronis eius & circulis, vectibus, vasis quoque ac propositionis panibus.

CAPVT VII.

FAcies & mensam de lignis Sethim, habẽtem duos cubitos longitudinis, & in latitudinem cubitum, & in altitudinem cubitũ ac semissem, & inaurabis eã auro purissimo.) Duos, inquit, habentem cubitos longitudinis, longitudo hæc vni tantum homini assidenti satis expeditè accommoda est. Et in altitudinem cubitũ ac semissem. Altitudo hæc paulò sedentis hominis genu supereminet. Et in latitudinem cubitum. Latitudo hæc oppositum conuiuam seorsum aut diuisiuè epulantem non sustinet. Quæ est hæc mensa post propitiatoriũ parata in tabernaculo domini, nisi mẽsa corporis & sanguinis domini, initiũ habens à passione eiusdem domini nostri Iesu Christi? Siquidem dum anxiaretur iã venditus, & continuò tradendus, dum tristis esset vsq; ad mortem anima eius, dum factus in agonia prolixius oraret, & sudor eius velut sanguis in terram decurreret, interea propitiationis & redemptionis nostræ opifex mensam parauit, accipiendo panem, quem benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Similiterque calicem, hic est, inquiens, calix sanguinis mei, q̃ pro vobis effundetur. Hæc mẽsa domini est, si tantùm fides non desit, nostro modulo satis accommoda, sic tamẽ, vt vnus assistat pro omnibus, quod iam dictis mensæ illius manufactæ, mensuris significatur. Vnus enim est mensæ vel cõuiuij pater, vnus sacerdos siue pontifex noster Christus, & vna mẽsa est, de qua Psalmista. Parasti, inquit, in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Item: Edẽt pauperes, & saturabuntur, & laudabunt dominum qui requirunt eum, viuẽt corda eorum in seculum seculi. Et inaurabis eam, inquit, auro purissimo. Cur non fusilis aut ductilis est tota ex auro, sed facta de lignis Sethim, inauratur auro purissimo? Videlicet quia species vtræque panis & vini de terra sumuntur, vtræq; de communi vel publico, hæc granario, illa de apotheca capiuntur. Sed accedit substantiarum atque speciẽrum creator Deus, atque formator spiritus sanctus, aurumque verbi incarnati, aurum Christi crucifixi, mortui ac sepulti, atq; post

Matth. 26. Luc. 22.

Psal. 22.

Psal. 21.

CAPVT XXV.

Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gloriosam resurrectionem assumpti in cælum, ad dexteram patris, non superficie tenus inducit, sed efficaciter hæc in carnem & sanguinem eius conuertit, permanente licet specie exteriori. Hic labio confessionis opus est. Sequitur ergo: (Facies illi labiũ aureum per circuitum.) Id est, auri tenuis prominentiam extra tendentem. Et quia corde credenti ad *Rom.10.* iustitiam, & ore confitenti ad salutem præmium tribuitur, vt quod credit, intelligat. (Et ipsi, inquit, labio coronam interrasilem) id est, anaglypham vel sculptam. (Altam quatuor digitis.) id est, palmo, quo donum intellectus mysticè significatur. Cubit⁹ enim quẽ latitudo mensæ non excedit, sex palmorum est, quo numero operatio significatur, ac proinde palmus coronæ, quia septimus est, requiem contemplationis, qua fides remuneratur credentis, rectè significat. (Et super illam, inquit, alteram coronam aureolam.) De huius coronæ quæ super illam est factura siue mensura, rectè scriptura tacuit, quia videlicet remunerationem, qua ipsa præsens contemplationis quies, vel intelligentiæ dignitas coro- *Esaiæ 64.* nãda est, oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. (Quatuor quoque aureos circulos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes) &c. vt suprà de quatuor circulis aureis, per quatuor arcæ angulos dispositis. Sicut enim arca dominicæ incarnationis, sic & mensa corporis & sanguinis eius, quatuor vbiq; euangelij libris defenditur. Et sicut fortes ac perseuerantes doctores, incarnationis fidem, sicut & mensæ huius sacramentũ portare, id est, prædicare debent quasi vectes circulis intromissi, id est, fortiter sacrorum voluminũ semper inhærentes instructioni. (Parabis acetabula & phyalas, thuribula ac cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.) Acetabulum vas duodecim dragmas appendens, cyathus verò decẽ. Porrò Phyalæ dictæ, quòd ex vitro sunt. Vitrũ enim Græcè phyalin dicitur. Sunt autem patulo ore. Nam cyathum econtra constat oris angustioris esse. Quid ergo per phyalas, nisi doctrina exuberans, & quid per cyathos, nisi partua atque angusta scientia designantur? Alius namq; doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat: per hoc ergo quod dicit phyalã porrigit. Alius explicare quod sentit nõ potest, sed quia hoc vtcunq; denũciat, profectò per cyathũ gustũ præbet. In Dei ergo tabernaculo. i. in sancta ecclesia positi, si per doctrinæ sapiẽtiam phyalas minimè porrigere possunt, in quantũ pro diuinitatis largitate sufficiunt proximis suis, boni verbi dare cyathos debent. (Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.) Panis propositionis ipse Christus est, sicut catholica tenet fides, quem in conspectu Dei sancta proponit semper ecclesia. Nam ille panis propositionis, qui in typum huius panis positus est, iam dudum scelere Iudæorũ *Malach. 1.* pollutus est. Vnde per Malachiam prophetã, Offertis, inquit Domin⁹, super altare meum panem pollutum. Ac deinceps: Munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.

Quòd gloriam Christi, vel glorificatum Christum significauerit candelabrum, & calami & scyphi, ac septem sphærulæ eius, septem quoq; lucernæ eius, pondus quoque, et ipsa positio eius.

CAPVT VIII.

FAcies & candelabrũ ductile, de auro mũdissimo, hastile eius & calamos, scyphos & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur ex lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero. Tres scyphi, quasi in modum nucis per calamos singulos, sphærulæque simul & lilia,) &c. Totam candelabri æquè vt cæterorum, quæ præscripta sunt fabrefacturam, scriptura legẽtium oculis præsentare laborat: vt quia tota diuina, & diuino spiritu peracta est, rebus ipsis, secundum materiam permanere non valentibus, ipsarũ ratione permanente, sit rerum æterna memoria. Sphærularum atque liliorum, in candelabris quæ hodie passim fiunt vel habentur, pauca supersunt vestigia. Nam sphęrulę, id est, nodi rotundi in hastilibus, lilia verò in capitibus candelabrorum, passim visuntur. Cæterũ scyphi, si auctoritate scripturæ præsentis fieret, vel si vsquam fiunt, profectò intuentium oculis, & ipsi operoso decore placent. Sed iam quia sunt exemplaria cælestium, cæleste ex ipso speculemur candelabrũ, id est, Christum incarnatum, cuius septem lucernæ septem spiritus Dei sunt, quorum exemplares septem lucernæ fuerunt, quæ sicut sequentia docent, super illud materiale candelabrum positæ sunt. (Facies, inquit, & lucernas septem, vt luceant ex aduerso.) Christus ergo super quem requieuit spiritꝰ domi- *Esaiæ 11.* ni, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris domini, ipse est candelabrum cæli, candelabrũ & lux mundi, septem eiusmodi semper lucens inextinguibilibus lucernis. Qui propter incarnationis mysterium per arcam, propter passionis & sanguinis sui pretium, per propitiatorium, propter corporis & sanguinis sui sacramentum, quod nobis in cibum & potum tradidit per mensam, ipse propter septiformem spiritum, qui super eum requieuit, quemque gloria & honore coronatus, & ad dexteram patris residens, hominibus dedit, per candelabrum septem lucernarum rectè figuratus est. Quare autem sex calami de lateribus candelabri, id est, maioris hastilis egrediebãtur? Videlicet, quia huius nostri cãdelabri, prima claritas quam nouimus, ex eo est, quòd per illud senario dierũ numero cuncta fecit Deus.

Tres

Tres ex vno latere, & tres ex altero calami egrediebantur, quia videlicet tribus primis diebus per verbum suum, mundi fabricã explicuit Deus, diebus autẽ reliquis tribus impleuit illum creaturis mobilibus atque sensibilibus. Quare & tres scyphi, quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul & lilium? Videlicet quia & hoc ad claritatem candelabri huius pertinet, quod nos scientiæ vino inebriat, vt quæ amamus mundi delectamenta obliuiscamur. Sphęrula quę ex omni parte voluitur, volubilitatem prædicationis, quam accepimus, ex quo candelabrũ istud illuxit, significat: quæ quia nec aduersitate retineri potest, nec prosperitatibus eleuatur, sphærula est. Et benè post scyphos & sphęrulas in candelabro lilia ascribuntur, quia post hanc prædicationis ebrietatem atque volubilitatem, illa virẽs patria sequitur, quæ animabus sanctis quasi æternis vernat floribus. Itaque scyphi & sphærulæ ad laborem, lilia ad retributionem pertinent. Igitur quia & sex diebus omnia per verbum facta sunt, septimus autem dies in quo requieuit Deus, ipse est filius, sicut in exordio presentis operis diximus, rectè de vno hastili, id est, de vno candelabro, sex calami egrediebantur, & quia quando verbum ipsum caro facta est, quãdo egressa est virga de radice Iesse, & flos *Esaiæ 11.* de radice eius ascendit, requieuit super eum septiformis spiritus domini, rectè nihilominus super candelabrum septem lucernæ dinumerantur. (Vt luceãt, inquit, ex aduerso.) Id est, cõtra mensam: hoc enim postmodum exprimit dicendo: Et contra mensam candelabrum pones in latere tabernaculi meridiano. Mensa enim stabat in parte aquilonis. Per hoc mysticè innuitur, quia lux cãdelabri nostri, id est, euangelica gratia domini nostri Iesu Christi, filij Dei, ab austro. i. à magna charitate Dei patris nos effulsit, qui eramus in parte aquilonis, illi⁹ videlicet, de quo diabolus: *Esaiæ 14.* Sedebo, inquit, in monte testamenti in lateribus aquilonis. Nobis, inquam, qui eramus aquilonarij, id est, in fidelitate frigidi, mensa prædicta proposita est, & à meridiana charitate Dei, cælestis sanctuarij candelabrũ Christus effulsit. (Omne pondus candelabri, cum vniuersis vasis suis. i. cum emunctorijs, & vbi quę emuncta sunt, extinguantur: habebit, inquit, talentum auri mundissimi.) Talentum maximum, centum librarum est & viginti: Magnum pondus, grande significat talẽtum mundi, quòd appensum in libra crucis, apposita lancem prægrauando excusit, & pecca ta nostra in mare proiecit. Quod quia mundissimum aurum est, id est, quia Deus ab omni sorde mũdissimus Christus est, tota in põdere eius redẽptio nostra peracta est. Et quia cum perfectus Deus & homo sit, passionum dolores pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam peruenit, rectè candelabrũ ductile fuit. (Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum fuit.) De hoc iam superiùs dictum est.

De distinctione vel situ secundi tabernaculi.

CAPVT IX.

TAbernaculum verò ita fiet. Decem cor- CAPVT tinas de bysso retorta, & hyacintho ac XXVI. purpura, coccoque bis tincto variatas opere plumario facies, &c.) Lectionis huius summã Apostolus ita breuiter contingit. Taberna- *Hebr.9.* culum factum est primum in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autẽ secundum tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcã testamẽti, circunte ctam ex omni parte auro, in qua vrna habens manna, & virga Aaron, quæ frondu erat, & tabulę testamenti. Supraque ea Cherubin gloriæ obumbrantia propiatorium. Sciendum in primis, quia non secundum ordinem lectionis, qua compositio narratur, sed secundum ordinem ministerij, siue introitus, primum & secundum tabernaculum dixit. Itaq; & nunc reciprocando, pauca dicenda sunt de situ, vel positione vtriusque tabernaculi. i. incipiendo à fine lectionis, vbi dictum est, In introitu verò atrij fiet tentorium cubitorum XX. Prima erat ingrediẽdi porta atrij, quæ patebat XX. cubitis, & habebat quatuor columnas, quibus depẽdebat velum XX. cubitis extẽsum, erectum autem cubitis quinque, quatuor illis sæpè commoratis colorib⁹, acu picto opere variatum. Hac porta ingrediens, excipiebatur atrio, cuius latera dextra leuaque quindenis cubitis, & ternis columnis porrigebantur introrsus, vt in medium ponerent ostium tabernaculi interioris in ea parte, quo perueniebant sicut in medio ponebant portam atrij ab ea parte vndè incipiebant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum, quadratum, quinq; scilicet cubitis longum & totidem latum. Inter portam & altare spatium erat vbi versabantur, qui sacrificia imponebant altari, introrsus verò inter altare, & ostium tabernaculi, locus erat cineris ante altare, & inde labrum æneum, vbi manus & pedes lauabant sacerdotes, vel altari in atrio seruituri, vel tabernaculum interius ingressuri. Tentoria porrò huius atrij in lateribus ternarum columnarum byssina erant extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinis. Ab hoc ergo atrio, intrabatur ostium tabernaculi cum transitum esset altare, & labrum æneum. Quo ostio ingresso, occurrebat velum, quod ad ostium fuerat compositum, in quinq; columnis ex centum variatum illis quatuor coloribus. Transito illo velo excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velum, & illud alterum, quod columnis interius quatuor fuerat impositum ex illis quatuor coloribus factum, & separabat inter sancta, quæ forinsecus erant, & sancta sanctorum interius posita. In hoc itaque medio spatio inter ista duo vela, mensa erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

aurea, q̃ habebat panes propositionis, in parte aquilonis, & contra eam candelabrum aureum septem lucernarũ, in parte austri, huc vsq; solis sacerdotalibus licebat intrare. Interius autem. i. in sancta sanctorum vltra velũ quatuor columnarũ arca erat testimonij deaurata, in qua erãt tabulę lapideæ legis, & virga Aaron, & vrna aurea cum manna, & propitiatorium desuper aureum, vbi stabãt duo Cherubin alis obumbrantia propitiatorium, & intuentia se inuicem & ipsum. Ante arcam verò, id est, inter arcam & velum positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit scriptura, aliquando deauratum, aureum vtiq; appellans, quòd erat inauratum. Ad hęc sancta sanctorum, nisi summo sacerdoti, non licebat intrare quotidie, propter inferẽdum incẽsum, semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, & si fortè quãdo exigebat necessitas, pro peccato sacerdotis, aut vniuersæ synagogæ, sicut in Leuitico scriptũ est. Nũc demum à principio rursus ingrediamur, cùm historica demonstratione, situm q; prosequamur spiritualis intelligentiæ.

Quòd tabernaculum typus ecclesiæ fuerit, & lex cortinarum quis modus, & quid mysterij habeat.

CAPVT X.

TAbernaculum verò ita fiet. Post arcæ, propitiatorij, mensæ, atq; candelabri factũram tabernaculum vt fiat, quòd locus ipsorũ sit, ordinatur, quia videlicet post incarnationem, passionem, corporis & sanguinis communicationem Christi filij Dei, factamque per illum missionem spiritus sancti ecclesia sancta quæ locus ipsius est, & de antiquis in cælum collocatur, & de nouis hominibus in terra congregatur. Quomodo? Quali insti
I. tutione vel ordine? Ait decẽ cortinas de byssi
II. so retorta, & hyacintho ac purpura, coccoq;
III. bis tincto variatas opere plumario facies. De
IIII. narius numerus, secunda vnitas est triãgula, quod melius arithmeticis notũ est. Ergo denarius secunda vnitas triangula vnam trinitatis vnicæ fidem significat. Et hic cortinarũ numer⁹, decalogo, quo eidem Deo seruitur, benè consonat. Porrò cortinæ aulæ sunt. i. vela, dictæ autem cortinæ eo quod primitus de corio fiebant. De byssо, inquit, retorta, & hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto. Byssus quoddam genus est lini candidissimi. Hyacinthus autem, aerei coloris est, purpura marini, coccus ignei. His quatuor colorib. præcipuis, illa omnis varietas virtutum designatur, de qua in Psalmo canitur: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis
Esaiæ 44. circumamicta varietatib. Illam denique gloriam quæ ab intus est, quam solus rex Christus, in filia regis sponsa sua videt, textura huiusmodi significat, in eo maximè, quod sagis cilicinis subtegenda est. Variatas (ait) opere plumario. i. in modum plumæ, acu depicto. (Longitudo cortinæ vnius habebit viginti & octo cubitos. Latitudo quatuor cubitorũ erit.) Latitudinis huius mensura, longitudinis septima est. Quater enim septẽ vel septies quatuor, viginti & octo sunt. Porrò septima passim contemplationis requiem designat. Ergo & ipsæ mensuræ cortinarum quæ sagis operiendæ sunt, illos confirmant ordines ecclesię significari, qui in cõtemplationis quiete viuunt. (Quinq; (ait) cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinq; nexu simili cohærebunt.) Quomodo? (Ansulas, inquit, hyacinthinas in lateribus ac summitatib. facies cortinarum, vt possint inuicem copulari. Ansulæ hyacinthinæ cælestia vincula sunt charitatis fraternæ. Et quia per fraternam charitatẽ ascenditur ad Dei dilectionẽ. (Facies, inquit, & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarũ vela iungenda sunt, vt vnũ tabernaculũ fiat.) Circuli namq; aurei, vincula sunt diuinæ dilectiõis, quæ fraternę dilectioni quasi *1. Pet. 4.* ansulis inserta hyacinthinis, sanctam illam & *Leui. 23.* Deo dignã efficit. Et quia charitas hæc, multitudinem operit peccatorum, benè ansulæ quinquaginta, in singulis lateribus, & quinquaginta circuli habentur, quo numero remissio significatur, & ex lege imperatur: vndè & quinquagesim⁹ ann⁹ iubileus dicitur. i. dimittens. Pulchra cortinarum varietas, & pretiosa textura est, sed foris relinquenda nuda non est, nec enim imbrium aut grandinis iniuriam sustinet. Sequitur ergo.

De sagis cilicinis XI. easdem cortinas operientibus, et de pellibus arietum rubricatis, quid per hæc mysticè intelligamus. CAPVT XI.

ET facies saga vndecim, ad operiendũ tectũ tabernaculi.) Sic sanctorũ vita est clara, sed nisi cautè sub præpositorum præsidio quasi sub cilicijs abscõdatur, integritatis eius pulchritudo non seruatur. Itaq; vt in interiora tabernaculi byssus fulgeat, coccꝰ coruscet, hyacinthus & purpura pulchris itidem coloribus resplendeant, desuper pelles & cilicia, imbrẽ, ventos, & puluerem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctæ ecclesiæ sinu proficiunt, prępositorum suorum vitam despicere non debent, cùm vacare eos rebus exterioribus vident, quia hoc quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adiumento est, quia cõtra procellas huius seculi exterius laborant. Possunt tamen per saga, quæ byssum & purpurã, hyacinthum & coccum, ne procellarum iniurijs pateant, subtegunt, seculares intelligi diuites, qui in ecclesia sunt, qui sanctis vel in sancto proposito Deo seruientibus, ne vllã habeãt necessitatẽ vagandi foris, quod non expedit animabus eorũ, necessaria vitæ de facultatib. suis subministrant pro redemptione peccatorum suorũ. Vndè & vndecim saga & cilicina sunt, quia videlicet, q̃ ipsi non diffitentur, præcepta decalogi transgressi sunt: & idcirco quasi in vndenario numero sunt: sed pœnitentiæ quæ per cilicium designatur, dignos fructus facere cupientes, tabernaculum, vt dictum est, protegunt. Sed & ipse

& ipse tricenus in longitudine cubitorũ numerus, qui coniugatorum est, quemadmodum & viduarum sexagenus, & virginũ centenus, huic sensui benè concinit. Porrò iuxta literam vel visibilẽ tabernaculi facturã cur vndecim saga sint, & cur longitudinem cortinarum binis excedant cubitis, mox sequentia declarant. (Quinq; (ait) iunges seorsum, & sex sibi mutuo copulabis, ita vt sextum sagũ in fronte tecti duplices. Et paulò pòst. Quòd autẽ superfuerit in sagis quæ parantur tecto. i. vnum sagum quod amplius est, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi.) Medietas sagi duo cubiti sunt secundũ latitudinem, quæ est quatuor cubitorum. Non ergo sagum vnum scindendũ erat à capite vsq; deorsum, vt vna pars in fronte tecti ducti duplicaretur, reliqua verò posteriora tabernaculi operirentur. Non vtiq;, sed vndecim hoc sagum, vt quoniam decem tantummodo cortinæ sunt, super extento sagorum operimento, quatuor exuberent cubiti, qui sunt vnius sagi latitudo. Ita ergo sagorum coniunctorũ extensio moderetur, vt in fronte duo cubiti descendant, qui & in sinũ reducti, duplicẽtur: duo verò nihilominus in posteriora tabernaculi, ad protegendũ demittantur. Nam & in vtraq; latera tabernaculi bini qui supersunt in longitudine sagorum, vltra lõgitudinẽ cortinarum dispertiũtur cubiti. Ait enim: (Et cubitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in lõgitudine sagorum, vtrunq; latus tabernaculi protegens.) Totum hoc mysticè ad prædictum refertur sensum, quia videlicet vita spiritualium, vt quieta sit, quæ per pulchritudinẽ signatur cortinarum, vndiq; subsidijs indiget secularium fideliũ. Hoc præsenti loco prætereundum nõ est. Saga de pilis facta esse caprarum, vnde & postmodũ scriptura dicit. Fecit ergo Beseleel saga vndecim de pilis caprarũ ad operiendũ tectum tabernaculi. (Facies & L. ansas more sagi vnius, &c.) Vt suprà, nisi q̃ neq; ansæ hyacinthinæ, neq; fibulę dicuntur aureę, sed æneę, quia videlicet fideles, qui in seculo sunt, vel quorũcunq; auxilio vita spiritualiũ in exterioribus iuuatur, eadẽ firmatur dilectione, & si nõ eadem fulget cælestis sapientię claritate. (Facies & operimentũ aliud tecto de pellib. arietum rubricatis, & super hoc rursum aliud operimẽtum de hyacinthinis pellib.) Rubeꝰ siue hyacinthinus color, pellib. arietũ non per naturam adest, sed per industriã affertur. Benè ergo per hæc fidelis seculariũ cõcordia designatur, qui virtutum copiã, non quidẽ actu habẽt, sed in eis qui habent & ipsi amãdo possident. Hinc nanq; illud in psal. q̃ cùm præmissum esset, rogate quæ ad pacẽ sunt Hierusalẽ
Psal. 121. statim subiunctũ est, & abundantia diligentibus te. Abundat enim spiritualib. bonis Hierusalẽ. i. anima sancta, quæcunq; suã quærit pacẽ, deumq; videt per cõtemplationẽ, qui autẽ non eodẽ proposito stabilitus, amat sic incedentẽ, perfruitur & ipse abundãtia cum eadẽ Hierusalẽ. Et notandũ secũdum literã, quia prout quæq; viliora vel minus operiosa sunt, ita quæq; in tabernaculo superiora & tempestatib. viciniora sunt. Nam post cortinas, saga cilicina, deinde pelles arietũ rubricatas, ac deinde pelles habet hyacinthinas.

De tabulis tabernaculi stantibus, & connexione ac basibus illarum, & de vectibus eas continentibus, quid per hæc spiritualiter intelligatur.

CAPVT XII.

CAPVT XXVI.

FAcies & tabulas stantes tabernaculi, de lignis Sethim, quę singulæ denos cubitos in lõgitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem.) Tabulæ in tabernaculo stãtes, prælatos significant in ecclesia præeminẽtes, scilicet simplicitate decoros, prudẽtia tutos, in secularibus prouidos, in diuinis rebus consideratos. In tabulis enim, neq; decor cũ teneritudine, vt in cortinis, neq; munimentum est cum squalore, vt in sagis. Prælatos ergo rectè designant, qui neq; curã subditorũ propter amorem cælestium, nec cælestium contemplationẽ negligere debent propter temporalẽ subditorum curam. Minuitur tamen illis quies contemplationis propter studium operationis. Vnde & rectè denos in lõgitudine cubitos, absq; diminutione: in latitudine aũt singulos ac semissẽ habẽt. Quod cadit in semissem, integri vel totius nõ significat plenitudinem. (In lateribus tabulæ duę in cãstraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur.) Connexio tabularum, cõpaginatio charitatis est, rectorib. ecclesiarũ necessaria, vt fiat quod per Apostolum dictũ *1. Cor. 1.* est, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. (Viginti, inquit, erunt in latere meridiano: similiterq; in latere secundo quod verget ad aquilonẽ.) Quia tabulę stantes sunt, & habẽt in latitudine singulos, ac semissem: pfectò triginta cubitorũ cõstat esse vtriusq; tabulati longitudinẽ, & nõ pertingit vsq; ad extenti desuper tecti quantitatẽ, XL. cubitos lõgitudinis explicantẽ, secundum numerum vel extẽtionẽ decẽ cortinarum, quarum singulæ quatuor in latitudine cubitorũ erãt. (Binæ bases singulis tabulis suppositę.) Fundamẽta sunt Apostolorũ & prophetarũ, *Ephe. 2.* quorum fidei siue auctoritati totum ædificij tentorium innititur spiritualis. Quę & argenteæ dicuntur. Quid enim per tabularum bases argenteas, nisi prophetica fidei signantur eloquia? Dum enim primi apertè de dominica incarnatione locuti sunt, quasi quasdã bases, eos cõspicimus à fundamento cõsurgere, & superpositæ fabricæ pondera sustentare. Vnde & coniunctæ binæ & bases singulis tabulis supponuntur, qui dum prophetæ sancti in verbis suis, de mediatoris incarnatione concordant subsequentes prædicatores Ecclesiæ indubitãter ædificant, vt cùm à semetipsis nõ discrepant, illos robustius figãt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec immeritò baſes ex argento fundi iubentur. Argenti quippe natura ex vſu ſeruatur, ſine vſu autẽ in nigredinẽ vertitur: prophetarum quoq; dicta ante mediatoris aduentũ, quia in vſu ſpiritualis intelligentię nõ erãt, dum cõſpici præ obſcuritate nõ poterãt, qua ſi nigra remanebant. At poſtq; mediator veniens, ea ante oculos noſtros incarnationis ſuæ manu terſit, quicquid lucis in eis latebat, inclaruit, ſenſuſq; patrum præcedentiũ in vſum dedit, quia verba reb. expoſuit.) Ad occidentalẽ verò, inquit, plagam tabernaculi facies ſex tabulas, & rurſum alias duas quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi. Et erunt ſimul tabulæ octo.) Per octo tabulas ad occidentalẽ plagam ſic poſitas, rectè octo beatitudines intelligimus, poſt finẽ præſentis vitæ dignè merentib. ſucceſſuras. (Duabus, ait. tabulis quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur.) Quia videlicet duabus beatitudinibus primæ & octauæ eadem poſitio gloriæ. i. promiſsio regni cælorum ſeruatur. Iſtis quoq; tabulis, bi næ baſes ſingulis ſupponuntur, quia profectò beatitudinũ earundem ſpes, tam prophetica, quã euangelica vel Apoſtolica fide ſolidatur. Porrò iuxta hiſtoricam poſitionem duas tabulas in angulis poſt tergum tabernaculi erectas, ad quid, niſi ad ornatũ valere arbitremur? Facies & vectes de lignis Sethim, quinq; ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, & quinq; alios in altero & eiuſdem numeri ad occidentalẽ plagam, &c. Tabulæ vt ſtare poſsint, gemino baſiũ, ſcilicet, atq; vectium robore fulciuntur, quia videlicet eccleſiæ rectores, Apoſtoli, vel Apoſtolici viri, tam ſpiritualiũ, quàm & carnalium præſidio neceſſariò fulciũtur. Sicut enim per baſes eloquia prophetica ſignantur, quorũ cũ auctoritate ſpiritualia ſeminãt: ſic per vectes diuitũ atq; potentũ ſubſidia rectè figurãtur, de quorũ abundantia carnalia metunt. Qui & ipſi æquè vt tabulæ auro veſtiuntur, quia p fectò potẽtes ſeculi homines, qui qua ſi tabulis p annulos aureos inſerũtur, vt eas cõtineant dũ prædicatorib. fidei per eandem fidem cõmunicantes neceſſaria miniſtrant,
Matth. 10. ipſorũ mercede remunerari iure credũtur. Qui enim recipit prophetã (ait Dñs) in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtũ in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Et rectè quidem vectes in ſingulis lateribus, & eiuſdem numeri ad occidẽtalem plagam mitti iubentur, quia videlicet carnales homines quantum in hoc ſeculo diuites ſunt, tantum in quinq; ſolis ſenſib. corporalibus, & in his quæ per ipſos ſunt tranſigenda magis occupantur.

De tabernaculo & velamento diuidente inter primũ & ſecũdum, quod dicitur ſancta ſanctorum, & quòd ſitum eius, vel ritum Apoſtolus dicat fuiſſe parabolam.

CAPVT XIII.

FAcies & velum de hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum, quod appendes ante quatuor columnas de lignis Sethim, &c.) Hactenus per compoſitionẽ tabernaculi ſermo properantior cucurrit, nunc demum ad capitulum Apoſtoli ſuperius memoratum redeundum eſt. Tabernaculum, inquit, factũ eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta. Poſt velamẽtum autem ſecundum tabernaculũ, quod dicitur ſancta ſanctorum, &c. Poſt velamentum autem quod illic memorat, iſtud eſt, de quo præſenti loco Dominus, facies, inquit, & velum de hyacintho, & purpura coccoq; bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario, &c. Poſt velamentum quod ait ſecũdum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorũ, aureum habens thuribulum, & arcã teſtamẽti, ſuperq; eam Cherubin gloriæ, obumbrantia propitiatorium, idem quod hic dicitur, intra velum pones arcã teſtimonij, ex quo ſanctuarium ſanctuarij & ſanctuaria diuidũtur: pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in ſancta ſanctorum. Porrò, quòd ait idem Apoſt. in primo tabernaculo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quę dicitur ſancta, id eſt, quod hic ſubiunctũ eſt, menſamq; pones extra velum, & contra menſam candelabrũ. Sequitur, dicens: (Facies & tentorium in introitu tabernaculi, & de hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta, opere plumario, & quinq; columnas deaurabis, lignorum Sethim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea, & baſes æneæ.) Itaq; menſa, & ꝓpoſitio panum, candelabrumq; inter duo vela poſita erant: arca aũt & propitiatoriũ, cũ duobus Cherubin vltra velũ ſecundum. Se- CAPVT XXVII.
quitur adhuc. (Facies & altare de lignis Sethim, q habebit quinq; cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt, quadrum: & tres cubitos in latitudine.) Itaq; ternaria hæc poſitio diligenter diſtinguenda eſt. Primò (vt ſuperius iam dictũ eſt) ingredienti altare ſacrificiorum, deinde tranſito primo velo, primũ id erat tabernaculum, in quo mẽſa & candelabrũ, tranſitoq; rurſus velo altero, ſecundum id erat tabernaculum, in quo erat arca & Cherubin obumbrantia propitiatorium. Et fortè quærat quis, quid fuerit propitiatorium? Profectò cùm aureum illud dominus iuſſerit fieri, eiuſq; longitudinẽ & lati *Hebr. 2.*
tudinem, quantã & ipſius arcæ ſcriptura expreſſerit, de altitudine verò tacuerit, velut tabula aurea tantæ formæ intelligẽda eſt, qua poſsit arca cõtegi. His ita cõpoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia cõſummãtes. In ſecundo autem ſemel in anno ſolus pontifex, nõ ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorãtia, hoc ſignificãte ſpiritu S. nondum

nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, &c. Igitur parabolicam iſtam ſpiritus S. ſignificationẽ, ipſo iuuãte, breuiter diſcutiamus.

Quid ſit myſticè tabernaculum ſecundum, & quid eius ſtructuræ ſignificem.

CAPVT XIIII.

TAbernaculũ ſecundũ, in quo erat arca, ſuperq; eam Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, myſticè illud eſt, in quod introiuit Ieſus tabernaculũ non manu factum, ſancta non exemplaria verorũ, ſed ipſum cælũ, vt appareat nunc vultui dei pro nobis. Nam in eo quod ſemel in anno ſolus pontifex introibat, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia, hoc ſignificabat ſpiritus S. quòd nunc ſemel Chriſtus in conſummationẽ ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuã apparuit ſemel oblatus ad multorũ exhaurienda peccata: ſecundo ſine peccato apparebit, expectantib. ſe in ſalutem per fidem. Columnæ quatuor quæ illic factæ ſunt, baſes argẽteas, & capita habentes aurea, quatuor præfigurauerunt euangelia, prædictũ pontificis Chriſti introitum concorditer atteſtantia, quorũ ſermo dum cum prophetica veritate conſonat, veramq; humanitatem, atque gloriоſam vnius eiuſdemq; diuinitatem Chriſti prædicat, veraciter columnæ baſes argenteas, & capita habent aurea. Velum ante dependet,
2. Cor. 5. Rom. 8. quia videlicet nondum videmus ſicuti eſt. Per fidẽ enim ambulamus, & non per ſpeciẽ: per fidem tenemus, quia ꝓpitiatorium illic eſt Ieſus Chriſtus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt à dextris Dei, qui etiam
Pſal. 129. interpellat pro nobis. Vnde propheta in pſalmo: Quia apud te propitiatio eſt. Thuribulũ quoque illic eſt, ſcilicet ſuauiſſima noſtræ reconciliationis memoria, iugiter apparentib. vulnerum cicatricibus, quę ꝓ nobis pertulit dei filius in carne noſtra. Illic arca eſt, vera. ſ. carnis noſtræ, quæ de virgine ſumpta eſt, & in cruce pependit ſubſtantia, virtute reſurrectionis nullatenus abſumpta, ſed tantũ in gloriam immortalitatis atq; incorruptionis immutata, habens virgã, & manna, & tabulas
Matth. vl. teſtamenti. Virgam. i. poteſtatem patris ſuper omnia opera, de qua dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Manna, id eſt, gratiæ dulcedinem: hũc enim deus ſuſcitauit, & principem ac ſaluatorem exaltauit
Actor. 5. (ait Apoſt. Petrus, protinus ſubiungens) ad dandam pœnitentiã & remiſsionem peccatorum. Tabulas teſtamenti, id eſt, librum iudi
Daniel 7. cij, de quo Daniel dicit: Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Nã de his quæ in libris teſtamenti ſunt ſcripta, futurũ eſt iudiciũ, & aperiendi ſunt cõſcientiæ ſingulorũ. Vnde nec duo Cherubin illic deſunt, per quos intelligimus ea, quæ per duo teſtamẽta nobis prædicata ſunt, miſericordia. ſ. & iudiciũ. Nam v-
Pſal. 24. niuerſæ viæ Dñi, miſericordia & veritas, mutuò ſe reſpiciũt verſis vultib. in propitiato-
rium, & in eo totũ eſt negotiũ, vt miſericordia ſuperexaltet iudiciũ. Hæc omnia qa per fidem tenemus, & nondũ per ſpeciẽ videmꝰ, *Iacob. 2.* rectè velum ante columnas appenditur.

De tabernaculo primo, quòd præſentem ſignificauerit eccleſiam, & quid in eo mẽſa & candelabrũ, quid quinque columnæ, & quid quod ante illas dependet, velum.

CAPVT XV. CAPVT XXVII.

TAbernaculum quod deinde, iuxta deſcriptionem ſecundum, iuxta ordinem ingrediendi primum eſt (vt Apoſtolus ait) præſentem ſignificat eccleſiam. Illic menſa eſt, & contra menſam candelabrum. Etenim in hac eccleſia, immò in hac eccleſiæ peregrinatione, & tabernaculo eius temporali: mẽſa eſt domini, parata laborantibus in agone certaminis, menſa geminæ refectionis. Nam hic propoſitus eſt panis, id eſt, ſcriptura ſancta, quæ magna verbi Dei copia mentem reficit, & panis corporis eius, & calix ſanguinis
quem de ſancto altari Chriſtianus ad vitam *Matth. vl.* æternam ſibi profuturum percipit. Candelabrum quoque hic eſt, & dignè conuiuantibus lucet, videlicet Chriſtus, qui dicit: Eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Semel candelabrũ iſtud, ob teſtimonium pœnitentiæ ſuæ, lucernarum ſuarum flammam viſibiliter quoq; oſtendit, tũc, ſcilicet quando iam aſſumptus
Actor. 2. in cælum, ſpiritum ſanctum, quo Apoſtolos illuminaret, palam in linguis igneis demonſtrauit. Et notandum, quia menſam in parte aquilonis candelabrũ autẽ in latere tabernaculi meridiano, dñs ſtare iuſsit. Ad nos enim qui eramus pars aquilonis. i. regnum diaboli, in fidelitate frigidi, & à Deo alieni, menſa domini porrecta eſt, & contra tenebras noſtras, meridianũ gratiæ candelabrũ deus poſuit, vt edamus & bibamus, pariterq; in lumi *Pſal. 22.*
ne ambulantes, decantemus: Dñs regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuę ibi me collocauit. Item: Nã etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es. Quinq; columnæ in ingreſſu huiꝰ *Ibidem.*
tabernaculi, quinq; libri Moyſi ſunt, eccleſiæ præſenti perhibentes teſtimonium. Baſes columnarum æneæ, vilem ſignificant literaturam ſcripturæ Moſaicæ. Nam capita colũnarum aurea, excellentem deſignant gloriã ſpiritualis intelligentiæ. Qui ſenſu paruuli ſunt, baſes tantùm æneas attingere, id eſt, nõ valdè nobilem literam legere poſſunt: qui autem viri proficiendo facti ſunt, aurum attingunt, id eſt, capita columnarum, dum occidentem negligentes literam, extendunt ſe ad viuificantem ſpiritum. Velum quod ante columnas dependet, velamen eſt, quod nobis quidem in paſſione Chriſti ſciſſum, Iudæorum autem cordib. ſuperpoſitũ eſt. Idcircò nobiſcum non ingrediuntur, quia q; in *2. Cor. 3.*
columnis, id eſt, in libris Moyſi rutilat aurũ, obſtante velamine, videre non merentur.

De altari,

Universidad de Deusto
Biblioteca

De altari, quòd extra positum, Iudæorum temporale significauerit ministerium.

CAPVT XVI.

ALtare, quod extra positum est, Iudæorum est ministerium, sanctum quidem antequam Christus, qui per hoc promitteba
Hebr. 2. tur, veniret: nunc aũt ex quo ille sancta sanctorum ingressus est, cum ministris suis, eũ non sequentibus reprobatũ, & velut immũdum abiectũ est. Habuit quidem prius hoc iustificationes culturæ, & sanctum seculare,
Philip. 3. sed non poterat iuxta conscientiam perfectũ facere seruientem solummodo in cibis & potibus, & varijs baptismatib. & iustitijs carnis vsq; ad tempus correctionis impositis. nunc autem ex quo tempus correctionis aduenit, seruientem in supra dictis, non solummodo perfectũ facere nõ potest, sed nec vt vllius boni saltem initium est, imò & cum Apostolo detrimenta reputandum, & vt stercus abijciendum est. Proinde nos atrium ingressi patriarcharum, fiducialiter altare illud præteri mus, & vltra velum ingredimur bases æneas columnarum aspernãtes & aurea capita gratanter aspicientes, id est, occidentem legis literam relinquentes, & viuificantem spiritũ amplectentes, atque inde ad mensam domini fideliter accedimus, vbi non carnes tauro rum immolantur, aut sanguis hircorum potatur, sed panis vitæ æternæ, quod est corpus Christi proponitur, & calix salutis perpetuę qui est sanguis eiusdem Christi filij dei libatur, tandẽ illud cæleste sanctuariũ ingressuri, quo præcursor pro nobis Christus idem peruenit.

Per atrium tabernaculi cum paxillis suis, columnas quoque cum basibus & capitibus eorum, mystice fidẽ vel vitam intelligi patrum qui ante legem fuerunt.

CAPVT XVII.

ATrium tabernaculi patriarcharum, & sanctorum omnium qui ante legem fuêre, latitudinem & vitam, non eatenus legis scriptura districtam designauit. Nam & paxilli ænei, qui per gyrum dispositi, quidẽ non aliud q̃ patriarcharũ fidem significant, sine qua nec atrium nec tabernaculum stare, vel sanctum esse posit. (Centum, inquit, cubitos vnum latus tenebit in longitudine ad austrum, similiterq; in latere aquilonis tẽtoria centum cubitorum, in latitudine verò ad occidentem quinquaginta, nihilominus ad orientem in latitudinem tentoria cubito rum quinquaginta.) Centenarius longitudinis numerus, tertia vnitas tetragona, decies enim decem, centum sunt, longanimem fidem, longanimem significat patriarcharum
Hebr. 11. spem more quadrati lapidis, vbique, tam in aduersis, quàm in prosperis constantem. Quam illorum longanimitatem, Apostolus pia consideratione permetiens, iuxta fidem, (inquit) defuncti sunt omnes, non accipietis promissionib. sed longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Ergo tabernaculi veri, cuius hoc exemplar est, principes sunt, vnde & protinus idem Apostolus: qui enim (inquit) hæc dicunt significant se patriã quæ rere. Et paulò suprà: Expectabant, ait, fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Itaque & secundum illos patres in tabernaculis, siue in casulis propter spem futuræ ciuitatis commorantes cæleste tabernaculum de virtutibus compactũ isto exemplari, quod Moyses fecit, prius est. Latitudo decem cubitorũ, longitudinis prædictæ est medium ipso quinquagenario numero futurum præignans Iubileum, quia videlicet per latitudinem charitatis Abrahã, Isaac, & Iacob, in re, pmissionẽ, Iubileum, id est, remissionem peccatorum acceperunt per Christũ, & benedictionem omnium gentium. Ad hãc illorum perfectionem spectat numerus sexaginta columnarum. Nam in meridiano latere XX. & in aquilonari item XX. & in occidentali latitudine decem colũ næ sexaginta sunt. Qui numerus ex senario, denarioque cõpositus, benè perfectionem significat eorundem patrum, qui legem scri optam non habentes, decalogum tamen legis benè & perfectè operando laudabiliter adimpleuerunt. Attamen omnes columnæ atrij, bases habentes æneas, & capita argentea cunctis quæ in tabernalo erant, minus insignes extiterunt. Sed discretis mentibus, non eo despicabiles antiqui patres, qui ante legẽ fuerunt videantur, quòd quædam quæ in lege prohibenda erant, ipsi admiserunt. verbi gratia: quòd Abraham vxorem habens Saram, de concubina Agar genuit filium, vel ꝙ Iacob duas sorores, in vnum duxit coniugiũ. Nam hoc pacto, columnæ quidẽ minus speciosæ sunt, nec enim tale quid trahendũ est in exemplum, sed in eo satis excusantur, quia nihil horum fuerat lege prohibitum.

Columnæ. Addendũ. tidem in o- rientali.

Quòd introitus tabernaculi ab vna tantum parte, id est, ab oriente fuerit, ipsius autem sanctæ trinitatis, quã legimus in Apocalypsi à quatuor partibus trinæ portæ sint.

CAPVT XVIII.

IN ea atrij longitudine quæ respicit ad orientem L. cubiti erunt, in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur, columnæq; tres, & bases totidem.) Patet litera, quia ab oriente introitus in atriũ, & inde in tabernaculum per quindenos cubitos, ternasque hinc inde columnas porrigitur. Et videtur in hoc exemplaris siue cælestium ratio deficere. Nam vbi de cælestibus manifestè loquitur spiritus, ita præmittens, & ostendit mihi ciuitatem Hierusalem sanctam, descendentem de cælo à deo habentem claritatem Dei, paulò pòst ita subiungit: Ab oriente portę tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres. Hic autem ab oriente tantùm in quatuor

Apoc. 12.

tuor columnis introitus patet. Sequitur enim. (In introitu verò atrij fiet tentorium cubitorum viginti. Columnas habebit quatuor cum basibus quatuor.) Adde quod ab oriente captato introitu, facies introeuntis in occasum spectat, quo nihil boni significatur. Igitur quoniam & altare, ad quod primùm per ipsum introitũ peruenitur, totusque ordo eius antiquari, & senescere habebat, & interiturũ erat, in occasum situs eius vergebat: portarum quoq; non miranda nobis diuersitas, scilicet quod in hoc typicum & vmbraticum tabernaculum, ab vna parte introitus patebat, per quatuor columnas velum habẽs altitudinis quinque cubitorum: in ipsa autem cælestia sancta, quorum hoc erat exemplar à quatuor mundi partibus eadem introeuntib. facultas per ternas (vt prædictum est) offertur portas. Nam & ille populus, qui hoc vsus est exemplari, iustitiam præsumit ex operibus legis: vocatio autem cunctarum gentium, ad vera tendens & cælestia sancta, solam quærit iustitiam fidei, baptismum vocantis Christi susc ipiens, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

Quòd illa Dei ciuitas lucernæ scripturarum non egeat, & idcirco lucerna non intra, sed extra velum ardere iussa est.

CAPVT XIX.

PRæcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleũ de arboribus oliuarum, purissimum, piloque cõtusum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij extra velum, quod oppansum est testimonio, & collocabunt eã Aaron & filij Israel, vt vsq; mane luceat coram Domino.) Res postulare videretur, vt in eo quod sacratius erat, idem in secundo tabernaculo iuxta velum lucerna semper arderet cultu perpetuo. Quid ergo nisi mysterium, & in hoc ritu propositum est, videlicet quia in illis sanctis non manufactis, quæ Iesus semel introiuit, lucerna opus non erit?
Apoc. 21. Sic enim in Apocalypsi de illa sancta & æterna ciuitate dicit Ioannes: Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius agnus est. Igitur extra velum in priore tabernaculo semper ardeat lucerna coram Domino vsq; mane cultu perpetuo .i. in præsenti ecclesia luceat quisq; fideliũ ea, quã habet spiritus sancti gratia, vt videant homines eorum opera bona, & inde aperiant oculos suos ad glorificandum patrem, qui in cælis est. Nam hæc intentio charitatis oleum purissimum est pilo contusum, id est, propter ædificationem proximorum, sponte laborib. pressum. Colloca
Matth. 5. bunt eam, inquit, Aaron & filij eius, videlicet qui legitimi sunt sacerdotes Domini, iure successionis. Etenim veræ charitati studere, atq; in operibus bonis, nõ suã, sed dei gloriam quærere, id planè est dignum atque legitimum deo sacerdotem esse. Ad huiusmodi lucernam collocandam, Paulus dilectum
2. Tim. 1. discipulum commonebat, cùm diceret: propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Ardeat, inquit, vsq; mane, id est, vsque ad finẽ præsentis vitæ. Nã in ipso die lumine lucernæ nõ indigebimus, quãdo sicuti est, & facie ad faciẽ videbimus.

De vestibus sacerdotalibus.

CAPVT XX.

APplica quoq; ad te Aaron fratrem tuũ cum filijs suis, de medio filiorũ Israel, vt sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar. Faciesque vestem sanctã fratri tuo in gloriam & decorẽ. Et loquẽris cũctis sapientib. corde, quos repleui spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus minister mihi.) & reliqua. Venimus ad sacerdotalia vestimenta, quæ & primũ more Iudaico simpliciter exponẽda sunt, & deinde singillatim mystica scrutãda est intelligentia. Porrò nõ eodem ordine hic descripta sunt, quo in vestiendo sacerdote sumuntur. Nam fœminalia linea, quibus operitur primũ carnis turpitudo, postremò in hac descriptione posita sunt, & econtrario rationale, quo præter laminam auream in pontificis fronte ligandã, nihil sanctius in vestib. erat, primũ designatum est. Ait enim: (Hæc autem erunt vestimenta quæ facient. Rationale & superhumerale, tunicam lineam, & strictam, cidarim, & baltheum.) Et post multa: (Facies, ait, & fœminalia linea, vt operiant carnem tupitudinis suæ, &c.

CAPVT XXI.

Quatuor colores, hyacinthum, purpuram, coccum, & byssum, qualiter Hebræi interpretentur, & de textura superhumeralis, & rationalis.

FAciẽt aũt superhumerale de auro, & hyacintho, ac purpura, coccoq; bis tincto, & byssо retorta opere polymito.) Quatuor colores toties in hac scriptura compositos, Hebræi ad quatuor elemẽta referunt, ex quib. vniuersa subsistunt. Byssus aiũt terræ deputatur, quia ex terra gignitur. Purpura mari, qa ex eio cõcheolis tingitur. Hyacinthus aeri, propter coloris similitudinẽ. Coccus igni & ætheri. Et iustũ esse cõmemorant, vt pontifex creatoris, non solũ pro Israel, sed ꝓ vniuerso mundo roget. Siquidẽ & terra, & aqua & aere, & igne, mundus iste consistit, & hæc elementa sunt omniũ. Facies, inquit, superhumerale de auro & hyacintho, ac purpura, coccoq; bis tincto, & byssо retorta, opere polymito. Sciamus hoc vestimentum esse pontificis, & apud Hebræos Ephod appellari. Nec enim statim illud occurrit, ꝙ Samuel qui leuita fuit, scribitur in libro regum, primo habuisse ætatis adhuc paruulæ, Ephod, id est, superhumerale lineum, cùm Dauid quoque ante arcam Domini idem portasse referatur. Aliud est enim ex quatuor prædictis colorib. id est, hyacintho, byssо, purpura, coccoq;, & ex auro habere cõtextũ: aliud in simlitudinẽ sacerdotũ simplex & lineum.

CAPVT XXVIII.

1. Reg. 2.
2. Reg. 6.

Duas

Universidad de Deusto
Biblioteca

(Duas, inquit, oras habebit iunctas in vtroq; latere ſummitatum, vt in vnum redeant, ipſa que textura, & cuncta operis varietas, erit ex auro & hyacintho, &c.) Auri, inquit, laminæ, id eſt, bracteæ mira tenuitate tundantur, ex quibus ſecta fila torqueantur ſub tegmine trium collorũ hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum ſtamine byſino, & efficiatur palliolum mirę pulchritudinis in modum caracallarum, præſtringens fulgore oculos, ſed abſque cucullis, iunctas habeat oras in vtroque latere ſummitatum vt in vnum redeant. (Sumeſq́ue duodecim lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael, ſex nomina in lapide vno, & ſex in altero.) Vt videlicet pontifex ingrediens ſancta ſanctorũ, nomina populi, pro quo rogaturus eſt dominũ, portet in humeris. Hoc nempe eſt, quod ſubiungitur. Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis memoriale filijs Iſrael, portabitq́ue Aaron nomina eorum coram domino ſuper vtrunque humerum ob recordationem. Rationale quoque iudicij facies opere polymito, iuxta texturam ſuper humeralis, &c. Patet literæ ſuperficies, & ſcire volentibus omnium poſitionem, id eſt, ſuperhumeralis, rationalis, tunicæ hyacinthinæ cum tintinabulis ac malis punicis aureis, tunicæ quoque lineæ & balthei, thiaræ quoque, & quod omnium ſacratiſsimum eſt laminæ aureæ ſuper thiaram imminentis frõti pontificis. Hæc, inquam, ſcire volentibus, deſcriptio literalis eſt in promptu, qua planiorem deſcriptionem explicare non poſſumus. Proinde myſticas iam ſingulorum rationes ſubnectimus, ſicut à patribus æditæ ſunt: primum ſecũdum Hebræos, deinde ſecundum eccleſiaſticos.

Quæ ſingulorum veſtimentorum myſticè ab Hebræis traditæ ſint.

CAPVT XXII.

PRimum lineum veſtimentum (aiunt) terram ſignificat, ſecundum hyacinthinum aerẽ, in colore demõſtrans, quia de terrenis paulatim ad excelſa ſuſtollimur. Et ipſa veſtis hyacinthina, à capite vſque ad talos veniens, indicat aerem de cælis vſque ad terram fuſum. Mala autem punica & tintinabula in inferiorib. poſita, fulgura tonitruaq́ue demonſtrant, ſiue terram & aquam, & omnium elementorum inter ſe conſonantiã, & ſic ſibi vniuerſa perplexa, vt in ſingulis omnia reperiantur. Quòd autem ſupradicti colores auro intexti ſunt, id ſignificari volunt, quod vitalis color & diuini ſenſus prouidentia vniuerſa penetret. Superhumerale & duos lapides, vel Smaragdos, vel onychinos qui deſuper ſunt, & vtrunq; humerum tegunt, duo hemiſphæria interpretãtur, quorum aliud ſuper terram, aliud ſub terrã ſit, ſiue ſolem & lunam, quæ deſuper rutilant. Zonã illam qua ſacerdotis pectus arctatur, & linea tunica, id eſt, terra cõſtringitur, interpretantur ocianum. Rationale in medio poſitum terram ediſſerunt, quę inſtar puncti, licet omnia in ſe habeat, tamen à cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides, vel zodiacum interpretantur circulum, vel duodecim menſes & ſingulis verſiculis, ſingula aſtringunt tempora, & his ternos deputant menſes. Nec alicuius gentilis videatur expoſitio. Non enim cæleſtia & Dei diſpoſitionẽ, idolorum nominibus infamãrunt, idcircò Dei neganda eſt prouidentia, quæ certa lege currit, & fertur & regit vniuerſa. Nam & in Iob Arcturum, & Orionem, & Mazuroth, hoc eſt, zodiacũ circulum, & cætera caſtrorũ nomina legimus, non quo eadem apud Hebræos vocabula ſint, ſed quo non poſſumus nos quæ dicuntur, niſi conſuetis vocibus intelligere. Pulchrè autem hoc ipſum, quod in medio eſt, appellatur rationale. Ratione enim cuncta plena ſunt, & terrena hærent cæleſtibus, immò ratio terrenorum, & temporum, caloris, & frigoris, & duplex inter vtrunque temperies de cæli curſu, & cęli ratione deſcendit. Vnde & rationale cum Ephod fortius ſtringitur. Porrò quod dicitur, pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, hoc ipſum ſignificat, quòd nunquam in Dei ratione mendacium ſit, ſed & ipſa veritas multis ſignis & argumẽtis mõſtretur hominibus, & vſque ad mortales veniat. Vnde factum eſt, vt rationem ſolis, & lunæ, & anni, & menſium, & temporum, & horarum, tempeſtatem quoq; ſerenitatis, & vẽtorum, & rerum omnium noſceremus, accipientes à Deo inſitam ſapientiam, & ipſo habitore atque doctore domicilij ſui atque nobis & fabricę ſcientiam demonſtrante. Super omnia cydaris & vitta & hyacinthina cælum monſtrat, & auri lamina, quæ in fronte pontificis eſt, inſcriptumq́ue nomen Dei vniuerſa quæ ſubter ſunt, Dei arbitrio gubernari. Id ipſum arbitramur ſub alijs nominibus, & in Cherubin, & in quatuor animalibus figuratum, quæ ita ſibi permixta ſunt & hærent, vt in vno inueniantur & reliqua, & quod inſtãter ante ſe vadant & non reuertãtur. Labuntur enim tempora, & præterita relinquentia ad futura feſtinant. Quòd autem ſemper in motu ſunt, illud ſignificat, quòd & philoſophi ſuſpicantur mundum currere ſuo ordine, & inceſſabiliter velut rotam in ſuo ordine torqueri. Vnde & rota in rota eſt, id eſt, tempora in tẽpore, & annus in ſemetipſum reuoluitur, & ipſæ rotę eleuantur in cælum, & ſuper cryſtallũ thronus ex ſapphyro eſt, ſuper thronum ſimilitudo ſedentis, cuius inferiora ignea, ſuperiora electrina ſunt, vt demonſtrent quæ inferiora ſunt, igne, & purgatione indigere, quæ ſurſum ſunt in cõditionis ſuæ puritate conſiſtere. Et quomodo in ſacerdotis habitu auri lamina eſt deſuper, ita Ezechiel electrũ in pectore, & in vertice collocatur. Iuſtum ergo erat (ſicut ex

Iob. 9. 37.

Ezech. 1.

parte

parte ſupra diximus) vt pontifex Dei creaturarum omnium typũ portans in veſtibus ſuis indicaret, cuncta indigere miſericordia Dei, & cum ſacrificaret ei, expiaretur vniuerſalis conditio: vt non pro liberis, ac parentibus, & propinquis, ſed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur. De fœminalibus lineis hoc ſolent dicere. Ratio ſeminum, & generationis ad carnem pertinens, terræ per eam deputatur. Vndè & ad Adam loquitur deus: Terra es, & in terrã ibis. Cauſaſq́; huius rei, quomodo vel de paruulo ſemine & fœdiſſimis initijs tanta hominum vel diuerſarum rerum pulchritudo naſcatur, eſſe obuolutas & humanis oculis non patere.

Gen. 3.

De pontifice magno Ieſu Chriſto, & ſpirituali eius indumento, per Aaron veſtes myſticè intelligendo.

CAPVT XXIII.

ET Hebræi quidẽ non tam dei quàm ſuo ſpiritu, vel ingenio legiſperiti, & cœleſtia neſcientes, quorũ ſecundum exemplar, etiã hæc fieri iuſſa ſunt, ſicut toties dominus repetens, facies (inquit) iuxta exemplum quod tibi in monte monſtratum eſt: talem de veſtimentis ſacerdotalibus rationem ædiderunt. Nos autem qui prædicta cæleſtia & fide credimus, & ſcientia iam ex parte nouimus, hæc eadem altiùs interpretamur. Vnum pontificem magnũ Ieſum Chriſtũ, pontificem cęleſtẽ & verũ intueamur, cui⁹ in habitu cæleſti, hæc eſſe cõpleta nõ dubitamus, quem & imitari oporteat nos, vt ſimus regale ſacerdotiũ, & gẽs ſancta. Fœminalia linea ſacerdotis magni, decus ſignificãt incarnatiõis ſanctæ Chriſti filij Dei, qua præornata eſt natura noſtra ignobilis, & plaga peccati originalis folijs ficus in Adam infeliciter cõtecta in iſto excluſa eſt. Non enim de vlceroſa libidine vt nos, ita & ille conceptus eſt, ſed de munda & ſimplici virgine, byſſum retortam, id eſt, candidi & incoinquinati corporis decorem induit & fortitudinem, vndè & corporis ſui, quod eſt eccleſia, verecundiã ſcilicet originale peccatum operuit. De hoc veſtimento eius Ioannes Apocalypſi: Et habet (inquit) in veſtimẽto, & in fœmore ſuo ſcriptum, Rex regum & dominus dominãtium. Tunica deinde linea ſtricta, id eſt, ſubucula, quam vulgò camiſiã vocant, noua eſt eiuſdem cæleſtis hominis vita, quia videlicet ſicut nouo & inuſitato ordine conceptus & natus, ſic noua & veteri vitæ contraria pulchritudine inter homines cõuerſatus eſt. Baltheus circa renes, fortitudo diuinitatis eſt, per quam commoueri non potuit. Vndè & in pſalmo cum dixiſſet, inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei, continuò ſubiunxit: Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Etenim ſic ille cognouit figmentum noſtrum, & ita vſque ad noctem, id eſt, vſque ad mortis tribulationem ſui renes increpuerunt eum, vt experimento ſciret, id quod nullo vnquam paſſibili modo titillatus eſt, nõ ex ipſa carnis natura, ſed ex diuinitate eſſe, quę à dextris erat. Vndè veriſimè Apoſtolus dicit: Non enim habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Denique ex eo didicit compati infirmitatib. noſtris, quoties tẽtamur à renibus noſtris, quia ſic alijs infirmitatibus tentatus eſt, ſicut & tẽtatiõe peccati tẽtatus fuiſſet, ſi nõ eſſet Deus, quod non ſumus nos. Tunica hyacinthina cum tintinabulis & malis punicis, vita vel cõuerſatio glorioſa eſt eiuſdem põtificis noſtri domini Ieſu Chriſti à baptiſmo Ioannis. Ex tunc enim tintinabulis cœpit perſtrepere, id eſt, aperta & publica prædicatione perſonare, malis punicis intermicantibus. i. miraculorum operibus per ſingula penè verba concurrentibus. Ipſe color tunicæ hyacinthinæ, cęleſtem eorundẽ operum eius exprimit dignitatem. Vndè dicitur in Canticis: Manus eius tornatiles, aureę, plenę hyacinthis. Illic in manib⁹, hic in veſtitu, ſecundũ hyacinthi colorẽ aereũ eius (vt dictũ eſt) opera deſignãtur, qui nõ de terra eſt, neq; de terra loquitur, ſed de cęlo venit, & ſuper oẽs eſt. Et benè per tunicæ circuitum deorſum ad pedes mala rubẽt, & tintinabula concrepãt in ingreſſu ſanctuarij, quia videlicet maximè in fine vitæ mortalis operoſa claruit dilectio, vel doctrina Redemptoris. Cum enim (inquit Euangeliſta) dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem quoque dilexit eos. Tintinabula, id eſt, dilectionis præcepta, quibus in illa cœna perſonuit, totus mundus audiuit: & mala rubẽtia, ſcilicet vitæ æternæ fructum, de illo ingreſſu eius in cæleſte ſanctuarium, totus orbis conſecutus eſt. Superhumerale huius pontificis, obedientia charitatis eſt, quia idem Chriſtus filius Dei portandis, imò tollendis peccatis noſtris humeros ſuos ſuppoſuit, & cum illis in crucem aſcendit. Nã dominus (inquit propheta) poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. Et benè ex quatuor coloribus ſupradictis, qui quatuor reſpõdent elementis mũdi, auro quoq; intextum ſuperhumerale fieri debuit, quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ autem pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi: non coacta, ſed ſpõtanea charitate, quæ cæteris virtutib. ita præeminet, vt cæteris metallis aurum præpollet. Duæ oræ iunctæ, & in ſingulis humeris ſinguli lapides onychini, nominibus duodecim filiorum Iſrael inſcripti, duo ſunt populi, tẽporibus quidem diſiuncti, ſed cauſa vel ſacramento coniuncti, quorum Chriſtus peccata in corpore ſuo pertulit. Neuter quippe aliter niſi per Chriſti gratiam ſaluari potuit, & vterque vno eodemq́; peccatorum portatore Chriſto indiguit. Et rectè lapides onychini, quæ ſpecies gemmæ ſiue lapidis colorem habet vnguis humani. Vndè & vocabulum ſor

CAPVT XXVIII.

Hebr. 4.

Cant. 5.

Ioann. 13.

Eſa. 53.

1. Ioan. 2.

Apoc. 19.

Pſal. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

titum est (Græci namque vnguem onychen dicunt) rectè inquam, quia pro hominibus *Ioann. 13.* Deus homo factus, peccatorum superhumerali oneratus est. Lapides eiusmodi nominibus filiorum Israel, id est, electorum omniũ inscripti sunt: ipse enim cunctos nouit ex nomine, quorum super se peccata tulit. Vndè & appropinquãs articulo pasiõis: Ego (inquit) scio quos elegerim. Iuxta ordinem, inquit, natiuitatis eorũ sculpes eos. Ergo cuncti maiores in vno, cũcti minores natu scripti sunt in lapide altero. Maiores filij Israel sunt qui ante, minores, qui post aduentum humerosi huius portatoris peccatorum cõscripti sunt. Maiores, inquam, qui ex Iudæis, minores qui *Exod. 4.* ex gentibus sunt. Nam de illo populo loquitur Deus ad Pharaonem: Filius meus primogenitus meus Israel. Rationale igitur iungitur superhumerali, quia misericordia & veritas obuiauerũt sibi. Misericordia in superhumerali, veritas intelligitur in rationali. Vndè & dicitur rationale iudicij, doctrina quoque *Esa. 84.* & veritas inscribitur illi. Qui enim in misericordia redemit, idem ipse in veritate iudicabit. Vndè non vno aut duobus lapidib. onychinis in rationali, sicut in superhumerali cũcta filiorum Israel nomina, sed singulis lapidibus singula inscripta sunt. Nam vna quidẽ *Rom. 2.* gratia cunctos Christus redemit, & cunctorum super humeros suos peccata tulit, sed in iudicio reddet vnicuiq; secundum opera sua. Et electorum quoq; non omnium eadem erunt præmia, sed pro diuersis differentia meritis. Multæ enim sunt (inquit) mansiones in *Ioan. 14.* domo patris mei. Multitudinem mãsionum cælestium, multiplex & distinctus designat ordo lapidum pretiosorum. Et enim apud Ezechielem contra principem Tyri nouem or- *Ezech. 28.* dines angelorum, per nouem designãtur nomina lapidum. Notandum, quod in superhumerali nõ solum catenulæ, sed & vncini sunt, qui rationale iudicij constringant, quia videlicet in misericordia redemptoris nostræ spei ancoræ sunt, vt semper misericordia superexaltet iudicium. Hoc in pectore suo portat pontifex, nam in præsentia sua scriptos habet omnes, omniumque condignas meritis ab origine mundi parauit mansiones. Cydarim quoque super caput pontifex accipit, ne Cherinthus vel Arrius, seu quilibet alius hæreticus, Iesu Christi filij Dei caput, id est, initium se vidisse arbitretur. Non enim sicut nos, ita & ille à carne existendi initium habuit, iuxta blasphemiam Cherinti, qui illum ante Mariam extitisse negauit, sed diuinum caput, qd erat in principio & ante secula, ibi abscondit. Cydaris ergo caput tegit pontificis, quia videlicet incõprehẽsibis est antiquitas vel origo diuinitatis Christi. Lamina aurea fronti imminens corona est gloriæ & honoris in ca- *Psalm. 8.* pite redemptoris. Gloria (inquit) & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et Apostolus cum dixisset: Chri- *Philip. 2.* stus factus est pro nobis obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis, continuò subiunxit: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Huius rei mysterium, scilicet nominis, quod est super omne nomen, in eo est, quod laminæ sanctum domini insculptũ est, id est, nomen domini Tetragrammaton, quod ineffabile dicunt. Scribitur enim quatuor literis Ioth He Vau He, quæ in syllabã aut vocem articulatã comprehendi nequeũt. Arcanum scripturæ hactenus latet, nisi quia ex interpretatione elementorum colligi potest, quòd Euangelicam fidem non minimè delectat. Interpretatur enim Ioth principiũ, He iste, Vau & He, iste. Estque continuus literarum sensus, principium iste, & iste. Hoc, inquam, iure nos delectet, quia principium iste pater, & principium iste filius est. Patrem esse principium videns vltro consentit. Principium se quoq; esse filius defendit, quia interrogãtibus Iudæis: Tu quis es? Principium ait, qui & loquor vobis. Hoc nomen profecto super omne nomen est, quia super princi- *Ioan. 8.* pium nihil esse potest. Igitur octauum pontificis decus, aurea lamina est, insculptum habens ineffabile nomẽ, quod dicitur sanctum domini, quia videlicet Christo pontifici propter pasionem mortis, octaua sua. i. resurrectionis gloria coronato, nomen quod est super omne nomen pater donauit, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Moralem filiorum Aaron. i. sacerdotum Christi ornatum studio proficiscendi præterimus, suis enim in locis inuenitur, sicut à patrib. expositus est. Sed & quæ deinceps Moysi imperantur à domino, dicẽ- *Exod. 29.* te. (Sed & hoc facies, vt mihi in sacerdotio cõsecrẽtur, tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, &c.) Quoniã sicut hic imperata, sic in Leuitico acta memorantur: nũc ipsa differim⁹, illic enim oportunius dicẽtur.

De vitulo quem fecerunt filij Israel, commutantes & ipsi veritatem Dei in mendacium.

CAPVT XXIIII.

CAPVT XXXII.

VIdens autem populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, ait: Surgẽs, fac nobis deos, qui præcedant nos, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit ei.) Et reliqua. Plana est res gesta, quia cito fecerũt, imò cito defecerunt, faciendo vitulum, & adorãdo sculptile: & quod valdè est admirandum, talem tantamq; gloriam suam mutauerunt in simi- *Psal. 105.* litudinem vituli comedentis fœnum. Celeritatem defectus, & ipse dominus quasi admirans. (Citò, inquit, recesserunt de via quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem.) Ergo Iudæi non minus quã Græci os om-

Roma. 2. os omne obstruatur, nam & isti commutauerunt veritatem Dei in mendacium. Dixerunt enim (Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.) Hoc, inquam, dicendo, veritatem Dei mutauerunt in mendacium, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, videlicet seruitute peccati, scriptura sic dicente: Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. In gloria similitudinis vituli comedentis fœnum, comederunt ac biberunt, & idcirco lusibus obscœnis cõtinuò semetipsos conuomuerunt, traditi in reprobum sensum, vt facerent ea, quæ non conueniũt, & mercedem quam oportuit erroris sui ita in semetipsis receperunt. Ergo & apostolo teste, Iudæorũ gloriatio excluſa est, vt non insultet Græco, quòd seruierit creaturę, nam quod grauius est, & ipse seruiuit in præuaricatione. Lex enim huic erat, & adhuc quasi aurum sermo Dei recẽs ab igne calebat. Paulò antè lectũ fuerat volumen fœderis à Moyse, audiente populo. Qui & dixerunt: Omnia quæ locutus est dominus, faciemus, & erim⁹ obedientes. Hoc facto vtique inaures aureas suis auribus internis appendebant. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, *Exo. 24.* & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscũ. Itaque vni viro Deo quasi coniugalem iurauerãt copulam, & in auribus mandatorum eius (vt iam dictum est) ornatam faciem habebant. At nunc tulerunt inaures aureas de vxorum & filiorum & filiarum suarum auribus, formauerunt que opere fusorio, & fecerunt ex eis vitulum conflatilem, & eisdem pedibus, quibus mare transierant, coram tali figura saltauerunt, & veritatem quam cecinerant, dicentes: Cantemus domino, gloriosè magnificatus est, equum & ascẽsorem proiecit in mare: in mendacium com- *Exod. 15.* mutauerunt cantando: Hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Igitur inexcusabilis est & Iudæus, qui Græcũ ad gra- *Rom. 2.* tiam Dei confugientem propter antiqua peccata iudicat: eadem enim egit quæ iudicat. Et quoties ab illo paululum cessauit pædagogi virga, stultus puer ad eadem vel similia se cõuertit idololatriæ flagitia.

Quod non vanè dixerit Deus: Dimitte me vt irascatur furor meus, &c. & quod nunc verè ita factum sit.

CAPVT XXV.

PRæsagium eius (quę nũc est) confusionis & ignominiæ Iudaicæ in isto scelere, prõptum est agnosci. Sicut enim tũc aurium suarum decus vel ornamentum, scilicet inaures aureas in vitulum formandum coniecerunt, & veritate derelicta, mendacium coluerunt: sic futurum erat, vt auream legis & prophetarum veritatem commutarent in mendacium, quod nunc faciunt sacros codices manibus tenentes, & vipereis linguis blasphemias contra Christum fabricantes, quòd nunc iam præuidens dominus, ait ad Moysen. (Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.) Quid ageret Moyses breuiter hic ipse innuit, Deum dixisse referens, dimitte me. Psalmista verò vehementius exprimit, & dixit inquiẽs, vt disperderet, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Per nimiam humilitatem significat, Moysen deũ tenuisse, dicendo in confractione. Cõfractio namque nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente Deo & domino vniuersæ fortitudinis principe res fortis est & valida, ita vt illa laborãte, quasi brachium suum ad percutiendum Deus extendere nõ valeat, regina virtutum agente ne resutetur ipsa, & vincente pro sua reuerentia. Attamen nunquid vanè dixit De⁹, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos? Nunquid in ventum dixit, faciamque te in gẽtem magnam? Imò sicut dictum, ita nunc factum est. Duram ceruicem populi illius Deus confregit, Moysen autem fecit in gentem magnam. Dilatauit enim Moysi legem spiritualem, vniuersam de gentibus ecclesiam toto orbe diffusam. Non ergo frustra dixit, deleã eos, faciamq; te in gentem magnã, dixit enim & factum est. Attamen distulit, ne tunc faceret in præsentiarum non dimittente Moyse, sicut dictũ est. (Placatusque est dominus (ait scriptura) ne faceret malũ, quòd locutus fuerat aduersus populum.

Confractio tabularum priorum, & vituli contriti, pulueremque in aquam sparsum, & ad potãdum exhibitum, quid significet mystice.

CAPVT XXVI.

ET reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu scriptas ex vtraque parte, & factas opere domini. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros, iratusque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radices mõtis.) Confractionis prædictæ, qua populi illius hodie Deus duram ceruicem confregit, præsagium in tabulis lapideis præcurrit. Sicut enim illæ confractæ sunt confringente Moyse: sic lapidea Iudæorum corda confra- *Ioan. 5.* cta sunt & reprobata, accusante Moyse, quẽadmodum dicit. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos sperati. (Arripiensque vitulum quem fecerant, combusit & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aqua, & dedit ex eo potum filijs Israel.) Vituli puluerem, quem adorauerant, in contemptum superstitionis in potum accipiunt, vt contemnere discant, quod in secessum proijci viderant. Cæterùm iuxta anagogen, idem de hoc facto, quod & de illo dicto prophetico sentiendum. Tu confregisti capita draconis, dedisti cum escã populis Aethiopum. Capita namq; *Psalm. 72.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

draconis, siue vituli, per quod diaboli cultũ licet intelligi, ecce Deus Moysi confregit, atque in puluerem redactum, populo suo in potum dedit: qui eos qui ex parte vel regno erant diaboli per pœnitentiam confractos, & in puluerem humilis cõscientiæ redactos, ecclesiæ suæ per baptismi aquam incorporauit.

De austeritate Moysi dicentis: Ponat vir gladium super fœmur suum. & pietate eius, qua pro illis Deum orauit, quod vtrobique prælatis imitandus sit.

CAPVT XXVII.

VIdens ergo Moyses populum quòd esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron, propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum, ait: Si quis est domini, iungatur mihi. Cõgregatique sunt ad eum oẽs filij Leui. Quibus ait: Hęc dicit dominꝰ deus Israel: Ponat vir gladium super fœmur suum: Ite & redite de porta vsque ad portam, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, & reliqua. Non ergo noua austeritas Moysi, in eo quod Iudæos, vitulum mendacij fabricantes, & arcam veritatis Christum blasphemantes accusat, vt prædictum est in testimonio dicentis, est qui accuset vos Moyses, in quo vos speratis: non enim sic tenuit Deum, iramque eius repressit, ne deleret eos, vt careret zelo bono & nõ æmularetur pro domino: sed ponat, inquit, vir gladium super fœmur suum, & occidat vnusquisque fratrem, & proximum, & amicum suum. Aiunt quidam, quòd aureum vitulum in puluerem redactum, in potu illis in indicium dederit, & hoc facto, qui auctores fuerunt sceleris, aureis prominẽtibus labijs publicati vel deprehensi, ita demum per cussoribus de porta vsq; ad portam per medium castrorum eũtibus ac redeuntibus, nõ indiscretè cæsi, sed cum iudicio fuerunt puniti. Intueri nunc libet, in Moysi pectore misericordiam cum sæueritate sociatam. Certè cum audiret, descende, peccauit populus tuus, ac si ei diuina vox diceret, qui in tali peccato lapsus est, iam meus non est, itemque & hoc subiungeret dominus: Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, faciamq; te in gentem magnam, ille ad impetum irascentis Dei placandum, se obicem opposuit. (Iterumque reuersus ad dominum, ait: Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.) Hoc nimirum misericordię est. Verùm, circa subditos suos rectoribus inesse debet, non solum iustè cõsulens misericordia, sed & piè sæuiens disciplina: qui ergo tanto populi amore constringitur, contra culpas eius, considera quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim, vt petitione primæ culpæ veniam, ne delerentur, obtinuit, ad eundem populum veniens, ait: Ponat vir gladium super fœmur suum, ite & redite de porta vsque ad portam, per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrẽ, & amicum, & proximum suum. (Ceciderunt q́ue in die illo XXIII. milia hominum.) Eccè qui vitam hominum etiam cum sua morte petiuit, & paucorum vitam gladio extinxit: intus arsit ignibus amoris, foris accensus zelo sæueritatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram domino morti offerre nõ dubitaret. Tanta sæueritas, vt quia eos diuinitus feriri timuit, ipse iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amauit, vt eos etiam domino parcente prosterneret. Vtrobique legatus fortis, vtrobiq; mediator mirabilis. Causam populi apud dominum precibꝰ, causam Dei apud populum gladijs alligauit.

Contra eos, qui sedent super cathedrã Moysi, & non sequuntur exemplum eius.

CAPVT XXVIII.

OMnibus qui in regimine animarũ præsũt, qualiter præesse, imò qualiter prodesse debeant, hinc exemplum trahendum est, vt videlicet intus amantes, diuinæ iræ supplicando obsistant: foris sæuientes, culpam ferendo consumant. Alioquin malè sedent super cathedram Moysi: sunt enim sicut scribæ & pharisæi, si sedentes in loco Moysi, deserunt prædictum officium, vel curam Moysi. Hi pro se dictũ putent, quod in Euãgelio suo dominus dicit: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. *Matth. 23.* Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt, & cætera. Idcirco sancta Romana ecclesia talibus desidiosis & negligentibus, & iuxta Amos prophetam, dormientibus in lectis eburneis, & lasciuientibus in stratis, cùm comederint agnum de grege, & vitulũ de medio armenti: talibus, inquam, somnolentis prædictæ lectionis Euangelicæ, lucernam per singulos annos vna dominicarũ in oculos ingerere consueuit, valido simul concentu concrepans hoc exemplum Moysi, ne nesciant quid sequi debeant, videlicet quia sanctificauit Moyses altare domino, & immolans victimas fecit sacrificium matutinũ in odorem suauitatis Domino Deo, in conspectu filiorũ Israel, & deinde consurgens ascẽdit in montem, vbi constituit ei Deus, & videns eum, procidens adorauit eum, dicens: Obsecro domine, dimitte peccata populi tui aut si non facis, dele me de libro quẽ scripsisti: ac deinceps orans, si inueni gratiam in oculis tuis, ostẽde mihi teipsum manifestè, vt videam te, &c. Cur enim tam longo, tamq; acuto canore res ista declamatur, nisi quia grãde negotiũ est, vt qui præsunt, ad hoc excitentur, vt Moysi exẽplo soliciti sint non dilatare phylacteria sua, vel magnificare fimbrias: sed prouidere populo, ne fortè gratia Dei nudatus, & inter hostes visibiles siue inuisibiles, nudus propter peccata sit constitutus, eumq́ue operire meritis, & protegere precibus? Nunc iam quæ dicta quęsitu digna sunt, diligentius percurramus. *Amos 6.* *Exemplũ Moysi.*

De eo quod Moyses ait: Aut dimitte, & cætera. Et de eo quod dominus dixit: Ego autem in die vltionis visitabo hoc peccatum.

CAPVT XXIX.

AVt dimitte eis, inquit, hãc noxam, aut si nõ facis, dele me de libro quem scripsisti.) Quare? Videlicet quia & ego peccator sum, si non est apud te propitiatio, si iudiciũ apud te est sine misericordia, consequitur, vt & me de libro tuo deleas. Si enim iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Ergo si tu peccata nõ dimittis, si soli apud te scripti permanẽt iusti, cõsequens est, vt nec ego permaneam in libro tuo quem scripsisti. Scripsisse, & quod scripserit delere dicitur Deus, non quod mutetur, quasi homo sæpè mutans stilum suum, iterum quæ digna sunt legi scripturus: sed quod multos qui scripti esse sibi videntur, eo quod confiteantur se nosse Deum, de memoria tollat per iudicium factorum, quia factis negant. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi: id est, multi in præsenti ecclesia nomina sua dando in libro confessionis conscripti, sed pauci (quod valdè pauendum est) iudicij diluuium euasuri sunt. Vndè & protinus respõdens dicit. (Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.) Et continuò. (Tu autem vade, & duc populum istum, quò locutus sum tibi.) Tu autem, inquit, subauditur, quę ego noui ex nomine. Sic enim postmodum dicit: Inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine. Igitur cum ad petitionem dicentis, aut dimitte eis hanc noxam: aut si nõ facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, ita dominus respondet. Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo, tu autem vade, & duc populũ istum, quò locutus sum tibi: miro modo partem vtranque euadit, vt neque noxam hanc omninò dimittat, neque seruum fidelem de aliorum ruina in magna humilitate trepidãtem abundantiori tristitia absorberi, vel desperationi appropinquare permittat. Neque enim noxam hanc eis dimittit, qui protinus subiungit. (Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.) De qua vltione propheticè simul ac mysticè protinus subiungit. (Percussit ergo dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron.) Nam & pro reatu huius vituli materialis quem fecit hic Aarõ, & pro reatu vituli, id est, mendacij, quod fecerunt principes sacerdotum, in quod veritatẽ Dei commutauerũt (vt superius iam dictum est) blasphemando & abnegando Christum Dei filium, ecce percussit dominus populum Iudaicum. Vndè signanter dixit, visitabo & hoc peccatum eorum, & hoc, inquam, subauditur & aliud, cuius in isto typus est vel præfiguratio, quod facturi sunt. *Psal. 129.* *Matth. 22.* *Exod. 33.* *2. Cor. 7.*

Quod vno spiritu dictum sit ab isto. Aut si non facis, dele me de libro: & ab Apostolo. Optabam & ipse anathema esse pro fratribus.

CAPVT XXX.

NOtandũ, quod non dixit Moyses: dele me pro illis de libro tuo quem scripsisti, aut opto deleri vt scribantur isti: sed, si non dimittis eis, dele me inquit: quod idem est ac si diceret, si deles illos, dele & me cum illis. Hoc propter illud nunc dicimus, quod eodem spiritu Apostolus dicit: Veritatem dico in Christo, non mentior, testimoniũ mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribꝰ meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, &cæt. Nam eadem charitate & hic locutus est & ille, sed paulò differt in verbis, dum hic anathema cupit esse pro fratribus suis, hic autẽ deleri se concedit cum illis. Ille sua separatione vult salutẽ fratrũ redimere, hic si non possit eorũ salutem obtinere, concedit se cum eis de libro viuentium deleri, vel anathema existere. Vtriusque dicta magni ponderis sunt, & nostras vires excedunt. Magni etiam viri hactenus vtranque sententiam humeris suis versauerunt, & rem sicut est satis verbis exprimere non potuerũt. Est enim hoc penè ineffabile, nec nisi aliquid de eiusdem charitatis spiritu habentibus, saltem sensu perceptibile est, quomodo homo Deo familiaris qualicunque causa vel ratione, hoc animo suo admittere possit, vt à Deo anathema esse, vel de libro eius concedat seipsum deleri, quomodo in ista concessione non solum nullam incurrat pœnam aut culpam, sed etiam ampliorem apud Deum mereatur gratiam. Nobis hoc non solum de tãta re sublucet, quia Deus charitas, Deus humilitas est, & cum per humilitatem siue charitatem, à Deo quisquam procul absistit, indigniorem se iudicans eis, pro quibus interuenit, miro modo, quantum se deprimit, tantum ascendit: quantum condemnat, tantum iustificat: quantum à Deo, quasi recedit, tantum illi proximus sit. Diuitias animi eiusmodi, nos frigidi atque inopes ignoramus: & idcirco cum legimus, illum anathema se esse optantem pro fratribus, istum de libro Dei deleri se concedẽtem, aut dicta dissimulamus, aut in sensum exilem grauissimè prolata detorquemus. Cæterùm quem spiritus idem tetigit, vidit ex parte aliqua, quantum talis habitus mentis apud Deum valeat, pro sua reuerentia. Videre sibi videtur, maiestatem cælis omnibus ac terris tremendam, de solio suo surgere & accedere vulnerato corde, rogare amicum quasi discedẽtem, ne deserat se, dicentemq;: verbi gratia. Ego ostendã omne bonũ tibi, & vocabo in nomine do- *CAPVT XXXIII.* *Rom. 2.* *Exod. 33.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mini coram me. Hoc sentiens anima beata, fortitudine sua vtitur, quia solis superbis resistere potest Deus, & dicente Deo, dimitte me, vt irasci mihi liceat cum tuo consensu, non audit, non consentit, & non patitur nisi interdum voluntatem hominis faciat Deus, & in istis viribus suis mirabiliter confracta, sicut & de isto dictum est, quia stetit in confractione in conspectu eius, ineffabili dulcedine pascitur, ineffabili charitatis vulnere scinditur, cuius sanguinem absq; reuerentia videre non sustinet altissimus.

Psal.105.

Quod dixerit Deus: Angelus meus præcedet te, subiungens: Non enim ascendam tecum.

CAPVT XXXI.

CAPVT XXXII. ANgelus meus, inquit, præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.) Ac deinceps. (Et mittam præcursorem tui angelum, vt eijciam Chananæum, & intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim ascendã tecum, quia populus duræ ceruicis es, &c. Mirum fortè videbitur, quomodo ad orationem Moysi placatus fuerit dominus, ne faceret malũ quod locutus fuerat aduersus populum suum, & tamen idem Moyses postquam dixit: (Consecrastis manus vestras hodie domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo. Facto die altero, dixit ad populum: Peccastis peccatum maximum, ascendam ad dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.) Sed profectò liquet, quia placatus quidem in eo fuerat dominus, ne in præsentiarum corporaliter deleret eos, suggerente, & quasi consulente Moyse, Ne quæso dicãt Aegyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret eos in montibus, & deleret eos è terra: sed in eo nondum placatus fuerat, vt dominum eorum se esse rursus profiteretur, vndè & adhuc alieno animo loquitur secũdò, vt semel fuerat locutus, vade & descende de loco isto tu & populus tuus, tuus, inquam, non meus. Ergo angelus meus præcedet te, inquit: siue, emittam præcursorem tui angelum, subauditur, ad hoc tantum vt intres terram Chananæorum, nõ etiam ad hoc vt intres in terram viuentium. Non enim sum Deus tuus. Non tuipse es populus meus. Nam hoc est quod dicit: Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te in via: ac si dicat, quoniam populus duræ ceruicis es, non tibi expedit, vt me Deum tuum nomines, vt culturam meam profitearis, vt leges meas baiules, ad præuaricandum tam pronus & facilis. Leuius enim multo est, Deum nescire, quã cognitum irritare. Tolerabilius est, viam Dei ignorare, quã postagnitam retrorsum ire. Idcirco si ascendero tecum, si me dixeris Deum tuum, iustius in via disperdam te prouocantem me dura ceruice.

Quomodo non sit contrarium, quod ait: Non ascendam tecum, & quod itidem subiungit: Semel ascendam in medio tui.

CAPVT XXXII.

NOn ascendam ait tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te in via.) Ac deinceps. (Populus duræ ceruicis es. Semel ascendam in medio tui, & delebo te.) Contraria hæc vel repugnantia esse videntur, non ascendam tecum, ne fortè disperdam te, & semel ascendam in medio tui, & delebo te. Sed notanda in sermone diuersitas. Negando enim dixit: non ascendam tecum. Affirmando. Semel ascendam tecum, dixit, in medio tui. Non parum differt in verbis aut in sensu, quòd illic tecum, hic autem in medio tui, dixit. Verbi gratia: Debellator siue aduersarius cum ciuitatem irruperit, rectè in medio populi ascendisse dicitur: cum populo autem ascendisse non rectè dicitur. Igitur & quod dixit, non ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te, & quod iterum ait: semel ascendam in medio tui, & delebo te, vtrunque admota discretionis lampade peruidendum est. Non ascendam tecum, dixit. Quare? Ne *1.Cor.2.* fortè disperdam te. Tu enim duræ ceruicis *2.Cor.3.* populus es, tu puer sensu, tu quasi iuuenculus lasciuus & indocilis es. Tu animalis homo es, & ea quæ Dei sunt non percipis, idcirco ponam velamen super faciem tuam, idcirco non in manifestatione rerum, sed in figuris, & in vmbris loquar ad te, de altitudine mysteriorum cælestium. Quare? Ne fortè disperdam te. Tu enim rerum altitudinem non sustineres, sed blasphemares, sed dura ceruice recalcitrares, & ita me ad disperdendum te prouocares. Quandoque tamen ita fiet. Semel ascẽdam non quidem tecum, sed in medio tui, & delebo te. Ascen- *Baruch 3.* dam, inquam, in medio tui: nam in terra videbor, & cum hominibus conuersabor. Et delebo te, inquit, subauditur, de libro meo, quem scripsi. Nã hoc ad illud respicit, quod suprà Moysi dicenti, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti, qui peccauerit, inquit, mihi, delebo eum de libro meo. Nec vana comminatio. Semel enim ascendit, semel humanatus est, semel passus, mortuus est, & resurrexit, & in cælum ascendit, & tunc demum illum populum dura ceruice ascensus sui nimis impatientem deleuit completa prophetia, quæ di- *Psalm.67.* cit: Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Deleuit, inquam, id est, non scripsit, & quod scripti esse videbantur, dicendo filios se esse Abrahæ, & habendo templum & altare, quasi calami vitium absterst, delendo cum eis templum ipsorũ, *Apoc.2.* & altare. Itaque quamuis dicant, se Iudæos esse, non tamen sunt Iudæi, sed sunt synagoga satanæ, planè deleti sunt, Deo pro illis, aliorum confessorum nomina scribente, aliosque suscitante pro illis filios Abrahæ.

Deco

De eo quod ait: Iam nunc depone ornatum tuum, &c. & quid mystice sit, quod Moyses tabernaculum, quod nunc tabernaculum fœderis vocauit, extra castra tetendit.

CAPVT XXXIII.

AVdiens autem populus sermonẽ hunc pessimum, luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo. Et Dominus: Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciã tibi.) Hoc iuxta historiam, lectorem ædificat, quia videlicet nisi ambulet peccator demisso capite, nondũ se scire fatetur deus quid ei faciat: nullam enim habet materiam struendæ misericordiæ, nisi ambitio vel habitus pœnitentiæ præcedat. (Deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum, à monte Choreb. Moyses quoque tollens tabernaculum tetẽdit extra castra, procul: vocauitque nomen eius tabernaculũ fœderis.) Putaremus vno die quo descendit Moyses de monte dicta hæc esse vel acta, sed ecce litera repugnat, iã enim tabernaculum factum est, quod Moyses tetendit extra castra. O ergo magnum & mirum spectaculum, magna & mira dispensatio mysteriorum cœlestium. Interim dum tabernaculum constituitur, inimicitiæ sunt inter deum & populum, pro reatu vituli, & *Hebr.8.* non ante soluuntur eędem inimicitiæ, nisi prius tendatur tabernaculum, & perinde vocatur tabernaculum fœderis. Diximus suprà de cælestib. quorum secundum exemplar, hoc ipsum tabernaculum factum est. Quid igitur est hoc, nisi quia dũ essent inimicitiæ inter deum & homines, propter soluẽdas easdem inimicitias, tabernaculum verũ, quòd fixit deus, & non homo, ab incarnatione Christi filij dei fieri cœptum est? Proinde valdè notandũ, quod dicitur. (Et omnis populus qui habebat aliquam quæstionẽ egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra. Cunq; egrederetur Moyses ad tabernaculũ fœderis, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis suæ. Aspiciebãtq; tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. Ingresso aũt illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturq; cum Moyse cernentibus vniuersis, quòd columna nubis staret ad ostiũ tabernaculi. Stabãtq; ipsi, & adorabãt per fores tabernaculorũ suorũ.) Quid nam est, quòd tenditur tabernaculum extra castra, nisi quod cælestia sancta, quorũ pontifex ac minister Christus est, extra car- *Esa.1.* nales Iudæorum tenduntur cæremonias, quas odiuit anima domini, sicut dicit Esaias? Et quid est quod omnis populus qui habebat aliquam quæstionem, egrediebantur ad illud tabernaculum fœderis, nisi quia omnis qui scripturarum quærit veritatẽ, oportet vt egrediatur ad hæc sancta Christi sacramenta, per quæ sumus Deo reconciliati? Velamẽ quippe quod super Iudæorum cor positum est, in solo Christo reuelatur. Quid, inquã, est, quòd ingresso Moyse tabernaculum fœderis, descendebat & stabat ad ostium tabernaculi columna nubis, videntibus cunctis, nisi quòd cõiuncta lege, quę per Moysen data est, cùm gratia & veritate quæ per Chri- CAPVT
stum Iesum facta est, stat in ingressu recon- XXXIII.
ciliationis, incarnatio eiusdem Christi filij
Dei, vt videlicet tabernaculum fœderis in- *2.Cor.3.*
gredi, id est, Deo reconciliari nemo possit, *Ioan.4.*
nisi per istam columnam nubis, in qua thro
num suum sapientia posuit, per istam carnẽ
in qua corporaliter inhabitat omnis plenitu
do diuinitatis? Loquebatur cum Moyse, cer-
nentibus vniuersis? Quomodo cernentibus?
Aspiciebantque, inquit, tergum Moysi, do-
nec ingrederetur tentorium. Ergo lex &
Euangelium familiare quidem atque conso
num habent colloquium, sed donec omnia
compleantur, quæ vtroque testamento pro-
missa sunt, Iudæi non videbunt: non enim
faciem, sed tergum Moysi, filij Israel vide-
runt.

De eo quod dictum est: Stabantq;, & ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.

CAPVT XXXIIII.

IVxta historiam, moralem sensum legentis, hæc ipsa res ædificat. Quid est enim populum columnam nubis aspicere, & in tabernaculi sui forib. stare atq; adorare, nisi quòd humana mens cum superiora illa, atq; cælestia vtcunque in ænigmate conspicit, iam claustra habitationis corporeæ per subleuatam cogitationem exit: atque illum humiliter adorat, cuius etsi videre substantiam non valet, iam tamen eius potentiam per illuminationem spiritus miratur? Et cũ Moyses tabernaculum ingreditur, eius terga populus aspicit, & in papilionum suorũ ostijs consistit, quia cùm sanctus quisq; prædicator, alta de Deo loquitur, & supernæ habitationis iam vtcũque habitaculum ingreditur, eius terga populus aspicit. Cuius prædicationis infirmi quique etsi virtutem plenè pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt, quia postrema quæ prævalent per intellectum sequuntur, sed in ipsis quoque minimis, quæ capere sufficiunt, iam de suis papilionibus quasi exeunt, atq; in ostijs stant quia & habitacula carnis relinquere, & ad illa æternæ vitæ gaudia, quæ audiunt progredi conantur.

Quòd dictum est: Loquebatur autem Dominus Moysi facie, & cætera, & quòd postmodum dicit: Ostende mihi faciem tuam.

CAPVT XXXV.

LOquebatur autem Dominus Moysi facie ad faciẽ, sicut loqui solet homo ad amicum suum.) Postmodũ dicit: (Si inueni

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiã in cõspectu tuo, ostende mihi teipsum manifestè, vt videam te.) Certè si deus non erat cum quo loquebatur, ostẽde mihi dicebat deũ. ret, & non ostende mihi temetipsum. Si autẽ Deus erat, cum quo loquebatur facie ad faciem, cur se petebat videre, quẽ videbat? Sed hac eius petitiõe colligitur, quia illũ sitiebat, per incircunscriptam naturæ suę claritatem cernere, quẽ iam cœperat per quasdam imagines videre, vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem, nulla imago creata temporaliter interesset. Cur igitur sic dictũ est: Loquebatur dominus Moysi facie ad faciẽ, sicut loqui solet homo ad amicum suum: cũ in hac mortali carne consistentib. videri non possit in sua substantia lumen incircunscriptũ? Idcircò videlicet, quia suum ab illo consiliũ non abscondebat, & secretorum suorum eũ faciebat cõscium. Quomodo enim loqui solet homo ad amicum suum? Aperiendo vtique illi consilium suum, nõ celando illi quæ fact̃ sit, eo ꝙ custos sit animi, vnde & amici vocabulum originem sumpsit. Et scimus. Num. 12. quia prophetarũ maximus Moyses extitit, sicut Dominus de illo testimonium perhibet, cùm dicit ad Aaron & Mariam: Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos propheta Dñi, in visione apparebo ei, & vel per Deut. 34. somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est? Ore enim ad os loquar ei, & palam, non per ænigmata & figuras dominum videt. Item scriptura dicit: Et nõ surrexit propheta vltrà in Israel, sicut Moyses, quem nosset dominus facie ad faciẽ in omnibus signis atq; portentis. Igitur quia quod prophetarũ est. s. præuidere consilium Dei, quod carnalib. siue popularibus, sub figuris abscondebatur & cæremonijs vmbraticis, quia, inquam, hoc Moysi datum est, & non posteriorib. prophetis: rectè sic de illo est dictũ, quia loquebatur ei Dñs facie ad faciem, quomodo loqui solet homo ad amicum suum.

Quomodo Moyses videbat deũ.

Quid sit mysticè, quòd Moyse reuertente in castra, Iosue non recedebat de tabernaculo.

CAPVT XXXVI.

CVmque ille reuerteretur in castra, minister eius Iosue, filius Nun puer non recedebat de tabernaculo.) Reuerso Moysi in castra, lectio legis est sine euangelij gratia. Suprà diximus, colloquiũ domini cũ Moyse ad tabernaculi ostium, consonantiam esse legis & gratiæ, ad ingressum veri & cælestis tabernaculi, quia videlicet vtrunq; recipere vel profiteri oportet eum, qui ingreditur in tabernaculũ fœderis, id est, qui deo per mortem filij eius cupit reconciliari. Ergo Moyses quidem reuertitur in castra, sed Iosue minister eius non recedit de tabernaculo, quia videlicet lex quidem legitur in synagoga, quæ tabernaculo vero non appropinquat, sed spiritus legis, cũ Christi perseuerat gratia in Euãgelio. Iosue quippe minister Moysi, spiritum legis in eo quoque rectè significat, quia populum in eam repromissionis terram introduxit, quam per Moysen Dominus eidem populo promisit. Sic etenim litera legis, promissiones quidem Dei continet, sed nisi per spiritualem legis intelligentiam, promissionibus eisdem nemo dignus effici potest. Legant igitur occidentem literam, carnales Iudæi: nam spiritus viuificans à tabernaculo, cuius pontifex Christus est, non recedit.

Quòd placatus fuerit Dominus, vt nõ faceret malũ, sed non in eo, vt esset Deus eorum, & ascenderet cum eis.

CAPVT XXXVII.

DIxit autem Moyses ad dominum: Præcipis, vt educam populum istum, & nõ indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris, noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.) Hoc est, quod supra iam dictum est, quia placatus quidẽ fuerat Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum, & introduceret eos in terram Chananæorum, sed non etiam placatus fuerat in eo, vt ascenderet cum eis, & esset deus eorum, quod est introducere in terram & regionem viuentium. Ait ergo, præcipis vt educam populũ istum, subauditur, in terram istam mortuorum siue mortalium: & non indicas mihi, quem missurus es mecum, subauditur, qui introducat populum istum in terram viuentium, præsertim cùm dixeris, noui te ex nomine. Quasi consequens sit, vt quod ipse notus est deo, hoc alios qui dei notitia non sunt digni, commendare possit, sic deum ex ore ipsius pietas humana constringere cupit. Sic enim per alium prophetam, idem dominus dicit: Si fuerint tres isti viri in medio eorũ, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ipsi soli liberabuntur. Nõ liberabunt filios, neque filias, sed ipsi soli liberabuntur. Non indicas, inquit, mihi, quẽ missurus es mecum. Ergóne Moysi non indicabat deus, quod missurus esset Christum filium suum: cùm (vt prædictum est) loqueretur ei facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum? Sed audi quod sequitur. Ezech. 14.

Quòd Christi aduentum Moyses suspiret, dicendo: Si tu non ipse præcedes, ne educas nos de loco isto.

CAPVT XXXVIII.

SI ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos, respice populum tuum, gentem hanc.) Hoc igitur postulat indicari sibi. i. populo Israel, cuius personam gerit, cuius causam suscepit, cuius legatione functus quanta potuit fortitudine,

fortitudine, hactenus vsus est, tenendo deũ, dicentem: dimitte me, indicari, inquam, populo Israel, eum, quem missurus est vt cum venerit, ostendat illis faciem suam, vt videatur manifestè. (Et Dominus ad hæc: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.) Parum dictum est: Potest enim subaudiri, ad hoc tantùm, vt supra dixit, vt eijciam Chananæum, & Amorrhæũ, & Aethæũ, & Pherezæum, & Aeuæum, & Iebusæum. (Ait ergo Moyses: Si non tu ipse præcedes, ne educas nos de loco isto.) Quia per faciem poterat intelligi angelus, qui ad deijciendũ Chananeũ hominẽ sufficeret, si, inquit, non tu ipse præcedes, qui solus diabolum, mũdi principem eijcere potes, non educas nos de loco isto. Quo enim nobis viuere, filiosq; procreare, si non tu ipse veneris, qui natos ad mortem, solus potes ad vitam regenerare? Addidit ad huc: (In quo enim scire poterimus, ego & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur, ab omnib. populis, qui habitant super terram? Vt glorificemur, inquit, ab omnibus populis.) Ergóne ad hoc tẽdit vir mansuetissimus tota confractione cordis sui, vt glorificetur gentium cædibus, & bellorũ victorijs? Nempe gloria hæc vana est. Igitur illud potius fortissima prece versat, vt glorificetur ille populus pro parte electorum à cunctis populis, dicentibus: quia salus ex Iudeis est. Proinde continuò Dñs: (Et verbũ istud quod locutus es faciam.) Hoc, inquit, faciã, vt glorificeris tu, & populus meus, à cunctis populis qui habitant super terrã, quia vestra est adoptio filiorum, & gloria, & testamẽtũ, & legislatio, & obsequiu, & ꝓmissa, & Christus ex vobis secundũ carnẽ, qui est super omnia deus benedictus in secula. Hoc modo nunc oẽs populi glorificant populum illũ & ita planè gloriam illam, gloriam suam esse faciũt. Ioan. 4. Rom. 9.

Quod ait Dominus: Noui te ex nomine, & quid illud sit nomen, quo electorum quenq; nouerit.

CAPVT XXXIX.

INueniſti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine.) Confirmat hoc Deus, quod paulò antè gemebundus cõmorauerat Dei famulus, dicendo: præsertim cùm dixeris, noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. Sed quo nam ex nomine Deus nouit illum? Nunquid ex eo tantùm, quod filia Pharaonis imposuit illi vocans eũ Moysen, dicens: quia de aqua tuli ipsum? Equidẽ ex isto quoq; nomine, nescire deus nõ poterat eum, quo & appellare ipsum de rubo dignatus est, iterato dicẽs: Moyses, Moyses. Sed quid magnum est, quempiã à deo taliter cognosci, vel compellari ex nomine? Nempe ita Pharaonem regem Aegypti nominare nouit, compellens etiam illum in ꝓpheta, qui per ipsum præfiguratus est: Eccè ego ad te Pharao rex Aegypti draco magne: Et ad eundem principem superbiæ, eieci te inquit, ô Tyre. Quid ergo magnum est, deũ quempiam taliter scire ex nomine? At nunquid in regno eius huiusmodi vocabulis indigebimus? Igitur cùm dicit, teipsum noui ex nomine, subaudiendum est, Dei: quod inuocatum est super te. Ex hoc etenim nomine Deo notus est omnis qui scriptus est in libro vitæ. Vnde in Apocalypsi de victore dicit: Et scribam super eum nomen dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalẽ, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomẽ meum nouum. Isto ex nomine, & Moysen, & omnem electum Deus agnoscit hominem. Sed vnum, idemque nomen, cùm sit, quasi varijs literis scribitur, vt in alio aurea, in alio argentea, in alio rursus purpurea, siue candida scriptura laudetur, multa quippe sunt dona nominis Domini, neq; vni cuncta tribuuntur. Quantum quisque Deum cognoscit, tantum in eo fulget nomen Domini. Nomen quippe à notione dictum est. Et vnum itaque nomen Domini est, quod super nos ille scripsit: & multa sunt nomina nostra, de quibus idem nos agnoscit. Hinc est quod pluraliter dicit: In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Ezech. 29. CAPVT XXXIIII Ezech. 29 Apoc. 3. Luc. 10.

Quòd tria hæc diligẽter discernẽda sint: Ego ostendã tibi omne bonũ, Non poteris videre faciem meam, Eccè est locus apud me, & stabis supra petram.

CAPVT XL.

QVi ait: Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocãbor in nomine Domini coram te, & miserebor cui voluero, & clemẽs ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & viuet. Et iterum: Eccè, inquit, est locus apud me, & cætera.) Notanda hic diligenter gemina subdistinctio. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, rursumque ait: non poteris videre faciem meam, in persona populi Iudaici pro parte reproborum, quod iterum ait: (Eccè est locus apud me, stabis supra petrã, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam, tollamq; manum meam, & videbis posteriora mea.) Itẽ in persona eiusdem populi dictum accipe, sed pro parte electorum. Equidẽ mortalis homo, peccato primi parẽtis obscuratus atq; infirmus factus, q̃diu viuit in hoc mortali corpore, deum videre non potest, quippe cùm nec angelũ dei Daniel sanctus videre sustinuerit. Nam cùm venisset, inquit, ad me, pauens corruiin faciem meam, & cùm loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram. Ac deinceps: Et ego Daniel lãgui & ægrotaui per dies. Verùm nos hic mysticas rationes quærimus, videlicet, quia non frustra, hoc maximè loco, Exod. 2. Dani. 8.

cum Deum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Deum offendisset populus, tali ordine de videnda gloria Dñi, Moyses postulasse creditur. Igitur quod postulanti atq; dicēti: Ostende mihi gloriam tuam, respondit: Ego ostendam omne bonū tibi, & vocabor in nomine domini corā te, & miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit: pro persona sua dicitur illi, & ad illud spectat ꝙ supra dixerat hic, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Ac si dicat: Ego ostendā gloriam meam, ego ostendam omne bonum tibi, non cuiuis, non pariter omni populo, pro quo petis, sed tibi, quem ego ex nomine noui, & vocabor in nomine domini corā te, vocabor, inquam. i. ostendam eandem gloriam in nomine domini, in quo te noui, vocabor vtiq; coram te, vt videas manifestè, ꝙ nunc vides per speculum, & in ænigmate, & ex parte cognoscis, & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit, quia videlicet nulli quicquam debeo, quoniā omniū pater Adam in me peccauit, & proinde quicquid ostendero tibi, vel cuilibet alij, gratiæ est, non debiti. Quod deinde facta subdistinctione rursum ait, non poteris videre faciē meam, nō enim videbit me homo & viuet, idem est acsi dicat: In medio populi huius, ꝑ quo postulas, cuius prælocutor es, non sic ascendam, vt videat faciem meam, vt ostendā illi gloriam meam. Quare? Non enim videbit me homo & viuet. Ego autē idcircò ascēdam homo factus inter homines, vt in me reuiuiscat homo qui in Adam mortuus est. Si igitur ascendero non in homine, Deus absconditus, sed Deus manifestus, crucis vtilitas impedietur, & homo non viuet, quia non erit redemptus. Veruntamen fidem habentibus opportunitas videndi non negabitur. Hoc est quod sequitur: Eccè est locus apud me, stabis supra petrā, cumq; trāsibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam. Tollamq; manū meam, & videbis posteriora mea. Hoc enim pro parte dictū est electorū, videlicet Petri, cæterorūq; Apostolorū, vel omnium qui ex eodē populo crediderūt, aut credituri sunt, quib. nihil obfuit quòd faciem. i. præsentiam Dñi, sicut erat non viderūt. Postquam enim resurrexit à mortuis, & ascendit in cælū tunc cognouerunt, & ita quodammodo posteriora eius viderunt. Dicat ergo: Est locus apud me, stabis supra petram. Quā videlicet super petram stabat Petrus iam cùm diceret: Tu es Christus filius Dei viui, & idcircò tale respōsum accepit: Et ego dico tibi, tu es Petrus & super hanc petrā ædificabo ecclesiam meam. Cumq; transibit gloria mea. i. cùm transiero ex hoc mundo, glorificatus magna resurrectionis & ascensionis gloria, ponā te. i. omnē Israelitā, quicūq; erit ex tua fide, quēcunque nō excæcauerit fumus inuidiæ, ponam, inq̄, in foramine petræ. i. in fide passionis meæ, &

Matth. 16.

protegam dextera mea, nō enim rapiet quis quam de manu mea donec transeam, vt præ dictum est: Tollamq; manum meam, id est, extollam potentiam meam, & videbis posteriora mea, sicut iam dictum est: Faciem autem meam, id est, dum præsens in corpore sum, maiestatē meam non poteris videre.

De eo: Præcide tibi, & cætera: Et de sententia Pauli, dicentis: Non rursus iacientes fundamentum pœnitētia de operibus mortuis.

CAPVT XLI.

CAPVT XXXIIII

ACdeinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerūt tabulæ, quas fregisti, &c.) Hic quia gens præuaricatrix primam fidē irritam fecerat in cōflatione vituli, & totum ædificiū fœderis collapsum fuerat, penè ab alio rursus principio inchoatur, dum dicitur: (Esto paratus mane, vt ascēdas statim in montē Sinai, &c. Nullus ascēdat tecum, nec videatur quispiam per totum mōtem, boues quoq; & oues non pascantur ecō tra.) Iterumq; præcepta quę prius simili inuitatione dederat, coniungit sermo diuinus: (Caue, inquiens, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iūgas amicitias, quæ tibi sunt in ruinam, sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide. Noli adorare deum alienum, &c.) Hæc iteratio præceptorum carnalibus Iudæis, de iustitia sua gloriātibus, æterna exprobratio est, vt nō glorientur, sed eorum quoque omne os obstruatur, sicut superius iam dictum est. Apost. autem intermittentes, inquit, inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, nō rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, & reliqua. Ergòne Apostolica auctoritas huic legali cōtraria est, cū fundamentum pœnitentiæ rursus iaciendum esse deneget, hic aūt & præcisæ rursus tabulæ, & à principio repetita sit lex? Non vtiq;. Nam neque hic fundamentū rursus iactum est. Fundamentum autem fœderis hoc est: Tulit itaque Moyses dimidiā partem sanguinis, & misit in crateras, partē autem residuam fudit super altare. Assumēsque volumen fœderis, cùm legisset, audiente populo, sumptum sanguinem respersit in populū, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscū super cunctis sermonibus his. Hoc si iterato factum esset, rectè fundamentum rursum iactum esse dici posset. Quòd quia factum non est, legali vtique consonat Apostolica auctoritas. Non enim pœnitentiā (vt malè Nouatus intellexit) lapsis dandā esse negauit, sed fundamētū pœnitentiæ, id est, baptismum, in quo fundatur firmitas pœnitentię. Nam cū dixisset fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Dominum, addidit baptismatum doctrinæ, impositiones quoque manuum. Non igitur dandum pœnitentiæ locum, sed baptisma negauit esse iterandum.

Exod. 24.

De eo quod

De eo quod dictum est: Dominator domine, &c. Et ꝙ respondens Dominus: Ego, inquit, inibo pactum cunctis videnibus.

CAPVT XLII.

DOminator domine Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax.) Notandum, quod cū tota sit intentio deprecari pro populi scelere, & misericordiam implorare, non tamen inter tot nomina laudis diuinæ, inter tot vocabula misericordiæ, siluit de iustitia vel veritate, dicēdo misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, tandemq; addēdo, Et verax. Item que nominum ipsorum exponendo causas, cùm dixisset: Qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atq; peccata, nullusq; apud te per se innocēs est.) Quod totum miserationis & glorię est iustificantis, addidit: (Qui reddis iniquitatem patrum in filijs ac nepotibus in tertiam & quartam generationem.) Quod procul dubio iustitię & veritatis est. Quomodo ergo, inquis, idem Deus per prophetā dicit: Filius nō portabit iniquitatē patris, & pater non portabit iniquitatem filij? Videlicet, non portat filius iniquitatem patris quācunq; non imitatur: redditur aūt iniquitas patrum in filijs ac nepotibus, quicunq; patres iniquos imitantur. Verbi gratia: Nos omnes homines secundū carnem Adæ filij sumus. Si ergo iniquitatem id est, incredulitatē eius, qua serpenti magis quàm Deo credidit, imitamur, iniquitas eiusdem patris in nobis filijs iustè redditur. Si autem iniquitatem eiusdem veteris hominis fugientes, ad iustitiam noui hominis Iesu Christi filij dei confugimus, non vtiq; iniquitatē illius portabimus. Proinde oratio Moysi sic pulchrè cōcluditur. (Festinusq; Moyses curuatus est in terram, & adorans, ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo Dñe, obsecro vt gradiaris nobiscum, populus enim durę ceruicis est, & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosq; possideas.) Cùm enim dicit, vt gradiaris nobiscū, &c. Fiducialiter fides Euangelica gaudet subintelligere, vt verbum caro fiat, & habitet in nobis, & videamus gloriam eius, gloriā quasi vnigeniti à patre. Nā ex Adam populus duræ ceruicis eramus, idcircò medicamento humilitatis Dei indigui mus. (Ad hæc respondet Dominus: Ego inibo pactum cunctis videntibus. Signa faciam quæ nunquam sunt visa super terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iste in cuius medio es, opus Domini terribile, quod facturus sum.) Quæ enim sunt signa nunquā visa, vel quod est opus Domini terribile, quod cernat populus presidente Moyse, nisi quod Deus homo factus est, quod crucifixus, mortuus, ac sepultus est, & resurrexit tertia die, prophetia Moysi eius testimonium astipulante? Nempe si respicias, ad signa quæ in illo populo facta sunt, antequam veniret hic filius Dei, maiora visa sunt super terrā, maiora facta sunt signa in medio Aegypti, nec tā terribile opus Domini vidit populus ille, sub cūctis regibus suis, quam fuit illud quod iam fecerat Dominus in Pharaonem, & in omnes seruos eius. Præcepta quæ hic breuiter iterātur, sic terminantur, vt antè. (Non coques hœdum in lacte matris suæ.) Quo dicto prohibemur de Christo secundum carnem sapere. Hœdum nanq; Cerinthus, in lacte matris suæ coquere voluit, qui Christū ex Maria initium sumpsisse dixit. At ille ante matrem, & ante auos matris, imò & ante originem mundi Deus erat: nā omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Exod. 23.

Ezech. 18. Quomodo redditur iniquitas patrum in filios.

De inscriptione tabularum secundarum.

CAPVT XLIII.

DIxitq; Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus.) Fractis tabulis priorib. aliæ ad instar priorum præcisæ sunt, & in eis eadem verba describuntur, quia fractis propter incredulitatem carnalibus Iudæis, alterius populi tabulæ cordis carnales, electæ sunt de cunctis gentibus, & eis eadem præcepta traduntur. Notandum quippe, quia sic dixit, & sic distinxit Deus, quibus & tecū & cum Israel pepigi fœdus. Et tecū, inquit, & cum Israel, id est, cum isto populo, & cum illo qui pòst venturus est. Nam carnales quidem cæremonias mutat, imò & abijcit spiritualis lex, nec de illis curat iustitia, quæ ex fide Iesu Christi est: sed decē verba legis immutari non licet, & obseruari tam à nouis, quàm à veteribus postulat sancta, iusta & bona fœderis lex. Vnde aliàs opera Dei, aliàs digito Dei scripta esse memorantur, & hoc dicto æterna vel immutabilia fore signantur. De ieiunio Moysi bis quadragenario, iam superius dictum est.

Quòd Moysi facies cornuta erat ex consortio sermonis Domini, & quòd timentibus filijs Israel propè accedere, velamen posuit super faciem suam.

CAPVT XXXV.

CAPVT XLIIII.

CVmque descenderet Moyses de monte Synai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esset facies eius ex consortio sermonis Dei. Videns autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.) Cornuta, id est, splendida, siue radiosa facies Moysi, cum secundarum tabularum scriptura, quid miraculo suo præsignauerit, hodie palā totus orbis agnouit. Vbi enim tabulæ secundæ, id est, Christiani populi corda præceptorum dei scripturā susceperunt, & cœpit ab eis lex spiritualiter intelligi, tantū splendorem facies, id est, sensus Moysi emisit quātum ferre non valentes, fugiunt ad latebras filij Israel. i. carnales Iudæi. (Impletis, inq̄t, sermonib. posuit velamen super faciē suam.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod ingressus ad Dominum, & loquens cũ eo auferebat, donec exiret. Et tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerãt imperata. Qui videbant faciẽ egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat rursus ille faciem suam, si quando loquebatur ad eos.) Hoc expositione nostra non indiget. Dicit enim Apostolus: Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum vsq; in hodiernum diem: idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem cũ legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Igitur quod posuit Moyses velamen sũper faciẽ suam, quòd ingressus ad Dominum, & loquẽs cum eo illud auferebat, si quãdo autem loquebatur ad filios Israel, operiebat rursus faciem suam, eius rei præsagium fuit. quam totus nunc orbis agnoscit. Quia videlicet, dum loquitur Moyses ad Christum, id est, ad euangelicam ecclesiam, in qua Christus est, tollit velamen suũ, & apertam ostendit faciem. Tollit enim literam occidentem, & spiritum promit viuificantem. Vbi autem legitur in synagogis Iudæorum, operit vultum suum, id est, spiritualem legis sensum. Illi enim propter aureum blasphemiarum suarum vitulũ, oculos perdiderunt, & claritatem veritatis sustinere nó possunt. Nam in his qui pereunt, inquit Apostolus, opertum est euangelium, in quib. Deus huius seculi sapientum excæcauit mẽtes infideliũ, vt non fulgeat illuminatio Euangelij Christi, qui est imago Dei. Hic iam tractatus in Exodum finem fecimus, quia videlicet de tabernaculi constructione, quæcunq; hic dicta vel facta sunt, eadẽ superius transegimus pro posse nostro. Illud non preterire dignum est, quod dicit Moyses ad filios Israel. (Quia vocauit Dominus ex nomine Beseleel, filiũ Huri, filij Hur, de tribu Iuda, impleuitque eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia. Ooliab, quoque filium Achisamech, de tribu Dan. Et ambos erudiuit sapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, & plumarij.) Beseleel enim interpretatur vmbra dei, quia nomine suo (vt dictum est) significat ipsum opus tabernaculi, quod fecit vmbram, id est, exemplar esse tabernaculi cælestis. Ooliab quoque interpretatur protectio mea pater, quo nomine significat, qa dei vel tabernaculi eius adiutoribus protectio ipsius pro mercede speranda est, cũ scripturæ huius auctoritate dicentis, quia vocauit eos Dominus ex nomine, & ambos erudiuit sapientia: quis dubitet, has vel omnes eiusmodi artes esse dei dona? Proinde in quocunque habentur homine artes, tam vtiles ac licitæ, diligendæ sunt, & admonendi periti artifices, vt tanquam Dei talentum in lucrum expendant, quia non ipsorum facultas propria, sed creatoris omnia tribuentis commissum est: & ab eis, quibus tribuit, ipse exactus est.

2. Cor. 3.

2. Cor. 4.

CAPVT XXXV.

COMMENTARIORVM IN EXODVM FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LEVITICVM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Cur liber Leuiticus vocetur, & quòd sacrificiorum ritus non necessarius pro tempore fuerit institutus.

CAPVT I.

LIber iste, Hebraicè Vagecra, Græcè Leuitic⁹, Latinè Ministerialis dicitur, videlicet à maxima parte, quia de ministerijs agit sacerdotalibus. Sic anterior liber, Hebraicè Elleſmoth, Græcè Exodus, Latinè dicitur exitus. Item à parte sui maiore, quia maximum eorum de quibus agitur in illo, exitus est filiorũ Israel de Aegypto. Ergo quia de ministerijs hic agitur sacerdotalibus, liber iste à Græcis Leuiticus dicitur, non quod Græcam habeat hoc vocabulum originem, oritur nanque à Leui, quod Hebraicum est, & interpretatur additus: sed quod hic liber de ministerijs agat sacerdotalibus, Leuiticæ tribus. Porrò sacrificia, quorum hic ritus est ordinatus, non tanquam perficiendæ salutis instrumenta necessaria, sed tanquam obstacula quædã propter transgressiones positæ sunt. Quod hæc ipsa lex & prophetæ, & Apostolus pariter astipulantur. Nam hæc ipsa lex sacrificiorum præmisso, fundetque sacerdos sanguinẽ super altare domini ad ostium tabernaculi testimonij, adolebitque adipem suauitatis domino, continuò subiungit: Et nequaquã vltra immolabunt filij Israel hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Et in propheta Hieremia Dominus dicit: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum cum patribus vestris

Leuit. 17.

Hier. 7.

tribus vestris locutus, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatũ & victimarũ. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui repromiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Igitur sacrificiorum legẽ non propter ipsa, sed propter hoc, quod ipsa quoq; secundum exemplar veri & cælestis sacrificij dispositа sunt, ipso adiuuante cælestium domino, spiritualiter examinanda ingrediamur, & ad nostrã vtilitatem, qui cælesti tabernaculo deseruimus, cuncta referre curemus.

Galat. 3.

Oblationum siue sacrificiorum ritus, quot modis, siue qualitatibus distinguatur.

CAPVT II.

VOcauit autem Moysen, & locutus est ei dominus de tabernaculo, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam domino de pecoribus, id est, de bobus & ouibus offerens victimas, si holocaustum fuerit eius oblatio ac de armento masculum immaculatum, offeret ad ostiũ tabernaculi testimonij, ad placandum sibi dominum.) Antequam verba ipsa singillatim conferamus, summa legis sacrificiorum facta diuisione breuiter colligere libet. Oblationum siue sacrificiorum, alia sunt, quę dicuntur holocaustomata, alia quę pacifica, alia quę pro peccato. Rursus eorum quæ pro peccato dicuntur, alia sunt quæ pro peccato sacerdotis simul & multitudinis, alia quæ pro peccato cuiuscunque hominis principis, siue popularis. Sed quæ pro peccato sunt sacerdotis tantùm, atque pro peccato sacerdotis simul & multitudinis, parum aut nihil differre videntur, vtraque enim extra castra cremari iubentur, & hoc ab holocausto differunt, quod holocaustum in altari, illa autem extra castra cremantur. Item quæ pro peccato principis, & quæ pro peccato sunt hominis plebei, sub eandem legem rediguntur, vtraque verò pari modo separato memoriali in pastum ignis dominici, adipe, scilicet, qui operit vitalia, & omni pinguedine interiori duobus renibus cum adipe quo teguntur illa, & reticulo iecoris cum renunculis, his inquam separatis, cætera cædunt in esum sacerdotis.

Quod omnia non nisi de tribus generibus sumi iubeantur, de armento, de pecoribus, de volatilibus, et quid per hæc mysticè.

CAPVT III.

CAP. I. ET notandum, quod hęc omnia de tribus sumi iubentur generibus, id est, de armẽto, de pecoribus, de volatilibus. De armento vitulus: de pecoribus aries siue capra: de volatilibus turtur siue columba. Præter has quinque animalium species, cætera animantia munda siue immũda, nescit sacrificiorum lex. Mysticas quæsituri causas, vsuales prius armenti pecorum ac volatilium proponamus differentias. Armentum duobus modis proficit: nam & operatur terram, & lactis copiam præstat. Pecus, id est, aries siue capra, nihil operatur, sed solos lactis & lanæ præbet reditꝰ. Turtur siue columba in neutro valet, & ab omni eiusmodi seruitio vacuum est. Igitur in his tribus generibus, tres intelligamus ordines, quorum sacrificijs legitimis in cęlesti tabernaculo deseruitur, quos apud prophetam Ezechielẽ tres viri isti designãt, Noe, Daniel, & Iob, vnũ scilicet rectorum, alium contemplationi vacantium, tertium in actibus seculi benè & licitè operantium. Nam his tribus ordinibus distincti sunt omnes, quicunque semetipsos Deo viuo sacrificant, exhibẽtes corpora sua hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum. Et aliquando quidẽ holocaustum, id est, gratiarum actio, aliquando pro peccato idem pœnitentiæ opus est, quod offertur, aliquando pacifica hostia, id est, oratio quærens pacem ab impugnatione vitiorum, verbi gratia, dicendo cum Apostolo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.

Rom. 12.

Rom. 7.

Quod eorum omniũ princeps vnus sit Christus, à quo, vel in quo omne sacrificium perficiatur.

CAPVT IIII.

HOrum omnium princeps vnus Christus est. Ipsius nanque principaliter est holocausta gratiarum offerre, qui secũdum similitudinem Noe, de fluctibus & perditione seculi arcam eruit ecclesiæ suæ. Et de isto rectissimè dicas, quia ædificauit altare domino, offerens super illud holocaustum. Etenim propter illum odoratus est dominus odorem suauitatis, & benedixit nobis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terrã.

Gen. 8.

Item huius solius est offerre hostias pacificas secundum similitudinem Danielis dicentis. Et non est in tempore hoc princeps, & propheta, & dux, neque holocaustum, neq; sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam, sed in anima contrita & spiritu humilitatis, suscipiamur sicut in holocaustum arietis, & taurorum, & sicut in milibus agnorum pinguium. Solus enim inter Deum & homines pacem fecit, antiquas soluẽs inimicitias, aliud quã seipsum non habens altare vel sacrificium, & in carne vel sanguine suo melius susceptus est, quam milibus taurorum & arietum, vel agnorum pinguium. Nihilominus huius est offerre sacrificia pro peccato non suo, sed alieno: secundum similitudinem Iob, qui sũr gẽs mane, offerebat sacrificia per singulos filios, dicens: ne fortè benedixerint filij mei Deo in cordib. suis, & ita sacrificabat eos domino. Nunc diligẽtiùs singula pertractemꝰ.

Daniel. 3.

Iob 1.

De oblatione holocausti ex armento, et quid sit ritus eius, & quòd offerre mysticè sit eius qui viuit secundum Iob.

CAPVT V.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SI(inquit) holocaustum fuerit eius oblatio, & de armento masculum immaculatum offerret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi dominum.) De armẽto eius oblatio est, qui viuit secundum Iob, vt prædictum est, qui sub iugo coniugij domui suæ benè præfuit, & filios suos in omni pietate subditos erudiuit, adeò (vt sicutiam diximus) holocausta offerret per singulos, dicens: ne fortè peccauerint & benedixerint Deo in cordibus suis. Et eius oblatio holocaustum est, id est, totum incensum, quando de bono opere gratias agens, & non sibi, sed Deo totum tribuens obtulit. Ait enim: Masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi dominum. Masculum immaculatum de armẽto in illo ordine offerre, est honorabile connubium, iuxta Apostolum, & thorum immaculatum custodire ad placandum sibi dominum, districtum videlicet iudicem fornicatorũ & adulterorum. Quo ritu? Sequitur: (Ponetq; manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atq; in expiationẽ eius proficiẽs. Immolabitq; vitulum coram dño.) Manus super caput hostiæ ponere, & vitulũ Deo immolare, est adhibita bonorum operum disciplina, carnem coniugalem ad honorem domini retinere, vt possit orationi vacare. (Et offerent, inquit, filij Aaron sacerdotis sanguinem eius per altaris circuitum, ad ostiũ tabernaculi.) Filij Aaróquod interpretatur mons fortitudinis, filij inquam Aaron sacerdotis. i. mẽbra sacerdotis siue pontificis magni, qui penetrauit cælos Iesu Christi, ipsi sũt qui semetipsos in quocunq; ordine dedicãt illi. Nã nõ solis eis, qui manib. & ore sacramẽta Christi conficiunt, sed cunctis credentib. dicitur per Petrũ Apostolum. Vos aũt genus electum, regale sacerdotiũ. Et in Apocal. Omnium electorũ laudantium vox est. Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Porrò altare illorum fides est, cui quicquid offerũt, necessariò imponũt, sine qua nihil dignũ aut placitũ offerre possũt. Sanguinẽ ergo hostiæ fundũt per altaris circuitũ, ante ostiũ tabernaculi, quando voluntatẽ carnis & sanguinis pro Christo trucidãt, vt in tabernaculo eius dignè consistere possint. Verbi gratia: Quando propter illud q dictũ est, si ergo offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniẽs offeres munus tuũ, q propter illud inquã aufert irã à corde suo, sanguinẽ hostię suę fudit per circuitũ altaris, iuxta præceptũ Dñi. Detractaq; pelle hostię (inquit) artus in frusta concident.) Pellẽ hostiæ detrahere, est oẽm hypocrisim abijcere, q simulatores nõ faciunt, introrsum turpes specioſi pelle decora, quales erant scribæ & pharisæi, quibus væ denunciat dominus noster, eò quod omnia faciãt propter homines. Artus quoque in frusta concidere, est vitia mortificare, iuxta Apostolum dicentẽt Mortificate mẽbra vestra quę sunt super terram, fornicationẽ, immunditiam, libidinẽ, concupiscentiã malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus. Ita demum: (Subijciẽt, inquit, in altari ignem strue lignorũ ante posita, & membra quæ cæsa sunt superordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, intestinis, & pedibus lotis aqua, adolebitq; ea sacerdos super altare, in holocaustũ & suauem odorem domino.) Mẽbra quæ cę sa sunt ordinare, est ea quæ fuerant arma iniquitatis exhibita peccato, arma effecta iustitię rationabiliter cõponere, vt sit iuxta Apostolum rationabile obsequiũ nostrũ. Ordinatum quippe est, vt verbi gratia, fidẽ reddat vir vxori, vxor viro, ambo Deo. Quæ membra? Caput videlicet, & cuncta quæ adhærẽt iecori. Caput intentio est, quam cũcta totius operis membra sequuntur. In iecore concupiscentia & voluptas, iuxta eos qui de physicis disputant, cõsistit. Intestina cogitationes occultas, pedes quotidiana significant peccata, sine quibus humana vel terrena conuersatio transigi, non potest: his omnibus lotis aqua, id est, per confessionem emundatis & per lachrymas, adolebit ea (inquit) sacerdos super altare in holocaustum, & suauem odorem domino. Nunquid de bobus cura est Deo? Si non de boue viuo ac triturante cura est Deo, quanto minus de boue mortuo detracta pelle, in frusta conciso? Ergo propter nos potius dictum est, qui cum fecerimus ea quæ prædicta sunt, & adoleuerimus in holocaustum domino, non nobis, sed illi totum attribuendo, cura est illi de his, & suauis ad illum ascendit odor: sicut econtrario de peccatoribus fœtor, qui sibi viuunt, non Deo, testante Deo, cõputruerunt iumenta in stercore suo.

Lob 1.

Hebr. 13.

Matth. 5.

1. Cor. 9.

Iobel. 1.

1. Pet. 2. Apoc. 5.

De oblatione holocausti ex pecoribus, & quis sit ritus eius, et quòd offerre mysticè sit eius, qui viuit secundũ Noe. CAPVT VI.

QVòd si de pecoribus oblatio est, de oui bus siue capris holocaustũ anniculũ & absq; macula offeret. Immolabitq; ad latus altaris, quod respicit ad aquilonẽ corã domino, &c.) De pecorib. eius oblatio est, qui viuit secundum Noe, qui, vt prædictũ est, præfuit arcę inter vndas diluuij. Qui, inquã, eius exẽplo domum rei regendam susceperit, eius oblatio de arietib⁹ est, siue de capris. Nã & si reuera sit mundus, & totus candidus aries, sua tamen æstimatione caper, id est, peccator est. Anniculum, inquit, & absq; macula offeret. Anniculus. i. vnius anni masculꝰ, iam fortis est, corniculumq; vibrare potest, gregemq; ductare iam illum decet. Significat ergo plenitudinẽ virtutũ eius, qui præest dignus est dominicis ouibus: qualis Apostolus

2. Cor. 13. stolus iuxta confidentiam loquitur. An experimentum vultis eius qui in me loquitur
1. Corin. 4. Christus? Itemque quasi validi conscius corniculi, quid vultis, inquit, in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Estque
1. Corin 9. macula cum cauet, & dicit, ne fortè alijs prędicãs ipse reprobus efficiar. Et discipulo per
2. Timo. 2. suadet dicens, vt seipsum exhibeat operariũ inconfusibilem. Huic ordini maximè necessaria est latitudo charitatis cum spiritu fortitudinis, vndè & subditur, Immolabitq; ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem. Latus namque altaris est amplitudo charitatis,
2. Cor. 6. qua dilatatus idẽ Apostolus, dicit: Os nostrũ patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis, & cæt. Ad hoc latus altarus semetipsum immolans idem aries anniculus, dux gregis dominici,
2. Cor. 12. libenter (inquit) impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris. Quòd respicit
Esaiæ 14. ad aquilonem, inquit. Aquilo diabolum significat, qui dixit, Sedebo in monte testamẽti, in lateribus aquilonis. Hunc aquilonem respicit latus charitatis, quia videlicet nihil diabolo sic contrarium est, quomodo latitudo charitatis. (Sanguinem verò illius fundẽt super altare filij Aaron per circuitum, diuidentq; membra, &c.)

De oblatione holocausti ex volatilibus, & quid sit ritus eius, & quòd offerre mysticè sit eius, qui viuit, secundum Danielem.

CAPVT VII.

1. Corin. 7. SIn autẽ de auibus holocausti oblatio fuerit domino, de turturibus & pullis colũbæ, offeret eam sacerdos ad altare.) De auib⁹ eius oblatio est qui viuit secundum Danielem. i. qui vitam ducit cœlibem, de hoc solũ solicitus, quomodo placeat Deo, & ab omni liber onere siue seruitio penna contemplatiõis ad alta subleuatur, sancto feriatus otio: De turturibus (inquit) & pullis columbæ. Auis vtraq; gemitum pro cantu habet. Hoc tantùm interest, quòd turtur soliuagus, columba gregatim gemere consueuit. Significat ergo turtur solitariam vel eremiticam, columba verò cœnobialem vitam eorum, qui per contemplationem volant. Offeret eam, inquit, sacerdos ad altare. Quomodo? Retorto, inquit, ad collum capite, ac rupto vulneris loco decurrere faciet sanguinem super crepidinẽ altaris.) Caput ad collum siue ad pennulas. i. sensum ad intentiones virtutum retorqueri oportet, vt videlicet quicquid agit qui in eiusmodi proposito est, ad hoc tendat, vt ad cęlestia iugi contemplationis volatu migret, vel caput collo inhæreat, & non funditus abscindatur, quia videlicet mens, quę ita cunctos actus, sicut caput regit
CAP. II. corpus, à carnis delectatione incidenda est, sed à carnis cura necessaria incidenda nõ est.
Roma. 13. Scriptum est enim: carnis curam ne feceritis in desiderijs. Quæ ergo in desiderijs facienda non est, proculdubio in necessitate facien da est. Rupto, inquit, vulneris loco, decurrere faciat sanguinem super crepidinem altaris. Sanguis funditur in altari, cùm vt suprà dictum est, funditùs abrenunciatur proprię voluntati. (Vesiculam verò gutturis, & plumas proijci, & prope altare ad plagam orientalem in loco in quo cineres effundi solent.) Vesicula gutturis, quo videlicet turtur siue columba grana reperta recõdit, capacitatem significat memoriæ, qua benè vtens animus scripturarũ sententias vtiliter congerit. Plumæ verò agilitatem mentis, qua sublimia sequi, altumq; dictorum sensum comprehendere nouit. Sed hãc naturæ facultatem mens crudita quodammodo nescit, dum in veritatis luce totum videt, totum quod de Deo sapit, non suarum virium, sed superni esse muneris. Vesiculam ergo (inquit) gutturis, & plumas proijciet ad orientalẽ plagam, id est, prædictas memoriæ vel ingenij sui facultates in se contemnet, supernã confitendo gratiam. Locus in quo holocaustorum cineres
1. Cor. 12. effundi solent, iustam significat hominis humilitatem, qui ne de accepto munere, vel reuelationum magnitudine se extollat, meminit, quia cinis est, & reuertetur in cinerem. Vndè adhuc subditur: (Cõfringetq; ascellas eius.) Ascellis namq; pẽnatis auicula in altũ tollitur. Ascellas ergo cõfringet. i. virtutẽ in infirmitate deprimet, dũ vt prædictũ est, de
Psal. 105. munere se mẽs non extollit, q; tribuit Deus, sicut de isto Moyse dictũ est, qa stetit in confractiõe in cõspectu eius. (Nõ secabit, nec ferro diuidet eã, inqt.) Nec enim virtus accepta omninò nesciri debet, alioqui custodiri non valet. Confringatur ergo, & non secetur vel ferro diuidatur. i. per humilitatẽ ignoretur, sed p rationẽ optimè sciatur, vt seruetur. (Et adolebit super altare lignis, igne posito, &c.)

De oblatione farris, & cur sit dictum: Anima cũ obtulerit, & quòd similia esse debeat eius oblatio, et quis ritus eius sit. CAPVT VIII.

CAP. II. ANima cum obtulerit oblationem sacrificij domino, similа eius erit oblatio.) Quamuis per partem, totum. i. per animam, rectè intelligas hominem, eleganter tamen in tali negotio maluit animam ponere quã hominem. In vero namque sacrificio, non satis est corporaliter præsentem spectari hominẽ, præsertim vbi sacrificij dominus nõ schema vel habitum corporalem, sed animæ respicit intentionem. Anima ergo, inquit, cùm obtulerit oblationem, sacrificij domino, similа erit eius oblatio. Hactenus de oblatiõe pecorum, siue carnium: nũc de oblatiõe farris literalis sermo est. Equidem dignum est, vt non hordeum aut furfurem, sed similam offerat Deo largitori omnium, qui acceptione dignam modis omnibus facere curat oblationem. Cæterùm & hoc spirituali sensu non vacat. Simila namq; interior frumenti vel tritici medulla est. Quid autem hæc scriptura sancta, nisi frumẽtum Dei? Porrò me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dulla tritici,spiritualis intellectus verbi. Qui ergo ritè sacrificare desiderat, dum legit aut psallit, spiritualem intelligentiam in creato-
2. Cor. 14. ris sui laudibus offerat. Quod Apostolus stu dens agere,psallam(inquit) spiritu, psallam & mente. Nam spiritu psallere est memoriter psalmorum verba proferre, mente verò psallere,est vitalem verborum sensum men
Psalm.77. te percipere. Qui ergo Deo laudem immo-
Ioan.6. lat,vt floridum faciat sacrificium:sensum vtilem,quò delectatur Deus,offerat, vt verbi gratia,cùm dicit:panem angelorum manducauit homo,non tam furfurẽ literæ sequendo, quàm spiritus illum similã panem intelligat,non quẽ Moyses dedit, vel quem Moyses cum populo mãducauit, sed quem pater signauit,& in quo vitam mundo dedit, quo angelos immortaliter pascit, quòd quia Iudæi non faciunt, occidentem literam, & non viuificantem spiritum sequendo,contempti
Malac.1. bile est quod offerunt, rectèque dicitur illis per prophetam. Offertis super altare meum panem pollutum. Itaque similа, inquit, erit eius oblatio.Sed non satis est, in huiusmodi oblatione solam habere conscientiam. Sequitur ergo: (Fundetque super eam oleum, & ponet thus.)Oleum charitatem, thus bonæ famę significat odorem.Hoc sermo diuinus præcipit,vt quicunq; dicto vel scripto prædictam verbi diuini similam sacrificat, & cũ charitate id faciat,& apud eos qui foris sunt, bonum testimonium habeat. Hoc enim modo,& oleum pariter & thus offert Deo suo. (Ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum vnus tollet pugillum plenum similæ & olei,ac totum thus, & ponet memoriale super altare,in odorem suauissimum domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum eius sanctum sanctorum de oblationibus Domini.) Vnus iste vel Ecclesiæ veritatẽ, vel certè ipsum significat Christum magnum pontificem. Tollet, inquit, pugillum plenum similę & olei,ac totum thus,id est,intẽtionem charitatis,ac bonæ vitæ odorem eius qui laborat in verbo & in doctrina,&ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino, videlicet
Apocal. 8. iuxta quod in Apocalypsi idem ipse significatur,per angelum stantem iuxta aram templi,& habentem thuribulum aureum in manu sua, cui data sunt incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante oculos Domini. Hic planè prædictum memoriale super altare tollit, vt is à quo suscipitur in memoria æterna sit. Quod reliquum,inquit, fuerit de sacrificio, erit Aarõ & filiorum eius:quia videlicet eorum,qui scripturas libenter legunt, & idcirco filij Aaron,id est,proximiora Christi mẽbra sunt,sancta & desiderabilis refectio est, quicquid de huiusmodi sacrificio sancti doctores in libris suis reliquerunt. Erit igitur, inquit,sanctũ sanctorum de oblationib.dñi.

Quòd oblatio similæ sartagine minutatim diuidẽda sit,oblatio verò de craticula non comminuenda, & vtraq; absq; fermento oleo conspersa esse debeat, & quid hæc mysticè innuant. CAP. IX.

CVm autem obtuleris sacrificium coctũ in clibano,de simila panes scilicet absq; fermento conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita,si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo & absq; fermento, diuides eam minutatim,& fundes desuper oleũ. Sin autem de craticula sacrificium fuerit, æquè simila oleo cõspergetur.) Ei qui similã verbi Dei coquit in clibano,i.scripturam sacram tractat in spiritu sancto, panes faciens, absq; omnis hæreticę prauitatis vel vanę gloriæ fermento,cõspersos(vt prædictũ est)charitatis oleo:ei inquã persecutio semper præsto est. Aut enim ab his qui intus sunt falsis fratribus illi derogatur, aut ab illis qui foris sunt impijs,& sine Deo hominib. manifestius impugnatur. Ait ergo: Si oblatio tua fuerit de sartagine similæ cõsperę oleo, & absq; fermento,i.si intus habueris pugnas verborũ à falsis fratribus,pro sacræ studio scripturę,quã cum charitatis oleo,& absq; falsitatis tractaueris fermento, diuides eam minutatim,i.diligentissimè singula dicta discuties, ne fortè quippiam reprehẽdi iustè possit, & fundes supra oleum. Similæ iam conspersæ oleo,iterum minutatim diuisæ superfundes oleum,i.scripturæ sanctę per charitatem elucidatæ,iterum singillatim retractæ aduersus contradictores,non amaritudinis zelum,sed ardentioris,vt eos lucrifacias, superaddes eiusdem charitatis oleũ.Sartago vas à strepitu soni vocatum,sonat enim & strepit, dũ in ea frigitur oleum.Internum ergo significat fraternæ æmulationis incendium,i.interius personante ac perstrepente falsorum fratrũ inuidia.Porrò craticula apertam illorum, qui foris sunt,significat malitiã, qui sanctos homines, veritatis similã Deo sacrificantes, corporaliter quoq; distentos, subiectis incẽdijs conflagrauerunt.Illic quoq; oleum cõspergitur:corpore nanq; assato,charitas exundat & ebulit feruentius. Ait ergo: Sin autem de craticula sacrificium æquè simila oleo conspergetur.Notandũ, quòd si de sartagine est oblatio minutatim diuidi,& sic oleum supra fundi iubetur:sin autem de craticula nõ minutatim diuidi,sed oleo tantũ conspergi imperatur.Nã contra falsos fratres,qui sub nomine Christiano veritati insidiantur,diligẽtissima diuisione ac subtili discretionis minutatione opus est,quippe qui sub eisdẽ nominibus,quib. pro fide vtimur, & ipsi malitiosè delitescentes,contra fidem nituntur. Vnde Dominus noster: Attendite à falsis pro- Matt. 7.
phetis,qui veniũt ad vos in vestimentis ouium,intrinsecus aũt sunt lupi rapaces.Cæterũ cõtra eos, qui Christi nomen quoq; oderũt, nõ adeò dubia, vel subtilis pugna est: illic enim quasi in plano campo hostem dinoscere valet

valet simplicitas quoque rusticorum fidelium.Nam sicutipse Dominus noster, cùm à Iudæorum pontificibus, scribis, ac pharisæis,tanquã in sartagine stridula seditioso strepitu quæstiunculis obiectis frigeretur, subtili cõmemoratione scripturarum causam iustitiæ suæ tuebatur: cùm autem coram Pilato staret,nihil cum illo de scripturis est locutus:sic electi eius discipuli quoties ab eis qui scripturarũ habent notitiam, quæstionibus peruersis inquietantur,oportet vt de scripturis vigilanter respondendo, verba sua quasi minutatim diuidãt:quoties autem ab eis tribulantur qui scripturas non recipiũt, vel earum non habent auditum,sermonem de huiusmodi non effundãt.Sequitur: (Quam offerens Domino trades manib. sacerdotis, & cætera,vt supra.)

Quòd omnis oblatio quæ offertur Domino,absq; fermento & melle esse, & sale condiri debeat, & quid hæc mystice. CAP. X.

OMnis oblatio quæ offertur Dño, absq; fermento fiet.Nec quicquam fermẽti, nec mellis adolebitur in sacrificio Domini. Primitias tantũ eorum offeretis & munera: super altare verò non ponentur in odorem suauitatis.)De fermento veteri,fermẽto ma-
Psal.118. litiæ & nequitiæ, iam alibi dictum est. Mel dulcedinem temporalis gaudij significat,cui cõstanter à sapiente,verbi Dei præfertur delectatio,dicente: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauũ ori meo. Nec mellis inquit,i. vanæ ac transitoriæ delectationis adolebitur quicquam in sacrificio domini.Nam econtrariò agnum comedere iubemur,cùm lactucis agrestibus, quæ valdè amarę sunt,& amara significant lamenta pœnitentium, sine quibus non satis est charum
Psalm.50. Deo sacrificium nostrum.Quod sciens Psalmista:Sacrificium(inquit)Deo spiritus contribulatus,cor contritum & humiliatũ deus
Eccles.3. non despicies. Igitur nec fermenti(inquit)
Lucæ 6. nec mellis quicquam adolebitur in sacrificio domini,quia videlicet sicut fermentum malitiæ & nequitiæ Deus odit, sic & ineptam lętitiam non admittit,nec enim tẽpus est nunc ridendi,sed flendi. Væ aũt vobis (ait) qui ridetis nunc,quia plorabitis & flebitis. Primitias tantũ eorum(ait)offeretis & munera.videlicet quemadmodum anetum decimatur, aut mentha,super altare verò non ponentur
CAP. III. in odorẽ suauitatis. (Quicquid obtuleris sacrificij,sale cõdies,nec auferes sal fœderis dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatiõe offeres sal.) Notanda terna salis replicatio, quicquid obtuleris sale cõdies, & non auferes sal fœderis dei tui,& in omni oblatione offeres sal.Hoc ergo sub nomine salis plenius inculcat & replicat, vt absq; discretione nihil facias.Nam sicut quod sale nõ est conditũ,insipidum est, & carnes quibus salis condimentũ denegatur, citius corrumpũtur: sic omne q̃ agimus,si absq; discretione fiat,æternæ sapientiæ placitum nõ est,& quasi putridum aut fœtens abiectiõe dignũ est. Idcirco ter dixit: (sal fœderis dei tui,)quia videlicet in discretiõe fœdus domini pmanẽs est,indiscretè aũt agentibus,fœdus cumDeo permanẽs,vel incorruptum perseuerare inquit. Proinde do-
Matth. 5. minus ait.Vos estis sal terræ:Si ergo sal infatuatum fuerit,in quo salietur?

Quid sit mystice de spicis virentibus offerre, & quid sit igni eas torrere, oleumq; ac thus super imponere. CAPVT XI.

SIn aũt obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus,torrebis eas igni, & confringes eas in morem farris,& sic offeres primitias tuas Domino,fundes super ea oleum,& thus imponẽs,quia oblatio Domini est.)Fruges no-
Matth. 13. strę lectionis sacræ sunt. Tũc autem munus primitiarum offerimus de spicis adhuc virẽtibus, cùm in seruitio Domini patrum illorum qui ante legem fuerunt,imitanda nobis exempla proponimus. Ager enim mundus est,semen verbum Dei, messis verò consummatio seculi.Ergo cum exempla patrum legimus,& imitanda nobis proponimus, quos nõdum legis æstus torruerat, quasi de spicis adhuc virentibus, domino primitiarum munus offerimus.Sed sunt eorum facta quędã, quæ sicut historialiter acta leguntur, nequaquam ita sequi, vel in defensionẽ nostri pro auctoritate assumere ea valem⁹. Imò & post legem datam sunt sanctorum facta quędam, à quibus iustè restringimur,secundum regu-
Genes.3. lam Euangelicam,verbi gratia: Ante datam legem Abraham patriarcha, Dei amicus, so-
1.Reg.3. rorem suam filiam patris sui, & non matris suæ,vxorem duxit:post legem autem Dauid quoq; sanctus,plures vxores eodem tempore habuit. Ita quasi virentes adhuc spicæ,anteaduentum Christi in agro mũdi huius steterunt,donec eleuato eodẽ sole iustitię quasi plena æstate matureſceret, ac solidaretur messis virtutum. Igitur si de spicis (inquit) adhuc virentibus munus primitiarum frugum tuarum domino obtuleris,torrebis eas igni,& confringes in modum farris:id est, Si exempla patrum antiquorum imitanda tibi proposueris,horrentem literæ paleam spiritu sancto adures,& sensu spirituali conterẽdo,ad similitudinem Euangelici farris confringes: vt quod hoc tempore iudicaretur adulterium ad Euangelicum referas sacramentum. Nam quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla,& vnum de libera: si secundum literam sequaris vel imiteris, tanquã adulter iustæ remouendus es ab altari domini.Si aũt cum Apostolo per allegori-
Galat. 4. am dicta esse hęc accipias, spicas virẽtes igni torres,& in modũ farris cõfringis,dignè domino primitias ferẽs,fundensq; super eas oleũ,& thus imponẽs,i.pia charitatis cõsideratione ad honorẽ dñi perpendẽs, quia nõ illis reputatur in peccatũ,quod recenti adhuc se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

culo, ſancti ac fideles homines Deo nõ prohibente fecerunt. (De qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris partem farris fracti & ólei, ac totum thus.) Hoc item intelligendum, vt ſupra.

De hoſtia pacificorum, quid ab oblatione holocauſti differat, & de myſtico ritu eius, & cur non de volatilibus fieri præcipiatur.

CAPVT XII.

CAP. III. QVòd ſi hoſtia pacificorum fuerit ei⁹ oblatio, & de bobus voluerit offerre marẽ ſiue fœminam, offeret immaculatam coram domino.) Hoc ita ſuperiori coniungitur lectioni. Dixerat ſuperius: Si holocauſtum fuerit eius oblatio, ac de armento, maſculum immaculatum offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonij ad placandum ſibi dominum, &c. vſq; ad id, quod dictum eſt: cõfringetq; aſcellas turturis ſiue columbæ, & non ſecabit, nec ferro diuidet eam. Paucis interpoſitis de ſacrificio farris, nunc demũ ita ſubiũgit: Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, &c. Holocauſtum, i. totum incẽſum, iam ſupra diximus, ſacrificium eſſe gratias agẽtium, videlicet, quia per auxilium Dei gratia cuncta vitia ſua ſancti ſpiritus igne combuſſerunt.

Sup. cap. 1.

Rom. 7. Hoſtiam verò pacificorum eorũ eſſe, qui ſecundum Apoſtolum cõdelectati quidem lege Dei ſecundum interiorem hominem, ſed videntes aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, pacem quærunt, & dicunt: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ergo hucuſq; ſacrificij, i. hoſtiæ pacificorum & holocauſti diſtãtia, diligenter conſideranda eſt. Holocauſti oblatio, ſiue de armento, ſiue de pecoribus ſit, ſiue de auibus, tota ſecũdum nomen ſuũ iubetur incendi. De hoſtia verò pacificorũ, nunc ita lex dicit. (Fundentq; filij Aaron ſacerdotis ſanguinem per circuitum altaris, & offerent de hoſtia pacificorum in oblationẽ Domino, ſi de bobus fuerit, adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis intrinſecus eſt, duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis, adolebuntq; ea ſuper altare in holocauſtum ignis igne ſuppoſito in oblationem ſuauiſſimi odoris domino. Si verò de ouibus fuerit eius oblatio, & agnum attulerit.) Item eodẽ modo ſeparabuntur hæc in holocauſtũ Domini. (Si autem capra fuerit.) Nihilominus eadem ſeparationis lex erit, videlicet nec adipem, nec ſanguinem omnino comedetis inquit. Nam ſubaudiendum eſt, quia quicquid reliquum fuerit, erit Aarõ, & filiorum eius, ſanctum ſanctorum de oblationib. Domini. Hæc holocauſti & hoſtiæ pacificorum diſtãtia, iuxta hiſtoriam manifeſta eſt. Cæterùm iuxta ſpiritualẽ ſenſum eis quorum hæc eſt pugna, qua legi mẽtis ea quæ in membris eſt lex alia adhuc repugnat, ſubtiliter valde pensandũ eſt, quod dicitur. Quid enim eſt, adipẽ qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis intrinſecus eſt, in holocauſtum adolere: niſi corpus caſtigare, & in ſeruitutem redigere? Adeps nanq; qui operit vitalia, quid eſt, niſi lex alia quæ in membris delicatis, & vitali legi mentis repugnat? Quid inquam eſt duos renes cum adipe quo teguntur ilia, in holocauſtum adolere, niſi cum Pſalmiſta dicere ad dominum: Proba me domine, & tẽta me, vre renes meos, & cor meũ? Sed non ſatis eſt abſtinentia ciborum renes corporis caſtigare, niſi intrinſecus radix concupiſcentię peruſta ſit ſancti ſpiritus igne. Ait ergo: Et reticulum iecoris cum renunculis. In iecore, iuxta Phyſicos, voluptatis & cõcupiſcentiæ cõſiſtit vis. Ergo non ſolos renunculos, ſed cũ renunculis, reticulum quoq; iecoris, i. nõ ſolùm renes corporis per abſtinentiam cibi & potus, ſed interiorem quoq; concupiſcentiæ radicem ſancti ſpiritus oportet amore comburi. Siue de bobus, ſiue de ouibus, hæc oblatio, id eſt, hoſtia pacificorum fuerit, ſiue maſculus, ſiue fœmina, ſiue ouis, ſiue capra, itẽ eodem ritu hæc ſeparari, & in holocauſtum oportet offerri, quia quocunque ex ordine ille ſit, in quo adhuc alia membrorum lex repugnat legi mentis, expedit illi, labore proprio cum inuocatione ſancti ſpiritus, tã concupiſcentiam cõburere mentis, quàm renes affligere corporis. Deinde Aaron & ſacerdotum filiorum eius erit, quod reliquum erit ſacrificij, quia videlicet eorũ qui iam in virtutibus profecerunt, & alijs præeſſe nouerunt, cura hæc erit, vt iſtorum infirmitatem orationibus iuuent, informent exemplis, erudiant diſciplinis. Notandum in hoc ſacrificio, id eſt, in hoſtia pacificorũ, cum adipe, & cum renibus debere caudam quoque offerri per ſanguinem ſuum. Ait enim. (Et offerent de pacificorum hoſtia, ſacrificium Domino adipem, & caudam totam cum renibus, & cętera.) Cauda finis corporis eſt. Hoc ergo iſto quoque nomine ſpiritus dicit Eccleſijs, quia qui perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit. Item notandum & illud, quia ſacrificium huiuſmodi, id eſt, hoſtia pacificorum de armento quidem, & de gregibus ouium atque caprarum, æquè vt holocauſti oblatio ſumitur: de auibus verò, id eſt, de turturibus, & pullis columbæ ſumi non præcipitur. Cur hoc? Videlicet, quia nõ illorum qui iam per contemplationis pennam ſurſum volant, pugna illa eſt, qua (vt prædiximus) legi mentis repugnat alia lex quæ in membris eſt. Sequitur.

Pſal. 25.

De oblatione pro peccato, quid ab holocauſto & hoſtia pacificorum differat.

CAPVT XIII.

CA. IIII. LOcutuſq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filijs Iſrael: Anima quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuerſis mãdatis domini, quæ præcepit, vt non fierẽt, quippiam fecerit, ſi ſacerdos qui eſt vnctus peccauerit, delinquere faciens populũ, offeret pro

ret pro peccato ſuo vitulum immaculatum domino, & adducet illum ad oſtiũ tabernaculi teſtimonij coram domino, ponetq; manum ſuam ſuper caput eius, & immolabit eũ domino, &c.) Lex iſta eius oblationis eſt, quæ pro peccato datur. Hoc ſacrificiũ primũ & vniuerſale omnium eſt. Quid ſecũdum literam ab holocauſto & hoſtia pacificorum differat perſpicuum, quia videlicet non vt de hoſtia pacificorũ, ita de iſto in eſum ſacerdotum, partes quędam tolluntur, neq; vt holocauſtum in altari, ſed extra caſtra totũ cõburitur. Ergo legem eius auctoritate Apoſtolica præeunte diligentius proſequamur. Ait: Si ſacerdos qui eſt vnctus peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum, &c. Ac deinceps: Quod ſi omnis turba Iſrael ignorauerit, & per imperitiam fecerit, cp contra mandatũ Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret vitulum pro peccato. Et reliqua. Vtrobiq; ſic definitum eſt. Pellem verò & omnes carnes cũ capite ac pedibus, & inteſtinis, & ſimo, & reliquo corpore offeret extra caſtra, atq; comburet. Porrò hæc Apoſtoli ſententia eſt: Quorum enim animalium ſanguis infertur in ſancta per pontificẽ, eorum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſemetipſum populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes: Et reliqua.

Hebr. 13.

Quòd Adam fuerit ſacerdos ille iuxta ſenſum myſticum, de quo lex dicit: Si ſacerdos peccauerit, delinquere faciens populum: & quòd vitulus pro peccato eius oblatus, eſt Chriſtus.

CAPVT XIIII.

CA. IIII. QVis igitur iſte eſt ſacerdos, qui peccatũ, delinquere faciens populum, niſi primus homo Adam, qui cũ deberet eſſe ſacerdos, & iugi ſacrificij laudis honorificare dominum, ad hoc enim ſuper iumenta & beſtias terræ eruditus, id eſt, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt, & in paradyſo poſitus, benedictione creatoris in filijs ſuis augendus, vt eidem creatori gratias ageret, & ſacrificiũ laudis offerret: cùm, inquã, hoc facere deberet, peccauit, & omnem poſteritatis ſuæ populum delinquere fecit? Nã in illo omnes peccauimus, & omnes in illo iuſtè mortui ſumus, dicit ergo. (Offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram domino, ponetque manũ ſuper caput eius, & immolabit eũ domino.) Hoc ita factum eſt. Adam non idem in perſona, ſed idem in natura, Adam, inquam, nouus deus & homo Chriſtus Ieſus, obtulit cp peccato ſuo vitulum immaculatum, pro peccato, inquã, ſuo, id eſt, ſuorum: noſtrũ enim peccatum per ſuam gratiam ſuum fecit debitum. Vnde dicit in Pſalmo: Quæ non rapui tunc exoluebam. Quẽ vitulum obtulit immaculatũ? Semetipſum, corpus ſuũ immaculatum de armento boũ magnorũ, de genere patriarcharum antiquorũ ſine omni macula peccati conceptum & natum. Adduxit illum vitulũ. i. ſemetipſum, & adſtitit ad oſtium tabernacli teſtimonij, tabernaculi, inquã, cęleſtis & veri, cp nobis erat clauſum, vt aperiret nobis cæleſtia ſancta ſanctorum per ſanguinem ſuum. Poſuitq; manũ ſuper caput eius, & immolauit eum Dño, id eſt, obedientẽ ſe exhibuit, & obtulit ſe in ſacrificiũ deo & patri ſuo. Et notandum quòd tertiò repetitum eſt Domino. Offeret vitulum immaculatum domino, adducet illum coram Domino, & immolabit eum Domino. Dominanti quip pe trinitati, Chriſtus humanitatis ſuæ vitulum ſacrificauit, triduana morte ſatisfaciens pro nobis. Vnde adhuc ſequitur. (Hauriet quoque de ſanguine vituli, inferens illũ in tabernaculum teſtimonij. Cumq; intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eum ſepties coram domino, contra velũ ſanctuarij, ponetque de eodem ſanguine ſuper cornu altaris, thymiamatis gratiſſimi domino, quòd eſt in tabernaculo teſtimonij.) Et hoc ita factum eſt. Chriſtus enim propitiationis noſtræ vitulus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, non quod ſanguinem ſui corporis, verbi gratia, qui de lanceato eius latere profluxit, ipſe in illa cæleſtia ſancta tranſtulerit, ſed quia ſanguinis eiuſdẽ effectũ, id eſt, remiſſionẽ peccatorum, vniuerſæ eccleſiæ, quæ eſt tabernaculũ teſtimonij eius, intulit in conſpectu dei patris. Quomodo? Cumque intinxerit digitũ, inquit, in ſanguine, aſperget eum ſepties corã domino contra velum ſanctuarij, &c. Digitum in ſanguine intingere, eſt ſpiritum S. per ſanguinem ſuum dare, nam digitus dei dicitur ſpiritus S. vt illic: Si ego in digito Dei eijcio dæmonia, cp alius Euangeliſta manifeſtius, ſi in ſpiritu Dei, inquit, eijcio dæmonia. Porrò hic ſpiritus ſanctus nulli in remiſſionem peccatorum, niſi per Chriſti ſanguinem datur. Vnde eſt illud: Nondum enim fuerat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Cùm ergo ſacerdos digitum in ſanguine intinxerit, id eſt, cũ ſpiritum ſanctum, per ſuũ ſanguinem acquiſierit, aſperget eũ, inquit, ſepties coram domino cõtra velum ſanctuarij. Hic ſpiritus ſanctus ſeptiformis eſt. Porro velum ſanctuarij operturam ſiue clauſuram ſignificat cæleſtium myſteriorum eiuſdem Chriſti filij Dei. Digito igitur intincto, ſanguinem ſepties aſpergere, eſt dato per paſſionem ſuam ſeptiformi ſpiritu ſenſum diſcipulis, vt ſcripturas intelligerent aperire. Ponetque (ait) de eodem ſanguine ſuper cornu altaris Thymiamatis gratiſſimi Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij. Cornu altaris fortitudo vel exaltatio eiuſdem Chriſti eſt. Vnde Pſalmiſta: Cõſtituite diem ſolennem in cõdenſis vſq; ad cornu altaris.

Hebr. 9.

Lucæ 11. Matth. 12.

Ioan. 7.

Lucæ 24.

Pſal. 117.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Id est, vacate à seruilibus, & intendite bonis operibus, donec peruenias ad cognitionẽ diuinitatis Christi, qui est sublimitas vestræ mentis. Idcircò verò altare dicitur thymiamatis gratissimi domino, quia thymiamata siue incensa orationum nostrarum non nisi de illo vel per illum deus pater accipit. Ponet, inquit, ergo de eodẽ sanguine super cornu altaris thymiamatis. i. suscitatus à mortuis, & eleuatus in cælum, sedensq; à dexteris dei, vestigia suæ passionis, scilicet, cicatrices vulnerũ, signa clauorum, & lanceæ, in æternum reseruabit, quo memoriali grauissimi odoris semper interpellet pro nobis.

Quòd reliquum sanguinem fundi ad basem altaris in introitu tabernaculi, sit baptizari gentes post passionem eius in morte eius.

CAPVT XV.

OMnem autem reliquum sanguinẽ fundet in basem altaris holocausti in introitu tabernaculi.) Fundamentum est Christianæ fidei, scilicet, baptizari in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Vnde & benè dicitur, in introitu tabernaculi, quia videlicet nó nisi per baptismi regenerationem introitus vlli est in tabernaculum Dñi quòd est ecclesia dei. Ait ergo: Omnẽ autẽ reliquũ sanguinem fundet in basem altaris. Dixit enim, *Matth. vl.* postquã resurrexerit à mortuis: Euntes docete oẽs gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hoc vtique dicto reliquias sanguinis sui fudit in basem altaris. Nam & Apostolus dicit: Quicunque *Rom. 6.* baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c. Igitur reliquum sanguinem fundet in basem altaris, in introitu tabernaculi, id est, cũ per sanguinem suũ priorum temporum omnes electos emundauerit, eiusdẽ gratiæ reliquias futuris, & p verbum Apostolorum, creditu ris gentibus siue Iudæis, ponit in introitu tabernaculi veri, vt per baptismum complantẽtur similitudini mortis eius, quicunque volunt corpori eius vniri, id est, in ecclesiam eius ingredi, & resurrectionis eius comparticipes fieri.

Quid sit pelle, carnibus, capite, pedibus, intestinis: & fimo extra castra crematis, & cineribus in locum mundum effusis: adipem vituli offerri pro peccato: & quod in sacrificio panis & vini, veritas carnis & sanguinis, & tota sit gratia verbi incarnati.

CAPVT XVI.

ET adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui operit vitalia, quàm omnia quæ intrinsecus sunt, duos renunculos, & reticulum quod est super eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis, sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum, & adolebit ea super altare holocausti. Pellem verò, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & intestinis, & fimo, & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, vbi cineres effundi solent. Incendetque eam super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremebuntur.) Dubium ergo esse non licet, quoniam illud, quod cor- *Hebr. 13.* pus hostiæ iubetur extra castra cremari, hoc significet, quòd Dominus Iesus extra portam passus est, Apostolico firmante testimonio, quod superius positum est. Quid ergo hæc sibi vult retentio adipis, & cæterorum quæ separari iussa sunt in holocaustũ, nisi illud, quòd idem vitulus, idemque sacerdos magnus, continuò educendus, vespertinum fecit sacrificium, panem & vinum trãs ferendo in corpus & sanguinem suum. Nam pellem quidem, id est, visibilem hominis speciem, totumque mortalis ac miseræ substantiæ nostræ fimum, in isto sacrificio non attendis, sed quicquid pinguedinis, id est, quicquid gratiæ spiritualis in Christo est, fides istic tenet, & sensus animæ percipit. Vnde tota cum eodem capite suo sancta dicit ecclesia. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Cæterùm de illo quæri potest, *Psal. 62.* quod cùm dicatur, corpus & sanguis, neque panis in carnis speciem, neque vinum mutetur in sanguinis horrorem, id est, murmurare plebeium quemque, cur non sacerdos vituli fimum adoleat, simul & pellem. At illa semel extra portam cremata sunt, quando pellem nostræ mortalitatis atque corruptionis excoxit ignis passionis super struẽ lignorum, id est, in patibulo crucis, ac demum ipso resurgente à mortuis id quod mortale erat, à vita absorptum est. Cur post resurrectionem suam inuisibilis factus est, & nó nisi quando voluit, & à quib. voluit visus est, ita vt cum vellet euanescere, nisi quia corruptio omnis absorpta est? Etenim quod necessario visibile est, proculdubio & corruptibile est: Igitur de fimo & pelle vituli, id est, visibili atque corruptibili specie corporis & sanguinis Domini, neminem scrupulus moueat infidelitatis. Nam totam adipem, totã pinguedinem vituli, id est, totam gratiam, & veritatem verbi incarnati, qua indiget vt repleatur anima fidelis, illic se habere fides Christiana consentit. Nomine, re, atque effectu, caro vera est & sanguis verus. Nomine videlicet, quia sic sacerdos dixit, consecrationum opifex, qui vera rebus nomina ponit: Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei. Re autem, quia profectò sanctum sanctorum est, quàm verè sacerdos iste, qui sanctificat, sanctus sanctorum est. Effectu nihilominus, quia videlicet quàm efficaciter semel passus, omnibus præteritis remissionẽ peccatorũ attulit, tam potenter & nunc ad ecclesiã per eandẽ fidem venientibus, remissionem peccatorum dignè percipientib. impendit. Vbi tot habens veræ essentiæ partes, multo adipe repletur anima fidelis, quid te moueat, quia non cõparent pellis & fim⁹. i. horrida species carnis & sanguinis. Illud sanè nõ prætereat vicariũ Christi sacerdotem, quia cum

quia cum adipe duos quoq; renunculos & reticulos iecoris, id est, omnem voluntatẽ propriam secundum spiritualem hãc legem, magn⁹ ille sacerdos deo patri suo in holocaustũ obtulit. Non enim increpantibus se renibus suis acquieuit, sed iam antequam prædicto modo carnes eius pellis quoq; & fimus cre- *Luc. 22.* manda extra portam efferrentur, renes suos adoleuerat. Dicebat enim. Nõ mea pater mi, sed tua voluntas fiat: Hoc, inquam, sacerdotem quemq; non prætereat, sed ex exemplo eius ipse quoq; renes suos cum iecore, id est, voluptatem carnis vel concupiscentiã quæ iuxta Physicos consistit in iecore, adolere, id est, mortificare studeat. In locum, inquit, *Locus cinerum.* mundum, in quo cineres effundi solent, crematuntur. Locus in quo cineres effundi solent, communis terræ sinus, & humanæ sepulturæ necessitas est. Illic enim cineres, id est, omnium mortalium corpora mox in cineres resoluenda, effundi solent. Mundus au- *Ioan. 19.* tem quod dixit, hoc Euangelista sanctus nó præteriens, cùm dixisset: Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum, statim addidit, in quo nondũ quisquam positus fuerat. Munditiam ergo singularem cineris vnici, signãter expressit, dũ non tantum in locum, in quo cineres effundi solent, sed in locum mundum dixit. Nam sicut in vtero, de quo conceptus est, nondũ quisquam admissus fuerat, & sicut in monumento in quo positus est, nondum quisquã conditus fuerat: sic in illa munditia qua cinis eius effusus est, nullius vnquam cinis effusus fuerat. Vnde & cineres omnium in antiquum statum reformare poterit, indulta illis participatione sui, sanctus iste cinis. Nam & idcircò cũ mundus esset, in terrã fusus est, vt corpora nostra propter peccata in cinerem reuersa, denuò secum resuscitaret.

De eo quod ait: Quòd si omnis turba Israel ignorauerit, &c. quod actualia peccata per illam multitudinis ignorantiam intelligenda sint, & quod illa quoque vt originale peccatum deleantur per mysterium passionis Christi. CAPVT XVII.

CA. IIII. QVòd si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret vitulum pro peccato, adducetq; eum ad ostium tabernaculi, & ponent seniores populi manus super caput eius corã domino.) &c. vt suprà. Quæ hactenus dicta sunt, itidem dici potuissent, etiam si vnum & solum originale peccatum Christi fuisset morte deletum. Sed dicit Apostolus: *Rom. 5.* Et non sicut per vnum peccatum ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationẽ. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnũ, multò magis abũdantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipiẽtes in vita regnabũt per vnũ Iesum Christũ. Optimè & cũ hoc Apostoli testimonio, & cũ omni euangelicæ veritatis doctrina, certũ tenet fides catholica, quia non solũ originale, sed & cuncta simul actualia, nobis per passionẽ Christi filij dei remittuntur peccata. Benè ergo postquã de peccato sacerdotis lex dicit, ita subiunxit. Quòd si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiá fecerit, quod cõtra mandatum domini est, &c. Post peccatũ sacerdotis omnis quoq; turba ignorauit, qa postquã primus homo peccauit, qui (vt prædictum est) in paradyso dei sacerdos esse, gratiarumq; & laudum hostias offerre debuit, cuncta quoq; populositas generis humani in ignorantiã dei defluxit, originale crimen actualib. cumulando peccatis. Vnde Apost. *Rom. 3.* Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, aut requirens deum. Oẽs declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c. quæ de testimonio psalmi sumpta sunt. Et vt compro- *Psal. 13.* baret nec Iudæum qui requiescit in lege & gloriatur in deo, ab illa declinantium, atque inutilium vniuersalitate excipi, cõtinuò subiunxit: Scimus autẽ quia quæcunque lex loquitur; his qui sub lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & cætera. Igitur & sacerdotis, qui delinquere fecit populum, & simul omnis turbæ peccatum, eodem ani- *Rom. 3.* mali. i. vitulo, & eodem sacrificij ritu legitimè expiatur, quia & originale q̃ ex Adam contractum est, & cuncta simul actualia peccata eodem passionis Christi sacramento delentur. Et super illius quidem bruti pecoris caput, seniores tantũ ponebant manus, nec enim fieri poterat, vt cuncta simul turba imponeret vni manus, huius autẽ vituli rationalis, id est, Christi capiti manus imposuim⁹ nos omnis turba, quicunq; in morte ipsius baptizati sumus. Omnia nanq; peccata no- *Esa. 53.* stra capiti & fortibus humeris eius portanda siue tollenda imposuimus, immò Deus per manus nostras: per manus, inquit, id est, per fidem siue professionem credentium, posuit in eo iniquitates omnium nostrum.

De peccato, quod post baptismum admittitur, secundum legẽ dicentem: Si peccauerit princeps, &c. Et quis sit princeps, & quæ anima de populo terræ: & de oblatione principis, id est, prælati.

CAPVT XVIII.

SI peccauerit princeps, & fecerit vnũ è pluribus. per ignorantiã, q̃ domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiã domino, hircum de capris immaculatum, ponetq; manum suam super caput eius. Cũq; immolauerit eum in loco vbi solet mactari holocaustum coram domino, quia pro peccato est, tinget sacerdos digitũ in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius. Adipem verò adolebit, vt supra, sicut in victimis pacificorũ fieri solet.) Post passionis Christi sacramẽtũ, quod in baptismo percipitur, peccantib. iam non idẽ remedium vel eadẽ gratiæ largitas q̃ponitur.

Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam hostia pro peccato nobis extitit Christus, quam simel pro peccatis nostris certa redemptione tunc dedimus, quando singuli in morte ipsius baptizati sumus. Etenim comparatione securitatis, quam de præteritis peccatis in baptismo siue infantes siue veterani accepimus, valdè scrupulosa est redeptio, si iterum peccauerimus, quamlibet dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Quamuis dictum sit: Quacunque die quis conuersus ingemuerit, saluus erit, non tamen & hoc dictum est, quacunque die ingemuerit, peccata sua remittentur ei, nec certum est vtrum in hoc se
Ezech. 18. culo remittantur, an in futuro. Necenim leuiter aut dubiè dictum est, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Potest tamen & illud rectè de principali conuersione dictum accipi, videlicet qua de errore &
1. Cor. 3. de peccatis vetusti hominis Adæ conuertitur quis, & ad dominū vel dei filiū ingemiscendo transit, quo fit, vt filius portet iniquitatem patris, scilicet eius qui primus peccauit. Benè itaq; post datum immolādi vituli ritum hostia minoratur, cùm dicitur: Si peccauerit princeps, & fecerit vnum è plurib. ꝙ domini lege prohibetur, offeret hircum. Ac deinceps. Quòd si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, & cognouerit peccatū suū, offeret capram immaculatā, &c. Princeps ille est, qui tanquā aries ouib aut tanꝙ hircꝰ capellis pluribus præeminet. Hic si peccauerit & fecerit vnum è pluribus, ꝙ domini lege prohibitū est, eo ipso quod peccauit, malū inferioriob. exemplum præbuit.
Hebr. 6. Quòd si postea intellexerit peccatū suū, offeret, inquit, hostiā dño, no iterū vitulū, sed hircū. Nō em renouabitur iterū ad pœnitentiam. s. vt baptizetur iterū, ꝙ esset rursus crucifigere in semetipso, & ostentui habere Dei filiū, sed offeret hircum. i. per actualis pœnitentię mortificationē, mactabit semetipsum, vt posit pro peccato suo eiusdem passionis Christi, de sancto altari vtiliter percipere sacramentum. Peccando nanq; & faciendo vnum de plurib. quod Dñi lege prohibitū est: verbi gratia: mœchādo siue homicidiali cornu feriendo ipse hircus effectus est, quales vtiq; ad sinistrā statuentur, quib. & dicetur: Ite maledicti in ignē æternū, qui paratus est
Matth. 25. diabolo & angelis eius. Igitur si saluari cupit, mactabit hircum. i. pœnitēdo puniet semetipsum. Vbi? (In loco, inquit, vbi solet mactari holocustū coram dño.) Locus in quo holocausta mactari solēt, catholica ecclesia est. Nam extra illā nullus veri sacrificij locus est. Igitur in catholica ecclesia, in cōfessione veræ fidei pœnitebit, & huic fundamēto digna pœnitētiæ opera supræ dificabit. (Tinget, inquit, sacerdos digitum in sanguine hostiæ, ꝙ peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquū fundens in basim eius.) In isto quoq; sacrificio spiritualiter idē sacerdos & hostia est, quia semetipsum offeret. Obse-
Rom. 11. cro (inquit Apost.) vt exhibeatis corpora vestra hostiā viuentē, sanctā, deo placentē, rationabile obsequiū vestrū. Quod qui fecerint,
Apoc. 5. gratulabuntur secundū Apocal. dicentes: Et fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes. Tingit ergo sacerdos digitū in sanguine hostiæ suæ, quando discretionē operosæ pœnitentiæ imprimit vsq; ad mortificationē concupiscentiæ suę. Tangit verò cornua altaris, cū pristina dignitate recuperata, alios quoq; docendi auctoritatem resumit, velut ille qui
Psal. 50. cū post culpā pœnitendo dixisset: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me, continuò subiunxit. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertētur. Veruntamen nonnihil refert. Nam secreto quidē admissum & spōtanea confessione sacerdoti proditum peccatū, rogante pro eo sacerdote tanta largitate dimittitur, vt cū venia dignitas quoq; pristina recuperetur: deprehensum aūt, aut publicè conuictū crimē post pœnitentiā, laica tantū cōmunione contentū addidit hominē sacrorū auctoritati canonū. Vnde & hoc notandum, ꝙ supra quidem de sanguine vituli tinguntur cornua altaris thymiamatis, quod erat interius: hic autem de sanguine hœdi, & postmodū de sanguine capræ tinguntur cornua altaris holocausti, ꝙ erat exterius. Etenim (vt supra dictum est) cōparatione securitatis quā in baptismo accepimus, valdè scrupulosa est redeptio, si iterum peccauerimus. Sed & reliquū sanguinem, inquit, fundet ad basim eius, cū de cætero cauet, cunctis cōcupiscentiarū per purā confessionem susis suggestionib. Adipem quoque adolet, sicut fieri solet in victimis pacificorum, cū (vt superius dictū est) ad hoc tendit, vt pacificorū habeat vitæ statū,
Rom. 7. qualem suspirans Apostolus: Condelector, ait, legi dei secundū interiorē, hominē: video autem aliam legem in membris meis.

De peccato plebei, id est, subditi, & de oblatione eius, & de eo quod ait: Si peccauerit per ignorantiam, &c.

CAPVT XIX.

QVòd si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ, vt faciat quicquā ex his quæ domini lege prohibentur, atq; delinquat, & cognouerit peccatum suū, offeret capram immaculatam, &c.) Eadem lex plebei quæ & principis est, excepta ꝙ princeps hircum masculū, plebeus caprā fœminā offerre debet, & rectè. Nam quomodo fœmina nō à semetipsa concipit, sed ex masculo semen susscipit: sic plebeus siue popularis ignem peccatorum non à semetipso inuenit, sed à præeunte maioris exemplo peccatum admittit. Eadem, inquā, vtrique lex est: nā, & qui prebet, & qui malū imitatur exemplū, vterq; eadem pœnitentię purgatione indiget.

Quærendum tandem est, cur quendam venialis peccati terminum præfigens dixerit lex: Si peccauerit per ignorantiā? Si enim per ignorantiam

ignorantiam peccare hoc putauerimus esse discretionē boni ac mali nō habere, siue mandata dñi non legisse vel audisse, ergo neminē scientiam habentiū lex domini post peccatū
1. Reg. 12. admittit intra ianuas propitiationis suæ. Sed absit hoc. Quis enim in hac parte, scilicet in scientia legis maior quàm Dauid? Et tamen post adulterium simul & homicidium pœnitens receptus est. Quærendum ergo, quis ille sit terminus, quē cùm attigerit peccator, nō per ignorantiā peccare rectè pronuncietur. Dicimus itaq;, quia cū quispiam eo processerit, vt redargutus de peccato suo, non solùm non emendet, sed insuper opera sua defendere velit, tunc demū non per ignorantiā, sed scienter peccare, & proinde excusationē de peccato suo non habere dicendus est. Est enim quædā non tam ætatis vel simplicitatis, quā infirmitatis ignorantia, dum in hora tentationis sic mens caligine inuoluitur, vt miro modo id quod scit nesciat, & quod videt
Hebr. 5. non videat. De hac parte ignorantiæ Apost. dixit: Qui condolere posit his qui ignorant & errant, subiunxit enim: Quoniam & ipse circundatus est infirmitate. His duntaxat, qui eiusmodi sunt, ista clamētiæ lex porrigit manum, & eorum tantum peccata contrahit intra redemptionis ambitū, qui peccāt per ignorantiam. Nam illis qui peccatis suis fauent, qui diligunt iniquitatē, eamq; libenter aspiciunt, & redarguti (vt iam dictū est)
Psal. 56. peccata sua superba defensione tuentur, nul
Hebr. 10. lus propitiationis locus est. Vnde Psalmista iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dñs. Et Apostolus: Voluntariè enim nobis post acceptā notitiam peccantibus, iā non relinquitur hostia pro peccatis.

De eo quod sic dictum est. Sin autem de pecoribus, iuxta illud Euāgelij Matth. XIX. consilium: Si vis perfectus esse, &c.

CAPVT XX.

SIn autem de pecoribus obtulerit victimā pro peccato, ouem scilicet immaculatam, ponet manum super caput eius, & immolabit eam in loco vbi solent holocaustorū cædi hostiæ.) &c. vt supra. Lex spiritualis &
CAP. V. sancta, postquam dedit præceptum, accommodat etiam consilium. Nam quod intelligenti peccatum suum hactenus de offerendo hirco siue capra dixit, præceptum est: Quod autem nunc de offerenda loquitur oue, consilium est. Nec enim dicit. Offeret ouem, sed conditionaliter, sin autem, inquit, de pecoribus obtulerit pro peccato ouem. Hic ergo rectè intelligimus, illud significasse spiritum sanctum, quod nunc apertè resonat Christi euangelio, sic prædicari pœnitentiæ præceptum, vt nō taceat perfectionis cō-
Matth. 4. silium. Nam peccatoribus præcipiēdo dicit:
Ibid. 3. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim re
Ibid. 19. gnum cælorum. Et Ioannes cum comminatione venturæ iræ: Facite, inquit, fructus dignos pœnitētiæ. Iusto autē dicitur sic: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Et profectò qui iuxta hanc distinctionem pœnitentiam agit, ita dūtaxat, vt pro fructu pœnitentiæ quædā tribuat, & quædam sibi retineat, hic hircum qui nō tundetur immolat: Qui aūt nihil sibi reseruat, sed omnia vendit & dat pauperibus, & ita Christum sequitur, hic ouē tonsam immolat, qualium gregē in sancta ecclesia sponsus intuens dicit in Can-
Cant. 4. ticis. Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lauacro. Sed hoc (vt prædictū est) consilij magis, quam præcepti est, videlicet vt cuncta tribuat, & nihil sibi retineat. Igitur si ouem, inquit, obtulerit immaculatā, id est, si simplicē quoq; vitam, & licitam conuersationem reliquerit, vt melius regno cælorum vim facere posit, ponet manum super caput eius, id est, votum suum manifesta actione profitebitur, postquā non licebit ei iam quicquam proprium habere nullam omninò rem, sed nec propriū corpus in suæ potestate. Et immolabit eam in loco vbi solent holocaustorum cædi hostiæ, &c. vt supra.

Si peccauerit anima & audierit vocem iurantis, & cætera juxta illud Apostoli intelligendum. Non solū qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, & quòd immunditia tactus, sit peccati consensus.

CAPVT XXI.

SI peccauerit anima, & audierit vocem iu- CAP. V.
rantis, testisque fuerit quòd aut ipse viderit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.) Apostolus cùm di-
Rom. 7. xisset: Qui cùm iustitiam dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, continuò subiunxit. Nō solùm autem qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Hoc idem consonanter hæc sacra lex præsenti loco elocuta est. Nam hactenus de illis dixit, qui faciunt vnum de pluribus quod lege domini prohibitum est, nunc de illis qui consentiunt facientibus, manifestè perdocet. Si peccauerit (inquit) anima, & audierit vocem iurantis, & cætera. Procul dubio, qui peierat, vnum facitè pluribus quod lege Domini prohibetur. Qui autem testis aut conscius est, qui vidit aut audiuit illud, in quo ille peierauit, sed tacet & non indicat, procul dubio silendo consentit, non indicando, periurij cōparticipem se facit. Ac verò quia nō indicauit, portabit iniquitatem suam, quia talis est consentiendo, qualis ille agendo, teste (vt prædictū est) Apostolo. Igitur de his qui faciunt, supra locutus, nunc de illis qui consentiunt facientibus sententiā ingressus, & mox remedium ostensurus, dicit ad hoc. (Anima quæ tetigerit aliquid immundū, siue ꝙ occisum est à bestia, aut per se mortuū, vel quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ, rea est,

& delin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& delinquit. Et si tetigerit quicquam de immunditia hominis, iuxta omnem iniquitatē qua pollui solet, oblitaque cognouerit postea, subiacebit delicto.) Quod significauerat dicendo: Anima quæ tetigerit aliquid immundum siue quod occisum est à bestia, hoc penè expresit dicēdo, & si tetigerit quicquā de immunditia hominis, &c. Nam reuera immunditia hominis morticinum est, quia veram vitā, id est, dei spiritum per immunditiæ opera procul à se effugauit, quo fit vt sic mortua puteat anima deo priuata, quomodo putrescit corpus amissa anima. Tangit autem qui consentit, & sic tangendo immunditiam hominis, quasi morticinum adulatoria lingua delingit. Cæterùm si non consentiat, nihil corporali eius tactu se inquinat, aut rea constituitur anima. Attamen si hæretica immunditia sit, corporali quoque tactu vel cohabitatione non contingenda, sed maximè vitanda est. Si enim fornicator carnalis ex præcepto Apostoli ita vitandus est, vt cum huiusmodi nec cibum debeas sumere, quanto magis eum qui de Deo malè loquitur, debes vitare? Non est, inquit dominus, qui faciat virtutem aliquā in nomine meo, & possit cito malè loqui de me. Nō ergo virtutem baptismi potest conferre, qui de Dei filio male loquendo, malus est hæreticus, cùm fornicatorem, vel ebriosum ritè potuisse baptizare conuincamus. Maximè ergo vitanda est immunditia hæretica, cuius cuncta opera, vel mysteria quædam sunt morticina. Cadauer eius, siue à bestia occisum, siue per semetipsum sit mortuū, id est, siue alieno siue proprio sit vitio deprauatum, quicunque vel quomodocunque ille sit immundus, anima quæ tetigerit, quæ consenserit, amplius autem quæ defenderit, oblitaq; intellexerit, postea subiacebit delicto, vel (vt suprà dictum est) portabit iniquitatem suam, scilicet dignam agendo pœnitentiam, subiacebit, inquam, delicto, id est, portabit delictum suum in hoc seculo, ne sub illo prematur in futuro. Notandum quippe quod dixit, oblitaque intellexerit. Nisi enim quod oblita est negligenter, postea intellexerit, non subiacebit delicto suo, non portabit, imò non asportabit iniquitatem suam, dignā agendo pœnitentiam. Veruntamen non sicut in cæteris, ita & in isto mod⁹ vel quantitas definitur oblationis, quia videlicet consensus non omnibus, vel semper idē est, cùm ex necessitate nonnunquam eueniat, vt se quispiam consentire dicat, & idcircò cùm dicitur, oblitaque intellexerit postea, rectè intellectui vel conscientiæ eius relinquitur, quale onus pœnitentiæ meritò subire iubetur.

1.Cor.5. Matth. 9. Intellige si in forma baptismi nomen filij Dei vt non necessariū, hæretica persuasione simul cū nomine patris & spiritus sancti non expresserit.

De eo quod ait, Anima quæ iurauerit, & cætera, et de eo quòd iurauit male facere, quod siue faciat, siue non faciat, reus sit, & qualiter vel quid offerat qui iurauit.

CAPVT XXII.

ANima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis, vt vel malè quid faceret vel benè, & idipsū iuramēto vel sermone firmauerit, oblitaque postea intellexerit peccatū suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnum de gregibus siue capram.) Hic locus ex illis est, de qualibus canitur in psal. Pluit super peccatores laqueos. Multos quippe peccatores illaqueauit, verbi gratia: Herodem in decollatione Ioannis, qui cùm iurasset saltatrici idcircò sibi legitima necessitate occidere visus est, ne peieraret, & Iudæos XL. in Actibus Apostolorum, qui deuouerunt se non manducaturos panem, antequā occiderent Paulum. Putauerunt enim, quia quidlibet iurassent, aut deouuissent, siue bonum siue malum, liberi ex lege forent, dum modo iuramēto facto complessent. Dicit enim lex: Anima quæ iurauerit & protulerit labijs suis malè quid facere vel benè, &c. Ergóne hoc intelligendum fuit, quòd siue benè siue malè agere, quid iurasset, & vtrumlibet oblita esset peragere, inde pœnitentiam ageret? Hoc illi putauerunt, qui tam ad malum quàm ad bonum, imò magis ad malum quàm ad bonum semper proni fuerunt. Cæterùm iuxta veritatem hic præsentis loci sensus est. Qui iurauit, vt benè quid faceret, si peragit liber est: si non perficit, reus est. Qui autem iurauit, vt mali quid faceret, vt (verbi gratia) cum meretrice maneret, siue perficiat siue non reus est. Obsessus ergo vndiq;, quia per portam legitimam non vult exire, oportet vt ab illa muri parte desiliat, quā humiliorem conspicit, id est, in eo peccet, in quo peccatum leuius est, & citiori potest remedio curari. Moraliter tamē rectè potest dici, quòd is malè sibi iurauerit facere, qui carnem suā per abstinentiā macerare deuouit, quod profectò malum & asperum est sensibus carnis. Qui ergo iuramentum siue votum suum oblitus postea intellexerit, offerat, inquit, agnū de gregibus siue capram. Quid per agnum nisi actiuæ vitæ innocentiam: quid per capram, quæ in summis sæpe, extremisq; pendens rupibus pascitur, nisi contemplatiua vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implesse, ad sacrificium dei se studiosius debet, vel innocentia boni operis, vel in sublimi pastu contemplationis accingere. Et benè agna de gregibus, capra verò de gregibus offerri non iubetur, quia actiua vita multorum est, contemplatiua paucorum. (Sin autem nō poterit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum domino, vnum pro peccato, & alterum in holocaustum, dabitque eos sacerdoti, &c.) Iuxta literam piè pauperibus consulit lex domini, illo contenta quod vilius potest comparari. Iuxta spiritualem vero intelligentiam illis consilium dat, qui adeo inopis animi sunt, vt vtentes mundo tanquam non

Matthi 4

Actor. 14.

vtentes esse non possint, vt ementes tanquā non possidentes, vt habentes vxores tanquā non habentes, esse non nouerint. Quid enim est agnam siue capram inuenire non posse, & idcirco duos columbarum pullos, aut duos turtures offerre, nisi in seculari habitu vitæ actiuæ vel cōtemplatiuæ studere nequaquā posse, & idcirco ad spiritualem ordinem publica professione transmigrare, iuxta Psalmum dicentem: Ecce elōgaui fugiens, & mā si in solitudine? Quid verò per duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ gemitus designatur, vt cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus quia & recta non fecimus, & praua operati sumus? Vnde & vnus turtur pro peccato, alter verò offerri in holocaustū iubetur. Holocaustum nanq; totum incensum dicitur. Vnum ergo turturē pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitū damus. De altero verò holocaustum facimus, cū pro eo quòd bona negleximus, nosmetipsos funditus succēdentes, igne doloris ardemus. Et bene caput ad pennulas retorqueri præcipitur, vt videlicet ea quæ dicis facias, & os ad opera coniungas. Nec ita caput abscindendum est, vt à corpore diuidatur: sed collo, inquit, inhæreat, quia videlicet mens quæ per caput intelligitur, à carnis delectatione incidenda est, sed à carnis cura necessaria incidenda non est. Iuxta allegoricum quoq; sensum, caput turturis incisum est, & tamen à suo corpore abscissum non est, quia ex eo quòd pro nobis caput nostrū Christus mortē pertulit, omnes nos verius in ipsa morte sua cōiunxit. Caput ergo turturis incisum inhæsit corpori, quia pro nobis quidem redemptor noster passus est, sed à nobis per passionem separatus non est. Sed rarus quisq; est, qui compunctus spiritu pietatis assumere pennas sicut columbę, & volare sciat, & requiescere, & ita gemitus turturis, aut colūbæ sciat in pœnitētia vel in oratione habere. Extēditur autem & adhuc lex elementiæ, & subditur.

1.Cor.7.

Psal.54.

Psal.54.

De eo qui duos turtures vel pullos columbæ offerre non praualet, vt similam partem ephi decimam offerat, quid significet mysticè.

CAPVT XXIII.

CAP. V. QVòd si non quiuerit manus eius offere duos turtures vel duos pullos colūbæ, offeret pro peccato similā, partē ephi decimam. Non mittet in eam oleū, nec thuris aliquid imponet, qa pro peccato est, tradetq; sacerdoti. Qui plenum ex eo pugillum hauriens, concremabit super altare in monumētum eius qui obtulit, rogans pro illo & expians. Reliquam aūt partē ipse habebit in munere Ephi & batus vna mensura est modiorum trium. In Euangelio suo dominus legis

Matth.10.

dicit: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedē prophetæ accipiet, dicamus & secundum præsentis loci sermonem. Et qui pascit sacerdotem in nomine sacerdotis, mercedē sacerdotis accipiet. Quod si nō quiuerit manus eius offerre duos turtures, vel duos pullos colūbæ, illud spiritualiter est, vt qui orare vel duplicē (sicut prædictum est) gemitum in oratiōe nescit habere, pascat eū, cuius est officium semper orare, vt carnalia sua seminando dignè mereatur eius spiritualia metere. Vndè notandum, quia sic dictum est. Qui plenum ex eo pugillum hauriēs, concremabit super altare in monumentum eius qui obtulit, rogās pro illo & expians, reliquā verò partem ipse habebit in munere. Tunc enim sacerdos legitimè peccatoris munus accepit cum primo memoriā eius pleno cōsciētiæ pugillo sustollens coram domino precem pro illo susam cōcremat vero & legitimo charitatis igne. Cæterùm si de huiusmodi nō curat, osq; suum impletū munere claudit ab oratiōe, peccatum sibi assumit alienū, completurq; in illo quod de talib. dominus per prophetam dicit: Peccata populi mei comedunt. Nihilominus & illud non prætereū dum, quod de huiusmodi oblatione dicitur, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est: Multum nanque differt, vtrū ex voto gratuito, libera charitate: an pro admisso scelere, seruili timore quis tribuat. Illic enim oleum lucet hilaritatis, quā in datore Deus diligit: hic bene est si nō subest, tenebrosus oculus, impunè peccare volentis, quē Deus odit. Illic incēsum pietatis, susципientem Deum odore bono delectat: hic bene est, si non oblatum munus indignæ pœnitentiæ fœtore offendat.

2.Cor.9.

Osee 4.

Quid sit in his quæ domino sacrificata sunt, per errorem peccare, & quid sit arietem per hoc offerre emptum duobus siclis, damnum quoq; restituere cum adiectione quintæ partis.

CAPVT XXIIII.

LOcutus est dñs ad Moysen, dicens: Anima si prēuaricās cęremonias per errorē in his, quę domino sunt sanctificata peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pōdus sanctuarij. Ipsumq; quod intulit damnum restituet, & quintā partem ponet supra, tradēs sacerdoti. Cęremoniæ sunt ritus sacrificandi vel sacra omnia, quę Grecè orgia vocātur. Porrò ritus sacrificandi, & vera nobis orgia sunt, visibilia quæcunq; in sancta Ecclesia celebramus, sacramenta Christi filij Dei, quorū baptismus & eucharistia vel maxima sunt, quæ ab ipso domino nostro instituta sunt: secundaria verò quæ deinceps à sanctis Apostolis siue apostolicis viris, circa hæc rectè & vtiliter ordinata sunt. Et in his peccamus, damnumq; rei familiari domini nostri inferimus, quoties errabundo corde, vagantibus oculis, laxatis, atq; ad inania reiectis auribus, aliàs occupati. Imò ociosi sacrificium laudis, quod in ore nostro versatur, turbatis, laceratis, & interdum partem aliquam virorum sanctorū elapsam nobis amittim⁹.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nonnunquã verò, quod valde pauendũ est, precioſiſsimã quoq; corporis & ſanguinis dominj ſubſtantiã per incuriam huiuſcemodi excidit. Igitur vbi ſic euenerit, is, per cuĩ cõtigit neglectum, ſcire debet quod nunc dicitur. Offeret pro delicto ſuo arietẽ immaculatum, de gregib. &c. Videlicet arietem offerre immaculatum, cuius totum precium, duo ſicli ſunt, i. geminum diuinæ & fraternæ dilectionis præceptum, iuxta pondus ſanctuarij cæleſtis & non manu facti, quia videlicet nõ homo terrenus, ſed Deus cæli, duo charitatis præcepta librauit, qua ſola redimimus animum Deo offerendum, quia ſola hęc operit multitudinem peccatorum. Singulorum denique ſiclorum iuxta põdus ſanctuarij viginti oboli ſunt, & hoc loco teſtamentum vtrunque ſignificant, ſine quorum plenitudine neutrum conſtat charitatis præceptum. Quintam verò partem in reſtitutiõe damni ſuperaddere, id eſt, non ſolùm corde pœnitere, verumetiam quinq; corporis ſenſus, quorum vagatione erratum eſt, per exteriorem pœnitentiam punire. (Qui, videlicet ſacerdos, rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.) Tunc enim acceptabit Deus ſacrificium iuſtitiæ, rogante pro nobis ſacerdote, illo inquã ſacerdote, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt à dextris Dei, qui etiã interpellat pro nobis, non iam precũ ſubmiſsione, ſed præſentatione cauſæ referẽdæ.

1. Petr. 4.

Roman. 8.

De eo quod ait, Anima ſi peccauerit per ignorantiã, & quod ignorantiæ diuerſus modus ſit.

CAPVT XXV.

ANima ſi peccauerit per ignorantiã, feceritq; vnum ex his quæ dñi lege prohibentur, & peccãti rea poſtea intellexerit ſui quitatem ſuã, offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti iuxta menſuram, æſtimationemq; peccati.) Notandũ, quòd cum per ignorãtiam peccantib. diuerſa hactenus pro modo peccatorũ vel conditione peccantium remedia præſcripſerit, nunc animæ, id eſt, omni homini cuiuſcunq; conditionis ſit, item per ignorantiam peccãti vnum idemq; animal, ſcilicet arietem immaculatum offerre, quaſi mutata ſententia decernit. Sed ſciendum, quia differt, vtrum per irruentem mentis cœcitatem quis ignoret, an per inſcientiã legis, aut per improuidam negligentiã ignoret & erret. Nã, verbi gratia, aliter ebrius, aliter ignorati eiunus. Ille nanq; errat, quia mẽtis ſtatum vitio perdidit: iſte, quia rei de qua agitur, notitiam nunquam habuit. Sic proſectò aliter ignorat is cuius oculũ obtenebrauit concupiſcentia, aliter qui vel per ætatem vel per ſimplicitatem neſcit, quid inter dexteram & ſiniſtram ſuam habeat. Nã ſi non eſſet ignorantia, quam importat furor mali deſiderij, nunquã dixiſſet Dauid, vtiq; legis peritus atq; à puero ſpiritui S. aſſuefactus. Delicta iuuẽtutis meę, & ignorãtias meas ne memineris. Et de illo quidẽ q̃ ſic ignorat, rectè dicas, q̃ ignorat ignorabitur, ſubauditur, niſi poſteà pœnitẽdo intelligat: de his autem qui per inſcitiã ignorant, per prophetam ſuũ loquitur Deus. Tu doles ſuper hedera, in qua non laboraſti, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte perijt: & ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquã centum viginti milia hominũ, qui neſciunt quid ſit inter dextram ſuam & ſiniſtram? De huiuſmodi nunc dici manifeſtum eſt. Sequitur enim. (Qui, videlicet ſacerdos, orabit pro eo, quod neſciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit Domino.) Non igitur fruſtra hic omnis anima offeret arietem immaculatum, cùm ſupra, qui peccauit per ignorantiam iubeatur pro peccato offerre hircum. Quanto enim aries immaculatus hirco laſciuienti præcellit, tanto veniæ vicinior eſt is qui neſcienter errauit, eo quem ſua concupiſcentia, vt ignoraret, obſtupefecit.

1. Cor. 14.

Iona 4.

De eo quod ait: Anima quæ contempto Domino depoſitum proximo negauerit. CAP. XXVI.

LOcutus eſt dñs ad Moyſen, dicens: Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit depoſitum proximo ſuo, quòd fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, ſiue rem perditam inuenerit, & inficians inſuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare ſolent homines, cõuicta delicti reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintam inſuper partem addet cui damnum intulerat, & cætera.) Nemini putandum eſt, legem ſanctam ſibimet eſſe contrariam, pro eo quòd cum alibi dicat, qui hoc vel hoc fecerit, morte moriatur, & ſanguis eius ſit ſuper caput eius: hic pro quocunque peccato, abſq; vlla exceptione, de omnibus quæ lege Domini prohibentur oblatio ſuſcipiatur, & rogante ſacerdote dimittatur. Alia nanq; eſt accuſatio, quã excuſat clementia in ſacrificijs, alia quam condemnat iuſtitia in iudicijs. Verbi gratia: pone aliquem admiſiſſe adulterium à nullo deprehenſum, nullis teſtibus arguendũ, ipſum ſui fieri accuſatorẽ, hic ex lege præſenti, quã miſericordia condidit, ſuſcipitur, & per ſacrificium mediante ſacerdote remiſſionem lucratur. Vndè ſignanter hæc vbiq; lex ſuſcipiendi ſacrificij conditionem præfinit, dicendo: ſi peccatum ſuum intellexerit. Cęterùm, ſi patrato ſcelere deprehenſus, vel per alium fuerit cognitus, occiditur, lapidatur, ſanguis quoq; eius capiti imputatur. Itaque non ſibi contraria eſt lex ſancta, quàm hodieq; Chriſti tenet Eccleſia. Nam latentem peccati cauſam, ſecreta confeſsione proditam, gaudenter admittit intra veniæ ianuas, deprehenſa verò per aliũ cognita crimina, non ſolùm forenſe tribunal, ſed & ſynodica irrecuperabiliter plectit ſeueritas. Nam illud vita, hęc aũt eccleſiaſticis honoribus reos priuat. Proinde quod hic nunc dicitur, conuicta delicti reddat

CAP. VI.

Psal. 24.

dat omnia, ſic intelligi oportet, quia teſte cõſcientia conuicta eſt, vt ſemetipſam accuſaret confeſsione ſpontanea.

De eo quod ait: Hæc eſt lex holocauſti, quod ſupradictorum quaſi concluſio ſit, & quod noſtrum pro peccato ſacrificium ſit fides, hoſtia pacificorum ſpes, holocauſtum charitas.

CAPVT XXVII.

LOcutus eſt dñs ad Moyſen, dicens: Præcipe Aaron & filijs eius. Hæc eſt lex holocauſti.) Quod pro magno curare ſolẽt ſecularis eloquentiæ magiſtri, vt intẽtionis ſuę ſupremum enumeratione concludant, colligendo & cõmemorando quibus de reb. verba ſua fecerint, vt renouetur, nõ redintegretur oratio, vt auditor ſi memoriæ mãdauit, ad idẽ quod ipſe meminerit, reducatur, hoc antiquiſsimus ille ſanctæ legis orator hic facere dignatus eſt, recolligẽdo quod hactenus dixerit & ita cõmemorando. Hæc eſt lex holocauſti, hæc eſt lex hoſtiæ pro peccato, hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum. Primum eſt, vt ſecundum ſpiritualem & verum ſacrificandi ordinẽ, certiſsima iſtorum ſacrificiorum vocabula prodamus: ne dubium ſit, quale humilitatis noſtræ opus ſacrificium pro peccato: quale hoſtia pacificorum: quale holocauſtum ſit, quod iã ſuperius pro poſſe diximus. Eſt itaq; noſtrũ pro peccato ſacrificiũ fides, hoſtia pacificorũ ſpes, holocauſtũ verò charitas. Nã ſupra, licet indigeſta narratione, prius holocauſtũ, nouiſsimẽ ſacrificiũ pro peccato poſitũ ſit: tamen ordine viuendi ſiue proficiendi, prius ſacrificium pro peccato eſt, i. fides: ſupremum verò holocauſtũ, i. charitas.

CAP. VI.

Sic in ordine cæleſtium per quæ Dei filius ad nos vſq; deſcendit, prius eſt ſpiritus ſapiẽtiæ, nouiſsimum verò ſpiritus timoris: veruntamen profectuum ordinẽ ſeruando, quib. ad Dominum nos aſcendimus, prius eſt ſpiritus timoris, ſicut ſcriptum eſt: Initium ſapientię timor Domini, ſupremum verò ſpiritus ſapientiæ. Igitur ſacrificia quæ hic ſub velamine vultus Moyſi quondam latentia, nunc reuelata ſunt, in facie claritatis Chriſti, fides, ſpes, & charitas ſunt. Maioris horum, i. charitatis, magni & veri holocauſti lex hæc eſt.

Pſal. 110.

Quod altare illud Chriſtus, & ignis ille ſpiritus Chriſti ſit, de quo ait: Cremabitur in altari tota nocte. Et quid hæc myſticè.

CAPVT XXVIII.

CRemabitur in altari tota nocte vſq; mane. Ignis ex eodem altari erit. Veſtietur ſacerdos tunica & fœminalib. lineis.) Altare noſtrum Chriſtus eſt, de quo & alibi dictum eſt: Altare de terra facietis mihi, i. humiliter incarnationem credetis Chriſti filij Dei. Cuius ſignum eſt hoc altare viſibile, quia quem admodum hoc vniuerſo præeminet templo, ſic Chriſtus vniuerſæ Eccleſiæ caput eſt. Ignis qui ex eodem altari eſt, ſpiritus ſanctus eſt, quem vtique ignem ille venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Porrò holocauſtum noſtrum cor noſtrum eſt, totum incenſum, i. totum diuino amori deditum, & propter illum ab omni carnis amore ſeparatum. Nox autem præſens eſt vita, quantumlibet eodem igne, i. eiuſdem ſpiritus ſancti ſtellantibus donis illuſtrata, videlicet comparatione illius diei, quo videbitur Deus deorum in Sion, quando quod nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, videbimus facie ad faciem. Cremabitur (inquit) tota nocte, i. vſq; ad finẽ vitæ. Quomodo? (Veſtietur (ait) ſacerdos tunica, & fœminalibus lineis, tolletq; cineres quos vorans ignis exuſsit, & ponens iuxta altare, ſpoliabitur prioribus veſtimentis, indutusq; alijs, efferet eos extra caſtra, & in loco mundiſsimo vſque ad fauillam conſumi faciet.) Tunica ſacerdotalis linea (vt alio loco iam dictum eſt) vitam ſignificat noui hominis, ſicut econtrario tunica pellicea, qua poſt peccatum indutus eſt Adam, vitam ſignauit veterem eiuſdem vetuſti hominis. Porrò fœminalia linea, diſtrictum ſignificant propoſitum caſtitatis, quo ſuccingi debet quiſquis fortiter totum igni diuini amoris cor ſuum impendere cupit, vt nec licito ſe indulgeat amori copulæ coniugalis, quia diuiſus eſt huiuſmodi ac ſolicitus quæ ſunt huius mundi, quomodo placeat vxori. Tota, inquam, cremabitur nocte, & vix ſufficiet aliquis, vt ad purum concremet, cremando iugiter vſq; ad finem vitæ. Tolletq; cineres quos vorans ignis exuſsit. Cinis qui mane ſupereſt, ſordidæ cogitationes ſunt, à quibus nemo per ſemetipſum liber exiſtere poteſt. Quis enim in illo mane, in illo tremẽdo fine vitę ſuæ gloriabitur, caſtũ ſe habere cor? Verbi gratia: Dũ dicit quamlibet ſanctę aliquis, huiuſce holocauſti ſacerdos ſiue ſacerdotalis amica: Dilecte mi apprehendã te, & ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, & in huiuſmodi ſimilitudinib. carnalis ſponſi & ſponſæ contẽplatur veritatem cæleſtis copulæ, vbi ſperat ſe creatura, veris creatoris complexibus frui turam eſſe, quomodo impollutam ſe cuſtodire poteſt ab omni cinere, i. à cogitationib. carnalis copulæ. Tollet ergo (inquit) cineres quos vorans ignis exuſsit, & ponet iuxta altare, i. paruulos cogitatus ſuos comportabit ad Chriſtum, qui totam gerit curam noſtræ ſalutis. Hoc faciet iugi cordis ſui diſcuſsiõe, crebra cordis & oris confeſsione. Quid deinde? Spoliabitur (inquit) priorib. veſtimẽtis, indutuſq; alijs, efferet eos extra caſtra, & in loco mundiſsimo vſq; ad fauillam conſumi faciet. Spoliari prioribus veſtimentis, i. tandem deponere inuolucrum carnis: induiq; alijs, i. gratiam accipere æternę retributionis. Tunc efferet eos, videlicet cineres ſuos extra caſtra, & in loco mundiſsimo vſq; ad fauillam conſumi faciet: quia profectò prædictarum ſordium reliquias extra præſentis vitæ militiam, vſq; ad purum excoquet, i. amor in illo

Exod. 20.

Luca 12.

Cant. 3. 8.

2. Cor. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esaiæ 31. seculo mũdissimo, quia vt Esaias ait: Amor iste, ignis domini est in Sion, & caminus eius in Hierusalem, i. in ista præsentis vitæ Ecclesia quantulusc̃unque, in illa verò superna pace ineffabilis est, qualem oculus non vidit, Ibid. 64. & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit.

De eodem igne qui in altari, inquit, semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies. CAPVT XXIX.

IGnis autem in altari semper ardebit, quẽ nutriet sacerdos, subijciẽs ligna mane per singulos dies. Et impositio holocausto, desuper adolebit adipes pacificorũ. Ignis iste est perpetuus, qui nunquã deficiet in altari.) Altare dei (vt supra dictum est) fides Christi in corde nostro est, in quo iubetur ignis semp ardere, quia necesse est, ex illo ad dominum, charitatis flammam indesinenter ascendere, cui per singulos dies sacerdos ligna subijciet ne extinguatur. Omnis enim Christi prędicator, membrum vtiq; summi sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus Apo- 1. Petr. 2. stolus dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotiũ. Et sicut Ioannes Apost. dicit: Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Sacerdos ergo in altari ignem nutriens quotidie ligna subijciat, i. fidelis quisq; ne in Apoc. 3. eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tã exempla præcedentium, quàm sacræ scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare est, in exercitatiõe charitatis, vel exempla patrum, vel præcepta dominica ministrare. Quia enim interna nouitas nostra, ipsa quotidie huius vitæ conuersatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, vt dum per vsum se nostræ vetustatis attenuat, per patrum testimonia & exempla reuiuiscat. Et benè præcipitur, vt mane ligna per singulos dies congerantur. Hæc quippe non siunt, nisi cum noxcæcitatis extinguitur. Vel certè, quia mane prima pars diei est, postpositis cogitationibꝰ vitæ præsentis hoc priori loco quisquis fideliũ cogitet, vt ꝙ in se iam iamq; quasi deficit, quibus valet nexibus studiũ charitatis inflãmet. Ignis enim iste in altari domini, i. in corde nostro citius extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrũ, & dominicis testimonijs reparetur. Bene autem subiungitur, Et impositio holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Nam quisquis huic ignem charitatis accendit, & semetipsum vtiq; holocaustum desuper imponit, omne vitium quod in se malè viuebat, exurit. Cùm enim cogitationum suarum interna considerat, & vitam reprobam per immutationis gladium mactat, in ara se sui cordis imponit, & igne charitatis incendit. De qua hostia pacificorũ, adipes redolent, quia interna nouæ vitæ impugnatio pacem inter nos & Deum faciens, odorem suauissimum de nobis reddit. Quia verò eadẽ charitas in cordib. electorũ inextinguibilis manet, aptè subditur. Ignis est iste perpetuus, qui nunquã deficiet de altari. Nũquã profectò de altari ignis iste deficit, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus feruor charitatis accrescit. Aeterna quippe contẽplatione agitur, vt omnipotens Deus, quo magis fuerit agnitus, eo amplius diligatur.

De lege sacrificij & libamentorum, quòd comedendum absque fermento, id est, bene operandum sit absque vanæ gloriæ tumore ventoso.

CAPVT XXX.

HAec est lex sacrificij & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram dño, & coram altari. Tollet sacerdos pugillũ similẽ, quæ consperſa est oleo, & totum thus quod super similam positum est. Adolebitq; illud in altari, in monumentum odoris suauissimi domino. Reliquum autem similæ comedet Aaron, cùm filijs suis absq; fermento, & comedet in loco sanctuarij tabernaculi.) Optimum est modo supra dicto, facere holocaustum quod dicitur totum incensum, i. opus bonum in amoris igne probatũ, non sibi sed Deo attribuere totum, fugere ventũ gloriæ Matth. 6. popularis, iuxta præceptum dicentis, cauete iustitiam vestram facere coram hominib. vt videamini ab eis. Veruntamen si semper fugias spectatorẽ, nunq̃uam habebis imitatorẽ. Proinde idem dñs dicit: Luceat lux vestra co- Matth. 5. ram hominib. vt videant opera vestra bona, & glorificẽt patrem vestrum qui in cælis est. Rectè igitur post legem holocausti, quo occultum significatur incẽdium amoris, lex sequitur sacrificij & libamentorum eius, quorum partẽ comedant Aaron & filij eius, quo signatur opus bonum factum coram hominibus, vt glorificetur Deus. Tollet, inquit, sacerdos pugillũ similæ, quæ cõsperſa est oleo, & totũ quod super similã est positũ, i. is qui Deo quodlibet offert opus iustitiæ, firmitatem intuebitur mundissimæ conscientiæ, intentionem vtilitatis fraternæ, bene redolentem expectationẽ laudis diuinæ. Et hęc adolebit, inquit, in altari, reliquam autem partẽ similæ comedet Aaron cum filijs suis. Vbi enim hęc quę prędicta sunt, bene operãs proposuerit in radice cordis sui, legitimè iam coram hominib. lucere permittit lucem operis sui, vt non videatur ipse ab hominib. sed vt glorificetur pater qui in cælis est. Itaq; comedetur absq; fermento, i. absq; vanæ gloriæ tumore ventoso, comedetur, inquam, in loco sanctuarij tabernaculi, i. celebrabitur opus bonum in communi ædificatione Ecclesiæ Christi. Ideo, inquit, nõ fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum, i. idcirco vento inanis gloriæ bonum opus non perdetur, & idcirco hocipsum quod visum est ab hominib. pro mercede non reputabitur, quia tota operantis intẽtio tendit ad dominũ. (Sanctum sanctorũ erit.) Subauditur quamuis homines illud viderint & laudauerint, (Sicut pro peccato atq; delicto,) i. non magis

magis lædetur laudibus hominum, vbi pura fuerit intentio, quàm si prævaricationis reus aliquid persoluisset ex debito, in quo minorem vtiq; locum habet omnis iactantiæ tumor. Et quia non indiscretè, bonum omnibus propalandum est, quamuis pro exẽplo. (Mares, inquit, tantum stirpis Aaron comedent ex eo.) Id est, coram illis tantum hominibus lucere studebit iustitiam suam, de quibus spes esse potest, quòd viriliter proficiant imitando. Et quia totus hic publicæ visionis optabilis fructus. (Omnis, inquit, qui tetigerit illa, sanctificabitur.) Id est, omnis qui imitatus fuerit opera tua bona, saluabitur.

De oblatione Aaron et filiorum eius, quòd puritas quæ in alijs quæritur per consilium, à sacerdotibus exigatur.

CAPVT XXXI.

HAec est oblatio Aaron & filiorum eiꝰ, quam offerre debẽt dño in die vnctionis suæ. Decimam partem ephi offerent simile in sacrificio sempiterno. Medium eius mane, & mediũ vespere: Quæ in sartagine oleo cõsperſa frigetur. Offeret eam calidam in odorem suauissimum coram domino, sacerdos qui patri iure succesſerit, & tota cremabi- CAP. VI. tur in altari.) Holocaustum, i. veri amoris sa- 2. Cor. 7. crificium secretum, in quo fidelis anima vacat ad contemplationem domini, cùm in cæteris hominib. quæratur per cõsilium, tũc verò à sacerdotib, exigitur per præceptũ. Verbi gratia: Vt laici qui habent vxores, tanquã non habentes sint, cõsilij est. Vt aũt sacerdotes diuidantur in huiusmodi, nec lex, nec ratio permittit. Hæc, inquit, est oblatio Aarõ, & filiorum eius in die vnctionis suæ. Quòd dicit in die vnctionis suæ, i. secundum propositum vel tenorem vocationis suæ. Nam ne putes hanc oblationem vno tantũ die, quo & vncti sunt, ab illis debere conferri, continuò subiungit: Decimam partem ephi offerẽt in sacrificium sempiternum. Et significans totum vitæ tempus à sacerdotibus impendi debere orationi, & medium eius, inquit, mane, & medium vespere. Si omni mane, & omni vespere, ergo omni tempore. Nam omne tẽpus mane & vespere, i. diei & noctis variatur versatili vicissitudine. Et quia in memoria passionis Christi per charitatis compassionẽ, feruere debet sacerdotis pectus, in sartagine, inquit, oleo consperſa frigetur. Et quia nihil tepidè, nihil negligenter in tanto negotio gerendum est: offeret, inquit, illam calidam in odorem suauitatis dño sacerdos qui patri iure succesſerit, & tota cremabitur in altari, vt supra iam dictum est. Et quia indignum est, vt sacerdos reconciliatione indigeat, quis enim status, aut quæ dignitas sacerdotij, si se implicet actibus seculi, fiatq; sicut populus sic & sacerdos: omne, inquit, sacrificium sacerdotũ igne cõsumetur, nec quisquã comedet ex eo, ꝙ fieri nõ potest, nisi curis carnis totũ se exuat, & abalienet cor suum ab hoc seculo, vt soli vacare, & solo possit frui Deo.

De lege hostiæ pro peccato, quæ comedẽda sit in loco sancto, & quod vestis sanguine illius respersa, lauãda sit in loco sancto. CAP. XXXII.

ISta lex est hostiæ pro peccato. In loco vbi offertur holocaustũ immolabitur coram dño. Sanctum sanctorum est, sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.) Ordo supra scriptꝰ paulisper hic in recolligẽdo permutatꝰ est. Illic enim post holocaustum hostia pacificorum, & deinde hostia pro peccato dispositꝰ est: hic verò prius lex hostiæ pro peccato, & deinde lex hostiæ pacificorum. Et fortasis in superioribꝰ idcirco legẽ hostiæ, pro peccato distulit, qã de illa plura dicturus erat. Nam secundũ prę- Psalm. 39. sentem ordinem, & Psalmista holocaustum & pro peccato coniungit, holocaustũ, inquiens, & pro peccato non populasti. Attamen Hebr. 13. (vt prædiximus) nostrum pro peccato sacrificium propriè fides est. Quę est enim redemptio peccati, per quod mors introiuit in hũc mundũ, nisi credere quia dominus Iesus, vt sanctificaret per semetipsum populũ, extra portam passus est? At verò superius tractauimus, testante Apostolo, quòd hoc per illud significabatur, vt quorum animaliũ sanguis inferebatur in sancta per pontificem, eorum corpora cremabãtur extra castra. Ergo fides spiritualis pro peccato sacrificium est, quæ tẽpore quidem vel ordine graduum ascensionis nostræ prior, sed dignitate inter spem & charitatem media est. Illud sanè prætereundum non est, in his distinctionib. cũ dicitur: Ista est lex hostiæ pro peccato, ac deinceps, hæc quoq; est lex hostię pro delicto, postmodum quoq; vtriusq; hostię lex vna erit: non, inquam, prætereundum, quod peccati atque delicti nonnulla distantia sit. Peccatum videlicet est, quippiam, quod domini lege prohibetur, fecisse: delictum verò, quidlibet eorũ quæ iubentur, neglexisse. Sed iam ipsa huiusce legis verba perstringamus. In loco, inquit vbi offertur holocaustum, i. in catholica Ecclesia, extra quam non est habere vel accipere sancti spiritus incẽdium, immolabitur coram domino. Alioqui si aliàs, si in aliquo hęreticorum cõuenticulo immoletur, non est hostia pro peccato, non est corpus quod traditum pro nobis, nõ est sanguis qui fusus est pro peccatis totius mundi. Sanctum sanctorum, inquit, i. vltra cætera sancta, quæ in prædicto holocausti loco aguntur, hoc sanctũ est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto in atrio tabernaculi. Bene ergo ac legitimè canonica censuit auctoritas, vt nunquam sacerdos qui missas celebrat omittere audeat, quin ipse communicet. Porrò locus sanctus, & atrium tabernaculi præsens Ecclesia est: sanctus, inquam, locus & atrium tabernaculi, subauditur cælestis. Hic nanque Patriarcharum & prophetarum fides est, per quam, & de qua introitur in illud cæleste

Universidad de Deusto
Biblioteca

templum Dei. Econtra, immunda Iudæorũ, vel hæreticorum conuenticula, vbi (sicut iã dictum est) nec debet, nec potest mactari hęc hostia sancta. (Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. De sanguine illius si vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto.) Hoc ita vt dicitur, iuxta literam intelligitur vtiliter. Etenim quicquid tangit corpus Domini, sine dubio sanctificatur, & religiose ablui tur, ita vt ne digitos quidem extremos ad cõmunium rerum reducere tactum sacerdoti licitum sit, nisi prius diligenter abluerit. Vestis quoq; si fuerit aspersa isto sanguine, hoc pro graui quidem offensione meritò habetur: at ipsa vestis à Deo sanctificata iure reputatur, vt non solùm in sancto & ab omni cõmuni visu remoto loco lauetur: verùm ab eis, qui diligentiores sunt pro summis pignoribus reconditur.

De sententia prophetica qua dictum est: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui nunquid sanctificabitur? CAP. XXXIII.

Aggæi 2. HVic sensui nequaquam illud contrariũ videri debet, q̃ in Aggęo propheta, cũ interrogasset ex ore Dñi sacerdotes, dicés: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ore vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius spanem, aut pulmentum, aut vinũ, aut oleũ, aut omnem cibum, nunquid sanctificabitur? responderunt, dicentes: Non. Nã ad id quod dixit, nunquid sanctificabitur, subaudiendum est, homo siue portando siue omnem cibũ sumendo, qui tetigerit ex eo quod sanctificatũ vel oblatum fuerit Domino. Nam neq; portando neq; manducando, aut bibendo, quod sanctum aut sancto contactum est, sanctificari potest, sed è contrario magis contaminabitur, si sancta contingere præsumpserit, cùm ipse in anima pollutus sit. Nam continuò sequitur: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur. Itaq; & nos alludentes, dicamus: Si signaculo crucis frontem aut pectus suum signauerit impius, nunquid hoc signo diabolus de illo effugabitur? Non vtiq;, sed arctius includetur, imò & ipsa eius anima nihilominus erit diaboli, iuxta scripturam dicentem:

Eccles. 21. Cùm maledicit impius diabolum, maledicit animam suam.

De eo quod ait. Vas fictile, & catera: & quod non fœmina, sed masculus vesci debeat carnib. eius, & quod pro peccato hostia non comedi, sed comburi debeat.

CAPVT XXXIIII.

VAs autem fictile in quo cocta est, confringetur, quòd si vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali, vescetur carnibus eius, quia sanctum sanctorũ est. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.) Vas, inquit, fictile confringetur, videlicet ne post sancta ad cõmunes etiã usus reducatur. At verò æneum defricabitur & lauabitur, sine dubio quia grauiori quam fictile dispendio confringeretur. Cæterũm nos neq; fictile, neq; æneo, neq; ligneo, sed tantùm argenteo siue aureo vase, hostiã sacram conficimus. Porrò spiritualiter vas fictile, in quo cocta est hostia confringitur, i. eius pro quo hæc singularis hostia coquitur, omnis terrenitas destruatur, iuxta illud in psalmo quod cum dictum esset: Reges eos in virga ferrea, statim additum est, tãquam vas figuli confringes eos. Quod si vas æneum, i. cor in bono proposito, vt amplius non peccet, fuerit solidatum, defricabitur, & lauabitur aqua, id est, quotidiana lauabitur pœnitẽtia, vt amplius niteat. Et quia nemo mollis, aut fluxus huiusmodi hostiæ dignus est esu, omnis, inquit, masculus de genere sacerdotali, id est, omnis fortis, qui viriliter intus resistendo, dignus est dici vel esse filius aut consanguineus magni sacerdotis Christi, vescetur carnibus eius. Quare? Quia sanctum sanctorũ est. Idcirco nanq; fœmina, id est, quæcunque mollis vel immunda anima, isto cibo indigna est, quia sanctum sanctorum est. Sequitur: Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij, ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni. Tãquam diceret: Quæ hactenus dicta sunt de illa duntaxat hostia, pro peccato scilicet quæ non solum ipsa cæditur pro peccato, sed & sanguis eius infertur in tabernaculum testimonij, ad expiandum in sanctuario non comedetur, sed comburetur igni. Quare? Nempe vt spiritualem prosequamur intelligentiam, quia species illa corporeæ visionis, in qua cęsa est pro peccatis nostris hostia viuentium, Christus filius Dei, cuius sanguis, imò sanguinis causa semel illata est in illa cælestia sancta, ante oculos Dei patris, ad expianda & repropitiãda delicta populi: illa, inquam, species tũc quando cæsa est contemptibilis, non debuit comedi, sed cõburi igni, id est, per spiritum sanctum, ex virtute resurrectionis, ab omni immortalitatis vel passibilitatis corruptiõe, ne illa videretur eximi & in cęlũ leuari. (Hęc quoque est lex hostiæ pro delicto. Sanctum sanctorum est, &c.) Vt supra iam dictum est, delictum est iussa non fecisse, peccatum verò prohibita cõmisisse. Omnia quæ pro peccato, eadẽ & pro delicto facienda sunt. (Etenim vtriusq;, inqt, hostiæ, lex vna erit.) Quia videlicet eodem sacramentorũ Christi remedio indiget is, q̃ iussa nõ fecerit, quò & ille q̃ prohibita cõmiserit. Additur tamẽ hic, quòd nondũ fuerat dictum: quia (Sacerdos qui offert holocausti victimam habebit pellem ouis.) Hoc videlicet vt secundum literam, ita & secundum spiritum æquum est. Qui enim conuerti fecerit hominem ab errore viæ sue & vsque ad reconciliationem sacri altaris perdu-

1.Cor.9. preduxerit, dignum est, vt tanquam victor spolia eius accipiat. i. cui sua spiritualia seminauit, eius carnalia metat. (Et omne sacrificiũ, inquit, simile, q̃ coquitur in clibano, & quicquid in craticula vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis, à quo offertur.) Quia videlicet iustum est, apud dominũ, vt qualecunq; opus bonum quis fecerit, siue in clibano cõiugalis, siue in craticula vidualis, siue in sartagine virginalis, ppositi, eius gloriæ sit, cuius instinctu vel cõmonitione hoc egit. (Siue oleo consperſa oblatio, siue arida fuerit.) Id est, siue ex amore, siue ex timore opus bonum peractum sit. (Cũctis filijs Aaron æqua mensura per singulos diuidetur.) Hoc hactenus ex lege, maximè in cœnobijs obseruatur. Illic enim oẽs filij Aaron, id est, omnes quorum propositum vel officiũ est orare pro peccato secularium, quorum & eleemosynas accipiũt, iuxta regulã Apostolicã, qua erãt illis omnia cõmunia diuidebatur aũt singulis prout vnicuiq; opus erat.

CAP. VII. Actor. 24.

De lege hostiæ pacificorum, qualiter in ecclesia publicis stationibus celebretur.

CAPVT XXXV.

CA. VII. HAec est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur domino. Si pro gratiarũ actione fuerit oblatio, offerent panes absque fermento, consperſos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamq; similam & collyridas olei ad mixtione consperſas, panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus vnus pro primitijs offeretur domino, & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vsq; mane.) Hostiæ pacificorum, quales hodie in ecclesia Christi redolent, qualiũ istæ carnales vmbræ fuerunt, spei insignia sunt, & pro omnimodis profectibus tam priuatis quàm publicis stationib. actitantur.

1.Tim.2. Vnde discipulum cohortans Apostolus, obsecro, inquit, primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, cũ omni pietate & castitate. Legis huius proprietas, qualiter priuatim obseruetur, superius dictum est, scilicet in homine qui secundum Apostolum dicit: Cõdelector legi dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legẽ in membris meis, & cætera.

Rom.7. Verùm in hac legis eiusdem renouatione, plura addita sunt, de quibus nunc ita est differendum, vt communes quoque respiciamus hostias pacificorum, quæ (vt prædictũ est) in ecclesia Christi publicis stationibus celebrari solitæ sunt. Si, inquit, pro gratiarũ actione fuerit oblatio, & cæt. Et holocaustum quidem, quo totum intrinsecus cor diuini amoris igne coquitur, gratiarũ actio rectè dicitur: sed aliud est internam gratiarum actionem coram diuinis oculis incędere, & secreto amore vel dolore ardere pro sola, quam desiderat mens, diuinitatis visione: aliud voces solennes, vel vota publica reddere pro bonis publicis præsentis quoq; vitæ, verbi gratia, pro felici regum statu, sub quo vitam quietam agamus. Lagana, inquit, azyma vncta oleo, & collyridas olei admixtione consperſas. Laganum panis primùm in aqua coctus, & postea in oleo frixus. Collyrida panis quadratus itidem cum oleo frixus. Et rectè panis offerendus oleo consperſ gitur, per quod lętitia charitatis intelligitur, quia videlicet hilarem datorem diligit deus. Nec verò mouere debet, quod panes quoq; fermẽtatos offerri iubet, cùm suprà dixerit:

1.Cor.5. Omnis oblatio quæ offertur domino, absq; fermento erit. Nam & illic subiunctum est: Primitias tantum eorum offeretis, & munera super altare non ponentur in odorem suauitatis: & hic non super altare poni, sed pro primitijs offerri satis exprimitur, cùm dicitur: Ex quibus vnus pro primitijs offeretur domino, & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem.

Qui sint tres dies, quorũ in tertio carnibus hostiæ vesci licitum non est.

CAPVT XXXVI.

CVius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vsque mane.) Si voto vel spontè quisquam hostiã obtulerit, eadem similiter edetur die. Sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitũ est. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet.) Qui sunt tres dies, quorum in tertio carnibus hostiæ vesci licitum non est? Nempe tres status vitæ hominis, de quibus superius cùm primùm lex ista pacificorum deprompta est, diximus, videlicet, quia status extremus cùm adhuc homo sine metu peccat, de quo Apostolus: Ego, inquit, viuebam sine lege aliquando: Mediocris, cùm iam aduersus peccatum pugnat, de quo idẽ subsecutus, condelector, ait, legi dei secundum interiorem hominem, & cætera. Optimus & primus, cùm tandem peccatum ipsum victor sub pedibus calcauit, de quo itidem cùm dixisset: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? continuò sibimet respondens, gratia, inquit, dei per Iesum Christum. Eadem itaque die carnes comeduntur, cùm eius oblationes à sacerdotibus recipiuntur, quẽ gratia Dei iam liberauit per Iesum Christum, vt non ducatur in lege peccati captiuus. Altero die ad huc licitò comeduntur, cùm eius oblationes recipiuntur, qui nondum quidem liberatus est, sed pugnandi spem præstat spectatoribus conscientiæ suæ sacerdotibus, quorum & commendat sese orationibus. Porrò tertio die non comeduntur, quando eius oblationes non recipiuntur, qui sine lege viuit, qui non repugnat vt liberetur.

Rom.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imò fortè & in reb. peſsimis gloriatur. Hoc nefarium eſt. (Ait ergo: Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerẽti. Quin potius quæcunq; anima tali ſe edulio contaminauit, præuaricatiõis rea erit.) Igitur munus quod ab impio ſuſcipitur, non ſolũ non proderit offerenti, ſed & illum qui ſuſcipit, conſtituit reum præuaricationis. Et rectè, nam & ille pertinaciter peccat, & iſte peccata eius comedit. Proinde & adhuc ipſum quod dixerat, quicquid dies tertius inuenerit, ignis abſumet, repetit, dicẽdo: (Caro quæ aliqu id tetigerit immundũ, non comedetur, ſed cõburetur igni.) Nam iuxta ſenſum prædictũ tertius dies i. extremus peccatorum vitæ ſtatus, immundus eſt: & hoc immũdũ tangit caro, cũ à peccatore impœnitente ad ſacerdotẽ adulãtẽ proficiſcitur oblatio. Non comedetur, inquit, ſed comburetur igni. (Qui fuerit mundus veſcetur ex ea.) Ergóne poſtquam cõbuſta fuerit igni, tunc demũ qui mundus fuerit, veſcetur ex ea? Hoc itaq; iuxta literæ corticẽ ſtare non poteſt, ſed iuxta interioré ſpiritus medullã certum eſt. Nam poſtquam carbonib. pœnitentiæ cõbuſta fuerit oblatio peccatoris, id eſt, qui teſtimonium habet ex deo, q̃ non parcens, eoſdem congeſſerit ſuper caput eius, non quæ illius ſunt quærendo, ſed ipſum, hic planè veſcetur fiducialiter quæ illius ſunt. Poteſt tamen ſuperiorib. ita continuari, vbi dictum eſt, cuius carnes eadem comedentur die, carnes videlicet hoſtiæ, vt his quæ ſequuntur interpoſitis, rectè dicat: qui fuerit mundus veſcetur ex ea, ſubaudi hoſtia. Nã & ſequitur: (Anima polluta quę ederit de carnib. hoſtiæ pacificorũ, quæ oblata eſt dño, peribit de populis eius. Et qui tetigerit immunditiã hominis vel iumenti, ſiue omnis rei quę polluere poteſt, & comederit de huiuſmodi carnib. interibit de populis ſuis.) Verã omninò ac ſanctã legem hic ſpiritus S. præſcribit ſacerdotib. imò non ſecerdotibus, ſed vaccis pinguibus, qualibus
Amos 4. per prophetã loquitur: Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniã facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis veſtris, afferte & bibemus, &c. Anima, inquit, polluta, quæ ederit de carnib. hoſtiæ pacificorum. Quidnam eſt animam pollutã edere de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt domino, niſi ſacerdotẽ quærentẽ quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, inhiare oblationibus peccatorum, vt offerantur quaſi dño, cùm potius prouideat ventri ſuo, deo ſuo: Cùm enim ſacerdotalis dignitas peccatori diuiti teſe adulando ſubmittit atq; ad poſtillos eius hiando, linguam mouere obliuiſcitur, & loqui, & annunciare illi peccatum ſuum, profectò anima eius polluta eſt, & quia q̃ recto ordine offerẽdum erat dño, peruersè præripuit, idcircò peribit de populis ſuis. Qui tetigerit, inquit, immunditiam hominis, imò iumenti in ſtercore ſuo putreſcentis, ſiue omnis rei quæ polluere poteſt ſ. omnis peccati, cuius tactus. i. conſenſus, verè pollutio eſt, & comederit de huiuſmodi carnibus, quiſquis adulatur peccatori, quem pro officio ſuo debuerat redarguere ancipiti gladio, id eſt, verbo veritatis, iuxta illud: Verba ſapiẽ- *Eccl. 12.*
tium quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. Idcircò peribit de populis ſuis.

Quid ſit myſtice, adipem bouis, ouis, & capræ, nõ comedendum, & quid ſit adipem morticini in vſus varios habere.

CAPVT XXXVII.

LOquere filijs Iſrael: Adipẽ bouis, & ouis, & capræ non comedetis. Adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à beſtia captum eſt, habebitis in vſus varios. (Perſeuerat in ſententia ſacra lex contra ſacerdotes voraces. Adipem, inquit, bouis, & oues, & capræ non comedetis. Huius nempe verbi tranſgreſſoribus loquitur Deus per prophetam: Quod craſſum erat occidebatis, lac *Ezech. 34*
comedebatis, & lanis operiebamini, &c. Adipem quippe bouis, & ouis, & capræ comedere, eſt eorum, quorũ quaſi ex adipe prodijt iniquitas, peccata fouere, & ita propter commodũ quaſi pingues ceruices adulando palpare. Adipem, inquit, cadaueris morticini, & eius animalis quod à beſtia captũ eſt, habebi *Pſal. 72.*
tis in vſus varios. Pulcherrimè ac ſanctiſsimè dictum: Eccè ſacerdos legitimus homini diuiti, altũ ſapiẽti, & ſperãti in incerto diuitiarũ, ꝓponit & ante oculos ſtrenua prædicatione reducit aliquem, de grege Epicuri porcũ impium, qui in vita ſua cucurrerit aduerſus Deum, erecto collo, & pingui ceruice amatus fuerit, facié eius operuerit craſſitudo, & de lateribus eius aruina dependerit: in fine autem ſuo, magnis (vt ſæpe factum eſt) apparentibus indicijs, quaſi ſterculinium perditus ſit, & diuitias quas deuorauit, euomuerit, & de ventre eius extraxerit illas Deus. Cũ ita ſatagit fideliter, vt illius exemplo terreatur peccator diues, qui adhuc ſupereſt, quid aliud quàm adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à beſtia captũ eſt, ſcilicet diabolo, in vſus varios aſſumit: in cibum verò ſumere refugit? Hac igitur ſimilitudine interpoſita, adhuc interminando ſubiungit: (Si quis adipẽ qui offerri debet in incenſum dñi, comederit, peribit de populis ſuis.) Ac ſi dicat: Si quis vitia diuitis adulando fouerit, quẽ inſtruere debuit, vt per pœnitentiam mactaret vel incẽderet ſemetipſum domino, peribit de ſanctorum populo. (Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis, ait, in cibo, tam de auibus, quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit ſanguinem *Ezech. 3.*
peribit de populis ſuis.) Verba diuerſa, ſed *& 33.*
ſenſus idem. Nã & per prophetã dicit deus: Si non annũciaueris impio iniquitatẽ ſuam, ſanguinem

ſanguinem eius de manu tua requiram: Eccè ſacerdos, qui propter commodũ, homini
Ibidem. 13. mortem ipſius tacuerit, iuxta prædicti prophetæ verba, dicentis: Viuificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum olei, & fragmen panis, vt interficerẽt animas quæ nõ moriũtur, & viuificarent animas, quæ nõ viuunt, mentientes populo meo credẽti mendacijs, ſanguinẽ pinguium comedit, & idcircò peribit de populis ſuis. Quid porrò fieri oportet? Ait.

Quid ſit quod ait: Qui offert victimam pacificorum, & quid ſit pectuſculum & armum dextrum cadere in vſus ſacerdotum.

CAPVT XXXVIII.

III. QVi offert victimam pacificorum domino, offerat ſimul & ſacrificiũ & libamẽta eius.) Hoc ſacerdos prædicet, hoc clamet, hoc annunciet, Qui offert victimã, inquit, pacificorũ. i. exterioré manus oblationẽ domino, offerat ſimul & ſacrificiũ verũ. i. ſpiritũ cõtribulatũ, cor cõtritũ & humiliatũ: deo, in quã, hoc offerat, bonumq; exemplum homi nibus præbeat, quę digna & legitima ſunt ſacrę victimæ libamenta. Nam rem ſuã ſi deo
Gen. 4. quidẽ offerat, ſeipſum aũt ſibi retineat, comparabitur Cain, diceturq; illi: Si rectè offeras, & nõ rectè diuidas, nónne malũ eſt? Etenim Cain rectè quidem obtulit, quia cui debuit deo obtulit, ſed non rectè diuiſit, quia q̃ minus erat. i. rem ſuã, Deo quidem obtulit, q̃ autẽ precioſiſsimum eſſet. ſ. ſemetipſum ſibi retinuit. Qui ergo de re ſua deo parat victimã, offerat ſimul & ſacrificium & libamẽta eius: libamenta, inq̃, vt in illo glorificetur deus, vt quod offert, ſit illibatum, ſit integrũ & totum, vt habeat deus cum re quæ forinſecus offertur, contribulati ſpiritus, & contriti cordis ſacrificium. Hæc tria in oblatione pacificorum legitima requiruntur, vt miniſter altaris, de altario viuat, vt cor offerentis
1. Cor. 9. deus habitator poſsideat, vt lux boni operis coram hominib. lucens, ad glorificandũ deũ proficiat. Quomodo offeret illa? Tenebit, inquit, in manibus adipem hoſtiæ, & pectuſculum. Cumq; ambo oblata domino conſecrauerit, tradet ſacerdoti, qui adolebit adipem ſuper altare: Pectuſculũ aũt erit Aaron & filiorum eius. Armus quoq; dexter, de pacificorum hoſtijs cædetur in primitias ſacerdotis.) Adipẽ in manib. tenere. i. carnis luxuriẽ refrenare. Pectuſculũ quoq; tenere. i. malas cogitationes cordi ſuo aduenientes, per confeſſionẽ reuelare. Nã in pectore cor cõtinetur, in corde cogitationes verſantur. Cumq; ambo oblata domino conſecrauerit, tradet ſacerdoti. Prius enim oportet facta carnis atq; intentiones cogitationis vocari intus ad iudicium corã domino, vt conſcientia accuſet, timor liget, ratio dijudicet, & cùm hoc reſpõſum acceperit, cùm hoc propoſitum habuerit, quod de cætero emendare velit, tunc demum confeſsionem puram offeret ſacerdoti. Nam qui ſic ad confeſsionem accedit, vt peccata ſua nõdum relinquere velit, hic adipem hoſtiæ pacificorũ, & pectuſculum nondum domino conſecrauit, & proinde fruſtra tradit ſacerdoti quicquid obtulerit. Nec emẽ confeſsio, nõ ſequãte cõtritione & correctione, ſaluare poterit, magiſq; dicenda eſt peccãdi profeſsio, quã peccati confeſsio. Primũ igitur hæc domino conſecrabit, deinde tradet ſacerdoti. Qui adolebit adipem ſuper altare, pectuſculum aũt erit Aaron & filiorum eius. Non, inquit, comedet adipem legitimæ ſacerdos, ſed adolebit ſuper altare, id eſt, non decipiet confitentem, contentus commodo ſuo, quod ſolent praui medici facere, dum putridas carnes negligunt reſecare, ſed imprimet altius ferrum ſententiæ, prouocando ad gemitum, ad agendos fructus dignos pœnitentiæ. Nam hoc eſt quod ſequitur: Armus quoq; dexter cędet in primitias ſacerdotis. In armo dextro recta & fortia opera intelli-
ge, quæ exigere debet ſacerdos à confitente. Verbi gratia, vt cum Apoſtolo dicat: Sicut *Rom. 6.*
enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ, ita nũc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Pectuſculum autem erit Aaron & filiorũ eius, adipem adolebit ſuper altare. Ac ſi dicat: Opera carnis carbonibus pœnitentiæ palã cremabũtur, vt dictũ eſt, cogitationes aũt gemituoſæ intus ad Chriſtum clamabũt, & ad ſanctos miniſtros eius. (Qui obtulerit adipem & ſanguinẽ filiorum Aaron, ipſe habebit & armum dextrũ in portione ſua. Pectuſculum enim conſecrationis, & armum ſeparationis tuli à filijs Iſrael, de hoſtijs eorum pacificis, & dedi Aaron & filijs eius lege perpetua ab omni populo Iſrael.)
1. Cor. 9. Aequa lex. Nónne, inquit Apoſtolus, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participantur? Qui ergo de filijs Aarõ obtulerit, ipſe habebit & armum dextrum, id eſt, quiſquis ex diſcipulis Chriſti cor cuiuſpiam incraſſatum, carniſq̃ ac ſanguinis opera prædicatione ſua mortificauerit, & hoc modo ſua ſpiritualia ſeminauerit, ipſe carnalem accipiet ex illo fructum, id eſt, neceſſarium vitæ ſtipendium. Pectuſculum eleuatiõis dixit, ab eo quod ſupra tenebit, inquit, in manibus adipem & pectuſculum: armum verò ſeparationis ab eo quod ſeorſum cæderet in partem ſacerdotis. Hæc, inquit, tuli à filijs Iſrael, & dedi Aaron ſacerdoti & filijs eius, quatenus ipſi & in pectuſculo legem Domini die ac nocte meditentur, & in armo dextro præcepta Dei fortiter operentur, aliorumq̃ue & in pectuſculo ſolicitudinem gerant, & armo fructum laboris ſui percipiant.

De eo quod ait: Hæc eſt vnctio Aaron & filiorũ eius religione perpetua, ſubintelligendũ eſſe, nõ ad velamẽ litere, ſed ſecundũ claritatẽ ſpiritualis intelligentiæ.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXXIX.

HAEC est vnctio Aaron, & filiorũ eius in cæremonijs domini, die qua obtulit eos Moyses, vt sacerdotio fungerentur, & quæ præcepit eis dari dominus à filijs Israel, religione perpetua in generationibus suis. Ista lex holocausti, & sacrificij ,p peccato atq; delicto & pro consecratione, & pacificorum victimis, quas constituit dominus Moysi in monte Synai, quando mandauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas domino in deserto Synai. Breuiori rursus conclusione cuncta præsentat, de quibus hactenus ad legem domini altius lectorem reducens, quã est initium Leuitici huius libri, videlicet ad consummationem tabernaculi, vbi locutus dominus ad Moysen, applica, inquit, ad te Aaron, cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mihi. Hæc, inquit, est vnctio Aaron & filiorum eius, & ista est lex holocausti, &c. Legem sacerdotum & legem populi quasi digito distinctè demonstrauit. Si ritè reuelata facie perspeximus trans velum, Christo moriente scissum: quo celabatur hoc diuinæ legis sanctuarium, promptè aduertimus, cuncta quæ dicta sunt dignæ esse grauitate dicẽtis: vt meritò cecinerit Psalmista: Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiã præstans paruulis. Iustitiæ domini rectè lætificantes corda, præceptum domini lucidum illuminans oculos. Lege, inquit, perpetua. Perpetua planè, veruntamen non secundum velamen literæ, sed secundum charitatem spiritualis intelligentiæ. Alioquin quomodo conueniet legi & prophetis? Nam hic legislator cùm dixisset ista est lex holocausti, & cæt. continuò subiungit, Quas constituit dominus Moysi in mõte Synai, quãdo mandauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas domino in deserto Synai. In propheta autem idem dominus dicit: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia nõ sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum. Quomodo ergo non dissonant vel discordãt lex & prophetæ, nisi quia locutus est Dominus Moysi de spirituali & perpetua lege, nõ locutus est quicquam de carnali sacrificiorũ lege? Nam Dominus Moysi cõstituit, Moyses autem ad populum locutus est. Ille à Domino claritatem spiritus accepit, ad populũ autem obscuritatem literæ protulit, donec venirent qui crederent deum filium in deo patre, & hac fide illuminati, viderent legem spiritus in lege literæ. Proinde sic rectè distinctum est. Quas constituit dominus Moysi in monte Synai, & quando mãdauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas in deserto Synai. Nam aliud Moysi ostendit, & aliud illi populo mandauit, sicut testatur ipse dominus cùm superius dicit: Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Idcircò quando loquebatur ad populum, ponebat velamen super faciem suam: quando verò loquebatur ad dominum, auferebat.

Exod. 28.
Hier. 7.
Psal. 18.
Exod. 25.
Ibid. 34.

COMMENTARIORVM IN LEVITICVM LIB. I. FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LEVITICVM COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

Cur vbi Moyses fratrem suum induit, de solis fœminalibus lineis, quod primum erat indumentum, nulla mentio fit.

CAPVT I.

CA. VIII. FEcit Moyses vt dominus imperãrat. Cõgregataq; omni turba ante fores, ait: Iste est sermo quem iussit Dominus fieri. Statimq; obtulit Aarõ & filios eius. Cũque lauisset eos, vestiuit pontificem subucula linea accingens eũ baltheo, & induens tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit.) Superius vbi has vestes summo pontifici gloriam & decorem fieri fecit dominus, mysticas per singula induméta rationes pro posse reddidimus. Vnum hic quærendum est, cur cum cæteris omnibus fratrem suum Moyses induerit, de solis fœminalibus lineis, quod erat primum indumentum secundum imperium domini, nulla hic mentio fit. Non enim fruſtra vel casu per obliuionem obuenisse putandum est. Dicimus ergo, quia fœminalia quib. carnis turpitudo tegeretur, in figuram continẽtię, quę maximè sacerdotibus competit, fieri iussa sunt. Porrò continentia hæc, vt omnimoda puritate sanctificetur homo, vt ad mutationẽ noui hominis IESV CHRISTI, virgineam agat pulchritudinem, hæc inquam, continentia vel puritas non est ex legis præcepto, sed ex Euangelij consilio. Rectè igitur inter manus Moysi legem scribentis, & legem in persona sua figurantis, vbi fratrem induit, de isto scriptura tacuit, vt ipso silentio fateatur, de virginibus non esse legis præceptum, sed offerri gratiæ consilium. Sed

Cur de fœminalib. tacuit Moyses.

lium. Sed & illud non prætereundum, quod non prius nisi loti aqua ex præcepto domini vestiũtur sacerdotali gloria, vt videlicet per hoc significetur, q̃ non nisi per baptismũ efficimur regale sacerdotiũ, & gens sancta.

De oleo vnctionis, quo Aaron vnctus est, quod spiritũ sanctum significet, quo Christus vnctus est.

CAPVT II.

TVlit & vnctionis oleum quo liniuit tabernaculũ, cum omni supellectile sua, &c.) Totius capituli huius prolixi, summa hæc notanda est, quia tabernaculum cum omni supellectile sua, prius vnctum est, quam CAP. VIII tabernaculi sacerdos Aaron, & Moyses priꝰ holocaustũ pro peccato consecrationis quoque, siue pacificorum obtulit hostiam, quã Aaron. Differenter tamen. Nam & tabernaculum solo vnctionis oleo, Aaron verò oleo simul & sanguine consecratus est, & Moysi quidem ablata vulgari igne, Aaron verò sacrificia cælesti flamma deuorata sunt. Sediã antequam horum mysteria prosequamur, de ipso vnctionis oleo (quia nunc vsq; distulimus, breuiter aliquid dicendum est. Superius dñs ad Moysen locutus est, sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ CCCCC. Exod. 30. siclos, & cinamomi medium, id est, CCL. siclos, calami similiter CCL. casiæ quoque CCCCC. siclos in pondere sanctuarij, oleũ in oliuetis mensuram hin, facies vnctionis oleum, sanctum vnguentum, compositum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcã testamenti, mensamque cum vasis suis. Notum omnib. est, quia oleum quo dominus noster dei filius vnctus est, vnde & Hebraicè Messias, Græcè Christus dicitur: oleum, inquam, spiritus sanctus est, & huius olei signum siue materiale iudicium fuit hoc, quo reges, sacerdotes, & ,pphetæ prius vngebantur. Cur autem illud verũ exultationis oleum, non hic in lege per simplex oleum significari placuit, sed quatuor speciebus, myrrha, cinamomo, casia, calamo q̃ permixtis? Videlicet, quia non satis est cuiquam spiritum sanctum vtcunq;, verbi gratia, in prophetiam ad facienda signa percepisse, nisi pariter habeat & quatuor virtutes optimas, quas mundana philosophia, iustitiam, prudentiam, temperantiam, atq; fortitudinem appellat, nostra autem theoria, fidem, spem, charitatem, & earum perseuerãtiam nuncupat. Igitur quatuor speciebus, myrrha, cinamomo, casia, & calamo, cum oleo permixtis, regale & sacerdotale pretiosissimum conficitur vnguentum, ex quo caro hominis non vngatur, & iuxta cuius compositionem, non fiat aliud tale quid, qui fecerit homo, exterminabitur, inquit, de populo suo, quia videlicet, ex prædictis virtutiExod. 30. bus, cum spiritu sancto gratia bona conficitur, qua carnalis homo nunquam fruatur, cuius ad imitationem secta vlla, vel seculeris eloquentia nunquam extendatur, quod si attentauerit, sine dubio exterminabitur, ait Dominus.

Quid significet, quòd tabernaculum prius quidem quam Aaron, sed sine sanguine vnctum est, & altare aspersum septies, & quid labrum æneum.

CAPVT III.

TAbernaculum igitur (vt prædictũ est) priusquam Aaron) oleo quidẽ vnctionis, sed sine sanguine vnctũ est: quia profectò tabernaculum verũ, quod est ecclesia, prius quidem in patriarchis, regibus, & prophetis suis spiritum sanctum accepit, quã vngeretur sanctus sanctorum pontifex magnus Iesus Christus dei filius, qui mysticè per Aarõ intelligitur, sed hostiam non habuit in veritate sacrificij, id est, cuius sanguine in remissionem peccatorum liniretur. (Cumque sanctificans (inquit) aspersisset altare septem vicibus, vnxit & illud & omnia eius vasa.) Septies aspergẽdo vnxit, & hoc vtiq; faciendo, sanctum eundem spiritum septiformem esse significauit. (Labrũ quoq; cum basi sua sanctificauit oleo.) De hoc labro ita superius Exod. 30. scriptum est: Fecit & labrum æneum, de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi. Sic enim locutus fuerat dominus, dicens: Facies & labrum æneum cũ basi sua ad lauandum, ponesque illud in tabernaculum testimonij & altare. Et missa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt testimonij tabernaculum, & quando accessuri ad altare, vt offerant in eo thymiama domino, ne fortè moriantur. Legitimum sempiternum erit ipsi & semini eius per successiones. Significat autem hoc labrum, quod Moyses iubente domino fecit, hanc ipsam scripturam sanctam, quã idem ille Deo inspirante scripsit. Nam specula mulierum, vnde labrum illud factum est, mysticè exempla sanctarum sunt animarum, de quibus hæc omnis scriptura condita est. Verbi gratia: Abrahæ, Isaac, & Iacob, & ipsius qui scripsit Moysi, quæ videlicet animæ tanquam mulieres pulchræ, Deum amatorem suum quærentes, excubabant in ostio tabernaculi cælestis, nondum aperti, quandiu sacerdos magnus Christus nondum inunctus fuit. Ad quid huiusmodi labrum Moyses fecit? Ad lauandum (inquit) vt missa aqua, lauarent in eo Aaron & filij eius manus suas ac pedes, ingressuri testimonij tabernaculum. Hoc nempe expedit & optimum est, vt ingressuri cælestẽ tabernaculum sacerdotes, lauent manus suas ac pedes in illis sanctarum animarum speculis, in fide scilicet & obedientia Abrahæ, in fide & patientia Isaac, in fide & lenitate Iacob, cæterorumq; virtutibus lympidissimis, manus, inquam, suas ac pedes lauent, id est, per compunctionem ex illorum imitatione, operum simul & cogitationum, quæ tãquam puluis pedibus, ita sensib. mentis adhærẽt, quotidiana peccata emundent.

Non solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non solũ filij,sed Aaron,inquit, & filij eius lauabunt. Et hoc perspicuum est,quia primus & præ omnibus Aaron noster, mons fortitudinis, sacerdos vel pontifex magnus Christus lauit: sanctificauit enim semetipsũ pro nobis.lauit, inquam, quia scripturas omnes impleuit: & cum mundas haberet manus & pedes,cuncta patienter ferendo, vt implerentur scripturæ, sordes omnium nostrũ in semetipso emundauit.

De mystica effusione olei super caput Aaron,& quid sit caput,quid barba, quid ora vestimenti,quò iuxta Psalmistam vnguentum descendit.

CAPVT IIII.

Psal. 132. FVndens,inquit, oleum super caput Aaron,vnxit eum, & consecrauit.) Huius rei mysterium commendãs spiritus sanctus in Dauid,cùm dixisset: Eccè quam bonum & quã iucundum habitare fratres in vnum, continuò subiunxit: Sicut vnguentum in capite,quod descendit in barbã Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Non ergo lõgè,sed propè est in ore & corde nostro mysterium vnctionis huius. Bonitatis nanque & iucunditatis fratrum habitantium in vnum, signum fuisse illius vnguenti effusio nẽ iste cecinit. Porrò habitare fratres in vnũ, quid est, nisi omnes vnius patris Dei filios effectos,habere principem & saluatorem vnum Christum, quomodo multa corporis membra caput habent vnum,habendo scilicet concordiam per vnum diffusæ in cordibus suis charitatis spiritum. Ita planè quod dicitur hoc est. Tale bonum talisque iucunditas est, habitare fratres in vnum, qualẽ per illud rectè signari placuit, quod præsenti loco scriptum est, quia sundens oleum super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit. Et vtique quia benigna largitate fusum est,primum in barbam illius,& deinde in oram vestimenti eius descendit. Prædicta nanque bonitas,atque iucunditas fratrum habitantium in vnum,oleũ lætitiæ,id est, spiritus sanctus *Coloss. 2. Matth. 3. Luc. 1.* est. Quod videlicet vnguẽtum optimum,totum in illo capite,quod est Christus, Caput quippe corporis ecclesiæ, ipse est,totum,inquam in illo fusum est, cum omni plenitudine sua, in quo corporaliter omnis plenitudo diuinitatis inhabitat, nõ ex quo super illum in specie columbæ descendit,sed à prima cõceptione,quę ex sola constitit virtute, vel operatione spiritus sancti. De illo capite primùm in barbã ipsius, ac deinde in oram vestimenti ipsius descendit, quia videlicet de plenitudine eiusdem spiritus sancti primùm ab ipso perfusi sunt viri fortes Apostoli, sic illi adhærentes & proximi, vt barba capiti, ac deinde ecclesia, cuius fide ac virtutibus ipse decoratur,ad modum alicuius qui pretioso vestitu induitur,iuxta illud. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamentum vestieris. De filijs Aaron minoris gradus sacerdotibus,iam alibi dictum est:Sed & de oblationum differentijs, iuxta quas nunc Moyses obtulisse narratur,supra tractatum est. Nunc illud super est dicere, cur non solùm oleo,sed & sanguine,sacerdo talis vnctio celebrata est.

Esa. 49.

Quomodo in Aaron vetus sacerdotium in figura noui sacerdotij Christi,prius oleo, postea sanguine consecratum est.

CAPVT V.

CVm,inquit, immolasset Moyses arietẽ secundum, in consecratione sacerdotũ sumens de sanguine, tetigit extremum auriculæ Aaron,& pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis. Obtulit & filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset, extremum auriculæ dextræ,& pollicis manus ac pedis dextri, reliquum fudit su per altarẽ per circuitum.) Sacerdotium vetus,noui figura,primùm oleo, deinde ac sanguine consecratur,quia videlicet magnus cẽlestis & veri tabernaculi pontifex, primùm spiritu sancto,deinde suo quoque sanguine sanctificatus est. De spiritus sanctificatione *Psal. 44.* Psalmista dicit: Dilexisti iustitiam,& odisti *Ioan.17.* iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus *Luca 12.* oleo lætitiæ præ consortibus tuis. De sanguinis sui sanctificatione in Euangelista Ioanne continuò sanguinem fusurus dicit: Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint ipsi sanctificati in veritate. Item in Luca: Ego baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dũ perficiatur. Quomodo ergo sanguine sacerdos consecratur? Sumens, inquit, de sanguine tetigit extremum auriculæ dextræ,& pollicis manus eius dextræ,similiter & pedis. Tactus sanguinis in extremo auriculæ dextræ pontificis, acceptio est mãdati, quod pater dedit, vel obedientiæ Christi fi- *Philip.2.* lij Dei, quemadmodum de illo Apostolus dicit. Christus factus est pro nobis obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et ipse de semetipso in ppheta dicit: Do- *Esa.50.* minus Deus aperuit mihi aurem,ego autem non contradico,retrorsum non abij. Tactus sanguinis in extremo pollicis manus dextræ deductio est volũtatis paternæ, ipso per Psalmistã dicente: Tenuisti manum dexteram meam,& in voluntate tua deduxisti me. Tactus in extremo pollicis pedis dextri, quo finis est corporis, consummatio est eiusdem *Psal.72.* obedientiæ, Psalmista in hoc dicente, vt intingatur pes tuus in sanguine. Similiter & fi- *Psal.67.* lij Aaron sanguine signantur, vt videlicet exemplo Christi, Apostoli quoque obaudiãt, operentur, siue legitimè pugnent,& perseuerent vsque in finem. Adipem verò & caudã, omnemque pinguedinem quæ operit intestina,&c. quorum causas mysticas, quoniam eædem superius dictæ sunt, nunc repetere superfluum duximus. Nam quòd septem,inquit, diebus finitur consecratio, quid significet,ex multis scripturarum locis certum est, quia videlicet septem diebus omne præsentis seculi

tis seculi tempus voluitur, quod octaua,i. futuræ resurrectionis tempore clauditur, quæ in magno pontifice Christo iam impleta, in nobis autem implenda non dubitatur, quicunque tanquam filij Aaron toto consecrationis tempore,pro octaua laboramus,de ostio tabernaculi totis septem diebus,i.de fide Ecclesiæ Christi,toto isto tempore non exeuntes,& die ac nocte,i.tam in prosperis quã in aduersis,custodias domini ne moriamur secundum propositum vel ordinem nostrũ custodientes.

Quomodo octaua consecrationis die, ignis egressus à Domino consumpsit holocaustum, in typum sancti spiritus.

CAPVT VI.

CAP. IX. HOc igitur considerare supereſt, quod octaua die dicente Moyse. (Iste est sermo quem præcepit Dominus, facite & apparebit vobis gloria eius.) Et offerente Aaron holocaustum,ac deprecante pro se & pro populo secundum ritum supra memoratum, ecce,inquit,ignis egressus à Domino, deuorauit holocaustum,& adipes qui erant super altare,cum de his quæ obtulerat Moyses, nihil tale actum fuerit. Quidnam hoc sibi vult nisi quia nõ per sacrificia legis, quæ per Moysen figurabantur, sed per sacrificium Christi,cuius Aaron typus fuit, spiritus sanctus in remissionem peccatorum datus est nobis? *Psal. 39.* Nam hinc est,quod dicit in Psalmo: Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi,ecce venio. Veniens autem aliam hostiam quam in holocaustum vel pro peccato offerret non habuit, nisi semetipsum. Et descẽdit ignis super ipsum, ignis, inquam, de quo dixit,ignem veni mittere in terram,& deuorauit holocaustum, quia illa videlicet deuo- *Luc. 12. Roma. 6. Leuit. 6.* ratione sua,quam secundum Apostolum rectè immutationem dicimus, quia profectò resurgens ex mortuis,iam nõ moritur,mors illi vltra non dominabitur. Hic ignis ille est, de quo supra dictum. Ignis autẽ in altari semper ardebit,quem nutriet sacerdos, subijciens ligna mane per singulos dies. Nam quia verus iste ignis,qui & nunc in prima resurrectione animarum,peccata consumit, & post in secunda resurrectione, corporum quoq; mortalitatem siue corruptionẽ deuorabit, nunquam deficere debet in altari,id est, in fide,per quam Christus habitet in cordib. nostris,idcirco in magno mysterio decretũ est, vt ille ignis visibilis egressus à Domino, qui holocaustum deuorauit, videntibus turbis, ac ruentibus in facies suas, & laudantibus dominum,nunquam deficeret, sed sacerdote ligna subijciente semper arderet in altari. Vndè ordinatissima & mirabili prouidentia actum ita scriptura subiungit.

Quid in Nadab & Abiu,qui offerentes ignem alienum domino,mortui sunt,mystricè præfiguretur.

CAPVT VII.

CAP. X. ARreptisq; Nadab & Abiu filij Aarõ tu ribulis suis posuerunt ignem, & incẽsum desuper offerentes coram Domino ignem alienum,quod eis præceptum non fuerat. Egressusque ignis à domino,deuorauit eos,& mortui sunt coram Domino.) Nadab spontaneus, Abiu pater meus est, vel pater ipse interpretatur. Significant autem populum Iudaicum,qui in cæremonijs carnalibus spontane- *Psal. 49.* us,imò nimis est importunus, quippe qui dicente Deo, nunquid manducabo carnes taurorum,aut sanguinem hircorum potabo. Itẽque illud in Esaia. Holocausta arietum, & *Esaiæ 1.* adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui,hæc inquam & his similia dicente Deo contra ingerit ea tanquam rogetur,tanquam hæc ab eo postulet Deus. Iactabundus quoque dicit: Pater meus est,vel pater ipse. Abraham, inquiunt, *Ioan. 8.* pater noster est,& nos ex fornicatione nõ sumus nati,vnum patrem habemus Deum. Igitur vbi egressus ignis à Domino, deuorauit holocausta,arreptis Nadab & Abiu thuribulis suis, posuerunt ignem,& incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum,quod eis præceptum non fuerat. Dum postquam verus ignis spiritus à Domino egressus,id est,à patre procedens, holocaustũ verum Christi filij Dei acceptum esse ostendit,veniendo desuper,id est,super discipulos eius in linguis igneis, adhuc Iudaicus populus cultum alienum,& cæremonias odibiles Deo, per prophetas reclamanti importunè nimis & molestè ingerit. Quid proinde? Egressus,ait,ignis à Domino deuorauit eos,& mortui sunt coram Domino. Nihil verius. Si quidem & duplici igne deuoratus est ille populus, quippe quorum & templum succensum est vrgente Romano exercitu,& animę gehennæ incendio concremantur. Vndè & Deus in cantico Deuteronomij, cum dixisset: Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus,& in abominationibus suis ad ira- *Deute. 32.* cundiam concitauerunt, & ego prouocabo eos in eo qui non est populus,& in gente stulta irritabo eos: cõtinuò subiunxit, Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo & montium fundamenta comburet. (Hoc est (inquit Moyses) quod locutus est Dominus: Sanctificabor in his qui appropinquant mihi,& in conspectu omnis populi glorificabor. Hoc audiens, tacuit Aaron.) Iuxta literam nõ innuit Moyses,quòd ab illo visibili experimẽto certum haberet, Deum esse sanctum,& sanctitatis suæ dignitatem semper esse defensurum,& vindicaturum in eos, qui temerè, imparati, inuocati, vel iniusi,sine ordine,absque reuerentia, sacris præsumunt se ingerere vel immergere Dei ministerijs. Et hoc,inquit, locutus est dominus, videlicet superius toto fumigãte mõte Synai, vbi & dixit: Sacerdotes quoque qui *Exod.19.* accedunt ad dominum, sanctificẽtur, ne per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cutiam eos, &c. Porrò iuxta allegoriam illud
innuitur, quòd pœna Iudaici populi sancien
dũ sit, vt deinceps in carne nemo audeat glo
Luca 19. riari, sed in sola fide Iesu Christi. Hoc audiẽs
tacet Aarõ: tacet, inquam, magnus sacerdos
Christus, qui quõdam fleuit super miseram
ciuitatem Hierusalem, pro humano affectu,
magisq; exercet rationabile diuinitatis con-
silium, quàm sequatur carnis respectum in
morte vel perditione suorum, secundum car
nem proximorum. (Vocatis autem Moy-
ses Misael & Helsaphã filijs Oziel, patrui Aa-
ron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de
conspectu sanctuarij, & asportate extra ca-
stra.) Misael tactus Dei, siue quis interroga-
uit, Helsaphan Dei specula, Oziel fortitudo
mea Deus interpretatur. Significant autem
legitimos filios illius populi, pro parte ele-
ctorum, qui veraciter dicere potuerunt: for
titudo mea Deus. Verbi gratia: hunc ipsum
Moysen, Esaiam quoq; & cęteros, qui secun
dum nomina Helsaphan & Misael venturũ
Dei filiũ de longè speculati sunt, & à Deo ta-
cti vsq; hodie dicunt, quis interrogauit, quis
Esaiæ 1. quęsiuit hęc de manib. vestris? Hoc enim, cõ
bustis (vt supra dictũ est) sacerdotib. dicit in
Esaia, tactus Dei, spiritus Dei. Quis quęsiuit
hæc de manibus vestris, vt ambuletis in a-
trijs meis? &c. Isti tollent fratres suos carna-
les Iudæos de cõspectu sanctuarij, & aspor:ãt
extra castra. Accusant enim illos & condem
Ioan. 5. nant, quẽadmodum dñs dicit illis: Est qui ac
cuset vos Moyses, in quo vos speratis. (Locu
tus est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, atq;
Ithamar filios ei?: Capita vestra nolite nuda
re, & vestimenta nolite scindere, ne fortè mo
riamini, & super omnem cœtum oriatur indi
gnatio. Non præcipit quod naturæ impossi-
bile est, vt scilicet pater pro filiorũ, & fratres
pro fratrum morte non doleãt, sed quod pos
sibile est, vt videlicet dolorem cordis publi-
co corporis gestu non exerceãt. Hoc spiritua
Rom. 9. liter filij Aarõ, i. apostoli Christi legitimè ob
seruauerunt. Nam licet doleant de ruina po-
puli sui, vt verbi gratia: Paulus cum dicit: Ve
ritatem dico in Christo, nõ mentior, testimo
nium mihi perhibente conscięti a mea, in spi-
ritu sancto, quoniã tristitia est mihi magna,
& continuus dolor cordi meo: optabã enim
ego ipse anathema esse à Christo pro fratrib.
meis, qui sunt cognati mei, &c. Licet, inquã,
doleant, non tamẽ capita sua nudant, nec ve-
stimenta scindũt, i. ministerium suum honо-
rare non desinunt, sanctæ scripturæ veritatẽ
integra fide, aduersus gẽtis suæ perfidiam dẽ-
fendunt, & hoc modo fores tabernaculi non
egrediuntur. Alioquin perissent. Væ enim
1. Cor. 9. (inquit idem Apostolus) mihi est, si non eu-
angelizauero. Ait ergo: (Vos autem nõ egre-
diamini fores tabernaculi. Alioquin peribi-
tis. Oleum quippe sanctæ vnctionis est super
vos.) Oleum quippe sanctæ vnctionis est su-
1. Ioan. 8. per illos, quæ docet eos de omnibus, quomo
do propter carnem vel gentem suam non de
beant caput id est, mentem suam, fide & gra-
tia Christi nudare, suum vestimentum, id est
veritatis doctrinam scindere, fores taberna-
culi egredi, id est, ab ordine veri sacrificij ces-
sare pro æmulatione sacerdotij Iudaici.

*Cur filij Aaron vinum & omne quod inebriare pote-
rat, bibere non debeant, quando intrant tabernacu-
lum, & id quid sit iuxta sensum mysticum.*

CAPVT VIII.

DIxit quoq; dominus ad Aaron: Vinum
& omne quod inebriare potest non bi-
bes tu & filij tui, quando intratis tabernacu-
lum testimonij, ne moriamini, quia pręceptũ
est sempiternum in generationes vestras, &
vt habeatis scientiam discernendi inter san-
ctum & prophanum, inter pollutum & mũ-
dum, doceatisq; filios Israel omnia legitima
mea, quæ locutus est dominus ad eos per ma
num Moysi.) Secundum literam manifestũ Eccles. 19.
sobrietatis præceptum est, quia vinum apo- Osee 4.
stare facit, etiam sapiẽtes. Fornicatio (inquit Ephes. 5.
propheta) & vinum & ebrietas auferunt cor.
Et Apostolus: Nolite, inquit, inebriari vino,
in quo est luxuria. Vndè rectissimè sancta
censet Ecclesia, vt qui sacerdotes sunt, & ve-
ri sacrificij sanctuarium iugiter intrant, à cõ-
iugijs omnino abstineant, omnemq́ luxu-
riam fugiant, cùm in hac lege, vbi carnes bru
torum animalium sacrificabantur, eo tempo
re quo intrabunt tabernaculum, non solùm
à luxuria, sed & à vino, in quo est luxuria, sa
cerdotes penitus abstinere debuerant. Por-
rò vt cœptam prosequamur allegoriam, spi-
ritualiter hoc præcepit Deus, & non homo:
nam non Moyses, sed ipse Dominus hoc lo-
cutus esse perhibetur, vt hoc tempore, quò
præcurrente Christo, in verum ingredimur
tabernaculum, nequaquam legis occidentis
sequamur literam. Nam vinum quidem in-
terdum significat spiritus sancti virtutem.
Vt ibi: Et vinum lætificat cor hominis, ve- Psal. 103.
runtamen cum in comparatione melioris de
primitur, vt ibi: Quia meliora sunt vbera tua
vino, austeritatem significat legis, qua sine
dubio melior est lactea dulcedo Euangelij.
Vt quid enim non est bibendum huiusmo- Cant. 1.
di vinum? Vt habeatis, inquit, scientiam dis-
cernendi inter sanctum & prophanum, inter
pollutum & mundum, & cætera. Ergóne id
circo non bibent vinum, vt discernere que-
ant inter bouem & camelum, inter hircum
& chirogrilum? Nam huiusmodi discretio, si
simplicem sequaris literam, postmodum sub
scripta est. Igitur vt inter veram munditiam
veramq́; immunditiam sacerdotes legitimi
discernere queant, idcirco vinum bibere, id
est, austeram, prohibentur sequi legis li-
teram.

*De hirco oblato, quem cum quæreret Moyses, exustũ
repperit, de quo Aaron: Quomodo, inquit, potui come
dere mente lugubri? quod Iudaici sacrificij quale nũc
est, typus fuerit.* CAP. IX.

Locutus

*Quid sit mysticè, quòd post ignem datum, lex de co-
medendis animalibus datur, & quid sit vngulam di-
uidere & ruminare.* CAP. X.

LOcutus est Dominus ad Moysen & ad CAP. X
Aaron, dicens: Dicite filijs Israel, Hæc
sunt animalia quæ comedere debetis de cun
ctis animalibus terræ. Omne quod habet di-
uisam vngulam & ruminat in pecoribus, co-
medetis. Quicquid autem ruminat quidẽ &
habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut ca
melus, non comedetis illud, & reliqua.) Ani-
malia de quibus Deo cura est, homines sunt.
Rectè, inquam, continuò post ignem de cæ-
lo datum, mortemq́; filiorum Aaron, hęc de
comedendis & non comedendis animalibus
lex datur: nam & post sancti spiritus aduen-
tum atq; synagogæ interitum, de admittẽdis
& non admittendis, siue reprobandis homi-
nibus discretio sanctis apostolis imperatur.
Vnde & Petro esurienti, ac volenti gustare, Actor. 10.
ostenditur in excessu mentis vas quoddam,
velut linteũ magnum, quatuor initijs de cæ-
lo submitti in terrã, in quo erant omnia qua-
drupedia, & serpentia terræ, & volatilia cęli,
& facta est vox ad eum: Surge Petre, occide
& manduca. Ait autem Petrus: Absit domi-
ne. Quia nunquam manducaui omne com-
mune & immundum. Et vox iterum secun-
dò ad eum: Quod Deus purificauit, tu ne cõ-
mune dixeris. Quòd illic in illa visione, hoc
idem in ista sancta & spirituali lege, sub no-
minibus quadrupedum, serpentium, volati-
lium, atq; natatilium dignum est intelligere.
Hæc, inquit, & hæc immũda vel polluta sint
vobis, subauditur, nisi Deus illa sanctificaue
rit. Nam hæc animalia cum nõ sint homines
(vt prædictum est) eiusmodi sunt, vt aspiran
te Deo veterem immunditię mutare possint
habitũ. Proinde Petro (vt premisimus) ita di
ctum est: Quod Deus purificauit, tu ne com
mune dixeris. Nunc immunditiæ causas se-
cundum præsentes distinguamus differenti-
as. Omne, inquit, quod habet diuisam vngu-
lam & ruminat in pecoribus, comedetis. Vn
gulam habere diuisam, pariter & ruminare,
est discretam sanctæ trinitatis habere intelli-
gentiam, eiusdemq́; diligenter voce & opere
retractare memoriam. Hoc, inquit, omne co
medetis, quia videlicet quisquis talis est, in
corpus vel communionem Ecclesiæ fiducia
liter admitti debet. Quicquid autẽ ruminat
quidem & habet vngulam, sed non diuidit
eam, non comedetis. Quasi ruminat quidẽ,
sed vngulam non diuidit, quisquis recta vi-
detur operari, sed peccat in fide, non rectè di
stinguens personas vnicæ trinitatis. Econtra Tit. 1.
rio findit vngulam, sed non ruminat, quis-
quis confitetur se nosse Deum, factis autem
negat. Horum, ait, cadauera non contingę-
tis.) Id est, mortuis operibus non consentie-
tis. Quarta species longè inferius posita, sci-
licet animal quod nec diuidit vngulam nec
ruminat, omnino priori contraria est, ac pro

Levit. 11. Cap. 10. Actor. 15. 1. Cor. 6. Psal. 39. Esaiæ 53. Psal. 17. Actor. 15. Ioan. 5. 6. Actor. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inde multò magis immunda, eum significat hominem, qui nec intellectu nec operatione Deum honorat.

Quid sit pisces pennas habere, quid aues quadrupedes esse, quid reptile?

CAPVT XI.

HAec sunt quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne quod habet pennulas & squamas tam in mari, quàm in flumi nibus & stagnis, comedetis. Quicquid autem pennulas & squamas non habet eorum, quę in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis & execrandum erit.) Quasi natatilia immunda, maximè Iudæi sunt qui natant in fluentis scripturarum, sed pennulas non habent, dum solam sequuntur occidentem literam, & ad viuificantem spiritum non subsiliunt. (Hæc sunt quæ de auibus non comedetis & vitanda sunt vobis, &c.) Quasi aues immundę, inanes gentium Philosophi fuere, rectęq; auibus super quatuor pedes gradientibus comparantur, quicunq; ex his cum animo de cælestibus, verbi gratia, sole, luna, stellis, & reliquis philosophantur, ventre autem & corpore, per terram, lutumq; vitiorũ versantur. Reptilibus quoq;, non incongruè similantur, qui nullius vel apud homines bonæ aut honestæ professionis habentur, vt puta ganeones, histriones, malefici, scortatores. Secundum qualitatem vel proprietatem cuiuscunq; vitij, alij alijs reptilibus siue immundis quibusq; animantibus rectè cõparantur, astipulantibus, non solum diuinarum, sed etiam humanarum literarum auctoribus. Nã hinc est quod socios Vlyssis, pueris mirantibus Circe filia Solis in varias formas vertisse lectitatur. (Hæc igitur, inquit, immũda sunt, & quicunq; morticina horum tetigerit, polluetur, & erit immundus vsq; ad vesperum.) Id est, vsq; ad perfectam pœnitentiam, quo videlicet dicto sæpius repetito spiritualiter omnis damnatur iniquitatis consensus. Nũc horum animantium, quæ hęc scriptura commemorat, nomina breuiter naturasque perstringere libet.

De animalium proprietatibus vel naturis, quæ lex nominatim immunda decernit haberi.

CAPVT XII.

CIrogrillus bestia spinosa maior Ericio. Struthio Græco nomine dicitur, quod animal in similitudinem auis pennas habere videtur, de terra tamen altiùs non eleuatur. Noctua dicitur, eo quod nocte circumuolet. eadem & nocticorax auis lucifuga. Larus ipse est gala, quæ solet semper supersedere aquis. Bubo, à sono vocis nomen habet, auis feralis, onusta plumis, & in cauernis commorans. Mergus ab assiduitate mergendi vocata, auis nigra, piscibus infesta. Ibis Nili fluminis auis, quæ ventris fimum proprio rostro extrahit, hæc serpentium ouis libenter vescitur. Onocrotalon Græci vocant rostro longo, auis cygno similis, sed maior. Porphyrió auis purpurei coloris, vt nomen significare videtur: alij autem albam, similem cygno, alij Pellicanũ esse dicũt. Fulicæ similes magnitudine & colore cygnorum, duris & grandibus rostris & in scopulis littorum commorãtes. Has Latini Diomedeas, Græci herodios vocant. Corcidrion auis alba tota, cuius interiora oculos caliginosos curant. Vpupã Græci vocant, quòd stercori humano consideat, & fœtẽti pascatur fimo, auis spurcissima, cristis extãtib. galeata, in sepulchris & stercoribus cómorans. Attacus & opimacus ignotæ aues. Bruchus, locusta, quæ nec dum volat. Locusta, q̃ pedib. sit longis velut hasta. Hãc Græci tam marittimam quàm terrestrem astagon dicunt. Mustela Græcum est, i. mus lõga. Crocodyl[us] animal quadrupes à croceo colore dictum, gignitur in Nilo. Migale ignota bestia, quam tamen similem chameleonti ferunt. Chameleon non habet colorem vnum sed diuersa varietate est cõspersus, vt Pard[us]. Corpusculum verò chameleõtis ad colores quos videt, facillima conuersione variatur. Stellio genus lacertæ de colore nomen inditum habens. Est enim tergore pictus lucentibus guttis in modum stellarũ. Lacerta reptile genus vocatũ, quod brachiũ habeat. Talpa terrestre animal sine oculis, terrã semper fodiens, quam Græci affalacã dicunt. Ad spiritualem sensum sermo nunc redeat.

Tangere, portare, comedere morticina eorum, lauare vestimenta, & cætera, quid sit mysticè.

CAPVT XIII.

QVicunq; morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus vsq; ad vesperum. Etsi necesse fuerit vt portet quippiam horum mortuum, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsq; ad occasum solis.) Tria sunt quæ prohibentur; scilicet comedere, tangere atq; portare quippiam immũdum, quæ & hoc differunt, quod agere malum, consentire malo, & ad horam pro necessitate sustinere malum. Debet autem legittima esse necessitas, propter quam portandum sit immundum, videlicet vbi aut nullaten[us] corrigi, aut non nisi cum maioris rei detrimento potest auferri malum. Verbi gratia: Naaman Syrus cum diceret Helizęo prophetæ, hoc solũ est de quo preceris dominũ pro seruo tuo, quando ingreditur Dominus meus templũ Remmon, vt adoraret, ex illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorãte eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo, super hac re: necesse illi fuerat, vt portaret immũdum, vt sustineret malum, non quidem vt adoraret Remmon, sed vt adoraret in templo Rémon, vbi scilicet & in omni loco poterat adorare Deũ verum. Proinde continuò dicit ei propheta: Vade in pace. Attamen non omninò illæsa est portantis cõscientia, nec si de necessitatis excusatione confidat, rectè dici potest securitas, sed magis temeritas. Lauabit ergo, inqt, vesti- *4. Reg. 5.*

vestimenta sua, id est, flebit pro ipsa necessitatis miseria, quod nonnullos fecisse, fida relatio narrat. Et immundus erit vsque ad occasum solis, id est, in morte eius sperabit, qui occumbendo in mortem tulit peccata mundi. (Qui tetigerit morticina eorum, immũdus erit vsque ad vesperum. Et super quod ceciderit quippiam de morticinis eorum, polluetur.) Durum & graue seruitutis iugum, de quo verissimè Petrus apostolus: Quod neq; nos, inquit, neque patres nostri portare potuimus. Vas fictile confringitur, omnis cibus & omne liquens in vase, vt immundum abijcitur, clibani & chitropodes, quæ sunt coquendi vasa fictilia cum tribus pedibus, destruuntur. Fontes tamen & cisternæ nequaquam immunditię pro huiusmodi condemnantur, & sementis, nisi ante tactum morticini aqua perfusa fuerit, non polluetur. Ergo quoniam veritati credimus, dicenti: Non quod intrat in os coinquinat hominem, illa potius (vt cœpimus) per hæc intelligamus, quæ exeunt de homine, nam hæc, inquit, sunt quæ coinquinant hominem, scilicet cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicatiões, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, & ab istis omnia nostra custodiamus, ne contactu horum polluantur, adhibitis circa illos qui nobis commissi sunt, diligentissimis custodibus, ne illorũ qui eiusmodi sunt, miseria vitientur, dicentes cum Apostolo: Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neq; contrectaueritis. Si vas fictile, id est, si necdum in bono proposito roboratus est is, quem talium frequentatione seu confabulatione delectari deprehendimus, frangatur, id est, seuerissimè corripiatur, verberibus etiam coerceatur. Si clibanus, id est, si adolescẽtulus est, cuius ætatis status naturaliter tanquam clibanus ardet, si chitropodes, de quibus antè dictum est. Si, inquam, cliban[us] aut chitropodes sunt, pro qualitate morum destruantur, id est, verberibus aut nimijs ieiunijs affligantur, vt in melius commutentur. Si in vase est quodcunque liquens, id est, si non seipso cõsilij compos sit, si alieno regitur consilio, sicut vas non innatam, sed aliunde infusam sibi continet aquam, & hic talis cum immundo confabuletur, non credatur ei, quòd munda id faciat conscientia, cùm dicat Apostolus: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Cæterùm, si fontes aut cisternæ vel quæuis aquarum collectiones sint, quorum alterum venam habet aquarum viuentium, alterum potabilem reddit imbrem de cælo susceptũ, id est, si sapientes, si fuerint habentes desursum datum optimum & donum perfectum, quo possint mundum regere animum, & hi tales fuerint visi cum inquinatis & immundis habere colloquium, mundi erunt, id est, credetur eis, quòd cum immundis agitẽt de munditia castitatis consilium. Porrò si semẽtem, inquit, morticinum tetigerit, non polluet eam.) Id est, si is qui Deo mortuus est, in eius colloquium venerit, qui sapientiæ vel scientiæ sermonem accepit, hi qui viderint, non statim dijudicabunt. Verbi gratia, dicendo cum Pharisæis: Quia hic peccatores recipit & manducat cũ eis. Potest enim fieri, quia sæpè factum est, vt ex huiusmodi semente munditiæ morticinũ immũditię refloreścat, & vitalem habitum, pulchritudinemq; resumat. Veruntamen si idem ille qui sermone præpollet antehac in facto, quòd sæpè lubricus deprehensus est, non illi credendum est. Sequitur ergo: (Si in autem quispiã semen tem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, ilico polluetur.) Ac si dicat: Sin autem antehac heri & nudiustertius vel quandocunque spermologum illum iusto quisquã probro maculauit, & non habet bonum testimonium ab his qui foris sunt, & post hoc morticinis peccatorum se in colloquium miscuerit, nõ credatur illi, quòd ad lucrandos illos aptus vel idoneus sit.

Leuit. 11. *Matth. 15.* *Coloss. 2.* *Iacobi 1.* *Matth. 9.* *2. Cor. 5.* *2. Ioan. 1.* *1. Cor. 6.* *Actor. 10.* *1. Pet. 1.*

Quid sit mysticè: Si mortuum fuerit animal, quòd licet vobis edere, qui, &c. CAPVT XIIII.

SI mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vsq; ad vesperum.) Huc planè illud respicit quod Apostolus dicit: Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Ac deinceps: Auferte malum ex vobis ipsis. Itẽ alius: Nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operib. eius malignis. (Et qui comederit ex eo quippiam, siue portauerit, lauabit vestimenta sua, &c.) Vt supra. Et hæc quidẽ fuimus, sed abluti sumus, sed sanctificati sumus, sed iustificati sumus in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Proinde licitò iam nos Ecclesia Christi tetigit, portauit, & sibimet incorporauit, omniũ Deo clamante de cælo pro nobis. Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Quare verò nec abominabilia nobis erunt, quæ adhuc immunda sunt, & quare nó contaminabimus animas nostras assumẽdo hæc in cibum? Ait: (Ego enim sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.) Et iterum: (Ego enim sum dominus, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.) Si ergo legem sequimur regalem, non simus configurati prioribus ignorantiæ nostræ desiderijs, quibus in Aegypto seruiebamus, vndè nos eduxit Deus, quę profectò Petrus Apostolus sub istis immunditiæ nomi-nibus intellexerat, cùm præmisso, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs, sed secundũ eũ qui vocauit vos sanctũ, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, statim de hoc loco sumptũ sic intulit. Quoniam scriptũ est: Sancti eritis, quoniã sanctus sum dominus Deus vester.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De muliere quæ suscepto semine, conceperit: & de nostra immunditia causa communi, quòd non sit distinctio Iudæi & Græci.

CAP. XV.

CAP. XII LOcutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Mulier si suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit vij. diebus, iuxta dies separationis menstruæ, & die viij. circuncidetur infantulus. Ipsa verò manebit in sanguine purificationis suæ.) Nullum omninò lex domini immaculata gloriari patitur, quasi de sua munditia, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Nam si nos gentes reptilia & serpentia immunda fuimus, quod ipsi non diffitemur, cum emendatori nostro gratias agamus: vnde hoc illis, vt munda fuerint pecora, qualibus vesci licitum fuerit? An non & ipsi de immundo semine fuere concepti, de immundo, inquam, semine, quod in primis hominibus serpens antiquus diabol⁹ & satanas tetigit, & veneno suo polluit? Si nõ ita est, cur ista lex ita loquitur, quæ omne ꝙ loquitur, his qui in lege sunt loquitur? Non est igitur distinctio Iudæi & Græci. Omnes enim peccauerunt, imò (vt secundum præsentem literã loquar) omnes polluti fuerunt, & egebant emundatrice gratia Dei. Nam & quantula erat illa emendatio Iudæi circunci si, & ad templum illud manufactum cum hostijs deportati, nisi venisset ipse & hostia & templum non manufactum Christus filius Dei, qui tollit peccata mũdi? Siquidem Esaias dicit: Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Proinde fateamur, quia nos immunda reptilia fuimus, dummodo & illorũ qui nobis insultabant, omne os obstruatur, vbi de sua lectione panno menstruatæ comparantur illorum iustitiæ. Et scimus, quia illorum non credentium in Christum, menstrua nemo lauit: hæc autẽ reptilia Deus purificauit, & vngula benè diuisa, atque ore ruminãte ornauit. Sed iam ipsa legis huius verba carpamus.

Rom. 3.

Iob 14.

Rom. 3.

Esa. 60.

De eadem re, & cur signanter dixerit, suscepto semine, & de emũdatione eius quæ masculum, & eius quæ fœminam pepererit.

CAPVT XVI.

MVlier, inquit, si suscepto semine, pepererit masculum, immũda erit vij. diebus, &c.) Religiosè sanctus prophetalis spiritus legem suam determinauit, dicendo: si suscepto semine pepererit. Aliquam enim mulierem futuram præuidebat, quæ paritura quidem, sed non suscepto semine puerum paritura erat. Alioqui frustra sic determinasset. Ergo legis necessitate vnica mulier, vna & sola Christi filij Dei mater fuit liberrima, quæ tamen eandem laudabiliter subijt legẽ humilitate spontanea. (Si, inquit, masculum pepererit, immunda erit vij. diebus.) Ac deinceps: Sin autẽ fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & lxvi. diebus erit in sanguine purificationis suæ.) In litera manifesta nõ prætereundũ, ex partu fœminã parturientis maiorẽ esse pœnã infirmitatis, vel immunditiæ, quã ex profusione masculi. Et rectè tam scripta, quã naturalis lex, fœminã plus quàm masculum in hac ratione grauat, quia videlicet in accessu peccati, per quod mors intrauit in hũc mundũ, reptili illi vasculo diaboli, vn dè venenũ immunditiæ nostræ principiũ ille sibilauit, propior fœmina stetit quã vir. Nã non per virum mulier, sed per mulierẽ vir in mendacio diaboli pollutus est. Rectè igitur in fœmina & fluxus à natura, & ex lege purificationis duplicata est mora. Veruntamẽ in remedio gratiæ purificantis, nulla est distantia. Ibi enim (inquit Apost.) nõ est masculus neque fœmina. Vndè & in hac lege non alia ꝓ filia, ꝙ pro filio datur hostia, scilicet agnus, simulq; colũba siue turtur. Quę videlicet tũc ritè offerũtur, quãdo is q accedit & fideliter credit in passiõe agni incõtaminati & immaculati Christi, & cõpatiẽdo vt cõregnet, gemitũ habet, vel gregatim vt colũba, vel solitariè sicut turtur. Colũba namq; gregatim, turtur verò soliuagus gemere consueuit, & ob hoc ista publicos ecclesiæ cõuentus, iste oratiõnũ secretas lachrimas insinuat. Gregatim ergo gemere est vt colũba pœnitentiã agere in publica ecclesia: solitariè verò gemere vt turtur, est occulta vel etiã ab hominibus remota deligere lameta. (Quod si nõ inuenerit mànus ei⁹, nec poterit offerre agnũ, sumet duos turtures vel duos pullos colũbæ, &cæ.) Eius manus agnũ nõ inuenit, qui tantæ capacitatis non est, vt capere possit mysteria veri agni Christi filij Dei. Offerat ergo duos turtures vel duos colũbæ pullos. i. cõtenta sit geminę charitatis executiõe. (Vnũ in holocaustũ, & alterũ pro peccato.) Amor nanq; Dei tot⁹ intrinsecus ardet, amor verò proximi foris per opera misericordię peccatũ redimere studet.

Rom. 5.

De lege leprosi, quod Deus pro mysterio huius rei curam habuerit. CAPVT XVII. CA. XIII.

LOcutus est dñs ad Moysen & Aaron, dicens: Homo in cuius carne & cute ortus fuerit diuersus color siue pustula, aut quasi lucens quippiam. i. plaga leprę, adducetur ad Aarõ sacerdotem, & vnumquemlibet filiorum eius, &c.) Manifesta quidem legis huius litera est. Sed quare hæc talia dominus Deus ad Moysen locutus est? Nunquid illi tã grandi curæ fuit conspicere lepram humani corporis, lepramque domestici parietis? Quid enim præter peccatũ immundum est illi? Nũquid contra morbos corporũ, & non potius contra vitia animorũ Deus iudex fortis gladiũ suum vibrauit, arcũ suum tetendit & parauit illũ? Ergo quod de sacrificijs brutorum animaliũ, idem de lege leprarum in hac parte sentiendum est. Nã sicut alio iã in loco cũ testimonijs propheticis diximus, non idcirco eiusmodi sacrificia Deus disposuit, quod carnes

Cur sacrificia brutorum instituta sint.

carnes taurorum manducare, aut sanguinẽ hircorum potare haberet, sed quia sponte talibus Aegyptia cõsuetudine inhiabant & inhiberi nõ poterãt filij Israel. Idcircò sic dispositã sũt, vt veri sacrificij, quo delectatur deus, saltẽ vmbram vel figuram ordo illorũ gereret. Ita planè non idcircò de lepra vitanda deus legem dat, ꝙ ipse corporum infirmitates abhorreat, sed quia sensus hominis quam libet sapientis, sensus, inquã, exterior. i. visus vel tactus, huiusmodi plagã penè naturaliter exhorresceret, nisi quẽ vera misericordia, vel charitas non ficta ad cõpatiendum vel commiserescendum erudiuit, idcircò lepræ discutiendæ atq; vitandæ legẽ talẽ posuit, cuius vmbra vel figura spiritualis homo de spiritualibus debeat infirmari. Itaq; quia fieri potest, & sæpe factum est, vt in domo munditiæ quæ est ecclesia Dei, lepra immundissima, lepra hæretica nasceretur, rectè postquã de non admittẽdis immunditijs mysticè lex data est, datur etiam de illis eijciendis, in qui buscunq; post agnitionem veritatis apostatica vel hæretica immunditia suborta esse deprehenditur.

CAPVT XIII.

Psal. 49.

Galat. 3.

De sacerdotis circa lepram dijudicandum diligentia, secundum Apostolũm dicentem: Hæreticum hominẽ post primam & secundam ammonitionem deuita.

CAPVT XVIII.

Tit. 3.

AIt ergo. (Homo in cuius carne vel cute ortus fuerit diuersus color, &cæ.) Primùm hæc ad Apostoli cõuocemus imperiũ, dicentis: Hæreticum hominem post primã & secundam ammonitionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit cũ sit proprio iudicio cõdemnatus. Pro fectò sicut in hac sancta, & iusta, & bona lege est, quando debeat homo consideratus à sacerdote statim lepræ condemnari, & ad arbitrium eius separari, & est, quando debeat semel & iterum includi, ac die septimo considerari: sic in sancta ecclesia est, quando debeat homo statim, vt à fide exorbitauerit, hęreticus nunciari: & est, quando debeat pijs ammonitionibus prius semel & iterum conueniri. Deniq; si is, qui ex aduerso fidei veritatisq; consistit, talis est, vt cùm nõ per ignorantiam, sed per malitiam errare in hypocrisi, fictis verbis negotiari & loqui mendatiũ, nemini dubium sit, qualis erit iam Simon ille magus cùm primum se Apostolis ingesserit, illic non debet sententia remorari, sed statim eijcienda & separanda est lepra nequissima, ne corrumpantur cæteri. Ait ergo: (Cùm viderit lepram in cute & pilos in album mutatos, colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem carne & cute reliqua, plaga lepræ est, & ad arbitriũ eius separabitur.) Et postmodum idem repetendo confirmet. (Plaga, inquit, lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur, atque inolita cuti. Cõtaminabit itaq; eũ sacerdos, & non recludet, quia perspicua immunditia est.) Tunc etenim pilus in album mutatus est colorem, ipsa & species humilior est carne & cute reliqua, quando id agitur sub albedine & humilitate hypocriseos, quatenus in errorem mutantur simplices fidei, quales Apostol. præmuniens, dicit: Nemo vos seducat veniens in humilitate & religione angelorum quæ non vidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus connexum, & coniunctione submini stratum & constructum crescit in augmentum Dei. Tunc, inquam, capillorum mutato aspectu, caro quoq; viua apparet, quãdo id, quod prædictum est, agitur scienter, aut defenditur pertinaciter, quòd & contactu sancti peccare est. Nempe quasi mortuæ carnis est lepra ignorantis hominis dissonans à recta fide loquela, & hæc potest remitti: quasi viuæ autem carnis lepra est hominis veritatem scientis blasphemia, & hæc non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro. Lepra, inquit, vetustissima iudicabitur, atque inolita cuti, contaminabit eum sacerdos, & non recludet, quia perspicua immunditia est. Quod est dicere: Non adhibebit diligentiam, vt manifestum corrigat hæreticum, sed vitabit, & vitandum pronunciabit eum, quia subuersus est, quia incorrigibilis est. (Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septẽ diebus, & cõsiderabit die septimo. Et si quidẽ lepra non vltra creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursus includet eũ septem diebus alijs, & die septimo contẽplabitur. Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute mundabit eum, quia scabies est.) Sẽsus hic est: Si non per inanem gloriam in astutia vel hypocrisi blasphemiam struere, sed per ignorantiam errare visus fuerit seorsum instruetur, sensu veritatis à fidelissimo dispensatore verbi, totis septẽ diebus. i. in omnibus scripturis diuinitus inspiratis. Et si quidẽ lepra vltra non creuerit, nec transierit priores terminos, id est, si non defendendo, errorẽ reatum suum auxerit, quod facere solent omnes hæretici, quorũ diabolus corda subuertit, rursus includet eũ vij. dieb. alijs, & die vij. cõsiderabit, id est, iterum bona spe illũ in omnibus scripturis catholicæ veritatis cathecizabit, & benè confirmatũ sanctæ matri ecclesiæ præsentabit, dicens, quia scabies fuit & non lepra, id est, ignorãtia deliquit, nõ malitia. (Lauabitq; homo vestimenta sua, & mundus erit.) Iuxta hunc sensum spiritualem in lauandis vestimentis discretio qualis esse debeat, ecclesiastica prudentia non ignorat. Nam qui ab hæretica lepra correctus ad integritatẽ fidei reducitur, qualiscunq; illa exiterit, dummodo baptizatus fuerit in nomine

Actor. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

patris & filij & ſpiritus S. non illi repetitur lauacrum carnis, ſed tantum cõfeſsiõe data, ſpiritú accipit recõciliationis & remiſsionis peccatorum, qua ſufficienter lauentur veſtimenta, vt homo eiuſmodi mundus ſit. (Quia ſi poſtquam à ſacerdote viſus eſt, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit, adducetur ad eum, & immunditiæ condemnabitur.) Et hoc æquũ eſt. Nam ſi denuò abalienatus fuerit peccator à vulua, & errauerit ab vtero, & locutus fuerit falſa, quæ iam ſpes ſupereſſe poterit? Quomodo enim de ignorantia poterit excuſari? Igitur & quemadmodum ſuprà dictus Apoſt. ait: Hæreticũ hominem poſt primam & ſecundam admonitionem deuita, videlicet eo quòd inexcuſabilis, imò & incorrigibilis ſit: ita nunc lex immundum eſſe decernit eum, qui redditus munditiæ, iterum lepram contraxerit. Hoc planè fecit aliquis, cũ fortè aliquo indigens negotio, vnde in catholica eccleſia poſſet ei ſubueniri, fidem rectũ profeſſus eſt, eo quòd diceretur ei, non tibi ſubuenietur hic, niſi cõmunicaueris: & rurſus alio indigens, quo (verbi gratia) apud Arrianos poſſet ei ſubueniri, rurſus catholicam deſeruit, eò quòd dicerent Arriani, non tibi ſubuenietur, niſi hic communicaueris, ſicut palea leuiter omni vento circunferente, nunc ab area tranſoluat in ſepem, nunc rurſus à ſepe refertur in aream. Igitur & iuxta hanc legem immunditiæ condemnabitur, & iuxta euangelicũ Apoſtoli præceptum, quia ſubuerſus eſt, deuitabitur.

Pſalm. 57.

Tit. 3.

1. Cor. 5.

Quid ſit lepra mundiſsima teneri, & idcircò hominẽ mundiſsimum decerni, ſecundum Apoſtoli ſententiã dicentis: Scripſi vobis in epiſtola, non commiſceri fornicarijs.

CAPVT XIX.

SIn autẽ effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnẽ, à capite vſque ad pedes, quicquid ſub aſpectu oculorũ cadit, cõſideradit eũ ſacerdos, & teneri lepra mundiſsima iudicabit, eò q̃ omnis in cando rẽ verſa ſit, & idcircò mũdꝰ homo erit. Quãdo verò caro viuens in eo apparuerit, tunc ſacerdotis iudicio polluetur, & inter immundus reputabitur.) Huius loci myſterio legitimè conſonans Apoſtolus, dicit ad Corinthios: Scripſi vobis in epiſtola, ne cõmiſceamini fornicarijs, non vtiq; fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus. Alioqui debueratis de hoc mũdo exiſſe. Nunc autẽ ſcripſi vobis non commiſceri. Si is qui frater nominatur eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Quid enim mihi de his qui foris ſunt iudicare? Nunquid enim de his qui intus ſunt vos iudicatis? Nam eos qui foris ſunt Deus iudicabit. Auferte malũ ex vobiſipſis. Quid enim eſt, totum à capite vſque ad pedes lepra opertum eſſe, niſi fornicarium aut auarum eſſe, & omninò tã profeſsione, quàm opere foris eſſe? Quid enim eſt, carnem viuam aſpergi lepra, niſi nominari fratrẽ & fornicatorem eſſe, cæteraq; facere opera, fraterno nomini repugnantia? Igitur efflorente ac diſcurrente lepra in cute, totam à capite vſque ad pedes carnem opertam eſſe, quicquid ſub aſpectu oculorũ cadit, idq̃ue conſideratum à ſacerdote, leprã quidem, ſed mundiſsimam lepram iudicari, eò quòd omnis in candorem verſa ſit, & idcircò hominem mundum decerni, id profectò eſt fornicatorijs huius mundi, auaris, rapacibus, idolis ſeruientibus, licenter commiſceri, nihilq; iudicare de illis, eò quòd foris sũt quos deus iudicabit. Eiuſmodi homo mundus erit, inquit, id eſt, eiuſmodi colloquium lege eccleſiaſtica non te contaminabit, & hoc modo lepra eius tibi mũdiſsima erit. Nã & dñs noſter talibus commixtus eſt, vnde & improperabatur illi, quòd eſſet amicus peccatorum & publicanorum. Alioquin ſi tales vitandi erant, debueramus & nos & Apoſtoli de hoc mundo exiſſe, imò & dominus noſter nunquam in hunc mundum veniſſe. Econtrario carnem viuam apparere in lepra, vel carnem viuã lepra aſpergi, quod ſuperiori modo longè diuerſum vel diſsimile eſt, & idcircò immundum decerni, id planè eſt eũ, qui nomen habet quod viuat, qui frater nominatur & intus eſt, iudicari & cũ eiuſmodi nec cibum ſumi, ſed auferri malũ ex vobiſmetipſis. Quid ſi abundantiori triſtitia frater abſorptus fuerit? Nunquid omnino relinquetur, dum idcircò duntaxat tradi debeat ſathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini? Præmiſſo ergo, caro enim viua ſi lepra aſpergatur immũda eſt, continuò ſequitur. (Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, conſiderabit eum ſacerdos, & mũdum eſſe decernit. Quod idem eſt ac ſi dicat. Si abundantiori triſtitia fuerit abſorptus, imò & antequam penitus abſorbeatur intuebitur eum ſacerdos, ſcilicet is qui infirmarũ curam ſe nouit accepiſſe animarum, & non ſuper ſanas tyrãnidem, & proinde ſacerdos legitimus eſt. Intuebitur, inquam, eum pio intuitu, & confirmabit in illum charitatem, mundum eum eſſe decernens, videlicet, vt eum qui ſe illi in colloquio ſociauerit, non iudicet æqualem debere ſortiri excommunicationis vindictam, ſed potius immittat ſapientes, qui quaſi occultè conſolentur fratrem fluctuantem.

2. Cor. 2.

1. Cor. 5.

Matth. 11.

1. Cor. 2.

De lepra eius, cui vlcus innatum eſt, vt eius quem ignis exuſsit, id eſt, myſticè, de diſtantia hæreſiarchæ & hæretici.

CAPVT XX.

CAro & cutis, ſi qua vlcꝰ natũ eſt, & ſanatũ, & in loco vlceris cicatrix apparuerit alba, ſiue ſubrufa, adducetur homo ad ſacerdotẽ.

Item

Item: Caro & cutis, quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſiue ſubrufam habuerit cicatricem, conſiderabit eam ſacerdos. Et eccè verſa eſt in alborẽ, & locus eius reliqua cute humilior, contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt.) Hactenus indiſtinctè de lepra qualiſcunq; hæreſis ſancta & myſtica lex locuta eſt: nunc diſtinctè loquitur, primùm de lepra hæreſiarchæ, id eſt, eius à quo hæreſis orta eſt, & eius qui non proprio vitio, ſed aliena inductus hæretica tabe pollutus eſt. Deniq; quod vlcus innatum, & combuſtio proprijs cauſis differunt hoc reatus hæreſiarchæ, & eius qui ab illo ſeducente in anima combuſtus eſt, differt. Nam ille proprio vitio vlceratus, mortiferum virus concepit, iſte imprudens fortè, dum diuiti hæretico adulando quodammodo ad prunas diſtẽditur, calefacit crepitantis fornaculę ſcintillis euolãtibus, in crure aduſtus eſt. Vtriuſque lex eadẽ eſt. Parum quippe differt in crimine decipere, & decipi poſſe. (Cũ, inquit, viderit ſacerdos locum lepræ humiliorẽ carne reliqua, & pilos verſos in candorẽ, cõtaminabit eum. Plaga enim lepræ orta eſt in vlcere, &c.) Quæ videlicet lex, quia ſupra dicta eſt, iam cætera proſequamur. Hoc tamẽ non prętereundum, quia tunc in carne vel cute iã ſanato vlcere q̃ innatum fuerat, plaga lepræ orta eſt, quando homo vitioſus magnarum opũ, magni & ardentis ingenij, de proprio vitio correptus ab eccleſia, deterior factus eſt, & vnius (verbi gratia) carnalis vitij quaſi vlcere ſanato vel conſtructo, in hæreſim lapſus eſt, fecit ſchiſmata, turbauitq; catholicã pacem, propria inflammatus iracundia. Talis Nicolaus de Actibus Apoſtolorum, VII. diaconus de zelo pulcherrimæ coniugis increpatus, reſpõdiſſe fertur, vt quicunq; vellet, acciperet eam vxorem, & ob hoc infideles docuiſſe, q̃ Apoſtoli promiſcua cũctis, cõmuniaq; cõſortia fœminarum permitterent.

Quomodo differunt hæreſiarcha & hæreticus.

Actor. 6.

De lepra capitis vel barbæ, & cautè diſcernẽdum eſſe, vtrum lepra an ſcabies, ſiue caluitium ſit.

CAPVT XXI.

VIr ſiue mulier, in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eos ſacerdos. Et ſi quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus, flauus ſolitoq; ſubtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt: Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni.) &c. vt ſupra. Et ex hoc loco cognoſcere licet, quoniam non temerè de conſuetudine cuiuſquam, præſertim quæ bono poſsit animo fieri, iudicium proferri debeat. Tunc etenim in capite vel barba, quæ videlicet pars corporis non abſconditur, nec adeo veſte contegitur, lepra germinauit, aut germinaſſe putatur, quando talem quis conſuetudinem in publico eccleſiæ tenet, quæ cauſam infidelitatis habet, vel habere creditur. De huiuſmodi, inquã, non temerè iudicandũ eſt. Poteſt enim euenire, vt quòd tinea vel lepra capitis eſſe putatur, eo q̃ capilli fluant, ſcabies aut caluitium ſit, id eſt, vt quod à fideli vel ſana doctrina abhorrere dicitur, bono propoſito & munda conſcientia teneatur, vt (verbi gratia) cum quis virginitati impenſius fauet, & exinde opinio nata eſt, quòd coniugia damnet: vel cum fratri carnem intemperantius manducanti detrahit, & exinde occaſio ſe præbuit, quod contra Apoſtolũ bonam dei creaturã reijciendam eſſe, docere velit. Adducetur, inquit, ad ſacerdotem, & res eodem ordine quo iam ſupra dictum eſt, diligenter examinabitur, atque rei veritate cõperta, ſi lepra eſt immũdus homo adiudicabitur: ſi ſcabies, lotis prius veſtibus, mundabitur: ſi caluitiũ, abſq; vlla interpoſitione erit mundus.

2. Tim. 4.

De leproſo ſeparato, quid ſit habere veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatũ ſe clamare ac ſordidum.

CAPVT XXII.

QVicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidũ ſe proclamabit. Omni tempore quo leproſus & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.) Durus & fortis hic occidẽtis literæ baculus eſt, maiori confuſione vel ignominia miſeri corporis morbos anathematizãs, quàm ipſa, quæ Deus odit, adulteria. Cæterùm, quod viuificans ſpiritus in iſto loco dicit eccleſijs, iuſtum valdè & rationabile eſt. Qui enim hæretica eſt lepra maculatus, reuera notandus, quia profectò deuitandus eſt. Habebit ergo, inquit, veſtimenta diſſuta. Planè hæreticus veſtimenta habet diſſuta, nã hoc ipſo q̃ hæreticus eſt, illud ſibi ſcidit Chriſti veſtimentum, cuius in typum milites tunicam eiuſdem Chriſti domini, ſcindere noluerunt: vnde & ſciſmaticus dicitur, & eſt, quia videlicet vnitatẽ fidei vnicã ſcripturarum veritatem ſcindendo, ipſe diſſutus, & conſciſſus eſt. Habet & caput nudum, perdidit enim coronam ſpei Domini, immò & ipſum perdidit caput, cuius membra ſumus: caput, inquam, Eccleſiæ Chriſtum, ex quo totum corpus per nexum & coniunctiones ſubminiſtratum eſt, & creſcit in augmentum Dei, & aſſumpſit ſibi caput inimicorum diabolum, caput vlceroſum, caput leproſum. Habet & os veſte contectũ, id eſt, ſpiritu fictiõis obturatũ bilingue, & doloſum. Veſte, inq̃, contectũ. Summopere nãque cauet, ne ab illis, qui patulũ habẽt diſcretionis naſum, fœtore ſuo deprehendatur os vel guttur malignum, de quo alibi ſcriptum eſt: Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Nec fruſtra. Nam contaminatũ, inquit, ac ſordidum ſe clamabit. Dũ enim ſuſurrare ſe putat hæreticus, clamat:

Coloſſ. 2.

Pſal. 13.

dum

Universidad de Deusto Biblioteca

Eccl. 10. dum sibilare lingua vipera se existimat, latratus eius omnem auritum hominum exurdat. Cũ, inquam, in cubiculo suo regi Deo detrahit, auis cæli audit & nunciat, & sit pauor & admiratio in tota Christi domo, quæ est ecclesia. Igitur quicquid loquitur hæreticus, clamor est, & turbam concitat. Quid ergo? Omni, inquit, tempore quo leprosus & immundus est, solus habitabit extra castra. Nõ ergo quisquá hæretico, quem viuentem catholicæ ecclesiæ castra non recipiunt, mortuo veniam promittat. Nam lepra vel immunditia hæretica, quæ in hac vita per pœnitentiam non mundatur, post hanc vitam non est vnde curetur. Quodcunque potest Eccl. 9. manus tua, dicit Ecclesiastes, instanter operare, quia nec opus, nec oratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos, quo tu properas. Omni igitur tempore, id est, in secula seculorum, sine termino, sine fine erit extra castra sempiternæ ecclesiæ, solus, quamuis in perditorum multitudine, solus, inquam, & solitarius, quia à deo derelictus, desertor ac desertus, pollutor & immũdus, qui hoc tempore dum viuit, non fuerit spiritu reconciliationis emendatus.

De lepra vestium, & quod leprosa vestis sit comburẽda, id est, scriptura hæretica penitus auferenda.

CAPVT XXIII.

VEstis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in stamine siue sub tegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum est, si alba vel rufa macula fuerit infecta, reputabitur lepra, ostendeturq; sacerdoti. Qui consideratam recludet septem dieb. & die septimo rursus aspiciens, si creuisse deprehenderit, lepra perseuerans est, pollutũ iudicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inuenta, & idcirco cõburetur flammis. (Vestis lanea siue linea aut certa pellicea, vestis, inquam, quælibet leprosa peruersa est hæretici scriptura, arte texta vel consuta siue grossiori, vt lanea, siue subtiliori eloquio, vt linea, siue de platone, cæterisque philosophis deo mortuis, sumpta, vt vestis pellicea, de mortuis vtiq; animabus contracta. Itaq; si maculam habuerit albam & rufam, id est, si quippiam discrepuerit, ab vniuersitate scripturarum, siue humili, siue grandiloquo sermone, lepra scilicet hæretica perfidia reputabitur ab eo, qui legerit vel audierit, ostẽdeturque sacerdoti, viro videlicet verum scripturarum sensum, atq; iudicium habenti, cui qui non ostenderit, tanquam pro consensu damnabilis erit. Qui consideratam recludet septẽ diebus. i. non temerariũ proferet iudiciũ, sed conferet cũ omni auctoritate scripturarũ, & si leprã creuisse, id est, si verè hæresim esse deprehenderit, comburetur flammis. Nullo enim modo melius aut citius hæretica scriptura de memoria perit. Comburetur itaque leprosa vestis, scilicet praua scriptura flammis, visibilibus, nam leprosus scriptor insanabilis, scilicet hæreticus impœnitens, cremabitur flammis, inextinguibilibus flammis æternis, flammis gehennalibus. Quo contra vestis illa, quam Prouer. 31. operata est mulier sapiens, quæsiuit enim lanam & linum, & operata est consilio manuũ suarum, vestiet virum illius nobilem, dabitur q; ei de fructu manuum suarum, & laudabunt eam in portis opera eius. (Quod si eam viderit non creuisse,) id est, putauerit hæresim non esse, & id quod prauum sonat, bono sensu accipi posse. (Præcipiet, & lauabunt id, in quo lepra est.) id est, prædicabit vel exponet coram omnibus illũ verbi sensum, qui sanus vel vtilis est. (Et cùm viderit faciem pristinam non reuersam,) id est, nihil prodesse lectoribus siue auditoribus sanam interpretationem suam, igne comburet, vt prædictum est. (Sin autẽ obscurior fuerit locus lepræ postquã vestis est lota, abrumpet eum, & à solido diuidet,) id est, si cũ in vno capitulo error sit aut hæresis, multa fidelia siue vtilia sunt in toto corpore voluminis, dempto vitio, cætera reseruabit, quod facere nonnulli conati sunt de libris Origenis. (Quod si vltra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga est,) id est, si vltra de illis quoque scriptorum locis, quæ prius videbãtur innoxia, dissentiones ortæ & facta fuerint scandala, debent igne comburi, videlicet, eò quòd plus simplicibus obsint, quàm prosint sapientib. & discretis, cum sufficiant scripta probatæ fidei. (Si cessauerit,) id est, si dissensio vel turbatio legentium ratione sedari potuerit. Lauabit ea quæ pura sunt secundo,) id est, defendet vel commendabit ea quæ catholica sunt iterato testimonio, (& munda erũt,) authentica permanebunt.

De emundatione leprosi, id est, hæretici, & quòd mundare mundatum hoc sit reconciliare correctũ, & quid sit duos offerre passeres.

CAPVT XXIIII.

LOcutus est dominus ad Moysen, dicẽs: CAPVT XXXIIII. Hic est ritus leprosi. Quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem. Qui egressus è castris cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificabitur, vt offerat pro se duos passeres viuos, quos vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumq; & hysopum, & vnum è passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes. Aliũ autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum qui Rom. 7. mũdãdus est septies, vt iure purgetur.) Verè 2. Cor. 10. bona & sancta lex, si quis ea legitimè vtatur verè splẽdida Moysi facies, si qs eam amoto velamine intueatur. Vidimus, intellexim⁹, qualiter eijciat leprosum. i. hæreticũ, eo q leprosus sit, nunc videamus qualiter mundet, id est, reconciliet illum, vbi mundatus, vbi in catholica fide fuerit correctus.

Hoc e-

Psal. 101. Hoc enim est mundare mundatum, scilicet reconciliare correctum. Vt offerat, inquit, pro se duos passeres. Passer Christum significat, hoc loco, qui & in Psalmo loquitur: Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto, id est, resurrexi & ascendi in cælum, separatus ab hominibus, ad modum passeris solitarij in tecto, separati ab alijs auibus, & quiescentis in loco suo. Sed duo passeres offerendi sunt, & vnũ, inquit, è passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: alium autem tinget viuũ in sanguine passeris immolati, &c. Cur hoc, nisi quia oportet eum, qui recõciliatur ecclesiæ, confiteri Christũ, quia crucifixus & mortuus est ex infirmitate nostra, & viuit nunc ex virtute Dei? Nam in vmbra quidẽ vel figura ista duo passeres offeruntur, sed in veritate essentiæ vnus est Christus: vnus, inquam, idemq; vna geminæ personæ substãtiæ ex altero crucifixus, vt prædictũ est, ex altero iam viuus, ex quo etiam iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Igitur oblatis duob⁹ passeribus quos vesci licitũ est, vtraq; enim iam dicta credere oportet, vnus immolatur, & ex alio viuo cum sanguine immolati, is qui mundandus est, septies aspergitur, quia videlicet immolatus est Christus, idemque rediuiuus septiformem dedit spiritum, sine quo nullus ritè aspergitur, vt peccatorũ remissione mundetur. Hoc in sacramentis ecclesiæ mirabiliter (quod fidelib. notũ est) celebratur. Immolatur passer in vase fictili, id est, recitatur fides eius, quæ ex infirmitate nostra extitit passionis Christi. Et hoc super aquas viuentes. i. secundum scripturas veritatem vitæ continentes. Illic est lignum cedrinum, vermiculusq; & hyssopus. Lignum cedrinum imputribile, spem significat resurrectionis & incorruptionis futuræ: vermiculus, charitatẽ: hyssopus herba humilis, qua tumor pulmonis deponitur, ipsam fidem, qua corda nostra purificantur. Sine istis reconciliatio non fit. Immolato itaq; passere vno, alius viuus in sanguine eius tingitur, quo septies, qui mundandus est aspergatur, vt ritè mundetur, quia videlicet vnus idemque Christus mirabiliter & hic in sacramento suo quotidie immolatur, & in cælo viuit non moriturus. Hac fide recepta, qui hæreticus fuerit, septies respersus, id est, sancto septiformi spiritu, qui in sola catholica ecclesia datur, innouatus, dimittet passerem viuũ in agrum vt auolet, confitendo, scilicet quia Christus (vt prædictum est) nunquam moriturus in æternum manet.

CAPVT XIIII.

De mystica obseruatione leprosi qui mundatus est, deque cærimonijs suis & oblationibus.

CAPVT XXV.

CVmque lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua. Purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat vt maneat extra tabernaculum septem diebus, & die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia ac totius corporis pilos, & lotis rursum vestibus & corpore, die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificiũ quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextariũ. Cumque sacerdos purificans hominem statuerit eum, & hæc omnia coram domino in ostio tabernaculi testimonij: tollet agnũ & offeret eum pro delicto, oleique sextarium, &c. Cũq; inquit, lauerit homo vestimẽta sua, eo videlicet lauacro, de quo ꝓpheta in psal. Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum Psalm. 6. meũ, lachrymis meis stratũ meũ rigabo: radet oẽs pilos corporis sui. i. omnes à se superstitiones hæreticas amputabit, & lauabitur aqua. i. sacra informabitur doctrina, purificatusq; s. hoc modo ingredietur castra: iam enim extunc in catholica reputabitur ecclesia, ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus, videlicet ne rudis adhuc si contubernaliũ hæreticorum malis colloquijs misceatur, iterum rediuiua illorũ lepra corrũpatur. Maneat, inquã, extra tabernaculum suũ septẽ diebus, id est, donec in eo perfectè Christus formetur, cui est iterũ pariente gratia natus. Et ei hoc contrariũ non est, ꝙ sacerdotibus supra in consecratione ipsorum, præceptum est: De ostio quoq; tabernaculi, non exhibitis septem dieb. Sacerdotibus nanque tabernaculum catholica est ecclesia. Leproso autem huic tabernaculum suum hæreticorum conuenticulum erat. Et die, inquit, septimo, radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Hæc nanque perfectio est reformatio Colloss. 3. nis in eo qui barbatus & veternosus hæreticus fuerat, si ex toto ad infantiã innocẽtię redeat, si deposita philosophia & inani fallacia, quę est secundũ traditionẽ hominũ, secundũ elemẽta mundi, & nõ secundum spiritũ, in illo qui caput est corporis ecclesiæ, tota expoliatione corporis carnis refloreſcat, ꝙ est capillos capitis, id est, sensus pristinos cordis, barbamq; virilẽ, ac superbię supercilia, cũ totius corporis pilis radere, vt tot⁹ homo nouus incedat. Et lotis rursus vestib. & corpore. i. iterũ atq; iterũ data cõfessione, die octauo sumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculã absq; macula, & tres decimas similę, &c. Hoc leprosi oblatio, à sacerdotũ supra dictis oblationib. differt, quòd illic vitulum, hircũ atq; agnum sumi iubet lex, & azimorũ de caniſtro exprimitur eadem quantitas: hic autẽ duos, inquit, agnos assumet, & ouem anniculã, & tres similæ decimas. Planè ab hoc hæretico qui ab huismodi lepra mundatus est, exigi debet, vt totius vanæ philosophiæ rasis supercilijs, simplicitatem fidei sapiat, & ita cum duobus agnis immaculatis, ouem anniculam, id est, in duobus testamentis vnam simpliciter profiteatur fidẽ catholicã.

Nam à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam à sacerdote, id est, ab eo qui nunquam aberrauit à fide, nõ tanta solertia requiritur vel exigitur, vt sit cõtẽtus simplici fide, quippe qui neminem solicitum reddidit, quòd vnquam humana deum voluerit ratione cõprehendere. Igitur & tres, inquit, decimas similæ assumet in sacrificium. Tribus decimis assumptis, VII. decimæ residuæ sunt. Assumet ergo tres similæ dicimas, id est, tres confitebitur pura mente, & publica voce vnicæ deitatis personas, vt quas nõ habebat VII. decimas, scilicet sanctum septiformem spiritum in catholica matre ecclesia recipiat. Sed non satis est, sanctam confiteri trinitatem in cõspectu ecclesiæ, nisi præeunte dilectionis
Matth. 3. auctoritate, & erga Deum & proximũ, fideliter operante. Cõspersa, inquit, similia sit oleo, & seorsum habeat olei sextarium, quia videlicet & intus coram domino conspergitur charitatis oleum, & foris ergo proximum sex opera misericordiæ sunt, scilicet, esurienti cibum, sitienti dare potum, colligere hospitem, cooperire nudum, visitare infirmum, venire ad eum qui in carcere est. Cætera præterimus, quia ferè sunt eadem quæ superius in cõsecratione sacerdotum, immò in exordio voluminis huius pro posse tractauimus. Nec mirum, quòd eodem ritu & sacerdotes consecrantur, & qui leprosus fuerat emundatur, quia videlicet in reconciliatione hæretici, cuncta sunt agenda mysteria Christianæ fidei, per quæ deo nostro regnũ & sacerdotes sumus effecti, excepto quòd non illi repetitur lauacrum carnis, si veniat ab hæreticis quamlibet peruersis, baptizanti bus tamen in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. (Quod si pauper est, & nõ potest manus eius inuenire quæ dicta sunt, &c.)
Apoc. 3. Pauper. Pauper ille est, qui pro paruitate scientiæ nõ penetrat profunda scripturarũ, quæ duobus testamentis determinatæ sunt. (Sumet ergo (inquit) pro peccato agnum.) Id est, pro correctione pestis hæreticæ, apprehendet apostolicæ fidei symbolum. (Decimamque partem similæ conspersæ oleo, & olei sextariũ.) Id est fidem vnam absque subtili discussione, trium personarum, ita duntaxat, vt dilectionem habeat erga Deum & proximum, iuxta sensum supra dictum. (Duos quoque turtures (ait) siue duos pullos columbæ, quorum sit vnus pro peccato, & alter in holocaustum,) Videlicet duplicem habendo gemitum, vel quia dixit & fecit, quæ catholicæ puritatis non sunt, vel quia nõ dixit, & non fecit quæ ab hæreticę lepræ contagione aliena sunt. Cætera (vt iam dictum est) prætereamus, non enim eadem in omnibus locis suis replicare cõpellimur.

De lepra domorum, cùm nunciata fuerit sacerdoti, qualiter consideretur, id est, hæresi quorũlibet in quorũ ordine cohabitantium qualiter examinetur.

CAPVT XXVI.

LOcutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Cùm ingressi fueritis terrã Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cui⁹ est domus nuncians sacerdoti, & dicet, Quasi plaga leprę videtur mihi esse in domo mea. At ille præcipiet, vt efferant vniuersa priusquã ingrediatur eam, & videat, vtrũ lepra sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. (Intrabitque postea, vt consideret domus lepram, &c.) Et hic à superiorib. deductus viuificans legis spiritus in promptu est. Si enim non de lepra carnis, sed de lepra mentis vel peccato carnis deo cura vel iudicium est, quanto magis de lepra parietum, vel de lepra lapidum visibilium & insensibilium illi cura non est? Ergo hic domus, ratione vrgente, eo sensu accipienda est, quo partes dom⁹ dicimus singulos homines. Et hoc nondum spirituale est: nam & literaliter, sicut tribus per familias siue cognationes, & cognatio per domos, sic domus per viros plerisque scripturæ locis diuisa est. Cùm igitur, inquit, ingressi fueritis in terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, &c. Extunc terrã Chanaan, quod interpretatur motus eorũ, ingressi sumus, ex quo sub regibus Christianis atque catholicis principibus, licuit sanctæ ecclesiæ publicis regnare cõuentibus, diuinúque imperium cælestibus gubernare legib. Nam terra quidem Chanaan, quam dedit dominus populo illi possidendam, illam significat terram viuentium, de qua maligni spiritus expulsi sunt, quia secundũ nomen Chanaan, motus est pes eorum, ceciderunt q;, & stare non poterant: sed quia per præsentis ecclesiæ ianuas in illam ingrediamur terrã, non vanè iam nos ingressos esse dicimus, &
Philip. 3. beata spe gloriamur, cùm adhuc peregrinãtes in corpore, iam in cælis cũ Apostolo conuersari possimus. Si, inquit, fuerit plaga lepręin ædibus, id est, si orta fuerit hæresis in quibuslibet ecclesię conuentibus, cœnobijsque, vel quibuscunque ordinibus communiter viuentibus, ibit cuius domus est, nuncians sacerdoti, subauditur, eò quòd plagam mortiferam per semetipsum sanare non possit. Tunc enim is, cuius est domus, qui domui Christi est prælatus, maioris vel superioris quærere debebit præsidium, cũ per semetipsum curare nõn poterit domesticum morbum. At ille præcipiet, vt efferant vniuersa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat vtrum lepra sit. Ingressuro sacerdote in domum, vt videat vtrum lepra sit quod annunciatum est, an non, prius efferri debent vniuersa, subauditur, quę efferri possũt, quia videlicet in conuentu vel cœtu cohabitanti um orta dissentione de fide vel dogmatibus antequam res examinentur, qui non consentiunt scandala facientibus, ipsum suum declarare debent studium, quo ab alijs dissentiũt.

Nam

Nam postquam lepram hæreticam esse manifesta ratio conuicerit, non solum auctoribus, sed & auctorũ consentaneis sententia pariter incumbet iudicialis. Quare enim præci-
CAP. XV. piet, vt efferãt vniuersa? Ne immũda, inquit, fiãt omnia, quæ in domo sunt, videlicet quãdo prolatum fuerit conuictæ immunditiæ indicium. Intrabitq; postea vt cõsideret domus lepram, videlicet postquam schismatis partem vtranq; diuiserit, distinctamq; vtriusque habuerit notitiam. (Et cum viderit in parietibus illius, quasi valliculas pallore siue robore deformes, & humiliores superficie reliqua: egredietur ostium domus, & statim claudet eam septem diebus.) Quod est dicere: Cum audierit capitula disceptantium omninò à pulchritudine vel sanitate sanctarum scripturarum discrepare, egredietur tota auersus mente, & imponet silentium immundo spiritui, scilicet lepræ hæreticæ, septẽ diebus, id est, vniuersæ veritatis obiecta auctõ-
Psalm. 106. ritate, vt videant vel intelligant recti & lætẽtur, & omnis iniquitas oppilet os suum.

Quòd si post septem dies inuenerit creuisse lepram, iubeat erui lapides, id est, si post omnes admonitiones per seuerauerit hæresis, expellet eius auctores, & si nec ita profecerit, destruet totam domum hæreticam.

CAPVT XXVII.

REuersusq; die septimo considerabit eã. Si inuenerit creuisse lepram, iubebit erui lapides, in quibus lepra est, & projciet eos extra ciuitatem in loco immundo: domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi puluerem rasure extra ciuitatem in loco immundo, lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerũt, & luto alio liniri domũ.) Septimo, inquit, die, id est, postquam omnẽ adhibuit sani sermonis diligẽtiam, reuersus, si lepram inuenerit creuisse hæreticam, iubebit erui lapides, in quibus lepra est, id est, vtetur ferro abscisionis, auferendo & expellendo illos, qui sunt eiusdem impietatis auctores, & proijciet eos extra ciuitatem: extra ciuitatem, inquam, viuentis Dei Hierusalem cælestem, extra pacem ecclesiasticæ communionis in loco immundo, in diaboli circo vel theatro, vel in maligno malignorum collegio, cum mortuis, cum his qui sunt in inferno. Domum autem ipsam radet intrinsecus per circuitum: nec enim immunis esse poterit ab illorum colluuione totus cœtus cohabitantium, dicente scriptura: Qui tetigerit pi
Eccles. 13. cem, inquinabitur ab ea. Radet, inquam, per circuitum, id est, cunctos tam vocis professione, quam & manus subscriptione, anathematizare compellet dogma hæreticũ, & spar
Matth. 21. get puluerem rasuræ extra vrbem in loco immundo, vt videlicet nihil immundorum, nihil hæreticorum sensuũ resideat in tota Dei domo. Sed & lapides alios reponi iubebit, pro his qui ablati fuerint, scilicet vt malis malè perditis, domus impleatur alijs domesticis qui pro veritate fidei, vel pacis catholicæ statu, iure computentur in familia domini. Tandem luto alio liniet domum, id est, malis sensibus exclusis sedula prædicatione ac meliori doctrina totum reformabit fidei vel catholicæ pacis statum. (Sin autem postquam eruti sunt lapides, & puluis elatus, & alia terra lita, ingressus sacerdos viderit reuersam lepra & parietes aspersos maculis, lepra est perseuerans, & immunda domus. Quam statim destruent, &c.) Videlicet sicut post primam & secundam inspectionem, homo leprosus immunditiæ cõdemnatur, sic & domus post primam & secundam considerationem crescente lepra, iure destruitur, id est, sicut hæreticus homo, post primam & secundam admonitionẽ deuitandus, sic & vniuersa dom⁹ siue ecclesia malignantium, conciliumq; hæreticorum post primam & secundam orthodoxi sacerdotis visitationẽ, anathematizandum est. (Destruent ergo, inquit, domum & lapides eius, ac ligna, atque vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in loco immundo.) Videlicet cũ illo immunditię principe diabolo, cui per prophetam sub nomine Babylonici regis dictum est: Omnes reges *Esaiæ 14.* gentium vniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus & obuolutus cum his qui interfecti sunt gladio. (Quod si introiens viderit, lepram non creuisse in domo, postquam denuò lita est, purificabit eam, reddita sanitate. Et in purificatione eius sumet duos passeres, &c. vt suprà.

De eo qui patitur fluxum seminis, id est, incontinentiam sermonis, & de ea quæ sanguine fluit, id est, quæ cuilibet fratri detrahit, & de mystica eius oblatione si sanata fuerit.

CAPVT XXVIII.

VIr qui patitur fluxum seminis, immun-
CAP. XV. dus erit. Et tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cum per momenta singula adhæserit carni illius, atque concreuit fœdus humor.) Item: (Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.) Ac deinceps: (Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu huic subiacet passioni, immunda erit, quasi sit in tempore menstrui:) Ordinatè post legem data tam, lepræ damnabilis, id est, hæreticę prauitatis, legem edicit scriptura de fluxu seminis, & de fluxu sanguinis menstrui, id est, de incontinentia oris murmurosi, & de loquacitate linguæ detrahentis. Quid est fluxum seminis, aut fluxum pati sanguinis, nisi detractorijs aut etiam criminosis fluere verbis? Nempè qui detrahit Deo, vel qui blasphemat Deum, & qui detrahit proximo, vel qui iudicat proximum, proximi sunt. Qui enim hoc tempore catholicæ pacis, quando suffi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cientibus orthodoxorũ scriptis, lapidata vel obruta est omnis hæresis, proximi, quem videt, bona quoque odit, quomodo vigentibus hæreticorum zizanijs, Deo, quem non videt, posset esse fidelis? Igitur & hic immũdus est. Et si quidẽ in proposito virtutis, aut in quolibet eminenti gradu constitutus sit, vir est patiens fluxum sanguinis: si autem de seculàrium plebecula, nulloq; ordinis ecclesiastici, siue curialis munere functus sit, rectè mulier dicatur patiẽs fluxũ sanguinis menstrui, quà diu à detractione linguæ non parcit, quàm diu scandala nutrire, dissensiones facere non cessat. Et notandum quàm cautè dictum sit, quàm prouidè definitum sit. Tunc, inquit, iudicabitur huic vitio subiacere, cùm per momenta singula adhæserit carni illius, atq; cõcreuerit fœdus humor. Quod est dicere: Nõ pro vno verbo iudicabitur, linguę vitio subiacere: nam si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: sed cum indesinenter pro consuetudine adhęserit ori illius fœda atque humida loquacitatis lues, & suauis fuerit gutturi eius panis huiusmodi, immundus, inquã & hic erit, veruntamen non æquè vt leprosus, nondũ æquè hæreticus. Nec enim habet hæc lex, vt separetur, vt habitet extra castra solus. Optimè ac legitimè sãcta didicit ecclesia, portare & sustinere intra castra sua, qui sunt huiusmodi, gemens tamen & dicẽs: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Hunc tenet modum discretionis, vt cum his qui oderũt pacẽ proximi, quàm diu saluo vnitatis vinculo potest pacifica sit: cum his autem qui oderũt pacem Dei, qui malè de Deo loquuntur, & sunt hæretici, nullam habeat pacem, aut tolerantiam communionis: sed emundatio talium sine sanguine fit. Ait enim: (Si sanatus fuerit qui huiusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus ac toto corpore in aquis viuentibus, eritmundus. Die autem octauo, sumet duos turtures, aut duos pullos colũbę, & veniet in conspectu domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabit eos sacerdotis, &c. Ita, inquam, talium emundatio, & earum mulierum, quarum steterit sanguis & fluere cessauerit, sine sanguine fit, cùm emundatio leprosi non nisi cum sanguine fiat passeris immolati, cum septena aspersione passeris viui. Etenim quicunque fidei professione intus sunt, quamuis paleæ sint, cùm per pœnitentiam mutantur & grana fiunt, solenni reconciliatione non indigent, sed tantum turturis & columbę gemitus offerant, & saluati sunt. Cętera, quia manifesta sunt, & similia vel eadem, ex parte dicta sunt superius, studio proficiscendi præterimus.

Iacob. 3.

Psalm. 119.

Quod mulier vitio laborans fluentis menstrui, à sanctæ communionis prohiberi non debeat ingressu.

CAPVT XXIX.

HOc tamen de menstruis floribus secundum literam prætereundum non est, quia iam in Euangelio Christi mulier eiusmodi passionẽ sustinens, Deo immunda non est. Nam viro quidem immutanda sit, scilicet: (Vt vir qui cum ea coierit, tempore sanguinis menstrualis, immundus sit.) Et hac lege prohibeatur cum ea coire vir, in quo certè multum conceptibus lex sacra prospicit. Dicuntur enim concepti fœtus vitium seminis trahere, ita vt leprosi & elephantiaci ex hac conceptione nascantur, & fœda in vtroque sexu corpora prauitate vel enormitate membrorum, sanies corrupta degeneret. Cæterùm Deo cur pro hac passione immunda sit? Etenim ecclesiastica rectè censet auctoritas, quia mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi ecclesiam ingredi non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpã non valet reputari, & per hoc quod inuita patiatur, iustum nõ est, vt ingressu ecclesiæ priuetur. Nouimus namq;, quòd mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, post tergum domini humiliter veniens, vestimenti eius fimbriam tetigit, atque ab ea statim infirmitas sua recessit. Si autem in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit domini vestimentum tangere, cur quæ menstruam sanguinis superfluitatem patitur, ei non licet domini ecclesiam intrare? Sed dicis, Illam infirmitas compulit, has verò, de quibus loquimur, constringit consuetudo? si igitur benè præsumpsit, quæ vestimentum domini in languore posita tetigit, quod vni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus quæ naturæ suæ vitio infirmantur? Sanctę autem communionis mysterium in ijsdem diebus percipere nõ debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est: sed si perceperit, non iudicanda.

Matth. 9.

Marc. 5.

De mysterio duorum hircorũ, quòd eorum alter Christi, alter Antichristi typus sit.

CAPVT XXX.

LOcutus est dominus ad Moysen, post mortem duorum filiorum Aaron, quãdo offerentes ignem alienum interfecti sunt, & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt nõ moriatur, quia in nube apparebo super oraculum, nisi hæc antè fecerit. Vitulũ offeret pro peccato, & arietem in holocaustum, & cætera.) Post mysticum atque ordinatissimum sanctæ domus Dei statum, in hac sacra Leuitici voluminis scriptura dispositum, iterum ad caput reditur, id est, ad Aaron summũ pontificem, & sacrificium eius. Sic enim superius habuimus, iubente domino, quia obtulerit Aaron

Leuit. 8.

Aaron vitulum & duos arietes, vitulum pro peccato, & arietem vnum in holocaustum, ac deinde hircum. Deinde subiũcta est mors filiorum Aaron, ac deinde discretio mundorum atque immundorum animantium, deinde lex leprosi hominis, & leprosæ domus, deinde de viro patiente fluxum seminis, de fœmina patiente fluxum sanguinis. Post hęc, inquam, opportuna recapitulatione ad ipsum reditur, cùm hæc ad Moysen dominus loquitur. Verùm nonnihil differt. Dicit enim: (Quibus cunctis cum lotus fuerit induetur. Suscipietque ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, & orauerit pro se, & pro domo sua, hircos duos stare faciet coram domino, in ostio tabernaculi testimonij, mittẽs super vtrunque sortes. Vnam domino, & alteram capro emissario, &cæ.) Hoc (inquam) nonnihil à superioribus differt. nã illic de capro emissario nullus sermo est. Magnum & hic mysterium est. Post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum mortui sunt, & mysteria dicta sunt, & vtique post perditionem Iudæorum qui nunc in peccato suo pereunt, hæc eadem opere implenda sunt. Tunc summus pontifex, tunc, inquam, cùm plenitudo gentium subintrauerit, tempus erit vt reliquiæ saluæ fiãt Israelitici populi. Duos hircos stare faciet in ostio tabernaculi testimonij, id est, reuelato homine peccati, filio perditionis, qui verè hircus est fœtidus pro peccatis proprijs, innotescet ipse Christus populo illi, qui cum pro sua innocentia sic immaculatus agnus Dei, tanquam hircus velut peccator oblatus est pro peccatis totius mundi. Tunc mittentur super vtrunq; sortes, vt liquidò constet cunctis, quis eorum benedict⁹ in nomine patris, in multitudine misericordiæ aduenerit, & quis maledictus in nomine suo & in multitudine iræ suæ emerserit. Nam cuius sors à domino exiuit, qui oblatus est pro peccatis nostris, hic illum alterum interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Iã quia cætera superi⁹ dicta sunt, videlicet quid significet, quòd pontifex solus ingreditur in sanctuariũ, sumptum sanguinem fundens super cornua altaris per gyrum, aspergens digito septies, & expians atque sanctificans illud ab immunditijs filiorum Israel, nunc de capro emissario quod restat dicendum est.

Rom. 11.

1. Thessa. 2.

Hebr. 13.

Quòd viuens hircus, qui emittitur ipse sit Antichristus.

CAPVT XXXI.

OFferat, inquit, hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius, cõfiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atq; peccata eorũ. Quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominẽ paratum in desertũ, &c.) Hircus iste (vt prædictum est) Antichristus est. Viuens, inquã, hircus, quippe qui non veniet vt Christus, pro peccatis hominum moriturus, sed omninò causę vel morti eius contrarius, vndè & dicitur Antichristus, id est, Christo contrarius. Nam in typum eius Barrabas latro sedi tionis auctor & homicidij, viuens est dimissus, & nunc vsq; super illos seditionibus atq; homicidijs tyrannizat diabolus, noster verò hircus pro peccatis nostris est mortuus: mortuus, inquam, semel peccato, nunc enim viuit Deo. Omnes, inquit, iniquitates filiorum Israel, vniuersa delicta atq; peccata eorum imprecans capiti eius, omnium quippe animarum sanguis vniuersus in caput eius redũdabit, emittet eum per hominem paratum in desertum, id est, præcipitabit in infernum, in manibus patris eius diaboli, hominis vtique mali & viri iniqui, de quo patersamilias in Euãgelio dicit: Inimicus homo hoc fecit. Secundum hanc significationem turpe nimis est hominis illius ministerium significantis diabolum, qui in solitudinem inferni deportabit illum hircum suum, sed audi quod post modum sequitur: (Ille verò qui dimiserit caprum emissarium, lauabit vestimenta sua, & corpus aqua, & sic ingredietur castra.) Porrò hoc loco quod hircum illum attrectauit, & ad horã typum gessit totius munditiæ principis, lauabit vestimenta sua non ante ingressurus castra. (Sed & ipse Aaron, quia capiti eiusdem hirci manum vtramq; imposuit, lauabit carnem suam in loco sancto, induetur-que vestimentis suis. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est, vt in sanctuario expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburetur igni, &cę.) Hæc superius exposita sunt, sed hoc loco (vt supradictum est) recapitulantur, videlicet idcirco, quia nõ alterius, sed eiusdẽ domini nostri Iesu Christi sanguine, qui vt sanctificaret per suũ sanguinem populum, extra portam passus est, reliquiæ Israel saluabuntur.

Hebr. 13.

Sententia legis de non comedendis morticinis, & cur Abraham vxorem habens sororem suam, contra legẽ hanc non fecerit dicentem, Iuxta consuetudinem Aegypti non facietis.

CAPVT XXXII.

DEhinc paucis interpositis, quæ & intellectu plana sunt, & iã diuersis locis expositа sunt, recapitulationem prosequitur, et quænam sint illa immunda, quorum ab esu vel cõtactu populum sanctum sancta lex absterreat, manifestiùs eloquitur. (Anima, inquit, quę comederit morticinum vel captum à bestia tam de indigenis quàm de aduenis, lauabit vestimenta sua & semetipsum aqua, & contaminatus erit vsque ad vesperum, & hoc ordine mundus fiet.) Hoc & superiùs dictũ fuerat: ac subinde, Hęc sunt, inquit, animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ, & hæc atque hæc inter immunda reputabitis. Nam si quæras, quæ sunt immũ-

CA. XVII.

Leuit. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVIII.

da quę Deus odit. (Iuxta consuetudinem inquit, terræ Aegypti in qua habitastis non facietis, & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis.) Ac deinceps: (Omnis homo ad proximã sanguinis sui non accedet.) Nam verè hæc animalia sunt immunda, animalia cadauerosa, quæ populus Dei comedere, id est, in sui consortium admittere non debet, scilicet omnes homines ista facientes, hæc immunda & irrationabilia perpetrantes, turpitudinẽ matris vel patris discooperientes, fororis ex patre, siue fororis ex matre ignominiam reuelantes. Quod si obijcias, ergo Abraham contra Dei placitum fecit, fororis suæ turpitudinem reuelando. Sara enim soror eius fuit filia patris eius, & non matris. Respõdebimus quia hoc iuxta consuetudinem gentium fecit, quam Deus hoc loco interdicit. De quibus cum educeret eum Deus, iam antea soror nupserat illi. Nec dum scripto legis, imò nec dum voce Dei præceptum acceperat hu

Gen. 1. iusmodi: Vbi autem præceptum non est, nec præuaricatio. Hæc, inquam, facientes homines, & quomodocunque sanguineam turpidinem discooperientes, mulieris menstruatę fœditatem reuelantes, cum vxore proximi coeuntes, de semine suo dantes idolo Moloch, & per ignem illi transferentes, hi & cæteri operarij iniquitatis coinquinati & immũdi sunt, quibus nihil est mundum. Hęc enim

Matth. 15. de homine exeunt, & iuxta Euangelicam veritatem coinquinant hominem: nam quod intrat in os, inquit, non coinquinat hominẽ. Et in his nullam impendimus moram quærendo mysteriorum profunditatem, quoniam in superficie manifestam habent iustitiæ rationem, transgressoribus reatum perẽnem, auditoribus imò factoribus suis magnã parantia conscientiæ requiem.

De tribus solennitatibus anni, quis sit mensis azymorum, quis primitiuorum, quis congregatarum frugũ.

CAP. XXXIII.

CAPVT XXIII.

LOcutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Hæ sunt feriæ domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mensẽ primo, quartadecima die mensis ad vesperum phase domini est, & quintadecima die mensis huius solennitas azymorum domini est, &c.) Trium solennitatum continuata ratio planius hic

Exod. 23. ordinata est, de quibus in Exodo dominus: Tribus, inquit, vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis, solennitatem azymorum, solennitatem mensis primitiuorum, solennitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. De solennitate azymorum nunc dicit: Quartadecima die mensis primi ad vesperum phase domini est, siue pascha, id est, transitus. De solennitate mensis primitiuorum. (Cùm, inquit, ingressi fueritis terram, quã ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestrę ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram domino, vt acceptabilis sit vobis altero die sabbati, & sanctificabit illum.) Ac deinceps: (Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadę septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum domino, &cæ.) Hæc solennitas mensis primitiuorum, qui mensis apud Hebræos Theseri, apud Romanos autem Iunius dicitur: hæc, inquam, solennitas, primitiuorum dicitur, & festiuitas hebdomadarum. Vocatur etiam Græcè Pentecostes, id est, quinquagesimus dies. De solennitate congregatarum frugum. (Mense, inquit, septimo, prima die mensis erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis, & vocabitur sanctum. Omne opus seruile non facietis in eo, & holocaustũ offeretis domino, &c.)

De eisdem solennitatibus, & de causis singularum.

CAPVT XXXIIII.

TRes istæ solennitates legales, causas habent notissimas, magnaque & præclara commemoratione digna testantur Dei beneficia. Solennitatis azymorum, solennitatis, Exod. 13. inquam, paschalis causa illa est, quia in manu, inquit, forti eduxit nos dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito hominis vsque ad primogenitum iumentorum. Solennitas primitiuorum siue hebdomadarum, causa hæc est, quia mense tertio egressionis de terra Aegypti, pepigit dominus fœdus cum filijs Israel, & legem dedit in tabulis scriptam digito Dei. Pactio fœderis non tertio, vt pleriq; negligenter legentes, sed quarto die mensis tertij, qui est quinquagesimus à quartadecima luna vel die mensis primi, sic acta est. Tulit Moyses dimidiam par- Exod. 24.
tem sanguinis, & misit in populo, partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo. Sumptum quoq; sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quòd pepigit dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his. Solennitatis mensis septimi, quæ dicitur festiuitas tabernaculorũ, ea causa est, quia à die egressionis eorum de Num. 14.
terra Aegypti, per quadraginta annos in tabernaculis habitauerunt, tandemq; consumpta generatione illa, quia murmurauerũt cõtra dominum, filij eorum terram repromissionis ingressi sunt. Causa hæc partim tristitiæ, partim lætitiæ est. Tristitiæ, quia corpora patrum in deserto prostrata sunt. Lætitiæ, quia filij ipsorum terram (vt prædictum est) ingressi sunt. Proinde celebritas hæc in re-

in recordationem vtriusque rei prius cũ tristitia, postmodũ cum lætitia peragi iussa est. Ait enim: (Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus. Affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum domino. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populis suis.) Hoc pro recordatiõe malorum, quia sicut prædictum est, corpora patrum per quadraginta annos in deserto prostrata sunt, eo quòd detraxissent terrę, quam inspexerant exploratores apud filios Israel, dicentes: Terra quam lustrauimus, deuorat

Zacha. 8. habitatores suos, &cæ. Hoc est, ieiunium septimi, & ieiunium quinti, & ieiuniũ decimi, erit domui Iuda in gaudium & lętitiam, & in solennitates præclaras. In gaudium & lætitiam, ait, videlicet post afflictionem. Vndè & hic postmodum dicit: (A quintodecimo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias domini septem diebus. Die primo & die octauo erit sabbatum, id est, requies, sumetisque vobis die primo fructũ arboris pulcherrimę, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram domino Deo vestro.) Videlicet, quia post culpam murmuris, vel detractionis, qua patres eorum terrę detraxerunt, & pro qua corpora illorum in deserto prostrata sunt, gaudium successit filiorum qui terram introierunt, idcirco solẽnitatis huius prima celebritas est ieiunium, vltima lætitia vel gaudium. Vtriusque rei scilicet afflictionis agendæ, vno, id est, decimo die, & gaudij septem diebus, à quintodecimo die celebrandi præconium est: Prima dies mẽsis sabbatũ, id est, festum memoriale, & sanctum est clangentibus tubis, scilicet, vt audientes clangorem tubarum sint ad festa ventura parati, & eodem die feriati. (Nam omne opus, inquit, seruile non facietis in eo, & offeretis holocaustum domino.

Quòd harum optimam magisq; diuinam causam habeat solennitas hebdomadarũ, quæ Græcè dicitur πεντηκοστή, & quòd septem hebdomadas altera die sabbatũ lex numerari iusserit.

CAPVT XXXV.

HArum solennitatum trium, optimam magisque diuinam habet causam festiuitas hebdomadarũ, quæ (vt supra dictũ est) Græcè dicitur Pentecostes. Nam magna quidem beneficia Dei fuerunt, quòd à Pharaonis dominatione liberauit Deus populum illum, quòd introduxit illum in terram, pro qua iurauit patribus eorum: sed maximum atque optimum fuit, quòd supradicto modo pepigit cum eo fœdus, vt esset Deus ipsorũ. Nam illa bona quidem, sed transitoria fuerunt hoc bonum & optimum est, quia sempiternum. Vndè pulcherrimè atque sanctissimè legis sanctæ auctoritate prouisum est, vt hæc solennitas anno, quo Saluator passus est, in illam diem occurreret, quæ ex Euangelio Christi, propter eiusdem resurrectionem, & propter sancti spiritus aduentum melius ac dulcius fulget. Ait enim: (Qui eleuabit fasciculum coram domino, vt acceptabilis sit pro vobis, altero die sabbati & sanctificabit illum.) Ac deinceps: (Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum domino.) Quæna fuit altera dies sabbati, nisi dies post sabbatum, dies dominica, qua Christus resurrexit? Dum ergo non à vespera quartæ decimæ lunæ paschalis, non ab ipsa immolatione agni, sed ab altera die sabbati, quotocunq; loco infra paschæ dies occurrerit quinquaginta dies incipiunt numerari, profectò liquet, quia dies pentecostes Iudæorum in dominicam tũc erupit. Quinquagenarius quippe numerus à qua incipit in eandem feriam semper concluditur. Ita fit, vt nos atque Iudei sępiùs eadem die sanctum pentecosten celebremus eo quod nequaquam eodem die quo illi agnum suum iugulant, sed quo fasciculum coram domino de manipulis spicarum primitias messis offerunt, nos quoque paschale sacrificium offeramus. Hoc verè sanctum, hoc verè magnum mysterium est. Nũquid enim *Fasciculus noster Christus.* de insensibili spicarũ fasciculo cura est Deo? An non potius propter istum fasciculum nostrum, hęc fieri iussit, de quo in Canticis spõsa dicit: Fasciculus Myrrhę dilectus meus mihi, subiungẽs protinus: Botrus cypri dilectus meus mihi. Qui enim fasciculus myrrhæ, propter passionis amaritudinem, ipse idem Botrus cypri dicitur propter resurrectionis dulcedinem. An non, inquam, in prouidentia resurrectiõis huius fasciculi, qui resurrecturus erat altera die sabbati, illũ talẽ fasciculũ iussit hæc sancta & mystica lex eleuari corã dño altera die sabbati? Itaq; causa præsẽs est, cur dies quo spiritus sanctus Apost. missus est, is ipse Iudæis cõpletio pentecostes est, cùm secundum terminos illius anni, dies idem à vesper tina immolatione agni iam quinquagesimus tertius extiterit. Vndè meritò laudanda studiosa sanctæ ecclesiæ fides, vel industria, quę hoc præfiniuit, vt quacunque feriarum, sanguinei Iudæi, suum trucident agnum vel hœdum, expectetur altera sabbati. quo illi secũdum legem primitias messis eleuare consue- *Psal. 138.*
uerunt, id est, spicarum fasciculum, & tunc demum nostrum vitalem eleuemus fasciculum, dicentem: Exurrexi & adhuc sum tecũ. Igitur solennitatum trium, maximam magisque cælestem habet causam festiuitas hebdomadarum, & idcirco magis placet, ac delectat nos, quod dominica dies earum principium ac finis est, vt Christianæ lætitiæ diem vtrobique Iudæi celebrauerint etiam inuidentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eadem altera sabbati, et quomodo Iudæi, vel quare festiuitates à die in diem transponere soliti sunt.

CAPVT XXXVI.

VT Iosephus quoque in libro Antiquitatum scribit: Altera sabbati luna decima sexta debet intelligi, quia videlicet decimaquinta cum sit sancta atque solennis, sabbatum generali nomine dicitur, eo quod non liceat in illo die quippiam operari. Sed constat profectò, quòd anno dominicæ passionis cũ secundum Euangelium, quinta feria, decimaquarta luna euenisset, decimasexta luna sabbatum fuit. Num ergo vna eademq; dies, & propter se sabbatum, & propter præcedentem diem paschæ, altera fuit sabbati? Hic iam antiquam Iudæorum consuetudinem nosse operæpretium est, quę huiusmodi est: Mos illis est, vt vbicunque vitare præualent, nunquam duo sabbata, id est, duos dies festos, quibus operari non liceat continuent. Multa enim, aiunt, nobis importuna fierent, atq; incommoda: verbi gratia, in curandis funeribus, quæ interdum à prima vespera prioris sabbati seruata, in quartũ diem fœtoris molestiam generarent, idcirco vbi quinta feria paschalis terminus, id est, decimaquarta luna euenisset, agnum quidem eadẽ nocte comedebant, sed sequentis diei solennitatem relinquebant in sabbatum transferendam. Hoc præscito nemo miratur, cur quando dominus passus est, cum pręterita vespera Iudæi agnum comedissent, quem & ipse dominus cum discipulis manducauerat, Iudæis tamen iudicia habere vacauerit, cum esset luna decimaquinta, quæ dies ex lege sancta esse debuerat atque solennis. Claret igitur, quia nihil omninò repugnat, quoniam (sicut iam dictũ est) ea die qua Christus resurrexit, Iudæi suum spicarum fasciculum leuauerunt, atque exinde, quinquaginta dies computando, die qua spiritus sanctus datus est Apostolis, cõpletum, & ipsi suam pentecosten celebrauerint. Hic est ille agnus, de quo nunc mysticè dicitur. Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cędetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum dñi. In holocaustũ, inquã, domini, & nõ in esum sicut in vespera paschali. Et enim in illa quidẽ specie, qua seipsũ dedit măducandũ apostolis suis, agnus Dei in vespera paschali, in illa, inquam, specie panis & vini, ita sacrificamus, vt & măducemus eundem agnum Dei: in illa verò specie, qua resurrexit altera sabbati, nequaquam illum comedimus, sed adolemus in holocaustum domini, vt totus integer atque incolumis sedeat à dextris Dei. Sunt & aliæ Iudæis transpositiones eiusdem diei festi, quas licet ex abundanti sit scribere, non tamẽ prætermimus, sicut accepimus ab illis. Non solum enim sexta feria, sed & secunda & quarta dominica quoq;, diem paschæ celebrare fugiunt. Nam si secunda feria pascha celebrarent, dies propitiationis, id est, decimus dies mensis septimi, qui à die paschæ centesimus septuagesimustertius est, in sextam feriam illis eueniret, quo nihil omninò illis operari licet. Si quarta feria pascha celebrarent, dominicam diem propitiationis haberent, & vtrobique duo sabbata, id est, duos dies festos continuos habentes, prædictis incommodis laborarent. Veruntamen horum omnium quæ dicta sunt, si ab eis authenticam quæras rationem, nullam omninò de scripturis proferre possunt, fatenturque has traditiones non Dei esse aut Moysi, sed magistrorum suorum scribarum & pharisæorum. Cæterùm nunc infelices qualiter agant non curandum est, quippe qui nec locum, nec oblationem habentes, legem vt ipsi fatentur non obseruant, nec ab altero die sabbati, sed ab ipsa vespera paschali suos quinquaginta dies computant.

Quòd nostra azymorum festiuitas Christus sit, et nostra pentecostes aduentus spiritus sancti, & nostra congregatarum frugum lætissima festiuitas, Natalis domini.

CAPVT XXXVII.

PORrò nobis trium solennitatum anni nostri totæ spirituales, totæ sunt causæ cælestes. Nam pascha nostrum immolatus est Christus, quo non à Pharaone homine, sed à Pharaone diabolo æterna liberatione liberati sumus. Nostra pentecostes, id est, quinquaginta dierum festiuitas, aduentus est spiritus sancti, quo cum nobis gentibus fœdus gratiosum pepigit Deus, linguas omnium gentium tribuens Apostolis, vt esset, vndè vel quomodo gratiam istam audiremus. Nostra festiuitas de congregatis fructibus terræ, in exitu anni est nostra festiuitas, Natiuitas scilicet Iesu Christi filij Dei, in qua verè fructus terræ nostræ congregamus: terræ, inquam, nostræ, terræ virgineæ, de qua promittẽtem audiuimus spiritum sanctum. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Hoc planè mirabiliter delectari possumus, quòd secundum Romanorum computationem, tunc anni exitum habemus, quando prędictæ terræ nostræ fructum suscipimus, quando de virgine natum, Deum & hominem, corde & ore, manibusq; baiulamus. Sed & secundum Græcorum obseruationem itidem tunc anni exitus est, quãdo de Natiuitate Christi, omni populo gaudium & lætitia est. Cæterùm quod in Exodo dicit, hæc sacra lex, vt iam dictum est. Solennitatem quoque in exitu anni, quando cõgregaueris omnes fruges tuas de agro, custodies, & hic, id est, in Leuitico mense septimo id agendum esse censet, hoc non nisi secundum annum Aegyptiorum, à quibus tunc illi profecti fuerant, stare potest: quia videlicet non Hebręis, sed Aegyptijs circa septembrem, quæ apud illos dicitur, Thot, exitus vel initium anni est. Gentium ergo, id est, Ro-

Psalm.84.

Exod.23.

est, Romanorum ac Græcorum cõputistas hoc maximè delectet, quòd in exitu anni i-
CA.XXV. psorũ Christus natus est, in quo terræ nostrę fructus cõgregauimus, in quo & scripturarum sanctarum veritatem impletam accipimus: Audiamus igitur, quod dicitur: (Sumetisque vobis die primo, fructus arboris pulcherrimæ, spatulasq; palmarũ, & ramos lingni densarum frõdium, & salices de torrente,
Gen.49. & lætabimini coram Dño Deo vestro.) Lætabimini (inquit) Hoc planè nos gentes facimus in prædicto nostri anni exitu, tanto tripudio virginei vẽtris excipiẽtes fructum, vt manifestè sic quoq; verum cõprobemus oraculum, quo dictum est: Et ipse erit expe-
Luce 2. ctatio gentium. Quæ vnquam nox in tota multitudine noctium annuarum, tãtam meruit lætitiam vniuersorũ ordinum vtriusq; sexus, senum, iuuenum, adolescentium, puerorum, atque puellarum? Annũtio vobis, inquit, angelus, gaudium măgnum, q̃ erit omni populo. Et verũ dixit, nam ita est, etiam in in isto flebili & miserò mundo. Præcipuè intus spiritualis religio, secundum sacrosanctã Romanæ ecclesiæ institutionem lætatur in illo die, imò in illa nocte, corã domino deo suo, sumens fructus arboris pulcherrimæ, id est, refectionem bis in illa nocte proponens sanctæ eucharistiæ. Quid enim? Nonne corpus & sanguis filij dei, quę munera bis offerimus vel accipimus in illa nocte fructus sunt arboris pulcherrimæ. i. virginis intemeratæ. (Sumetis, ait, & spatulas palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente.) Mirum si non ex loco isto verè inquisitor lætitiæ cõmonitus fuit, qui sic officia præfatæ solennitatis instituit, vt natiuitatem Christi filij Dei præ omnibus subsequeretur Stephanus protomartyr, qui eius gloriæ sempiternæ, primus martyr occurrit. Deinde Ioan. dilectus domini, tertio loco innocentium exercitus, quos funestus Herodes occidit. Nam & in illo, scilicet protomartyre victorioso, reuera spatulas palmarum ecclesia sancta sustollit, & in isto dilecto domini, quasi ramum ligni densarum frondiũ, videlicet quia densa & altissima scriptura, ab æterno incipiens principio, fidem rectã hic exornat ac defendit, in paruulis autem innocentib. quasi salices de torrente, quippe qui nihil operati, quemadmodum salices fructũ non habentes, subitò per solam gratiã ad viriditatem salierunt æternæ patriæ.

De anno septimo terræ sabbato, & de iubileo, id est, remissionis anno, & cur deus populo illi nihil aliud, sed tantum bona temporalia, si obtemperent, pollicetur: mala temporalia, si non obtemperent, comminetur.

CAPVT XXXVII.

CA.XXV. LOcutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Quãdo ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domini. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus eius. Septimo autem anno, sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignit humus, non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam. Ac deinceps: Numerabis quoq; tibi septem heddomadas annorum, id est, septies septem quæ simul faciunt annos quadraginta nouem. Et clanges buccina mense septimo decima die mensis.) An tequã terram diuidat populo suo Dominus in funiculo distributionis, legẽ eiusdem terræ præscribit, conditiones proponit, sub quibus filios Israel nõ terræ dominos, sed domini terræ. i. Dei sui colonos degere velit. (Sanctificabis, ait, annũ quinquagesimũ, & vocabis remissionẽ cũctis habitatorib terrę tuę. Ipse est enim iubileus.) Idcircò, inquit, vocabis remissionem, quia ipse est iubileus. Iubileus nanque dimittens vel remittens interpretatur. Quare vocabis remissionẽ, & quare annus ipse est iubileus? Ait: (Reuertetur homo ad possessionem suã, & vnusquisq; rediet ad familiã pristinã, quia iubileus est, & quinquagesimus annus. Non seretis neq; metetis sponte in agro nascẽtia, & primitias vindemiæ nõ colligetis.) Reuertetur, inquit, homo ad possessionẽ suam, subauditur, si necessitate compulsus vendiderit eam. Quo iure? Ait paulò inferius. (Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis. Vnde cũcta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione venditur.) Reuertetur itaq; homo ad possessionem. Et vnusquisq;, ait, rediet ad familiã pristinam, subauditur, qui paupertate cõpulsus vendidit se. Hoc em inferius dicit: Si pauper
Galat.3. tate cõpulsus vendiderit se tibi frater tuus, vsq; ad annũ iubileũ operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem & ad possessionẽ patrum suorum.) Quo iure? Ait: (Mei enim serui sunt, & ego eduxi eos de terra Aegypti.) Et iterum. (Mei enim sunt serui filij Israel, quos eduxi de terra Aegypti.) Pulchrè ius suum agnoscit Deus, vt lege clementiæ licitò vtatur. Sed quid magnum Domino Deo excelso, possessori cæli & terræ, maris, & omnium, quæ in eis sunt, quid, inquam, magnum aut q̃ glorioſum prædicare, aut præscribere sibi ius terræ modicæ, quam constat terræ Syriacæ sinum esse non valdè magnũ. Videlicet quia hi quib. loquitur, pueri sunt, paruuli sunt, amatores paruorũ, cupidi rerum exilium, auidi bonorũ terrestrium, vtpotè necdum cognitores bonorũ cælestium. Ergo quantulumcunque sit hoc bonum ante magni Dei conspectum, pro re, & pro tempore non dedignatur eius magnificare commodum, neq; curat quale vel quantum sit id, quod dat pater sapiens, dum modo pro illo munere sibimet attentum,

sibimet obnoxium faciat puerũ. Et hæc lex, magnus & sapiens pædagogus, sed paruum quidẽ est præmium q̃ pollicetur, vt bonum prouocet pueri ingenium, & parua est virga qua minatur, vt eiusdẽ deterreat lasciuiam. Quid enim pollicetur, quod cõminatur? Si, inquit, in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuias temporib. suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Ac deinceps: Comedetis vetustissima veterũ, & vetera nouis superuenientibus proijcietis. Hæc & his similia pollicetur, & de regno cælorum nusquã palam loquitur, quia videlicet populus ille puer erat, necdũ que inuisibilia siue cælestia sperare, siue amare nouerat. Deinde dicit: Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui cõficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Fruſtra seretis sementẽ, quæ ab hostib. deuorabitur. Itẽ: Emittam in vos bestias agri, quæ cõsumãt vos & pecora vestra, & ad paucitatẽ cuncta redigant, desertæ fiãt viæ vestræ. Ac deinceps. Cumq; cõfugeritis in vrbes, mittã pestilentiam in medium vestri, & trademini hostium manib. postquã cõfregero baculum panis vestri, ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini. Hæc & his similia cõminatur, & de gehenna ignis inextinguibilis, vbi erit fletus & stridor dentiũ, nusquam palã loquitur, quia videlicet (sicut iam dictũ est) populus ille puer erat, & mala inuisibilia timere non nouerat. Itaq; deus non pro sua magnitudine, sed pro seruili sensu, rem paruã quasi grandi versat molimine, daturus tamen & cum illis bonis exiguis, magna & æterna obedientib. præmia, & cũ illis malis transitorijs, sempiterna inobedientibus supplicia.

Leui. 26.

Quod nos eadem terræ sabbata, non carnaliter, sed spiritualiter debeamus obseruare.

CAPVT XXXIX.

CAEterùm nos in plenitudine tẽporis sumus, de qua vir magnus, vir perfectus loquitur Apostolus. Et nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruiẽtes. At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suũ, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt, redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus, &c. In hac plenitudine positi, non decet vt conuertamur iterũ ad infirma & egena elementa, videlicet vt nihil aliud arbitremur agi hic, nisi quod arida sonat litera, dicendo: Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineã tuã, colligesq; fructus eius, septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini, &c. Neque enim pro magno computare dignabuntur Romani, quod illi populo exiguum terræ sinũ Deus dedit, cùm & patres eorum pauci Aenea duce Latium occupare potuerunt, & ipsi deinceps orbem terræ maximis & crebris bellorum victorijs sibimet subiecerint. Itaq; & ipsi humana ratione possunt adduci, vt credant, quòd Deus maiestatis nunquam de illius terræ bonis, siue meliorum significatione, nunquã de illius terræ exiguæ incõmodis, siue malorum æternorũ inuisibilium figuratione verba facere dignatus sit. Igitur quoniam misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, abba pater, iam & hæc in spiritu contemplemur, vbi literam pro capacitate sensuum exercitatorem iure fastidimus.

Galat. 4.

Rom. 8.

Quæ sabbata nostra sint, & quæ terra nostra, de cuius sabbatis spiritui sancto cura sit.

CAPVT XL.

SEx, inquit, annis seres agrũ tuũ, septimo autem anno sabbatum erit requietionis domini.) Puta consiliatorem dixisse Apost. Hoc itaq; dico fratres, tempus breue est. Reliquum est vt qui habent vxores, tanquã nõ habentes sint, &c. Quę enim est terra nostra, de qua deo vel spiritui sancto sit cura, nisi caro nostra? Sex ergo, inquit, annis seres agrum tuum, id est, seminabis in carne tua, vsque ad sufficientem generationem filiorum. Senarius quippe numerus perfectus est, & hoc loco spiritualiter pulchrè sufficientem prolem significat, pro cuius sola spe coniugio vacandum est. Septimo anno sabbatum erit terræ requietionis Domini, id est, post susceptionem filiorum continentiæ studebis, & castitati operam dabis, cuius inhabitatione Deus iure debeat delectari. (Agrum non seres, & vineam non putabis.) Id est, spontaneos carnis motus non sequeris, sed habẽs agrum siue vineam, quasi non habens eris, id est, habens virum vel habens vxorem, quasi non habens eris, & hoc modo. (Quæ spontè gignit humus non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges, quasi vindemiam.) Id est, spontaneis, vt prædictum est, carnis motibus fruendo, luxuriã non exercebis, quasi rem iustam aut licitam. (Annus enim terræ requietionis est,) id est, tempus est, vt ab eiusmodi seruitute corruptionis vaces. (Sed erunt vobis, inquit, in cibum, tibi & seruo tuo, ancillæ & mercenario & aduenæ, qui peregrinantur apud te. Iumentis tuis & pecoribus omnia quæ nascuntur præbebunt cibum.) Sed mutabis, inquit, opera carnis opera corruptionis in opera spiritus, opera gloriæ & honoris, vt videant homines, quorum quasi seruorum siue ancillarum, quasi mercenariorum & aduenarum imperfectio vel fidei infirmior, immò & quasi iumentorum aut pecorum carnalis conuersatio bono indiget corroborari exemplo, videant, inquam, & glorificent patrem qui est in cælis, quodammodo refecti quasi cibis ex terra tua præbitis.

Matth. 5.

Quis noster sit iubileus, id est, dimittens annus.

CAPVT XLI.

Numera-

NVmerabis quoq; tibi vij. hebdomadas annorũ.) Id est, septem septies quæ simul faciunt annos XLIX. (Et clanges buccina mense septimo decima die mensis propitiationis tẽpore in vniuersa terra tua. Sanctificabisq; annum quinquagesimũ: Et vocabis remissionem cunctis habitatorib. terræ tuæ. Ipse est enim Iubileus.) Iubileus, vt supra dictum est, dimittens interpretatur. Quid aũt profecimus in schola huius sanctæ legis, in disciplina legis & euangelij, si nõ didicimus, dimittere debita fratrib. nostris, debita, inquã, id est, peccata debitorib. nostris. Siquidem Dns noster proposita parabola de homine rege, qui voluit rationẽ ponere cũ seruis suis, ita concluſit: Sic & pater meus faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordib. vestris. Dixerat enim illi Petrus, Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsq; septies? Non, inquit, dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies. Sanctificabis ergo, inquit, annũ iubileum. i. sancta & charitatiua remissione peccantẽ in te & pœnitentẽ suscipies fratrẽ tuum, peccãtem, inquã, non vsq; septies, qui numerus insolubilis est, neque enim per partes æquas diuidi potest, & insolubile peccatum impœnitentis significat, sed septem vicibus septies, qui numerus solubilis est, siue septuagies septies, qui numerus itẽ in partes æquas diuidi potest, significatq̃ue peccatũ q̃ solui potest: quia videlicet frater qui peccauit, cũ pœnitẽtiam agat, corrigibilis est. Hoc verè sanctum atq; pulcherrimum Iubilei festum est, euangelica clangente buccina concelebrandum, ita vt reuertatur homo in possessionẽ suam, & vnusquisq; redeat ad familiam pristinam, id est, vt omni discordia soluta, omnes habeant cor vnum & animam vnam, seruentq; vnitatem spiritus & integrum pacis vinculũ, canentes: Eccè quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

CA. XXV

Matth. 18.

Ephe. 4.

Psal. 132.

De eadem dimissione legitima secundum legem domorum redimendarum, aliam quidem earum quæ in vrbibus muratis, atque aliam earum quæ in agris siue in villis sunt, & de Leuitarum ædibus.

CAPVT XLII.

SEd debet ipsa remissionis cauta esse festinitas. Sunt enim pleriq; (quod valdè absurdũ est) faciles ad remittendã iniuriã Dei, difficiles & tardi ad donandã iniuriam suã. Nimirum hoc potius benè constituti & benè eruditi animi est, q̃ facilis sit ac promptus ad remittendam iniuriam sui, tardior aũt ad donandã iniuriam Dei. Subsequitur ergo discretus ac prouidus legis spiritus, & dicit: (Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiã redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eã, & posteri eius in perpetuum: & redimi non poterit etiam in iubileo. Si autem in villa fuerit domus quæ muros non habet, agrorum iure vendetur. Si autem redempta non fuerit, in iubileo reuertetur ad dominum. Domorum venditio, mentium abalienatio est. Quoties enim quisq; peccati captus dulcedine, semetipsum perdit, profectò domũ valdè necessariã pro nihilo vendit. Vnde per prophetã dominus dicit, gratis venundati estis. Ipsę autem domus aliæ intra muros vrbis venditæ cõsistunt, aliæ in villa sunt: quia videlicet est quando in deũ, est quando quis in proximum peccet. Et quidem vtrunque pertinet ad Deum, sed in redẽptione differt plurimum. Vnde ad filios suos dicit Heli: Si peccauerit vir in virũ, placari ei potest Deus. Si autem in deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Qui igitur vendiderit, inquit, domũ intra vrbis muros habebit licentiam redimẽdi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in iubileo. Quod est dicere. Qui nominatur fornicator aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, qui, inquam, talis existens vel quippiam huiusmodi faciens, etiam defendere voluerit opera sua, quandiu quidem superest illi vitæ tempus, potest & licẽtiam habet, pœnitendo & emendando peccatum suum redimere, & ab ecclesia solui, si vult. Si autem non pœnituerit, & impœnitentem compræhenderit vitæ terminus, emptor diabolus possidebit animã eius, & quia non est deploratum in isto, nec remittetur peccatum eius in futuro seculo. Si autem in villa fuerit domus quæ muros non habet, id est, si in proximum admissum fuerit peccatum, quod muro defensionis roboratum nõ est, agrorum iure vendetur, id est, veniali cõditione tenebitur. Nam si ante, inquit, redempta non fuerit, in iubileo reuertetur ad Dominum, id est, etiam si ante finem vitæ non condigna satisfactione cõpensatum fuerit, is in quem peccauit proximus, non solũ licitò, verũ etiam laudabiliter orabit pro eo, vt remittatur ei peccatum. (Aedes Leuitarum quæ in vrbibus sunt semper possunt redimi. Si redemptæ non fuerint, in iubileo reuertẽtur ad dominos, & cætera. Is venditor domus suæ, intra muros vrbis cõstitutæ, Leuita est, qui quamuis in Deum peccauerit, eumq̃ue superbè contempserit, non tamen tamdiu in peccato permanet, donec eum inuitum fœtor suus publicet, sed aspirante deo compunctus, peccati sui causam adhuc in anima sua latentem, spirituali seniori per semetipsum patefacere studet, præoccupans faciem Domini in confessione, quod vtique legitimum est quasi ordinis Leuitici. i. boni ac sancti, positi. Eiusmodi, inquit, ædes Leuiticæ semper redimi possunt: & si redemptæ non fuerint, in iubileo reuertẽtur ad dominos, quia videlicet talium culpæ & si in præsenti seculo non satis dignis pœnitentiæ fructibus

Matth. 12.

redemptæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 3. redemptæ fuerint, saltem in futuro veniã nõ carebunt, sic tamen quasi per ignẽ purgatorium. Origenes de eo q̃ hic dictũ est, si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eã in perpetuũ, & redimi non poterit, nescio quid volẽs, semel tantũ, inquit, in ecclesia est pœnitẽtiæ locus. Verũ quomodocunq; ille dixerit, ille magis sensus eligendus est, qui neq; sapientiũ auctoritatẽ, nec simplicium fidem lædit.

De eo quod ait: Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, quàm sapienter oporteat humilem pœnitemium cõfessionem attendere.

CAPVT XLIII.

OPortet hic confessionis susceptorẽ doctum esse lege diuina, cautumq; discretione præcipua, vt sciat qua mẽsura, qua moderatione redemptionum singularum taxet pretia. i. qualia quibusq; pro modo culparũ, vel pro possibilitate cõfitentium, pœnitẽtiæ imponet onera. Dicit ergo adhuc lex sancta, lex iusta & bona. (Si paupertate cõpulsus vẽdiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorũ, sed quasi mercenarius aut colonus erit. Vsq; ad annum iubileũ operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem & ad possessionem patrum suorũ. Mei em̃ serui sunt, & ego eduxi eos de terra Aegypti.) Si, inquit, paupertate. i. spiritu timoris compulsus, vendiderit se tibi frater tuus, q̃ videlicet facit, quãdo pro reatu timens, & cõpunctus semetipsum iudicio dei per ministrum dei subijcit, vt veniã salutemq; mercetur, facturus pro redemptiõe animæ suæ quicquid à te fuerit iussus. Vt quid enim se tibi subijcit, nisi quia paupertas eum cõpellit, illa, inquã, paupertas, in qua ponit dñs beatitudinis principium, dicẽdo: Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cælorũ? Nisi enim hęc illũ angeret, qui forsitan natalibus, sensu quoq;, aut etiã curiæ fascibus te potior est, nunquã consilium salutis suæ à te cũ pœna pudoris sui mendicaret. Nõ ergo, inquit, eum opprimes seruitute famulorum, videlicet de tua confisus iustitia, tanquã tu ipse misericordia Dei non indigeas, quemadmodũ Pharisæus ille, qui peccatricem mulierẽ secus pedes domini flentem videns, arenti cor de fontẽ misericordiæ repræhendebat. Hic, inquit, si esset propheta, sciret quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Vtiq; tali si mulier hæc eadem paupertate compulsa, semeti psam vendidisset, non eã paterna pietate susc episset, sed seruitute famulorũ oppressisset, imò & q̃ peius est, calcibus fortè repulisset. Sed quasi mercenarius, inquit, & colonus erit. i. veniam peccatorũ, pro qua seruit, per tuum ministerium impetrabit, tecumq; in gratia vel iustitia, qua dilatus es, sine angustia receptus habitabit. Vsque ad annum iubileũ operabitur apud te. i. vsq; ad remissionẽ sperãdã indictos sibimet abs te faciet fructus dignos pœnitentiæ, & postea reuertetur ad cognationẽ & possessionem patrum suorum, scilicet recipiendo pristinæ dignitatis vel officij gradum. Nõ enim peccata, quæ tali modo prodita sunt, honore vel gradu proprio priuant auctorẽ suum, cũ & Dauid dicat: Docebo iniquos vias tuas, q̃ vtiq; grande crimen admiserat. Mei enim, inquit, sunt serui, & ego eduxi eos de terra Aegypti. Ac si dicat: Idcircò non opprimes vt prædictum est, quia non tibi se subiecit, sed mihi: non tuo, sed meo timore confessus est, quod fecit, & ego inspiratione occulta vocaui illum de peccatorum suorum tenebris, vt veniret ad lucẽ consilij tui. (Non veneant cõditione seruorum, nec affliges eum per potẽtiam, sed metuito deum tuum.) Ac si dicat: Non agetur cum his qui eiusmodi sunt, sicut cum his qui in seruili nequitia perseuerantes depræhensi, vel à iudicib. conuicti sunt, sed metuito, inquit, deum tuũ, videlicet considerans ne & tu ipse tẽteris. Nã qui se existimat stare, videat, inquit, ne cadat. Metuito, inquã deum tuum, & temetipsum in alterius calamitate desle, quia fortasse in similibus aut lapsus es, aut labi potes, si nõ lapsus es. (Seruus & ancilla sit vobis de nationib. quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos.) Illos, ait, in fortitudine & terrore opprimite, quos arguit seruilis cõditio morum, qui nisi quasi cum armis quęsiti fuissent, ad modũ belli, quo de nationibus, quę incircuitu sũt, laboriosa victoria fit & capiũtur, qui hostes vel rebelles fuerunt, nunquã prodidissent reatum suum. In illos, inquam, seuerius vindicate, qui non voluntaria confessione peccatum suum prodiderunt, sed per alios est cognitum.

Luc. 7.

Rom. 11.

De eo qui in te, id est, te sciẽte peccauerit, qualiter veram circa illum disciplinã moderari debeas, secundũ quod ait: Si inualuerit apud te manus aduenæ & peregrini.

CAPVT XLIIII.

SI inualuerit apud vos manꝰ aduenæ atq; peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum, &c.) In omnem partem periculi lex spiritualis magnam clementiæ manum porrigit. Quid enim, si neque ipse peccator delictum suum prodidit, neque publicè per aliũ cognitus, sed tu solus nosti? Nunquid statim diuulgabis? Non vtique: Sed vade, inquit, Dominus, & corripe eum in te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si ergo, inquit, inualuerit apud vos manus aduenæ atq; peregrini. Peregrinus iste diabolus est, qui tunc apud nos inualescit, quãdo in his, qui nostri sunt, incrassatur pars eius (vt ait Abacuc) & cibus eius electus. Nã de hoc peregrino ad Dauid à Domino missus Nathan loquitur: Duo viri

Matth. 12.

Abac. 1.

Duo viri erant in ciuite vna, vnus diues, & alter pauper. Ac deinceps. Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus & bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouẽ viri pauperis, &c. Peregrinus ergo, & ab omni ciuitate Dei profugus, imò & refuga, diabolus est, quem superuenientẽ Dauid eo tempore excepit, & quasi grandi conuiuio nebulonem pauit, quando vxorẽ Vriæ adulterauit, ipsumq; gladio filiorum Amon interfecit. Si igitur, inquit, inualuerit apud vos manus aduenæ atq; peregrini. i. diaboli, & attenuatus. i. tentatione superatus frater tuus vẽdiderit se ei, videlicet quomodo Dauid semetipsum vendidit, post venditionem potest redimi, nec enim debet post peccatum pœnitentia denegari. Qui voluerit ex fratribus suis redimet eum, videlicet corripiendo inter se & ipsum solum, & ita lucrando eũ, faciendo etiam quod Apost. ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. (Sin aũt & ipse potuerit, redimet se) præueniendo scilicet omnem correptionem spõtanea confessione, vt supra dictum est. Redimet se, ait: (Supputatis duntaxat annis à tempore vẽditionis vsq; in annum iubileũ, & pecunia qua venditus fuerat iuxta annorũ numerũ, & ratiõe mercenarij supputata. Si plures fuerint anni q̃ remanẽt, vsq; ad iubileũ, secũdũ hos reddet & pretiũ, &c.) Supputare annos à tempore vẽditionis vsq; ad annũ iubileũ, pecuniãq; iuxta annorũ numerũ, id planè est, pura ac syncera confessione aperire, rarius an crebrius peccatũ sit iteratũ, & secundum peccati frequentationẽ susc ipere pœnitentię pensum: Neq; enim, si (verbi gratia) adolescẽs semel & fortuito casu cum virgine peccauit, aut semel furtum fecit, eadẽ pœnitẽtiæ quantitate plectendus est, qua & ille, qui sæpius peccatum ipsum incidit.

2. Reg. 12.

Galat. 6.

De bonis quæ promittit deus, deq; malis quæ cõminatur quasi carnalibus, quomodo à nobis spiritualiter recte intelligantur.

CAPVT XLV.

CAPVT XXVI. EGo Dñs deus vester: Non facietis vobis idolũ, &c.) Cõfirmaturus præcepta mox q̃ digna promissurus præmia, summã auctoritatẽ præmittit Deus & Dñs maiestatis. Quæ aũt promittat bona vel quę cõminetur mala, spiritualis homo nõ minus in spiritu videt, quã in litera. Neq; enim expositione indiget, quas nobis mandata sua custodientib. det pluuias tẽporibus suis, quæ terra gignat germen, quæ pomis suis arbores repleantur, quæ messiũ tritura, quę vindemia, quæ semẽtis succedat, quẽ panẽ comedamus in saturitatẽ, quã pacem habeamus in finib. nostris, q̃ sint malæ bestiæ quas deꝰ auferat, & quis sit gladius q̃ terminos nostros nõ transeat, quæ comedamus vetustissima veterũ, & quę vetera quibus nouis superueniẽtibus proijcia-

CAPVT XXVII. mus. Clarũ quippe nobis est, quia pluuiæ nostræ cęlestes doctrinę sunt, terra nostra ecclesia, arbores singuli homines, messis vel vindemia cõmunia iustitiæ opera, panis noster viuus panis, qui de cælo descendit, & pax nostra Christus est, malę bestię maligni spiritus gladius æterna dãnatio, vetustissima comedenda antiquissima decalogi præcepta, auxilio dei benè implenda, vetera nouis superuenientib. proijciẽda, cæremonię veteres in spiritu custodiendæ, vetustate literę contẽpta. Hæc em̃ omnia diuinitatis ope nobis benè p̃ueniunt, propter præcedẽtis fidei meritum. Econtrariò quę mala cõminatur non audiẽtibus mandata sua dñs deus, plana sunt intellectui, tam in litera, quã in spiritu. Visitabo vos (inquiens) velociter in egestate & ardore, &c. Et quidẽ spiritualia magis quã carnalia, æterna potius quã trãsitoria mala metuẽda sunt, & æterna magis quã transitoria bona diligenda sunt: veruntamen & pro tẽporalibus bonis deo supplicare, & contra mala temporalia eius opem flagitare, nulla nos scriptura vetat.

De eo q̃ ait: Homo qui votum fecerit, &c. & q̃ grauissimum sit, non reddidisse quod voueris.

CAPVT XLVI.

CAPVT XXVII. HOmo q̃ votũ fecerit & vouerit & spoponderit deo animã suã, sub æstimatione dabit pretiũ. Si fuerit masculus, à XX. anno vsq; ad LX. annum dabit quinquaginta siclos argenti, ad mensurã sanctuarij. Si mulier, triginta. A V. autẽ anno vsq; ad XX. masculus viginti siclos, fœmina decẽ.) Et cætera. Notandũ inprimis, votũ ex præcepto nõ esse, quãuis dicat Psalmus: Vouete & reddite. Nempe q̃ dicit vouete, non ex auctoritate iubentis, sed ex animo est cõsulẽtis, quod autem addit, & reddite, iã ex auctoritate imperantis est. Etenim vt voueat, aut non voueat quis, in potestate habet, postq; autẽ vouerit, iã ex necessitate reddit, quia debet. Deinde sciendũ, quia non satis deo charus est, imò deo indignus est, qui rem suã illi quidem offert, seipsum aũt sibi retinet. Nam si rectè quidẽ obtulit, quia cui debuit deo obtulit: sed non rectè diuisit, quia quod erat melius, Deo negauit, quòd vilius, dedit. Vnde & assimilatur Cain, qui Deo quidem fruges terræ obtulit, sed cor in malo detinuit. Igitur & lex Domini sancta votũ animę proponit, deinde & votum rei possessæ subiungit, dũ dicit, Homo qui votum fecerit & vouerit & spopõderit animã suã, &c. Ac deinceps: (Animal, inquit, q̃ immolari potest domino, si quis vouerit, sanctum erit, & mutari non poterit.) Et reliqua. Per periphrasim. i. per circumlocutionem trinamq; non verbi, sed sensus eiusdẽ repetitionem, dicendo: qui votum fecerit & vouerit & spoponderit, voti tenorem, quantus esse debeat, intimare cõtendit. Et reuera non solũ in austeritate legis, sed & in dulcedine euangelij grauissimum & valdè peri-

Psal. 75.

Gen. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dè periculosum est, non reddidisse quodcunque voueris. Nam in Actibus Apostolorum Petro dicente: Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? &c. audiens Ananias hęc verba, cecidit & exspirauit. Veruntamē hāc voti occidentem literam, ecclesia in euangelio Christi detrimentum facit, atque abijcit, quod videlicet carnali populo permissum est, sic vouere animam suam, vt nō redemisse, reatus esset, votum persoluisse, sacrilegiū esset. Eo modo potius homo Christianus animam suam voueat, quò cùm vouerit, redimere non liceat, & si non vouerit, fine dubio perdat. Quomodo? Scilicet vt peccato moriatur, & iustitiæ viuat, vt mundo crucifixus sit, mortificando membra sua super terram, & sic odiendo animam suam, in vitam æternam custodiat eam. *Rom. 6.* *Colloss. 3.* *Ioan. 12.*

COMMENTARIORVM IN LEVITICVM FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN NVMEROS, COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

De eo quod dictum est in Apocalypsi. Et cùm deuorassem librum, amaricatus est venter meus, & quòd hunc librum, Numeri legentibus, recte amaricatio timoris in eo sit, quòd numerati filij Israel prosternuntur.

CAPVT I.

Apoc. 10. APERTVM in Apocalypsi Ioannes librum accipit, vt deuoret illum de manu angeli fortis stantis supra mare, & super terram: qui dum prædicatores fortiores mittit ad fortiora, siue minores ad minora pericula, profectò pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem ponit super terram. Et accepi, inquit, librum, & deuorauī illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cùm deuorassem eū, amaricatus est venter meus. *Apoca. 5.* Liber iste, quem & hic angelus apertum habet in manu, & in alio loco signatum accipiens agnus soluit septē signacula eius, sancta scriptura est, quā in semetipso impleuit vnus idemque Christus, & angeli, id est, nunc ij nobis officio functus, & tanquam agnus pro peccatis nostris immolatus. Et hunc librum nos quoque cum Ioanne de manu angeli accipere ac deuorare ore licet exiguo nec satis firmo dente conati sumus, estq; in his quæ hactenus dicta sunt, in ore nostro tā quam mel dulce, sed iam nunc adest, vnde amaricetur vēter noster, vnde timore magno iure concutiatur interior sensus noster. Hic enim est liber Numeri, quo omnes filij Israel iubente Domino per generationes & familias ac domos suas, & nomina capitum singulorum à vicesimo anno & supra recensiti sunt, & tamen in terram repromissionis nō introierunt, sed eorum corpora in deserto prostrata sunt. Hoc est, vnde amaricetur vēter hominis spiritualis, quicunque librū præ dictum studiosè deuorauit. Quid enim amarius, quā quòd in hoc libro numerati, prosternuntur, & dinumeratio deinceps iteratur? *1. Cor. 10.* Testante quippe Apostolo, hæc in figura nostri facta, & ad correctionem nostram scripta sunt. Qua in figura nostri sunt facta, vel quid de nobis præfiguraverunt, nisi quia nos omnes secundum præsentem fidei professionē numerati sumus, quippe qui omnes in baptismo Christi nomina nostra dedimus, & tamen non omnes sic currimus, vt compræhendamus? Igitur cantantes quidē, *Psalm. 118* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine, super mel & fauū ori meo, de vocatione nostra gaudeamus, sed de incertitudine cursus aut compræhensionis nostræ timentes amaricemur secundum verum ac mysticum sensum præsentis libri, quem nunc ingredimur.

Nomina principum, tribuum, ac domorum, & interpretationes earum, & quod professionem significent in Christum credentium.

CAPVT II.

CAP. I. PRincipum, tribuum, ac domorum, in cognationibus suis, ista sunt nomina. (De tribu Rubē, Elizur filius Sedeur. De Simeō, Salamiel filius Surisadai. De Iuda, Naason filius Aminadab. De Isachar, Nathanael, filius Zuar. De Zabulon, Heliab filius Helō. Filiorum autem Ioseph. De Effraim, Elisama, filius Ammiud. De Manasse, Gamaliel filius Phadassur. De Beniamin, Abidan filius Gedeonis. De Dan, Abiezer filius Amisaddai. De Aser, Pheziel filius Ocran. De Gad, Eliasaph filius Duhel. De Nephthali, Aira filius Henan. Hi nobilissimi principes multitudinis.) Horum nomina ferè omnia secundum proprias interpretatiōes insignia sunt. Ruben quippe, videns filios interpretatur. Elizur, pater meus fortis. Sedeur, vberū lux. Simeon, audiens tristitiam. Salamiel, retribuens mihi Deus, vel pax mea Deus. Surisadai, continens vbera mea, vel fortis meus dominus. Iuda, confessio. Naason, serpentinus, vel augurium. Aminadab, populi mei spontaneus.

taneus. Isachar, merces. Nathanael, donum Dei. Zuar, pusillus. Zabulō, habitaculum fortitudinis. Heliab, Deus meus pater. Helon, exercitus fortitudo. Ioseph, augmentū. Effraim, frugifer siue crescens. Elisama, Deus meus audiuit. Ammiud, populus meus inclytus. Manasse, obliuio. Samaliel, retributio Dei. Phadassur, redemptio fortis. Beniamin, *CAP. II.* filius dexteræ, Abidan, pater meus iudex, Gedeon tentatio iniquitatis, vel circuiens vterū. Dan, iudicium aut iudicans. Ahiezer, frater meus adiutor. Amisaddai, populus meus sufficiēs. Aser, beatus. Pheziel, occurre mihi Deus. Gad, accinctus. Eliasaph, Deus meus congregauit. Duhel, agnoscant Deum. Nephthalim, dilatauit me. Aira, fratris mei amicꝰ. Henā, nubes. Hæc inquam, nomina, ferè omnia splendida sunt, & pulchram omnium nostrorum professionem significant, qui in præsen- *1. Cor. 10.* ti via currimus, qui mare baptismi oēs transiuimus, & omnes iam non in nube & in mari, sed in eo quod per nubem & mare significatum est, baptizati sumꝰ, qui omnes escam spiritualem mādducamus, & spiritualem potum bibimus de petra, quæ non iam in figura, sed in veritate est Christus. Sed in Apocalypsi *Apoc. 3.* dicit spiritus ecclesijs: Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eiꝰ. Cum de illo qui vicerit, dicit: Non delebo nomen eius, & confitebor nomen eius: profectò de opposito, id est, de illo qui non vicerit, subaudiri vult, quòd deleat nomen eius, quòd nō confiteatur nomen eius, quātumlibet in præsenti ecclesia pulchrè scriptum esse videatur, quantumuis altè inter Christianæ fidei professores recitetur. Nempè & isti principes nominatim, & omnes qui sub illis à vicesimo anno, & supra numerati sunt. (Quorum fuit numerus sexcenta tria millia virorum, quin genti quinquaginta ad bella procedere valētium.) Omnes, inquam, in deserto prostrati sunt, præter Iosue filiū Nun, & Caleph filium Iepphone. Ordinem quoq; exercituū consideremus, quoniam nec ipsum à figura nostri vacare credimus.

Apocal. 21. *De ordine exercituū vel positione castrorum, quòd illud significet, quod in Apocalypsi ciuitas ternarum dispositione portarum.*

CAPVT III.

CAP. II. METabuntur autem castra filij Israel, vnusquisque per turmas aut cuneos, atque exercitum suum. Porrò leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodijs tabernaculi testimonij.) Ac deinceps. (Ad orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus sui, eritq; princeps filiorum eius Naason, filius Aminadab, & omnis de stirpe eius summa pugnantium, septuaginta quatuor milia sexcenti.) In Canticis Canticorū sponsus dicit: Pulchra *Cant. 6.* es amica mea, suauis, & decora, sicut Hieru- *Cant. 1.* salem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Item: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Ergo non solum dulce ratione, sed & hac præeunte auctoritate, prædictum ordinem castrorum in figura dispositum fuisse credamus sanctæ ecclesiæ. Quid enim pulchrius, quid rationabilius, secundum viuificantem spiritum, tali castrorum ordine? Ad orientem tribus Israel tres, ad occidentem tribus tres, ad meridiem tribus tres, & ad aquilonem metabuntur castra tribus tres. Et in Apocalypsi de illa sancta ci- *Apocal. 21.* uitate Dei, quæ est ecclesia, quam hæc (vt prædictum est) ordinata significat castrorum acies, ita scriptum est: Et habebat murum magnum & altum, habens portas duodecim, & in portis angulos duodecim, & nomina scripta, quę sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres, & ab occidente portæ tres. Hinc egregius atque orthodoxus versificator ait:

Seu pueros sol primus agat, seu feruor ephœbos
Accendat nimius, seu consummabilis æui
Perficiat lux plena viros, siue algida boreæ
Aetas decrepitam vocet ad pia sacra senectā,
Occurrit trinum quadrina ad cōpita nomen.

Hoc igitur liquet, quia talis tribuum dispositio, plenitudinis gratiæ figura est, qua nunc ab omni gente & natione, ab omni sexu & ętate venientes, excipit sanctæ trinitatis vnica & apostolica fides. Sed & præterea notandū, quia Dan ad Aquilonis partem castra metatus est. Nam quia de stirpe eius (vt creditur) Antichristus venturus est, rectè ad Aquilo- *Hierem. 1.* nem sedet, qui in mala accipitur significatione, propheta dicente: Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. Et quidem Aser & Nephthalim, qui cum eo castrametati sunt, nominibus suis bona significant. Aser quippe beatus, Nephthalim latitudo, interpretatur, sed omnes videlicet Dan, Aser, & Nephthalim ex ancillis, omnes ex cō cubinis generati sunt. Cęterùm ad orientem, vndè sol oritur, Iudas, Isachar, & Zabulon, qui omnes ex Lya libera. Ad occidentem verò, vndè suaues & verni spirant zephyri, Effraim, Manasses, & Beniamin, qui omnes ex Rachael libera progeniti sunt, fixere tentoria. Porrò ad meridianam plagam, vndè clarior quidem diei facies, sed nimius interdum æstus feruet, Ruben, Gad, Simeon castrametati sunt, quorum vnus Gad de ancilla, cæteri de libera orti sunt.

Quid mysticè significet, quòd Leuitæ non sint numerati inter filios Israel.

CAPVT IIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LEuitę autem non sunt numerati inter filios Israel. Sic enim præcepit dominus Moysi.) Leuitæ in præsenti ecclesia Christi, hi sunt qui altari deseruiunt, qui sacris lionoribus functi sunt, qui altaris officia celebranda susceperunt. De istis sacri canones præcipiunt, vt à secularibus curis abstineant. Episcopus, inquiunt, aut presbyter, aut diacon⁹, nequaquā seculares curas assumat, verbi gratia: Negotia vel venationes exercendo, aut in bellum eundo. Sin aliter, deijciatur. Benè ergo Leuitæ precipiente domino non sunt numerati inter filios Israel, quia videlicet non sicut populū, sic sacerdotes aut ministros altaris esse decet. Inter eos scilicet Leuitas, Aarō sacerdos summus eminet, cuius primogenitus Nadab, deinde Abiu & Eleazar & Ithamar. Quorum Nadab spontaneus. Abiu pater meus est, siue pater meus ipse. Eleazar, Deus meus adiutor, siue Dei mei adiutoriū. Ithamar, vbi amarus, siue vbi palma interpretatur. His nominibus penè totus sacerdotalis ac Leuitici ordinis nostri status exprimitur. Nam plerique ex nobis ad altaris officia nimis spontanei sunt secundum nomen Nadab, & nimium in Deo gloriātur secundum nomen Abiu, qui laicū populū aspernantur, tanquā solis ipsis pater sit Deus. Cæterū qui sui gradus honore humiliter & dignè fungūtur, hi secundū nomē Eleazar rectè dicere possunt, Deus meus adiutor, vel Dei mei adiutoriū, quia videlicet quicquid ab eis dignè perfecteque agitur, à Deo fieri creditur: & secūdum nomen Ithamar hoc ab illis exigitur, vt per amaram castigationem corporis sui sic currant, vt brauium accipiant, ne fortè alijs prædicando, ipsi reprobi fiant. (Mortui (inquit) sunt Nadab & Abiu cum offerrent ignē alienum.) Videlicet in typum Iudeorum vel hæreticorum, quorum sacrificia mortua sūt.

b.Tim.1.

1.Cor.9.

De dispositione familiarum Leuitarum circa tabernaculum, & quòd ad orientem Moyses simul & Aaron sint castrametati.

CAPVT V.

CAP. III. LOcutus est dominus ad Moysen, dicens: Numera filios Leui per domos patrum suorum, & familias, omnem masculum ab vno mense, vt supra. Numerauit Moyses, vt præceperat dominus, & inuenti sunt filij Leui per nomina sua, Gerson, & Caath, & Merari. Filij Gerson, Lebni & Semei. Filij Caath, Amram & Iesuar, Hebron, & Oziel. Filij Merari, Mooli & Musi, &c.) Et horum sacra mysteria pulchra vel speciosa signant vocabula. Leui namq; additus siue assumptus interpretatur. Gerson, aduena: Caath, patientia: Merari, amaritudines: Lebni, filio meo: Semei, audi, vel auditio mea: Amram, populus excelsus: Iesuar est meridies siue meridianus: Hebron, participatio fortitudinis vel augmētum sempiternū: Oziel, fortitudo mea Deus: Mooli, chorus meus: Musi, attrectator, siue palpator meus. Hi vel horum familię omnes Leuiticæ, sicut pro officio medij sunt inter Deum & populum, ita & positiōe medij excubabant inter tabernaculum & castra duodecim tribuum. Et Gersonitæ quidem post tabernaculum ad occidentem. Caathitæ verò ad meridianam plagam. Meraritæ, ad septentrionalem. Moyses autem & Aaron cum filijs suis, ante tabernaculum fœderis. i. ad orientē. Vbi notandū, quia Moyses populi dux, & Aaron pontifex summus, pariter ad orientem castrametantur, vndè & in psalmo canimus: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, quia videlicet in presenti ecclesia semper ducum aut consulum fascibus, regum quoq; vel imperatorum gladijs multū indiget sacerdotalis sanctitas, & cum sibi conueniūt, nihil tutius: cum autem aduersus inuicem dissentiunt, nihil statui Christianitatis in hoc mundo potest esse pernitiosius.

Filij Leui.

Psal.8.

De eo quod ait: Tollesq; Leuitas pro primogenitis filiorum Israel, & quòd antè primogeniti fuerunt sacerdotes, et cur in vnam Leuiticam tribum sacerdotium delatum est. CAPVT VI.

LOcutus est Dominus ad Moysen dicēs: Ego tuli Leuitas à filijs Israel pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israel. Eruntque Leuitæ mei, meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi omnes primogenitos in terra Aegypti.) Ac deinceps. (Numera primogenitos sexus masculini, de filijs Israel, à mense vno & supra, & habebis summam eorum. Tollesque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel.) Iam & alio loco dictum est, traditionem Hebræorum esse, quòd vsque ad sacerdotiū Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noe fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint, cuius videlicet Noe primogenitus Sem ipse fuerit Melchisedech, & hæc esse primogenita, quę Esau vendiderit Iacob. Quare ergo transponitur in lege, vel ad vnam tribum Leui congregatur omnis sacerdotalis dignitas, & vniuersa altaris ministratio coarcta est in tribu ei⁹ sola? Videlicet, quia sacrificia vel ministeria temporis illius nō iussa fuere, sed permissa, quòd iā multis in locis superius in prophetarum testimonijs comprobauimus. Verum namque sacrificium in ecclesia futurum erat secundum ordinem Melchisedech, quod & primogenitorum est, imò vnius primogeniti sancti & immaculati, cui iurauit dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hic dicit in alio psalmo: Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio, subauditur, sacrificaturus carnem meam & sanguinem meum pro multis in remissionem omnium peccatorum. Quid enim aliud postulabat, quam aliam volebat Deus redemptionem, nisi sancti & immaculati carnem & sanguinem? Nunquid (ait) manducabo carnes taurorum, aut sanguinē hircorum potabo? Et multa huiusmodi. Ergo

Psal.109.

Psal.39.

Psal.49.

Ergo antequam haberent sacrificium quod offerrent, vt quid ex iussu legis ad sacerdotium vocati primogeniti accederent? Igitur sicut offerendum erat tunc temporis sacrificium, non iussum, sed permissum, sic sacerdotes vel ministri omnes de tribu Leui, non iussi, sed admissi sunt, non tam sacerdotes quam sacerdotum vicarij vacantium primogenitorum, quo victitarent, tam diu accepturi pretium, donec veniret primogenitus, qui seipsum nō redimeret, sed futurorum bonorum assistens pontifex, semetipsum pro nobis omnib. offerret, factus (vt prædictum est) sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quod pulchrè respiciens euangelista Lucas, cum dixisset de virgine, quam de spiritu sancto concepisse narrauerat: & peperit filium suum, statim addidit, primogenitum, q̄ videlicet secundum prędictam eius narrationem superfluum esset, nisi magnum secundū scripturas mysterium attenderet. Dixit ergo primogenitum, vt subaudiat legisperitus vir ecclesiasticus, eum esse, qui sacerdotium Leuiticum, sacerdotium vicarium tādem amoueret, & ipse primogenitus cum omni corpore suo quod est ecclesia, sāctuario celesti suo sacerdotio functus astaret. Et benè quinque sicli accipi iubentur pro redemptione primogeniti, quòd videlicet quinque sensibus fungitur corporalis hæc vita, quam primogenitus iste non redemit, sed pro nobis omnibus morti obtulit. Cur verò potius hæc tribus. i. Leuitica, admittitur pro primogenitis? Videlicet, quia de tribu illa fuerūt Moyses & Aaron, qui filios Israel eduxerunt de terra Aegypti, de domo seruitutis: & dignum erat, vt ex qua fuit salus temporalis, ex eadem tribu ministros haberent sacrificij temporalis.

CA. IIII.

Luc.2.

De cultu filiorum Caath, et quid sit mysticè quod ait, vt portent inuoluta, vt non tangant vasa sanctuarij, ne moriantur. CAPVT VII.

CA. IIII. HIc est cultus filiorū Caath: Tabernaculum fœderis, & sanctum sanctorum ingredietur Aaron & filij eius, quando mouenda sunt castra, & deponent velum quod pendet ante fores, inuoluentq; arcam testimonij & operiēt rursus velamine hyacinthinarum pellium.) Ac deinceps. (Cumq; inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium, & omnia vasa eius, in commotione castrorum, tūc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & non tangant vasa sanctuarij, ne moriantur.) Magna cultus diuini reuerentia, magna & seuera disciplina: Aaron (inquit) & filij eius intrabunt, ipsiq; disponent opera singulorum, & diuident quæ portare quis debeat. Alij nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluantur, alioqui morientur. Ergo secundum hāc normam sacerdotes hodieq; legitimi sunt hi tātum, quibus pro meritò electionis secreta sua Deus credidit, qua libus in euangelio suo saluator dicit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Ipsi arcam testimonij, mensam propositionis, thuribula, & mortariola, cyathos quoq; & crateras ad libamina fundenda, candelabrū cū lucernis & forcipibus suis, emunctorijs, & cunctis vasis olei, necnon & altare aureum, omniaq; vasa quibus ministratur, in sanctuario cōtrectent manibus, & inuoluant pallijs hyacinthinis, atq; coccineis: filij autem Caath inuoluta portēt, & non tangant, ne moriantur. Id est, illi mysteria incarnationis, natiuitatis, passionis, resurrectionis Christi filij Dei, aduentus quoq; spiritus sancti, libero intuitu oculorū cordis, quos Deus illis aperuit, aspiciant, & orē sacro contrectent, pulchrisq; literis adornent. Isti autē audiant, vel exposita ab illis legant: Illi, inquam, quibus datum est regnum Dei audire in parabolis, & ipsi non audeant expositores vel auctores esse, ne labantur in hæresim. Portent, inquam, minus eruditi, aut vasa sacra cum filijs Caath, aut cortinas tabernaculi, & tectum fœderis, cūctaq; tentoria cum Gersonitis, aut tabulas testimonij, & vectes ei⁹, columnas, & bases earum: columnas quoque atrij per circuitum cum basibus, & paxillis, & funibus suis: id est, aut si possunt mystica legant, exposita valenter à patribus orthodoxis: aut si non possunt legant alij vel prædicent historicorum nouorum vel antiquorum facta, alij moralia sanctorū præcepta, in quibus infirmis circa fidē minus est periculi.

Matth.13.

Quòd huius præcepti prauaricatio sit, vbi ad sacri mysterij ordinem admittuntur indigni.

CAPVT VIII.

ATverò nunc quod periculosissimum est, filij Caath, filij Gerson, & filij Merari, qui non peruenerunt ad dignitatem Aaron, & filiorum eius, non solum non arcentur à conspiciendis vel tangendis interiorib. sanctuarij sanctis, verumetiam aduocantur & irruūt irreuerēter intus, quando ad sacrosancta altaris Christi mysteria tales accersuntur, quales pro meritò vitæ, pro qualitate vel quantitate scientiæ laicus quoq; non iniuria cōtemnat populus. Qui hodie tales facilè admittunt, non audiunt dominum loquentem ad Moysen & Aaron. (Nolite perdere populum Caath de medio Leuitarum, vt viuant & non moriantur, si tetigerint sancta sanctorum, Aaron & filij eius intrabunt, &c.) Nam reuera, quia quicunq; nomen vel tonsuram clerici arripuerunt, irruunt admissi ad Christi sanctuarium, tanguntq; & contrectant indignè sancta sanctorum, idcirco moriuntur, & non solùm in anima, verumetiam in corpore citiùs feriuntur. Nam ideò (inquit Apostolus) inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.

1.Cor.11.

De eo quòd præcipit, vt eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, & qui pollutus est super mortuo.

CAPVT IX.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAP. V. LOcutus est dominus ad Moysen dicens: Præcipe filijs Israel, vt eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo. Tam masculum quã fœminam eijcite de castris, vt non contaminent ea, cum habitauerint vobiscum.) Ordinata castrorum acie, qualis secundum cælestia, quorum hæc exemplaria sunt, malignis spiritibus terribilis esse debeat, tota videlicet sancta, tota munda: nunc demum sub nominibus leprosi, & fluxum seminis patientis, quæcunque noxia, quæcunque sunt immunda, lex spiritualis anathematizari imperat. Qualiter circa eiusmodi sit agendum, superius in Leuitico planius edixerat. Verũ nonnihil interest. Nam illic quidem virum qui patitur fluxum seminis, extra castra non iubet proijci, quia videlicet durum nimis est, vt omnem qui multiloquio subditur, & eo se inquinat, confestim à cœtu suo, æquè vt hæreticum sancta ecclesia proijciat. Ergo cũ dicens, eijciant de castris omnem leprosum, addidit: & qui semine fluit, intelligi oportet vnum eundemq; qui sic semine fluit, vt etiam leprosus sit, id est, sic incõtinẽtis linguæ est, vt etiam hæreticus sit. Nam & hoc addidit cõtinuò, pollutusque est super mortuo. Etenim vnus idemque & leprosus est & semine fluit, & pollutus est super mortuo, quãdo is qui hæreticus est prædicare audet, tacere non valens, & munda loqui nesciens, sicque interficit auditores suos, atque ita polluitur super mortuo. Eijciant ergo, inquit, de castris omnem qui eiusmodi est, tam masculum quàm fœminam. Verùm de cæteris peccatis non eadem districtio legis est. Nam sequitur: (Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccauerunt, &c.) Peccatis omnibus remedium vel redemptionis regula proponitur: Leproso autem, & qui semine fluit, nihil aliud, nisi vt de castris eijciatur. Ergo nec illud in euangelio suo sine huius mysticę legis consonantia Christus loquitur dicens: Quia omne peccatum remittetur hominibus, spiritus autem blasphemię non remittetur. Et quicunque dixerit verbum cõtra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neq; in futuro. Verùm de hoc supra in Leuitico vberius dictum, nunc cœpta prosequamur.

Matth. 12.

In Leuitico li. 2. ca. 18.

De viro, cuius vxor errauerit, qualiter inuestigare debeat, & cuius rei mysterium in Christo sit.

CAPVT X.

LOcutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vir cuius vxor errauerit, maritumq; contemnẽs dormierit cum alio viro, & hoc maritus deprehendere nequiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro, si spiritus zelotypię concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est vel falsa suspicione appetitur: adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinę hordeaceæ, &c.) Secundum suprascriptam castrorum metationem quadrifidam, valdè laudabilis est amica Christi euangelica ecclesia, vt rectè admiretur ipse, & dicat: Quæ est ista quæ progreditur, vel quæ ascendit per desertum, sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Ista, inquã, laudabilis est, sed quid fiet de synagoga adultera? Quid faciet vir eius, vel maritus antiquus, quem illa cõtemnẽs dormiuit cum alio viro? Etenim cõtempto Deo amatore suo, contempto Dei filio Christo, petulanter errauit, & cum diabolo dormiuit. Verùm hoc maritus deprehendere nequit, sed latet adulterium. Quis enim facile contentiosam synagogam deprehendere vel conuincere queat. Nempe illa quidem adulterium fecit, sed tantis tergiuersationibus seipsam defendit, vt rarus quisq; sit adeò legisperitus, adeò valens in scripturis, quatenus illam conuincere argumentando possit, quòd non Dei, sed synagoga satanæ sit. Latet ergo quodammodo adulterium, & testib. argui non potest, quando videlicet confitetur, quia Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus suus est, & cõuinci (vt prędictũ est) vix potest, quòd factis illũ neget, quia non est inuenta in stupro, quia nulli visibiliter seruit idolo, sicut olim seruiuit Astaroth, coluit Baal, initiata est Beelphegor. Quid ergo vir eius faciet? Si spiritus (inquit) zelotypię concitauerit maritum cõtra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspitiõe appetitur, adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ. Planè spiritus zelotypiæ. i. ęmulationis vxoreę concitauit virum eius Deum contra vxorem illam, quæ reuera quidem polluta est, sed secundum cõtentiosam ęstimationem suam suspitione appetitur. Concitatus ergo adduxit eam ad sacerdotem, ad illum põtificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Christum filium suum, vt iudicialem sub illo accipiat sententiã. Et offeret (inquit) oblationem pro ea, decimam partem sati farinæ hordeaceæ. Hoc secundum literam factum sit, & fieri debuerit pro illa, quæcunq; maritum cõtempsit, & in oblatione nõ similã fermenti, sed hordeum habuerit, qp est iumẽtorũ pabulũ, quia fluxũ secuta est iumentorum. Cęterùm secundum iã cœptũ spiritualẽ sensum, tota adulterę synagogæ oblatio quasi hordeacea est, qa scripturarũ solã literalẽ paleã legit, tã grossam, tamq; hirsutã, vt strangulari potius queat, q̃ refici. Non fundet (ait) super eã oleũ, nec imponet thus.) Quare? (Quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio inuestigãs adulterium.) Nã reuera non dedit illi sanctũ charitatis spiritũ, nec aliquẽ boni odoris fructũ, quia vehementer ignẽ iracundiæ, causa prædicti incendit adulterij.) Offeret igitur eã sacerdos & statuet corã dño. Assumetq; aquã sanctã in vas fictile, & pauxillũ terræ de pauiméto tabernaculi mittet in eã. Cumq; steterit mulier in cõspectu dñi, discooperiet caput eius, & ponet super manus illius sacrificium, &c.) Plana est examinationis huius litera, & nihilominus in spiritu super illam satanæ synagogam manifestè adimpleta est. Postmodũ vbi Christus in cælum ascẽdit, & illa apostolos quoq; eius flagellauit, & ex eis occidit, lapidauit, & de ciuitate in ciuitatem persecuta est, postmodũ, inquã, statuta est coram dño, discooperto capite, circundata atq; angustata ab exercitu Romano, vndiq; absq; omnimoda Dei protectiõe. Tũc posuit super manus illius generationis malæ & adulteræ sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ, vt veniret super illam omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sãguine Abel iusti vsq; ad sanguinem Zachariæ prophetæ, quem occiderunt inter templum & altare. (Ipse aũt tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit. Videlicet iuxta prophetam dicentẽ: Pluit super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Itẽ: Fiat mẽsa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalũ. Hæc, inquã, maledicta cõiecta in aquas scripturarũ, quas illa sibi amarissimas fecit, tenuit vir quondã eius, & apposuit ori illius, cum illa conquestione prophetica: Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel. Item frons mulieris meretricis facta est tibi. Sequitur. (Adiurabitq; eam, & dicet: Si declinasti à viro tuo, atq; polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis. Det te dñs in maledictionem, exemplumq; cunctorum in populo suo. Putrescere faciat fœmur tuum, & tumens vterus tuus disrumpatur. Ingrediãtur aquæ maledictæ in vẽtrem tuũ, & vtero tuo tumescente, putrescat fœmur. Et respondebit mulier: Amen, amẽ.) Ecce hodie liquet, & toto mundo palã factum est, quia mulier illa maledicta est, adultera illa in exemplum cunctorũ posita est, putrefacto fœmore claudicans ab omnib. semitis suis, & tumens vterus eius disrupt' est, ita vt nulla penitus nasci potest ex ea vitalis soboles. Romano enim exercitu agente, capta & captiua ducta est in oẽs gentes, & ita maledictionẽ suã circũsert: illã, inquã, maledictionẽ, quæ non à Deo est, sed ab ipsa, quia sic locuta est, sic sibimet imprecata est: Sãguis eius super nos & super filios nostros, & vsq; hodie confirmat illã iugiter. Respondet enim semper & dicit: Amen, amẽ. Igitur clarũ est, quia à viro suo declinauit, & cũ altero cõcubuit, qa Christũ occidit, diabolo adhæsit. Nã si nõ ita esset, nequaquã istis maledictionib. subiaceret. Dixit enim ista zelotypiæ lex. (Si nõ dormiuit vir alienus tecũ, & si non polluta es, deserto mariti thoro, non te nocebũt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta cõiecisi.) Sed quis est ille liber in quo sacerdos ista maledicta scripsit? Nẽpe iste est liber iudicij in quo scripta sunt maledicta, quęcunq; sibi anima peccatrix asciuit, ex quo Adã primus peccauit. Sed deleuit hęc aquis amarissimis, quas ipse de torrẽte in via bibit. Tulit enim peccata totius mũdi. Verũ easdẽ rursum aquas amarissimas adulteræ illi in potũ dedit, quia sic dixit, sic sibimet elegit, vt supra dictum est, clamans suo præsidi Pilato: Sanguis eius super nos & super filios nostros, ad quod & vsque hodie dicit: Amẽ amen, iugiter Christum maledicens.

CAP. V.

Psalm. 10.

Psalm. 68.

Hierem. 3

Ibidem.

Matth. 27.

De lege Nazaræorum, & de eo quod ait Euãgelista: Vt adimpleretur quod dictũ est per prophetas, quoniã Nazaræus vocabitur. CAPVT XI.

LOcutus est dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Vir siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint domino consecrare, à vino & omni quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, nõ bibent, &c.) Ista lex Nazaræorum, id est, sanctorum siue consecratorum est, de qualibus in libro Machabæorum scriptum est: Et scitauerunt Nazaræos qui impleuerant dies, & clamauerunt voce magna in cælum, dicentes: Quid istis faciemus, & quo eos ducemus? Videlicet ambitiosius in calamitate sua Deũ deprecabantur, tales habentes patronos, scilicet Nazaræos, qui plurimum merebantur de clementissimo Deo, quia impleuerant dies suos, afflicti sacra continentia, votiua abstinentia. Sed quid sibi vult, aut quid rationis habet hæc illorũ lex in eo maximè, quod dicit: (Si autem mortuus fuerit subitò quispiã coram eo, polluetur caput consecrationis eius, quod radet ilico eadẽ die, ita vt dies prior irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio eius.) Quid, inquam, in hoc rationis est, quòd tantoperè super mortuum ingredi, & super patris quoq; & matris, fratris, & sororis funere cõtaminari prohibetur, vt si mortuus fuerit quispiam subitò, corã eo polluatur ilico, & dies præteriti irriti ducantur? Ergo quoniam in hac occidẽte litera nihil proficimus, viuificantem spiritum necessariò requirimus. Nempè ista est lex: sub qua factus est Dei filius, ista, inquã, lex est, quam sic impleuit ille Nazaræus, vt propter illũ, imò de illo scripta esse credantur. Hoc sciens euangelista Matthæus, cùm dixisset: Audiens autem Ioseph quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire, & ammonitus in somnis, secesit in partes Galilææ,

CAP. VI.

1. Mach. 3.

Matt. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hilæ, & veniens habitauit in ciuitate, quę vocatur Nazareth, continuò subiunxit: Vt adimpleretur quod dictum est per prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur. Nempè si quæras, vbi vel per quos prophetas dictum est, quia Nazaræus vocabitur, & ecce iam in isto prophetarum maximo hic dictum est, quia Nazaræus vocabitur, si quidem velamine literæ amoto claritatem spiritus intueamur legitimè. Et hoc benè prospecto, simul & illud clarebit, cur Euāgelista prædictus tali in loco, vel causa, tali testimonio vsus sit, quia videlicet quod hic Moyses dictis, hoc apud illum dominus noster infantulus præsignauit factis, cùm fugiens Iudæam propter Archelaum ibi regnantem, venit Nazareth, & habitauit ibi.

Quomodo iste Nazaræus. i. sanctus dominus Deus noster Iesus, spiritualiter legē Nazaræorum impleuerit.

CAPVT XII.

OMni, inquit, tēpore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, nec super patris quidem & matris, & fratris, & sororis funere contaminabitur, quia consecratio Dei super caput eius est. Omnes dies separationis suæ, sanctus erit domino. Si aūt mortuus fuerit subitò quispiā coram eo, polluetur caput consecrationis eius. Quod radet illico in eadem die purgationis suæ. Nazaræi. i. sancti huius, qui verè solus est sanctus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, omne tempus consecrationis, om- 1. Pet. 2.
ne fuit tempus vitę præsentis, ex quo conceptus est de spiritu sancto vsquequo resurrexit à mortuis. Toto quippe illo tempore suo super mortuum ingressus non est, super nullius funere contaminatus est, quia nullum vnquam vel leue peccatum admisit, nullius vnquam peccato consensit, imò nec ingrediens in hunc mundum, vlla secum vestigia traxit peccati originalis, per quod mors in hunc mundum introiuit, vtpotè consecrationem super caput suum habens, Dei sui, id est, plenariam effusionem spiritus sancti, de quo & conceptus est, ex vtero virginis. Consecrationem, inquam, Dei sui, quia videlicet Deus illi est secūdum naturam hominis quā
Ioan. 20. assumpsit, secundum quam & Nazaræus est, quemadmodum dicit: Ascendo ad patrē meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Nazarēus iste capillos nutriuit, quia peccata generis humani super se tulit, & pœnitentiam vsq; ad mortem pro omnibus egit, baptizatus à Ioāne in pœnitētiam cū publicanis & peccatoribꝰ, afflictus ieiunio XL. Philip. 2. diebus & XL. noctibus, ita vt processerit obediens patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Sed mortuus est subitò quispiam co- Matth. 27.
ram eo, videlicet populus iste Iudaicus clamando, Crucifige, crucifige: clamando, Sanguis ei super nos, & super filios nostros. Ibi mortuus est ille populus subitò, & illo mor-
ticinio Nazarei hui⁹ caput quasi pollutū est, nō sibi, sed illi qui mortuus est. Vndè enim populus ille mortuus est, nisi quia motus inuidia, pro eo q̄ decinerant turbæ: Osanna fi- Ibid. 12.
lio Dauid, Benedict⁹ qui venit in nomine domini, cōmentatus est, qualiter Nazaræus iste maledictū fieret legis, dicentis: Maledictus à Deo est omnis qui pendet in ligno, videlicet Deut. 21.
vt hoc facto cōprobaretur, hunc illū non es- Psal. 117.
se, de quo ꝓpheta cecinit: Benedictus qui vēturus est in nomine domini. Ergo vndè mortuus est Iudæus, inde Nazarēus iste pollutus. i. maledictū legis factus est. Imò vndè sic ille pollutus est, inde iste mortuus est. Rasit ilico Nazarēus caput suum, ita tamen vt dies prio
res irriti facti sint, quoniam polluta est sanctificatio eius. Cui nisi mortuo illi dies prio- Baruc. 3.
res irriti facti sunt? Nēpè inde væ mortuo tali, quia ex quo coram Nazarēo isto cecidit, ni hil prodest illi, quòd talis sanct⁹ sanctorum carnē de carne eius accepit, quòd in terra ei⁹ triginta tribus annis visus est, & cū homib. cōuersatus est, qui vniuersa condidit. Ita facti sunt ei priores Nazaræi dies irriti, imò & oēs Esaiæ 1.
dies vniuersi seculi, ex quo cum Abrahā, Isaac, & Iacob patrib. eius, colloquiū habuit. Irritum hinc factū est pactū, irrita legislatio, irritū omne obsequium: in tantum, vt etiā omnia quæcunq; illi sancta fuerant, iā oderit anima Dei, ex quo manus suas huius sanguine impleuit. Rasit Nazaræus caput suum super illum, & qui omnia super se susceperat pecca ta totius mūdi, huius peccata, quia mortuus est, reiecit super ipsum. Et nostra quoq; peccata rasit quidem eadem nouacula passionis, verùm non super nos illa reiecit, quia nō nobis mortem suam imputauit, sed omni vēto dispergenda dedit, & sic ait propheta: Quan- Psal. 102.
tum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.

De eodem, quid secundum mysticam legem significet quòd raso capite, pro eo qui corā illo cecidit mortuus Iudaicus populus, et irriti facti sunt præteriti dies eius.

CAPVT XIII.

RAdet (inquit) ilico in eadē die purgationis suę, & rursum septima. In octauo autē die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu tabernaculi fœderis testimonij. Facietque sacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocaustū, & deprecabitur pro eo, quia peccauit super mortuo. Sanctificabitque caput eius in die illo, & consecrabit domino dies separationis eius, offerens agnum anniculum pro peccato.) Benè & septima die radet Nazarēus caput suum, in octauo autem sacrificio renouatur, quia videlicet passio huius sancti septem protracta est diebus. Nam à decima luna, qua die ciuitatem ingressus est, qua die secundum legem tollebatur in cunctas domos Iudæorum paschalis agnus, quartadecima luna ad vesperam immolandus: ab illa, in-

quam

quam die septima dies extitit sabbatum sepulturæ eius. Octaua deinceps die, quæ est prima sabbati, resurrexit à mortuis, & tunc nouum sacrificiū, quod sub articulo suæ passionis instituerat, perfecit, offerens duos tur-
CA. VII. tures, vel duos pullos columbæ. i. spiritum sanctum tribuēs, charitatis geminæ in introitu fœderis testimonij, in apertione regni cælestis, ꝙ illa die nobis deuicta morte reseratuit. Facietq; (inquit) sacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocaustū, quia videlicet vnum dedit spiritus S. datum in remissionem peccatorum, ad diligendū proximū, alterum in diuersarum distributione gratiarū, ad diligendum Deū. Vnum adhuc positus in
Hebr. 4. terris, alterum iam in cælo residens ad dexteram patris. Hos, inquam, turtures duos, vel columbæ pullos dedit sacerdoti. i. vt daret, in sua potestate accepit Nazaræus ipse, sacerdos ipse vel pontifex magnus, qui cælos penetrauit. (Et deprecabitur (inquit) pro eo,) subauditur ipse sacerdos, pro seipso Nazaræo deprecabitur, inquam, pro seipso, id est,
Rom. 8. pro corpore suo, pro nobis fidelib. suis, quos fecit esse cōcorporales sibi, testante Paulo, cùm dicit: Qui est à dextris dei, qui etiā interpellat pro nobis, non tamen summissa prece orans, sed potēter iure aduocati pro nobis interpellans. (Sanctificabitq; (inquit) caput
Zach. 3. eius, &c.) vt supra. Sanctificatum est caput huius Nazaræi, quia nunc iuxta Zachariam, ablatis ab eo sordidis vestibus nostræ mortalitatis, quibus fuerat indutus, posita est cydaris munda super caput eius, & indutus mutatorijs, coronatus videlicet gloria immortalitatis, & honore incorruptionis. Et ita conse-
Rom. 6. crauit dies separationis suæ vt iam non moriatur, mors illi vltra non dominetur, offerens adhuc agnum anniculum pro peccato, videlicet per manus ecclesiæ corpus suum & sanguinem sacrificans pro cuncto populo catholico in sancto altaris magno atq; ineffabili mysterio, ita tamen vt dies priores irriti facti sint, sicut supra dictum est.

De eodem Nazaræo Christo, quando implendi sunt dies quos ex voto decreuit.

CAPVT XIIII.

ISta est lex consecrationis. Cùm dies quos ex voto decreuerat, complebuntur, adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatū pro peccato in holocaustum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum hostiam pacificam, &c.) Quando impleti erunt dies Nazaræi huius, quos ex voto decreuit? vtiq; cū plenitudo gentium subintroierit. Tunc enim tempus erit, vt reliquiæ filiorū Israel
Rom. 11. saluæ sint, quod ex voto decreuit, quemadmodum dicit: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Quamuis hoc dispensatione temporali dictum debeat intelligi, quia licet per semetipsum solis prædicauit Iudæis, tamen ad illos veniet, & reli- Matth. 15.
quias eorum recolliget circa finē seculi. Tūc dabit pro illis trimodum sacrificium, de quo in Leuitico plenius dictū est, scilicet illud q̄ dicitur pro peccato sacrificium fidei, pacificam hostiam spei, holocaustum charitatis. Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis, id est, tollet peccata illorum sacramento eiusdem passionis suæ, qua tulit peccata mundi ipse sacerdos, ipse Nazaræus, ipse ostium tabernaculi fœderis, tabernaculi cælestis. Tolletq; capillos eius. i. peccata Iu- Esa. 4.
daici populi, & ponet super ignem, completa prophetia, quæ dicit: Si abstulerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris, tunc tollet ab illis vel susci piet armum & pectusculum arietis, id est, bona opera cum confessione cordis & oris, & fœmur quoq;, id est, fiduciam carnis: vt iam non glorietur sicut hactenus, in carne, sed in 1. Cor. 11.
fide Abrahæ. Post hæc potest vinum bibere Nazaræus, quia videlicet extunc in æternum & vltra regnabit Christus, completo quod nondum impletum videmus, omnia subiecisti sub pedibus eius.

Moraliter quid, quòd Nazaræi capillos nutriunt, quos post votum incidunt.

CAPVT XV.

MOraliter dum de vitandis superfluis cogitationibus agitur, hoc trahamus in exemplum, quòd capillos nutriunt, quos post votum detonsos, in igne sacrificij deinceps incendunt. Quid enim quòd Nazaræi capillos nutriunt, nisi quòd per magnam vitæ continentiam, præsumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est, quod deuotione completa, caput Nazaræus radere, capillosq; in igne sacrificij postea ponere iubetur, nisi quòd tunc ad perfectionis summam pertingimus, cùm sic exteriora vitia vincimus, vt etiam cogitationes superfluas à mente resecemus? Quas nimirum sacrificij igne incremare, est flammas eas diuini amoris incendere, vt totū cor in dei amore ardeat, & cogitationes superfluas concremans, quasi Nazaræi capillos, deuotionis perfectione consumat.

De eo quod ait: Sic benedicetis filijs Israel, quòd tertiò dictum sit dominus, quòd est pater & filius, & spiritus sanctus.

CAPVT XVI.

LOcutus est Dominus ad Moysen, dicēs: Loquere Aaron & filijs eius. Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi dominus, & custodiat te, ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: Conuertat dominus vultum suum ad te, & det tibi pacē. Inuocabunt nomē meum super filios

Universidad de Deusto
Biblioteca

Israel,& ego benedicam eis.) Quod hic Dominus loquens Moysi sub velamine literæ eis abscõdit,hoc prefatus ille Nazaræus, sanctificato capite iam resurrectionis indutus mutatorijs,gloriosa claritate reuelauit. Dixit enim discipulis suis: Euntes docete oẽs gentes, baptizantes eos in nomine patris,& filij,& spiritus S.Quæ enim alia præter hanc, benedictio est, qua benedicat sacerdos ille sanctus filijs Israel? Benedicat(inquit) tibi Dominus,subauditur pater, ostendat & faciem suam tibi,subauditur filius. Conuertat vultum suum ad te, subauditur spiritus sanctus. Quid hoc pulchrius, quid iucundius? Eccè hic in antiquissima lege,nouę gratiæ lucem videmus,nominis sancti trinitatẽ quam odit Iudæus, quã dissipat hæreticus Arrius, quã confundit Sabellius: hic in antiquo Numeri libro amabiliter coniunctum,clarè distinctum agnoscimus. Et nota singularum enunciatiouum pulchritudinem, Dominus,inquit,scilicet pater,benedicat tibi,q̃ est bona dare,& custodiat te, quod est à malis liberare: Dominus filius ostendat faciem suam tibi,quod est bona dare, & misereatur tui,quod est à malis liberare: Dominus spiritus conuertat vultum suũ ad te, quod est bona dare,& det tibi pacem,quod est à malis liberare. Nam hic geminus est diuinæ benedictionis fructus, vt bonis repleamur, & malis careamus, vt signati hoc nomine Trinitatis,iam hic in præsenti peccatorum remissionem,& quodlibet diuinæ gratiæ donum percipiamus,& in futuro pœnis inferni, corporum quoq; corruptione exuamur, quod in gloria resurrectionis futurum speramus. In uocabunt,inquit, nomen meum super filios Israel,& ego benedicã eis. Quia dixerat Aaron & filijs suis,sic benedicetis filijs Israel,ne quis putaret benedictionem esse hominis, vel ab homine quempiã benedici, definiuit quod dixerat: Inuocabunt(inquiens) nomẽ meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Nemo ergo de auctoritate glorietur hominis,vt(verbi gratia)dicat quisq; nostrum: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cæphæ,ego autem Christi. Nunquid(ait Apostolus) Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Igitur quocunq; inuocante nomen Domini super nos, solus qui benedicit ipse est dominus deus vnus,pater,& filius, & spiritus sanctus, cui & cum Psalmista, cum præsentis loci sensu dicimus: Benedicat nos deꝰ, Deus noster,benedicat nos Deus.

Matth. 28

1.Cor.1.

Psal. 66.

De erectione tabernaculi, & oblationibus principum, quod omnes æqualia obtulerint.

CAPVT XVII.

CA.VII. FActum est autem in die qua compleuit Moyses tabernaculũ, & erexit illud,vnxitque & sanctificauit cum omnibus vasis suis,altare similiter & vasa eius, obtulerunt principes Israel, & capita familiarum,qui erant per singulas tribus,præfecti eorum qui numerati fuerant, munera coram domino, sex plaustra tecta cũ duodecim bobus, &c.) Post multas & amplas mysteriorum exercitationes, iterum ad tabernaculum deducti, libenter sequimur, vt inde thesauros abscõditos eruamus, lætantes super hęc sancta legis eloquia,sicut q̃ inuenit spolia multa.Cõpleto atq; erecto tabernaculo, iubente Domino,singuli duces per singulos dies offerũt munera in dedicatione altaris,& omnium eadem sunt munera quæ obtulerũt, vt Dominus ordinauit. Profectò non omnium tribuum quantitas eadem, vel numerus idẽ erat,sed in alijs plures,in alijs fuere pauciores recensiti per cognationes & domos, ac familias & capita,& nomina singulorum,à vicesimo anno,& supra,sicut præceperat dominus Moysi.Nã(verbi gratia) de Iuda numerus fuit duplex,& plus quã duplũ, maior ea multitudine,quæ de Manasse recensita est. Quid ergo hoc sibi vult, q̃ oblationum omnium,quas obtulere singuli duces,eadẽ quãtitas est, nec plus à septuagita quatuor milib. sexcentis,q̃ fuere de Iuda, quã à triginta duobus milib. ducentis,qui fuere de Manasse, Dño iubente, exactũ est? Nempe,(Prima die obtulit oblationẽ suam Naason,filius Aminadab,de tribu Iuda,acetabulum argenteum,pondo centum triginta siclorum, phialã argenteam habentem septuaginta siclos, iuxta põdus sanctuarij,vtrunq; plenũ simila cõsperſa oleo in sacrificium, mortariolum ex decẽ siclis aureis plenum incenso, bouẽ de armento,& arietẽ,& agnum anniculum in holocaustum, hircumq; pro peccato, & in sacrificio pacificorum boues duos,arietes quinq;, hircos V. agnos anniculos quinq;,& cætera. Secundo die Nathanael filius Zuar dux de tribu Isaschar, &c. Tertio die principes filiorũ Zabulon,Heliab filius Helõ,&c. Quarto die princeps filiorum Rubẽ, Helizur filius Sedeur, &c.Quinto die princeps filiorũ Simeõ, Salamiel filius Surisadai,&c. Sexto die princeps filiorũ Gad,Eliaseph filius Duel. Septimo die princeps filiorum Effraim,Elisama filius Ammiud. Octauo die princeps filiorũ Manasse, Gamaliel filius Phadazur. Nono die princeps filiorũ Beniamin,Abidan filius Gedeonis.Decimo die princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Amisadai. Vndecimo die princeps filiorũ Aser,Phesiel filius Ochran.Duodecimo die princeps filiorum Nephthalim, Ahira filius Henã.) Aequalia obtulere vniuersi,& non fatigatur calamus Moysi,toties eadem repetere in singulis eisdẽ verbis, eisdem penè syllabis. Quid,inquam, hoc sibi vult,nisi quia mysterium grande isto quoq; loco legis litera subtegit?

Quòd tũc Christꝰ hũc legis locũ impleuerit,quãdo xij. sibi Apostolos elegit,& q̃ tunc tabernaculũ erectũ & sanctificatũ est,quando ille passus est,& resurrexit,& exinde duces,id est, Apostoli,munera fidei obtulerut.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Colloss. 2. IGitur & nunc ad eũ respicimꝰ, in quo sũt oẽs thesauri sapiẽtiæ & scientiæ absconditi,qui in semetipso legẽ adimpleuit, quemad
Matth.5. dum dicit: Nolite putare,quia veni legẽ soluere,nõ veni soluere,sed adimplere. Vtique & adimplendo hanc partẽ legis, vocauit ad se quos voluit,ascendens in montẽ, & venerunt ad eum. Et fecit vt essent duodecim cũ eo,& vt mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatẽ curandi infirmitates, & eijciendi
Marc. 3. dæmonia.Et cùm(inquit Marcus) audissent sui,exierunt tenere eum. Dicebãt enim, quoniam in furorẽ versus est. At ille verè & vnicè beatus vir,nõ in furorẽ versus erat, sed in
CA.VIII. lege Dñi voluntas eius & in lege eius meditabatur die ac nocte, quippe qui ipsum totius legis sacrariũ erat, ipsum verbũ legis, ipsum verbum dei incarnatum erat. Tunc meditabatur legẽ implere.i. secundũ præsens huius legis mysterium duodecim spiritualium castrorum duces ordinare.Nã & huc respiciẽs, eisdẽ Apostolis dicit alio loco: Amẽ dico vobis, q̃ vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me,in regeneratione,cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos
Matth.19. super sedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Israel. Dixerat enim illi Petrus: Eccè nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Multum eos honorauit,multum honorẽ & grande præmiũ signauit,cũ illis ita respondit. Vult emẽ intelligi,se quidẽ dũm esse tabernaculi cælestis, ipsos au-
Psal.121. tẽ duces fore tribuũ domini,de quib. Psal.cũ dixisset: Hierusalẽ quę ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum, continuò subdidit: Illuc enim ascenderũt tribus domini,testimoniũ Israel, ad cõfitendum nomini domini.Et q̃ illis ducib.duodecim filiorum Israel iussum est facere vel offerre corporaliter,hoc ab ipsis,vel p̃ ipsos implẽdũ fore spiritualiter. Quãdo enim erectũ,vnctumq; & sanctificatum est cum omnib. vasis suis tabernaculum illud cæleste,cuius secundũ exemplar tabernaculum istud Moyses fecit: tunc vtiq; quando tabernaculi põtifex Iesus Christus filius dei sanguinẽ suũ fudit,in quo vniuersam ecclesiã, quãta collecta fuerat ab origine mundi,remi sionẽ peccatorum cõferendo vnxit & sanctificauit. Subsecuti denique cõfestim principes isti,boues & plaustra obtulerunt ad portãdum tabernaculum,vel tabernaculi sanctuarium,dũ patriarcharum & prophetarum fidẽ,per mundũ vniuersum prædicandã susceperunt, hoc modo ipsi boues, ipsi plaustra sunt,ipsi rectores,ipsi portitores ecclesiæ sunt. Obtulerunt singuli acetabulum argẽteũ pondo centũ & triginta siclorum,qui numerus ex vnitate centena,& ternario deceno cõsistens,vnius dei,triumq; personarum rectè significat fidẽ. Phialã quoque argenteã habentẽ septuaginta siclos,qui numerus ex denario, septenarioq; cõpositꝰ, euangelicã septiformis sancti spiritus gratiã, & legis,cuius decẽ præcepta sunt, verã designat scientiã. Obtulerũt etiã mortariolũ aureum,ex decẽ siclis aureis, incẽso plenum.i. Christum dei filium cõsona voce prædicauerunt,cuius de virgine cõcepti corpus aureũ, corpus immaculatum, omne in se continens puræ orationis incensum pretiosum, mortis passione pro nobis est cõtribulatum. Hæc isti obtulerunt,hæc ad laudẽ & gloriã dei prędicauerunt singuli die suo.i. vnusquisq; secũ dũ mẽsurã gratiæ vel reuelatiõis quã accepit à domino,ab vno eodẽq; spiritu S. Et alij qui dẽ plures,alij pauciores ad fidẽ traxerant,sed idẽ oẽs eodẽ spiritu,& eodẽ sensũ prædicauerunt:quẽadmodum isti principes tribuum, alij plura, alij pauciora suæ tribus milia sub manu habuerunt,sed oẽs æqualia,cuncti eadem vasa obtulerunt. Et illi quidẽ similam in vasis similã,inquã, visibilem oleo visibili cõsperſam obtulerunt:isti aũt spiritum legis in litera latentẽ, verã & inuisibilẽ similã prædicauerunt, verum & vitalem cibum omniũ animarum credentiũ. Obtulerunt nihilominus bouẽ & arietem,& agnum anniculum in holocaustum,hircumq; pro peccato. Et in sacrificio pacificorũ boues duos,arietes quinque,hircos quinq;, agnos anniculos quinq;. Hæc, inquam, principes nostri singuli obtulerunt,nam prædicantes alijs,ne ipsi reprobi fierent,semetipsos afflixerũt, semetipsos etiam passionib.obiecerunt.Nã ipsi sunt,quorum singuli in psalm.sexagesimo quinto dicunt:Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cũ incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis. Istorum nanq; principum totus ille psalmus vox est. Ac si dicat quisq; eorum, etiam in tribulatione positus, alijs prædicabo vt & ipsi ad idẽ meo inducantur exẽplo. Et hic interim offeram tibi holocausta medullata,id est,meipsum factum holocaustũ medullatum, totũ interiori charitatis igne combustum,incensis arietibus, incensis bobus & hircis.i. omni repugnantia, omni extollentia, omni fœditate vitiorum carnis & spiritus.Nam idcircò quinq; arietes, quinq; sunt agni,quinq; sunt hirci: quia videlicet in quinq; sensibus caro,cùm licet,lasciuit.

Simila.

1.Cor.9.

De eo quòd cùm ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis,audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio: & exemplum de actibus Apostolorum, quando Moyses ingressus sit, & in re auditum & factum sit quod præfigurabatur illic.

CAPVT XIX.

CA.VIII. CVmq; ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis,vt cõsuleret oraculũ,audiebat vocẽ loquentis ad se de propitiatorio q̃ erat super arcã testimonij inter duos Cherubin, vnde & loquebatur ei. Locutusque est Dominus ad Moysen,dicens: Loquere Aaron, & dices ad eum: Cùm imposueris septem lucernas candelabrorum, in australi parte eri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte erigantur.)Ex quo tabernaculũ ſanctificatum eſt,Moyſes ingreditur in tabernaculum fœderis, quia videlicet ex quo ſanctã p Chriſtum eccleſia redempta eſt, extunc homo reconciliatus, factus eſt Deo familiaris. Extunc,inquã,conſulens oraculũ Moyſes, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubin, quia profectò qui erant diſcipuli Moyſi, extunc cognouerunt conſilium dei quod habebat ſuper gentibus vniuerſis, q illis quoq; ad pœnitentiam viã vellet offerre. Quã enim audiebat vocem loquẽtis? Ait: Loquere Aaron,& dices ad eum: Cũ poſueris ſeptem candelabrorum lucernas,in auſtrali parte erigantur. Et continuò ſcriptura ſequitur,& dicit: (Hoc igitur præcepit,vt lucernæ cõtra boream è regione reſpiciant ad mẽſam panũ propoſitionis.) Cõtra eam partem candelabrũ reſpicit,ad quã lucere debebunt. Tanquã diceret: Cũ ſeptẽ lucernas candelabrorum in auſtrali parte erigi præciat, cõtra menſam propoſitionis panũ, ipſa aũt menſa(ſicut in exordio ſcriptum eſt)in parte aquilonis poni iuſſa eſt, hoc igitur præcepit, vt lucernæ contra boreã è regione reſpiciant. Vehementer intimatum nobis eſſe monuit,quod candelabrum ſeptem lucernarũ.i. Chriſtũ,in quo ſeptẽ lucidi ſpiritus requieſcunt,ad aquilonem.i. ad gentes, verũ hactenus ſolem non habentes, pium gratiæ ſuæ conuertere voluerit intuitum,& illic habere menſam propoſitionis panum.i. veritatem ſcripturarum,ſiue corporis & ſanguinis eius ſacramentũ. Nam q candelabrum, Chriſtum,gloria reſurrectionis coronatum ſeptẽ verò lucernæ ſanctum ſeptiformẽ ſpiritum,ipſe aũt boreas ſiue aquilo nos gentes ſignificet,plenius in Exodo dictum eſt. Hoc (inquã) vehementer nobis inſinuatũ eſſe voluit,ſcilicet ſic ſibi præceptũ fuiſſe certi gratia myſterij, memor videlicet exemplaris q in monte Dñs oſtenderat ſibi. Cùm (inquit) ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis,vt cõſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcã teſtimonij inter duos Cherubin vnde & loquebatur ei. In Act. Apoſt. habemus, quando Moyſes ingreſſus in tabernaculum,& oraculo conſulto, vocẽ huiuſmodi, vocẽ tantæ propitiatiõis audierit inter duos Cherubin,id eſt,de cõcordi teſtificatione vtriuſq; teſtamenti. Facta ſeditiõe nõ minima Paulo & Barnabæ aduerſus gentes, quibus aperuerat Deus oſtium fidei, ſtatuerunt, vt aſcẽderẽt Paulus & Barnabas & quidẽ alij ex alijs,ad Apoſt. & presbyteros in Hieruſalẽ ſup hac queſtiõe. Ac deinceps: Cũ aũt magna cõquiſitio fieret, ſurgens Pet. dixit ad eos: Viri fratres audite me. Vos ſcitis,quoniã ab antiquis dieb. in nobis elegit Deus per os meũ audire gentes euãgelij verbũ,& credere,&c. Et poſtquã tacuerũt,reſpondit Iacob. dicẽs: Viri fratres audite me. Simon narrauit quẽadmodũ primum deus viſitauit, ſumere ex gentibus populũ nomini ſuo,& huic concordant verba pphetarũ, ſicut ſcriptũ eſt: poſt hæc reuertar,& ædificabo tabernaculũ Dauid,quod cecidit,& diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominũ dominũ,& oẽs gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum dicit Dñs faciens hæc. Notum à ſeculo domino eſt opus ſuum. Et reliqua. Igitur ingrediente Moyſe,& conſulẽte oraculum vox audita eſt iubentis, vt contra Boream,è regione reſpiceret candelabrũ ſeptẽ lucernarum, & vt contra eam partem lucerent lucernæ,quã reſpicit candelabrum, quia videlicet facta queſtione,dũ conſulitur ſpiritus S. oraculum, hoc manifeſtis auctoritatibus defenditur, quòd Chriſtus ſit expectatio gentium. Sed & hodie quoq; Moyſes ingredietur tabernaculum ad conſulendum oraculum, quoties boni rectores,cũ ſe res dubias diſcernere non poſſe cognoſcunt,ad ſecretum mentis, velut ad quoddã tabernaculum reuertũtur. Diuina lege perſpecta quaſi coram poſita arca Dominum conſulunt,& quod prius audiunt intus,hoc foris poſtmodum agentes innoteſcunt. Vt enim exterioribus curis inoffensè deſeruiant,ad ſecreta cordis recurrere inceſſabiliter curant, & ſic vocem Dei,quaſi per occultam inſpirationem audiunt,dum meditatione mentis à carnalibus ſenſibus abſtrahuntur.

Exod. 25. & 37.

Exod. 25.

Acter. 15.

De purificatione Leuitarum, quid ſit myſticè, q iubentur omnes pilos carnis ſuæ radere.

CAPVT XX.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Tolle Leuitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos iuxta hunc ritum. Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumq; lauerint veſtimenta ſua, & mundati fuerint, tollent bouẽ de armentis,&c. Radant(inquit)omnes pilos carnis ſuæ. Pili carnis ſunt vitæ veteris cogitationes,quas ſic à mente incidimus,vt de amiſsione earũ nullo dolore fatigemur. Pili carnis ſunt quælibet ſuperflua humanæ corruptionis. Leuita nanq; aſſumptus vocatur. Oportet ergo Leuitas omnes pilos carnis radere,quia is qui in obſequijs diuinis aſſumitur,debet ante dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Non illicitas cogitationes mẽs pferat, & pulchrã animæ ſpeciẽ quaſi pilis fruticãtibus deformem reddat. Sed quantumlibet(vt diximus)quempiã virtus ſanctæ conuerſationis euexerit, adhuc tamen ei de vetuſtate vitæ naſcitur, quòd tollatur. Vnde & ipſi Leuitarum pili radi præcepti ſunt, non euelli. Raſis enim pilis in carne radices remanent, & creſcunt iterum vt recidantur, quia magno quidem ſtudio ſuperfluæ cogitationes amputandæ ſunt,ſed tamẽ amputari funditùs nequaquã poſſunt. Sẽper enim caro ſuperflua generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſolicitudinis recidat. Sed hæc in nobis tunc ſubtilius cõſpicimus,cũ ſpeculationis alta penetramus. Verũ hanc munditiæ,vel pulchritudinis perfectionem,cõſequi nõ poterit: niſi qui cũctas prius ab animo ſuo ſeculi facultates,amoris diuini nouacula raſerit. Proinde Dñs noſter,qui legem non ſoluere,ſed adimplere venit,vt iſta quoq; Leuitarum lex à ſuis aſſumptis poſsit impleri,dicit adoleſcenti diuiti: Si vis perfectus eſſe,vade & vende omnia quæ habes,& da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo,& veni,ſequere me. Ac deinceps: Et omnis qui reliquerit domũ vel fratres,&c. Hãc planè Leuitarum eſſe raſuram, Moyſes quoque in Deut. probat, cùm dicit in benedictione Leui,qui dixit patri ſuo,& matri ſuæ,neſcio vos,& fratrib. ſuis,ignoro illos,hi cuſtodierunt eloquium tuũ,& pactum tuum,ſeruauerunt,iudicia tua ô Iacob, & legem tuã ô Iſrael.

Leuitæ Chriſti. Matth. 19.

CA. VIII. Deut. 33.

De eiſdem,& quid ſit, quòd filij Iſrael manus ſuper Leuitas,& Leuitæ manus ſuas ponunt ſuper capita boum,qui immolandi ſunt.

CAPVT XXI.

SIc(inquã) ſpiritualiter debere radi filios Leui,probat hic ipſe Moyſes, cùm & illic protinus ſubiungit: Ponẽt thymiama in furore tuo,& holocauſtum ſuper altare tuum, & hic cũ dixiſſet: Aſpergãtur aqua luſtrationis,& radant oẽs pilos carnis ſuæ, continuò ſubdidit: (Cumq; lauerint veſtimenta ſua,& mundati fuerint, tollent bouem de armentis,& libamentum eius, oleo ſimilã conſperſam. Bouẽ autem alterũ de armento accipies pro peccato,& applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis, conuocata omni multitudine filiorũ Iſrael. Cumq; Leuitæ fuerint coram dño,ponent filij Iſrael manus ſuas ſuper eos,& offeret Aaron Leuitas munus in conſpectu dñi à filijs Iſrael, vt ſeruiant in miniſterio eius. Leuitæ quoque ponent manus ſuas ſuper capita boum,&c. Quidnam eſt aqua aſperſos Leuitas, & raſos lotiſq; veſtib. mundatos, bouem alterũ in holocauſtum, alterum pro peccato,manibus ſuis ſuper capita poſitis,coram domino tangere, poſitis antea vel in ſimul manibus filiorum Iſrael ſuper ſe? Quid,inquã,hoc eſt,niſi ſpiritualis propoſiti viros à proprijs vitijs mundatos, à cunctis facultatibus curiſq; ſeculi raſos,ad hoc ſolum vacare,ad quod aſſumpti ſunt, videlicet vt ponant thymiama in furore domini,& holocauſtum ſuper altare eius.i. interueniant pro peccatis populorum? Filij nanq; Iſrael manus ſuas ſuper Leuitas, qui ab ipſis decimas accipiant, & Leuitæ manus ſuas ponunt ſuper capita boum: è quibus vnum, inquit,facies pro peccato,& alterum in holocauſtũ,quando ſpiritualis ordinis viri,ſeculariũ peccata ſuſcipiunt, quorũ ex eleemoſynis viuũt,& ea corã Dño ſacrificijs orationũ oblatis deprimere, & vſq; ad remiſsionẽ vel indulgentiã eorũ ſuperare cõtendunt. Quod quia magna eſt inſtantia faciendum, in fine capituli,trina repetitione cõmemoratur factum. (Fecerũtq; Moyſes & Aarõ, & omnis multitudo filiorum Iſrael ſuper Leuitis,quę præceperat dominus Moyſi.) Et deinde. (Purificatique ſunt, & lauerunt veſtimenta ſua, &c.) Ac deinde tertio (Sicut præceperat dominus Moyſi de Leuitis, ita factum eſt.)

Deut. 33.

De eo quòd Leuitæ à XXV. annis & ſupra miniſtrẽt,& à quinquageſimo anno cuſtodes vaſorũ fiãt.

CAPVT XXII.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs: Hæc eſt lex Leuitarum. A XXV. annis, & ſupra ingredientur vt miniſtrent in tabernaculo fœderis. Cumq; quinquageſimũ annum impleuerint, ſeruire ceſſabunt, eruntq; miniſtri fratrum ſuorũ, in tabernaculo fœderis, vt cuſtodiant quæ ſibi fuerant cõmendata.) Quid per annum quintum ac viceſimum, in quo flos iuuentutis oboritur, niſi ipſa contra vnum quodq; vitium bella ſignantur? Et quid per quinquagenarium, in quo iubilei requies continetur, niſi interna quies edomito bello mentis exprimitur? Quid verò per vaſa tabernaculi, niſi fideliũ animæ figurantur? Leuitæ ergo ab anno viceſimo quinto tabernaculo deſeruiant,& à quinquagenario cuſtodes vaſorum fiant, vt videlicet qui adhuc impugnantium vitiorũ certamina tolerant, aliorum curã ſuſcipere non præſumant. Electi enim cùm adhuc in tentatiõe ſunt, ſubeſſe eos,ac ſeruire neceſſe eſt,& obſequijs laboribuſq; fatigari. Cũ verò tentationum bella ſubegerint, quo apud ſe iam de intima tranquillitate ſecuri ſunt, animarum cuſtodiã ſortiantur. Mentis quippe ætate tranquilla,dum calor receſſerit tentationis,cuſtodes vaſorum ſunt, quia doctores animarum,vel rectores fiunt.

CAP. IX.

Exod. 12. 1. Cor. 5. Rom. 6. Num. 25. & 50.

De eo q ait: Homo qui immundus fuerit anima hominis ſiue in via procul, faciat phaſe domino menſe ſecundo.

CAPVT XXIII.

FAciant filij Iſrael phaſe in tempore ſuo, quarta decima die menſis huius ad veſperam iuxta omnes cæremonias,& iuſtificationes eius. Præcepitq; Moyſes filijs Iſrael, vt facerent phaſe. Qui fecerũt tempore ſuo,quarta decima die menſis ad veſperam in monte Synai. Iuxta omnia quæ mandauerat Dominus Moyſi, fecerunt filij Iſrael.) Magnæ ſolennitatis, quæ Hebraicè dicitur, phaſe, id eſt, tranſitus, definitionem & legem nouimus, vnde & in Exodo plenius diximus, videlicet quia paſcha noſtrum immolatus eſt CHRISTVS, & eius ſanguine ſemel quidẽ poſtes noſtros ſignauimus, quando in morte eius baptizati ſumus: ſemper autem carnibus eius, & eodem ſanguine cum azymis ſynceritatis & veritatis epulari debemus. Sed videamus quid ſequitur.

(Eccè

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eccè autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere in die illo pascha, accedentes ad Moysen & Aaron dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis. Quare fraudamur, vt non valeamus offerre oblationẽ Domino, in tempore suo inter filios Israel? (Per hanc occasionem cõsulto domino, quod deerat legi, ita suppletũ est. (Homo, inquit, qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat phase Domino, mense secundo quarta decima die mensis ad vesperam, cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud, &c.) Hæc pars legis & Iudaicæ immunditiæ prophetia, & singulorum hominum discernendæ causæ regula est. Iudæi nanque super anima immundi sunt, quia Christum occiderũt, & idcircò cæcitas contigit in illis, vt non videant, quia verum pascha Christus est, do nec plenitudo gentium ad istud paschale cõiuium subintret. Futurum tandẽ est, vt reliquiæ ex eis saluæ fiant, non aliter quã per esum eiusdem agni, non aliter quã signatis postibus frontium suarum sanguine Christi. Hoc, inquam, futurum est: Immundi igitur super anima, phase domino primo mense nõ faciunt, secundo autem facturi sunt, quia videlicet sanguine Christi polluti Iudæi, nunc eius carnem non comedunt, neq; sanguinẽ bibunt: circa finem verò seculi comesturi ac bibituri sunt, qui ex eis erunt residui. Porrò super singulis hominibus hæc discreta synodicæ distructionis censura est, vt qui summo gradu phase Domino facere, id est, sacrosancta altaris mysteria celebrare debuerãt. Verbi gratia: Presbyter aut diaconus si super anima immundus fuerit, id est, si crimen quod morte dignum sit, admiserit, laica deinceps communione contentus sit. Hoc modo planè secundum hanc mysticam legem quasi de primo mense differtur in secundum, quia de superiore gradu detruditur ad infimum.

De eo quòd eleuata nube proficiscebantur filij Israel, & quòd in loco vbi stetisset, ibi castrametabãtur.

CAPVT XXXIIII.

CVmque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebãtur filij Israel, & in loco vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur. Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium eius figebant tabernaculũ, &c.) Glorioſum quidem & honorificum secundum historiam fuit ducibus illis, exercitibus illis, quod ad imperiũ domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculũ, manentes in eodem loco, quod per verbum domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur, erantque in excubijs domini iuxta imperium domini, per manũ Moysi. Verũ illa cælestia, quorum secundum exempla ista facta sunt, occultiora quidẽ, sed glorioſiora quã hæc sunt. Quæ sunt illa? Videlicet, quod patres nostri, duces nostri, qui spirituali procinctu expediti deuexerunt ad nos sanctuarium Domini, incarnationem, siue natiuitatem, passionem, & ex mortuis resurrectionem, atque ascensionem prædicantes Christi filij Dei, non ad suum arbitrium, quo volebant ipsi proficiscebantur, sed quãdo, quo, vel quomodo imperabat illis spiritus Iesu. Nam hinc est illud, quod in Actib. Apost. legimus: Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetiti sunt à sancto spiritu loqui verbum in Asia. Cũ venissent autẽ in Misiam tentabant ire Bithyniã, & non permisit eos spiritus Iesu. Cùm autẽ pertransissent Misiam, descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Mácedo quidam erat stans, & deprecãs eum dicens: Transiens in Macedoniam, adiua nos, vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quia vocasset nos Deus euangelizare eis. Igitur & isti ad imperium domini proficiscebãtur præcedente illos nube, quæ est Christus, videlicet secundum humanũ corpus, de qua nube plenius in Exodo diximus. *Actor.16.*

De duabus tubis ductilibus argenteis, & de distinctione clangoris, & cur duæ tantum fieri iussæ sint.

CAPVT XXV.

LOcutus est Dominus ad Moysen dicẽs: Fac tibi duas tubas ductiles argenteas, quibus conuocare possis multitudinẽ, quando mouenda sunt castra. Cumq; increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba, ad ostium fœderis tabernaculi.) Penè naturale est humanis animis, tubarum cantib. affici, & pro qualitate sonituum aut terrore concuti, aut animositate efferri, aut reuerentia cõponi. Quod scire dignatus animorum dator & conditor Dominus, diligentem clangoris distinctionem fecit hoc modo: (Si semel clãgueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel. Sin autem prolixior atq; cõcisus clangor increpuerit, mouebunt castra. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit & non concise vlulabũt.) Motionem castrorum, siue exitum ad bellum prolixus atq; concisus enunciat clangor tubarum: simplex, id est, non cõcisus, congregandum inuitat populum. De conciso & vlulãte sonitu illud est in prophetа Oseæ: Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, vlulate in Bethauẽ post tergum tuũ Beniamin: Secundum proprietatem clangoris siue vlulatus cõcisi, propriè ipsam quoq; locutionem suam Propheta quadrimembri distinctione concidit. Porrò de clangore simplici, id est, non conciso illud est in propheta Iohel: Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum dei vestri, & clamate ad dominũ, ah, ah, ah, diei, quia propè dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet. Medium horum est clangere semel ad solos sufficiens congre- *CAP. X.* *Osea 5.* *Iohel 2.*

gandos principes, vel capita multitudinis Israel. Iuxta sensum spirituale clangor tubarum vox est prædicatorum, sine quibus vtiq;, quamuis pulchra, quamlibet ordinata castrorum acies, terribilis nó est. Nam quod prædicationem vel peccatorum increpationem, tubarum clangor significet, in prophetis tacitum non est, & cur duæ potius quam tres aut quatuor fieri debuerint, itidẽ in prophetis significatum, & in Christo reuelatum est. Quid enim aliud núciat tuba prædicationis, nisi futurum diem tremendi iudicij, quẽ admodum & in propheta Iohel paulò antè dictum est, quia propè est dies domini? Porrò iudicis eiusdem, non vnus tãtum, sed duo aduentus sunt. Vnus quo iam venit iudicandus, alter quo veniet iudicaturus. Vterq; terribilis, præsertim illis, apud quos vel contra quos præcipuè scriptura prophetica clangit: vterq;, inquam, terribilis aduẽtus illis, vterq; aduẽtus iudicij. Nã de primo aduẽtu dicit: In iudiciũ ego veni in hũc mundũ, vt qui nó vidẽt, videãt: & qui vidẽt, cęci fiãt. De secundo aduentu an sit terribilis, superfluum est quęrere, vel ꝓbare testimonijs. Igitur quia duo sunt aduentus tremendi iudicis, circa quos omnis scriptura diuinitus inspirata, omnis scriptura legalis, prophetica, atque euangelica omnem operam suam, totum spiritum, & omne canamen suum expendit, rectè non tres aut quatuor, nó inquam, plures aut pauciores, sed duas tantum tubas iubet dominꝰ facere Moysi. Quæ in hoc argẽteæ sunt, quia prædicatorum verba lucis nitore parent, & auditorum mentem nulla sui obscuritate cõfundunt. Nam eloquia domini (Psalmista inquit) eloquia casta, argentum igne examinatum. Idcirco autem ductiles, quia necesse est vt prædicatores qui secũdum veritatem scripturarum ambulant, tribulationum tunsionibus crescant. *Iohan. 9.* *CAP. XI.* *Psal. 11.*

De eo quod ait: Si semel clangueris, venient principes, &c. quòd secundum hæc prædicatio dispensanda sit.

CAPVT XXVI.

SI semel clangueris, veniẽt ad te principes, & capita multitudinis Israel. Sin autẽ prolixior atq; concisus clãgor increpuerit, &c.) Summoperè hęc tenenda distinctio est septẽ angelis stantibus in cõspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ, qui parauerunt se, vt tuba canerent, id est, omnibus prædicatoribus in ecclesia Dei præeminentibus, quibuscunque datum est desuper doctrinæ donum perfectum, quicunq; impositũ sibi sanctæ prædicationis officium susceperũt. Nam in figura quidem vel significatione, duæ (vt supra dictum est) tubæ, fieri iussæ sunt: sed in re & veritate euãgelica, sicut multi prædicatores, sic & multa secundum diuisionem gratiarũ data sunt, quorum vniuersitas per septenarium angelorum atq; tubarum rectè intelligitur numerum. Hæc, inquam, distinctio vel discretio soler ter obseruanda est, vt quando cõgregandus est populus, simplex tubarum sit clangor, & non concisè vlulans: quando autem exeundum ad bellum, prolixior atq; concisus clangor siue vlulans increpet: quãdo verò vocantur principes, vel capita multitudinis clangant semel, id est, cum primùm auditores vocantur ad fidem, terribiliter & grauiter futurum illis annuntietur iudicium: quando autem iam habentibus sermo porrigitur, temperatè excitentur ad bellum contra phalanges vitiorum: quando verò cũ cum illis agitur, qui iam benè instituti sunt, & spiritualiter viuunt, suauiter cum illis familiare habeatur colloquium. Hunc discretionis modum, Paulus tuba canentium optimus, dispensare sciens Romanis, qui adhuc in fide tam rudes erant, vt non intelligerent, Dei se gratia & nó suis meritis esse saluatos, & ob hoc contra Iudęos cõflictarent, ita grauissimè loquitur, dicens: Reuelatur enim ira Dei super omnem impietatem, & iniustitiã hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est illis, &c. in quibus vitia gentilitatis priora commemorans, simplici vtique quasi tubarum clangore personat, & non cõcisè vlulat, ad hoc tendens vt congreget populum, vt discordes pacificet animos duorũ populorum. Porrò ad Corinth. iam secundam scribens epistolam, nec iam de fide vel gratia, sed de pugna agens vitiorum, quasi clangorem concidens temperatum, & per arma, inquit, iustitiæ à dextris, & à sinistris per gloriam & ignobilitatem, & per infamiã & bonam famam: vt seductores & veraces: sicut qui ignoti & cogniti: Quasi morientes, & ecce viuimus. Vt castigati, & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locupletantes. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Tandem post plurima huiusmodi, item quasi cum conciso vlulatu dicit: Rogaui Titum, & misi cum eo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus? Nonne eisdẽ vestigijs? Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur. Omnia autẽ charissimi, propter vestram ædificationem. Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis qualem non vultis, ne fortè contẽtiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, scurrilitates, susurrationes, inflationes, seditiões, sint inter vos, ne iterum cũ venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos, ex his qui antè peccauerunt, & nó egerũt pœnitẽtiam. Vbi verò quodámodo solos vocat principes, & in vno discipulo benè instituto cunctos commonet, qui sunt capita multitudinis Israel, quasi tuba clangit semel, id est, summissè loquitur: quia videlicet sapienti semel dixisse satis est. Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam *Roma. 1.* *2. Cor. 6.* *Ibid. 13.* *1. Tim. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam Dei, quę est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritū timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaq; erubescere testimonium domini nostri, &c. quæ omnia summisse & penè communi loquitur loquitur sermone.

De eo quod ait: Si quādo habebitis epulum, &c. quod benè fiat, in ecclesia Christi.

CAPVT XXVII.

FIlij Aaron sacerdotis clangent tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si quando habebitis epulum & dies festos, & calendas: canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri.) Optima sancta Romana ecclesia, & hoc legitimum sempiternum voluit esse in generationibus suis. Nam quoties epulum habet, & dies festos, & calēdas, quis non admiretur, quāto spiritualium clāgore tubarum concrepet super holocaustis & pacificis victimis suis? Quod enim est ei⁹ epulū, nisi corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi sacramentu? Qui sunt dies festi eius, quæ calendæ eius, nisi incarnationis vel etiam natiuitatis eiusdem Christi filij Dei dies annuus, amplius autem glorioſimū resurrectionis eius tempus? Hi dies festi eius, hæ calēdæ eius sunt, & pręterea sanctorum apostolorum, & beatorum natalitia martyrū. Quis, inquam, aures audiendi habens, non concutiatur, attonitus clangore eius, in istis diebus? Quis nō admiretur ordinem animi eius? Tātas ac tales tubarum spiritualium voces, cùm musicæ dulcedinis pulchritudine circa epulum, quod illi Deus dedit, circa mensam Christi, qui hæc festa tribuit: tantas, inquam, ac tales tubarum cælestium voces de toto scripturarum sanctarum thesauro, circa holocaustomata, & pacificas victimas ad canendum atq; legendum consciuit, vt si quis eorum rationē inuenire meruerit, verac⁹ter ei⁹ anima dicere possit illud
Can. 1. et 2 de canticis cāticorum. Introduxit me rex in cubiculum suum, introduxit me rex in cellā vinariam.

De eo quod cum proficiscerentur filij Israel de deserto Sinai, ait Moyses socero suo: Noli nos relinquere, veni nobiscum, & eris ductor noster.

CAPVT XXVIII.

ANno secundo, mēse secundo, vicesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis. Profectiq; sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharam, mouerūtq; castra. Dixitq; Moyses Obab filio Raguel Madianitæ cognato suo. Proficiscimur ad locū quē dominus daturus est nobis. Veni nobiscum, vt benè faciamus tibi, &c.) Plerunq; persuadere elatis vtilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius, quàm illis profuturū dicamus, si eorum melioratione nobis magis quam sibi impendi postulamus. Facile enim ad bonum elatio flectitur, si eius in flexio prodesse & alijs credatur. Vndè hic qui regente se Deo iter deserti ducente aerea columna pergebat, cùm Obab cognatum suum à gentilitatis suæ conuersatione vellet educere, & omnipotentis Dei dominio subiugare ait: (Proficiscimur ad locum quem dominus daturus est nobis, veni nobiscum, vt benè faciamus tibi, quia dominus bona promisit Israeli. Cui cum respondisset ille, non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum, ilico adiūxit: Noli nos relinquere, tu enim nosti in quib. locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster.) Neque enim Moysen ignorantia itineris angustabat, quem & ad prophetię scientiam cognitio diuinitatis expanderat, quem columna exterius præibat, quē de cunctis interius per conuersationem Deo sedulā locutio familiaris instruebat. Sed videlicet prouidus vir elato auditori colloquens, solatium petijt, vt daret: ducē requirebat in via, vt dux ei fieret ad vitam. Egit itaq; vt superbus auditor, voci ad meliora suadenti eo magis fieret deuotus, quo putaretur necessarius: & vndè se exhortatorē suū pcedere crederet, inde se sub verbis exhortationis inclinaret.

De eo quod cum eleuaretur arca, dicebat Moyses: Surge domine, et dissipentur inimici tui, et de exaltatione Christi, secundum sensum psalmi sexagesimi septimi.

CAPVT XXIX.

CVmq; eleuaretur arca, dicebat Moyses: Surge domine, & dissipētur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Cum autem deponeretur, aiebat: Reuertere domine ad multitudinē exercitus Israel.) Leuata nube, mouentibus castra principibus, Moyses persistens in contemplatione exemplaris eius, quod illi in monte ostenderat dominus, vt sæpè repetens hæc scriptura testatur: Surge, inquit, domine, siue exurgat Deus, vt dis- *Psalm. 67.*
sipentur inimici eius. Nam hinc principium, hinc cælestem habet causam siue materiam psalmus sexagesimus septimus: Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Quo ergo Deus exurgat? Illic vtiq;, quo exurrecturū illum nubes eleuata figurat. Hoc nempè in Psalmista propheticus scrutatus spiritus, quid sibi velit, cp eleuata nube, principes castra mouētes proficiscuntur: ascēdisti in altum, inquit, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Ac deinceps: In præsentis loci sensu mystico persistens: viderunt, inquit, ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuēcularum tympanistriarum. Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu. Principes Iuda duces eorū, principes Zabulon, principes Nepthalim. Tertius accepit Apostolus, totoq; amoto velamine sensum amborum reuelata facie manifestius loquitur, quæ videlicet sit eleuatio nubis, & qui castrorū principatus, quę ascensio in

sio in altum, & quæ dona in hominibus. Vnicuiq; nostrum, inquit, data est gratia, secūdum mensuram donationis Christi. Propter
Ephe. 4. quod dicit: Ascendens in altum, captiuā duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummatiōem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Exurgat igitur Deus, id est, ascēdat in altum Christus, & per istos principes qui eleuata nube carnis eius ad nos missi proficiscuntur, per Apostolos, euangelistas, prophetas, doctores, atque pastores, per istos (inquā) principes Iuda, principes Zabuló, principes Nepthalim, qui sunt fide pulchri, spe fortes, & charitate dilatati, vbi est & Beniamin adolescentulus in mentis excessu, scilicet, Paulus apostolorum minimus, vsque ad tertium cælum raptus. Dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius, quod factum est, & fit, & in fine seculi vsque ad consummatam victoriā fiet. Cùm aūt deponeretur arca, aiebat Moyses: Reuertere domine ad multitudinem exercitus Israel. Et hoc vtique fiet, cùm plenitu-
Roma. 11. do gentium subintrauerit. Tunc enim dominus ad illum carnalē Israel reuertetur, vt ex eis reliquiæ saluentur.

De murmure populi, quod ortum est, & quòd cucumeres, & pepones concupierint, & de manna, cuiusmodi fuerit.

CAPVT XXX.

CAP. XI. INterea ortum est murmur populi, quasi dolentium, præ labore contra dominum. Quòd cum audisset, iratus est. Et accensus in eos ignis domini, deuorauit extremam partē castrorū. Cumq; clamasset populus ad Moysen, orauit Moyses ad dominum, & absorpta est ignis, vocauitque nomen loci illius Incensio, eo quòd succensus fuisset cōtra eos ignis domini.) Abhinc causæ ordiuntur propter quas (vt in initio libri huius Numeri dictum est) venter comedentis amaricetur. Omnes qui recensiti fuerant à vicesimo anno, & supra, abhinc exterminantur, & eorum corpora in deserto prosternuntur, in figuram vide-
1. Cor. 10. licet nostri (vt ait Apostolus) qui omnes baptismo Christi candidati currere incipimus, sed non omnes comprehendimus: & omnes pugnare videmur, sed non omnes coronamur. Prima hæc causa, tentatio concupiscentium est, tentatio, inquam, & concupiscentia gulę illecebrosę seruiētium. Dixerunt enim: (Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porri, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciūt oculi nostri nisi Man.) Hæc, inquam, dixerunt tentando concupiscentes, concupiscendo tē-
Psal. 77. tantes. Dixit enim Psalmista: Et tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo, dixerunt: nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? &c. Miseri plane & contemptibiles, qui talem fastidientes panem, dum concupiscunt carnem, illuc vsque rixa ventris deuoluti sunt, vt tam viles anhelanti desiderio respicerent herbarum species. In mētem, inquiunt, veniunt nobis cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Cucumis namque natura frigida est, stomacho incommoda. Pepo Græcum nomen est, & origo eius Latinis incerta, natura eius nimis frigida. Porri & cepe notum est, quia gustu insuaues sunt, comedenti namque interdum lachrymas eliciūt. De allio quoq; certum est, quod insuauissimū sit. Vndè & odiosè ludens Flac-
Horatius. cus, ita conqueritur: Parentis olim si quis impia manu Senile guttur fregerit, Edat cicutis allium nocentius. Proinde culpans, eorumque culpam scriptura vehementer exaggerans. (Erat autem, inquit, Man, quasi semen Coriandri coloris Bdellij. Circuibatq; populus, & colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortariolo, coquens in olla, & faciēs ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Cūque descenderet nocte super castra, ros descēdebat pariter & Man.) Ad increpandum illos panis diuinitus accepti speciem colorem atque saporem, simul & spontaneam expresit affluentiam. Coriandrum herba est medicaminibus apta, quæ Græcè Corion dicitur. Bdellium succinum est ex Bdellio fluens arbore aromatica. Propter huiusmodi concupiscentiam, accensus, inquit, in eos, ignis deuorauit extremam partem castrorum, vocatumque est nomen illius loci Incensio, eo cp incensus fuisset contra eos ignis domini, siue sepulchra concupiscentiæ: ibi enim, inquit, sepelierunt populum, qui desiderauerat.

Quòd eorum similes primùm Iudæi sint, deinde omnes quicunq; in ecclesia neglecto proposito, fastidiunt verbum Dei siue mysteria Christi.

CAPVT XXXI.

HOrum similes, imò & filij, primo loco illi fuerunt, qui ex circuncisione cōuersi in primordijs euangelicę fidei proposita sibi mensa panis viui qui de cælo descendit, *Esaiæ 1.* quod est manna verum, quod est viuum & *Hiere. 7.* verum sacrificium, quod est ipse Christus, cp est verū corporis & sanguinis eius sacramentum, hoc inquam, proposito sibi cibo respexerunt ad ollas carnium, ad carnes veterum holocaustomatum, & victimarū, quæ Deus non quæsiuit de manibus patrum ipsorum, sicut prophetæ testati sunt, & pro illis contē-
Acto. 15. dentes & rixantes contra Apostolos diuisi, reuera in Aegyptum reuersi sunt, in tenebras vetustatis antiquę reuoluti sunt. Secundo loco murmuratorū supradictorū similes, imò & filij sunt, quicunq; audita voce dicētis: Venite ad me oēs qui laboratis & onerati estis, *Matth. 11.* & ego reficiam vos, boni cursus initium arripiunt, sed pristinis inescati desiderijs cursum

Universidad de Deusto
Biblioteca

non perficiunt, propositum sibi fastidientes Dei verbum, vel etiam sacrosanctum altaris Christi officium, propter quod labores & onera seculi reliquerunt, sanctum confitentes otium, quo vacare possent ad videndũ Deũ. Nam ex istis plerique nonnunquã desiderio flagrauerunt, recordati carnium, quarum super ollas in seculo sedebant, & piscium quos comedebant, & in mentẽ venerunt illis cucumeres, & pepones, porriq́, & cepe, & allia, qualibus interdũ refrigerari gaudet, æstuans quoq; vẽter crapulati diuitis, iuxta illud Flacci. Nec dũ omnis abacta est pauperies epulis regũ. Cũ crapula plenus atq; acidas mauult hinnulas. Hi dũ talib. occupati desiderijs, sacræ lectionis vel susceptiofficij non habent studiũ, profectò memores Aegypti, cæleste mãna fastidiunt, sicq; inquieti, aliosq; turbantes, prælatũ sibi quempiã seruum dñi vehementer affligunt, vt cum isto Moyse dicat ad dñm? Quare nõ inuenio gratiam coram te.)

De eo quod ait: Cõgrega mihi septuaginta viros, &c. Et quomodo dixerit, & auferam de spiritu tuo, tradamq́, eis.

CAPVT XXXII.

ET dixit dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de seniorib. Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq́ue ibi stare tecum, vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamq́ue eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.) Vna eademq́; ex fornace, & ad bonos lumen, & ad malos erumpit incendium. Vno, inquam, ex camino tribulationis, & in reprobos accensus est ignis domini, & in electos diffusus est, qui in Moyse erat, spiritus domini. Cur hoc, nisi vt daretur spes omnibus qui affliguntur exemplo Moysi, qui piè viuere volẽtes, malis moribus illorum, quorum curam susceperunt, afflicti gemunt, vt sperare scirent, quòd ipsis in labore fatigatis, & penè deficientibus, plurimi ex ipsorum proficiant virtutibus? Non enim frustra dictum est: Et auferam de spiritu tuo, tradamq́; eis: cùm dici potuisset sic, & de spiritu meo dabo eis. Nam quia patientia merebatur Moysi, vt plures acciperent spiritum domini, quatenus ex ipsorum profectu, meritum accresceret illi, rectè sic dictum est, & auferam de spiritu tuo, tradamq́; eis. Nec verò quia dictum est, auferam, pueriliter suspicemur particulam diuisam, atque idcirco Moysi diminutam quã habebat Moyses spiritus domini gratiam. Sic enim ignis elementaris eius est potentiæ, vt licet diuisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non nouerit, quanto magis spiritus domini ver⁹, & æternus ignis, cum pluribus impertitur, diminutionem non sentit? Igitur quod dixit, auferam, idem ac si dixisset, accipiam. Notãdum verò diligenter, quod cum dixisset: Cõgrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel: addidit, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac magistri. Nam reuera Deus non senectutem annorum, sed senectutem requirit animorum. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neq; annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Ita senectus vel isti cani, non tam oculis corporis, sed iudicio agnoscuntur rationis, & tales hoc loco Deus manifestè requirit, dum determinat sic dicendo, quos tu nosti. *Sapien. 4.*

De eo quod locuta est Maria & Aaron contra Moysen, & quæ fabula conscripta sit de vxore Aethiopissa.

CAPVT XXXIII.

LOcutaq́ue est Maria & Aaron contra Moysen propter vxorẽ eius Aethiopissam, & dixerunt: Nunquid per solũ Moysen locutus est dominus? Nónne & nobis similiter est locutus? Quod cum audisset dominus, iratus est.) Propter vxorem eius, inquit, Aethiopissam. Ex occasione verbi huius fabulam huiusce modi scriptores Iudaici tradiderunt. Moyses Thesmuth filiæ regis Aegypti adoptiuus, ab ipso capiti suo impositam coronam regiam in terram proiecit & comminuit, quòd Aegyptijs vatibus præsagientibus fuit indicium, per illum destruendum Aegyptium regnum. Quam rẽ Pharao præcauens, hunc qui regni sui præuidebatur fore exterminium, præcepit sine mora extingui, sed à filia ei⁹ offensę propitia, morti subtrahitur, & suo populo incolumis remittitur. Post multa tempora Aethiopibus Aegyptum impugnantibus, cum penè superarent hi, Aegyptij verò succumberent, ab hariolis diuinatum est: Aegyptum Aethiopiæ subigendam, nisi Israelitico duce, eorũ sulta militia, iret, hostiles restringere incursus, per quẽ solum communis veraciter expectaretur triumphus. Mox diuina ordinatur prouidentia, huic periculo, à Pharaone Moyses, vt forte si hostes nó feriret, saltem ab hostibus ipse interiret, eligitur: sed aliter quam sperabat, Deus ordinabat, qui illum & victorem Aethiopum, & prophetiæ quondam prædictæ in collisione coronæ regiæ præuidebat testimonium. Accingitur ergo Moyses ad militiam, subscribitur & multa militũ manus, procedit cum spe victoriæ, sed à Pharaone expectatur cũ discrimine sui, & Aegyptiæ confusionis. Ventum est ad muros hostiliũ vrbiũ. Virtus quam ministrat Deus, suo quandoq; futuro militi, nunc autem Aegyptio satelliti, hostes viriliter oppugnat, frangit, incurrentes elidit, omneque robur eorum hactenus infractum debilitat, & non iam vt cruentam cum damno militum suorum conquirit victoriam, sed vt nobilem cum gloria & salute suorum reportat palmam. Ad cumulum etiam suæ laudis, filiam regis Aethiopum cõiugem sibi sociat, primum, ab illa expetitus ob gratiam pulchritudinis, dein ab ipso adamata

amata ob confœderationem vtriusq; regni, quæ plenius componebatur ex copula tam insperati coniugij. Redit ergo ad Pharaonẽ, non solum triumphum, sed etiam reportans pacis & concordiæ vnanimem affectum. Sed duplici maluisset Pharao triumphare lætitia, si cum deuicto hoste, contigisset Moysen victorem oppetere.

De vxore eius Aethiopissa, & qualiter Moyses pro eo quod vir mitissimus esset, defensorem sibi Deum magis tacendo constituerit, & de eo quod ait: At non talis seruus meus Moyses.

CAPVT XXXIIII.

Exo.2. VErùm hoc, quia de scripturis nõ habet auctoritatem, facilè contemnitur. Sed & quid opus est quærere, extra præsentẽ scripturam, cur obloquentes dixerint, vxorem eius Aethiopissam? Nam cum Moyses vxorem duxerit filiam Ietro sacerdotis Madian, terra autem Madian vicina sit terræ Aethiopum, rectè intelligitur, quòd pro eo quod dicerent vxorem Madianitidem, dixerint vxorem Aethiopissam, sicut sẽ habet amaritudo rixantium, vt semper è vicino rapiat, quod valeat ad augendum contemptum. Paulò ante Ietro reduxerat illam, & indignari cœperunt de fratre suo, duce suo, quod haberet vxorem alienigenam. Poterat calumnia contutari vel sola auctoritate Moysi, quod videlicet reprehendi nón deberet à subditis prælatus præsertim is per quem Deus tanta, tamque manifesta loqueretur. Inualuit econtra pertinaciter superbia carnalis, & superbiam spiritualem proficiendo impetus generauit. Dixerunt enim: Nunquid per solum Moysen locutus est dominus? Nónne & nobis similiter est locutus? Videlicet quia paulò antè creuerat turba prophetantium, septuaginta namq; seniores, propheticum acceperant de ipso Moyse spiritũ, dicente domino Moysi: Auferam de spiritu tuo, tradamq́ue eis, id circo quasi pro multitudine prophetantiũ, vnus prophetarum maximus decrescebat, & vilescebat in eorũ oculis. Hoc frequẽter accidit & in ecclesia Christi, vt magistrũ succrescentes discipuli, prælatũ illustrẽ subditi, pãtrẽ contentiosè audeãt obscurare illustres filij. Tale quid & Paulo Apost. cõtigerat, cũ diceret ipse Corinth. Iã saturati estis: Iã diuites facti estis. Sine nobis regnatis, & vtinã regnetis, vt & nos vobiscum regnemus. Ac deinceps: Non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem milia pædagogorũ habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Igitur quia sic primò contigit Moysi, sanciendum fuit exemplum in primis, quod deinceps timerẽt secuturi. Quod cum audisset dominus, irat⁹ est. Quare? Erat enim (inquit) Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terrã.) Dulcis quidem laus, & vehemẽter magna laus, egregiæ virtutis, quam possidens omnis prælatus rectè dicere possit, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: ostendens, quòd iustè Deus iratus sit, vel irasci debuerit, quia videlicet Moyses non vtcunque mitis, sed & mitissimus erat super omnes homines, qui habitabant in terra. Nullo modo seipsum defendebat, & hoc pacto quasi legitima causa defensorem sui Deũ magis tacendo constituebat. Nam mihi vindictam & ego retribuã, dicit dominus. Verùntamen parum dictum est, quia mitissimus erat, sed pro merito Moysi laus ista longè inferior. Suppleuit ergo dominus de Moyse, quod Moyses de seipso minus dixerat. Ait enim: Audite sermones meos. Si quis fuerit inter prophetas domini, in visiõe apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ad eum, & palam, & non per ænigmata domini videt. Quare igitur non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Magna commendatio, fortissima defensio. Attentos auditores esse voluit enuntiatio iudicantis. Audite (inquiens) sermones meos grauitate vsa competenti. Deinde locutionis suæ modos diuidit dicendo: Si quis fuerit inter vos propheta domini, &c. Videlicet quia dixerant: Nunquid per solũ Moysen locutus est dominus? Nónne & nobis similiter est locutus? Mensũram suam cognoscere habebãt, vt minoris & maioris habendo distantiam, non se super se extollerent, cùm obseruandũ sit, & inter æquales quod dictum est, honore inuicem præuenientes. In visione (inquit) apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Somnia futurarum præferunt imagines rerum, & si prudenté habuerint coniectorẽ, quædã prophetiæ sunt. Prius rerũ futurarũ imagines vel figuræ conspiciuntur, & deinde conijciẽdo rẽs ipsæ ex parte præuidẽtur. Sic Ioseph in Aegypto somnia Pharaonis. Sic Daniel in Babylonia sõnia Nabuchodonosor prius audiuit, & ipse sua vidit, ac deinde reuelãte spiritu de cõijciendo nõ in incertũ de rebus futuris prophetauit. At nõ (inqt) talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Non hic prius figuras per somniũ cõspicit, & deinde de futuris rebus cõijcit, sed potius ecõtra prius res ipsas de longinquo futuras prospicit, & deinde figuris & ænigmatibus pro tempore operit atque inuoluit. Nam hinc sæpè dictum est. Inspice & fac secundũ exẽplar q̃ tibi in mõte mõstratũ est. Ait ergo: Ore enim ad os loquor ei, & palã nõ per ænigmata dominũ videt: Ac si dicat: Prius claro intuitu rerum futurarum ordinem videt, & quam quam ænigmata cõscribat, & figuras rerum tamen veritatem intrinsecus ipse tenet. Quare igitur non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Percunctatio hæc reos concludens, irati animi est, quam & protinus pœnalis sententia cuestigio secuta est.

Rom.12.

CA.XIII.

1.Cor...

Ibid.4.

Gen.41.

Daniel. 3.

Exo.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod Moyses vxorem habens Aethiopissam, Christum habentem de gẽtibus ecclesiam significat. Lepra verò & separatio Mariæ detrahentis, peccata synagogæ Christum blasphemantis.

CAPVT XXXV.

IRatusque contra eos abijt. Nubes quoq; recessit, quæ erat super tabernaculum. Et ecce Mariam operuit cadens lepra quasi nix, &c.) Propter sensum allegoricum supra repetendum est, & tunc clarebit quid ista prophetissa per gratiã clarificata, & propter culpam à Deo cõputa, id est, leprosa facta significet. Hoc loco Moyses vxorem habens Aethiopissam mysticè Christ⁹ dominus est, peccatricem quondam de gentibus non asperna tus ecclesiam. Hoc nimium ægrè ferunt Aaron & Maria. i. carnale Iudæorum sacerdotium, & tota illorũ vetus sỹnagoga. Hoc inquam ægrè ferunt, de hoc murmurant, magnumque habent inuidiæ tormentum, semper enim gentium salutem oderunt. Hoc ergo non ferẽtes, & hac inuidiæ trabe tenebratum cordis oculum habentes, ad ipsius domini Christi odiũ prorumpunt, & propter condescensionem miserorum, contra ipsam misericordiam consligunt. Dicunt enim: Num per solum Moysen. i. num per solum Christum vestrum Deus locutus est? Nõne & nobis, id est, prophetis nostris, similiter locutus est? Habet nanque lex nostra viros virtutis, qui de terra pariter & de cælo signa fecerunt, mare rubrum & Iordanem fluuium diuiserunt, manna de cælo depoluerunt, solem in cælo stare, vel etiam retrocedere fecerunt. Hæc & his similia illis maligno liuore dicentibus, dominus iratus est. Clarum est, manifestum est, quia superbæ synagogæ & carnali eius sacerdotio dominus iratus est. Dominus pater, dominus filius, dominus spiritus sanctus, genti illi iratus est. Nam ecce leprosa facta est, lepra candente, tota cooperta est. Multum iratus pater, expuit in faciem ei⁹, & proiecit super vultum eius stercus solennitatum eius. Quanto nequior blasphemia eius oblocutione Aaró & Marię, imo quãtò amplioris glorię iste prę Moyse dignus habitus est, tãto plaga gentis illius, lepra synagogæ illius detetrior est. Nam Moyses quidem fidelis erat in tota domo Dei, quemadmodum dicit, at nõ talis seruus meus Moyses, qui omni domo mea fidelissimus est, fidelis inquam, vel fidelissimus in domo Dei, non sua, tanquã famulus, in testimonium eorũ quæ dicenda erant. Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos. Igitur leprosa illa quicquid tangit, immundum est, immundũ, inquam, quicquid attrectat, quicquid concelebrat, & Deo odibile est, separatur ad arbitrium sacerdotis summi, qui penetrauit cælos Christi Iesu, habet vestimenta cissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatam ac sordidam se clamat, de quibus omnibus superius in lege leprosi dictum est, Omni tempore quo leprosa est, & in hac immunditia perfidiæ suæ perseuerat, sola habitabit extra castra: sola inquam extra vera & cælestia sancta, quasi mortua, imò verè mortua, & vt abortiuũ quod proijcitur de vulua matris suæ. A balienata est à vulua, errauit ab vtero, locuta est falsa, quę non docuit eam mater sua fidelis patriarcharum & prophetarũ ecclesia. (Clamat autem Moyses ad dominũ, dicens: Deus obsecro sana eam.) Imò verò tota antiquitas, tota patrum antiquorum proles gente interuenit fides. Sed non sanabitur, non reuocabitur in castra, donec euoluantur septem dies. i. donec plenitudo gentium subintroeat. (Si (inquit) pater eius expuisset in faciem eius, non debuerat saltem septem dieb. rubore confundi.) Planè vera similitudo. Nã reuera si quis filius patrem, quem honorare, cui blandiri debet, ita exasperauerit, ita ad iracundiam prouocauerit, vt ille motus in faciem eius expuat, qui vtiq; faciem filij natura duce, oscula delambere consueuerat, quomodo talis filius sic pro sua proteruia, sputo patris oblitus nõ saltem septem diebus inter cõpares suos erubescat? Cui enim pretiosus esse potest, qui vt vilis à patre suo consputus est? Si ergo (inquit) pater eius expuisset in faciem illius, &c. Ego autem, inquit, pater vester sum, qui dico ad Pharaonem, filius primogenitus meus Israel dimitte filium meũ, & ecce exasperatus quodammodo expui in faciem huius, dum lepra candidissima, lepra quasi niuea. i. verissima, totam operui carnẽ ei⁹. Separetur igitur septẽ dieb⁹, &c. vt supra.

Malach. 2.

Psal. 55.

Exod. 4.

De exploratoribus, qui terræ detraxerunt, & quod illa tentatio causa maxima fuerit, vt fere omnium, qui numerati fuerant, corpora in deserto prosternerentur.

CAPVT XXXVI.

CA. XIII.

PRofectus est Israel de Aseroth fixis tentorijs in deserto Pharam. Ibi locutus est dominus ad Moysen, dicens: Mitte viros qui considerent terram Chanaan, quam ego daturus sum vobis, singulos de singulis tribubus ex principibus. Fecit Moyses quod dominus imperarat, &cæ.) Plana est historia, quia missi exploratores explorauerunt terram, pergentesque ad torrentem botri, abscinderunt palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri, reuerlique post quadraginta dies, detraxerunt terræ quam inspexerãt omnes præter Iosue filium Nun, & Caleph filium Iepphone dicẽtes: terra quã lustrauimus, deuorat habitatores suos, & cõtinuò populus (inquiunt) quem aspeximus, proceræ staturæ est. Quæ profectò sententia nimium præcedenti contraria est. Hic nempè mos est detrahentium, vt dum detrahere studeant, nonnunquam sibimet contraria dicant, non curantes quam in partem verba cadant, dummodo audientium corda subuertant. Tandem cum clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, qui alio spiritu sequebantur dominum, tali sententia

tentia iudicium Domini definitum est. (Viuo ego (inquit) & implebitur gloria Dñi vniuersa terra. Attamen oẽs homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerũt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terrã pro qua iuraui patribus eorũ.) Hæc tentatio decima, cæterarũ tentationũ pessima, causa fuit maxima, cur omnium illorum, qui numerati fuerant, à viginti annis & supra, præter duos iã dictos, nemo in illã repromissionis terrã ingrederetur, sed eorum corpora in deserto prosternerentur. Porrò propheta, immò spiritus S. in Psal. cùm dixisset: Hodie si vocẽ eius audieris, nolite obdurare corda vestra, continuò adiecit: Sicut in exacerbatione secundũ diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde. Et isti non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si intrabunt in requiẽ meã. Hoc testimonio Apost. quoque vtens, continuò subiungit. Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrũ cor malum incredulitatis, discedẽdo à Deo viuo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initiũ substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus, dum dicitur: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbauerunt, sed non vniuersi qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen. Quib. autem infensus est, quadraginta annis? Nónne illis qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

Psal. 49.

Hebr. 3.

CA. XIII

Mysticè quòd nos qui scripturas legimus, exploratores terræ sumus viuentium, & quòd botrus quem portauerunt in vecte duo viri, Christus sit, quem in scripturis legunt duo populi.

CAPVT XXXVII.

IGitur præsentis capituli notissimã teneamus allegoriam, ad instruendum timorẽ sanctum, timorem castum, vt timeamus secundum eundem Apostolũ, ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim & nobis (inquit) annunciatum est, sicut & illis. Quidnam secundum iam dicta Psalmistæ & Apostoli testimonia, terra illa tunc eo modo explorata, nisi requiem domini significat? Quæ autem illa requies domini, de qua iterum determinando diem quandam in Dauid dicit, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, tandem ita cõcludens, quibus iurauit in ira mea, si intrabunt in requiem meam? Quæ, inquam, est hodierna requies dñi diẽ habens determinatũ, post illum septimũ diem, quo requieuit dominus ab operibus suis? Nempe ipsa est resurrectio carnis, resurrectio Christi, gloriosa requies domini. Hanc requiem, hanc terrã viuentiũ, ad explorandum missi sumus, quicunq; scripturas sanctas in manibus habemus, primis Iudæis dño dicente: Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere, deinde & de Apost. euangelista dicente: quia tũc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas: Scripturas nanq; intelligentib. illud rectè decantatur. Introduxit vos dñs in terrã fluẽtem lac & mel, & vt lex domini sit semper in ore vestro. Legẽdo igitur atq; intelligendo ascendimus, terramq; optimam exploram⁹. Perreximus ad montẽ botri, abcisus est palmes cum vua sua, quã deportãt in vecte duo viri. Quid enim est torrens botri, nisi passio dñi nostri Iesu Christi? Nempe de illo sponsa dicit in Canticis. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Et de passione eius per prophetã dictum est: De torrente in via bibet. Explorando itaque venimus vsq; ad torrentẽ botri, legendo nanq; ꝓphetas intelleximus, quia oportebat pati Christũ, & resurgere à mortuis. Quomodo autẽ abcisus est palmes cũ vua sua, nisi quia ferro passionis abcisa est anima eius, & de carne exiuit cum diuinitate dulcissima sibi insita? Nã de isto palmite sic est, & per prophetam præ dictum, quia abcisus est de terra viuentium. Abcisum ergo palmitẽ portant in vecte duo viri, id est, passum & mortuum Christum adorant in cruce duo populi, credentes & confitentes, quia resurrexit à mortuis. Porrò palmitem abcisum portantibus in vecte duobis viris, necessariò qui præcedit, ꝙ portat non videt, qui autem subsequitur, semper præ oculis habet. Ita planè anterior populus, qui beata dominicæ possionis tempora præcesit, dulcissimum botrum, id est, Christũ, quem fide portabat, nõ vidit, nos autem qui subsequimur, videmus, & præsentẽ habemus rem salutis, cuius spem solã habuerunt illi. Vnde & nobis dicitur cũ Apostolis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quia multi reges & ꝓphetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & nõ audierunt. Sed & de malogranatis & de ficubus loci illius tulimus, quia prophetarum mortes vel persecutiões quas passi sunt, passuri Christi testimõia fuisse intellexim⁹. Hoc explorauimus quadraginta diebus. Qui eñ ad explorandam carnis resurrectionem nos admisit, prębuit nobis seipsum viuum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens discipulis, & loquens de regno Dei. Vnus exploratorum dicit: Quòd fuit ab initio, quòd audiuimus, quòd vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt.

Hebr. 4.

Luc. 10.

Actor. 1. 1. Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd illi exploratores qui terræ detraxerunt, mysticè hæretici sunt, maximè qui veram carnis resurrectionem non credunt.

CAPVT XXXIII.

IGitur quotquot spiritu dei agimur, dicimus cum Caleph: (Ascendamus & possideamus terram, quoniã poterimus obtinere eam.) Caleph quasi cor vel canis interpretatur. Et hic ipso nomine non minus quã fide veritatem vel testimonium illorũ exprimit, qui sunt sicut cor Christi Domini, iuxta quod scriptum est: Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meũ eris. Si enim qui pretiosum à vili, id est, veritatẽ à mendacio separat, ipse os Domini, cur non rectè dicatur, & quasi cor domini habendo spiritum Christi? Est & canis domini, iuxta quod itidem scriptũ est. Lingua canum tuorum ex inimicis. i. testes sunt Apostoli, ex odientib. te Iudæis. Ita Caleph. i. omnis testis veritatis prædicat fideliter, clamat confidenter: Ascendamus & possideamus terram, id est, credamus, quia Christus resurrexit à mortuis, & credentes resurrectionis eiusdem cõsequamur gloriam. Alij verò, alij, inquam, qui fuerunt nobiscũ, scilicet Antichristi hæretici, qui exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, detrahunt terræ quã inspexerunt, negant fidem resurrectionis, aut infirmare conãtur eius in qua resurrecturi sumus veritatem carnis. Terra (inquam) quã lustrauimus, deuorat habitatores suos. Quid aliud asserunt hæretici, vt dũ dicunt, quia non resurget vera substantia carnis? Nempe si non eadem resurget caro, si erit vẽtis & aere subtilior, ergo illa, quã expectamus, terra viuentium, habitatores suos deuorat. Sed contrarij sibimet continuò dicunt. Populus quem aspeximus, proceræ stateræ est. Hæretici nãque circa eandem rem contra se diuisi sunt, ita dum alij veram carnem resurrecturam negant, alij econtra concubitum quoq; filiorum procreationem illic expectent, ita sibi contrarij sunt, vt cũ illi non ipsam sperent substantiam, isti econtra nimiam eiusdem substantiæ expectent corpulentiam. At verò Iosue filius Nũ, siue Iesus Naue, quod interpretatur saluator, filiꝰ pulchritudinis, & Caleph, de cuius interpretione nominis iam ante dictum est. Iosue, inquam, & Caleph, id est, saluator Christus & Apostoli eius, cũctique catholicam fidem profitentes, scinderunt vestimenta sua, id est, à suo consortio, taliũ reiecere blasphemias. (Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt, Terra quã lustrauimus, valdè bona est, &c. Quid multa?) cũ clamaret omnis multitudo, & lapidib. eos vellet obruere, apparuit gloria dñi super tectũ fœderis,) Dignamq; pœnã edicens, (Vestra (inquit) cadauera iacebunt in solitudine filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationẽ vestram, donec cõsumantur cadaue ra patrum in deserto, iuxta numerum quadraginta dierũ, quibus cõsideraſtis terram. Annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras.) Hoc exemplum omnib. hæreticis & incredulis sanctum est. Videamus ergo (vt suprà memoratus Apostol. ait) ne fortè sit in aliquo nostrũ cor malum incredulitatis. Nam reuera sicut detractores illi pro die receperunt annum, sic hæretici omnes cũ Iudæis incredulis pro temporalis blasphemiæ culpa, sempiternum recipiunt interitum. Et tunc quidem dño dicente: Quousq; non credent mihi in omnib. signis quæ feci coram eis? feriã igitur eos pestilentia, atq; cosumam.) Tunc, inquam, hæc dicente domino. (Moyses orabat dicens: Dimitte obsecro peccatum populi huius secundum magnitudinẽ misericordiæ tuæ.) Nunc autem & illos, & omnes accusãt hæreticos. Nã quẽadmodũ Iudæis veritas dicit: est qui accusãt vos Moyses, in quo vos speratis: sic & omnibus hæreticis ecclesia, veritatis colũna, dicit: Sunt qui accusent vos, lex & prophetæ, euangelium & omnes Apostolicæ literæ, quorum de scientia præsumitis.

Caleph.

Hier. 15.

Psal. 67.

1. Ioan. 2.

CAPVT XXXIIII.

Hebr. 3.

Ioan. 5.

1. Tim. 3.

Dinumeratio decem tentationum, de quibus ait: Et tentauerunt me iam per decem vices.

CAPVT XXXIX.

ET tentauerunt (inquit) me iam per decem vices. Ipsas tentationes hic breuiter enumeremus. De prima tentatione ita in Exodo legitur: Murgatus populus contra Moysen ait Da nobis aquam vt bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid murgatis contra me? Cur tentatis Dominum? De secunda tentatione, ita in Numerorum libro scribitur, Cumque indigeret aqua populus, & cætera. vsque ad eum locum in quo ait: Hæc est aqua contradictionis, ibi murgati sunt filij Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis. Tertia tentatio in campestri fuit contra mare rubrum, in quo loco murmurasse dicuntur contra Dominum, quia peremptos Aegyptios fuisse, Moysi sibi de verbo Domini dicẽti, non crediderũt, sed potius eos se subsequi timuerunt. Vnde dicitur in Psalmo: Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerũt memores misericordiæ tuæ, & ad iracundiã prouocauerunt te in mari rubro. Quarta & quinta tẽtatio super manna extitit. Vna tentatio fuit super eodem manna, sicut in Exodo dicitur: Hic est sermo quem præcepit dominus. Colligat ex eo vnusquisque quantum potest sufficere ad vescendum. Et post pauca dixit ad eos Moyses: Nullꝰ delinquat ex eo vsque mane. Qui non audiuerunt eũ, sed dimiserunt ex eo quiddam vsque mane. Altera fuit tentatio, de qua post pauca in eodem libro dicitur: Sex diebus colligetur, in die autem septimo sabbatum est domini, idcircò non

Exod. 17.

Num. 20.

Exod. 14.

Psal. 105.

Exod. 16.

Ibidem

circò non inuenietur. Venit septima dies, & egressi de populo vt colligerent, non inuenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsquequo nõ seruabitis mandata mea & legem meam? Sexta & septima tentatio in sepulchris concupiscentiæ facta fuit, scilicet tentatio carnium, in qua etiam prima tentatio carnium complectitur. De qua in Exodo legitur: Dixerunt Moyses & Aaron ad omnes filios Israel. Vespere scietis, quia dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam eius. Audiuit enim murmur vestrum contra Dominum. Et post pauca: Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Audiui murmurationes filiorũ Israel. Loquere ad eos, Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, & scietis quòd ego sum dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, & ascendens cotur nix operuit castra. De septima ita hic in Numeris dicitur. Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cùm audisset Dominus, iratus est, & in eo accensus est ignis Domini, & deuorauit extremam castrorum partem. Et post pauca, Sanctificamini, cras comedetis carnes. Ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? Benè nobis erat in Aegypto, & cæt. Octaua tentatio fuit vitulus aureus, quem fabrificauerunt sibi in deserto filij Israel, morante Moyse cum domino in monte Synai. Nona tentatio hic in deserto Pharan, quæ & ipsa dicitur Barne, de exploratoribus: Vsquequo, inquit, detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Et post paululum, iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, quadraginta annis recipietis iniquitates vestras. Decima tentatio in eo est, quòd (cùm locutus esset Moyses vniuersa verba Domini, ad omnes filios Israel: Luxit populus nimis, & eccè mane primo surgẽtes ascenderunt verticẽ montis atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum de quo locutus est Dominus, quia peccauimus. Qui bus Moyses: Cur (inquit) transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum.) Item post pauca. (At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris.)

Ibidem

Num. 14.

Exod. 32.

Num. 14.

CAP. XV.

De eo quòd Armati ascendunt filij Israel, remanente arca Domini, quòd in hoc quoque hæreticorum typus fuerit.

CAPVT XL.

IAm nunc ad ordinem redeamus. Postquam locutus est Moyses ad filios Israel, vniuersa verba Domini dicentis: Vestra cadauera iacebunt in solitudine, filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, illi (vt iam dictum est) ascenderunt in verticem montis, arca Domini & Moyse non recedẽtibus de castris. (Descenditque Amalechites & Chananæus qui habitabant in monte, & percutiens eos atque cõcidens, persecutus est vsque Horma.) Mons iste in quo Amalechites & Chananæus habitare dicuntur, mons Seir intelligitur, sicut in Deuteronomio dicitur: Igitur egressus Amorræus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens persecutus est vos, sicut solẽt apes persequi, & cecidit de Seir vsque Horma. Amalechites populus lingens, Chananæus posidens, Seir pilosus, Horma anathema interpretatur. Per hæc omnia maligni spiritus intelliguntur, qui vsque Horma, id est, vsque in profundum inferni, quod æternum est anathema, supradictos sanctæ terræ detractores omnes hæreticos concidendo, victorum more persequuntur. Arca nanque testamenti Domini cum illis non est, lex Domini, lex veritatis cum illis non est: & proinde, quæcunque arma quasi arma verbi Dei corripiunt, non proderunt illis, nec valet illis dixisse, peccauimus, quia videlicet catholicæ ecclesiæ nequaquam reconciliati sunt dignis pœnitentiæ fructibus.

Deut. 1.

COMMENTARIORVM IN NVMEROS LIBRI I. FINIS.

RVPER-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN NVMEROS, COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

De eo quod dictum est, Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo.

CAPVT I.

CA. XV. SIper ignorantiam prætermiseritis quicquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen, & mandauit per eum, à die qua cœpit iubere & vltra: oblitaq; fuerit facere multitudo, offeret vitulum de armento, holocaustum suauissimum domino, & sacrificium eius ac liba vt cæremoniæ postulãt, hircũq; ꝓ peccato, &c.) Opportuna hic recapitulatione commemoratio fit, de lege sacrificiorum, de qua in Leuitico vberius dictum: additurq; aliquid quod diligentissimè, summaq; cautela notandum est. (Anima (inquit) quæ per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbum enim domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum, idcircò delebitur & portabit iniquitatem suam.) Hanc iustitiæ legem, & prophetæ sequuntur, & euangelium. Pro-
Amos 1. phetæ, cùm dicit Amos: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor: super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor: super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor, nõ cõuertam eum. Primũ nanq; scelus est, iniquitatem mente concepisse. Secundum scelus est, dolorẽ opere peperisse. Tertium, iniquitatis opus in vsum vel consuetudinem traxisse. Quartum scelus, malè acta per superbiæ spiritum defendere. Ergo super quatuor (inquit) non conuertam eum, id est, cũ superbè fuerit responsum, iam non est remissi-
Matth. 12. bile peccatum. Confirmat hoc (vt prædictũ est) & Euangeliũ cùm dicit saluator, esse peccatum quod non remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, scilicet blasphemiæ in spiritũ, siue verbum contra spiritum sanctum, quod non est aliud quã superbiæ malum, quo contra conscientiam propriam defendendo se quispiam arguentem de peccato elidit spiritum sanctum. De hoc & Ioannes in epistola sua dicit: Est peccatũ ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Sed & ad filios suos loquitur Heli: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in dominum peccauerit vir, quis orabit
1. Ioan. 5. pro eo? Idcircò & illud sciendum, quia do-
1. Reg. 2. minus noster tres tantum mortuos, vnum
Matth. 9. in domo iacentem, alium cùm iam per portam ciuitatis efferretur, tertiũ de sepulchro quatriduanum fœtentem, suscitasse legitur: Luc. 7. & quartum non suscitasse legitur, eadem Ioan. 11. videlicet ratione, qua in propheta iam fuerat dictum, super tribus sceleribus & super quatuor non conuertam eum.

De eo qui collegit ligna in die sabbati, quòd peccauerit per superbiam, & Chore & Dathan atque Abirõ, quòd mortes illorum exempla sint, quòd pereat anima, quæ per superbiam peccauerit.

CAPVT II.

OPportuna (inquã) recapitulatione nũc CA. XVI. commemoratum est de lege sacrificiorum, & continuò peccatum superbiæ nullũ docetur habere sacrificium. Statimque subiungitur. (Factum est autem cum essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron, & vniuersæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste.) Ac deinceps. Eccè autẽ Chore filius Isaar, filij Caath, filij Leui & Dathã, atque Abiron, filij Heliab, Hõ quoque filius Phelech de filijs Ruben surrexerunt contra Moysen, alijq; filiorũ Israel, CCL. viri proceres synagogæ, & qui tempore consilij per nomina vocabantur. Cumque stetissent aduersum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus.) Igitur euestigio subsequentibus exemplis. Anima (inquit) quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo, siue paruum siue magnũ fuerit illud, quod commisit, in quo aduersus Dominum rebellis fuit. Nam & si magnum fuit quod Chore commisit, in quo Dathan & Abiron rebelles fuerunt, quia videlicet vnitatẽ sciderũt dicentes, nõ venimus, nõ venimus, at colligere ligna res vel factum fuit exiguum in quo tamen qui offendit colligendo in die sabbati, morte moriatur, inquit dominus, obruat eum lapidibus omnis populus. Videlicet quia per superbiam illud quod videbatur exiguum cõmisit, quia verbum Domini contempsit, quia legẽ sabbati, imò legislatorẽ in sabbato eius despexit, idcircò mori debuit, nõ cõsiderante deo quid vel quantum, sed qua mente fecerit. Itaque anima quæ per superbiam aliquid cõmiserit, siue magnum siue paruum sit, vtiq; peribit. Notãda interim in ipsa superbia pœnarum dispensatio iusta, Dathan atq; Abiron, qui vocati, cũ subsannatione dicũt, non venimus,

venimus, non venimus, non consueta morte hominum intereunt, sed nouã rem fecit Dominus, vt aperiens terra os suum, diglutiret eos, descenderentq; viuentes in infernũ. At verò Chore concilium ducenti quinquaginta viri sequentes, qui non dixerunt, vt illi, nõ venimus, & ipsi quidem pro eadem superbia cælesti ira puniti sunt, veruntamen non à terra absorpti, quæ res maximè noua extitit, sed igni sunt conflagrati. Ille autẽ homo qui inuentus est colligens ligna, cuius vsque ad buccas non ascendit contemptus siue superbia, magis consueta hominum morte moritur, per homines occiditur, ab omni populo lapidatur.

Quo iure dixit Moyses, ne respicias sacrificia eorum, ac deinceps, Num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet.

CAPVT III.

NE (inquit) respicias sacrificia eorum.) Ac deinceps. (Fortissime deus spirituũ vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet?) Ergo verissimè iam
Apoc. 11. de istis dicas, quia hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante dominum, dominatorem vniuersæ terræ, habent potestatẽ claudere cælum, & aperire portas eius, quia linguæ eorum claues cæli factæ sunt. Qui enim hęc dicunt, ne respicias sacrificia eorum, iam non tantum cælum, sed & ipsos oculos domini claudunt. Itẽ qui dicendo, fortissime deus spirituũ vniuersæ carnis, &c. iram à populo auertunt, linguis suis profectò pro cæli claui-bus vtuntur, vt superbis claudant, mitibus autem cælum aperiant. Verùm potestatem hanc, non voluntas efficit, sed causa. Vbi superbiæ causa iram prouocat suisq; ironijs per sultat, dicẽdo: (Reuera induxisti nos in terram quæ fluit riuis lactis & mellis, dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? non venimus.)
Num. 12. Illic iste de quo supra dictum est, erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: illic, inquam, iste mitissimus irascitur valdè, loquiturque quasi imperiosè ad dominum. Ne respicias
Psal. 75. sacrificia eorum. Irascitur, inquam, non suo spiritu, sed eius, cui Psalmista loquitur: Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Extunc ira tua. Nempe ex quo deo resistitur, extunc deus terribiliter irascitur. Et omnis quicũq; in veritate mitis est, cuius habitator est deus, illic irascitur, vbicunq; superbiæ malum oboritur. Vtitur illic duro anathematis gladio, separat separatum à deo, quem tradat diabolo. Vbi verò clauibus prædictis, clauibus cœli, linguis suis ad iram depluendam cœli portas aperuerunt, in ipsa ira misericordiæ non immemores, proni in faciem cadentes, fortissime (inquiunt) deus spirituum vniuersæ carnis num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? Vtrobiq; fortes, vtrobiq; valẽtes. Nã quib. ipsi cõcesserunt, deus iratus est, à quib. ipsi vetuerũt, præsens ira remota est.

Quale sit mysterium in eo, quòd per virgam germinantem, cohibitum est superbiæ malum.

CAPVT IIII.

QVo tandem pacto superbiæ malum ex- CA. XVII terminatum est, & cohibitæ à domino querimoniæ filiorũ Israel? Ait. (Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas à cunctis principibus filiorum Israel, virgas duodecim tribuum, & vniuscuiusque nomen subscribes virgæ suę nomen aũt Aaron erit in tribu Leui. Et vna virga cunctas seorsum familias continebit. Ponesq; eas in tabernaculo fœderis corã testimonio, vbi loquar ad te. Quem ex his elegero germinabit virga eius, &c.) Pulcherrimè atq; clementissimè fortissimus deus, postquã superbiæ malum vltus fuerat, quasi positis armis suæ fortitudinis, virgam germinãtem adhibet aduersus inflationes, & queri-
CAPVT monias filiorum Israel, virga inquam germi- XVIII. nante gemmisq; turgentibus in flores & fructus erumpente, deinceps non superbire docet. Quid hic ordo pulcherrimus præsignat, nisi quòd contra diaboli superbiam necessaria Christi filij Dei ponenda esset humilitas? Hoc nempe sciens Esaias propheta, cũ dixis- Esa. 10. set: Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse, in manu eius indignatio mea. Ac deinceps. Visitabo super fructũ magnifici cordis Esa. 11. regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius: cũ, inquam, hæc & cærera ænigmaticè dixisset, de superbia diaboli subiecit, atq; ait de humilitate Christi: Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eum spiritus dñi, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientię & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Non secundũ visionem oculorũ iudicabit, neq; secundũ auditum aurium audiet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate, pro masuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Igitur secundum literam quidẽ historia vera texitur, secundum spiritum verò mysteriorũ recapitulatio est, quales in Apocalypsi Ioannis periochas septem legimus. Quid em̃ virga illa, quæ & hic neq; plãtata neq; rigata, germinat, floretq;, & fructum facit, & in propheta iam dicto, de radice Iesse egreditur, floremque producit, super quẽ requiescit septiformis spiritus dñi: quid, Colloss. 2. inquam, hæc virga est, nisi virgo regia Dauidicæ stirpis, quæ iuxta fidem euangelij, sine virili semine Christum nobis ꝓtulit verum florem, verũq; decus generis humani, in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis? In illa virga speciosæ nouitatis vetus Euæ genus reuiruit, in illo flore quem peperit, carnis nostræ sylua refloruit, in illa nũce quassa vel fracta per lignum crucis, anima nostra nucleũ vitæ inuenit: anima, inquam, nostra

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostra esuriens inde refecta est, vitamque recepit. Et illa quidem virga tunc litem diremit, queremoniasque filiorum Israel remouit, qui contra Moysen murmurabant & Aaron, tanquam ille sacerdotium traxisset magis fraterno amore, quàm arbitrio cælesti. Hæc aũt virga regia, hic flos virginitatis, hic fructꝰ virginei vẽtris, Iudaicã superbiã cõpescuit, percussa gente, dejecta gloria tẽpli manufacti, palãq; fecit, quia non carnale, sed spirituale sacerdotium Deo curæ est, quia solus Christus sacerdos in æternum est, non secundum taurorum aut hircorũ cædes, sed secundũ ordinem Melchisedech.

De eo quod ait: Tu & filij tui portabitis iniquitatem sanctuarij, quòd per hoc onus significetur sacerdotij Christi, quo super se tulit peccata mundi.

CAPVT V.

CAPVT XVIII. PRoinde cõtinuò sequitur Dominus dicens ad Aaron: (Tu & filij tui & domus patris tui tecum, portabis iniquitatẽ sanctuarij.) Et rursum (Tu & filij tui simul sustinebitis peccatum sacerdotij vestri.) Ac deinde tertiò. (Tu aũt & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij. Excubabuntq; Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi, &c.) Trina repetitio diuinæ positionis vel ordinationis, vehemens confirmatio est. Sic in virga florente, fructumque ferente, mysterium incarnationis Christi filij dei signatum est, sic in ordine vel officio huius portantis iniquitatẽ sanctuarij, sustinentis peccata sacerdotij sui, mysticè signatur onus vel opus eiusdem Christi veri sacerdotis, in quo Dominus posuit iniquitates omnium
Esaiæ 53. nostrũ, sicut propheta prædixit. Qualis Leuitarũ aut sacerdotũ i ministerio debeat esse religio vel distinctio, quę vel qualia suscipi debeãt à populo, qualis victimę debeat esse religio, hic sacra lex recapitulando cõmemorat, nam cuncta hæc superius vberius dixerat, atq; idcircò his omissis iam proficiscamur ad alia. Neq; enim hic aliud significat vacca rufa ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugũ, quæ & educta immoletur, vel comburatur extra castra: non, inquam, hic aliud vacca rufa, quã in Leitico vitulus immaculatus, eodem ritu immolandus significat, nisi quòd hic sexus fœmineus, materna charitatem designat Christi, qua pro nobis factus obediens patri, salutem nostrã in angustia sua parturiuit.

Mysticè de expiando tactu cadaueris hominis, & de eo quod ait, Si die tertio aspersus non fuerit, die septimo non poterit emundari.

CAPVT VI.

CA.XIX. QVi tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergatur ex hac aquã die tertio, & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emũdari.) Aspersio hæc vmbra vel figura est. Christi vero sacramentum res & veritas est.
Hebr. 9. Ait nanque Apostolus: Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos significat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostrã ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Ergo aqua cinisq; vitulæ aspergendus idem hic, quod in Leuitico sanguis vituli, scilicet aspersionẽ sanguinis Christi: tactus verò morticini hominis, mortua significat opera, quibus nos ille emũdauit. Toties quippe cadauer tangimus hominis, pro quo nobis expediat lustrari aqua expiationis, quoties peccatum incurrimus, quod per confessionem atque pœnitentiæ satisfactionem redimi necesse sit. Sed si die tertio (inquit) aspersus non fuerit, septimo non poterit emũ dari. Quod est dicere, Nisi catholicam fidem teneat baptizatus in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, nulla peccatorum confessione vel pœnitẽtiæ distructione iustificari, vel gratiam poterit consequi septiformis spiritus sancti. Notandum verò quòd non dixerit, omnis qui tetigerit cadauer hominis, propter hoc septem diebus immundus erit. Nõ enim quomodocunq; vel vbicunq; tetigerit cadauer hominis, tãdiu immũdus erit. Nam paulò inferius determinat sic. (Si quis in agro tetigerit cadauer occisi hominis, aut per se motui, siue os illius, vel sepulchrum, immũdus erit septem diebus.) Summa cura illi, qui de cineribus combustionis atque peccati, cum aquis vjuis aspergit hominem, hoc discernendum est, vtrum in agro, vbi patet locus effugij, aut intra angustias murorum vrbis cadauer tetigerit, id est, illi qui confitẽti pœnitentiam indicit, summopere discernendum est, vtrum is qui mortua fecit opera, vel mortuis consensit operibus, sponte peccauerit, an necessitate aliqua præuentus peccatum declinare nequiuerit. Nam secundum modos necessitatis aut voluntatis, pœnitentiæ onera quæ imponat, pensare debebit. Quid porrò est, quod is ipse qui portat cineres, vel aspergit aquas, immũdus erit, & idcircò lauabit vestimenta sua? Videlicet, quia is qui aliena curanda peccata recepit, ne quaquam munda vel secura viuet conscientia, nisi pœnitentiæ quã indicit partim super se susceperit onera, quemadmodum Apost. Galat. 6.
dicit: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Pro hac immundtiæ parte, nimiũ plus, quã iusto solicita sponsa Cant. 5.
dicit in Cãticis: Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Igitur omnis qui tetigerit aquas expiationis, id est, qui alieni suscepta confessione peccati, pœnitentiæ remidia suggesserit, immundus erit vsque ad vesperum, id est, donec orando pro inuicem perficiat charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Quid sibi vult, quod interim dicit. (Vas

cit. (Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.) Quid, inquam, in tali negotio per hoc dictum intẽdit, nisi quia peccati tui causam latentem, tali debes reuelare seniori, qui & sua curare vulnera, & aliena non detegere aut reuelare nouerit? Nempè qui secretum tenere nescit, vas est non habens operculum, nec ligaturam desuper, & immundus est. Sed in quocunq; negotio quisquis oris aut linguæ incontinentis est, immundus est, velut vas nõ habens operculum siue ligaturam desuper. Et vndecunque immunditia contracta sit, nisi aqua expiationis aspergatur (vt iam dictum est) manebit spurcitia eius super eum. Summaq; cautela agendum est, ne immundus tangat mundum, quia quicquid tetigerit immundus, inquit, immundum faciet. Corrumpunt enim
1. Cor. 15. bonos mores colloquia praua. Itemq; & hoc prudenti domus Dei dispensatori curãdum est, ne illi qui immundus est, quispiam in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. (Nam & anima (inquit) quæ horum quispiã tetigerit, immunda erit vsque in vesperum.) Id est, vsque in satisfactionem & emendationem congruam.

De tentatione & murgio propter aquam, et de eo quod ait Moyses, Num de petra hac poterimus aquam educere. quòd Iudæorum & pharisæorum typum gesserit in illa incredulitate.

CAPVT VII.

CAP. XX. CVmque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerũt: Vtinam perissemus cum fratribus nostris coram domino. Cur eduxistis ecclesiam domini in solitudinẽ, vt & nos & nostra iumenta moriamur? &c.) Post multos circuitus venerũt in desertum Sin. Hoc idem scriptura dicit esse quod & Cades. Nota res gesta, qua irritauerunt do
Psal. 105. minũ ad aquas contradictionis, more suo tẽtantes & murmurantes, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritũ eius, & distinxit in labijs suis. Multum distinxit, multum & longè aliter quã solitus erat, locutus est in labijs suis. (Audite (inquit) rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquã poterimus eijcere?) Non sic loqui cõsueuerat, verbi gratia, cum mare diuideret, imò cum tam multis plagis Aegyptũ verberaret. Non dixit, nũ de fluuijs ranas poterimus eijcere, num grandinẽ cum igne de cælo deponere, num mare rubrum in diuisiones poterimus diuidere? Hic exacerbatus eius spiritus, penè fidem perdidit, & ita distinxit in labijs suis. Vndè & sententiã protinus accipit. (Quia non credidistis mihi, ait dominus, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram quã dabo eis.) Por
1. Cor. 10. rò quod petra in mysterio vel in figura Christus fuerit, iamdudum cum apostolo Christi totus mũdus canit. Cuius paulò suprà in virga, quę floruit, nucemq; protulit, sacrosanctã spectauimus incarnationem, eiusdem in hac petra percussa salutiferã intelligimus passionem. Moyses petrę percussor, & hoc loco incredulus, Moyses, inquam, & Aaron hoc loco increduli, item in mysterio vel figura scribę fuerunt & pharisæi. Populus sitiens, turba Ioan. 7.
erat dominum Iesum libenter audiens, vndè exacerbati illi dixerunt. Sed turba hæc quæ non nouit legẽ, maledicti sunt. Nũ (inquiũt) de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Puta scribas & pharisęos de illa Petra, de ipso Christo dixisse. Num ab isto seductore sanã doctrinam speratis bibere? Item: Dæmoniũ Ioan. 10.
habet, & insanit. Quid eum auditis? Ita malè distinxerunt in labijs suis. i. contra propriam sunt conscientiam locuti. Sciebant enim (verbi gratia) quod in spiritu Dei eijceret dæmonia, & tamen pessima labiorũ suorum distinctione dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. Cum hoc furore in- Matth. 12.
creduli, & turbidi percusserunt petram iustitiæ. Bis percusserunt: duobus enim lignis vnius crucis Christũ crucifixerunt linguis suis & manibus gentiliũ. Hoc facto, egressæ sunt aquæ largissimæ. Nihil verius, passo namque CAP. XX.
Christo fluxerunt aquæ scripturarum, torrẽtes gratiarum spiritus sancti inundauerunt, & antea quidem scripturę legebantur, sed nõ intelligebãtur: Legebatur occidẽs litera, sed non fluebat viuificantis spiritus viua & salutaris aqua. Itẽ & antea nonnullis spiritus datus fuerat, sed non in remissionem peccatorum datus fuerat. Nõdum enim (inquit Euangelista) fuerat spiritus datus, quia Iesus nõ Ioan. 7.
dum fuerat glorificatus. Datus ergo fuerat in diuersarum distributiones gratiarum, verbi gratia, in prophetiam, quam & habere, & mali esse possunt, sed non (vt prædictum est) in reconciliationem vel remissionem peccatorum. Quia non credidistis, (inquit) mihi, vt sanctificaretis me corã filijs Israel, non introducetis hos populos in terrã quam dabo eis. Non inquã introducetis. Parum pro mysterio dictum est. Imò & non introibitis. Nam reuera in istis, scilicet scribis & pharisęis illius maximè accipimus iuramenti sententiã, quibus iurauí in ira mea, si introibunt in requiẽ Psal. 94.
meam. Væ igitur vobis scribæ & pharisæi & Luc. 11.
legisperiti, quia tulistis clauem scientiæ. Ipsi non introistis, & eos qui introierunt, prohibuistis. Non introibitis in requiem domini. Quinimò, vobis foris stantibus, & vacantibus, alijs committetur officium introducendi. (Hęc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra dominum, & sanctificatus est in eis.) Hęc, inquit, est aqua contradictionis. Contradicunt Iudęi, contradicunt Ioan. 7.
hæretici aquæ, quæ de latere domini profluxit fluminibus aquæ viuæ, quæcunq; fluunt de ventre in illũ credentis. Veruntamẽ inter ipsas contradictiones sanctificatus est in eis sanctus sanctorum, clarificatꝰ est in eis: nam ex ipsa contradictione glorioſior ascendit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quis mysticè sit, qui posit virgam floriferam, post aquã de petra productam, non sinit Israel per se transire.

CAPVT VIII.

MIsit interea nuncios Moyses de Cades ad regẽ Edom, qui dicerent. Hæc mãdat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, quomodo descenderũt patres nostri in Aegyptũ, & habitauerimus ibi multo tempore, afflixeruntq; nos Aegyptij, & patres nostros, & quomodo clamauerimus ad dominum, & exaudierit nos, miseritq; angelum, qui eduxerit nos de Aegypto. Ecce in vrbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi obsecramus. vt nobis transire liceat per terram tuam, &c.) In manifesta litera ne moremur, mysteriorum ordinẽ prosequamur. Quis est iste Edom, qui post virgam floriferam atq; fructiferam, post aquam de petra productam, postulantibus nuncijs, obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. (Non transibis, inquit, non transibis, alioquin armatus occurram tibi, statimque egreditur obuius cum infinita multitudine & manu forti.) Quis, inquam, secundũ mysterium est iste Edom? Nempè ille est, cõtra quem querela personat prophetica: Memento domine filiorum Edom in die Hieru- *Psal.136.*
salem. Qui dicunt, exinanite exinanite vsque ad fundamentũ in ea. Ipse est nomine & carne Israel, re autem vel moribus Edom, qui *Rom.9.*
pro coctione rufa, pro sanguine Christi, vt illo saturaretur, vendidit primogenita sua, cuius erant patres, & testamẽtum, & legislatio, & obsequiũ, & promissa, cui cuncta hæc supplantauit Iacob, id est, euangelica Christi ecclesia. Huic Edom dixerunt nuncij domini, *Esa.52.*
nuncij euangelici, pacem portantes pedibus speciosis, qui aquam de petra supradicta fluẽtem biberunt primi. Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam, transire per terram Iudææ, prædicare per synagogas tuas in templo tuo, circa domos tuas gratiam euangelicã. Non transibitis per me, inquit. Hoc dixit insuper, & cæsis denunciauit, ne transirent per se, ne loquerẽtur in nomine Iesu vl- *Actor.5.*
li hominum. Igitur armatus occurrit, qui cæsis hoc denunciauit. Econtrariò illi. (Per tritam (inquiunt) gradiemur viam.) Id est, antiquam, & benè notam tenebimus doctrinam. Trita namque via est euangelium, trita fide patriarcharum, trita testimonijs legis & prophetarum. Nihil ergo dicendo nouum, nihil docendo quod non constat auctoritate scripturarum per tritam gradiemur viam. (Si (inquiunt) biberimus aquas tuas,) Id est, si euangelizantes tenuem sumpserimus victũ, *1.Cor.9.*
quid magnum hoc est? (Dabimus quod iustum est.) Metẽtes carnalia, seminabimus spiritualia, hoc nempe iustũ est: dignus est enim operarius mercede sua. Perseuerauit ille Edom, dicens: (Non transibitis,) non hic euangelizabitis. (Insuper & egressus est obuius cũ infinita multitudine, & manu forti.) Nam alios quidem occidit, alios flagellauit, alios la- *Matth.23.*
pidauit, & de ciuitate in ciuitatem persecutus est. (Quamobrem diuertit ab eo Israel.) Dixeruntq;, Vobis quidem primùm oportebat lo- *Act.13.*
qui verbum Dei, sed quoniã repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ. Ecce conuertimur ad gentes.

De obitu Aaron, quòd mystice sacerdotium Iudæorũ signauerit finem habiturum.

CAPVT IX.

CVmq; castra mouissent de Cades, venerunt ad montem Hor, qui est in finibus terræ Edom. Vbi locutus est dñs ad Moysen: Pergat (inquit) Aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram quam dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.) Et si interdũ nomine & officio magnum sacerdotem Christum significare potuit Aaron, moriendo tamen nequaquã illum significare meretur, qui manet in æternum, qui sempiternum habet sacerdotium, præsertim, quia celerioris causa mortis illi est, quia incredulus fuit ori domini ad aquas contradictionis. Moriendo ergo propter peccatum suum, illius sacerdotij significat occubitum, cuius officiales in peccato suo mortui sunt, sacerdotij Iudaici, sacerdotij carnalis & vmbratici. Porro Mariæ mors, paulò antè cõmemorata, nulla præcedente vel præscripta peccati causa, finem legalis obseruantiæ præfigurat, quæ non propter erroris malitiã, sed propter melioris gratiæ prærogatiuam erat interitura. (Tolle (inquit dominus) Aaron & filium eius cum eo, & duces in montẽ Hor.) Hor lumen interpretatur: Aaron ergo, in montem Hor moritur: futurum enim erat, vt manifestatione veritatis vmbraticum Iudæorum sacerdotium destrueretur. Sanus & valens ad mortem proficiscitur pedibus suis: sacerdotes namque Iudæorum, dum se valere & iustos esse arbitrãtur, in peccato suo moriuntur. Vndè grauiter illos in psalmo deno- *Psal.58.*
tari animaduersum est, dicente ex persona Christi: Et irruerunt in me fortes, videlicet tanquam frenetici dum medicum percutiũt, sanos se esse putantes. Spoliatur vestibus suis, vt moriatur: templum namque illorum, & omne sanctuarium destructum est, ne Iudæi de vitali virtute sacerdotij sui saltẽ falsò glorientur. Moritur autem Aaron, sicut inferius scriptum est, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Aegypto, mense quinto, prima die mensis, cùm esset annorum centũ viginti trium.

Quod Chananæus rex Arad, qui pugnauit contra Israel, diabolum significet, & quòd vt vinceret, voto se obligans Israel, prædicatorum deuotionem significet.

CAPVT X.

Quod

CA.XXI. QVod cũ audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor existens duxit ex eo prædam. At Israel voto se obligans ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo eius vrbes, &c.) Secũdum ordinem spiritualiũ, gesta hæc historica procedunt. Passo namque Christo & glorificato, ac spiritu dato, q̃ per petram percussam, & aquas exinde fluentes significatum est. Postquam vetuit Edom, id est, terrenus, vel sanguinolentus Iudaicus populus, transire Israel per terrã suam, prohibuitq; Christi apostolos, nouam in synagogis suis prædicare gratiam, audiuit Chananæus rex Arad, id est, persensit princeps vel possessor mundi huius diabolus, qui per Chananæum regem Arad mysticè intelligitur. Chananæus namque possidens, Arad descendens interpretatur. Descendẽs autem & deorsum
Matth. 18. fluens est diabolus, possidens, id est, princeps mundi huius: Audiuit, inquam, & ignorare non potuit prædicationis euangelicæ gratiã, per exploratorum viam, id est, per apostolorum instantiam, cùm possideret gentes ille fortis armatus, & in atrio suo pace longæua securus regnaret, non legitimus rex, sed raptor imperij tyrannus. Cùm igitur audisset, salutem proficisci ad gentes, pugnauit contra illum spiritualẽ Israel, & victor existens, duxit ex eo prædã. Pugnauit itaq; regum & imperatorum legibus & armis, persecutiones excitauit, edicta proposu t, scindensq; corpora, quoru animas contingere nequiuit, quasi prædam duxit, eademque corpora quasdam animarũ vestes pœnaliter distraxit. Hoc modo ad horam quidem vicit, sed extrinsecus vincens, intrinsecus victus est, suiq; victores gloriosiores effecit martyres. At Israel voto se obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Tali voto se obligans ille Israel, nõ sibi, sed Deo se pugnare professus est, & idcirco. (Exaudiuit dominꝰ vocẽ eius, & tradidit Chananæũ.) Sic planè nostri prædicatores pedibꝰ speciosis pacẽ nobis portantes, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu
Esa.52. *Philip.2.* Christi quærere proposuerunt: & idcirco desiderium illorum exaudiuit dominus, præparationes cordis eorum audiuit auris eius, vt vincerent Chananæum, vt de antiquis sedib. malignum possessorem eijcerent, diabolum principem mundi huius, rectorem tenebrarum. (Quem ille interfecit, subuersis vrbibus eius, & vocauit nomen loci illius Horma, id est, anathema. Notandum, quòd vbi primùm pugnando vincit ille carnalis Israel, victoriæ causa efficiens damnatio cupiditatis est. Sic planè vincit spiritualis Israel, triumphalemq; militia eius profectum habet, vbi castè & sola charitatis intentione verbum Dei annunciat, & pro corona cælesti legitimè certãs, vanitatem gloriæ sub pedibus calcat. Tales duces nostri prædicatores Christi, mundum vicerunt, Chananæum illum, id est, diabolum, de regno suo exturbauerunt.

De ignitis serpentibus, quos misit dominus in populũ, & de serpente æneo, quem exaltauit Moyses.

CAPVT XI.

PRofecti sunt autem & de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare rubrum, vt circumirent terram Edom, & tædere cœpit populũ itineris ac laboris.) Ac deinceps. (Quãobrem misit dominꝰ in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Ora, vt tollat à nobis serpentes. Orauit Moyses pro populo, & locutus est dominus ad eum: Fac serpẽtem æneum, & pone eum pro signo.) Præsentis loci mysterium occultum lux euangelicæ veritatis splendore proprio reuelauit. Dixit enim: Et sicut Moyses exal- *Ioan.3.*
tauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsũ, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Dixerat autem ante hæc: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ergo & hoc in figura nostri factum est, quos reuera serpẽtes momorderunt tam multi, quã- CA. XXI
multos deos patres nostri coluerunt, quàm multis vitijs, & animæ & corpora nostra deuastata sunt. Ergo quorũ per ministeriũ nos ex aqua & spiritu sancto renati sumus, vt Dei possimus videre regnum, ipsi illum (vt prædictum est) Chananæum spiritualem interfe- e runt: & dum signum crucis Christi, Imò crucifixum ipsum nos adorare docuerunt, quasi serpentem æneum pro signo posuerunt. Quem cum percussi aspicimus, sanamur: cre- *Ioan.6.*
dentes namque in eum, non perimus, sed vitam æternam habemus. Res præclara & splẽdida, sed quia penè cunctis nota, totoq; orbe celeberrima est, & nos longum iter proficiscimur, nuncillam breuiter tetigisse sufficiat.

De Moab, quod interpretatur ex patre, quòd per illũ figurentur hæretici.

CAPVT XII.

ET inde mouentes, venerunt ad torrentẽ Zared. Quem relinquentes, castrametati sunt contra Arnon, quę est in deserto, & prominet in finibus Amorræi. Siquidem Arnon terminus est Moab, diuidens Moabitas & Amorræos.) In manifesta historia postquam serpens æneus positus, pro signo est: quem à serpentibus percussi aspicerẽt & sanarentur, tandem peruenitur ad terminos Moab, quia videlicet postquam filij Dei signum per totũ mundum visibiliter quoque exaltatum est, vt simulachris gentium relictis fidelis Israel hoc potius adoraret, hæreticorum peruersitas ex aduerso fidei suborta est, Zared, alienus: Arnon, maledictio eorum: Amorræus, amarus: Moab, ex patre interpretatur. Qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus nominibus abalienatio, maledictio, atq; amaritudo hæreticorum, qui ex patre diabolo sunt, rectè subintelligitur. (Vndè dicitur in libro bellorum domini. Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.) Nulla cócludit ratio, materiales fuisse libros bellorum domini, ante hãc eius, qui hæc loquitur, Moysi scripturam. Sed nec vlla alia nouimus bella domini, nisi illa, quibus aduersum omnem impietatem per fideles homines dimicat sermo domini. Ergo q dicitur, prophetia est, quam in libro cælesti Moyses iste vidit eisdem oculis quibus videre meruit, aut potuit cuncta cælestia, quorũ secundum exẽplar quod in monte monstratum est illi, dixit hæc & fecit atq; instituit ceremoniarum decreta, quibus in tabernaculo manufacto deseruiret populus carnalis. Dicitur ergo in libro bellorum domini, notum & celebre est in fide euãgelicę veritatis, vbi vera & fortia leguntur bella domini.

Exo. 25.

De torrentibus Arnon, quòd significẽt eloquentiam hæreticorum, & quomodo fiat in eis sicut factum est in mari rubro, & de carmine Israel pro puteo.

CAPVT XIII.

SIcut fecit (inquit) in mari rubro, sic faciet in torrẽtibus Arnon.) Quomodo fecit in mari rubro? Respiciens (inquit) dominus super castra Aegyptiorum, per columnã ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruũ, ferebanturq; in profundum. Torrentes Arnon, fluuij sunt eloquentium hæreticorum, scandentiũ superbiæ currum, rotantium verba peccati contra Christum, & sanctum eius catholicum populum. Istis igitur de libro bellorum domini, de omni libro catholicæ veritatis, vel diuinæ auctoritatis prędicitur, quia secundum similitudinem Pharaonis & exercituum eius, ipsi quoque subuertentur, & in profundum inferni cum diabolo præcipitabuntur. (Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Aran, & recumberẽt in finibus Moabitarum.) Per metaphoram sub inclinatorum nominibus scopulorum, timorem exprimit Moabitarum, trementium ad introitum filiorum Israel & requiescentium in Aran. i. spem suã ponentium in hariolo Balaam, quem adduxerant de Aran vt recũberent in finib. Moabitarum, videlicet cum de finibus eisdem filios Israel abegissent, maledicente illis Balaam. (Ex eo loco apparuit puteus. Super quo locutus est dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel carmen istud. Ascendat puteus concinebant, puteus quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis, in datorem legis, & in baculis suis.) Iuxta historiam nõ valdè magnum, aut carmine dignum fuit, quod ex eo loco puteus apparuit: maiora enim apparuerunt illis, verbi gratia: Quãdo aqua de petra percussa profluxit, & nullum tamen tunc Israel carmen cecinit. Scrutemur ergo mysterium, quod verè iucundo carmine est dignum. Scopuli torrẽtium, id est, auditores vel miratores hæreticorum inclinati sunt vt requiescerent in Aran, quando ipsi reges vel imperatores tam Christianæ fidei, quàm suæ dignitatis obliti, benedictionibus, imò maledictionibus hæreticorum se submiserunt, suamq; spem in illis posuerunt, quasi in Balaã, delectati pulchritudine loquacitatis eorum, quæ intelligitur per Aran. Aran quippe interpretatur decus. Et recumbentes in finibus Moabitarum, id est, communioni illorũ cum defensione adhærentes, qui ex patre diabolo sunt. Ex eo (inquit) loco apparuit puteus. Nihil verius, nihil certius. Nam reuera cõtentionibus hæreticorum excitati principes ac duces nostræ fidei, orthodoxi atq; catholici viri, altiùs profunda scripturarum scrutati sunt, & ita puteum aquæ viuæ foderunt, atq; parauerunt in baculis suis. Non autem in baculis suis, sed in datore legis, cum baculis suis, quemadmodum apostolus, cum dixisset: Plomnibus illis laboraui, continuò subsecutus, non autem, inquit, ego, sed Dei gratia mecũ. Baculi ducum vel principum nostræ multitudinis, quibus foderunt puteum in datore legis, fortes ac perseuerantes animi fuerunt, quibus pugnando magistri ecclesiæ contra blasphemias hæreticorum veritatem nobis aperuerunt scripturarũ in datore legis. i. cooperante gratia Dei. Ascendat puteus, cõcinebant, &c. Qui concinebãt? Planè qui tenebãt, imò qui & tenent fidem catholicam, qui sanę doctrinæ sitiunt & libenter bibunt aquã viuã vniuersus spiritualis Israel, omnes veri Israelitæ, in quibus dolus nõ est. Ascendat (inquit) puteus. Quo vel vndè ascendat? De profundis suis ascendat ad labella sitientium, ad ora manusque paruulorũ, vt sine difficultate bibant aquam viuam, salientem in vitam æternam, quod & factũ est, quia duces & principes foderũt, quia scripturas sacras fideliter exponendo, nobis intelligibiles fecerũt. Vndè acceperũt hoc? (De solitudine Mathana, de Mathana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth. Bamoth vallis est in regione Moab in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.) Nõ solum iuxta literam hæc nomina mãsionum filiorum Israel sunt, sed in spiritu propheticę gratię ducũ vel principum prędictorum merita vel profectus significant. Mathana, donum: Nahaliel, ascẽsio Dei mei: Bamoth, excelsa: Phasga, os multũ siue os dilecti. De solitudine inquit Mathana. i. de dono perfecto & dato optimo, quòd desursum est descendens à patre luminum. Nahaliel, id est, ascensionẽ Dei, duces isti ascẽderũt, primò p actiuę vitę virtutẽ, deinde in Bomoth. i. in excelsam cõtemplatiuę vitę gratiã, ac deinceps vallis est illis in regione Moab, quòd nimirum est secũdum literam in vertice Phasga, quod tamen verum

Exod. 14.

1. Cor. 15.

Ioan. 4.

verum est secundum spiritum, nam egregia est illis humilitas in magna & alta sapiẽtia vel scientia, cùm oris multi vel dilecti, multa & dilecta facundia, quod respicit contra desertum, id est, toto studio pugnat cõtra desertoris diaboli mendacium.

Quamobrem obsecrauerint Zeon regem Amorræorũ, vt liceret sibi transire per terram eius, cùm terrã Chanaan posidere debuerit.

CAPVT XIIII.

MIsit autem Israel nuncios ad Zeon regem Amorræorum, dicens: Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas de puteis. Via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. Qui cõcedere noluit, vt transiret Israel per fines suos, &c.) Omisso interim quid fuerit Moab, quod postmodum narratur, est, iam dicit quid fecerit, quidque receperit Zeon rex Amorræorum. Quomodo autem ad hunc mittit Israel nuncios obsecrans vt transitum concedat per terram suam? Cur non terram eius inuadit iure prælij, cùm terram Chanaan posidere debuerit, sicut patrib. eius Deus repromisit: Amorræus autem ęquè vt Iebusęus filius Chanaan extiterit? Nonne Amorræum qui habitabat trans Iordanem, Israel expugnauit? Quare ergo nũc ad Zeon regem Amorræorũ nuncios circa Iordanem mittit, obsecrans per terram eius sibi transitum cõcedi? Videlicet quia terra hæc Amorræorũ fuerat terra Moab. Porrò Moyses in Deuteronomio: Venimus, inquit, ad iter, quod ducit ad desertum Moab. Dixitq; dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eum prælium.

Deut. 2.

Non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filijs Loth tradidi Ar in possessionem. Igitur quasi quęreres, vt quid Israel per nuncios obsecrat, vt sibi terrã Amorręi trãsire liceat, nõ declinabimus, inquiẽs, in agros & vineas, non bibemus aquas de puteis, donec transeamus terminos tuos: cùm iuxta iuramentum, quod disposuit ad Abrahã, quod iurauit ad Isaac, quod statuit ad Iacob in testamentum æternum, sperare deberet, totam terram Chanaan funiculum hæreditatis suę, de quo & Amorræus erat, subinde causam reddidit, dicens: (Vrbs Esebon fuit regis Zeon Amorræi, qui pugnauit contra regẽ Moab, & tulit omnem terram quę ditionis illius fuerat vsq; Arnon.) Atq; hoc ipsũ scripturæ auctoritate, quæ nulla erat, probare non valẽs, prouerbio vulgi ore hactenus cantato comprobat, dicẽs: (Idcirco dicitur in prouerbio, Venite in Esebon, ædificetur & constituatur ciuitas Zeon. Ignis egressus est de Esebon, flãma de oppido Zeon, & deuorauit Arnõ Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. Væ tibi Moab, periisti populę Chamos, &c.) Ex hoc prouerbio, quo & victo illuditur, & victori applauditur, non minus firmiter quã scripto Israeli comprobatur, quòd terra illa nõ fuerit de funiculo hæreditatis eius. Verũ tamen quod non erat iure hæreditatis, factũ est, vt ei esset iure prælij. (Noluit enim (inqt) concedere, vt transiret Israel per fines suos, quin potius exercitu cõgregato, egressus est obuiã in desertо, & venit in Iasa, pugnauitq; cõtra eum. A quo percussus est in ore gladij, & possessa est terra eius, ab Arnon vsque Iecboch, & filios Ammõ, quia forti præsidio termini tenebantur Ammonitarum.) Quo præsidio termini tenebantur Ammonitarũ? Videlicet præsidio Dei, quemadmodum itidẽ in Deuter. Moyses dixisse Deum commemorat his verbis: Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar, & accedes in vicina filiorum Ammon. Caue ne pugnes cõtra eos, nec mouearis ad prælium. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filijs Loth dedi eam in possessionem.

Deut. 2.

Quid spirituale designet, quòd transiturus Iordanem Israel, iam circa Iordanẽ vrbes ac viculos posideat.

CAPVT XV.

TRansiturus Iordanem Israel, iam citra Iordanem vrbes ac viculos posidet terram regis Amorræorum, & terram Og regis Basan, de quo postmodũ subditur. Et occurrit ei Og rex Basan, pugnaturus in Edrai.) Ambo fuere reges Amorræorum, quemadmodum in Deuter. dicitur: Tulimus in illo tempore terrã de manu duorũ regum Amorręorũ, &c. Ac deinceps: Solus quippe rex Og Basan restiterat de stirpe gigantum. Mõstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabath filiorum Ammon, nouẽ cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. De stirpe inquit gigantum, non vtique illorum, qui ante diluuium fuisse memorantur, dicente scriptura: Gigantes autem erant super terram in illis diebus, sed eorum qui post diluuium esse potuerũt, sicut Enachim: Sol autem restitisse dicitur, fortasis idcirco, quia singulariter superbus præ cęteris erat magnis & staturosis hominibus. Iam ergo (vt prædictum) necdũ transito Iordane, terram posidet Israel. Penè huic simile est, quòd spiritualis Israel, cuius pars dominus, cuius funiculus, cuius hæreditas terra viuentium est, iam in isto seculo necdũ trasito Iordane, necdum secunda beatificatus resurrectione, diuitum secularium regum atq; imperatorum diuitias posidet, castella obtinet, ciuitatib. præsidet. De sancta Christi ecclesia loquimur, de apostolicis gradibus dicimus, quorum patres ac principes verbi Dei gladium tenentes, adeò conualuerunt, adeò fortes in bello facti sunt, vt dum tyrannorũ, regumque fortium Christi iugo subijciendo animas, regnorum quoque partes maximas in vsus seruorum Christi quasi optima diripuerunt spolia. Et hæc quidem diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, nec pro ista temporali mercede priuantur æter-

CA. XXII

Gen. 6.

Psal. 104.

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc. 10. 1. Cor. 10. na: quia videlicet, dignus est operarius mercede sua, quantam fidelibus Christi ministris dignè seminantibus spiritualia, nemo mortalium de suis carnalibus compensare valeat. Veruntamen eis qui nullo æternorum bonorum amore trahuntur, & Christum annũciant, vt non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt acquirant, eis inquam, rectè ac legitimè dicitur, quia receperunt mercedem suam: & idcirco quasi cum filijs Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, de quibus posterius dicendum est, citra Iordanem residentes, secũdam resurrectionis non habebunt gloriam.

Philip. 2. Matth. 6.

De cupiditate Balaam, et quod ipse fuerit qui in libro Iob, Heliu dicitur.

CAPVT XVI.

CA. XXII. PRofectique, castrametati sunt in campestribus Moab, vbi trans Iordanem Hiericho sita est. Videns aũt Balac filius Sepphor, omnia quæ fecerat Israel Amorrẽo, & quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian. Ita delebit hic populus omnes qui in finibus nostris commorantur, quomodo solet bos herbas vsq; ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. Misit ergo nũcios ad Balaam filiũ Beor hariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorũ Ammon, &c.) Hunc Balaam diuinum siue hariolum, Hebræi tradunt eum fuisse, qui in libro Iob dicitur Heliu, primò virum sanctum, & prophetam Dei, postea per inobedientiam & desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, diuini siue harioli vocabulo nuncupatum. Denique quod inobediens Deo fuerit, quòd munera desiderauerit, quòd Israel maledicere cupierit, ratio manifesta conuincit. Vocatus à rege Moab dicente. (Ecce egressus est populus ex Aegypto sedens contra me. Veni igitur & maledic populo huic, quia fortior me est, &c.) Ille nuncijs habentibus diuinationis pretium in manibus. (Manete hic (inquit) nocte, & respondebo quicquid mihi dixerit dominus.) Non dixit, absit hoc à me, non maledicam populo huic, pecunia tecum sit in perditiõe: sed explorat improbus Dei secreta semel & iterum, si fortè permitteret Dei patientia, quòd vt faceret, suadebat ardens cupiditas. Adeò munerum cupidus vel maledicendi fuit, vt dimissus sub conditione à Deo dicente: (Si vocarẽte venerunt homines isti, surge & vade cum eis: ita dunta xat, vt quod tibi præcepero, facias.) Surrexit protinus manè, id est, cum festinatione, contempta conditione, ad modum videlicet seruorum nequam, ad oculum seruientium, qui dum missi vel dimissi fuerint ad licita, præsumunt perpetrare & illicita. Idcirco stetit angelus domini cõtra illum euaginato gladio, vt animaduerteret ex pœna præsenti, quàm durũ sit abuti permisso, vel dissimulare imperium domini.

Quod eorum formam gesserit prælatorum, apud quos cuncta venalia sunt, vndè & redargui possunt, sicut istum subiugale mutum animal redarguit.

CAPVT XVII.

QVorum iste formam prætulerit, ex apostolicis claret literis. Apostolus Petrus cum dixisset de pernitiosis, ac blasphemis: post aliqua, cor exercitatum auaritia habentes maledictionis filij derelinquentes rectam viam errauerunt, cõtinuò subiunxit. Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedẽ iniquitatis amauit. Correptorem verò habuit suæ vesaniæ subiugale mutum animal hominis voce loquens, corripuit prophetæ insipientiam. Iudas quoque in epistola sua cum dixisset: Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant, quęcunque autem tanquam muta animalia naturaliter norunt, in his corrumpuntur, cõfestim subsecutus ait: Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt. Igitur Balaam, quod interpretatur vanus populus, vanitatis illorum tenet formam, qui in ecclesia nominetenus, & vana professione positi, quemadmodum iste qui de Sem æquè vt Abraham ortus fuit, & ad fidem & sortem Abrahæ non pertinuit: cum oculos habeant plenos adulterij & incessabilis delicti, sintque maledictionis filij, maledictiones siue benedictiones, quascunque cantitant, pretio vendunt, & apud eos cuncta venalia sunt. Cumque sint eiusmodi blasphemi, atq; corrupti, penes se solos arbitrantur, omne sacrum solum, quod ipsi dant, hoc esse sanctum: solos eos esse benedictos, quibus benedixerint, & maledictos in quoscunque maledicta congesserint. Nihilominus Balaac, quod interpretatur lingẽs vel elidẽs, qui & ipse de Sem extitit, Moab quippe natus est de Loth, nepote Abraham, illorum exemplum est, qui in ecclesia positi, & falso nomine Christiani, tales sibi pretio conducunt arbitros benedicendi atque maledicendi, & idcirco criminis eiusdem habẽtur cum ipsis qui vendunt emptores improbi, de templo Dei cum funiculo furoris eius eijciendi, lingentes atque elidentes, vitijs adulantes, & omne opus virtutis quo possunt elidentes. Hæc vbi aguntur, ora subditorum, iusta laxantur licentia in reprehensionem prælatorum. Nam ecce iste mercedem iniquitatis secutus, correptorem (vt iam dictum est) habuit suæ vesaniæ: mutum subiugale animal hominis voce loquẽs corripuit prophetæ insipientiam: Quamlibet subiugalis sit, quamlibet frœnum sessoris in ore susceperit: tamẽ si angelum domini viderit in via stantem euaginato gladio: si inquam illum magni consilij angelũ in euangelica via viderit, venden tes & ementes terribili sententia de templo de domo patris eijcientem, qué sessor. i. prælatus suus videre non valet, auaritia cęcatum cor

1. Pet. 1.

Esa. 9.

Matth. 21.

cor habens, auertet se de itinere, illumque quamuis irascentem, quamuis etiam verberantem prohibebit iniquum cupiditatis opus perficere. Nunc harioli vel diuini huius prophetica verba carpamus.

Quomodo non sit mirandum, quòd Dominus verbum in ore eius posuit, & quid in prima parabola eius prophetauerit.

CAPVT XVIII.

CAPVT XXIII. ASsumpta parabola sua dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarũ, de mõtib. orientis. Veni, inquit, & maledic Iacob, propera, & detestare Israel. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem nõ detestatur Dñs? De summis silicib. videbo eum, & de collib. considerabo eum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare posit puluerẽ Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.) Hoc verbum (inquit) posuit dñs in ore eius, ne fortè mireris, quod propheta tã pessimè inter aras Balac, deumq; diuisus admiti potuit, vt poneret dñs verbum in ore eius, vt idololatræ atq; hariolo verbũ suum deus imponere pateretur. Sed enim fidelis Samuel propheta domini, cũ dixisset ad Saul: Melior est obidientia quã victimæ, & auscultare magis quã offerre adipem arietũ, continuò subiunxit. Quoniam quasi peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Sed de illo postmodũ scriptura refert: Abijt etiam ipse in Ramatha, vi delicet persequens Dauid, & venit vsq; ad cisternam magnam, quæ est in Socoth, & interrogauit & dixit. In quo loco sunt Samuel & Dauid? Dictumq; est ei. Eccè in Aioth sũt in Ramatha, & factus est etiã super eum spiritus domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsq; dum veniret in Aioth in Ramatha. Et expoliauit se etiã vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris corã Samuel. Et cecinit nudus tota die illa & nocte. Igitur quoniã vsq; hodie per indignos spiritus mysteria loquitur, ita vt in euangelio quoq; dicat spiritus malignitatis: Scio quis sis sanctus Dei, nõ quis dicat, sed quid dicat audiamus. Assumpta (inquit) parabola sua. Parabolica dictio ab eo incipitur, quòd ait, de summis silicibus videbo eum, & de collib. considerabo illum. Nã quod præmisit, quomodo maledicam cui non maledixit Deus: qua ratione detester quẽ dominus non detestatur, nudus & manifestus secũdum proprietates vocum veritatis est sensus, Nemo quippe male dicere aut detestari efficaciter potest eum, cui à domino benedictio data est, cuius laus vel testimonium ex deo est. Igitur de summis silicibus videbo eum, & de collibus consiederabo illum cùm dicit, patres excelsos, patriarchas summos, intellige istius populi patres nõ tam carnis eorum, quã fidei. De illorum silicum de illorũ collium altitudine, dignitatẽ illius populi contemplare. Nunquã enim melius intelligis, quid amplius Iudæo sit quã Gentili. Cùm dicis cum Apost. quia horum est adoptio, & testamentũ, & gloria, & legislatio, & obsequium, & promissa, & eorum patres, ex quib. secundum carnẽ Christus, qui est super omnia deus benedictus in secula: profectò de summis silicib. vidisti, de collibus hunc populum gloriosum considerasti. Quid de illo videbo de summis silicib. qualẽ illum considerabo de collibus? Populus, inquit, solus habitabit, & inter gentes nõ reputabitur. Abrahã, inquit, & filij eius: filij, inquã non carnis, sed promissionis: solus habitabit, solus & singularis erit cultor vnius Dei, populus vnius principis, corpus vnius capitis: solus, inquam, habitabit, solus benedictionem hæreditate possidebit, quã patri eius Abrahæ pollicitus est, dicens: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quamuis de cunctis gentibus colligẽdi sunt, quamuis de cunctis mundi partibus congregandi sũt in vnum, qui dispersi fuerant filij dei, iã post sui congregationẽ, post acceptam dei benedictionem, inter gentes non reputabuntur: quemadmodum ipse pater Abrahã, postquã de gentibus est vocatus, postquam de Chaldæis est eductus, iam inter gentes non est reputatus, iam inter Chaldæos non est existimatus, habitans solus, & peregrinus, aduena, & solitarius, non hic habens manentem ciuitatem, sed futuram inquirens. Sic (inquam) omnis populus fidei eius, solus habitabit in tabernaculis, quia cum gentibus in terra ciuitates non ædificabit. Quis dinumerare posit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Tanquam diceret: Ne, quia dixi solus habitabit, paucitatem putes populi, quem de summis silicibus vidi: ne quia dixi inter gentes non reputabitur, pauca existimes milia gentis vnicæ, quàm de collibus consideraui. Nam si quis posit hominum numerare puluerem terræ, numerare quoq; poterit puluerem Iacob, & si quis stellas cæli numerare posit, numerum quoque stirpis Israel nosse pręualebit. Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horũ similia. Vana optantis suspiria, friuola & caduca prophetantis desideria. Suspirare desijt, desiderare cessauit, cum prævalente cupiditate, postmodum cõsilium dedit, quid faceret populus Balac, populo huic, & idcircò mortua est anima eius morte impiorũ, & facta sunt nouissima eius Madianitarum similia. Nam vlciscentes se filij Israel de Madianitis, iubente Domino, istum quoque Balaã filium Beor interfecerunt gladio.

Gen. 22. Ioan. 11.

Hebr. 13.

Gen. 13.

Num. 32.

De qualitate elocutionis eius, quod more adulterantium verbum Dei sui suauiter lenocinetur.

CAPVT XIX.

1. Reg. 15.

3. Reg. 19.

Marc. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIxitq; Balac: Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israelis videas, & totum videre nō possis, inde maledicito eis, &c.) Cùm ea quæ supra scripta sunt, diceret Balaam: intuebatur (vt illic præscriptum est) extremam partē populi. i. non præsentia tantùm, sed prophetico spiritu, ꝓspiciebat, quæ ventura erant diebus nouissimis. Verū Balac, & quicunq; illi similis est, quēcunque ille (vt iam dictū est) nomine signat, tantū prę sentia curat: quæ in tempore longo fient, audire recusat. Dicit ergo: Veni mecum in alterum locum, vnde partē Israelis videas, & totum videre non possis. Ac si dicat: Totum mihi videre noli, futura mihi nunciare noli, prēsentē tantūmodo rerū partē vide mihi: hoc solū quomodo possim percutere, & eijcere eum de terra mea, ꝓspice mihi. (Sta (inqt) Balac, & ausculta. Audi fili Sepphor. Nō est de⁹ quasi homo vt mētiatur, nec vt filius ho- *Luca 10.*
minis vt mutetur. Dixit ergo, & nō faciet? Locutus est dñs, & nō implebit?) Notāda in omnib. dictis faceta garrulitas, ꝓphetæ incōmodi. Cūcta cōgeminādo dicit singula semel dicta, non quidē vocib. eisdē, sed eodē sensu repetit, vt sit similitudo dissimilis, in morem cātilenæ affectatæ & suauiter lenocinātis. Sta (inqt) Balac, & ausculta. Iterē repetit cōtinuò, dicens: Audi fili Sephor. Non est (ait) Deus quasi homo, vt mentiatur. Et hoc ipsum congeminans protinus, nec vt filius hominis (inquit) vt mutetur. Sic, &c. Benè ergo & ipso locutionis modo formā illorū exprimit, qui verbum dei adulterant, qui dum benedictiones cantitant, de virtute verborū non curant, magisq; vocalē suæ tripudiū, quā diuinorum maiestatē attendunt sensuum. Quòd Dominus grauissimè interdicens prædicatoribus euangelij, & neminem (inquit) per viam salutaueritis. Nam reuera quasi per viam salutant, qui verbum Dei, quòd ore decantant, auditoribus proficere nō desiderāt.

De eo quod ait: Deus eduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis, & cætera quæ secunda benedictione dixit. CAPVT XX.

NOn est (inquit) deus quasi homo, vt mētiatur, &c. Tanquam diceret: Veni ego in alterum locum, sed non inueni alteratum deum. Semel posuit verbum in ore meo, ꝙ mutari non patitur, quandoquidem omnis homo mendax, & omnis filius hominis mutabilis est, sed non itidem deus mentitur, nō similiter à sua sententia mutatur. (Ad benedicendum adductus sum, benedictionē prohibere non valeo. Non est idolum in Iacob, non videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis cum illo. Deus adduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Iacob & Israel quid operatus sit Deus. Eccè populus vt leæna cōsurget, & quasi leo orietur. Nō accubabit, donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.) Quasi vinctum & catenatū audimus prophetam, raptos veritatis argenteos ore inuito per singula verba proferentem. Ad benedicendum (inquit) adductus sum, videlicet legatus ab illo qui benedictionum omnium solus arbiter est. Benedictionem prohibere volo, prohibere non valeo. Quid igitur? Inuitus bene dicam, non ſpontè benedictiones canam. Nō est idolum in Iacob. Non videtur simulachrum in Israel. Sed quid? Dominus deus eius cum eo, cum eo (inquam) tanquā cum vxore vir zelator, prohibens adulterium idolorum, procul extrudens mœchiā simulachrorum. Et ne quando vacet, quasi absente viro cum idolis vel simulachris per nocturnum mœchari silentium. Clangor (inquit) victoriæ regis in illo est. Clangor victoriæ regis, zelatoria vox est dicentis, à monte Synai cū clangore buccinæ vehementius perstrepentis. Non habebis deos alienos coram me, nō facies tibi sculptile, &c. Quo iure, quo debito solus ille vult vti quasi lege maritali? Deus (inquit) adduxit eum de Aegypto. Nempe causa iusta, causa legitima est. Eduxit hanc gentem de Aegypto in manu forti, in brachio extento, pepigitq́ue fœdus cum ea, in aspersione sanguinis super cunctis sermonib. suis. Cuius rei memor ipse in Ezechiele propheta dicit: Transiens per te vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, cū esses in sanguine tuo, viue. Ac deinceps: Et transiui per te, & vidi te, & eccè tēpus tuum tempus amantiū. Et expandi amictū meum super te, & operui ignominiā tuam, & iurauit tibi, & ingressus sum pactū tecum, ait Dñs Deus. Et facta es mihi, & lauit te aqua, & cæt. Igitur nō est, nec esse licet, in Iacob idolum: nec videtur, nec videre licet simulachrum in Israel, non (inquam) est, nec esse debet augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Quare? Quia Deus adduxit eū de Aegypto, inquit. Et continuò: (Cuius (ait) fortitudo similis est Rhinocerotis.) Parua dictiōe sensum magnificū subintelligere licet. Rhinoceros, animal est vnicorne, Græcè sic dictū, ꝙ habeat cornu in nare. i. super narem in fronte: tantæ fortitudinis, vt à nemine vincit: tantæ ferocitatis, vt à nemine contingi possit. Solummodo puellæ virginis (vt aiunt Physici) blandi tias admittit, trahitur odore virginitatis, puellāq; cū in agro adesse persenserit, vltro expetit, caput reclinat, blandoq; sinu gratanter indormit. Illic à venatore cōprehēsus cōfoditur: fitq; arte, ꝙ nullis constare potuit viribus. Hoc respiciēs propheticus spiritus, cuius, inquit, videlicet dei fortitudo similis est Rhinocerotis. Hoc planè tam verum, quā piū est. Fortissimus nanque spirituum Deus, velut vnicornis, id est, potentiæ singularis Deus incomprehensibilis, Deus inuictæ virtutis, postquam populum illum de *Exod. 20.* *Ezech. 15.*

Aegypto

Aegypto eduxit, virginei tractus est odore vteri, virginem expetijt, virginei pudoris clausūris inclusus est. Ex eo tantū comprahē di potuit, & occidi. Igitur fortitudo eius similis est Rhinocerotis. Temporib. suis dicetur Iacob & Israel, quid operatus sit deus, id est, cū tempus fuerit, prædicabitur vero Iacob, & vero Israeli, quid adducendo hunc populum de Aegypto, significauerit Deus, vel vnde fortitudo eius similis Rhinocerotis rectè dicatur: Eccè populus vt leæna cōsurget, & quasi leo orietur. Non accubabit, donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat. Et hoc quidem secundum literam ad prælia eiusdem populi referri potest, quia duce Iosue trāsito Iordane vt leæna consurrexit, & quasi leo ortus est, nec ante accubuit in terra promissionis, donec deuoraret prædam, donec hostium sanguinem funderet. Verūm melius atque certius ad illa tempora refertur, quibus (vt nuncait) dicetur Iacob & Israel, quid operatus sit Deus. Eccè enim vbi Rhinoceros ille fortissimus ad mortem crucis de virginis sinu deductus est, populus eius vt leæna consurrexit: nam ipse princeps ex mortuis resurgens quasi leo ortus est secundum prophetiam Iacob, dicētis: Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, &c. Igitur nō accubabit (inquit) donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat: per metaphoram, per leonem fortissimum Christi & Apostolorum eius feruidam virtutem exprimēs, qui non quieuerunt, donec diabolum mundi principem, quem per semetipsum Christus apud inferos quasi leo debellauerat, ipsi per totū mūdum discurrentes, quasi leæna antiquis templorum sedibus protraherent. *Gen. 49.*

De his quæ tertia benedictione dixit, canens de semetipso, dixit homo cuius obturatus est oculus, & cætera: Et quæ sit ſpiritualiter pulchritudo tabernaculorum Israel.

CAPVT XXI.

CAPVT XXIII. CVmq; vidisset Balaā, quòd placeret domino, vt benediceret Israeli, nequaquā abijt vt antea perrexerat, vt augurium quæreret. Sed dirigens cōtra desertum vultum suum, & eleuans oculos, vidit Israel in tentorijs commorantem per tribus suas. Et irruēte in se ſpiritu Dei, assumpta parabola, ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonū Dei, qui visionem omnipotētis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.) Cū (inquit) vidisset, cum experimento didicisset, quòd constanter placeret Domino, vt bene diceret, quippe qui & dixerat, non est deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur: spe perdita, qua post suam cupiditatem hiabat, non abijt, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret. Augurium quasi augurarium, id est, garritus auium, vn de fanatici futura explorare consueuerant, non quod oraculū Dei dici debeat auguriū, sed quia sic dici debuit in talis prophetæ tamque cupidi consultoris despectum. Dixit homo (inquit) cuius obturatus est oculus, & cæt. Magnum ac præclarum est, auditorem sermonum Dei esse: veruntamen malum ac peruersum est, obturatum oculum habere. Item pulchrum ac honorificum est, visionē omnipotētis intueri, sed rectus ac legitimus debet esse ordo intuendi. At ille peruersum exposuit ordinem, protinus dicendo: Qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius. Hoc nisi dixisset, duo prædicta, cuius obturatus est oculus, & qui visionem omnipotentis intuitus est, contraria vel repugnātia sibi videretur. Nunc autem planum intellectu sit quia per propheticam quidem scientiam auditor sermonum dei est, & visionem omnipotentis intuitus est, sed per auaritiam cor cæcatū habet, & in cupiditatem quidē cadit, sed tamen apertos oculos habet, vnde nec excusationē habet de casu, vel peccato suo. Quid talis homo dixit? (Quàm pulchra tabernacula tua, ô Iacob, & tentoria tua Israel; vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit dominus, quasi cedri propter aquas.) Et secundum historicam quidem castrorum positionem superius descriptam, pulchra erant tabernacula Iacob, sed quia sermones dei sunt, quia visio omni potentis est, tabernaculorum spiritualis Iacob, spiritualem hic intelligamus pulchritudinem. Veri Israel ac spiritualis Iacob peregrinantis in seculo prēsenti, tabernacula sunt religiosa, & secūdum disciplinam Christi bene dispositi ordines coniugatorum, continē- CAPVT XXIIII.
tium, viduarum, atque virginum secundum vtrunq; sexum. Hæc planè tabernacula singula in suo proposito pulchra sunt. Et quā pulchra tabernacula, quàm pulchra tētoria? Vt valles (inquit) nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, & cætera. Hæc ex alijs scripturæ locis ita esse perspicuum est. In Esaia *Esa. 14.*
Dominus derelictę quondam gentilitati, spiritualium virtutum merita tanquam deserto arbusta promittens: Dabo (inquit) in solitudine cedrum, & spinam, myrtum, & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietē, vlmum, & buxū simul, vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter. Ergo pulchra tabernacula vt valles nemorosę. Itē: Et *Ibidem 58*
eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aqua- *Cant. 4.*
rum, cuius non deficient aquæ. Et in Canticis. Hortus cōclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viuentiū, quæ fluūt impetu de Libano. Eccè pulchra tabernacula, vt horti iuxta fluuios irrigui. Et psalmista *Psal. 103.*
cū dixisset: Rigans montes de superioribus suis, & cæt, continuò subsecutus: Saturabuntur (inquit) ligna campi, & cedri Libani quas plantauit. Ergo pulchra tabernacula, vt cedri propter aquas, videlicet in quibus

aues nidifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

aues nidificant, quarum abundantia, cũ sint diuites homines, pauperum inopiã supplet.

Prophetia de Christo ab eo quod ait. Fluet aqua de situla eius, & quod ait Cineo, Assur enim capiet te.

CAPVT XXII.

Esa.59. FLuet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas.) Quæ est situla eius? Imò quæ est aqua eius? Aqua eius, aqua viua eius, sancta est scriptura ad quam per prophetam inuitans dicit: Omnes sitientes venite ad aquas, id est, omnes diligẽtes, omnes quærentes Deum, sanctas legite scripturas. Hæc aqua, Israelitici est aqua populi: illi nanque credita sunt eloquia Dei. Quæ ergo est & situla eius, nisi Christus eius. Nam per situlam aqua hauritur, & per Christum sancta scriptura aperitur. Imò ab illo sitis excitatur, vt hæc aqua desideretur, ab illo sensus aperitur, vt scripturæ intelligantur. Fluet igitur aqua de situla eius, id est, vera manabit intelligentia scripturarum de Christo eius. Quid deinde? Et semen (inquit) illius erit in aquas multas. Quod est aqua de situla eius, hoc est aquarum multitudo de semine illius. Nam semen eius, semen patris eius Abrahæ, est Ioan.7. Christus. Hoc semen illius erit in aquas mul Ibidem 4. tas, id est, hoc semen fundet aquas multas. Bibendo experti sumus, q̃ verè in aquas multas sit semen illius. Qui in me credit (inquit) flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ. Itẽ: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hoc (inquam) gratia eius bibendo experti sumus, eccè enim, de hac situla, quæ est Christus ipse, multa sancti spiritus in vna ecclesia dona percepimus, multa & largissima scripturarum fluenta possidemus. Saul rex. Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur re- 1.Reg 8. gnum illius.) Hoc ita impletum est. Saul rex Ibidem 15. eius, scilicet, Israel fuit, contra voluntatem Domini expetitus, dicentis ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquũtur tibi, non enim te abiecerũt, sed me. Hinc præcepit Samuel ex ore domini. Vade & percute Amalech, & demolire vniuersa ei⁹. Nõ parcas ei, sed interfice à viro vsq; ad mulierẽ, & paruulum atq; lactentem. At ille percussit quidem Amalech, sed pepercit Agag regi Amalech. Vniuersa quæ pulchra erãt disperdere noluit, quicquid verò vile fuit & reprobum, hoc demolitus est. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me, quòd constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Ac deinceps: Imple cornu tuũ oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitẽ, prouidi enim in filijs eius mihi regem. Hoc (inquã) quod dixit, iste cadens, & cæt. apertos habens oculos, tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, subaudi tur non Israel, sed eiusdem reges eius, vt nullus regnet de posteris illius. Sed quid in tali tantoq; negotio regis huiusce meminit spiritus, ppheticus? Videlicet vt astruerat, quòd præter Deum eius nemo iure sit rex eius. Nam hoc est, quod subiũgit protinus. (Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis.) Vt (inquam) astrueret, quòd præter Deum eius, nemo iure sit rex eius. Hoc in illo dixit spiritus Domini. Iuxta quod ipse deus cùm dixisset ad 1.Reg.8. Samuel: Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, addidit continuò: Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto vsq; ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciũt etiam tibi. Igitur cùm dixisset: Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, cõtinuò vt astrueret, quòd nec vnquã debuisset esse rex eius, sed solus deus: Deus (inquit) eduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis, eodem sensu quo superius. Quia verò deum suum, regem suum fortissimum Rhinoceroti simi lem, de virginis sinu factum compræhensibilem, ductumq; ad mortem reliquerunt, hostesq; illius facti sunt, alium recepturi sunt, id est, Antichristum, cuius in typũ Saul expetierunt. (Deuorabunt (inquit) gentes hostes illius, ossaq; eorum confringent, & perforabunt sagittas.) Hodie nanq; nos gentes, illos tales hostes eius deuoramus, ita vt nemo illorum audeat extollere caput, confringentes ossa, id est, quæ fortes putantur ra- 1.Pet.3. tiones eorũ, & perforẽtes sagittas veritatis. Psal.119. Nam quotquot sumus verbo veritatis instructi, atque ad reddendum rationem de fide parati, rectè dicimur sagittarij Domini, sagittarij potentis, cuius verba in nobis sagittæ sunt acutæ, cum carbonibus desolatorijs. (Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna quam susciture nemo audebit.) Hoc & Ia- Gen. 19. cob patriarcha eodem quidem spiritu, sed meliori mentis statu prædixit, vt supra dictũ est. Interẽptus in ligno, iacuit in sepulchro, dormiuitq; vt leo rugiens apud inferos, & in Apostolis suis, imò in tota ecclesia sua, orbem vniuersum prædatus est, quasi leæna, quam susciture (inquit) nemo audebit, cui resistere nemo poterit. (Qui benedixerit tibi, erit ipse benedictus, & qui maledixerit tibi in maledictione reputabitur.) Hoc luce est clarius, quia qui benedicit Christo & sancto Matth.25. populo eius, particeps erit benedictiõis eius, dicentis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, & econtra qui blasphemias irrogat, maledictus erit in aduentu eius, dicentis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Quid intenderit, dicendo: Veruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus faciat populo huic, addiderit, extremo tempore.

CAPVT XXIII.

Veruntamen pergẽs ad populum meũ, dabo consilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.) Quale consilium dederit iste cadens apertis oculis, vel cur extremo tempore dixerit, subsequẽtibus factis apparebit. (Dixit homo cui⁹ obturatus est oculus eius, dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum, sed non modò, intuebor illum, sed non propè. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth. Et erit Idumea possessio eius, hæreditas Seir cedet inimicis suis, Israel verò fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.) Iterata confessione imò professione stultitiam suã promulgat, quòd videlicet audiens intrinsecus sermones Dei, obturatum per cupiditatem habens cordis oculum, nõ prouideat suæ saluti, quod cadens apertos habeat oculos, vt superius dixerat. Addit adhuc nõ minora prioribus. Videbo (inquit) eum, sed nõ modò. Quem visurum se fateatur, in parabola hac penè aperit, cuius sensum satis manifestum totus nouit orbis. Orietur stella ex Iacob, &c. De Christi nanq; natiuitate manifesta & vera est prophetia, qui & ipse stella clara est, & matutina, & in ortu suo per stellam visibilem declarãdus est. Orietur ergo (inquit) stella ex Iacob, & consurget virga Matth.2. de Israel, id est, lux veritatis, & cæleste imperium de huius populi carne procedet. Virga hæc percutiet duces Moab, id est, omnes hostes veri Israel, quos omnes iure nuncupes Moabitas. Et rectè in præsenti causa, & apud regem Moab, per solum Moab inimicorum eius designatur vniuersitas. Sed quid est quod ait: Vastabitque omnes filios Seth? Filij Seth. Nunquid hostes sunt eius omnes filij Seth? Nónne totus mundus, nónne homines à diluuio sunt filij Seth? Nempe diluuio solus Noe cum domo superstes fuit, de quo totus iterum impletus est orbis. At illũ, Seth fuisse Gen.5. filiũ, quis nescit? Seth quippe genuit Enos, Enos genuit Malaleel, Malaleel genuit Iarech, Iarech genuit Enoch, Enoch genuit Mathusale, Mathusale genuit Lamech, Lamech genuit Noe. Igitur quod ait: Vastabit omnes filios Seth, idem est, ac si dicat, vastabitq; omnes gẽtes virga Israel, virga ferrea, Psal.2. rectissimus atq; fortissimus rex iuxta ,pphetiam quoq; qua in Psalmo loquitur pater: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuã terminos terræ. Reges eos in virga ferrea. Et erit (inquit) Idumæa. i. conuersa de terrenitate gentium ecclesia, possessio eius, sicut & aliud propheticum testatur oraculũ. In Idumæã (inquiens) Psal.56. & 107. extendã calciamentum meum, id est, gentib. pandam incarnationis meæ mysterium. Hæreditas Seir cedet inimicis suis. Seir, id est, pilosi, scilicet diaboli hæreditas, nos gẽtes quã doq; fuimus, cui in simulachris mutis tributa cultus sacrilegi soluebamus. Fuimus (inquam) sed iam non sumus: regi nanque Isrel postulanti à patre (vt prædictum est) dati sumus in hæreditatẽ. Ergo hæreditas Seir quæ cedat inimicis, illi sunt siue Gentes, siue Iudæi, quicunq; adhuc Domino adulantur victi diaboli. Cedẽt itaq; inimicis suis, id est, derelinquentur (quia sic elegerunt, sic maluerunt) eisdem dominis suis. Ipsi nanque idem (quod miserrimũ est) domini sunt qui inimici. Israel ergo fortiter aget, Israel (inq̃) quisquis de fide est Israel, & si non sit de carne Israel, fortiter aget, fortiter cum rege suo mundum vincit. Vnde enim hoc? De Iacob (inquit) erit, qui dominetur & perdat reliquias ciuitatis. Vnus (inquit) de carne Iacob Apoca.7. princeps erit exercitus, & dux belli qui & in primo aduentu suo domina tum accipiet, regnumq; & honorem, vt omnis populus, tribus, & linguæ seruiant ei, & in secundo cũ venerit, scilicet in die iudicij, perdet quæ ad se non pertinent reliquias ciuitatis, ciuitatis aduersæ, ciuitatis diaboli.

De parabola qua ait: Principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur.

CAPVT XXIIII.

CVmq; vidisset Amalech assumẽs para- CAPVT bolã ait: Principium gentiũ Amalech, XXIIII. cuius extrema perdentur.) Parabola breuis, Exod. 17. sed lõga vindicta in Amalech prolata. Principium, inquit, Amalech, videlicet nõ natione, sed impietate aduersum Israel. Egresso nanq; Israel ex Aegypto, primus omniũ gentium venit Amalech, & pugnabat cõtra eum in Raphidim. Eius ergo (inquit) extrema perdentur, tunc videlicet, quando (vt supra dictũ est) propter Agag regẽ eius, tolletur rex Israel, & auferetur regnum illius. Extrema (inquam) eius perdentur, id est, nõ tempora liter tantũ, aut corporaliter tantũ, sed æterna liter quoq; atq; spiritualiter dãnabitur. Manus eius solius dñi (inquit Moyses) & bellũ dei erit cõtra Amalech à generatione in ge- Ibidem. nerationẽ. (Vidit quoq; Cyneũ.) Cynei de Iethro, siue Obab cognato Moysi, fuere exorti. Vnde in librũ Iudicum scriptum est sic: Iudic. 4. Aber autẽ Cyneus recesserat quondã à cæteris Cyneis fratrib. suis, filijs Obab cognati Moysi. Vidit ergo, inquit, Cyneum, subauditur, in media Amalech habitantem, nihil tamen Israeli cum illo aduersantẽ, videlicet, propter prædicti Obab patris sui cum Moy- Cyneo. se cognationem, & idcircò cũ Amalech ne- 1.Reg. 13. quaquam eandem subiturum perditionem. Deniq; vbi Amalech prædabatur, dixit Cyneo Saul. Abi, & recede, atque discede ab Amalech, ne fortè inuoluam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israel, cùm ascenderent de AEgypto. Misericordiam fecit pater Cynei cum Israel, quando non solùm, nequaquam vt

Amalech,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amalech, aduersatus est, sed & bonum pro
Exod 18. Israel consilium dedit, dicens Moysi: Quid est hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsq; ad vesperam? Viditigitur. (Et assumpta parabola, ait: Robustum quidem habitaculum tuum, sed si in Petra posueris nidum tuum, & electus fueris de stirpe Cham, quã diu per manere poteris.) Robustum (inquit) est habitaculum tuum, fortè positione vel natura locorum. Sed nunquid contra Deum, cuius in manu Amalech, cuius tu in medio es, extrema perdentur? Non vtiq;. Nam nisi recessisses de medio, dicente Saul: Abi, & recede de medio Amalech, facilè inuoluisset te cum eo. Ergo robustum quidem est habitaculum tuũ, videlicet vt tutus esse queas ab incursu cæterarum gentium. Sed quam diu sic permanere poteris. (Assur enim capiet te) Videlicet vt plurimas gentes, & plurima regna terræ. Si in petra posueris nidũ tuum, & fueris electus de stirpe Cham, ille capiet te. Electus de stirpe Chã fuit Nemroth, filiꝰ Chus, filij Cham. Nam iste cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram domino.
Gen. 10. Ab hoc exiuit prouerbium, quasi Nemroth robustus venator coram Domino. Fuit autẽ principium regni eius Babylon. Igitur robustum quidem (inquit) est habitaculũ tuum, sed si fueris robustus, vt ille venator electus de stirpe Cham, & alteram tibi pro nido extruxeris Babyloniam, Assur capiet te.

Prophetia eius: Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, & cætera.

CAPVT XXV.

Assumpta parabola, iterum locutus est: Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntq; Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.) Parabolica hæc quidem prophetia tunc fuit, nunc autẽ res in aperto est, quia venerunt in trieribus de Italia, venerũt (inquam) legiones Romanorum, non solùm terra, sed & mari præliantes, & illa bestia quã Daniel vidit, bestia
Dan. 7. (inquã) quarta terribilis atque mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habens magnos, comedens atq; comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, fortissimum quoq; superauit, atque comminuit regnum Assyriorum, pulcherrimum quoque vastata regione subuertit templum Iudæorum. Et ad extremum ipsi quoq; perierunt, imò & peribunt. Nam etsi Roma à gentibus nõ destruitur, constat tamen, quia pro parte illorum secundum quos Babylonia dicitur, in semetipsam diuisa desolabitur, & domus supra domum cadere non cessat. Heu (inquit) quis victurus est, quando ista faciet Deus? Cum dolentis interiectione iterum suspirat, illos beatificans oculos qui visuri erant vastatis Hebræis, superatisque Assyrijs, floren te regno Romanorum, eluescere regna cælorum. Eodem modo suspirans & prima dixerat prophetia: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Sed hæc suspiria cunctaque prophetiæ vel sapientiæ dona perdidit radix amaritudinis, radix omnium malorum cupiditas, quia nimium sitiens impiorum munera, sic inter benedictiõis verba dixerat ad Balach, Veruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium quid populus tuus huic populo faciat in extremo tempore. Arcanum pessimi consilij eius, sequentia declarant.

De eo quòd populus Israel initiatus est Beelphegor, adorans deos filiorum Moab.

CAPVT XXVI.

Morabatur autem eo tempore Israel in Sethim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraue runt deos earum. Initiatusque est Israel Beelphegor.) Hoc eius consilio factum est, vt luxurioso populo, filiarum Moab obijceretur pulchritudo, ea commiscendæ fornicationis conditione interposita, vt appetitu concitato, non antè viris mulierculæ succũberent, nisi prius vocati ad sacrificia, comederent, & adorarent deos earum, & initiarẽtur Beelphegor. Sciebat propheta nequam, in quo esset illa populi maxima fortitudo, quam pertimescens Moab, ita inquit: Delebit hic populus omnes, qui in finibus nostris commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Sciebat, inquam, vnde hoc, vt populus ille tanquam læna cõ surgeret, & quasi leo oriretur, non accubiturus, donec deuoraret prædam, & occisorum sanguinem biberet, videlicet, quia dominus Deus eius erat cũ eo, cuius fortitudo similis est Rhinocerotis. Vt igitur castitatis amatorẽ, quasi Rhinocerotem abigeret ab Israel, hoc impium dedit consilium, quatenus ad fornicandum illectus populus, insuper etiam contra deum suum non qualecunque idolum, sed Beelphegor, id est, simulachrum turpitudinis initiaretur, qui idẽ apud Romanos olim erat Priapus. Verùm in hac scientia nimium obturatus eius fuit oculus, nec præscire meruit, quod hoc pacto nequaquam Deus à populo suo foret recessurus, sed per pugionem Phinees sacerdotis, zelum que optimum auersa ira dei à filijs Israel, ipse quoque cum fornicarijs suis gladio foret occidendus.

Quid hoc sibi vult, quòd cùm dixisset: Dabo consiliũ, quid populus tuus populo huic faciat, addidit, extremo tempore.

CAPVT XXVII.

Quid autem hoc sibi vult, quod cùm dixisset, Dabo consilium, quid populus tuus huic populo faciat, addidit, extremo tẽpore? Nempe vt irruente in se spiritu dei loquebatur, extremum illud tempus intuebatur, quo reuera populus ille est abominationem su-

nem susceperus: abominationem, inquam desolationis scilicet Antichristum, qui per Beelphegor præsignatur. Vndè & sũma proprietate dictum est, initiatusq; est Israel Beelphegor. Tunc enim vbi sic est fornicatus præsente Deo, initiatus est Beelphegor: quando autem Antichristum venientem in nomine suo suscipiet, consummabit Beelphegor. Medium fornicationis eius illud extitit,
Matth. 27. quod coram Pilato, denegato Deo suo, tradito rege suo pacifico, Barrabam seditionis auctorem, in typum eiusdem Antichristi sibi dimitti postulauit. Igitur vbi per prophetiæ spiritum, ab eo quod dixit, Deus adduxit eũ de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rinocerotis, in longinquũ prospiciens, Romanos quoque venturos in trieribus vidit, à quibus superarentur Assyrij, vastarenturq; Hebræi, necdum quieuit, sed vlterius procedens, Antichristi quoque turpitudinem vidit, quam ab illo populo tempore extremo plenariè suscipiendam iam tũc in tali idolo initiari posse persensit, & quomodo id fieri posit, cõsilium dedit.

Quòd septẽ plagis consumpta sit omnis generatio illa, omnes qui numerati erant à viginti annis & supra.

CAPVT XXVIII.

Tolle (inquit dominus) cũctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus in Israel. Ac deinceps: Et ecce vnus de filijs Israel, intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, videnteMoyse & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Finees, filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israel.) Ecce septem plagis consumpta omnis generatio illa, omnes qui numerati erant à viginti annis & supra. Prima plaga fuit in sepulchris concupiscentiæ, vbi cum adhuc essent carnes in dentibus eorum, necdumq; defecisset eiusmodi cibus, ecce furor domini concitatus, percusit eum plaga magna nimis. Se-
Num. 16. cunda plaga fuit, vbi inconsueta morte hominum Chore, Dathan, & Abyron interierunt, nouamque rem fecit Deus, vt aperiens terra os suum, deglutiret eos, & omnia quæ
Ibidem. ad illos pertinebant, descenderentque viui in infernum. Tertia plaga fuit die eodem, vbi egressus ignis à domino, interfecit ducentos
Ibidem. quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Quarta plaga fuit die sequenti murmurantium contra Moysen & Aaron, atque dicentium, vos interfeciſtis populum domini, & percusi sunt quatuordecim milia hominum, & septingenti, absque his qui perierunt
Nume. 21. in seditione Chore. Quinta fuit plaga, vbi dũ circumeundo terram Edom, tædere cœpit populus itineris ac laboris, locuti sunt contra dominum & Moysen, & ob hanc rem misit dominus in populum ignitos serpentes. Se-
Nume. 25. xta est plaga, hæc pœna cunctorum principũ populi, quos, p scelere Beelphegor suspẽdi iubet dñs contra solem in patibulis. Septi-
Ibidem. ma est plaga, qua tandem Finees, filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, auertit à filijs Israel iram domini. (Percutiens virum Israelitem Zambri, scilicet ducem de cognatione & tribu Simeonis cum Madianitide scorto, scilicet Chozbi, filia Sur, principis nobilissimi Madianitarum.) Perfodiens ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. His inquam septem plagis consumpti sunt, qui numerati fuerant plagis nouissimis, post decem plagas Aegypti, quarum secundum
Apoc. 15. numerum, & Ioannes in Apocalypsi septem plagas nouissimas describit, quoniam in illis (inquit) consummata est ira Dei. Hoc numero plagarum septenario plagarum vniuersitatem significans, quibus interemit, qui iam in ecclesia nominibus datis connumerati, cõfitentes se nosse Deum, factis autem negan-
Tit. 1. tes, indigni sunt accipere terram repromissionis, terram viuentium in funiculo distributionis.

De secunda enumeratione filiorum Israel.

CAPVT XXIX.

Post hæc iterum numerantur filij Israel, CAPVT
iubente domino, itidem à viginti annis & XXVI.
supra, per domos & cognationes suas cuncti, qui possent ad bella procedere, & summa pe-
Nume. 1. nè redintegrata est. Prima nanque dinumeratione fuerunt (inquit) omnes filiorum Israel per domos & familias suas, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria milia virorum quingenti quinquaginta. Hac secunda dinumeratione itidem. (Summa (inquit) filiorum Israel, qui recensiti sunt ista est. Sexcenta milia & mille septingenti triginta.) Ac deinceps: (Hic est, inquit, numerus filiorum Israel, qui descripti sunt à Moyse, & Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Iordanem contra Hiericho, inter quos nullus fuit eorum qui antè numerati sunt à Moyse & Aaró in deserto Synai.) Isti terram ingrediuntur, facta prius vltione de Madianitis dicente Moyse secundum imperium domini. Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltioné domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligã-
Num. 31. tur ex Israel, qui mittantur ad bellum. Ex
Ibidem. omnibus ne vnus in bello cecidit, sicut gratulantur victores dicentes Moysi: Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorũ, quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit. Ob quam rem offerimus in donarijs domini singuli, quod in præda auri potuimus inuenire. Igitur in præsenti quidem ecclesia ruina multorum fit resurgentibus alijs, quemadmodum in libro Iob scriptura dicit: Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Nouit enim opera

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iob.43. Philip.3. eorum, idcirco inducet noctem & conterentur. Quasi impios percusit eos in loco videntium, &c. Quod sciens & Apostolus, quia videlicet nemo quandiu est in hac vita, securus esse debeat. Ego (inquit) non arbitror me cõprehendisse. In præsenti quidem ecclesia, inquam vocatorum fit detrimentum, quoties qui stare videbantur, cadunt, sed in illa cælesti ecclesia, sine dubio præscitus & prædestinatus ante omnia secula complebitur, atque integer permanebit numerus electorum. Et notandum, quia non omnes qui hic secundò numerati sunt, sed electi vltionem faciunt de Madianitis, milleni videlicet de cunctis tribubus, id est, duodecim milia expeditorũ ad pugnam. Neque enim omnes, qui saluan-

Matth. 19. di sunt, etiam iudicabunt, sed pauci iudices super thronos sedebunt, & non iudicati, siue iudicandi iudicabunt, plures verò iudicabuntur & saluabuntur per iudicium de iudicibus & per similitudinem præliantium dicit &

Psal. 62. Psalmus secundum præsentem locum. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, &cæt. Eorum qui iudicati mittentur in ignem æternum pœnam, occiso significat Madianitarum. Nunc ea, quæ per se satis patent, quæque alijs iam locis sunt dicta prętereuntes, cętera prosequamur.

De voto viri, & maritatæ mulieris, & eius quæ adhuc est in ætate puellari.

CAPVT XXX.

CAPVT XXX. ISte est sermo quem præcepit dominus. Si quis virorum votum vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritũ verbũ suũ, sed omne quod promisit, implebit. Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quod obligauit animam eius, & tacuerit, voti rea erit, &cætera.) Vniuersis quidem consilium salutis spirit⁹ sanctus in Psalmo suggerit, præceptumque seruandi propositi dicendo: Vo-

Psal. 75. uete & reddite domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Verùm in hoc ipso tibi, si terribili & ei qui aufert spiritum principum reuera placere studes, summa discretione opus est. Quid enim si tu ipse in tua potestate legitimè esse nõ potes? Quomodo reddere licebit, quod nec vouere licuit? Igitur quæcunque es deuota anima, nõ tibi deesse debet huiusce legis auctoritas. Mulier (inquit) si quippiã vouerit, & se constrinxerit iuramento, Et cętera. Ac deinceps: (Sin autem statim vt audierit contradixerit pater, & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.) Proinde quicunque sub regimine prioris es, vouere quidem, piamq; deuotionem habere bonum est: sed quicquid sine permisione patris spiritualis feceris, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Hanc sententiam non de nihilo, patrum venerabilium maturitas edixit, sed de isto fonte legis sumpta est, de vena loci præsẽtis emanauit. Quid enim est anima sub prælati viuens cura, sub alieno imperio pensum seruitutis Deo reddere professa, nisi filia in domo patris, adhuc in ętate puellari posita? Si igitur statim vt audierit pater contradixerit, & vota & iuramenta eius irrita erunt, etiam si terram pedibus non dignata tangere, in cælum volauerit, pater eius pedẽ tenebit, & detrahet deorsum, quoad sibi placuerit. (Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel verbum de ore eius egrediens, animam illius obligauerit iuramento, quo die audierit vir, & nõ cõtradixerit, voti rea erit, reddet quodcunque promiserat. Sin autem audiẽs statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitatiões, verbaque quibus obstrinxerat animam suã, propitius ei erit Deus.) Et cætera. Hanc legẽ de muliere maritata non semel dixisse contenta, tertiò repetiuit. Proinde in carnalibus quoque adeò valet, vt dicere non dubitauerit Apostolus. Vxori vir debitum reddat, si- 1. Cor. 7.
militer autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, &c. Hoc vtiq; cum præsentis auctoritate legis edixit, quia videlicet si votum & iuramentum, quo se constrinxit, vt per ieiunium & cæterarum rerum abstinentiam aut aliquid huiusmodi affligat animam suam, in arbitrio viri est, vt faciat siue non faciat, cùm viro nihil obsit votum eiusmodi, multo magis si continentiam vouerit, quæ viro occasio possit esse adulterij, in arbitrio viri erit. (Quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quicquid vouerat atq; promiserat, reddet, quia statim vt audiuit, tacuit.) Quare? Videlicet quia tacuisse laudasse est. Laudasse aũt penè vouisse est. Igitur reddet, quia vterque proculdubio debet.

De mansionibus filiorum Israel quadraginta duabus.

CAPVT XXXI.

IN vltimo tandem voluminis huius Numerorum parte, quod apud Hebræos appellatur Vagedaber, ita scriptũ est: (Hæ sunt mãsiones filiorum Israel, qui egressi sunt de terra Aegypti per turmas suas in manu Moysi & Aaron, &c.) Catalogus iste mansionum, à prima vsq; ad vltimam numero quadraginta duarum, secundum numerum totidẽ Christi generationum, quid mysterij contineat, latius à beato viro Hieronymo dissertum est. Proinde nostra compositione res non indiget, veruntamen singulorum nominum, secundum ipsum, mysticas ponamus interpretationes. (Profecti sunt (inquit) de Rameſſe mense primo, quintadecima die mensis primi, &c.) Rameſſe à quibusdam interpretatur commotio turbulenta, aut amaritudo, commotioque tineæ, nos autem (inquit) verius existimamus exprimi tonitruum gaudij. Secunda mansio in Socoth, quod interpretatur tabernacula siue tentoria, quia videlicet illic primum tetenderunt tabernacula, vndè & ex ea re locus nomen accepit, & ob id septimo mense, quintadecima die mensis solennitas tabernaculorum est. Tertia mansio in Etham, quòd interpretatur fortitudo atq; perfectio, de qua & Dauid canit. Tu dirupisti fluuios Ethã, id est, fortes. Quarta mãsio est contra Phyairoth, quæ respicit Beelzephon ante Magdalum. Phyairoth interpretatur os nobilium. Beelzephon dominus aquilonis. Magdalum magnitudo vel turris. Quinta mansio in Mara, quod interpretatur amaritudo. Sexta mãsio in Helim, quòd in arietes fortesque vertitur. Septima mansio ad mare rubrum. Et quæritur quomodo supra transitum maris rubri, & fontis Mara & Helim, rursus ad mare rubrum venerint, nisi fortè in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrit, iuxta quem castrametati sũt. Aliud est enim, trãsire per mare: aliud, in proximo figere tabernacula. Octaua mansio in solitudine Sin, licet iuxta ordinem Exodi septima sit. Interpretatur autem Sin, rubus vel odiũ, quorum vtrunque facit ad mysticos intellectus, quod videlicet postquam venerimus ad eum locum de quo sit dominus nobis locuturus, grande mereamur odium inimici, & videamus ardere rubum, & non comburi. i. illustrari igne sancti spiritus, qui illuminat & non comburit: siue etiam persecutionibus in flammari, nec tamen perire, cum dominus in illa sit. Nona mansio in Dephcha, quod interpretatur pulsatio, videlicet iuxta quod dominꝰ ait: Pulsate & aperietur vobis. Decima mansio in alijs, quæ in Exodo non habetur, creditur quę in Sin eremo contineri, eodem

Exo. 17. narrante libro. Profecta est omnis multitudo filiorum Israel, de eremo Sin, per mansiones suas, iuxta os domini, & venerunt in Raphidim. Ex quo conspicuum est, plures mansiones vnius regionis vocabulo demonstrari. Interpretatur quę alijs fermentum, quod

Matth. 13. videlicet tollens mulier commiscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Vndecima mansio in Raphidim, quod interpretatur dissolutio fortium, siue remissio manuum. Illic Moyses ascendit in montẽ, & Iesu præliante contra Amalech, sedet super lapidem, vt non lassentur manus eius. Duodecima mansio est in solitudine Sinai, in qua videlicet media pars Exodi, & totus Leuiticus liber, Numerorum præcepta non modica, & per singulas tribus populi distributio, & oblationes principum descriptæ sunt. Interpretatur autem Sinai rubus, non vnus vt supra in solitudine Sin, sed plures. Nam cum sit mansio duodecima & ad Apostolorum spectet numerum, ibi principium, hic perfectio est: ibi solitarius numerus, hic multiplex: Aliud est enim, vnam: & aliud, plures gratias possidere. Tertiadecima mãsio in sepulchris concupiscentiæ, videlicet vbi murmurantes coturnices acceperunt, & vsque ad nauseam ac vomitum deuorauerunt. Quartadecima mansio in Aseroth est, quod in atria vertitur, vbi Aaron, & Maria cõtra Moysen murmurarunt, propter vxorem eius Aethiopissam. Quintadecima mansio in Rethma. Notandum quod reliquæ mansiones, decem & octo, quarum nunc catalogus breuiter describitur à Rethma vsque Syongabor, id est, tricesimam secundam mãsionem, sub Pharam solitudinis nomine contineantur, in quibus vniuersa quæ scripta sunt, diuersis temporibus gesta sentimus. Rethma interpretatur sonitus aut iuniperus. Ferunt autem, lignum hoc ignem multo tempore conseruare, ita vt si prunæ ex eius cinere fuerint, opertæ, vsq; ad annum perueniãt. Ex quo discimus, post sepulchra concupiscentiæ & vestibula, trãsire nos ad lignum, quod multo tempore calorem tenet, vt simus feruentes spiritu, & claro sonitu, atq; in altum exaltata voce, euangeliũ domini prædicemus. Sextadecima mãsio est, in Rethmonphares, quod interpretatur mali punici diuisio, quod alij malum granatum dicunt, cuius arboris fructus, in scriptura dupliciter accipitur, aut in ecclesię gremio, quæ omnem turbam credentium suo cortice tegit, aut in varietate consonantiaq; virtutum, iuxta illud quod scriptũ est: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Sicque diuisi sunt singuli gradus, vt omnes eadem compage teneantur. Septi- CAP. XXXIII.
madecima mansio est in Lemna, quòd nos in laterem possumus vertere, videlicet cuius opificio populus in Aegypto inseruiens ingemuit. Vndè discimus, in itinere istius vitæ & de alio in alium nunc nos crescere, nũc decrescere, & post ordinem ecclesiasticum sępè ad laterum opera transmigrare. Octauadecima mansio in Ressa, quòd in frænos vertitur. Si enim post profectum rursus ad luti opera descendimus, infrenandi sumus, & cursus vagi ac præcipites, scripturarum reticulis dirigendi. Nonadecima mãsio in Caaltha, quod interpretatur ecclesia. Vagi currentiũ gressus, frænis ad ecclesiam retrahuntur, & & fores quas ante reliquerant, rursus intrare festinant. Vicesima mansio in monte Safer, quod interpretatur pulchritudo. Et vide, qđ prosint fræna, à vitijs nos retrahunt, introducunt ad virtutum choros, vt in Christo monte pulcherrimo habitare faciãt. Vicesimaprima mansio in Arada, quod vertitur in miraculum, quàm pulcher ordo profectuum, q̃ egregia textura credentium. Post opus lateris infrenamur, post frænos in ecclesiam introducimur, post habitationem ecclesiæ ad Actu. 4. Christum montem ascendimus, in quo positi stupemus atque miramur, vt noster in laudibus eius sermo superetur. Vicesimasecunda mansio in Maceloth, quod vertitur in cœtus, videlicet de quibus dicere possumus: Ecce quàm bonum & quàm iucundum

habitare fratres in vnum. Item: Deus qui habitare facis vnimoris in domo. Vicesimatertia mansio in Taath, quòd in pauorem vertitur, illum videlicet quem exigens Apostolus: Noli, inquit, altum sapere, sed time, Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Vicesimaquarta mansio in Thare, quo vocabulo & eisdem literis scribitur pater Abrahæ, qui fertur ab abactis coruis, qui hominum frumenta vastabant, abactoris vel depulsoris nomen sortitus esse. Itaq; & nos imitemur Thare, vt volucres cæli, qui iuxta viam fatum triticum deuorare festinant, soli citi prohibeamus. Vicesimaquinta mansio in Methca, quod vertitur in dulcedinem, illam videlicet de qua Psal. dicit, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Vicesimasexta mansio in Esmona, quod in lingua nostra festinationem sonat, qua videlicet ad vlteriora properantes, obliuiscamur præteritorum, & in futura extēdamus nos. Vicesimaseptima mansio in Maseroth, quòd vincula siue disciplina sonat. Vincula, inquā, de qualibus propheta, & Sabaim, inquit, viri sublimes, ad te transibunt & tui erunt, post te ambulabunt vincti manicis. In his vinculis commoramur, dum festino gradu pergimus ad magistros, & eorum terimus limina, præceptis virtutum ac mysterijs occupati scripturarum. Vicesimaoctaua mansio in Baneichan, quòd transfertur in filios necessitatis siue stridoris, videlicet de qualibus dicas cum Sion: Ego sterilis & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti vbi erant? Filios stridoris ad illum sensum refer, quòd timore supplicij, & eius loci, vbi est stridor dētium, & fletus, deferentes diabolum, in Christo renasci festinant. Vicesimanona mansio in monte Gadgad, quod interpretatur nuntius siue expeditio, vel certè (quod verius est) concisio, videlicet vt non prohibeamus gladium nostrum à sanguine, dicente propheta: Maledictus, qui facit opera domini negligenter, & qui prohibet gladium suum à sanguine, scilicet, quin carnes deuoret, carnis vitia trucidet. Tricesima mansio in Iethebatha, q interpretatur bonitas, vt cum peruenerimus ad perfectum virum in sacerdotalem gradum, imitemur eum qui dixit: Ego sum pastor bonus, pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Tricesimaprima mansio est in Ebrona, quod interpretatur transitus siue transitio, quo verbo significatum est, si exēpla velimus cōgerere ex omnibus scripturis probantes, quod non habeamus hic manentem ciuitatem, sed transire debeamus in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domū Dei. Tricesimasecunda mansio in Asiongaber, quod transfertur in ligna viri, qualia videlicet sumus nos, in manu artificis Dei nostri, vasa faciētis diuersa, quę in domo magna necessaria sunt. Hucusque solitudo Pharan, decem & octo continens māsiones, quæ descriptæ in catalogo in superiori itinere nō ponuntur. Tricesimatertia mansio in deserto Sin, hæc est Chades. Quæritur cur octaua mansio nunc tricesimatertia esse dicitur. Sed sciendum, quod prior per Samech literā scribitur, interpretaturq; rubus, siue odium, hęc autem per Sade scribitur, & vertitur in mandatum. Illudq; quod iungitur Chades, non vt pleriq; ęstimant sancta dicitur, sed mutata siue translata. Legimus in Genesi, iuxta Hebraicam veritatem, vbi Iudas meretricē putans Thamar, dona transmittit, & sequester munerū interrogat, vbi esset cadosa, hoc est scortum, cuius habitus à cæteris fœminis mutatus est. In multis quoq; locis hoc idem reperimus. Sin autē sancta interpretatur, Chades, per antiphrasim intelligendum est: quomodo Parcæ dicuntur, ab eo, quòd minimè parcāt: & bellum, quod nequaquam bellum sit: & lucus, quod minimè luceat. Tricesimaquarta mansio in monte Hor, quod pleriq; interpretantur lumen, quo nomine dignus locus meritis sacerdotis monstratur, duxtaxat secundum personam ipsius: nam secundum mysteria, per mortem eius, sacerdotij Iudaici desīgnatur interitus. Tricesimaquinta mansio in Selmona, quod interpretatur imaguncula. Tricesimasexta mansio in Phynon, qđ interpretatur diminutiuè os, ab ore non ab osse. Hę duę māsiones tricesimaquinta, & tricesimasexta, in ordine historię nō inueniūtur, sed scriptum est pro eis. Egressi de monte Hor, per viam maris rubri, vt circuirent montem Edom. Ex quo ostenditur in finibus atq; circuitu terræ Edom eas positas. Secundum nomen Selmona imagunculæ veræ expressæq; imaginis filij Dei passionē eius intuendo conseruatur, & in Phynon, quod corde credit, ore pronuntiat, legens illud Apostoli, corde creditur ad iustitiam, ore autē confessio fit ad salutem. Tricesimaseptima mansio in Oboth, quod vertitur in Magos siue in Pythones, quales pugnauerunt cōtra Moysen & Aaron, dum inter scorpiones habitamus, & tamen eorum venena vincimus, profecto in Oboth castrametati sumus. Tricesimaoctaua mansio in Hieabarim, quod aceruos lapidum transeuntium sonat. De qua libus scriptum est: Lapides sancti voluuntur super terrā. Sunt tamen & alij, quos propheta tolli de via iubet, ne per istud seculum ambulantium, & ad alias mansiones transire festinantium pedes offendant. Tricesimanona mansio in Dibongad, quod interpretatur fortiter intellecta tentatio, qua videlicet intelligimus, quòd non debeamus nos eleuare in superbiam. Ante contritionem enim eleuatur cor, & ante gloriā humiliatur. Quadragesima mansio in Almon Deblataim, quod interpretatur in contēptu plagarum siue opprobriorū, quo discimus, omnia dulcia, & illecebras voluptatū in hoc seculo contēnendas, nec

Esa. 45.
Esa. 49.
Hiere. 48.
Heb. 13.
2. Tim. 1.
Gen. 38.
Rom. 10.
Zach. 9.
Hier. 50.

Ephe. 5. das, nec inebriari debere vino, in quo luxuriæ sunt opprobria. Quadragesimaprima māsio in montibus Abarim, contra faciem Nabo. In montibus, inquit, Abarim, quod interpretatur trāseuntium, videlicet quamuis in montibus sit virtutum, adhuc tamen indiget, quamdiu peregrinatur hic ciues cælorū. Nabo interpretatur conclusio, scilicet in qua finitur lex, & non inuenitur eius memoria. Porrò gratia euangelij absque vllo fine tenditur. Quadragesimasecunda mansio, quę & extrema est, in campestribus Moab. Cursim quæ in hac sint gesta, narremus.

Breuis narratio eorum, quæ in vltima, id est, quadragesimasecunda mansione gesta sint.

CAPVT XXXII.

Residens in ea populus, à diuino Balaam, quem mercede conduxerat Balach filius Sepphor, Dei benedictione benedicitur, & maledictio vertitur in laudes. Audit vocem
Num. 24. domini ex profano ore resonātem. Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israel, & percutiet principes Moab, & vastabit cunctos filios Seth, & erit Edom hæreditas eius. Fornicatur cum filiabus Madian, & Finees filium Eleazari sacerdotis zelatus zelum do-
Num. 25. mini. Zambri & scortum Madianitidem pugione transfigit. Vndè & accepit præmium in æternam memoriam aluum victime. Nu-
Nume. 26. meratur rursum populus, numerantur & Leuitæ, vt interfectis pessimis, nouus Dei populus censeatur. Interpellant quinque filij Salphaad, & ex iudicio domini hæreditatem accipiunt, vt inter fratres suos nec fœmineus à possessione domini sexus excludatur. Iesus Moysi in monte succedit, & discit à lege, quę
Nume. 27. spiritualiter offerre debeat in ecclesia, primū quid per singulos dies, dein sabbato, quid in Calendis, quid in Pascha, quid in Pentecoste,
Nume. 28. quid in Neomenia primi mensis, quid in ieiunio eiusdem mensis die decimo, quid in scenophegia quando figūtur tabernacula, quin todecimo die supradicti mensis, vxorum & filiarum vota, absque auctoritate patrum & virorum cassa memorantur, bellum contra Madianitas, & mors diuini Balaam, & prædę diuisio, & oblatio ex ea in tabernaculo Dei. Primus Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasses, circa Iordanem in eremo possessionē accipiunt. Plurima enim habebant iumenta, & necdū ad id venerant, vt possent habitare
Num. 34. cum tēplo. Docetur populus, vt in terra sancta idola destruat, & nullus de priori habitatore seruetur. Describitur olim cupita prouincia, & duarum semis tribuum hæreditas separatur. Numerantur tribuum principes,
Nume. 35. qui terram sanctam debeant introire. Quadragintaduas vrbes, cùm suburbanis suis vsque ad mille passus per circuitum Leuitæ accipiunt, tot numero, quot & istę sunt māsiones, & addunt fugitiuorū sex alias vrbes, tres iuxta Iordanem, & tres trans Iordanem, vt sint simul quadragintaocto, qui fugitiuorū susci-pi, qui interfici debeant, & vsq; ad mortem pontificis maximi reseruari. Succedit Deuteronomium secunda lex meditatorum euangelij. Ibique breuiter discimus, quæ inter Pharan, & Tophel, & Laban, & Azeroth, & loca aurea, abiecto Iuda infidelissimo, vndecim diebus via de Oreb, per viam montis Seir, vsque ad Chades Barnæ, Moyses populo sit locutus, & extremum cantat canticum, in quo apertissimè synagoga proijcitur, & Rom. 11. ecclesia domino copulatur. Benedicuntur fi- Osea vlt. lij Israel, & rursum in Simeone Iudas proijcitur miserandus. O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis sapiens, & intelliget hæc: intelliget, & cognoscet ea? Quia recte viæ domini, & iusti ambulabunt in eis, prevaricatores autem corruent in illis.

COMMENTARIORVM IN NVMEROS FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN DEVTERONOMIVM, COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

De Deuteronomio, & cantico Deuteronomij, et quod quasi secundus & tertius testes sint.

CAPVT I.

ISTE liber, Deuteronomium. i secunda lex, inscribitur. Breuissimè autem in cantico eiusdē Deuteronomij, cuncta ab exitu Israel de Aegypto numerantur, & pōderātur. Cur hoc? Videlicet quia iudiciū domino præparatur, & eis qui ante tribunal eius staturi, & per legem iudicandi sunt, eis inquam, imò contra eos qui per legem arguentem non audiunt, testimonia sufficientia prouidenda sunt. Dicit autem ipsa lex: Non stabit testis vnus contra aliquē, quicquid illud peccati aut facinoris sit: sed in ore duorum aut trium testiū stabit omne verbum. Et ne putes in hoc nequaquam dictorum iterationem exigi, siue factorum, sed tantummodo numerum personarum, Paulus apostolus cum dixisset: Ecce tertio hoc venio ad vos, statim subiunxit: In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Igitur præuaricatores omnes accusaturus Moyses, verbum omne, non vnius tantum, sed duorū, imò & trium cōstituit in ore testium, dum post legē scriptā scribit & Deuteronomium, ac deinde Deuteronomij canticum. Duo testes legendo, tertius vos ō prę-uaricatores Iudæi conuincit canendo, vt excusationem non habeatis de peccato vestro. Hoc Deuteronomium sic incipit.

Deut. 19.

2. Cor. 12.

Quod in initio libri huius, decem tētationes obscurius numerentur.

CAPVT II.

CAP. 1. HAec sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem, in solitudine campestri, contra mare rubrū, inter Pharan & Tophel, & Laban, & Azeroth, vbi auri est plurimum, vndecim diebꝰ de Oreb per viam montis Seir, vsque ad Chades Barne.) Tanquā diceret. Hęc sunt verba, quę locutus est Moyses ad oēm Israel, in trāsitu Iordanis, in solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan & Tophel, & Laban, & Azeroth, & auri abundātia, vndecim dierum iter de Oreb ad montem Seir vsq; ad Chades Barne. Hæc sunt verba, quibus corripuit Moyses filios Israel, pro decem tētationibus, quibus dominum tentauerunt. Vndè dominus in libro Numerorū dicit: Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbūt terram, pro qua iuraui patribus eorum. Quas tentationes hic breuiter & obscurè Moyses enumerat, dicens: In solitudine, in qua demonstrat eos pro aquæ penuria, duabus vicibus tentasse dominum. Sanè quod ait: In solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan & Thophel, & Laban, & Azeroth, & vbi auri est plurimum, sic intelligendum est: In campestri contra mare rubrum, murmurasse dicuntur filij Israel contra dominum, quia Moysi dicenti sibi, de verbo domini peremptos fuisse Aegyptios, non crediderūt, sed potius eos se subsequi timuerunt. Vndè dicitur in Psalmo: Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ, & irritauerunt ascendentes in mare rubrum. Porrò Pharan interpretatur onager: Tophel, stultitia: Laban, albū. Quod ita intelligitur, quia similes onagro facti filij Israel, stulcè egerunt, tentantes dominum duabus vicibus super albo, id est, super manna. Manna verò album dicitur, sicut & illud in Exodo: Appellauitque illud domus Israel nomen eius Man, quod erat quasi semen coriandri album. De tentationibus eisdem numero decem iam in Exodo dictum est.

Numer. 14.

Psa. 105.

Exod. 16.

Quòd ipsa modus elocutionis, in hoc libro studiosa intentione auditorem prouocet ad dilectionem.

CAPVT III.

COepitque Moyses explanare legem, & dicere: Dominus DEVS noster locutus est nobis in Oreb, dicens: Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis, & cætera.) Hæc legis explanatio breuis & lucida, penè cunctorum quæ sparsim dicta vel gesta sunt, recollectio est, magnam multamque solicitam viri mitissimi super omnes homines, qui morabantur in terra dilectionem, vbique spirans, scilicet ad hoc tendentis, vt auditorum suorum sursum ad dominum erigat beneuolentiam. Nam inter explanandum, multis & magnis iam commemoratis beneficijs. Et nunc Israel, inquit, audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens possideas terram, quam

Deut. 4.

quàm dominus deus patrum vestrorum daturus est vobis. Ac deinceps: Audi Israel, dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Itemq; post aliqua: Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas dominum Deū tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Dño Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasq; mandata Domini, & cæremonias eius quas ego hodie præcipio, vel benè sit tibi? En domini dei tui cælum est, & cælū cæli, terra & omnia quæ in eis sunt, & tamē patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amauit eos, elegitq; semen eorum post eos, id est, vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur. Circuncidite igitur præputium cordis vestri, &c. Ita explanando tanta, tamq; diligenti per omnia suauitatis arte vtitur, vt hoc maximè volumen, de illis esse areolis non dubites, de qualibus in laude sponsi dictum est: Genę illius sicut areolę aromatum, quæ consitæ sunt à pigmentarijs: Totam quippe scripturæ huius areolam pigmētarius eruditus conserens in eo est, vt lectorem visu & odore trahendo delectet, vt pulchritudine beneficiorum Dei ad dilectionē ipsius cunctorū conscientias inuitet. Et nunc quidem, quam uis multa sint, quæ ex istis vtiliter dicantur, & multo plura siue altiora quā cōprehendere vel attingere queamus, tamen quoniam suis locis singula tetigimus, nūc capitalia de libro hoc pauca cæteris omissis percurram⁹, videlicet in quibus Christi filij dei promissio est vel aduentus eius.

Deut. 6.

Deut. 10.

Cant. 5.

De eo quod ait: Prophetam de gente tua, &c. Et quid secundum hunc locum Dominus Deus de semetipso locutus sit.

CAPVT IIII.

CAPVT XVIII. PRophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus deꝰ tuus, ipsum audies, vt petisti à me Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est atque dixisti, Vltra non audiam vocē Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.) Propheta iste magnus nulli dubium est, quin ipse sit Christus Dei filius, idem propheta, & prophetarum Dominus, idem enim homo & Deus. Quē quomodo petierit Israel in monte Oreb, apertè scriptura non dicit, nisi quòd cùm vidissent voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Ergo Deus nō sermonem illorum, sed necessitatem respiciens, eundem sermonem pro petitione habuit, quia videlicet sic loqui, mediatorem petere fuit. Proinde cùm dixisset: Nunc prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus deus tuus, cōtinuò subiunxit, ipsum audies, sicut petisti à domino Deo tuo in Oreb, id est, ipsum audire poteris sicut audibilem tibi atq; tolerabilem fieri loquelam dei petisti: ille enim nube carnis contectam habens igneam diuinitatis maiestatem, loquetur tibi. Porrò vt in aduentu eiusdem prophetæ maximè inexcusabiles forent, qui eum non susciperēt Iudæi, Iudæorumq; principes aut legisperiti, tale eis signum vel experimentū proponit. (Quòd si tacita cogitatione respōderis, quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus dominus, hoc habebis signum: Quod in nomine dñi propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc dominus nō est locutus, sed per tumorē animi sui prophe ta confinxit, & ideircò non timebis eum.) Hoc de semetipso scriptum esse sciens iste propheta, dicit in euangelio suo contra calū niatores Iudæos. Opera enim quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimoniū perhibent de me, quia pater me misit. Et alibi: Verba quę ego loquor vobis, à memetipso non loquor. Pater autē in me manens, ipse facit opera. Tanquam diceret: Opera subsequētia, opera patris mei, quæ nemo alius fecit, testimonium perhibēt verbis meis, quòd non ea de corde proprio confinxerim, quemadmodū prophetæ mendaces: quos cauendos esse, scriptura præmonuit. Dicit autem lex vestra, hoc vobis fore signum prophetæ magni, quem secundum legē eandem per omnia vos audire debetis. Quod in nomine domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc dominus locutus non est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcircò nō timebis eum. (Illum autem cuius in ore ego pono verba mea, qui audire noluerit, inquit, ego vltor existam.) Igitur cum præsentibus operum testimonijs clarum sit, quod ego propheta ille sum, qui suscitandus erat ex promissione dei, quia non est in me signum prophetę, per tumorem animi sui verba confingentis, ipse vltor existet, quia vos audire non vultis.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

De separatione vrbium fugitiuorum, & quid spiritualiter sit mors sacerdotis.

CAPVT V.

CVm disperdiderit dominus deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, & possederis eā, habitaueriſque in vrbibus eius, & in ædibus: tres ciuitates separabis in medio terræ, quam dominus deus tuus dabit tibi in possessionem, sternens diligenter viam, & in tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides, vt habeat in vicinio qui propter homicidium profugus est, quo possit euadere.) Perspicuè hic datur intelligi, cuius vsq; ad sacerdotis mortem, in vrbibus fugitiuorum remorari debeat, qui nolens sanguinē fuderit, reuersurus in terrā suam postquā ille obierit. Hoc, inq;,

CA. XIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

datur hic intelligi, quòd iste propheta magnus ille sacerdos sit. Quid aũt est in vrbe fugitiuorum cõmanere vsq; ad mortẽ magni
Num. 35. huius sacerdotis magni prophetæ nostri, nisi pœnitentiam agere in fide passionis huius Christi filij Dei? Nam si extra fines vrbium, quæ exulib. deputatæ sunt, fuerit inuentus, occidetur ab eo qui vltor est sanguinis, debuerat enim profugus in vrbe residere vsq; ad mortem pontificis. i. si non baptizatus in nomine Christi Iesu, præsenti vita excesserit,
CA. XXI. cõdemnabitur, sicut ille prædixit: debuerat enim in sola morte eius terminos ponere quærendæ salutis. Quæ igitur sunt tres istæ ciuitates, æquali inter se spacio distantes, nisi fides, spes, & charitas, tres virtutes principales? Et quidem cũ tria sint, maior horum charitas est, verùm tum æquali inter se spacio distant, quia nihil horum ad salutem magis aut minus necessariũ est. Sed continuò subiunctum est. (Hæc erit lex homicidæ fugiẽtis, cuius vita seruãda est, qui percusserit proximum suũ nescius, & qui heri & nudiustertius nullum contra eum habuisse cõprobatur odium, sed simpliciter abijsse cum eo in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manum, ferrumq; ipsum de manubrio, amicum eius percusserit & occiderit.) Ad syluã cũ amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra cõuertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cũ delinquentium vitia pia intẽtione resecamus. Sed securis manum fugit, cùm sese increpatio plus quã necesse est in asperitatẽ protrahit. Ferrumq; de manubrio prosilit, cũ de correptione sermo durior excidit, & amicum percutiens, occidit: qui auditorẽ suum prolata cõtumelia ab spiritu dilectiionis inter ficit. Correcti nanq; mens repentè ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plus quã debuit, addicit. Sed is qui incautè lignũ percutit, & proximũ extinguit, ad tres necesse est vrbes fugiat, vt in vna earũ defensus viuat, qa si ad pœnitentiæ lamenta cõuersus in vnitate sacramenti, sub spe, fide, & charitate absc̃ditur, reus perpetrati homicidij non tenetur, eumq; extincti proximus, & cũ inuenerit nõ occidit, quia cũ districtus iudex venerit, q̃ sese nobis per naturę nostrę consortiũ iunxit, ab eo proculdubio vindictã de culpę reatu non expetit, quẽ sub eius venia, spes, fides, & charitas absc̃dit. Citius ergo culpa dimittitur, quæ nequaquã studio malitię perpetratur. Quid igitur? Nũ illa tantum peccata Christi morte delentur, quę nolentes vel nescientes cõmisimus? Sed profectò nolens occidit, qui hoc ipsum nõ vult q̃ occidit: non vult, inquã, & nescit qui occidit, cui hoc ipsũ displicet, q̃ occidit, cui displicet quod fecit. Cęterũ cui nõ displicet quod fecit, vel quod fuit, qui nõ verã ex corde pœnitentiam agit, nihil proficit mors Christi sacerdotis magni, quamuis ad prædictas ciuitates cõfugiat. i. quãuis in Christum credere se dicat, quãuis sperare p̃sumat, quãuis confiteatur quod Dominum diligat.

De sepeliendo corpore eius, qui appensus fuerit patibulo, & q̃ ait. Maledictus à Deo est qui pẽdet in ligno.

CAPVT VI.

QVando peccauerit homo, quòd morte *CA. XXI.* plectendũ est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, nõ permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno, & nequaquã cõtaminabis terram tuã, quã dns deus tu⁹ dederit tibi in possessionẽ.) Hoc planè legem dixisse scientes amici legis, imò corruptores legis, & inimici Dei, callidè prædictum prophetam magnum, sacerdotẽ magnum cui cantatum fuerat: Benedictus *Matth. 21.* qui venit in nomine Domini, appenderunt in patibulo, vt consequenter constaret eum maledictum esse à Deo, & proinde certũ esset, hunc hominem iuxta sententiam vel accusationem ipsorum non fuisse à Deo. Sed ô Iudæi malitia cæci fuerit quidem, quoniam *Galat. 3.* & hoc Apostolus ait: fuerit, inquam, Dominus noster maledictum legis, vt nos à maledicto redimeret: veruntamen, nunquid secũdum verba legis pendere in ligno præcedẽs causa est maledicti? Vt taceam quod non dixit, quando homo adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, sed ita præmisit, quando peccauerit homo, quòd morte plectendum sit, & tunc demum subintulit, & adiudicatus morti, suspensus fuit in patibulo: vt, inquam hoc taceam, quòd manifestè à maledicto expurgat dominum nostrum, quia appensus quidem est in ligno, sed non peccauit quod morte plectendum esset, nunquid ait, maledictus est à Deo, qui pendet in ligno? Nunquid ait, imprecãdo maledictus sit, vel absolutè maledictus, vt subaudiri possit imprecantis verbum, sit, & non potius enunciãdo dixit, maledictus à Deo est, non quia pendet, sed qui pendet in ligno? Non enim sic se habet litera Hebraicæ veritatis, quomodo LXX. transtulerunt, quippe qui nõ sensum dei perfectæ habebãt, nec enim vates, sed interpretes erãt, vnde & hoc, sicut cætera multa non satis integrè transtulerunt, maledict⁹ omnis qui pendet in ligno: cùm sic habeatur in Hebraico: Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. Nempe tribus modis discordat à vero hæc translatio. Cũ enim in Hebraico habeatur, maledictus est, transtulerunt absolutè maledictus. & sit, subaudiri potest. Item in Hebraico additum est, à Deo, quòd in LXX. deest, & econtrario in septuaginta additum est omnis, quòd in Hebraico non habetur.

Quare ergo, inquis, Apostolus translatio *Galat. 3.* ne illorum in hac sententia vsus est? Sic enim ait: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno.

Quare hoc

Quare hoc exemplo sic vsus est? Videlicet quia apud Græcos, quibus scribebat, vulgata fuerat à tempore Ptolomæi Philadelphi, septuaginta interpretũ æditio, & nimis importunum erat, vt cũ Christo testimonium perhibere assereret scripturas, vt vix audiretur ipsas quoq; scripturas malè interpretatas esse, ostẽdere conaretur, cùm apud illos LXX. interpretũ auctoritas haberetur celeberrima. Maluit ergo sententiam cum sensu qui ædificaret cõmemorare, quã corrigendo scripturam, veteranos lectores offendere. Præterea videre melius, cuius intentionis sit hæc eadẽ enunciatio maledicti, præsertim quia pro eo quòd maledictus à deo est, iubet illum sepeliri. Nónne mortuis pars benedictionis est sepeliri, & econtrario maledictionis sepultura carere more asini? Sicut de quodã rege terri-
Hier. 22. biliter dictũ est, prout erat meritus, sepultura asini, id est, nulla sepultura sepelietur. Nõne sancti & magni viri patres siue patriarchę, de sepeliendis vel etiã transferendis corporibus suis, diligenter mãdauerunt, & pro magno illis fuit, sepeliri, & non tantum vbicunq;, sed in sepulchris patrum suorum? O igitur mirabile & antiquum crucifixi huius consilium, qui tanto antequã veniret, ita de sepeliendo corpore suo dedit præceptum, vt profuerit omnib. crucifixis, scriptum pro se vno legis mãdatum. Cùm enim decollatos, siue lapidatos, aut alia vi peremptos licuerit impunè in sepultos canibus proijci, solis crucifixis propter istum crucifigendum lex p̃phetica, vtpotè digito dei cõscripta, sepulturam negari prohibuerit. Nónne ergo propheticus ipsius Christi crucifigendi spiritus, gemitibus inenarrabilibus rugiebat in corde Moysi, talem legem scribentis: vt dum crucifixi omnes ex lege sepeliuntur, sepultura non careat hic vnus pro salute mundi crucifixus, à deo maledictus? Notandum quippe (vt iam dictum est) quia non ait imprecando, maledictus sit, sed causam reddens, cur eadem die debeat sepeliri, enunciando dixit, quia maledictus est, addens etiam à Deo, q̃
Deut. 28. nusquam fecit in cunctis maledictionibus legis. Verbi gratia: Cùm dicit maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictus ingrediens, maledictus egrediens, & si militer in cæteris, nusquam dixit à deo, nisi tantũ
Esa. 53. in hoc loco. Cur hoc, nisi quia verè solus est hic à deo maledictus, in eo videlicet, quòd (sicut ait propheta) iniquitates omnium nostrũ in illũ posuit Deus? Idcircò sepeliatur, inquit, qui pendet in ligno, quia futurus est talis pendens in ligno, qui erit maledictus à Deo: à deo, inquam, transponente maledictiones humani generis in illo. Quod si quis objiciat, sępe maledictiões ,platas esse à deo: verbi gratia, cũ dicit ad Cain: Nunc ergo maledictus es super terrã, quæ aperuit os suum,
Gen. 4. & suscepit sanguinẽ fratris tui de manu tua. Nos econtrario dicimus, nõ esse maledicti effusionẽ, sed maledicti iam existentis enunciationem, præsertim cũ non dicat, maledictus sis, sed maledictus es, & non à me, sed à peccatis tuis. Nec enim maledict⁹ est Cain à deo, sed à voce sanguinis fratris sui, clamantis de terra, & impietates eius annunciãtis ipsi deo. Igitur hic solus maledictus fuit à deo, & non à suo peccato: à Deo, inquam, qui omniũ nostrũ maledictum, quod erat super nos, id est, omnẽ iniquitatẽ nostrã posuit in eo. Quod non addidit lex, & nequaquam contaminabis terram quã Dominus deus tuus daturus est tibi in possessionem: mira spiritus S. arte dixit & scripsit, cũ potius ex ea contaminata terra posset videri si in se reciperet corpus maledicti. Quid enim? Quid etiam hoc loco scriptor legis intendit? Hoc vtiq;, quia terra quam dedit deus vero Israeli in possessionẽ, corp⁹ est huius singulariter & pro nobis maledicti, quã sibi datã tunc Israel nõ cõtaminauit, id est, contaminari non permisit, quando illud Ioseph & Nicodemus eodem die sepelierunt pro cõmuni lege omnium in ligno pendentium, videlicet ne indignè insepultũ abijceretur, & à canibus illis, qui viuum circundederant adhuc exanime conspueretur. Porrò illi putabant in eo non contaminari terram suam, si cuiuscquam taliter occisi corpus nequaquam viuentium oculis ingereretur. Quòd si quis quærat adhuc, cur pro hoc tantopere legislator fuerit sollicitus, cùm posset etiam insepultum cælitus custodiri sacrosanctum corpus, sicut custodita sunt, ne à canibus vel auibus læderentur etiam multa corpora martyrum, interrogemus eum, cur moriente eodem domino, & terra tremente monumenta sanctorum aperta sunt.
Matth. 27 Videlicet aut nihil idoneum, aut hoc respondebitur solum, quia corporibus mortuorum hoc expediebat, vt coniũgeretur cum eis in sepulchris corpus huius mortui, quod afferebat resurrectionẽ mortuorũ, & idcircò ad susc̃piendũ illud certatim & auidè sese dilatauerunt. Nã sicut animã Dñi Iesu ad animas apud inferos descendere expediebat, vt inde illas educeret, sic & ad corpora corpus eius peruenire oportebat vt illa resuscitaret.

Quid sit inueniri hominis cadauer in terra, cuius cædis reus ignoratur, & quid sit vicinioręciuitatẽ perspicere, & illic ceruices vitulæ cædere, & manus leuare.

CAPVT VII.

QVando inuentum fuerit in terra, quam DOMINVS DEVS tuus daturus est tibi, hominis cadauer occisi, & ignoratur cædis reus, egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris singularum per circuitum spatia ciuitatum, & quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores ciuitatis eius, tollent vitulam de armento quæ non traxit iugum, nec terrã scidit vomere, & ducent eam ad

vallem

Universidad de Deusto
Biblioteca

vallem aſperam atq; ſaxoſam, quæ nunquã arata eſt, nec ſementem recepit, & cædent in ea ceruicis vitulæ, &c.) Præſentis loci myſteriũ maiores noſtri, iudices noſtri, ſcilicet
CA. XXI. Luca 24. Apoſtoli ſancti hoc modo impleuerũt. In terra quam dñs deus ipſorũ dedit illis. i. in ſanctarum plenitudine ſcripturarũ, quas vt intelligerent, dñs Ieſus ſenſum aperuit illis, cadauer hominis occiſi inuenerũt. i. ſacrilegiũ eorum qui occiderunt, & eius qui occiſus eſt Chriſti filij Dei veritatem atq; innocentiã, cauſam quoq; intellexerunt. Sed quodãmodo ignorabatur cædis reus, tum quia Iudæi nõ ipſi manib. ſuis occiderunt, ſed gentilibus occidendum occiderunt, tum quia non ſe Chriſtum regem ſuum, ſed magum atq; maleficum hominem occidiſſe pertinaci concertatione defendunt. Quid igitur? Exierunt & à loco cadaueris menſi ſunt ſingularum percircuitum ſpatia ciuitatum. Locus cadaueris ſiue locus cædis in illa terra quã dñs Deus dedit in illa ſcriptura ſancta, cuius intelligentiam Chriſtus tribuit: locus, inquam, cædis ille eſt ſcripturæ locus, quicũq; manifeſtè paſſionẽ exprimit redẽptoris. Verbi gratia: Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnꝰ coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuũ. Item: Poſt hebdomadas LXXII. occidetur Chriſtus. Hoc tali loco animaduerſo, viciniorem gratiæ vel ſaluti eſſe perſpexerint ciuitatẽ hiue eccleſiã gentium, quã populum Iudæorum. Cùm enim dixiſſet Eſaias, quod iam prædictum eſt: Sicut ouis ad occiſionẽ ducetur, &c. Qui locus cædis Chriſti eſt, confeſtim è vicinio ſubiunxit: Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniã multi filij deſertæ magis quã eius quæ habet virum, dicit dominus. Item cum dixiſſet Daniel: Occidetur Chriſtus, vt ante iam dictum eſt, qui itidem locus cædis Chriſti eſt, continuò ſubiunxit: Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Igitur ſecundum poſitionem terræ, ſecundum ſacratiſsimum textum ſcripturæ diuinæ, vicinior ciuitas hæc, quam illa loco cadaueris eſt, propinquior gratiæ Chriſti gentilis, quã Iudaicus populus eſt. Quid proinde facient ſeniores huius ciuitatis? Tollant (inquit) vitulam de armento, quæ non traxit iugum nec terram ſcidit vomere, & ducent eam ad vallem aſperam atq; ſaxoſam, quæ nunquam arata eſt, nec ſementem recepit, & cædent in ea ceruices vitulæ. Vitula laſciua, vitula malè libera, nulloque diuini cultus iugo aſſueta, caro erat noſtra, bruta, & vitioſa. Vt ergo non imputaretur nobis ſanguis hominis occiſi, oportebat cædere ceruices huius vitulæ. i. ſuperbiã carnis, mẽbra vel opera carnis mortificare in valle aſpera atque ſaxoſa. i. in humilitate ac laborioſa pœnitentia, & ſic lauare manus. i. baptizari in mortẽ Chriſti Ieſu. Vnde & protinus ſubditur: (Et veniant maiores natu ciuitatis illius
Eſa 53. Dani. 9. Eſa. 54.
ad interfectũ, & lauabunt manus ſuas ſuper vitulã, & dicẽt: Manus noſtræ nõ effuderũt hunc ſanguinẽ, nec oculi viderunt.) Sed nun quid hoc illis quoq; congruit dictũ, qui ſceleri Iudæorum interfuerunt, qui crucifigendum hominẽ illum acclamauerũt, & poſtea manus ſuas lauerunt? Nunquid & ipſi dicere poſſunt, manus noſtræ non effuderunt hũc ſanguinem, nec oculi viderunt? Planè hoc & ipſi veraciter dicere potuerunt, quia lauando manus ſuas alterati ſunt. Oẽs qui in Chriſto Ieſu, oẽs qui in morte Chriſti Ieſu baptizati ſunt, ſic innouati ſunt, immò ſic alterati ſunt, vt iã non ſint ipſi qui fuerunt à deo, vt Rom. 6.
dicat Apoſt. Conſepulti ſumus cũ illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & Galat. 2.
nos in nouitate vitæ ambulemus. Iteꝝ: Chriſto cõfixus ſum cruci, viuo aũt non iam ego, viuit verò in me Chriſtus. Igitur ipſi qui ſanguinem Chriſti fuderunt, & poſtea pœnitẽtiam egerunt, baptizati in nomine eius, poſtquam ſic lauerint, & ſic lauando alterati fuerint, rectè & veraciter dicãt. (Manus noſtræ non effuderunt hunc ſanguinem, nec oculi viderunt: propitius eſto populo tuo Iſrael quem redemiſti dñe, & non reputes ſanguinem innocentẽ in medio populi tui Iſrael.) Nihilominus à nobis, qui eramus longè, ſed ſupradicto modo ſecundum menſoris funiculũ facti ſumus propè, aufertur reatus ſanguinis, & alieni ſumus ab innocentis cruore qui fuſus eſt, cùm fecerimus quod præcepit dominus. Cæterùm non faciendo hoc, & nõ credendo in eum qui occiſus eſt, eis qui occiderunt conſentiremus, atq; idcirco ſanguis eius iuſtè à nobis exigeretur.

Quid ſit ſpiritualiter, obſeſſa ciuitate nõ arbores fructiferas fucc idere, ſed de lignis agreſtib. machinas inſtruere: et quid ſit obſeſſæ ciuitati primũ pacẽ offerre.

CAPVT VIII.

QVãdo obſederis ciuitatẽ multo tẽpore, & munitionib. circundederis vt expugnes eã, non ſuccides arbores, de quib. veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitũ debes vaſtare regionẽ, quoniã lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium cõtra te augere numerum. Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, ſed & cæteris apta vſibus: ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias ciuitatẽ quæ contra te dimicat.) Summa præſentis capituli hæc eſt, vt ligna fructifera conſeruentur, quæ autem fructum nõ faciunt, ſuccidãtur. Ergóne de lignis cura eſt deo? Si (iuxta 1. Cor. 9.
Apoſtolũ) de bobus cura illi non eſt, quanto magis de lignis inſenſibilib. cura illi non eſt? Igitur ligna iſta vel arbores iſtæ homines ſunt, & ſecundum hanc ſimilitudinem illud accipimus in euangelio veraciter dictũ. Fructus ergo facite dignos pœnitentiæ. Iam enim ſecuris ad radicẽ arboris poſita eſt. Omnis arbor quę nõ facit fructũ bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. Nempe qui obſidet Matth. 3.
ciuitatem

ciuitatem multo tempore, & munitionibus circundat, vt expugnet eam, ipſe eſt qui forti armato cuſtodienti atrium ſuũ, fortior ſuperuenit, & ciuitatem eius ciuitati Dei viuẽtis Hieruſalem cœleſti inmicam, vſque ad fi
Luca 11. nem ſeculi expugnare nõ deſinit. Vnde quia primus eius aduentus in pace extitit, & remiſſionem peccatorum omnibus obtulit. Secundus autem in terrore erit, & eos qui pacem eius recipere noluerunt, durus debellator in infernum præcipitabit. In ſuperiori capitulo (quod præ feſtinatione prætereamus) eidem alumno ſuo Chriſto filio Dei familiariter dixerat hæc eadem ſancta & ſpiritualis lex: (Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Si autem fœdus inire noluerint, & cœperint cõtra te bellum, oppugnabis eam, &c.) Accedens nanque ad expugnandam ciuitatem, primùm ei pacem obtulit, qui ingrediens in hunc mundum ad expugnandum diaboli regnum, primùm pœnitentiam & remiſſionem peccatorum omnibus gentib.
Matth. 4. Rom. 10. prædicauit. Quem recipere & portas illi aperire, eſt corde aperto credere ad iuſtitiam, & ore patenti confeſsionẽ facere ad ſalutem. Qui hoc modo fœdꝰ cũ illo inierint, ſaluabũtur: qui aũt recipere illum noluerint, oppugnati & victi tandem gladio iudicij ferientur. Igitur non ſuccides, inquit, arbores quibus veſci poteſt. i. non iudicabis peccatores dignos fructus pœnitẽtiæ facientes. Quare? Quoniã lignum, inquit, eſt & nõ homo, nec poteſt bellantiũ cõtra te augere numerum. Ergóne lignum non pomiferũ. i. peccator,
1. Cor. 1. non faciens pœnitentiæ fructus, homo eſt, & poteſt cõtra pugnatorem iſtũ augere hoſtium numerũ? Planè homo. i. ſapiens & rationalis adeò ſibi videtur, vt ſtultitiã arbitretur id qꝺ prædicamus Ieſum Chriſtum ideò crucifixum, vt per ipſam crucẽ ſuã obſideret vel impugnaret diabolum, & adeò ſibi videtur augere poſſe hoſtium Chriſti numerum, vt diſſertando nonnunquã currẽti verbo dei, moram faciat vel impedimẽtum. Econtrariò, qui iudicat ſe nihil ſcire inter eiuſmodi homines, niſi Chriſtũ Ieſum, & hũc crucifixum, hic ſuomet iudicio non homo eſt, ſed lignum de cælo expectans rorẽ, vnde refloreſcat & dignum faciendo fructum, primæ Origenis recuperet ſtatũ, quem in Adã perdidit propter cõcupiſcentiæ lignũ: & hic talis cõtra deum & hominẽ Chriſtũ nec poteſt, nec vult hoſtiũ augere numerum. Seruabitur ergo hic, ille aũt tanquã lignũ inutile
Eſa. 29. ſuccidetur, iuxta qꝺ ſcriptũ eſt: Perdã ſapiẽtiã ſapiẽtiũ, & prudentiã prudentiũ reprobabo. Sanè ſi qua in illo vel ex illo procedũt vtilia, quæ ex aduerſo eiuſdẽ ciuitatis munitionib. efficaciter intorqueri valeãt, hęc nos, imò qꝺ in nobis loquitur Chriſtꝰ rapere, nõ de digna
bitur, vt malè cõpoſitis benè vtatur. Vnde prouida cũ dixiſſet ſcriptura: Succide illa, cõtinuò ſubiunxit: & inſtrue machinas, donec capias ciuitatẽ, quę cõtra te dimicat. Hoc ipſum primũ Apoſtolũ feciſſe legimus, vbi cũ Actor. 17.
dixiſſet: In ipſo eñ viuimus, mouemur, & ſumus, continuò ſubiunxit: Sicut & quidã veſtrũ poetarũ dixerunt, ipſius enim & genus ſumus. Item dixit autẽ quidam illorum proprius ipſorum poeta: Cretenſes ſemper men- Tit. 1.
daces, malè beſtiæ, ventres, pigri. Itẽq; nõ ſolùm non reprehenſibile, verum etiã laudabile eſt, quoties vir eccleſiaſticus de lignis agreſtibus quæ ſucciſa ſunt. i. de ſapientib. mundi qui damnati ſunt, commoda dictorũ conuehit exempla vel teſtimonia, vt ſuomet robore debelletur ciuitas quę aduerſus Chriſtum dimicat.

De muliere pulchra in bello capta, & adamata, qualiter eam ducere vxorem liceat, & quid myſticè ſignificet.

CAPVT IX.

SI ingreſſus fueris ad pugnandum contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dñs deus tuus in manu tua, captiuoſq; duxeris, & videris in numero captiuorũ mulierẽ pulchrã, & adamaueris eam, voluerisq; habere vxorẽ, introduces in domũ tuã. Quæ radet cæſariẽ, & circuncidet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt, & ſedens in domo tua, flebit patrem & matrẽ ſuã, vno mẽſe. Et poſtea intrabis ad eã, dormieſq; cũ ea, & erit vxor tua.) Iuxta literã hoc feciſſe Dauid tradũt Hebrei 2. Reg. 3.
de Maacha filia Tholomai regis Geſſur, videlicet quod in prælio captã, cæſarie & vnguib. præciſis, ſecundum hanc legẽ vxorẽ ſibi ſociauerit, ex qua genuit Thamar & Abſolon. Porrò iuxta ſenſum myſticum hoc ita facere debet eccleſiaſticus vir. Mulier pulchra in numero captiuorum ſiue inimicorum, ſancta ſcriptura eſt, in tractatibus hæreticorum. Nam & pleriq; hæretici ſiue hæreſiarchæ in cathedra Moyſi, immò & in Apoſtolico culmine ſederunt, & quanquam de diuinitate malè ſentientes, de moribus tamen & allegorica ſubtilitate vtiliter multa dixerũt. Si ergo egreſſus fueris (inquit) ad pugnandũ contra inimicos tuos, id eſt, ſi ſanctũ habueris zelum contra fidei Chriſtianæ hoſtes hæreticos, & tradiderit eos dominus deus tuus in manu tua, vt palmã veritatis obtineas potenti fide & ſana doctrina, non tibi illa legis imponitur neceſsitas, vt nullam quamlibet pulchram mulierem apud illos inuentam ad amare non audeas, id eſt, vt nullã quamlibet vtilẽ ſcripturarum expoſitionẽ ab illis cõſcriptã legere vel audire nõ debeas, ſed omnib. probatis, quod bonum eſt tenẽre, & à ſola ſpecie mala tibi abſtinere licebit. Nã hoc eſt qꝺ nunc dicitur: Quę radet cæſariẽ, & circun- 1. Theſſ. 5.
cidet vngues, & deponet veſtẽ in qua capta eſt, & poſtea intrabis ad eã, dormieſq; cũ illa, & erit vxor tua. Cæſariem nanq; radere, vngues circũcidere, veſtemq; pulchrę mulieris
mutare,

Universidad de Deusto Biblioteca

mutare, est omne quod prauũ, omne quod
Prou.7. superfluum est sacræ lectioni amputare, om
nem denique speciem malam, id est, sensum
hæreticum, cautè & diligẽter auferre, vt vxo
rem habeas idoneam, iuxta illud: Dixi sapiẽ
tiæ soror mea es, & prudentiam vocaui ami
cam meam. (Sin autem postea non sederit in
animo tuo, dimittes eam liberam, nec vende
re poteris pecunia, nec opprimere per poten
tiam, quia humiliasti eam. Iuxta literam ma
nifesta est æquitas, iuxta anagogen verò iu
dicij lectorem inhibetur mutabilitas, videli
cet qualem in Theophilo, Alexandrinæ ciui
tatis episcopo, ecclesiastica repræhendit re
latio. Qui cũ Ioannis Constantinopolitani,
qui Chrysostimus appellatur, esset inimicꝰ,
lectionem Origenis, cui libenter incumbe
bat, zelo eiusdem Ioannis damnauit, tandem
que damnato Ioanne, quia se à lectione Ori
genis non cohibuit, rursus ipse lectioni Ori
genis eiusdem incubuit. Qui dum ab aliquo
fuisset interrogatus, quomodo ea quæ abdi
CA. XXI. cauerat, rursus amplecteretur, ita respondit.
Origen. libri similes sunt prato florib. pleno.
Quicqd ergo bonũ in eis inuenero, decerpo:
si quid mihi spinosum occurrerit, hoc quasi
si pungat, omitto. Igitur si postea (inquit)
non sederit in animo tuo, dimittẽs liberam,
id est, si quãlibet circunciſam damnaueris,
pro experimento tuo lectionem captiuam,
non eãdem rursus, mutata sententia, ad tuam
retrahes scholam, quia humiliasti, id est, dã
nasti eam, ne non tam per rationem damnas
se videaris, quam per inuidentiam.

De homine duas vxores habente, quòd non posit filiũ dilectæ primogenitum facere, qualiter Christus synagogam & de gentibus habens ecclesiam, hoc debeat adimplere.

CAPVT X.

SI habuerit homo vxores duas, vnam dilectã, & alteram odiosam, genueritq; ex ea liberos, & filius odiosæ fuerit primogenitus, voluerit́que substantiam inter filios diui dere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ: sed fi lium odiosæ agnoscet primogenitum, dabit
Gen. 35. que ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. Iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita, &c.) Non pote rit (inquit) filiũ dilectæ facere primogenitũ, subauditur, nisi filius odiosæ proprio vitio honorem perdiderit primogenitorum. Nã quia minꝰ dilectę primogenitꝰ Rubẽ cubile patris ascẽdit, & maculauit stratũ eius, idcir cò potuit Iacob plus dilectę Rachelis filium
1. Paral. 5. Ioseph facere primogenitum, sicut scriptum est in paralipomenõ: Ruben quippe fuit pri mogenitus Israel, sed cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph, filij Israel, & non est ille reputatus in primogenitum. Porrò Iudas, qui erat fortis simus inter fratres suos, de stirpe eius princi pes germinati sunt, primogenita autem re putata sunt Ioseph. Cæterũ spiritualiter, & hanc partem legis mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, adimpleuit. Nam hic ille homo est, qui duas vxores habuit, vnam dilectam, scilicet synagogam, propter patres chariſsimam: alteram odiosam, scilicet genti *Esa.34.* litatem, cui loquitur per Esaiam: Quia vt mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adolescẽ tia abiectam. Verùm hæc abiecta, hæc odio sa prior peperit, primum enim sponsi sui fi- *Rom. 11.* lij dei aduentum recepit. Illa autem nunc ste rilis permanens, secundum eius aduentum receptura est. Cùm enim plenitudo gentium subintrauerit, tũc omnis Israel salu⁹ erit. Igi *Ioan. 5.* tur filius odiosæ primogenitus est, & ex lege non potest homo filium dilectæ facere pri mogenitum, & præferre populo Christiano filio huius odiosæ, quemadmodum dicit: Non possum ego à me ipso facere quicquã. Sicut audio, iudico. & iudicium meum ve- *Galat. 4.* rum est. Quid enim homo iste factus ex mu liere, factus sub lege, quid, inquam, cùm hæc diceret, audiebat homo iste, nisi legem iusti titiæ, auditor & factor legis sanctæ, & iustæ, & bonæ? Quamuis illam diligeret, quamuis *Luca 19.* super illam dilectam, flere quoque pro car nis affectu potuisset, non tamen sic iniustus esse potuit, vt non filiũ odiosæ cognosceret primogenitum, magis diuinitatis rationem, quã carnis sequẽs affectum. Dedit ergo huic primogenito de his, quæ habuerat cũcta du plicia. Nã apud illam quondam dilectã, sola remanente litera, filius huius nõiam odiosę, scilicet populus Christianus sic sanctam pos sidet scripturam, vt cũ historica spiritualia quoq; obtineat mysteria. Iste enim est prin cipium liberorũ eius, quia primus credidit in aduentu eius, & huic debentur primoge nita: Vnde & in Psalmo gratulatur idem pri mogenitorum possessor, & dicit: Elegit no bis hæreditatem suam, speciem Iacob, quem dilexit. Speciem Iacob, inquit, quia videlicet quemadmodum Iacob ille secundum nomẽ suum, fratrem suum Esau supplantauit, sic i ste filius odiosæ illi filio dilectæ supernæ be nedictionis primogenita præripuit.

De filio contumaci in iudicium producendo, quod nõ fecit Heli, quomodo patres spirituales in ecclesia id agere debeant.

CAPVT XI.

SI genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contem pserit: appræhendent eum, & ducent ad se niores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, di centq; ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contem nit, comessationibus vacat, atq; luxuriæ, & conuiuijs. Lapidibusque eum obruet po pulus ciuitatis, & morietur, & auferetis malum de medio vestri, vt vniuersus Israel pertimescat.) Grauis & matura sentẽtia sanctæ legis,

ctæ legis, teneros falsæ pietatis affectus, à cor dibus patrum erga filios ne habeantur, exclu dit. Nam in causa Dei, nec filium pater sapiẽs agnoscit. Quã legis auctoritatem, quia senex Heli neglexit, idcirco pauendum vitę pericu lum incidit. Nunquid enim tam molliter di xisse contentus esse debuit, quare facitis res
1. Reg. 2. eiusmodi, quas ego audio res pessimas in om ni populo, nolite filij mei? Nónne armaturã zeli, qualis vel quanta super filios inobedien tes esse debuerit, sacerdos longæuus ex ista le gis lectione scire potuit? Rectè igitur, quam uis dixisset, Nolite filij mei: rectè inquam ar guitur non corripuisse filios suos pater Heli, domino dicente: Et magis honorasti filios tuos, quàm me. Itemque de illo, eo quod no uerat indignè agere filios suos, & non corri puit eos: neque enim corripuit, qui non le gitimè corripuit. Meminerit huius omnis pa ter spiritualis, qui benè didicit prœesse domui DEI. Si fortè genuit hic homo filium pro teruum & contumacem, qui non audiat, qui obedire contemnat, scire debet, quia pri ma generis nostri, quam luimus, culpa est
Iacob. 4. inobedientia, & quia contumacibus & pro teruis nullam iustitia DEI reposuit ve niam, sed sicut scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cogi tandum tamen illi est, quia de omnibus iudi cijs suis Deo redditurus est rationem, ne for tè inuidiæ, aut zeli flamma vrat animam. Id circo suam non præcipitabit sententiam, sed sapientes adhibebit in testimonium. Hoc be nè in cura filiorum sancti & orthodoxi pa tres sanxerunt, secundum præuntis huius auctoritatis imperium. Dicit enim præsens lex: Apprehendent eum, & ducent ad senio res ciuitatis illius, & ad portam iudicij, & cæt. Igitur cætera quidem peccata toleranda sunt in domo Dei, contumaces autem & proter uos filios sæueritas patrum sapientum ob ruit, vt auferat malum de medio sui, cũ præ senti auctoritate legis domini, imò proprio exemplo Dei, qui inobedientes filios, primos homines scilicet de paradiso expulit.

Quid sit spiritualiter, bouem aut ouem vel asinum fra tris, etiam si propinquus non sit, reducere aut subleua re, vel qualiter Christus hoc perficiat.

CAPVT XII.

CA. XXII NOn videbis bouem fratris tui, aut ouẽ errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi nõ est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asi no, & cætera.) Magnificè & hoc imperium e ius, dominus noster Iesus Christus per om nia legi subditus, se adimplere perdocuit, quando vilissimum omnium iumentorum asinum ascendit veniens in ciuitatem Hieru salem, passurus pro salute mundi, iuxta pro
Zacha. 9. phetiam Zachariæ, dicentis eidem sanctæ ci uitati, imò supernæ Hierusalem, cuius illa ty pus vel vmbra fuit: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendẽs su per asinum & super pullũ filium asinæ. Quid enim mysticè asinus ille cui insidet domin⁹, nisi stultus gentilium populus intelligitur? Et simplicior quidem Hebræorum popu lus, qui dominum sequebatur, pharisæis di centibus: Sed turba hæc quæ non nouit legẽ, maledicti sunt, asinus quidem, sed propinqui asinus fuit. Dicit autem hęc sancta & spiritua lis lex: Etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam, & cæt. Igitur vt totam legem impleret, etiam non propinqui sui asinum iste saluator noster a scendit, eumq; in domum suam duxit, quan do gentilem populum assumpsit, stulta mun *1. Cor. 1.* di eligens, vt confunderent sapientes, sedens que dorso obedientis, atq; dicentis: Vias tuas *Psal. 24.* domine demonstra mihi, & semitas tuas do ce me, duxit in domum suam cælestem per *Mat. 21.* viam prudentiæ, pueris occurrentibus, & cũ laude Dei subleuantibus ramos victorię: per quos videlicet pueros sancti intelligũtur an geli gaudentes de felicitate redemptionis no stræ. Hocidem rectè intelligitur de oue er rante, quod maximè comprobatur ex para bola centum ouium & vnius perditæ. Notã- *Luca 15.* da diligenter tota præsentis capituli textura. Siquidem tam in principio, quàm in fine eius subleuatio præcipitur Iudaici populi, qui do mino secundum carnem propinquus extitit, in medio autem subleuatio populi gentilis, qui à carne eius alienus erat, & à testamento Dei. Nam in principio dicit: Non videbis bo uem fratris tui, aut ouem errantem, & præte ribis, sed reduces fratri tuo. In fine autem sic: Si videris asinum fratris tui, aut bouem er rantem cecidisse in via, non despicies, sed sub leuabis cum eo. Porrò in medio dicit: Etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam, videlicet bouẽ eius vel asinum. Frater namque hominis hu ius, qui solus legem totã implere potuit, ipse est Iudaicus populus, secundum carnẽ Abra hæ frater vel propinquus domini, quem & prius errantem primo aduentu suo saluator requisiuit, & aliquos ex eis ad viam salutis re duxit, & nunc sub onere peccati iacentẽ, non omninò despiciet, sed in fine subleuabit. In terim qui non erat nũc eius propinquus aut frater (vt iam dictum est) asinus qui perierat reducitur, quia de gentibus ad carnem Abra hę non pertinentibus, simplices & abiecti per gratiam colliguntur.

Quid sit spiritualiter, mulierem virili, aut virum mu liebri veste indui non debere.

CAPVT XIII.

NOn induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea: abominabilis est enim apud Deum qui facit hęc.) Hoc vtrun que adeò sponte natura perhorrescit, vt de eo quod minus est, Apost. dicere non dubita *1. Cor. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 12. uerit: Vos ipsi iudicate, Decet mulierem nõ velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet nos: Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi, &c. Porrò spiritualiter mulier veste virili induitur, quando is qui vitæ suę nescit moderamina tenere, iudex fieri vitæ audet alienæ, & præesse præsumit, qui nondum subesse didicit. Ecõtrario, vir vtitur veste fœminea, quando is qui iam spiritualia percepit charismata, scilicet prophetiam, aut sapientię siue scientiæ sermonem, aut genera linguarum, aut quippiam horum propter quod vir iure dici poterat, & tãquam vir præest in domo Dei quæ est ecclesia, fluxa tamen sequitur vitia, & pro contemptibili vita meretur, vt si qua est prædicatio eius, ipsa quoq; rectè despiciatur. Vterq;, inquit, abominabilis est apud Deum qui facit hęc, quod vtiq; assertio ne nostra non indiget.

CA. XXII

Qualiter Christus ambulans per viam huius vitæ, in arbore vel in terra nidum auis inuenerit, & pullos tenuerit, & matrem abire permiserit.

CAPVT XIIII.

SI ambulans per viam in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis incubantem desuper, non tenebis eã cum filijs, sed abire patieris, captos tenens filios, vt benè sit tibi, & lõgo viuas tempore.) Paruis nominibus res pergrandes significantur, & vt magnificentius dictum sit, hic quoque in facie Moysi paruo velamine grandis splendor operitur. Nam cuius aut qualis auiculæ nidum hic aut oua oportet intelligi, cõsultus Hieremias propheta sic exprimit: Perdix fouit quæ non peperit, fecit diuitias & non in iudicio. In dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens. Perdix auicula fouit, inquit, quæ non peperit. Solet enim furari & fouere oua com paris sui. Nati autem pulli, audiũt clamorem eius, quæ oua peperit, & continuò relicta illa, quæ furata est, & oua furtiua fouit, vt diuitias faceret, & nidum suum ditaret, & non in iudicio, id est, de rapina, recurrunt ad eã quę mater est, quæ peperit prima. Propterea dicit: In dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens. Insipienter enim dum deludere cupit, delusa est, & ars eius à natura victa est. Perdix iste, diabolus est, qui astutia sua massam generis humani, in primis parentibus creatori surripuit, & extunc fouit quæ non peperit, id est, in vitijs huius mundi malè blanditus est eis, & in peccato nasci fecit eos, quos non creauit. Vndè in Esaia sub nomine Assur gloriabundus dicit: Et detraxi quasi potens in sublimi residẽtes, & inuenit, quasi nidum, manus mea fortitudinem populorum. Itaque quasi oua de nido sublimi, de nido alieno surripuit, de quibus pulli erant nascituri, quando de paradiso fraude eduxit homines, de quibus nascituri erant, omnes filij Dei iam prædestinati, dicẽte domino: Crescite & multiplicamini: Fecitq; diuitias, & non in iudicio, quia videlicet princeps mũdi huius factꝰ est, & ab hominib. in templis idolorũ, pro Deo cultus est ordine peruerso: Sed in dimidio dierum suorum (inquit) derelinquet eas, quod iam factum est, & in nouissimo suo erit insipiẽs, quod futurum est. Vniuersitas namque dierum eius vsque ad vltimum iudiciũ protenditur. Verùm ante illud iudicium qui iudicaturus erat venit iudicandus, & sine iudicio raptas, cùm iudicio raptori per passionem suam sustulit diuitias, quemadmodum dicit: Nunc iudiciũ est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatꝰ fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Tandem in nouissimo suo erit insipiens. i. insipiẽtię coarguetur, tunc videlicet, quando videntib. cunctis præcipitabitur. Igitur pulchrè & venerabiliter tibi ô singularis auditor & factor legis, Christe Iesu, dicit hęc sancta lex. Si ambulans per viã, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis incubantem desuper, &c. Nidus auis in arbore, populus fuit Israel sub prędicto quidem mundi principe, sed in legis altitudine natura quidem filius iræ, sicut & cæteri, sed in alta fide Abrahę. Nidus auis in terra fuit vniuersa gentilitas, sub pennis diaboli malè fota, & in omni terrena cupiditate, Dei quoq; ignorantiam habens, omninò depressa. Porrò filius Dei per viam ambulans vtrobiq; nidum inuenit, quia præsentis vitæ mutabilitatem ingressus, vtranq; partem gratia sua respexit absq; distinctione Iudæi & Græci. Nõ, inquit, tenebis eam cum filijs, sed abire patieris, captos tenẽs filios. Matrem adulterinam quæ (vt supra dictum est) fouit quæ non peperit, nõ tenebis. Nec enim gratia liberatoris diabolũ requisiuit, sed tantum filios sibi gratia regenerãdos requisiuit. Idcirco capti tenentur filij vt saluentur, idcirco mater talis abire permittitur, vt in nouissimo suo perdatur.

Hier. 17.

Esaiæ 10.

Mysticè de eadẽ re, qualiter Christus fecerit, vel qualiter nos faciemus, tenendo mysticos sensus, dimittendo literam legis.

CAPVT XV.

NOn tenebis (inquit) matrem cum filijs, sed abire patieris, captos tenens filios, vt benè sit tibi, & longo viuas tempore. Mater pullis vel ouis desuper incubans, litera synagogæ est, litera legis quæ occidit: oua autẽ ipsa vel pulli mysteria sunt spiritus legis, spiritus viuificantis. Sed illam matrem, illam literam Christus non tenuit, quemadmodum in psalmo dicit: Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias domini. Filios tantum captos tenuit, spiritualiter enim legem impleri vult à suis discipulis. Non tenebis ait, sed abire patieris. Ad quid? Vt benè sit tibi, ait, & longo viuas tempore. Dicamus aliud quod commodius præsentem locum queat illustrare. Ipse in psalmo dicit: Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi

Alia expositio.

Psal. 58.

puli mei. Sed quid? Disperge illos in virtute tua. Ecce hodie videmus matrem solam auo lasse sine filijs, & scimus vbi sit, qa toto orbe dispersa est synagoga inimica Christi, solam habens literã legis, & hoc ipsum Christo profecit, vt longo viuat tempore. i. vt nunquam eius obliuiscatur populi. Igitur & nos vel quiq; nostrum per viam imus, quia præsentẽ vitam pergimus, & nidos auis in terra & in arbore inuenimus, quando verba historię, aut in contemplatiua, aut in actiua vita tenenda legimus. Nam præcepta actiuæ vitę, nidus auis in terra est, præcepta cõtẽplatiuæ, nidus in arbore. Mater verò pullis vel ouis incubat, quãdo ipsa historia intellectum spiritualem fouet. Non teneamus eam cum filijs, sed abire patiamur, captos tenentes filios, quia videlicet in quibusdam locis prætermittenda est historia, vt soli matris huius pulli, id est, spiritualis intelligentiæ sensus nobis in esum veniant, nec nos mater, sed pulli reficiant. Cùm enim legimus aurum & argentum Aegyptiorum ab Israelitico populo petitiõis deceptione surreptum, & rursum cum legimus carnalia sacrificia Deo exhibita, quid in hoc verbo rum nido, nisi mater dimittẽda est, & filij tenendi? Nos enim cum à quibusq; secularib. vigilantiam ingenij in defensionem veritatis trahimus, & cum eorum eloquium in vsum rectitudinis vertimus, quid aliud quàm aurum & argentum ab Aegyptijs tollimus, vt ex eo & nos diuites effecti, & illi pauperes, vãleant ostendi, sicut scriptum est, in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi? Et cum nostra corpora per abstinẽtiam domamus, quid aliud quàm spiritualia sacrificia omnipotenti Deo exhibemus, sicut rursum per Paulum dicitur: Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ. Matrem itaq; dimittentes, pullos comedimus, cum historiæ exempla dimittimus, sed ex ea allegoriarum sensus in mẽte retinemus. Vndè rectè additur, vt benè sit tibi, & longo viuas tempore, quia longo tempore ille viuit, qui per spiritualem intelligentiam æternitatis annos apprehendit.

Exod. 11.

2. Cor. 10.

Rom. 13.

Quid sit mysticè, nouam domum ædificare, et murum per tecti circuitum facere.

CAPVT XVI.

CVm ędificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus alio labẽte & in præceps ruẽte. Talis domorum structura, secundum morẽ Palestinæ est prouinciæ, vbi solent in tectis residere. Vndè dominus in euangelio: Quoniam quæ in tenebris, inquit, dixistis, in lumine dicentur, & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Ergo quia solebant in tectis residere, facies, inquit, tecti murum per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente. Et in templi constructione legimus: Texit quoq; dominum laquearibus cedrinis, & ędificauit tabulatum super omnem domum quinq; cubitis altitudinis. Non enim tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate facie bant æqualia. Porrò spiritualiter domum ędificat, qui domus Dei curam habens, subditorum mentes pro officio suo, doctrinæ verbo informat. Vndè illud est: Nisi dominus ędificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Quod est dicere: Nisi dominus corda præparauerit auditorum, in vanum quamlibet sapientes architecti, verborum impensas effundunt. Igitur cum ædificaueris, inquit, domum nouam, id est, cũ subiectorum mentibus doctrinã posueris inchoatiuam, facies murum tecti per circuitum, id est, quæcunq; dixeris, sufficientibus communies rationibus, siue testimonijs scripturarũ, ne fias reus labente alio, & in præceps ruente, quod videlicet fit, quoties incauta dictio per uersæ dat auditoribus occasionem intelligẽtiæ. Sit ergo communitum quicquid dixeris, vt in sermone tuo nemo labatur, nisi qui volens & contentiosus se excusserit.

Luc. 12.

3. Reg. 6.

Psal. 125.

Quid sit spiritualiter, vineam non seri altero semine, et quid sit secundum literam vel secundum spiritum, sementem, & quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificari.

CAPVT XVII.

NOn seres vineam tuam altero semine, ne & sementis, quàm seuisti, & quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificentur.) Hoc rusticorum quoq; siue agricolarum nouit industria, quia vinea terra sibi liberam poscit, vt non solum nulla subijciatur sementis, verumetiam sponte proferente herbas inutiles, sarculo certatim extirpare opꝰ sit. Alioquin terræ pinguedo, cuius abũdantiam vinea poscit, in vanum disperit, quia dum in multa diuiditur, in singulis valet minus. Itaque & sementis & quæ nascũtur ex vinea pariter sanctificantur. i. ad sterilitatem rediguntur, atq; ingrato cultoribus suis otio feriantur, iuxta illud, quòd commonendo dominus cum populo meréti dixisset: Eritque terra vestra deserta, & ciuitates dirutę, continuò subiunxit, tunc placebunt terræ sabbata sua, cunctis diebus solitudinis suæ. Itaq; ne pariter sanctificentur, id est, ne pariter ad sterilitatis sabbatum redigantur. Porrò spiritualiter cum vniuersa ecclesia vinea domini sit, & hæc si hęretico semine seratur, aut Iudaicis cæremonijs, in quibus diuitem se putat ille populus, nihil bonorum fructuũ inde colligatur, tum verò maximè illi vinea domini sunt, quorũ in eadem ecclesia ordo sacratior, & spirituale propositum. De qualibus ad prophetã loquitur dominus: Fili hominis quid fiet ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat ex ea quodcunq; vas?

Leuit. 26.

Ezech. 15.

CAPVT XXV. Act. 6.

Nempè hi quorum erat spirituale exercitiũ, si ad seculare deuoluantur negotiũ, & quod fuerant deperit, & quod aggrediuntur interdum non proficit. Vndè in actibus apostolorum dicunt ipsi apostoli. Non est æquum delinquere verbum Dei, & ministrare mensis.

1. Cor. 6. Et apostolus loquitur Corinthijs: Secularia igitur iudicia si habueritis, cõtemptibiles, qui sunt in ecclesia, illos cõstituite ad iudicandũ. Igitur non seres, inquit, vineam tuam altero semine, ne & sementis quam seuistis, & quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificentur, id est, insignes qui sunt in ecclesia, cælestis doctrinæ fertiles, contemptibilium negotiorũ non iniuriaberis occupatione, nedum in vtramque partem diuiduntur, in neutram vti les inueniantur, & ita quasi sanctificato sabbato nihil regno Dei fructuosum operentur. hinc est enim quòd auctoritas canonica sacros altaris ministros secularibus negotijs im

2. Tim. 2. plicari vetat. Nemo militans Deo (inquit Apostolus) implicat se negotijs secularibus.

Quid sit, non arare in boue simul & asino: & quid, nõ vestiri vestimento ex lino & lana: & quid sit, facere fumiculos in fimbrijs.

CAPVT XVIII.

NOn arabis in boue simul & asino, non indueris vestimentum quod ex lana linoque contextum est.) Hoc de cauenda doctoribus imperitorum societate, dictum intelligi potest. Non arabis in boue simul & asino, idem est, ac si apertè diceret: non sociabis in prædicationem sapientes & fatuos, ne videlicet per eum qui implere non valet, & illi obsistas qui prævalet. Quid verò per hanc vestem nisi hypocritarum persona signatur, qui benignitatem erga proximos ostendunt, & dolo suæ iniquitatis, quæ loquuntur operiunt? Vestis enim quæ ex lana linoq; fit, lanam semper in faciem reddit, & linum subter absconditi. Quid ergo per lanam nisi simplicitas sonat? Quid per linum nisi subtilitas designatur? Et sæpè homo subtilis & acutus, exterius simplicitatem mansuetudinis ostendit, & interius subtilitatem malitiæ contegit. Iste ergo veste se actionis suæ quasi ex lana & lino induit, quando ab eo & simplicitas monstratur in superficie, & subtilitas malitiæ seruatur in mente. Vndè & continuò subiungitur. (Funiculos in fimbrijs facies, per quatuor angulos pallij tui, quo operieris.) Vestis namque iam dictæ cum qua sapiens incedat, custodiens illam ne nudus ambulet, cum ex cunctis virtutibus textura eius constet, angu

Matt. 6. los, id est, principales sunt quatuor virtutes, quas & Ethnici proprijs appellare nominib⁹ nouerunt, temperantiã, iustitiã, fortitudinẽ, prudentiã. His enim cũ propter Deum sapiens ornatus incedat, non vt videatur ipse ab hominibus, sed vt glorificetur pater in cælis, & cum hac dilectione Dei & proximi, bona faciens opera, perseuerat vsq; in finem, vt saluus sit: profectò funiculos fecit in fimbrijs per quatuor angulos pallij sui. Cæterùm in Matt. 23. supradictis hypocritis indecẽtes fimbrias dominus noster acri inuectione coarguens, dicit: Dilatant filacteria sua, & magnificant fimbrias. Multum enim se accusant, cùm de re significata non curantes, significatiuas in oculis hominum fimbrias magnificant.

De viro, qui vxorem acceptam odio habens, dicit: Non inueni eam virginem, & parentibus signa virginitatis afferentibus vapulat, eamq; habere compellitur, qualiter in Christo factum intelligatur.

CAPVT XIX.

SI duxerit vir vxorem, & postea eam odio habuerit, quæsieritq; occasiones quibus dimittat eam, & obijciens ei nomen pessimũ, & dixerit, vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni virginem, tollent eam pater & mater eius, & deferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis ei⁹, qui in porta sunt. Et dicet pater: filiam meam dedi huic vxorem. Quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, & dicit: non inueni filiam tuam virginem: Et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram seniorib. ciuitatis. Apprehendẽtq; senes vrbis illius virum, & verberabunt eum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellę, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginem Israel, habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere omni tempore vitæ suæ.) Hæc iustitiæ vel sapientiæ Dei litera pudicis sensibus obscurissima est. Quis enim pudicus animus saltem cogitare patienter valeat, qualiter ruptæ virginitatis cruenta in panno seruentur vestigia? Sed cõsoletur nos in isto quoq; loco, eadem Dei sapientia, clamans de eiusmodi occidente lite

Eccl. 24. ra, Spiritus enim meus super mel dulcis, & hę reditas mea super mel & fauũ. Ac deinceps: Et qui elucidant me, vitam æternã habebũt. Igitur de obscura literæ huius spelunca lucidum euoluamus spiritus mysterium, talemque & hanc sapiamus legem, cui subiectum fuisse nõ deceat virum sanctæ ecclesiæ Christum. Si duxerit (inquit) vir vxorem, & post-

Psal. 18. ea eam odio habuerit, & cæ. Spiritualiter hoc ita factum est. Vir vxorem duxit, quando naturam assumpsit humanam filius Dei. Vndè est: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedẽs de thalamo suo. Spiritualibus eiusdem sponsi filijs, vel amicis

Ioan. 3. mysterium hoc notum est. Vndè & gratulãtes dicunt. Qui habet sponsam, sponsus est. Item q; cum Apostolo: Et erunt duo in car-

Ephe. 5. ne vna. Sacramentum hoc magnum est in Christo, & in ecclesia. In illa (inquam) carnis assumptiõe, vir iste cognouit vxorem suam, scilicet vniuersam Iudæorum atq; Gentium ecclesiam, pro temporum quidem vel locorum diuersitate numerosam, sed iuxta fidei sacramentum vnam. Verùm sic acceptam postea quodammodo odio habuit eam, quę-

dixit

Matth. 10. dixit enim discipulis suis: In viam gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Item, nõ sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Ac deinceps:

Ibid. 19. Non est bonum, panem sumere filiorum, & mittere canibus ad manducandum. Voces namq; eiusmodi, voces erant odij, non iuxta rationem diuinitatis, sed secundum sensum carnis, priori non consonantes proposito eius, vel scripturarum veritati. Nam priusquã incarnaretur, amorem ecclesię gentium professus fuerat in omnibus prophetis. Ita tanquam mutato consilio obijciebat illi nomen pessimum dicens, vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni virginem. Nõ inueni, inquit, eam virginem, sed multorum deorum, tanquam multorum virorum mili bus prostitutam. Verùm id frustra fuit. Nam in copula prædicta, in illa incarnatione filij Dei sacrosancta vestigia virginitatis spectan da reposita sunt. Egit enim illa quõdam prostituta, egit (inquam) pœnitentiam, mortifica uit carnem suam, insuper & sub gladijs perse cutorum, propter illum virum suum fudit sanguinem suum. Quid igitur? Tollent (inquam) eam pater & mater eius, & deferent se cum signa virginitatis eius ad seniores vrbis illius, qui in porta sunt, & expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis, & appre hendent virum & verberabunt eum, &c. vt supra. Nẽpè miro modo, miro charitatis ordine, propter ipsum crimen, vndè ecclesiam de gentibus redarguit, homo factus Dei filius, ipse verberatus & cruci affixus est, & in porta ciuitatis coram senioribus vrbis, id est, in consistorio cæli, in conspectu patris & sanctorum angelorum eius, virgo esse iudicata est, quæ in coniunctione eius posuit vestigia sanguinis sui, quę in prædicatiõe eius pœnitẽtiam egit, quæ pro fide eius sanguinem fudit. Nempè & si ante prostituta fuerat, postquam tamen sic illi coniuncta est, iam virgo meretur dici, & est. Quis verò pater, vel quæ mater est eius, nisi ordo apostolicus, & ecclesia primitiua, quorum testimonio in cælo & in terra defenditur? Verberabunt (inquit) illũ, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginem Israel. Deniq; quia de peccato arguebat ecclesiam siue synagogam quam virginem esse volebat, id circo vir iste verberatus, insuper & crucifixus est, imò vt peccatum prostitutionis eius deleret, idcirco verberari & crucifigi dignatus est, deditque centum siclos argenti, id est, plenitudinem donorum spiritus sancti. Habebit ergo (inquit) eam vxorem, & non poterit dimittere omni tempore vitę suæ, videlicet impleta prophetia, quæ dicit: Habitabit

Esaia 62. enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui, & gaudebit sponsus super spõsam, & gaudebit super te Deus tuus. Sequitur. (Quod si verum est quod obijcit, & non est in puella inuenta virginitas, eijcient eam extra fores domus patris sui, & lapidib. obruẽt viri ciuitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malũ de medio tui.) Hoc interim sciendum est, quia cum gratia Dei in potestate mulieris est, vtrum crimẽ quod ab hoc viro obiectum est verum sit an non. Etenim quæ pœnitentiam egit, vt supra dictum est, & ita virginem castam se exhibuit, in illa nomen pessimum perijt, quæ autem pœnitẽtiam non egit, magisq; Barrabam quam Dei filium, magis amat Antichristum quã Christum, hæc diffamata est, quia verè fecit nefas in Israel, & peccatum eius manet, igitur eijcient eam (inquit) videlicet synagogam, extra fores quondam patris sui Dei, & lapidib. obruent eam viri ciuitatis eius, scilicet omnes iu

Matt. 19. dices, qui sedebunt super thronos iudicantes duodecim tribus Israel, & morietur, quia fornicata est in domo patris sui, id est, cõdemnabitur, quia diabolo adhæsit, cùm haberet legem & Prophetas Dei sui.

Si dormierit vir cum vxore alterius, vtriq; morientur, & quæ sit distantia eius in agro, & eius quæ in ciuitate reperta est, & quòd adulter diabolus, puella verò quam oppressit in agro synagoga fuerit in Aegypto.

CAPVT XX.

SI dormierit vir cũ vxore alterius, vtrique moriantur. i. adulter & adultera, & auferes malum de Israel.) Hæc de adulterio generalis sententia est: Sed differt, vtrum per vim an per consensum adulterium perpetratum sit. Sequitur ergo. (Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cũ illa, educes vtrunq; ad portam ciuitatis, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit cum esset in ciuitate: vir, quia humiliauit vxorem proximi sui: & auferes malum de medio tui. Si autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehenderit, & concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis, quoniam sicut latro consurgit cõtra fratrem suum, & occidit animam eius, ita puella perpessa est. Sola erat in agro, clamauit, & nullus adfuit q liberaret eã. In manifesta discretæ rei iustitia, iustum nihilominus adulterij spiritualis iudicium est. Nã qui cum vxore alterius dormiuit, vir impurus diabolus est, qui creaturam rationalem, scilicet hominem corrumpere ausus est, & hic quidem in agro puellam virginem Deo desponsatã inuenit, & cum illa concubuit, quãdo ante legem datam peregrinantem in Aegypto, gentem Hebræam sibi subiugauit: seruiebat enim illic dijs alienis, quam in Abraham, Isaac, & Iacob desponderat sibi Deus legitimus vir. Clamauit puella, & nullus affuit qui liberaret eam, nullus (inquam) non erat enim lex, non venerat Propheta, quià cultu deorum Aegyptiorum reuocaret gentem illam, nisi quod clamor eius venit ad Iesum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& hic solus descendit, vt liberaret populum suum. Itaq; sicut latro cõsurgit contra fratrẽ suum, & occidit animã eius: ita puella illa, ita gens nouella illa perpessa est, & intus diabolum corrumpentem, & foris Pharaonem, ser-
CAP.XX. uituti subijcientem. Sola erat in agro illo, in Aegypto sola, longè remota à ciuitate Dei & regno. Igitur vir ille (inquit) morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis. Talis nempè adulterij pœnã solus portabit diabolus, quemadmodum in typum eius solus pe-
Exo.14. rijt Pharao cum currib. suis, & equitibus, gẽs autem illa nihil passa mare trãsiuit, glorificata miraculis, defensa cælestibus præsidijs. At hic idem adulter toties puellam despõsatam in ciuitate inuenit, & toties cum illa concubuit, quoties gens eadẽ iam scripturis sanctis, & angelorum munita præsidijs, idololatriæ sese prostituit, initiando Beelphegor, colendo Baal, seruiendo Astaroth. Amplius autem tunc diabolus corruptor cum illa in ciuitate concubuit, quando æternũ sponsum & amatorem animarum Iesum Christum filiũ Dei crucifigi, virumq; homicidam sibi donari petit. Igitur educes (inquit) vtrumq; ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruẽtur. Palam est omni mundo, quia iã adultera illa educta est, iam non solùm spiritualiter, sed corporaliter quoq; & visibiliter de ciuitate Dei protracta est, multisq; calamitatibus tanquam lapidibus obruta est. Amissis iã angelorũ presidijs, nullum iam habens vigilem i. prophetã,
Esaiæ 62. de qualibus ipse Deus, Super muros tuos, inquit, Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte non tacebunt laudare nomẽ domini. Ipsa quoq; ciuitas terrena Hierusalem deserta est facta, & templum exustum est, & qui Romanorum gladio superfuerunt, in omnes gentes captiui ducti sunt.

De eo quod ait: Vtrq; moriantur, subaudiendum esse, Si cum consensu mulieris dormierit cum ea vir.

CAPVT XXI.

IGitur si dormierit (inquit) vir cum vxore alterius vterq; moriantur, subauditur, si
Esaiæ 56. cum consensu mulieris dormiuit cum ea vir. Nam si inuita violata est, si vim perpessa est, ita quemadmodum latro cõsurgit aduersus fratrẽ suum, & occidit animã eius, adulter solus erit vir, illa nihil patietur, nec est rea mortis. Quare? Videlicet qa sola caro violata est, animus autem (vbi sedet fides cõiugij) incorruptus. Sola fides violata in crimine est, sola fidei perditio adulterium est. Nã vbi nullius despõsionis sigillata est fides, si corruptor accesserit, iam quidem vitium, sed in neutro adulterium est. Nam sequitur. (Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit, dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ, quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam. Non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.) Igitur sanctio coniugij non tam in coniunctione vel commixtione carnis, quàm in sacramento despõsionis est. Quapropter legitimè ac rationabiliter de virgine nunquam cognoscẽda carnaliter vel cognita, loquitur angelus ad Ioseph: Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugẽ tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Legitimè (inquam) id est, secundũ legem præsentem vocat illã in euangelio coniugem propter solam despõsionis fidẽ. Porrò de spirituali adulterio idem sentiendũ est, videlicet quod inuitam, vel ab adultero vim passam, nullam animam proprius vir Deus quasi adulteram iudicet. Quod optimè sciẽs martyr inuicta, eademq; virgo pudica, dicit primum de carnali adulterio sic: Nunquam inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Nam si inuitã me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronã. Sumptum quoq; de præsenti legis loco testimonium sic inserit, dicens: Nam sic patitur Deus violatorem castitatis, sicut serpentem, sicut latronẽ, sicut barbarum. Porrò de spirituali adulterio itidem dicit. Nam & si in manu mea thura ponas, & per manum meã iacias sacrificia, Deus hæc attendit & ridet. Et de vtroq; communẽ reddens sententiam: de sensibus enim & de voluntatibus (inquit) iudicat.

De eo quod eunuchus non intrabit ecclesiam domini, quot sint eunuchorum species, & qualis eunuchus nõ ingrediatur in ecclesiam domini.

CAPVT XXII.

NOn intrabit eunuch⁹ attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro in ecclesiam domini.) In Esaia legimus: Et non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus: Si custodierint sabbata mea, & egerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius, à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Ergóne sic sibi contraria sunt lex & prophetæ, vt dicat lex, non intrabit eunuchus in ecclesiã domini, dicat econtra dñs in Propheta: Dabo eunuchis locum in domo mea, & in muris meis? Quæ est enim domus, aut qui muri domini, nisi ecclesia domini? Sed profectò intellectus eunuchi nõ idem hic est & illic. Illic enim in litera, hic aũt in spiritu eunuchus intelligẽdus est, quia spiritualis est. Quapropter iã ipsas eunuchorum enumeremus species. In euan. dominus
Matt.19. dicit: Sunt eunuchi qui sic nati sunt: & sunt eunuchi qui ab hominibus facti sunt. Et sunt eunuchi, qui se castrauerũt propter regnum cælorũ. Hæc tertia eunuchizatio, siue castratio, quia non ferro abscisionis, sed proposito fit castitatis, magis quidem spiritualis est, veruntamen non omninò, quia manifestus in carne cœlibatus est. Et hi proculdubio laudabiles sunt eunuchi, quibus iuxta Prophetam prædi-

ctum dat dominus locũ in domo sua, & in muris suis, nomenque melius à filijs & filiabus. Horum omnium generum de nullo veraciter dicas, quia non ingredietur ecclesiam domini, nisi quod sacros tantum altaris honores auctoritas canonica truncatis vel abscisis interdicit. Quapropter quærendum adhuc est, qualis sit ille eunuchus qui non ingrediatur ecclesiam domini. Quærentibus hoc illis quoq; illud se se offert, quòd alibi dictum est: Maledictus omnis qui nõ facit semen in Israel. Neutrum quippe sine altero rectè intelligi potest, quia videlicet verba quidem diuersa, sensus tamen idem est. Igitur eunuchus qui non ingrediatur ecclesiam domini, & nõ faciẽs semen in Israel, qui & idcircò maledictus esse debeat, quia semẽ non fecerit in Israel, ille est, qui cũ posit verbo ædificare proximum, mutus incedit: vel cũ bona & vtilia nouerit, otiosa magis, & vana diligit. Hic illi oppositus est, qui se castrãuit propter regnum cælorum: quia videlicet quantum ille laudabilis est, eò q; facultatem habens naturalẽ seminandi filios carnis, cõtinens est propter regnum cælorum, scilicet vacare posit orationi, & iuxta Apostolicũ consilium tantum sollicitus sit, quæ sunt domini: tantũ hic detestabilis est, eò quòd commissum habens talentum verbi dei, quo ad ædificationem multorum benè posit operari & vtiliter negotiari, vacat otio, & acceptã indignè gratiam negligit.

Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, qualicunque discretione obseruandum sit.

CAPVT XXIII.

SI fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egrediatur extra castra & non reuertetur priusquam ad vesperam. Lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra.) Hic iam rectè quæritur, vtrum post illusionem quæ per somniũ solet accidere, quilibet corpus Domini valeat accipere, vel si sacerdos posit sacra mysteria celebrare, quia eccè lex nõ nisi lotum aqua, nec ante vesperam concedit in ecclesiam vel castra intrare. Et quidem spiritualiter intelligitur, quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia, veris imaginibus in cogitatione inquinatur. Et hic lauandus est aqua, vt culpas cogitatiõis lachrymis abluat, & nisi prius ignis tentationis receserit, reũ se quasi vsq; ad vesperam cognoscat. Sed vt simplicem nunc teneamus literam, est in eadem somnij illusione valdè necessaria discretio, qua subtiliter pensari debeat, ex qua re menti dormientis accidat. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cũ ex crapula contingit, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vsque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterij, vel missarum solennia celebrandi, cũ fortasse aut dies festus exigit aut exhiberi mysterium pro eo quòd sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas cõpellit. Cùm verò ex naturę superfluitate, vel infirmitate inuenerit, omnimodò hæc illusio timenda non est, quia hanc animus pertulisse magis, quã fecisse dolendus est. Si verò ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Tribus enim modis omne peccatum cogitationis impletur, videlicet, suggestione, delectatione, consensu. Videat ergo, qua ex radice inquinatio illa processerit, scilicet vtrum suggestione, an delectatione, vel quod maius est peccati consensu acciderit, quòd & cogitauit sciens, & pertulit nesciẽs. Suæ igitur conscientiæ iudicio relinquitur, qui nocturno fuerit
1. Cor. 7. somnio pollutus, vt pro modo pollutionis dignè lachrymis suis, vel pœnitentiæ satisfactione lauetur, priusquam in castra dei regrediatur, id est, priusquã sacris mysterijs Christi participetur.

Quo sensu mysticè intelligendum sit quod ait: Fodies per circuitum & egesta humo operies.

CAPVT XXIIII.

HAbebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo. Cumq; sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo releuatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat idimicos tuos tibi, & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne deserat te.) Fodies (inquit) per circuitum, & egesta humo operies quo releuatus es. Naturæ corruptibilis pondere grauati, à mentis nostræ vtero quædam superflua cogitationum quasi mentis grauamen erumpunt. Sed portare sub baltheo paxillum debemus, vt videlicet ad repræhẽdẽdos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum cõpunctionis habeamus, qui incessanter terrã mentis nostræ pœnitentiæ dolore cõfodiat, & hoc quòd à nobis fœtidum erumpit abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cùm mentis nostræ superfluitas subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum cælatur. Huic sensui legis illud quoque de euangelio congruit. Qui amat animam suam perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit
Ioan.12. eam. Amat quippe animam suam, qui quantum in delitijs, tantum in vitijs fouet præsentem vitam suam, qui sibi blanditur, qui etiam malam defendit vitam suam, qui dicit cum isto stulto diuite: Anima, habes multa reposita in annos plurimos. Iste ergo perdet eam, nocte enim, id est, tempore vel hora quam ignorat, repetent eam. Econtra odit animam suã, qui abhorret, qualem
Lucæ 12. fuisse meminit præteritam vitam suam, qui conuersus ingemiscit, & seipsum punit per pœnitentiam, numerãs singulos actus suos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ꝓ singulis semetipsum accusans, & ꝓprio cõdemnans iudicio. Nam hoc quoq; quasi sedens fodit per circuitum, & egesta humo operit, quo releuatus est, iuxta prophetam, dicentem: Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebã spiritũ meũ. Hoc agit pro reuerentia domini Dei sui, am- *Psal.76. CAP. XXIII.* bulantis in medio castrorum, ne quid fœditatis appareat coram illo, & offensus derelinquat locum cordis fœtidum. Iste ergo in vitam æternam custodit eam.

Quomodo Christus faciat hoc quòd ait: Ne tradas seruum domino, qui ad te confugerit, id est, eum qui ad se conuersus fuerit non relinquat diabolo, & quomodo hoc obseruare debeat ecclesia.

CAPVT XXV.

NOn tradas seruum domino suo, qui ad te confugerit. Habitabit tecum, in loco qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requiescet, nec contristes eum.) Vt interim sensum spiritualem continuemus, huic capitulo illud euangelij dictum consentiti *Ioan.6.* Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejciam foras. Eũ (inquit) qui venit ad me, siue seruum siue liberum. i. siue Gentilem, siue Iudæum, non *Ioan.8.* ejciam foras. Nam seruus tot dominorum, quot cultor dæmoniorum, gentilis erat populus, liber autẽ Iudaicus sibi videbatur. Sed & singuli hominum, quot vitiorum vel peccatorum, tot sunt serui dominorũ, quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati, pro- *Gala. 3.* pter quod & non manet in domo in æternũ. At ille liberator, eum qui venit ad se, non ejicit foras, vt iam dictum est. i. conuertentium se ab errore vitæ suæ nullum à sua repellit gratia, siue ille Iudæus siue gentilis sit, siue masculus, siue fœmina, siue barbarus, siue Schyta. Igitur & hoc modo legem adimplet, non tradendo seruum domino, qui ad se conuersus fuerit, non relinquendo diabolo, cui hactenus seruiuit. Quòd postulans *Psal. 139.* Psalmista dicit: Non tradas me domine à desiderio meo peccatori. Tu ergo quicunque es consecretalis eius, qui legem dedit, quicunque in domo eius, quæ est sancta ecclesia, sanctæ libertatis officia suscepisti, non tradas seruum domino suo, qui ad te confugerit. i. peccata sua confitentem, & ea relinquere volentem, ne in desperationem abigas, qualecunq; *2. Cor. 2.* crimen vel quantumcunq; admiserit: Ne cõtristes eum, imò consolare iuxta Apostolũ: Ne abundantiori tristitia absorbeatur. Habitabit tecum in loco qui ei placuerit, & in vna vrbiũ tuarũ requiescet, id est, in quocũque propsito vel ordine deuouerit suã vsq; ad finem pœnitentiam aget. Cæterùm iuxta sensum literalem: Hoc præceptum sancta Christi ecclesia sic obseruat, vt secundum canonicam auctoritatem, Iudeorum, siue paganorum mancipia, semel ad ipsam fugiẽtia, nunquam quibuslibet suasionibus reddere debeat. Sancitum quippe est lege canonica, vt si quilibet Iudæorum aut paganorũ seruus, ad venerabilia loca fidei causa confugerit, nullatenus eum patiamur præiudicium sustinere. Sed siue olim Christianus, siue nũc fuerit baptizandus, sine vllo Christianorum pauperum damno, religioso ecclesiasticę pietatis patrocinio in libertatem omnibus modis defendatur.

Quid sit spiritualiter, ingresso vineam proximi tui as intus comedere. Foris autem non efferre.

CAPVT XXVI.

INgressus vineam proximi tui comede vuas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.) Proximus tuus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus est, *Luc. 10.* qui vulneratum hominem vbi ab Hierico in Hierusalem descenderat, misericorditer susceptit, & inde proximus eius dicitur & est, quia cum illo misericordiam fecit. Vnde & *Psal.34.* loquitur per prophetam: Quasi proximum, quasi fratrem nostrũ, sic cõplacebam. Porrò vinea eius ecclesia eius est, quemadmodum in propheta dicit spiritus: Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ, vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. *Esa.5.* Ac deinceps: Vinea enim domini exercituũ, domus Israel est, & vir Iuda germen delectabile eius. Vineam hanc ingressus es, quando ad fidem Christi tanquam operarius à patre- *Matth.20.* familias vocatus es. Comede ergo (inquit) vuas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum, id est, opera bona quantacunque potes corde bono & animo volenti, ni- *Matth. 5.* hil autem quasi ad oculos hominum. Qui enim lucem suam lucere facit coram hominibus, vt videant opera eius bona, & glorificent patrem, qui est in cælis, ille profectò intus vuas comedit, & proximo suo nequaquam damnosus, imò charitati eius gratiosus existit. Qui autem fecit iustitiam suam coram hominibus, vt videatur ab eis, vuas proculdubio foras extulit, & in hoc amici gratiam læsit. Dicit enim de huiusmodi: Amen dico vobis receperunt mercedem suã. *Idem 6.* Receperunt (inquã) nec æterna familiaritate ad eandem proximi ingrediẽtur vineam.

Quid sit, de segete spicas frangere, & manu conterere, falce autem non metere.

CAPVT XXVII.

SI intraueris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes.) Eiusdem amici vel proximi seges sancta scriptura est, quæ de patrum eius secundum carnem dictis vel factis contexta est. Franges ergo (inquit) spicam manu, vt *Galat.4.* ad latẽtia grana peruenias, id est, discuties occidentem literã, vt de reposito intrinsecus spirituali sensu viuas falce autem nõ metes. i. non condemnabis, qualecunque illud sit, quod ab antiquis patribus fit, aut actum est.

Verbi gratia: Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, hæc & his similia, si tanquam adulteria reprehendas, aut iudices, rationem non discernens tẽporum, quòd videlicet ante legem, alia licentia fuerit, alia sub lege, atq; alia in pulchritudine sit euangelij, si (inquam) hæc reprehendas, vel condemnes in hominibus sanctis patribus nostræ fidei, quorum de semine salus nobis Christus aduenit, nimirum segetem amici falce indiscreta messuisti: Manu igitur tantum horrentem spicam conteres, id est, per allegoriam dicta esse hæc intelliges.

Quòd homo si acceperit vxorem, & eam oderit, permittitur ei dare libellum repudij, qualiter & in singulis nostrum debeat intelligi, & qualiter Christus synagogæ id fecerit.

CAPVT XXVIII.

CAPVT XXVIIII. SI accepit homo vxorẽ, & habuerit eam, & non inuenerit gratiã ante oculos eius, propter aliquem fœditatẽ, scribet libellũ repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eã de domo sua. Cumq; egressa alterum maritum duxerit, & ille quoq; oderit eam, dederitq; illi libellum repudij, & dimiserit eam de domo sua, vel certè fuerit mortuus, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram domino, ne peccare facias terram tuam quã Dns deus tuus tibi tradiderit possidendam.) Patet profectò, quia vis præcepti *Matth. 19.* ratione iuxta literam caret. Quod & veritas in euangelio testatur, dũ pharisæis objiciẽtibus, quod Moyses mandauit dare libellum repudij, & vxorem dimittere: respondẽs dixit. Quoniã Moyses ad duritiam cordis vestri, mandauit vobis dimittere vxores vestras. Ab initio aũt nõ fuit sic, &c. Et hic ergo literæ spicã conteramus, atq; inde spiritualis sensus granum capiamus. Homo vxorem accipit, cum actionis terrenæ susceptit curam, cuius si fœditatem cognouerit, dat libellũ repudij, & dimittit eam de domo sua, quia sæpe ipsa terrena actio quæ priusquam haberetur fortiter amabatur, cùm habita fuerit, cuius sit fœditatis agnoscitur cũ esse polluta per peccata videtur. Dimittat ergo eam vir de domo sua, vt amorem eius reijciat à mente sua. Quæ egressa virum alterum accipiat, quia terrenã actionẽ, quã tu deseris, alius cõcupiscit. Sed fortasse & ipsa in odium quãdo que ventura est, vt eam vtiliter dimittat. Benè autẽ dicitur, dimiserit eam, vel certè mortuus fuerit, quia vnusquisq; terrenã curã aut dimittit aut moritur, id est, aut non ei ex animo succumbit, aut propter eam funditus in animæ vita succumbit. Siue ergo sequens eã maritus dimiserit, siue mortuus fuerit, maritus prior non poterit eam in vxorem accipere, quia polluta est, vt videlicet is, qui semel curam terrenam atque vitę præsentis intentionẽ reliquerit, ad eam vltra nullo modo redeat, quã ipse iam suo iudicio polluit, quia eam prius ideò deseruit, quia pollutam esse cognouit. Cæterùm & iuxta allegoriam sensus altior est, in eo videlicet, quod sicut per prophetam testatus est matri vestræ synagogæ, ô Iudæi, libellum dedit repudij. Verũtamen literam eiusdem præcepti, partim per misericordiam præterit idem deus iudicij cum itidẽ in propheta dicit: Vulgo dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab *Hier. 3.* eo duxerit alterum virum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta, & cõtaminata erit mulier illa? Tu autem forni cata es cum amatorib. multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te. Igitur nunc quidem synagoga libellum accepit repudij, quia quomodo si conteñat mulier amatorem suum, sic illa Christum cõtempsit, alterumq; maritum diabolum duxit, veruntamen ad priorem maritum reuer sura est, & ille reuertentem suscipiet, quia cũ *Rom.12.* plenitudo gentium subintrauerit, tunc omnis Israel saluus erit.

Quid sit, loco pignoris inferiorem & superiorem molam non debere accipi.

CAPVT XXIX.

NOn accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam, quia animam suam appositit tibi.) Accipere dicimus aliquando auferre. Vnde & Paulus Apostolus dicit: Sustinetis enim, si quis vos deuorat, si quis accipit, ac si diceret: si quis rapit. *2. Cor. 11.* Pignus verò debitoris, est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cũ à peccatore iam peccati confessio tenetur. Superior autem & inferior mola est, spes & timor. Spes quippe ab alta subuehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior & inferior ita sibi necessariò iunguntur, vt vna sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris nanque pectore debet spes & formido coniungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat. Incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidit. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior tolli prohibetur, quia qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere debet prædicationem, vt nec derelicta spe, timorem subtrahat, ne subtracta spe in solo eum timore derelinquat. Mola enim superior aut inferior tollitur, si per prædicantis linguam, in peccatoris pectore, aut timor, ab spe, aut spes à timore diuidatur.

Quid sibi velit, quòd præmissa sententia, in eum, qui fratrem suum vendiderit, plagam leprę cauendam esse, mox subiunxit, & quod ille quoque fratrem suum vendat, qui venale habet Euangelium Christi, ac proinde leprosus sit, vt Gyesi.

CAPVT XXX.

Si depra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XXIIII.

SI depræhensus fuerit homo sollicitãs fratrẽ suũ de filijs Israel,& vendito eo accepe rit pretium, interficietur,& auferes malum de medio tui.)Manifestè iuxta literæ quoq; sensum grande in venditione fratris sacrilegium est,cuius reos se constituerunt filij Iacob,quando ab illis in seruum venundatus est Ioseph.Sed continuò sequitur.(Obserua diligenter,ne incurras in plagã lepræ,sed facies quodcunq; docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id q̃ præcepi eis,& imple sollicitè. Et protinus: Memento quæ fecerit dominus deus vester Marię in via,cùm egrederemini de Aegypto.) Quid nam hoc sibi vult,quod præcepto tali præmisso leprã tantopere cauendum esse decernit? Aut nun quid obseruare potest, aut in arbitrio eius est,plagam lepræ non incurrere. Ergo & in hoc altius quippiam requirẽdum est.Depræ hensus quippe est homo, q̃ vendito fratre suo pretium acceperit,quando populus Iudaicus,aut sanguinem Christi,secundum car nem fratris sui funderet, pretium dedit & ac cepit:traditor quippe Iudas pretium sanguinis triginta argenteos retulit.Hoc facto to ta synagoga, lepram maledictionis incurrit, cuius in typũ Mariã(vt suo loco iam dictũ est) per totum corpus lepra cãdens operuit. Igitur quicunq; Christũ ex lege & prophetis venturum esse didicisti, eiusq; venditionem in euãgelio legere vel audire potuisti,obserua diligenter, ne incurras in plagam lepræ, id est,ne cõsentiendo sacrilegijs Iudæorum, maledictione operiaris, & sempiterna confessione induaris,& cum illo cœtu malignãtiũ proiectus, habites extra castra proficiscẽtis in cælum ecclesię. Hoc,inquã, obserua diligenter,& fac quodcunq; docuerint te sacerdotes Leuitici generis,id est, prædicatores euangelicæ veritatis.Ipsi enim docere te possunt,qualiter lepra careas eiusmodi.Præterea fratrem suũ & ille vendit, qui venale habet euangelium Christi. Frater enim vester ille est, quemadmodum in euangelio dicit: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum. Et alibi cũ dixisset : Quæ est mater mea,& qui sunt fratres mei?extendens manum in discipulos suos,dixit: Eccè mater mea & fratres mei. Qui ergo venale habet Christi euangelium, maximè verò si venale faciat qualecunque Christi sacramentũ, profectò hic vendit fratrem suum. Hic autem adeò lepram incurrit, vt hæreticus iudicetur, quemadmodum in Act. Apostolorum magus ille Simon,à quo vsq; hodie venditores vel emptores gratiarum Christi, Symoniaci dicuntur.Igitur quicunq; legisti vel audisti, gratis accepistis, gratis date, obserua(inquit) diligenter ne incurras plagam lepræ,subauditur pro tali fratris venditione, & hoc patiaris in anima, q̃ Gyezi pertulit in corpore.Nam quemadmodũ lepra Mariæ cladẽ illorũ spirituale signifi cat,qui per superbiam mentis in foueã incidunt hæreticæ doctrinæ: sic lepra Gyezi morbum illorũ exprimit,qui propter venalitatẽ cuiuslibet euangelicæ gratiæ, tanquã leprosi proijciuntur de sinu matris ecclesiæ.

Gen. 37.
Mat. 26. 27.
Num. 12.
Ioan. 20.
Matth. 12.
Actor. 8.
Matth. 10.
4. Reg. 5.

Eum qui repetit rem aliquam à proximo, non debere domum eius ingredi,id est,neminem debere curiosum vel suspitiosum esse erga conscientiam peccatoris.

CAPVT XXXI.

CVmque repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt pignus auferas, sed stabis foris,& ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum,vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi.) In ipsa superficie sua, pulchra & amabilis est ista clementię lex. Porrò id quod intrinsecus latet,pulchrius est. Spiritualiter nanq; rem aliquã à proximo repetimus,quoties proximũ pro aliquo peccato corripimus iuxta illud euangelicũ:Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum,inter te & ipsũ solum.Nõ ingredieris (inquit) domum eius vt pignus auferas:Domũ proximi ille ingreditur vt pignus auferat, q̃ curiosus & nimiũ suspiciosus vitã eius perscrutatur,vt accusationem aduersus illum inueniat. Nõ ergo ingredieris(inquit)domum.i.nõ curiosè ages, vt publicè arguere vel reprehendere possis quæ fortè secretò commissa sunt.Sed quid? Foris stabis,& ille tibi proferet quod habuerit.Foris,inquam,stabis, foris pulsabis,foris sermonem facies, ita vt non vni,sed omnib. non de vno, sed de cunctis loqueris, annunciando quòd nihil occultum, quod non reueletur,nihil occultum quod non saltem in futuro iudicio sciatur, quatenus dũ omnes sollicitos reddis,vnus securus nõ sit.Tũc ille tibi proferet q̃ habuerit.i. sponte sua confitebitur,quod fecit,& tu pro illo orabis, iuxta præceptũ Apostoli dicentis: Cõfitemini alterutrum peccata vestra,& orate pro inuicem, vt saluemini. Tu itaq; spõtè cõfitenti, statim dimittes ei. Nam hoc est quod sequitur:Non pernoctabit apud te pignus,si pauper est,sed statim reddes ei ante solis occasum,&c. Hęc in te discretio esse debet,vt si pauper spiritu est,si humiliter cõfitetur, si pro peccato suo compungitur,statim dimittas ei ante solis occasum,id est,antequam incidat in desperationis periculum, vt dormiens in vestimento suo,id est,requiescens in spe salutis suæ benedicat tibi,quia tu animam eius lucrifeciſti, vt habeas iustitiam coram domino deo tuo, videlicet quã subaudire te voluit dicendo,si te audierit,lucratus eris fratrem tuum.

Matth. 18.
Iacob. 5.
Matth. 18.

Quòd illa non videantur contraria, quòd dictum est, non occidentur patres pro filijs, & qui reddit iniquitatem patrum in filijs ac nepotibus.

CAPVT XXXII.

Non occi-

NOn occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus,sed vnusquisq; in peccato suo morietur.) Alibi dictum est : Qui reddes iniquitatẽ patrum in filijs ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem. Nec hæc sibi contraria videantur,cùm dicit: nec filij occidentur pro patribus, subaudiendũ est, qui peccata patrũ non sequuntur. Nã vbi dictum est: Qui reddes iniquitatẽ patrũ in filijs ac nepotib. itidẽ subaudiri oportet, qui patres iniquos imitantur. In qua distinctione cũ ratio iustitię manifestè se offerat, de solis paruulis magna & antiqua quæstio est,cur cùm nullum habeant actuale peccatum,pro sola iniquitate patrũ.i. pro originali peccato apud inferos detineantur. De quibus cum rectissimè deo dicas. Iudicia tua abyssus multa,& id beati Iob sub talium persona, & multiplicabis vulnera mea etiã sine causa.Illud tamẽ de omnib. morti prædestinatis sciendum est,quia generationis vel superfluè originis eorum causa peccatum est. Post peccatum nanq;,Euæ dictum est:Multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos. Nam ecõtra generationis vel originis eorũ, qui ad vitam prædestinati sunt,causa efficiẽs benedictio dei est, dicentis ante peccatum: Crescite & multiplicamini, & replete terrã, & subijcite eam, &c. Profectò paruuli,qui ante perceptã Christi gratiã ex hac luce subtrahuntur,eo ipso, quod sic subtracti sunt, palam faciunt, quia non ex præmissa benedictione,sed ex subsequentis peccati superfluitate orti sunt.Qua ergo iustitia dicẽtis:Multiplicabo erumnas tuas & conceptus tuos, superflui homines nati sunt, eadem & moriuntur.Proinde diligentiori adhuc determinatione sententia supplenda est. Nec filij pro patribus morientur: subauditur,si patres alios,scilicet sanctæ ecclesiæ sacerdotes, imò patrem alium,id est, nouum Adam Christũ habere mereantur.

Exod. 34.
Psal. 35.
Iacob. 9.
Gen. 3.
Gen. 1.

Non esse recolligenda ea, quæ in messe post tergum relicta sunt,id est,non semper,vel omnia debere abscondi bona opera ab oculis hominum.

CAPVT XXXIII.

QVando messueris segetem in agro tuo, & manipulũ oblitus reliqueris, non reuerteris vt tollas eum, sed aduenã & pupillũ & viduam patieris auferre, vt benedicat tibi dñs deus tuus,in omni opere manuũ tuarũ. Si fruges colliges oliuarũ, quicquid remanserit in arboribus, nõ reuerteris vt colligas, sed relinques aduenæ,pupillo, ac viduæ. Memento q̃ & tu seruieris in Aegypto.) Et hęc literæ superficies plana, mentes nostras valdè ad humanitatem vel pietatẽ ædificat, nec occidit hæc literæ pars. Imò nõ minus quàm spiritus viuificat. Ipsum iam spiritũ de litera non tanquam vitã de occidente, sed tanquam thesaurum de thesauro, tanquã mel de cęra producere promptũ est. Spiritualiter nanq; messes segetum, fruges oliuarum, racemi vinearum nostrarum, opera iustitiæ nostræ sunt. Et segetem vtiq; nostrã, oliuas nostras,racemos quoq; nostros,absq; vllo residuo colligimus, quando ita cauemus iustitiam nostrã facere corã hominib. vt à nullo videatur. Verũ si tãtopere semper timeamꝰ spectatorẽ, nunquã habebimus imitatorem. Ergo non reuerteris(inquit) vt tollas eum, quem oblitus reliquisti manipulũ, nõ vt colligas quicquid in arboribus. remanserit oliuarum,aut in vinea quicquid residuũ fuerit racemorum,sed aduenã & pupillum & viduã patieris auferre, sed relinques pupillo, aduenæ,ac viduæ, sed cedent in vsus aduenæ, pupilli,ac viduę. Aduena,pupillus,ac vidua, qui nõ seminauerũt,quia oliuas & vineas nõ plantauerũt, pauperes sunt ecclesiæ,qui fidẽ habent quidẽ,sed nõdum fidei cõgrua opera iustitiæ fecerunt. Plura ergo operum nostrorum propter pericum miseræ vanitatis intra conscientiæ secretum quidẽ reponamus,aliqua tamen huiusmodi pupillis vel aduenis ac viduis relinquamus, vt nostris prouocentur exemplis,vt sicut ait dominus noster, videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cælis est.

Matth. 5.

Quare in corripiendo homine quantitas plagarum, quadragenarium non debeat excedere numerum, & de quadragenario ieiunio Domini.

CAPVT XXXIIII.

SI fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices,quẽ iustũ esse pspexerint, illi iustitiæ palmã dabunt. Quẽ impium,condemnabunt impietatis. Sin aũt eum qui peccauit,dignum viderint plagis, prosternẽt, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit,& plagarũ modus, ita duntaxat, vt quadragenariũ numerum non excedat, ne fœdè laceratus ante oculos tuos frater tuus habeatur.)Plagarum virgarũ medicamentũ scimus esse culparũ,quæ non ad mortẽ sunt, quo scilicet & pręterita culpa diluatur,& de futuro peccãdi cupiditas metu pœnæ expertæ reprimatur. Nam & idcircò in ecclesiastica disciplina improbos & duros ac superbos vel inobediẽtes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coercere debemus,scientes scriptum: Stultus verbis nõ corrigitur.Et iterum:Percute filiũ tuum virga,& liberabis animã eius à morte. Sed quare secundum hanc legem quantitas plagarũ quadragenarium non debet excedere numerum?Quare prostrato homine sub toti ictib. plagarum fœdum esse debuit pupillo illi,nõ satiari numero tot plagarũ? Videlicet, quia simul omnes ipsi peccauerunt in sceleris vituli, quem fecit Aaron: & prostratus Moyses quadraginta diebus,& quadraginta noctibus sub plagis ieiuniorum satisfecit dño pro reatu ipsorum:sic enim dicit:Et iacui coram domino quadraginta diebus & noctibus,siue & procidi ante dominum,sicut prius quadraginta diebus & noctibus, panem non comedens,

Prou. 27.
Deut. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

comedens, & aquam non bibens, propter o-
CAPVT XXV. mnia peccata vestra quæ fecistis contra do-
minum, & exaudiuit me dominus etiam hac
vice. Bene ergo in ipso feruore iudicij, lex
sancta miserationis memoriam facit, mira di
ligentia non immemores esse permittens de-
licti vniuersalis, sub omni pœna singularis
cuiuslibet hominis, dum eius tenentur lege
numeri, quo ipsi alio vapulante, misericor-
diam consecuti sunt. Hæc pietas legis Paulo
2. Cor. 11. quoq; Apostolo modicè subuenit. Ait enim:
A Iudęis quinquies, quadragenas vna minus
accepi. Iudices iniqui iniustè iudicatum, im-
piè prostratum, ne voluptate cædis, vel de-
lectatione crudelitatis toto viderentur per-
misso vti, parce quinquies verberauerunt,
dum de quadragenario numero, quę transgredi non audebant, plagam vnam iam lacerato corpori denodauerunt. Porrò qui spiritualiter totam legem adimpleuit, nouus homo Iesus Christus, huic quoq; parti legis in semetipso sic obtemperauit, vt pro gula primi hominis, ieiuniorum plagas sustinens, quadragenarium non excederet dierum numerum: nam consummatis illis ecce accesserunt angeli, & ministrabant ei. Vbi vsq; hodie solenne est tam publicis quam priuatis satisfactionibus hunc dierum indicere numerum, & ita sponte sua prostratos ac pœnitentes legitimè plagis abstinentiæ coram domino verberari.

Non alligabis os bouis triturantis.

CAPVT XXXV.

1. Cor. 9. NOn alligabis os bouis terentis in area fruges tuas.) Nota iam dudum & celebris auctoritas bouem hic simpliciter vetat intelligi. Paulus nanq; Apostolus cum dixisset: Nunquid non habemus potestatem man ducandi & bibendi, subsecutus adiunxit: Nunquid secundū hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est deo? An propter nos vtique dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Igitur bos hoc loco Euangelista, id est euangelij prædicator debet intelligi, qui tunc vtique triturando in area granum à palea separat, quādo scripturas tractando in publica ecclesia, sensum legis spiritualem de sterili producit litera. Huic iustitia dei prouidit, dicendo: Non alligabis os bouis terentis in area fruges tuas, id est, non patieris esurire in corpore prædicatorem, qui tibi ministrat animæ victualia: non inquam illi negabis tua carnalia, qui sua tibi seminat spiritualia, præsertim
Luca 19. cùm in euangelio & veritatis eadem eademque dicat iustitia: Dignus est operarius mercede sua.

De eo quod ait: Vxorem defuncti accipiet frater eius, & suscitabit semen fratris sui. Et de Ruth Moabitide, quæ genitus est Obed pater Isai, patris Dauid.

CAPVT XXXVI.

QVando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semē fratris sui. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt nō deleatur nomen eius ex Israel. Sin autem noluerit accipere vxorē fratris sui, quę ei lege debetur, perget mulier ad portā ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetq;: Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in coniugiū sumere. Statimq; accersiri eū faciēt & interrogabunt. Si responderit, nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eū coram senioribus, tolletque calciamentum de pede eius, spuetque in faciem eius, & dicet: Sic fiat homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, domus discalciati.) Secundum hanc legis literam via facta, aditus apertus est, quo in generatione Christi, qui secundum carnem ex Iudęis est, gentilitas quoque locum haberet, vt scilicet Ruth Moabitidē Booz iure propinqui vxo-
Ruth. 4. rē acciperet, recusante illo qui erat propinquior accipere vxorem fratris sui, & suscitare semen eius. Vbi tamen notandum, quia non omninò secundum hanc legem accesit mulier ad illum coram senioribus, vt tolleret calciamentum de pede eius, spueretq; in faciem illius, & diceret: Sic fiat homini, qui non ædificat domum fratris sui, sed dixit illi propinquo Booz. Tolle calciamentum. Quod statim soluit de pede suo. At ille maioribus natu & vniuerso populo Israel. Testes vos (inquit) estis hodie, &c. Forsitan quia peregrina erat mulier, idcircò nō tota licentia, vel permisso legis vti ausa est. De illa genitus est Obed pater Isai, patris Dauid, qui secundum carnem pater est Domini nostri Iesu Christi. Itaq; (vt iam dictum est) per gratiam legis huius admissa est in generationē Christi filij Dei (vt iam diximus) post Raab meretricem Ruth Moabitis. Secundum quam
Esa. 16. Esaias propheta dicit: Emitte agnum domine dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filij Sion. Petra nanque deserti, mulier illa fuit de medio gentilitatis, quæ videlicet gentilitas, prius à deo deserta extitit, vnde secundum carnem, agnus dei filius Dauid, Christus processit.

Quòd mysticè vir defunctus Christus sit, & frater eius qui præualet regere ecclesiam Dei, suscitare debeat semen eius.

CAPVT XXXVII.

PORrò mysticè frater defunctus ille est,
Ioan. 20. qui post resurrectionis gloriam apparēs, dixit: Ite nunciate fratribus meis, qui quasi sine filijs obijt, quia adhuc electorum suorū numerum non impleuit. Huius scilicet vxorem superstes frater fratri præcipitur, quia dignū profectò est, vt cura sanctæ ecclesiæ, ei qui hanc benè regere præualet, imponatur.

Cui no-

Cui nolenti, mulier in faciem expuit, quia quisquis ex muneribus quæ percepit prodesse alijs non curat, bonis quoq; eius sancta ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem saliuam iacit. Cui ex vno pede calciamētum tollitur,
Ephe. 6. vt discalciati domus vocetur. Scriptum quippe est: Calceati pedes in præparatione euangelij pacis. Si ergo vt nostram, sic curam proximi gerimus, vtrunq; pedem per calciamentum munimus. Qui verò suam cogitans vtilitatem, proximorum negligit: quasi vnius pedis calciamentum cum dedecore amittit. Interea vxor defuncti, vxor inquam synagoga quæ defuncto. i. illi, qui pro ipsa mortuus est nubere debuit, nupsit alteri, quippe quæ & Barrabam latronem habere maluit, & contępto eo, qui in nomine patris sui benedictus aduenit, illū expectet aliū qui maledict⁹ in nomine suo vēturus est. Vndè & illud: Quia iu-
Esaiæ 57. xta me discooperuisti, & suscepisti adulterū.

Si habuerint inter se iurgiū viri, &c. Et cuius rei mysterium sit in Christo & Satanæ synagoga, & quomodo manus synagogæ nunc abscissa sit.

CAPVT XXXVIII.

SI habuerint inter se iurgium viri, & vnus contra aliū rixari cœperit, volensq; vxor alterius viri eruere virum suum de manu fortioris, miserit manum suam, & apprehenderit verenda eius, abscindes manum illius, nec flecteris vlla misericordia super eam.) Merita pœna frontosæ & impudenti mulierculæ, quæ teneras & occultas inuadendo naturę radices, dolore simul ac pudore virum fortem ipsa sine fortitudine afficeret. Sed quid in cō scribenda lege iustitiæ talis ac tantilli infortunij meminisse dignatus est digitus Dei? Nempè si sine spiritu vel mystico sensu scriptum putes, exile atq; ridiculum hoc literæ corpusculum est. Ergo & in hoc mysteriū quæramus, vt mulierem viri fortis inimicam, vbiq; persequamur. Nempè hæc mulier Synagoga est. Porrò duo viri qui iurgium, imò certamen magnum inter se habuerunt, hinc Christus, atq; inde diabolus est. Et ille quidē fortis, sed hic fortior est, quemadmodum dicit.
Luca 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autē fortior illo superueniēs vicerit eum, &c. Huius viri fortioris atq; fortissimi, nihil aliud mulier illa, nisi carnis infirmitatem nouit. Nem-
Gen. 9. pè quemadmodum in Noe de vinea, quam plantauerat ipse, inebriato atq; nudato in tabernaculo suo, verenda discooperta, mysticè carnis significant infirmitatem, ex qua crucifigi potuit Deus & homo Christus à vinea sua, domo Israel, aceto cum felle, totaq; mortis amaritudine inebriatus, sic & in hoc loco verenda viri fortis, quæ mulier viro suo fauens apprehendit, naturam significāt humanam eiusdem Christi filij Dei, secundum quā tenere illum, & crucifigere potuit synagoga, partibus fauens viri, imò adulteri sui diaboli. Quid igitur? Abscindes, inquit, manum eius, nec flecteris vlla misericordia super eam: palam omni mundo est, totus orbis audiuit & intelligit, quia manus abscissa est synagogæ: abscissa inquam à viuo corpore, abscissa à tota patriarcharum & prophetarum fide, ita vt nihil operari possit, vt omne opus eius mortuum, & à Deo viuo separatum sit. Præterea & toties inter se viri iurgium habent, quoties cum hęretico vir catholicus, fide fortis, ac sermone potēs, pro fidei defensione, publicum init certamen. Mulier autem volens eruere virum suum de manu fortioris, mittit manū, & verenda illius apprehendit, quando fautorum quilibet disputādi ordinem nescíens, ad turpia vel triuialia conuitia prorumpit. Et si quam nouit aut confingere potest, viro forti saltem falso, de præteritis eius actibus maculam inijcit. Abscindes igitur (inquit) manum illius, nec flecteris vlla misericordia super eā, vt videlicet etiam si qua virtus eius est, tanquam vitiū contemnas, & velut stercus abij-
Eccl. 42. cias, ita vt confidenter dicas: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier.

Non habebis in sacculo diuersa pondera. Et quod spiritualiter apud se hæc habeat hæreticus.

CAPVT XXXIX.

NOn habebis in sacculo diuersa pōdera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt viuas multo tempore super terrā, quam dominus Deus dederit tibi. Abominatur enim dominus Deus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.) Pondera (inquit) maius & minus, modius maior & minor. Maius videlicet pōdus, & maior modius ad accipiendum vel emendum, minus pondus, & minor modius ad dandum vel ad venundandū. Eiusmodi emptores vel vendi tores, rectè mangones, quasi mancones vocamus, eo quod acceperint vel emerint, dando vel venundando mancum faciant, id est, minus: Talib. rectè similis existimatur, quisquis in negotiatione cælesti ac spirituali positus, precioſas verbi Dei margaritas, quasi cū que acceperit parte aliqua in reddendo mutilat, vt videlicet de sacræ scripturæ vocib. eisdem aliter sentiat, atq; aliter dicat. Nam quasi maiore cum pondere vel modio aurum atque argentum, vel frumentum, siue etiam oleum accipit, & cum minore reddit, qui Dei verbum recto intrinsecus sensu per intellectum ponderans, contentiosè tamen extrinsecus peruersis vocibus exponendo peruertit. Abominatur, inquit, dominus eum, qui facit hæc, quia videlicet hæreticus & impius est. Abominatur inquam, ita vt peccatum huiusmodi, neq; in hoc seculo remitti testetur,
Matt. 12. neque in futuro. Verbum nanque contra spiritum sanctum dictum est, vbi reuelante spiritu, scripturæ sensum malè exponendo diminuere malus mensor, ac fraudulentus ponderator audet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eo quod ait: Memento quæ fecerit tibi Amalech, et delebis nomen eius sub cælo, & quod nobis spiritualiter diabolus sit Amalech.

CAPVT XL.

CAPVT XXV.

MEmento quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant cæciderit, quãdo tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Cum ergo dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cũctas per circuitum nationes, in terra quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cælo. Caue ne obliuiscaris.) Iam alibi dictum, quia lassos Hebræi hic immundos, secundum legem extra castra manentes intelligunt, quos cęcidisse Amalechitæ dicuntur, quia sicut ipsi tradunt, eorum circũcisionem amputauerũt, & in subsannationem Dei in cælum proiecerũt. Grauissimè dictum: seueriſsimè imperatum contra Amalech, tam hic cum dicitur, Caue ne obliuiscaris, quam in Exodo, vbi dictum est: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade in auribus Iosue. Delebo enim memoriã Amalech de sub cælo. Porrò præcepti huius adimplendi sors super Saul cecidit, dicente domino sic. Recensui quęcunq; fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto. Nunc igitur vade & percute Amalech. Non igitur mirum aut iniustum, quod talem ob culpam irrecuperabiliter proiectus est Saul, quia præuaricari ausus est, quod ex lege semel atq; iterum, imò & tertio, tanta cum grauitate præceptum est. Cæterùm & imperantis auctoritas, & inobedientis pœna timorem nobis sancire debet, vt caueamus, ne obliuiscamur, quid nobis fecerit spiritualis Amalech, ex quo egressi sumus de Aegypto, ex quo rubrum mare baptismi Christi transiuimus, quomodo occurrerit nobis, & extremos agminis, qui lassi residebamus, cæciderit, quando eramus fame & labore confecti. Iste namq; Amalech diabolus est, qui ex quo Christi baptismate abluti, peccati originalis reatum euasimus: singulos nostrũ pertinaciter est persecutus: vt quia credentes in Christum, de Aegypto, id est, de ignorantiæ tenebris exiuimus, saltem actualibus prępediti peccatis, terrã repromissionis, terram viuẽtium nequaquam ingrediamur. Nouit quisq; nostrum, quid ab ipso passus sit qualiter concisus, quibus vel qualibus vulneribus in anima confectus sit. Igitur pro se vnusquisq; nostrum aduersus hunc Amalech, per pœnitentiam consurgat, quatenus huius de sub cælo memoriam perimat, nam Pharaonis & exercituum eius, id est, peccatorum, quæ baptismum præcesserunt, per solam gratiam Christi, tota perijt memoria.

1. Reg. 15.

Exod. 17.

FINIS COMMENTARIORVM I. LIB. IN DEVTERONOM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN DEVTERONOMIVM, COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

De eo quod ait, Cum intraueris terram, quam dominus Deus tuus daturus est tibi, &c. quomodo spiritualiter ad nos pertineat.

CAPVT I.

CAPVT XXVI.

VLtimum. i. nonumdecimum in penthateuco librũ cudentes, faciamus quod post illa quæ promissa sunt: continuò dicit sancta hęc & spiritualis lex. Cumq; intraueris terram, quam tibi dominus Deus tuus daturus est possidendam, & obtinueris eam, atq; habitaueris in illa: tolles de cunctis frugib. tuis primitias, & pones in cartallo, pergesq; ad locum, quẽ dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomẽ eius. Accedesq; ad sacerdotẽ, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iurauit patrib. nostris, vt daret eam nobis. Suscipiensq; sacerdos cartallũ de manu eius, ponet ante altare domini Dei tui, & loqueris in conspectu domini Dei tui ante altare. Syrus persequebatur patrẽ meũ, qui descendit in Aegyptum, & c. Dei namq; & domini nostri Iesu Christi gratia terrã intrauimus, quam ille nobis dedit possidendã, obtinuimus eam; atq; habitauimus in illa omnes, quibus ille sensum aperuit, vt intelligęremus scripturas. Etenim scripturarum campus iam quædam terra viuentiũ est, ita vt secundum illas viuentes & in ipsis ambulantes, rectè dicamus. Nostra autem conuersatio in cælis est: vndè & cunctis credentibus, atque post legis vmbram, euangelicam veritatem tenentibus, totius ecclesiæ iamdudum ore cãtatur. Introduxit vos dominus in terram fluentẽ lac & mel, & vt lex dñi semper sit in ore vestro. Igitur (vt iã diximus) cũ Dei adiutorio faciamus, q̃ subiectũ est. Tolles de cunctis frugib. tuis primitias, & pones in cartallo i. in canistro siue in calatho, pergesq; ad locũ quẽ dñs Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen

Philip. 3.

nomen eius. Primitiæ frugum nostrarum, optima quæq; studiorum nostrorũ sunt. Porrò locus quem elegit dominus Deus noster, vt ibi inuocetur nomen eius, ecclesia catholica est: extra quã nusquã propè est inuocantib. eũ, extra quã alibi nusquã inuocatur in veritate nomẽ eius. Sacerdos qui est in istis diebꝰ, ipse est põtifex magnus, qui penetrauit cęlos, Iesus Christus, qui nequaquã vt cæteri, morte prohibitus est permanere, sed sempiternũ habet sacerdotiũ, eo quod maneat in æternũ. Ad hũc igitur locũ, ad hũc sacerdotẽ magnũ, pergamus, portantes primitias frugũ nostrarum. i. ad sanctę ecclesię ędificationẽ, ad Christi domini nostri deferamus honorem optima quæq; laborum vel studiorum nostrorũ, dicentes omnes, dicẽtes singuli ad eum: Profiteor hodie coram domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis. Quod est dicere. Cõfiteor hodie. i. hoc tempore impletum esse illud quod loquens pollicitus est, & iurauit ad Abraham patrẽ nostrum dominus Deus noster, dicens: Et in semine tuo benedicentur oẽs gentes, & hoc semen Iesum Christum esse, qui in diebus Herodis regis natus, & sub Pontio Pilato passus est, qui & resurrexit à mortuis, atq; ita per illum factum est, vt ingrederer in terram, pro qua iurauit patrib. nostris, terram viuentium, terram paradisi cælestis, vt daret eam nobis. Cum hac professione suscipiens, inquit, sacerdos cartallũ, ponet ante altare domini, subauditur, quod est ante oculos domini, vt memoriale tuũ æternum sit iuxta istud, quod per prophetam loquens ipse dominus: Sermones mei, inquit, non deficient de ore tuo, & munera tua accepta erunt super altare meum. Et loqueris, ait, in cõspectu domini Dei tui, subauditur, causam cur tali ordine scilicet per passionẽ Christi, terram illam nos oporterit ingredi, pro qua iurauit patribus nostris, quæ videlicet causa est huiusmodi.

Heb. 4.

Gen. 22.

Syrus persequebatur, &c. Qualiter & nobis in confessione & oblatione sit dicendum, Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Aegyptum.

CAPVT II.

SYrus persequebatur patrẽ meum, qui descendit in Aegyptum, & ibi peregrinatus est in pauciſsimo numero. Creuitq; in gentẽ magnam atq; robustam, & infinitæ multitudinis. Afflixeruntq; nos Aegyptij & persecuti sunt imponentes onera grauissima. Et clamauimus ad dominũ Deum patrum nostrorum, qui exaudiuit nos, & respexit humilitatem nostram & laborem, atq; angustias, & eduxit nos de Aegypto in manu forti, & brachio extento, in insigni pauore, in signis atq; portentis, & introduxit ad locũ istum, & tradidit nobis terram manãtem lacte & melle.) Syrus, inquit, id est, Laban, de Mesopotamia Syriæ assumptis fratribus suis, persecutus est patrem meum, quẽ & comprehendit in monte Galaad. Sed vidit in somnis dicentem sibi Deum: Caue ne quicquã asperè loquaris contra Iacob. Illum, inquam, patrem meum. i. Iacob, qui & Israel, Syrus ille persequebatur, non patrem meum Abraham, siue patrẽ meũ Isaac, sed patrem meũ Iacob. Sequitur enim: Qui descendit in Aegyptum, ibiq; peregrinatus est in pauciſsimo numero, &c. Spiritualiter Syrus, quod interpretatur sublimis, iste est mundus, mũdus reprobatus, mũdus dãnatus: mũdus inquã qui pro parte illorum, qui de generatiõe terrena sunt, qui ab initio persequebatur patrem meum, inquit vir fidelis & catholicus: patrem meum, inquam, scilicet omnem populum electum, generationẽ quę rentiũ Deum. Duæ nanq; generationes sunt, altera mundi, altera Dei, iam ab initio mundi à primis fratribus Cain & Abel, alterutrum aduersari cœperunt, & vsq; ad finẽ seculi aduersi sibimet esse nõ desinunt. Extunc enim pater meus descendere cœpit in Aegyptum, ex quo videntes filij Dei filias hominũ, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerunt. Extunc enim qui ad generationem Dei pertinent, vitijs & erroribus aduersæ generationis inuolui cœperunt. Qualiter secundum mysticum sensum dictorum præsentium afflixerunt illos Aegyptij, & persecuti sunt, & cæterorum quæ sequuntur, de manu vel seruitio Pharaonis, spiritualis nos liberauerit dominus per agnum suũ, id est, per Christum filium suũ, suo loco plenius dictum est. Illa seruitus nostra causa fuit pro qua necessariò moreretur, vt prędictum est, moreretur & resurgeret Christus filius Dei, atque ita nos cum illo ingrederemur in terram hanc, pro qua iurauit patrib. nostris. (Idcirco inquiens nunc offero primitias frugum terræ, quã dominus dedit.) Et dimittes eas in conspectu domini Dei tui.

Gen. 6.

De eo quod ait, Decimam frugum tuarũ dabis Leuitæ & aduenæ anno tertio, & quid sit dicere, Non comedi ex eis in luctu meo.

CAPVT III.

ET adorato domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu & Leuites & aduena qui tecum est. Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Leuitæ & aduenæ, & pupillo, & viduæ, vt comẽdant intra portas tuas, & saturentur.) Notandum valdè, quod dicitur anno decimarum tertio, quando repleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno inquam decimarũ, non primo, aut secundo, sed tertio, dabis Leuitæ & aduenæ, pupillo & viduæ, vt comedant intra portas tuas, & saturentur. Quantum ad literam, præceptum pietatis est, quantum verò ad sensum mysticum, demonstratio vel prophetia operis Apostolici est. Tertius namq; decimarum annus, hoc euangelicæ gratiæ tempus est. Nam primum tempus ante legem, secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum sub lege, tertium sub gratia est. Porrò Leuites Iudaicæ gentis alumnus est, Aduena siue pupillus aut vidua gẽtium plebecula est. Tertio, inquit, anno dabis, nõ solum Leuitę, sed& aduenę, simul, & pupillo ac viduę, vt comedant intra portas tuas, & saturẽtur, id est, reuelatæ gratiæ tempore non soli Iudæo, vt ante legem vel sub lege, sed Iudæo pariter & gentili absq; distinctiõe distribues alimoniã cælestis doctrinæ, & prædicabis omnibus verbum vitæ æternæ. (Loquerisq; in conspectu domini Dei tui. Attuli quod significatum est de domo mea, & dedi illud Leuitæ, aduenæ, pupillo, & viduę sicut iussisti mihi. Non præteriui mandata tua, nec sum oblitus imperij. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separaui ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quicquam in re funebri. Obediui voci domini Dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi.) Puta Paulum Apost. in conspectu domini sic esse locutũ. Afferens enim quod sanctificatũ est de domo sua, & dãs illud Leuitę, & aduenæ, pupillo, & viduę. i. sanctam euangelij gratiam, de synagoga foris baiulans atq; Iudæo pariter & Græco sine distinctione sicut iussum est illi à domino dicente, quia longè in nationes mittam te, non comedit quicquam ex eis in luctu suo. i. non reticuit quicquã gentib. propter eos quos lugebat fratres suos Iudæos, quos inquam lugebat dicendo: Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibẽte conscientia mea, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Nempè si propter hunc dolorem subterfugisset, qui minus gentib. euangelizaret gratiam Dei, aliquid ex frugibus vel ex decimis suis comedisset in luctu suo, vel expendisset in re funebri. Qui cum idem dicit. Sed quæ mihi lucra fuerunt hæc arbitratus sum detrimenta propter Christum, & arbitror vt stercora: profectò non separauit fruges suas aut decimas in qualibet immunditia. Obediui ergo, inquit, voci domini Dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi. (Respice de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terrę quam dedisti nobis, sicut dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terrã lacte & melle manãtem, &c.) Profectò qui sic frugum suarum sanctificatas attulit decimas, ipse fiducialiter sic orat. i. qui quoad potuit, laborauit in euangelio Christi, loquẽdo pariter & perfectæ fidei conscribendo literas, ipse efficaciter atq; confidenter postulat, vt ex eis, in quib. laborauit, aliquem fructum habeat, respiciente domino de sanctuario suo, & de excelso cælorum habitaculo, & benedicente populo suo, sine cuius respectu ac benedictione frustra prædicator fatigatur, quia neq; qui plãtat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incremẽtũ dat Deus.

CAPVT XXVII.

Matt. 19.

Act. 22.

Rom. 9.

Philip. 3.

1. Cor. 3.

De eo quod ait: Et ædificabis altare domino de lapidibus quos ferrum non tetigit.

CAPVT IIII.

PRæcepit ergo Moyses & seniores Israel populo dicentes: Custodite omne mãdatum quod præcipio vobis hodie. Cum trãsieritis Iordanem in terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos, vt possis in eis scribere omnia verba legis huius Iordane trãsmisso.) Ac deinceps. (Et ędificabis ibi altare domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit.) Transmisso Iordane ingentes erigere lapides, eosque vt possint in eis scribere omnia verba legis domini calce leuigare, est celebrata passione & resurrectione Christi lapideas gentium mentes euangelizando concutere, eisq; non aliqua vi, sed dulci ac leui prædicatione doctrinæ salutaris, voces aut ratiões inscribere. E contrariò, altare domino de lapidibus, quos ferrum tetigit velle ædificare, est coactè vel vi aliqua legem Christianam inuitis auditorib. imponere. Sed hoc vetat sacra lex. Igitur sine ferro altare domino. i. sine vi, Christiana cõstruatur religio, & duri lapides lapidumq; cultores leuigentur calce. i. suaui mulceantur prædicatione. Et ita scribes, inquit, super lapides, omnia verba legis huius planè ac lucidè, videlicet vt fiat quod dictum est. Si tacuerint, lapides non tacebunt, id est, si Iudæi negauerint Christum qui codices habent, gẽtiles legem in cordibus suis scriptam habentes, prædicabunt.

Luc. 10.

De eo quod ait, His stabunt ad benedicendum, et è regione isti stabunt ad maledicendum, quid in hoc futurum significetur.

CAPVT V.

PRæcepitq; Moyses populo in die illo, dicens: His stabunt ad benedicendum domi num super montem Garizim, Iordane transmisso, Symeõ, Leui, Iudas, Isachar, Ioseph, & Beniamin. Et è regione isti stabũt ad maledicendum in monte Hebal, Ruben, Gad, & Azer, Zabulon, Dan, & Nephthalim.) Quoniã ad vsq; finem legis iam processimus, opportunè ad finem seculi prospiciamus, & ex euangelio Christi iudicium vltimum hic significari cõprobemus. Cùm venerit, inquit, filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidẽ à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi mãducare, &c. Ac deinceps: Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem eternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esu-

riui enim, & non dedistis mihi manducare, & reliqua. Iudicium vniuersale quod illic continuò passurus clara luce pronunciat Dei filius, ipsum continuò morituru in vmbra & sub velamine suo prophetat Moyses Dei famulus. Illic dextra regis & sinistra diuisis ac separatis ouib. ab hœdis: hic duo colles cõtra inuicem respicientes, Garizim & Hebal: quorũ Garizim, diuisio interpretatur: Hebal verò deficiẽs siue disterminãs, vel vorago vetus interpretatur. Illic sex opa misericordiæ dextris ad benedicendũ, & sex impietatis sinistris ad maledicendum. Hic sex nomina filiorum Israel in monte Garizim itidem ad benedicendum, & sex nihilominus in monte Hebal ad maledicendũ. Sed & sedes duodecim, de quibus alibi dicit: In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, non hic omninò tacitæ sunt. Sequitur enim: (Et pronunciabunt Leuitæ, dicentes ad omnes viros Israel excelsa voce: Maledictus homo q facit sculptile, &c.) Duodecim hic maledictiones præpositæ sunt, maledictus homo qui facit sculptile, maledictus qui non honorat patrẽ suum & matrem, maledictus qui transfert terminos proximi sui, maledictus qui errare facit cæcũ in itinere, maledictus qui peruertit iudicium, maledictus qui dormit cum vxore patris sui, maledictus qui dormit cum omni iumento, maledictus qui dormit cum sorore sua, maledictus qui dormit cum socrus sua, maledict' qui clam percusserit proximũ suũ, maledictus qui accipit munera vt percutiat animã sanguinis innocentis, maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. E contrariò, nihilominus duodecim benedictiones hoc ordine positæ sunt. (Venientq; super te oẽs benedictiones istę, & apprehendent te, si præcepta domini Dei tui audieris. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro, benedictus fructus vẽtris tui, benedicta horrea tua, & benedictę reliquiæ tuæ. Benedictus eris egrediens & ingrediens. Dabit dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te corruentes in cõspectu tuo. Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Emittet dominus benedictiones super cellaria tua, suscitabit te dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi. Abundare te faciet dominus omnib. bonis. Aperiet dominus thesaurum suum optimum, cælũ, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo. Benedicet cunctis operibus manuũ tuarum. Constituet te dominus in caput & nõ in caudã, & eris semper supra & nõ subter. Ita & illic in euã. duodecim iudicantium sedes, & hic in lege quasi singulæ de singulis sedibus prolatæ. Hinc duodecim benedictiones, illinc duodecim maledictiones. Igitur clarissimè & in isto legi consonum est euangelium, quia iudicium vnum idemque & hic in vmbra legis signatum, & illic in euangelica luce reuelatum est.

CAPVT XXVIII.

Quòd sequentes maledictiones, numero triginta, propriè sint Iudæorum, & quod iuxta causam eandem in psalmo centesimooctauo sint maledictiones totidem.

CAPVT VI.

ETistæ quidem, quæ hactenus dictę sunt, benedictiones siue maledictiones, cũctis gentib. pro meritis singulorũ cõmunes sunt. Non est enim distinctio. Quicunq; enim in lege peccauerunt, siue Iudæi, siue Gentiles, qui & ipsi credendo in Christum, verba legis decem scripta in tabulis acceperunt, per legẽ iudicabuntur, teste quoq; euãgelio, quod supra dictũ est, quia cum venerit filius hominis in maiestate sua, tunc congregabuntur ante eum oẽs gentes. Porrò sequentes maledictiones dicentis. (Quòd si audire nolueris vocẽ domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, & ceremonias eius, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te oẽs maledictiones istæ, & apprehendẽt te.) Propriæ Iudæorum sunt, & ecce hodie super illum infelicem populum venerũt, eumq; manifestè apprehenderunt. Suntaũt numero triginta, quarũ prima est, maledictus eris in ciuitate, vltima verò, aduena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu aũt descendes, & eris inferior: ipse erit tibi in caput, & tu eris in caudam. Et meritò triginta maledictionibus obruti sunt, qui triginta argẽteis emptum datorẽ benedictionis Christum Dei filiũ occiderunt. Iuxta causam eandẽ, & in psalmo triginta maledictiones sunt, tam in eum qui vendidit, scilicet Iudam proditorem, quàm in eos qui emerunt: quarum prima est, Constitue super eum peccatorem: vltima verò, Et induantur sicut diploide confusione sua. His nunc & cæteris, quæ sequuntur, omissis, quia manifesta sunt, & sicut prędicta, sic à tempore obsidionis, qua Iudæi miserabiliter à Romanis irrecuperabili exidio disperditi sunt, & opere impleta sunt: ad ipsa iam cantici verba vertamus articulũ, quo manifestè synagoga reijcitur, & ecclesia substituitur in laudẽ & gloriã Christi filij Dei, quę solum primũ legis secundũ Deuteronomij. i. secundæ legis, & hoc tertium cãtici prædicãt, defendit, atq; collaudat testimonium.

Rom. 2.

Matth. 25.

Psalm. 10.

De cantico Moysi, Audite cęli quæ loquar.

CAPVT VII.

AVdite cæli quę lõquar, audiat terra verba oris mei. Metonomicè ad cælos animatos, terramq; inanimatam sermo dirigitur: atque à rebus, quæ nec aures, nec sensum habent aliquem, homo rationalis & sapiens attẽtum & flagitare videtur auditum, tanquã si dicat: Quoniam ego mortalis homo sum, noui autem quod isti homines vel posteri eorum, post mortem meam iniquè acturi, & de via quam præcipi illis, citò declinaturi sunt, vos saltem cęli, qui superstites eritis, & tu terra quæ in æternum stabis, accedite ad audiendum, state ad testificandum, vt cum iniquè

CAPVT XXXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

egerint,& à via domini declinauerint, vos iuxta maledictiones superius positas: vos inquam cęli sitis desuper ęnei,& tu terra quam calcant ferrea sis. Verùm iuxta sensum veritatis intimæ, isti potius cæli conuocantur ad audiendum, de quibus idem spiritus in propheta: Cæli(inquit)enarrabunt gloriam Dei, *Psal.18.* & opera manuum eius annunciat firmamentum:& illa terra de qua alibi: Dominus (inquit dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Illi inquam cæli,& illa terra conuocantur huc ad audiendum,de quib. *Psal.84.* & in alio propheta: Rorate(inquit)cæli desuper,& nubes pluant iustum, aperiatur terra, *Esaiæ 45.* & germinet saluatorem: vt videlicet non dubitent cæli eloquentes,scilicet Apostoli, prophetæ,& vniuersi prędicatores,derelicta gęte hac stulta sine consilio & sine prudentia, proficisci: vt in omnem terram exeat sonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum: & secundum præsentis cantici testimonium inuitare gętes ad laudandum Deum, vel Dei populum, vt non dubitet terra quondam deserta & inuia,scilicet ecclesia salutarem suscipere pluuiam de summis cælorũ, id est, prædicationem de ore Apostolorum eodem auditu fidei,quo susćepit terrę huius principiũ, videlicet beata virgo, & dedit fructũ suum, pariendo Deum & hominem Christum. Audite igitur cęli,id est, Apostoli,audiat terra.i. colligenda de cunctis gentibus ecclesia. Quo modo audiatis cæli, quomodo ad auditum terræ huius perueniant verba oris mei?(Cõcrescat in pluuiam doctrina mea,fluat vt ros eloquium meum,quasi imber super herbam & quasi stillę super gramina.)Quomodo pluuia concrescit? Quomodo fluit ros? Notum est,quia de deorsum, tenuem nebulam exhalantibus aquis, humor in nubibus densescit, & de nubibus in terram concreta pluuia defluit:ros autem sine nubibus nocturno frigore concretus, de cælo in terram matutino sereno cadit. Sic cæli isti, qui enarrauerunt nobis gloriam Dei, gloriam eandem,partim per studium sacræ lectiõis, partim per solam didicerunt reuelationem Dei. Quod legendo didicerunt, nobisque loquendo refuderũt,quasi de deorsum humorem susceptum, & in pluuiam concretum, gratiosæ nubes per herbam reddiderunt. Quòd per solam Dei reuelationem accęperunt, quasi rorem nocturnum meditando atque contemplando congregauerunt,& prędicando vel etiam scribendo,super læta fidei vel spei nostrę gramina distillaueruntVtroque modo perfectum cælum,vel firmatum decet esse firmamentum,id est, Apostolum vel prædicatorem idoneum, qui non de corde suo vel à semetipso loquatur, sed quod audiuit, hoc testetur: quod in spiritu sancto didicit, hoc aununcietloquatur. Igitur in vobis ô cæli qui auditis, concrescat in pluuia doctrina mea, & per vos fluat vt ros eloquium meum,id est,ex presenti legis lectione,& ex spiritus sancti reuelatione, vobis orantibus innotescat Dei consilium, atque inde per ora vestra, in omnem herbam, in cuncta gramina toto mundo virentia,fluat eloquium meum. (Quia nomen domini (inquit) inuocabo.)Ergo ô cæli beneuolentiam vestro prestate oratori, aurem beneuolam vestro præbete cantori, ab ipsa re flagitanti, quia videlicet magna res est inuocare nomen domini. Vobiscum inuocabo nomen domini: domini,inquam,Dei cuius vos gloriam enarraturi, cuius opera vos estis annunciaturi. Idcirco audite me cæli, ideirco audiat terra verba oris mei. (Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iustitia.) Hoc est quod primum audire volo vos,ô cæli. Hæc sunt,quæ audire te cupio ô terra verba oris mei. Quando mandauerit dominus Deus noster vobis, ô cæli, *Esaiæ 5.* pluatis super hanc vineam imbrem, quam expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas: quam expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas:& iustitiam, & ecce clamor: quando inquam mandauerit vobis ne pluatis super eam,sed potius super terram quondam desertam & inuiam, nolite murmurare,nolite obniti, pro zelo gentis vestræ, vel carnis vestræ, sed date magnificentiam Deo nostro, sequimini & magnificum æstimate,quod complacitum est Deo nostro, quia videlicet & si homines causa vel ratio lateat,Dei tamen perfecta sunt opera: perfecta inquam,& irreprehensibilia, & omnes viæ eius iudicia vera & iusta, & iustificata in se- *Psal.24.* metipsa. Nam vniuersæ viæ domini misericordia & veritas: Misericordia est via hæc, qua ad gentes commigrauit, veritas hæc via est,qua ab Israel recesit. Hãc igitur date magnificentiã Deo nostro, vt credatis, quia Dei perfecta sunt opera, vt cõfiteamini,quia hæ vel oẽs viæ eius sunt iudicia. Quid enim? Nunquid quia pepigit fœdus cum Abrahã, nunquid,quia dixit,& statuam pactum meũ *Gen.17.* inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, nunc autem ab isto semine eius recesit, idcirco non perfecta opera eius,idcirco non iudicia viæ eius? Imò. (Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.) Fidelis inquam in omnibus verbis suis, & absque vlla iniquitate in omnibus iudicijs suis, iustus in omnibus vijs suis, rectus in omnibus operibus suis. Vndè ergo vel ob quam causam, pactum suum oblitus est, quod cum Abraham pepigit? Si fidelis, si absque vlla iniquitate, si iustus est & rectus, quomodo iuramentum neglexerit, quod iurauit cum patribus? Ecce habes. (Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.) Peccauerunt, id est, irritum pactum ipsi fecerunt subauditur, inimici,& iam non filij eius. Irritum inquam fecerunt pactũ eius, quemadmodũ hoc & ipse præ-

præscíens dixit mihi superius. Eccè tu dormies cum patrib. tuis, & populus iste cõsurgens fornicabitur post deos alienos in terrã ad quã ingredietur vt habitet in ea. Ibi derelinquet me,& irritum faciet fœdus, q̃ pepi- *Deut.31.* gi cum eo. In sordib.peccauerunt, in sordib. irritum fecerunt pactum, non solũ in sordibus vituli,quę fecit Aaron,aut Beelphegor, quę videlicet sordes iamdudũ admissæ sunt, sed & sordib. Baal, & Astaroth,cæterorumque dæmoniorũ,tandemq; in sordib. Barrabæ latronis,quę sibi dimitti petiere, peccauerunt. Peccauerunt, inquã, certum est enim quia peccabant. Cùm igitur sic peccauerunt iam non filij eius in sordib. & ob hoc proiecerit eos fidelis deus, dicito, quia nihilominus tum fidelis deus & absq; vlla iniquitate iustus & rectus,quãuis illos proiecerit, cum quibus pactũ pepigit in patrib peccauerunt enim ei,& irritum fecerunt pactum istud,isti iam nõ filij eius in sordib. Proinde ô cæli & terra,quicũq; audistis hæc verba oris mei. non ipsum deum qui fidelis est, & absq; vlla iniquitate,sed istos nõ filios eius, qui peccauerunt,cunctis loquelis, vniuersis sermoni- *Matth.12.* bus vestris, quibus in omnẽ terram & in fines orbis terræ audiendi estis, redarguite,& dicite.(Generatio praua & peruersa, hæccine reddis dño populeistulte & insipiens?) Generatio,inquã, praua atq; peruersa, q̃ idẽ est ac si cũ euãgelica declamatione dicas,generatio mala & adultera. Idcircò generatio praua, quia de bonis quidem parentibus,sed male progenita,quia nõ de fide sola patrum carne exorta. Idcircò,inquam, praua & peruersa,quia fidẽ patrum non imitata, secundum mores patribus longè disparata. Hęccine reddis domino:hæccine,inquam.i. reddẽs mala pro bonis populeistulte & insipiens reddis dño? Stultus enim es, quia malũ sciens nõ cauisti,insipiens quicunq; ex hoc populo bonum nescis, q̃ scire potuisti. Stultus es,dum legendo prophetas,sensum prophetarũ contentiosè peruertis, insipiens qui nec saltẽ legisti,qui vt benè ageres intelligere noluisti. Igitur populeistulte & insipiens, hæccine domino reddis? (Nũquid nõ ipse est pater tuus, qui possedit te & fecit,& creauit te?)Quantũ est,quòd ipse est pater tuus, quẽadmodum dixit ad Pharaonẽ filius primogenitus meus Israel? Quantum est,quòd possedit te, quod *Exod.4.* fecit,quòd creauit te? Possedit videlicet vt dominus,fecit vt figulus, creauit vt deus. Fecit,inquã,in ꝓpria quędq; persona, creauit eũ massa, q̃ te possedit in gratia. Fuerit tibi hoc cõmune cum cæteris gentib. q̃ fecit,& quòd creauit:at singularis beneficij est,quòd possedit. Quantũ ad proprietatẽ vocũ vel distinctionẽ sensuũ, magnę est potẽtiæ quòd possedit,maioris,quòd fecit,maximę quòd creauit. Et econtrariò, magnæ fuit gratiæ quod creauit,maioris quòd fecit, maximæ quòd possedit. Hæccine igitur pro tot beneficijs reddis domino patri tuo, possessori tuo, factori tuo, creatori tuo? (Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.) Videlicet vt scias,quòd is ipse quẽ tradidisti, quem negasti ante faciẽ Pilati,pater tuus est, qui possedit,& fecit,& creauit te: vt,inquam istud scias,memento dierũ antiquorum,cogita generationes singulas. Nam in diebus antiquis,omnia per ipsum facta sunt, & per generationes singulas mysteria eius dictis & factis præsignata sunt Sed fortè memoria dierum antiquorũ,& cogitatio generationũ singularum,necdum tibi satis faciunt? Quid igitur facias? Interroga patrẽ tuum,& annũciabit tibi,maiores tuos & dicent tibi.)Pater tuus ipse est: maiores tui, lex & prophetæ sunt. Interroga ergo patrem tuum orando, maiores tuos legendo. Patrẽ,inquam,tuum, deum interroga orationib.intentis,vtrũ consilium hoc vel opus, cuius in oẽm terram so- *Actor.10.* nus exiuit,ex ipso sit,& annũciabit tibi. Si enim Corelium gentilẽ pro hoc ipso orantẽ, & eleemosynas facientem dignanter exaudiuit,& mirabiliter quid ipsum facere oporteret,per angelum suum ostendit,quanto magis si tu interrogaueris, & vt benè agas intelligere volueris, per aliquam reuelationem annunciabit tibi? Igitur(vt prædictum est) Deum patrem tuum interroga orando:maiores tuos, id est, prophetas omnes consule legendo. Ille annunciabit, & illi dicent tibi quia iste quem tradidisti, quem negasti, quem felle cibasti,quem aceto potasti,quem clauib. confixisti, cuius latus lancea perforasti, pater tuus est, qui te possedit. Quo- *Gen.11.* modo autem possedit, vel quomodo possidere incepit? Planè hoc ipsum dicent tibi. (Quando diuidebat altissimus gentes,quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.) Notum tibi est, quia quando profecti de oriente filij Adam,& inuenientes campum in terra Sennaar,cœperunt facere turrim, cuius culmen aduque cælum pertingeret, vt celebrarent nomen suum, confudit ibi altissimus linguam eorum, vt non audiret vnusquisque vocem proximi sui, atque ita diuisit eos ex illo loco in vniuersas terras. Tunc vtique diuisit altissimus gentes, scilicet, in linguas dissonas, & separauit filios Adam.i. imitatores superbiæ Adã,in vniuersas terras. Non perdidit eos vt ante fecerat per diluuiũ, sed cõstituit terminos populorũ,iuxta numerũ filiorũ Israel.i. statuit vt duret genus humanum donec impleatur numerus electorum, qui omnes secundum fidem sunt filij Israel.(Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus eius *Psal 75.* hæreditatis.) Subauditur in illa diuisione *Num. 23.* gentium,in illa separatione filiorum Adam. Facta nanque confusione linguarum,remansit lingua primitiua in domo & familia Heber, vnde per Abraham, qui & ipse ab illo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæbræus dictus est, hic populus Hebræus exiuit, pars domini: solus hic, inquam, populus Iacob, solus hæreditatis dñi funiculus, in quo solo not⁹ deus, in quo solo magnũ nomẽ eius. Vnde & per Balaã loquitur. Populus solus habitabit, & inter gentes nó reputabitur. Pars aũt domini, vel funiculus hæreditatis eius, non ꝙ soli vel oés ad dñm pertineant, qui sunt de carne eius: sed quod soli vel oés domini sunt, qui sunt de fide eius. Hoc modo possedit, & sic possidere incœpit. (Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.) Inuenit eum in terra deserta, id est, innotuit ei in deserto, annis XL. imò primùm innotuit ei in loco horroris, id est, in horrida seruitute Aegypti, percutiendo Aegyptios decem plagis, ac deinde in loco vastæ solitudinis manna pluendo, & aquã de petra producendo, vt iã dictum est, annis XL. (Circunduxit eum ac docuit & custodiuit quasi pupillã oculi sui.) Circunduxit, inq̃, nó enim duxit eos per viã terræ Philistijm, quæ vicina est, sed circũduxit eos per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum, & ita circunducendo custodiuit quasi pupillã oculi, videlicet reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella cõsurgere, & reuerteretur in Aegyptũ. Tenerior quippe erat, quã pupilla oculi, ita vt leuiter offensus animus iæpe in Aegyptum reuerti voluerit. Circunduxit igitur & docuit, nõ solùm multis bonorum & malorũ experimentis, verumetiam doctrina cõscriptæ huius legis. (Sicut aquila prouocãs ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expãdit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis.) Sic circunduxit, sic docuit, sic custodiuit, sicut pullos aquila, videlicet secundũ naturã suam erga pullos suos, nõ absq; sæuera pietate, neq; absq; sæueritate pia. Semper enim fertur probare quos genuit, ne generis sui interoés aues quoddã regale fastigium, degeneris partus deformitas decoloraret. Itaq; asseritur, ꝙ pullos suos radijs solis obijciat, atq; in aeris medio paruulos pio vngue suspendat. At si quis repercusso solis lumine intrepidã oculorum aciẽ inoffenso intuendi vigore seruauerit, is probatur quòd veritatem naturæ synceri obtutus constantia demonstrauerit. Si verò lumina sua præstrict⁹ radijs solis inflexerit, quasi degener, & tanto indignus parente abijcitur, nec æstimatur educatiõe dignus, q̃ fuit suspectiõe indignus. Igitur circũducẽdo, & docendo, sic tẽtauit, sic ꝓbauit, sicut aquila pullos suos: nã eos q̃dem qui murmurauerunt, qui tentauerunt, qui concupierunt in deserto, prostrauit: eos autẽ qui crediderunt, qui obedierunt, quasi super alas gratiæ assũpsit atq; portauit in humeris suis. (Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo deus alienus.) Increpatio illorum. Quid tibi, inquit, ô populestulte & insipiẽs, quid tibi cum turba deorum alienorum? Nunquid dij alieni te de Aegypto, de domo seruitutis eduxerunt, aut educentem te dominũ deũ tuũ adiuuerunt? Non ita, sed dominus, inquit, solus dux eius fuit, & nó erat cũ eo deus alienus, nõ ille cornutus & aureus vitulus, non Beelphegor spurcissimus, non Baal, nõ omnino quisquã deus alienus. (Constituit eum super excelsam terrã, vt cõederet fructus agrorum.) Eum quẽ inuenit in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis, cõstituit super excelsam terram, id est, montuosam terrã, vt comederet fructus agrorum, vt inhabitaret ciuitates quas non ædificauit, & biberet vinũ de vineis quas nõ plantauit, vt regiones gentiũ & labores possideret populorum. Quæ videlicet terra excelsa (sicut iã alibi dictum est) non est sicut terra Aegypti: vbi iacto semine in hortorũ morem aquę ducuntur irriguæ, sed montuosa est & cãpestris de cælo expectans pluuias, quã dñs deus semper inuisit, & oculi eius in ea sunt à principio anni vsq; in finẽ eius. Super excelsam igitur terrã constituit eum, vt comederet fructus agrorũ. (Vt sugeret mel de petra, oleum q̃; de saxo durissimo.) Vt, inquam, sugeret mel de petra. i. vt dilectioni creatoris assuefactus, tandẽ dulcedinem cælestis doctrinæ caperet de petra, virga crucis & passionis percussa, scilicet de Christo præsentialiter prædicante ore mellifluo, oleumque de saxo durissimo, id est, spiritum S. de eodem Christo, per virtutẽ resurrectiõis incorruptibiliter solidato. (Butyrum de armẽto, & lac de ouib. cum adipe agnorũ & arietum filiorum Basan. Et hircos cũ medulla tritici, & sanguinẽ vuæ biberent meracissimum.) Hæc omnia temporaliter atq; realiter iste populus adeptus est, quem inuenerat dominus deus eius in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis, vt istis corporalibus bonis lactatus & excitatus, spirituale butyrum, & spirituale lac, spirituale mel q̃; adipem suo tempore libenter acciperet, de spirituali armẽto, de spiritualibus ouib. & agnis siue arietibus filiorũ Basaan, id est, pinguiũ, scilicet de factis imitandis, aut dictis exequẽdis patrum vel patriarcharum, de scripturis prophetarum & Apostolorũ veraciter pinguium, iuxta quod singuli talium verissimè dicunt. Impinguasti in oleo caput meum. Et sanguinẽ vuæ meracissimum. i. sanguinem Christi filij dei biberet sacrosanctum. Idcircò super excelsam illam terram temporaliter cõstitutus est & hæc temporalia bona adeptus est, vt ad spiritualium & æternorum appetitum proficeret. Sed quidem (Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus.) Dilectus, sed diligenti ingratus, dilectus, inquam, sed ipsa dilectione superbe ac ferociter abusus, incrassatus est cogitatione, incrassatus opere, impinguatus pertinacia, dilatatus arrogantia. Talis dilectus recalcitrauit, id est, largitoris

Exod. 16. *Exod. 13.*

Psal. 104.

Psal. 22.

CAP. XXXII.

Psal. 69.

gitoris imperia calce abiecit. Verùm ista crassitudo, tumor, & nõ plenitudo est. Nam qui veram plenitudinẽ, qui veram scit pinguedinem, quantumuis butyro abundet, aut lacte ouium, siue adipe agnorũ & arietum, donec ipsum appræhendat deum, dicit: Ego verò egenus & pauper sum. At verò, cuius Deus venter est, postquã illum impleuerit ex his quæ prędicta sunt, incrassatus, impinguatus, dilatatus, falsa sibi æstimatiõe sufficiens videtur, falso sibi nihil deesse arbitratur. Quid em̃ fecit iste dilectus taliter incrassatus? (Dereliquit Deũ factorẽ suum, & recesit à deo salutari suo.) Deus idẽ factor, idẽ & salutaris, siue saluator. Verũ aliud est, ꝙ factor: aliud, quòd saluator. Nã deus factor, quia hominẽ fecit: de⁹ saluator, quia homo factus est ipse, homines saluare venit. Sic incrassatus est, vt de natura gratia curaret. Nam & antequam veniret, deum factorem suum dereliquit, & postquã venit à Deo saluatore suo recesit. Quomodo illum dereliquit, quomodo ab illo recesit? (Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus suis ad iracudiam cõcitauerunt.) Ad idẽ procedit, & quòd in dijs alienis prouocauerunt, & quòd in abominationib. suis ad iracundiã cõcitauerũt, veruntamẽ diuersa sunt & è diuerso veniunt. Nã dij quidem alieni sunt, abominationes autem suæ sunt, propter quas vt eas licẽtiosè agerent deos alienos coluerunt. Verbi gratia: Vitulus quẽ fecerunt, & Beelphegor quem incitati sunt dij alieni fuerunt, quòd aũt post cõmessationes & potationes surrexerunt ludere, & quod inter sacrificia cũ Madianitis fornicati sunt, suæ abominationes extiterũt. Igitur & in dijs alienis mitẽ prouocauerunt, & in abominationib. suis ad iracundiã concitauerunt. Itẽ in eo quod antequã veniret in hunc mundũ, totiens ad idololatriã defluxerunt, in dijs alienis eum prouocauerunt: & in eo, quòd præsentẽ blasphemauerũt dicentes, dæmonium habet, & insanit, & in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, profectò in abominationib. suis ad iracundiam cõcitauerunt. Sed in qualibus dijs eum prouocauerunt? (Immolauerunt dæmonijs & non deo, dijs quos ignorabant. Noui recẽtesq; venerunt, quos nõ coluerunt patres eorum.) Dij quos coluerunt, non dij, sed potius dæmonia sunt, dij nũcupatiui, dij noui, quia prius eos ignorauerũt, dij recentes, quia non coluerunt illos patres eorum. Nunc igitur cæli & terra, ad caput increpationis redite, & dicite generationi prauæ, atque peruersæ, Hęccine reddis dño populestulte & insipiẽs? (Deũ quite genuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui.) Deum qui te genuit. i. qui diu sterilib. parentibus tuis, gignendi te facultatẽ, siue effectum tribuit. Nã prẽter vnicum filium suum, quẽ ex vtero ante luciferum genuit, quẽ & in hunc mundum misit per vterum virginis, neminẽ de propria substantia sua pater ille genuit. Ergo qui te genuit. i. qui Saræ diu sterili, tandẽ conceptum dedit: & Rebeccę sterili, eodẽ Isaac deprecãte dilectum sibi Iacob vt conciperet & pareret, præstitit, de quib. vel per quos genituræ tuæ riuus emanauit, illum tu dereliquisti genitorẽ tuum ingratitudine detestabili, & oblitus es domini creatoris tui, subauditur, quẽ prius cognouisti per præsentẽ doctrinã legis, & per exempla patrum eorundẽ, qui hæreditariã eius scientiã thesaurizauerunt tibi: vnde & maius peccatum habes, quã si nunquã fuissetcognitus tibi. (Vidit dñs, & ad iracundiã concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui, & filię.) Vidit hoc ille quẽ nihil latet, oculis nunquã dormitantib. quib. omnia videt: vidit, inquam, hoc peccatum tuum stilo ferreo scriptum in vngue adamantino, clamãte per prophetas suo sancto spiritu, vt peccatum tuum à facie eius nõ deleatur. Et adiracundiã cõcitatus est, videlicet nõ animi sui passibili motu, deus enim non mouetur aut perturbatur, sed iudicij veritate sic impietatem prosequẽte, vt iã non pius pater, sed districtus iudex sentiatur. Et hoc idcirco, quia prouocauerunt eum filij sui, & filię, quòd vtique secundum omnem rationem minus tolerandum est, quàm si prouocassent eum externi vel externæ. Prouocauerunt autem, videlicet in eo, quòd non per ignorantiam vel infirmam indigentiam, sed scienter peccauerunt, & per industriam, immò sapientes fuerunt ad concinnandum peccatum, ad conquirendum mendacium. Et ait: (Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum.) Ait, id est, sententiam fixit, cuius dixisse fixisse est, ita vt cælum & terram, quam dictionem eius, trãsire facilius sit. Non enim est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Ait ergo, id est, iudicium dedit huiusmodi. Abscondam faciem meam ab eis, id est, excæcabo illos, vt viam veritatis inuenire non possint. Excæcabo, inquam, corda eorum, & aures illorum aggrauabo, & oculos eorum claudam, ne fortè videant oculis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur & sanem eos. Dicamque eis, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Ita absconditus ab eis considerabo nouissima eorum, id est, expectabo finem, & consummationem peccati eorum, tacitè prospiciendo mirabilem audaciam eorum. (Generatio enim peruersa, & infideles filij.) Damnationis eius quã dixi, abscondam faciem meam ab eis, causæ præcedentes sunt, quia generatio peruersa est, quia infideles filij sunt: sancto quoque spiritu per prophetam contestante, quia sunt principes Sodomorum, quia sunt populus Gomorrhæ. Alioquin non videretur stare, quod dixi supra, Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.

Ioan. 8. *Matth. 12.*

Gen. 18. *ibidem 25.*

Hier. 17.

Num. 23.

Esa. 6.

Esa. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thre.3. *Psal.18.* iniquitatem. Iustum igitur iudicium, in eo quod dedi illis scutum cordis, laborem meũ, quòd licet tanquã sponsus procedens de thalamo suo, in sole posuerim tabernaculum meũ, ipsi tamen videre me non possunt: imò & scandalũ illis est, cũ designatur tabernaculum meũ carneũ, dicituրq; illis, eccè iste deus noster, rex noster, saluator noster. Amplius aũt audite cæli, iustum iudicij ordinẽ, æquã iudicantis vicissitudinem. (Ipsi me prouocauerunt in eo qui nõ erat deus, & irritauerũt in vanitatib. suis. Et ego prouocabo eos in eo qui nõ est populus, & in gente stulta irritabo illos.) Priores ipsi prouocauerunt me, nõ leui quacunq; offensione, vel humano excessu, sed in eo qui nõ erat deus. i. sic me habendo, tanq̃ si non essem deus: & irritauerũt me priores ipsi in vanitatibus suis. i. vanitates suas, vanos deos prętulerunt mihi: tandemq; sibi data optione, Barrabã mihi præferre nõ dubitauerunt, auctorẽ seditionis. Reddã itaque illis talionẽ, prouocabo eos in eo qui nõ *Osea 3.* est populus. i. sic habẽdo eos, vt nõ sint populus, vt sint sine rege, sine principe, sine sacerdote, sine Ephot, & sine Cheraphim, & omnino nõ sint populus, sed in populis & in gentibus iã nunc dispergantur, & in futuro cum eis qui nõ sunt annulẽtur, cũ eis qui in infer-

CAPVT XXXII. no sunt deputentur, & ita in gente stulta irritabo illos. Irritabo, inquã, id est, ad æmulationẽ adducã in nõ gentẽ, in gentẽ insipientem, in iram eos mittã, vt videant gentem, loco suo regnantẽ, gentem sapientẽ quã æmulentur, cuius æmulatione torqueãtur. (Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima.) Prouocabo, inquã, illos, & irritabo, prouocationis aũt & irritationis principium hoc est, quòd ignis succensus est in furore meo, cõsummatoq; ardebit vsq; ad inferni nouissima. Ignis em̃ in presentia rum succensus est, ignis Romanorũ, quo ciuitas sancta facta est deserta Sion, deserta facta est Hierusalẽ, desolata domus sanctificatiõis eorũ & gloriæ eorũ facta est in exustione ignis, & omnia desiderabilia eorum versa sunt in ruinas, & ceciderũt in ore gladij, & captiui ducti sunt in oẽs gentes: iste iam succẽ-

Naum 1. sus ignis pœnę, ignis vindictę, ardebit aũt vsque ad inferni nouissima. Nã de hac vindicta tẽporali ad æterna proficiscũtur tormenta. Nũ ergo, inquis, iudicat deus bis in idipsũ, aut cõsurget duplex tribulatio? Nõ vtiq; si in vindicta vel tribulatone presenti reatũ agnoscas, finẽq; ponas peccatis. Cæterũ quoniam in ipsa pœna, impia perseuerat voluntas populi stulti & insipientis, & nunc inducit super eos diẽ afflictionis, & in posterũ ignis q succẽsus est vsq; ad inferni nouissima ardebit, iuxta q̃ & alius propheta imprecatur, & duplici cõtritione cõtere eos dñe deus me⁹.

Hier. 17. Aliàs aũt vna percussio est, quæ hic cœpta illic finitur, vt correctiõis vnũ flagellum sit, q̃ temporaliter incipit, sed in æternis supplicijs cõsumetur: quatenus eis qui omninò corrigi renuunt, iã presentiũ flagellorũ persecutio, sequẽtium sit initium tormentorum. Igitur nihilo læsa vel in prauum detorta regula, prophetica, qua dictum est, nõ cõsurget duplex tribulatio, siue iuxta LXX. non iudicabit deus bis in idipsum, & hic à furore meo succensus est ignis, & in futuro, quod est vsque ad inferni nouissima ardebit. Deuorabitq; terrã cum germine suo, & montiũ fundamẽ- *Naum.* ta cõburet.) Nõ vt sępe factum est, solum terræ germẽ deuorabit, vt sit fames in terra propter peccata populi, sed ipsam quoq; terram, cuius iracũdia loquentes dolos cogitabant, ita vt dicerent. Si dimittimus eum sic oẽs credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum & locum & gentem: terrã, inquam, ipsam cũ germine suo deuorabit. i. auferet, ita vt terra eorũ non sit, & nihilominus ea ca- *Psal.34.* reant, quasi deuorata sit igne hostili. Et mõ- *Ioan.11.* tium fundamenta cõburet. i. superborum fiducią auferet, videlicet pulchrũ templum, inclytamq; ciuitatẽ, cuius statu suffulti firmiter in hæreditario patrum suorum deo, sibi stare videntur, gentesq; cæteras quasi valles infirmas, montes ipsi despiciunt: templum, inquã, & ciuitatẽ in montibus fundatã, ignis elementaris cõburet. Prætereа terrã. i. carnes eorum, terram, inquam peccatricem. i. populum qui superbit, cum sit terra & cinis, deuorabit ignis, cũ germine suo. i. cũ libidinibus, & omnibus malis operibus suis, & montium fundamenta, id est, ipsas quoque animas quę vegetant cõburet ignis, & hic succensus (vt iam dictum est) & in futuro ardens vsq; ad inferni nouissima. (Congregabo super eos mala, & sagittas meas cõplebo in eis.) Et hoc ait dominus, vtiq; ad iracundiã prouocatus, ait, inquam, nõ solũ secretò & intus, prophetis audientibus, verum etiam in publico Apostolis audientibus, Iudæis blasphemantibus, audituris etiam per euangelium cunctis per orbem gentibus. Cùm enim dixisset, eccè ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, *Matth.23.* & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & eccè flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem, continuò subiunxit. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Hæc dictio eius est, Apostolis audientibus, de malis congregandis, qui iam audiente Moyse, antequam homo fieret, hæc ait: Igitur congregabo super eos mala, id est, venire faciam omnem sanguinem iustum, qui effusus est super terram. Et hoc *Deut. 32.* iustè, quia videlicet ipsi me occidendo, sanguinem meum effundendo, mensuram patrum suorum complebunt, patrum malorum, patrũ impiorum, qui iustos occiderunt, qui sangui-

qui sanguinẽ prophetarũ fuderunt. Et sagittas meas cõplebo in eis, videlicet quia cõgregata tot mala, paucæ sagittæ vel pars sagittarum mearũ expiare nõ sufficeret, idcirco cõplebo. i. omnes expendã sagittas meas in eis, sagittas maledictionis. s. quas paulò antè in pharetra cuiusdã conditionis ita recondidi. Quòd si audire nolueris vocem Dñi dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, & cæremonias quas ego prẽcipio tibi hodie, venient super te oẽs maledictiones istæ & appræhendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreũ tuũ, & maledictæ reliquiæ tuę, maledictus fruct⁹ ventris tui, &c. Explebo, inquam, id est, oẽs istas sagittas meas expendã in eis, q̃ alias nun- *4.Reg. 6.* quam feci, licet multoties aliquã sagittarum partem in eos iniecerim. Exẽpli gratia: Quãdo Benodab rege Syriæ cum vniuerso exercitu suo obsidente Samariã, facta est fames magna in Samaria, & tam diu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars Cabi stercoris columbarũ quinq; argenteis, dixitq; mulier altera ad alteram, da filium tuũ vt comedamus eũ hodie, & filium meũ comedamus cras: quando, inquã, hæc acta sunt, tunc sagittas meas quidem ieci, sed nõ totas compleui. Nam interea dixit Heliseus: Audite verbum Dñi. Hæc dicit Dominus. In tẽpore hoc cras modius similiæ vno statere erit, & duo modij or dei statere vno in porta Samariæ. Quod & factum est. Verũ non ita erit, cũ faciem meam abscondero ab eis. Sed quid? (Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos cũ furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentẽ simul cum homine sene.) Id planè erit sagit- *Iosephus de bel. Iud. lib. 7. cap. 25.* tas meas cõpleri in eis. Cõsumentur fame, videlicet in die solenni paschæ Hierosolymis congregati, velut exitiali manu quadam cogente, quos tricies centena millia Iosephus dicit fuisse, scilicet iusto iudicio, tẽpore hoc vltionis electo, vt qui in dieb. paschæ saluatorem suum Dñm Iesum Christũ, cruentis manibus, & sacrilegis vocibus violauerant, in ipsis diebus velut in vnum carcerẽ omnis multitudo cõclusa, feralis pœnæ exitium q̃ merebatur exciperet. Quàm diræ famis exitio cõsumpti sint, qui plenius nosse cupit, quintũ prędicti Iosephi historiarũ librum legat, ex quo oẽm eorum luctuosam tragœdiã pernoscat. In quo illud permaximè horrendũ fuit, q̃ mulier quędã Maria nomine, Eleazari filia, genere & facultatibus nobilis, præ magnitudine famis, quasi in insaniã vel amẽtiam versa, paruulũ quem sub vberibus habebat filiũ iugulat, igniq; superpositum torret, & mediũ quidẽ consumit, medium verò seruat obtectũ. Vnde & per prædones cõfestim irruẽtes, quos cõceptus obustæ carnis nidor inuitauerat, scrutabãtur em̃ domos esurientes, & præ fame insanientes: per prędones, in quã, hoc malum deprẽhensum, cõtinuò ciuitatẽ vniuersam horrendo nuncio repleuit, illa proferente q̃ obtexerat, ac dicente, quia partẽ vobis optimã reseruaui. Igitur consumentur, in qt, fame, subaudis, & nõ sepelientur, sed deuorabũt eos aues morsu amarissimo. Sepelire nanq; cadauera proximorũ, nec defunctorũ multitudo, nec virium debilitas permittebat. Primò quidẽ publico sumptu sepeliri mortuos iusserant fœtoris intolerãtia, vt verò oẽm sumptũ cœpit vincere multitudo morientium, de muro cadauera præcipitabant tanta multitudine, vt mortuorũ cadauerib. valli replerentur, & humani corporis tabo patria tota rigaretur. Igitur deuorabunt eos aues morsu amarissimo, scilicet insepultos, morsu amarissimo, q̃ videlicet resíduis spectantibus amarissima hæc erit amaritudo. Nec solũ aues deuorabunt, sed & dentes bestiarum immittam in eos, trahentium eos super terrã cũ furore, dentesq; serpentiũ. Aliter: Dentes bestiarum immittã in eos cũ furore trahẽtium super terrã, atq; serpentium. Dentes bestiarum. i. sæuitiã vel arma Romanorũ immittam in eos, cũ furore trahentium super terrã. i. absq; misericordia residuos in captiuitate ducentiũ in oẽm terram, dentesq; serpentium. i. sæuitiã malignorum spirituum post cruciatus & mortes corporum, vsq; ad inferni nouissima trahentiũ. Nã per bestias Romanos fortes ac feroces rectè intelligi, illud pro testimonio vel exemplo est, quod psalmista cũ eandẽ calamitatem *Psal.79.* deplorans dixisset, vt quid destruxisti maceriam eius, & diripiunt eam oẽs qui prętergrediuntur viã, continuò subiunxit, exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Per aprum de sylua, & per singularem ferum, Titum & Vespasianum Romanos imperatores significans. Igitur dẽtes bestiarum super terram trahentium, arma sunt Romanorum occidentium, & in captiuitatem trahentium. Colligens nanq; supradictus historiographus omnẽ numerum peremptorũ, vel fame vel ferro, vndecies cẽtena millia designat. Cæteros verò latrones & sicarios ac prædones post vrbis excidium mutuis declarat interijsse vulneribus. Electos autem quoscunque iuuenum, quos decor corporis & ętas ceteris cõmẽdabat, ad triũphum dicit esse seruatos. Reliquos autẽ qui supra decem & septem annos agebant ętatis, vinctos ad opera Aegypti per metalla destinatos, vel p cæteras prouincias esse dispersos, alij quidẽ vt ludis gladiatorijs, alij quidẽ vt ad bestias traderẽtur. Si quis verò intra decimum & septimũ ætatis reperti sunt annum, per diuersas prouincias in seruitutem distrahi iussi sunt. Quorũ numerus vsq; nonaginta millia perductus est. Id planè fuit trahi super terrã dentibus bestiarum: ac deinde

animas

Universidad de Deusto
Biblioteca

animas duci ad inferos, id fuit trahi dentib. serpentium. Vnde signanter nō dictum est, dentes bestiarum & serpentium cum furore trahentium super terrā, sed dentes bestiarū cum furore trahentium super terram, & serpentium, vt subaudias dentes cū furore trahentium in infernum. Malorū omnium summam vno tandem versiculo complexus est. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentē cum homine sene. Foris nanq; gladius, id est, exterior corporum omnimoda calamitas: intus pauor, id est, atrox cōscientia, quia scientibus illis, iam sanguis Christi, sicut sibi imprecati fuerant super ipsos, & super filios eorū redundabat. (Et dixi: Vbi nam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriā eorum.) Hæc & hæc dixit, quæ iam præmissa sunt, & tunc demum dixi ego, cui futuræ calamitates istæ, imò & omnia tam præterita, quàm futura præsentia sunt. Vbi nam sunt? Videlicet, quia defecerunt peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint. Et væ illis, quos nescit deus, vbi nam sint, cū ipse omnium qui sunt, qui nō malè sunt locus sit. Vnde dicit in Iob: Sicut consumitur nubes & pertrāsit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, neq; cognoscet eum amplius locus eius. Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Ac si dicat: Parum est vt amplius cognoscā eos, ego quō dam locus ipsorum, insuper & ex hominib. cessare faciam memoriam eorum, vt nec apud Deum, nec apud homines vlla in bono sit memoria illorum. Sed propter irā inimicorum distuli, ne fortè superbirent hostes eorum. Et dicerēt, manus nostra excelsa, & nō dominus fecit hæc omnia. Ita (vt prædictū est) sagittas meas complebo in eis, vt ne vna quidem maledictio residua sit. Poteram facere, & ipsi merebantur, vt ita cessaret ex hominibus memoria eorum, quatenus nullæ superessent reliquiæ eorum. Sed fortè superbirent hostes eorum, & dicerent: non dominus fecit hæc omnia, sed manus nostra excelsa fecit hæc omnia. Distuli igitur & non totam funditus deleui memoriam eorum. Immò & dixi, quia si fuerit numerus quasi harena maris, reliquiæ saluæ fient. Hoc pacto fit, vt non superbiant hostes eorum, vt non dicant, manus nostra excelsa, & non Dns fecit hæc omnia, dum reliqui sunt ex eis per omnes gentes dispersi qui libros secum baiulant, & maledicta legis, quæ legentes hostes eorum, & causas maledictionum recēsentes sciant, & dicant, quia dominus fecit hæc omnia. Amplius autem in eo residuum eorum proficit, vt quæcunq; ex hostibus eorum ad fidem patrum illorum conuersi fuerint, dū, quòd cum plenitudo gentium subintrauerit, tunc omnis Israel saluus erit, non superbiant, quod cæcitas in Israel contigit, ipsi autem illuminati sunt, Apostolo quoq; superbiam istam reprimente, cū dicit. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oliaster esses, insertus es in illis, & socrus radicis & pinguedinis oliuę factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris, non tu radicē portas, sed radix te, &c. Planè hæc talis repressio superbiæ, dignè Deo curæ est, vt meritò præcauens dicat, manus nostra excelsa, & non dominus fecit hæc omnia. Idcircò dicitur in Psalmo: Deus ostendit mihi super inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua. Nūc erga dispersionem eandē, erga dispersas populi stulti & insipiētis reliquias, qualis esse debeat Apostolorum & populi sapientis, populi Christiani affectus, sequentib. mox cantici verbis innuitur. (Gens absque consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent ac intelligerent, ac nouissima prouiderent.) Quid aliud optat Apostol. cùm dicit gemebudus, Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, & cæt. Quid, inquam, dicit, quid optat, nisi vtinam saperent, & intelligerent ac nouissima prouiderent? Saperent videlicet, qualia vel quas ob causas ventura illis mala ex lege superiꝰ scripta prænunciata sint: intelligerent res, & malorum præsentium effectus, benè respondere dictis præteritis: prouiderēt nouissima, subauditur, mala inferni, quæ post præsentia sequētur eos, eò quòd intelligere noluerint, eò q̄ nec saltem vexatio præsens intellectū dare posit eorum auditui. Hoc optamus, hoc illis cupimus, quicunq; recta & humili fide cognoscimus, quia naturales oliuæ rami isti sunt, nos autem naturalis oliaster fuimus, eisq̄ fractis qui naturaliter stabant, nos contra naturam inserti sumus. Verùm donec plenitudo gentium subintroeat, gens ista sine consilio, & sine prudentia est, id est, non sapiet, neque intelliget, neq; nouissima prouidebit. Dicimus tamen quamuis verba perdentes, quamuis nullos vel pauciſsimos ex eis lucrifaciētes, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. (Quomodo persequebatur vnꝰ mille, & duo fugarunt decem millia.) Imò vt ipsa recolamus maledictionis verba, quibus hoc pronunciatum est, quomodo tradebat dominus gentem hanc corruentem ante hostes suos? Quo modo per viam vnam egrediebatur contra eos, & per septem fugiebat? (Nonne ideò, quia deus suus vendidit eos, & dominus cōclusit illos? Non enim est Deus noster, vt dij eorum, & inimici nostri sunt iudices.) Quid enim? Nunquid vt ipsi putant, deus Abrahā, deus Isaac, deus Iacob, deus eorum est? Non vtique, nam ipsi ex eis vel præcipui sunt, quorum deus venter est, & gloria in confusione, vel puden-

Psal. 103. *Ioan. 9.* *Esa. 10.* *Rom. 9.* *Rom. 11.* *Psal. 58.* *Esa. 28.* *Philip. 3.*

Exo. 32. vel pudendis eorum. Quantoscunq; deos coluerunt, nimirum propter hunc Deum maximum deorum suorum, id est, propter ventrē suum & propter pudenda sua coluerunt, scilicet, vt sederent manducare & bibere, & deinde surgerent ludere, lusum turpem, lusum ignominiæ. Ergo vēter suꝰ deus suus est, qui multos deos adorandi causa illis est. Et hic Deus suus vendidit eos, hic (inquam) deus suus, pretio scortatiōum & libidinum distraxit illos, quia videlicet ipsi, vt illum deum suum, ventrem suum saturarent, vt per ea quæ sub ventre sunt libidinibus fluerent, semetipsos *Esaie 1.* tradiderūt, vitam suam prodiderunt, animas suas perdiderunt. Vndè & per Prophetam appellantur manifestè principes Sodomorum, & populus Gomorrhę. Ita venditos dominꝰ conclusit illos, conclusit (inquam) primum cæcitate ac furore mentis, vt palparent in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris: & cum esset vita ipsorum pendens ante oculos eorum, non crederent eidem vitæ suæ, deinde conclusit illos & hostili exercitu, vbi persequebatur vnus mille, & duo fugarunt decem milia. Nónne hæc igitur passi sunt, quia talis (vt iam dictum est) deus suus vendidit eos, & dominus vltor conclusit illos? Non enim est deus noster, vt dij eorum, nō (inquā) qualis deus noster, tales dij eorum. Hoc tam liberè profitemur, vt non commune totius orbis subterfugiamus auditorium, vt sententiam non vereamur qualiumcunque hominum ratione vtentium. Inimici quoque nostri sunt iudices, verbi gratia: Platonici, siue Pythagorici, vel quicunque philosophi gentiles, cum adhuc inimici nostri sunt, cum nōdum fidem Christi susceperunt, ipsi sunt iudices. Ecce hic in conspectu omnium proponātur, hinc deus noster, & inde deus eorum, hinc (inquam) Deus noster, & crux eius: inde satellites dei eorum, ventris eorum, Beelphegor, id est, Priapus, obscænoque ruber proiectus ab inguine palus. Sint inter hæc iudices nostri inimici, iudicent inimici nostri, quid pulchrius, quid honestius sit, vtrum pietatem crucifixi Christi, an tentiginem vel turpitudinem adorare Priapi. Dicite nunc iudices, inimici quidem nostri, sed iudicandi scientiam habentes, quid pulchrius in æstimatione vestra, crucem adorare, an adulteria: crucem (inquam) iniustè homini iusto compactam, an fornicationes & stupra? Quid respondeant, imò quid responderint, quid iudicauerint inimici nostri, iam totus orbis audiuit, quia videlicet stupris damnatis, pia colla summisere cruci, damnatis concupiscentijs ventris, & eorum quæ sub ventre sunt, prædicauerunt gloriam Christi. Verum isti nondum sapiunt, nondum intelligunt. Quare? (De vinea Sodomorum vinum eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.) Idcirco obscurati sunt oculi eorum, ne videant, idcirco cæcati sunt, vt non sapiant, nec intelligant, neque nouissima prouideant, quia de vinea Sodomorum, vinum eorum, & de suburbanis Gomorrhæ, id est, quia viuunt Sodomiticè. (Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.) Per vineam, radices cogitationum nequam, & per vuam & botrum operum nequitiam, & vinum colloquia mala, prauamque blasphemantium doctrinam intellige. Profectò quisquis operibus eorum malignis communicauerit, æterna amaritudine torquebitur, idcirco dixit, vua fellis, & botrus amarissimus. Et quisquis fabulas vel susurrationes eorum accepit, sopietur sempiterna mort s ebrietate, idcirco dixit, Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. (Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?) Videlicet quia hæc nulla pœnitentia deleuit, quia non baptismus Christi, quo solo peccata remittuntur, hæc absorbuit, idcirco recondita manent apud me, & signata sunt in thesauris meis, reddenda in pondere & mensura iræ, quam thesaurizauerunt sibi. (Mea est vltio, *Ezec. 12.* & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.) Mea est (inquam) vltio, meum est iudicium, & ego retribuam eis videlicet vnicuique secundum opera sua, in tempore, in die iræ, vt labatur pes eorum, vt cadant in opprobrium sempiternum, vt deducantur in puteum interitus, vt vsque ad inferni nouissima deuoluantur. Dicis: In tempora longa fiet istud. Ego autem dico: (Iuxtà *Psalm. 89.* est dies perditionis, & adesse festinant tempora.) Iuxta est dies, & si mille anni interint. Nam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præterijt. Sed esto vt millenaria, imò decies aut centies millenaria, speretur ante illum diem fore seculi prolixitas. Nunquid non singulariter vnicuique peccatori iuxta est dies perditionis? Denique anni nostri (vt ait Psalmista) sicut aranea medi- *Ibidem.* tabuntur: dies annorum nostrorum, subauditur, clauduntur in ipsis septuaginta annis. Si autem in potentatibus, si sunt qui in fortitudine & sospitate naturæ diutius viuant, quidam enim fortioris & salubrioris sunt naturæ, quàm alij, si (inquam) in potentatibus, id est, in his qui salubrioris naturæ sunt, octoginta sint anni, amplius eorum spacium longius his octoginta annis, iam non vita, sed potius labor & dolor est. Igitur vel sic iuxta est dies perditionis vt adesse festinant tempora. Fugaces quippe labuntur anni, diesque die truditur. Hactenus contra gentem sine consilio & sine prudentia, pro parte illorum, qui excæcati sunt: nunc ad eas reliquias sermo dirigitur consolatorius, quę seruandæ sunt. (Iudicabit dominus populū suū, & in seruis suis miserebitur.) Hęc duo clarissima sedis domini ministeria sunt, misericordia scilicet, & iudicium, de quibus tota pē detratio vel materia laudis diuinæ. Psalmista

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.84. quoque dicente: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Nihil enim est in verbis & operibus fidelis & iusti domini, quod non aut misericordiæ sit, aut iudicij, aut vtriusq; concurretis, vt ait idem qui supra, misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Igitur iudicabit dominus populum suum, subauditur, secundum ea quæ hactenus dicta sunt, quia videt eos prouocantes, & in abominationibus suis ad iracundiam concitantes, vidit (inquã) & ad iracundiam concitatus est. Porrò in seruis suis miserebitur. i. in reliquijs, quas alio modo se habentes intuebitur. (Videbit quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, reliduiq; consumpti sunt. Videbit (inquam) quod manus illa infirmata sit, & infirmitatem suam agnouerit, quæ hactenus sana sibi videbatur & fortis, ita vt præ infirmitatis vi insaniens, vt phrænetica medicum percuteret verum, quemadmodum dicit in psa.

Psal. 58. Et irruerunt in me fortes. Sic enim infirmi, & veræ iustitiæ virtutem non habentes, ex operibus legis gloriabantur, vndè apud deũ nullus iustificabitur, vt starẽt aduersus Christum eius dicẽdo: Disrumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.

Psal.2. Manum talem, fortitudinem eiusmodi, videbit quod infirmata sit manus, quod humiliata sit, quod iustificationem suspiret, quæ est ex fide, nõ ex operibus legis. Et hoc videbit, quod clausi quoq;, clausi (inquam) quos (vt supra dictum est) dominus conclusit, defecerunt. i. nullam vlterius in semetipsis fiduciã habebunt, residuiq;, inquam, id est, qui ex Israel reliqui sunt, consumpti sunt, in eo videlicet, quod nihil se esse cognoscunt, quod ad nihilum se redactos esse cõfitentes, restauratoris & liberatoris opem poscunt. (Et dicent vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum. Surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Videte quod ego sim solus, & non est alius deus præter me.) Adeò infirmitati sunt, adeò defecerunt, & consumpti sunt, vt dicant, imò iam non ipsi loquantur, quia defecerunt & consumpti sunt, sed loquatur in eis dominus, dicat in eis domini spiritus. Vbi sunt dij eorum, in quibus habebãt fiduciam, subauditur, qui fortes fuerunt, qui non defecerunt, neq; consumpti, id est, per pœnitentiã alterati sunt. Vbi (inquam) sunt dij eorum? Subaud. nusquam sunt, nusquam assunt, qa videlicet non dij, sed dæmonia sunt. Vos igitur reliquiæ Israel, videte quòd ego sim solus, ego (inquam) solus sim, quemadmodum dixi, de medio rubi loquens: Ego sum qui sum, quod videlicet & dixi tunc, dico & nũc,

CAPVT XXXII. ad distantiam omnium quæ non verè & simpliciter sunt, quia mutabilia sunt, maximè autem ad distinctionem vel diuisionem deorum omnium qui non sunt, qui & si dicãtur dij, sunt enim qui dicantur dij multi, & domini multi, tamen dij aut domini non sunt. Ego autem adeò sum, vt nec morte interueniente esse desinerim, nam & si mortuus sum ex infirmitate carnis, sed viuo ex virtute dei, id est, eo quod virtus Dei sim. Hoc videte, & quod non sit alius præter me. Nam alia quidem persona pater, alia persona filij, alia persona spiritus sanctus: sed nõ alius deus pater, alius deus filius, alius deus spiritus sanctus est. (Ego occidam & viuere faciam, percutiã & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.) Hoc quoq; videte, hoc ab effectibus præsentibus comprobatum scitote. Nam ego gentilem quondam populum occidi, id est, idololatriæ deditum, præter me deos alienos colentem damnaui, & nunc idem ego per spiritum sanctum viuere feci. Itemque ego populum meum, populum Iudaicũ, prouocantem & irritantem me, cęcitate percussi, & ecce ipse reliquias ex ipsis sanaui. Et non est qui de manu mea possit eruere, subauditur, eum qui in manus meas horrendas inciderit per imperium superbiæ. Nõ, inquã, est qui de manu mea possit eruere, propheta Ezech.14. quoque dicente: Si fuerint tres viri iusti in medio eorum, Noe, Daniel, & Iob, viuo ego dicit dominus, ipsi in iustitia sua animas suas liberabunt, filios autem & filias non liberabunt. Quis enim ipsam manum saltem possit attingere? (Leuabo ad cęlum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum.) Quis igitur de manu mea possit eruere, de manu altissima, tam altè in cælũ subleuata, vt nemo possit attingere? Manus mea quæ omnia fecit, q Ioan.26. cælũ extendit, terramq; fundauit, & maria effudit, in ipsa infirmitate sua, dũ carne induta, quasi obligata videretur, tunc quoq; percussit superbũ, & obstetricantẽ illa, eductus est coluber tortuosus. Quanto magis postquã leuaui illã ad cælũ, & dixi, viuo ego in æternũ, Rom.6. quẽadmodũ testatur & ille qui dixit: Christus resurgens ex mortuis, iã non moritur, mors illi vltra non dominabitur, quanto magis (inquam) extunc nemo est qui de hac manu mea posset eruere? (Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.) (Quænam est Ioan.5. manus mea, quæ iudicium arripiat, nisi filius qui dicit: Pater non iudicat quenquã, sed iudicium omne dedit filio. Et quis gladius eius? Matth.25. nisi bonorum malorumq; diuisio, qui videlicet in dextram finistramq; diuisi insociabiliter separabuntur. Porrò fulgur ad breue quidem lucet, sed percutit irrecuperabiliter. Si igitur acuero vt fulgur gladium meum. i. si (quod sine dubio futurum est) in breui quidem, sed palam omnibus in dextram & finistram diuisiones fecero bonorum & malorũ, & ita iudicium arripuerit manus mea, sicut iam dixi, non erit qui eruat, sed reddam vltionem hostibus meis, scilicet gehennam ignis inextinguibilis, & ibi vicissitudinem condignam his qui oderunt me retribuam. (Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.) Sagittę meæ vniuersæ sunt iudicij sententię, senario illic numero designatæ. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare: sitiui & non dedistis mihi bibere: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & non visitastis me: in carcere, & non venistis ad me. Huiusmodi sagittas meas ego inebriabo sanguine, ita vt omnes expendantur cũ effectu vindictæ. Et gladius meus deuorabit carnes, nõ quod ipsam carnis substantiam exterminet, sed quod æternaliter puniat carnalium amatores, vitia carnis consectantes, ganeones, helluones, nebulones, tam malignos spiritus, quam immundos homines, quorum quia cõmunis est nequitia, pœna quoque par est, iuxta illud: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Nam hoc est quod sequitur. De cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.) Inebriabo sagittas meas de sanguine occisorum, id est, de damnatiõe impiorum hominum, & de captiuitate inimicorum capitis, scilicet diaboli, qui caput & princeps est inimicorum; capitis (inquam) nudati id est, manifestati: cunctis enim manifestabitur, cunctis vidẽtibus præcipitabitur. Finem cantici pariter audiamus omnes. (Laudate gẽtes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vleiscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.) Laudate gentes populum eius. Lætamini gentes cum plebe eius, beatum dicite gentes populum, cuius dominus deus eius, quia non peribit patientia populi, vel seruorum eius, sanguinem enim seruorum suorum vleiscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, dicendo: Discedite à me, in ignem æternum maledicti, & propitius erit terræ populi sui, dicendo: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mũdi. Sic hodie laudamus nos gentes, hæc enim nostra confessio est, quia manus domini, quæ ad cælum leuata est, filius Dei, qui post resurrectionem suam in cælum assumptus est, fulgurans iudicium arripiet, in quo, & de impijs persecutoribus sanguinem seruorum suorum vleiscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, scilicet diabolum & angelos eius: populo autem suo, seruis suis terram propitius reddet, de qua primum hominem propter peccatum expulit: imò solidităte angelicæ beatitudinis, in quã transferendus erat homo, non interueniente morte corporis, si non intercessisset præuaricatio peccatoris. Ecce qualem vsq; ad finem verba carminis Moysis compleuit, scilicet vsq; ad vltimum iudicium, in quo omnium finis erit.

De eo quod benedixit filios Israel iste Moyses legislator, & tamen futuro tempore Psalm dixerit. Etenim

benedictionem dabit legislator, quid oporteat intelligi de Christo.

CAPVT VIII.

HAec est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei, filijs Israel ante mortem suam, & ait: Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum milia. In dextra eius ignea lex. Dilexit populos.) Moyses inquit: Moyses, inquam, legislator, benedictiõe hac filijs Israel benedixit ante mortem suã. Porrò propheta dicit: Etenim benedictionem da- Psal.83.
bit legislator, ibũt de virtute in virtutem, videbitur deus deorum in Syon. Quid ad hæc dicemus? Nempè de isto legislatore scriptura dicit, quia benedixit: de alio legislatore Propheta dicit: quia benedictionem dabit. Cùm legisset benedictionem præteriti huius legislatoris, futuri huius legislatoris benedictionem prophetauit. Quid ergo dicemus, nisi legislatoris huius benedictionem, de illis esse seminibus, de quibus ille alius legislator in euangelio dicit, quia alius est, qui seminat, & Ioan.4.
alius est qui metit: ego vos misi metere, quod non seminastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis? Denique & hic Moyses, & cæteri seminatores agri pleni, laborando in agro domini, & seminando verbum Dei, spem ponere potuerunt futuræ benedictionis: solus autem ille legislator alius eandem benedictionem dando, suos operarios Matt. vlt.
ad mittendum in labores eorum mittere potuit. Et hic quidem ante mortem filios Israel benedixit, ille autem in ipsa morte sua benedictionem omnibus gentibus acquisiuit, de qua postmodum dicit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

Quid sit tam secundum literam, quàm secundum sensum spiritualem: Dominus de Sina venit, & de Seyr ortus est nobis, &c.

CAPVT IX.

DOminus de Sina venit, & de Seyr ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan.) Iuxta sententiam literalem, nobis (inquit) dominus de Sina venit, & de Seyr ortus est nobis, & de monte Pharan apparuit, quia videlicet nobis Iudæis, nobis populo Israel carnali, de his locis per ea quæ in his dicta vel acta sunt locis dominus deus innotuit, vt rectè cantaretur: Notus in Iudæa deus, in Israel Psal.75.
magnum nomen eius. Nam in Sina legem dedit, & montem Seyr circumeuntibus, in deserto Pharan consistentibus mirabilia sua ostendit, iram suam & misericordiam suam notam fecit.

Porrò iuxta sensum spiritualem, nobis gentibus saluator noster Iesus Christus Dei Heb.4.
filius, de Sina, quod interpretatur tentatio: de Sina inquam, id est, de tentationibus suis venit: tentatus enim per omnia pro similitudi-

nę absque peccato, relictis tentatoribus suis Iudæis, post tentationem mortis, coronatus gloria & honore resurrectionis, ad nos gentes commigrauit. Et de Seyr ortus est nobis. Seyr pilosus interpretatur, vel hispidus, quo itidem nomine rectè Iudæi peccatis suis hispidi denotantur. Ergo de Seyr ortus est nobis, quia secundum carnem de Iudæis ortus est, sic ad nos gentes transijt, quomodo ad Iacob iuniorem translata sunt per supplãtationem primogenita fratris eius Esau. Apparuit & nobis de monte Pharan, quod interpretatur onager, siue ferocitas eorum. Onager ferox atq; stultus, id est, populus Iudaicus, de quo & illud in Iob rectè dictum intelligitur, Vir vanus in superbiã erigitur, & quasi pullum onagri liberum se natũ putat. Ergo quia pullus ille iustitiam suam statuere volens, iustitiæ Dei noluit esse subiectus, & propter hoc ab illis sese abscondens dominus, gentibus se ostendit, Dei iustitiam esurientibus, rectè dicamus, quia apparuit nobis de monte Pharan, & cum eo sanctorum milia. Cum illo namq; de Iudæis incarnato, & ab eisdem tentatione mortis tentato: cum eo inquã, nobis venerunt, nobis apparuerunt sanctorum milia, id est, omnes sancti, quib. repromissus est, à quibus expectatus & prophetatus est, per illum nobiscum propter eandem fidem, & nos cum illis vna facti sumus ecclesia.

Gen. 27.

Iob. 11.

In dextera illius ignea lex, quid sit mystice.

CAPVT X.

IN dextera illi⁹ ignea lex, dilexit populos. Omnes sancti in manu illius sunt. Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Legem præcepit nobis Moyses hæreditatem multitudinis Iacob. Erit apud rectissimum rex.) Ignea lex in dextera illius, ardentissima charitas est, in fortissimis operibus illius, qua dilexit populos: non, inquam, vnum Iudaicum populum, sed omnes populos. Hæc illud effecit, vt de Sina veniret nobis, vt de Seyr oriretur nobis, vt de monte Pharan appareret nobis: in similitudine illius temporis, quo apparuit Moysi in flamma ignis, de medio rubi, & liberauit populũ suũ de manu Aegyptiorum in manu forti. Sic enim cum ignea lege dextræ suæ, cum ardentissima charitate omnipotentię suæ, apparuit nobis, vt liberaret nos de manu Pharaonis & Aegyptiorum, id est, diaboli, & angelorum eius spirituum malignorum, in manu forti, quia ipsum diabolum vicit, atriumq; eiusdẽ fortis fortior ipse debellauit, & cœpit. Omnes sancti in manu illius sunt, id est, hoc ipso quod sancti sunt, opus manus illius sunt. Nec enim sua virtute sancti, sed gratia illius sanctificati sunt, quippe qui ex vno peccatore omnes peccatores nati sunt, & non nisi per vnum qui solus sine peccato est iustus, iustificari potuerunt. Talis venit, talis dominus ortus est, & apparuit nobis. Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius, id est, qui recipiunt fidem aduentus eius, intelligunt spiritualiter spiritualem legem illius. Nec enim aliter quàm per Christi fidem profunda scripturarum intelliguntur. Vndè vsque hodie superbi Iudæi, quia pedibus illius non appropinquant, id est, humilitatis eius aduentum susscipere dedignantur, scripturas non intelligunt, & velamen positum est super cor eorum, quod in Christo reuelatur. Cum ergo per prophetã dicit dominus: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiã, consequenter adiũgendum est, propterea non habet scientiam, quia pedibus illius appropinquare, id est, humilitatis eius aduẽtum susscipere dedignatus est. Quid tandem Moyses? Non vtiq; ipse est, qui scientiam aut doctrinam det, legem tantum præcepit, hæreditatem multitudinis Iacob: præcepit inquam, legem, non apparuit, præcepit hæreditatem sperare, non etiam funiculos hæreditatis eiusdem multitudini Iacob distribuit. Ille autem erit apud rectissimum rex. Ille inquam, scilicet dominus, sedebit à dextris domini rectissimi rex. Apud illum sedebit homo factus, rex in æternum, apud quem erat in principio Deus verbũ. Nõ tanquam famulus, aut præco legem præcipiet nobis, sed tanquam rex ascendẽs in altum, captiuam ducens captiuitatem, dona hominibus gratiæ dabit.

Exo. 5.

Rom. 5.

2. Cor. 3.

CAPVT XXXIII. Esaiæ 5.

Psal. 67.

De benedictione Ruben, quod illi assimilentur, qui de hæresi ad catholicam ecclesiam reuertantur.

CAPVT XI.

CONgregatis principibus populi, cum tribubus Israel, ait: Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero.) Quare sit paruus in numero? Videlicet, quia ascẽdit cubile patris sui, & maculauit stratum eius. Nã pro causa hac, effusus es (inquit pater eius Iacob) sicut aqua, non crescas. Viuat tamen, & non moriatur, vt hac contentus sit venia, factus indignus primogeniti gloria. Spiritualiter qui ascẽdit cubile patris, & maculauit stratum eius, videlicet hæreticus qui ecclesiã corrupit sponsam Christi, adulterando verbum Dei, si ad patris gratiam redierit, viuat, & nõ moriatur: sit tamen paruus in numero, id est, non multiplicetur ecclesiasticis honoribus, sed laica sit communione contentus.

De benedictione Iudæ, & quid in isto mystice post intelligatur.

CAPVT XII.

HAec est benedictio Iudę: Audi domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum. Manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius cõtra aduersarios eius erit.) In Iuda rex, & confessionis nostræ princeps, saluator noster Iesus Christus Dei filius benedicitur eodem spiritu, eodemque affectu, quo & propheta orando, sic precatur: exaudiat te dominus in die tribulationis, protegat te

Psal. 16.

gat te nomen Dei Iacob. Et reliqua. Eodem (inquam) affectu, nũc eadem intentione prophetici spiritus iste loquitur: Audi domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum. Vocem Iudæ, vocem eius qui ex Iuda ortus est, qua orauit patrem, vt ad populum suum introduceretur, nos omnes euangelicę gratiæ filij audiuimus, maximè vbi mox passurus ita loquitur. Pater venit hora, clarifica filium tuũ, vt filius tuus clarificet te. Et subinde. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Ac deinceps: Nõ pro his autem rogo tantùm, sed & pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt sint vnum sicut & nos vnũ sumus. Hæc enim vox Christi filij Dei, secundum carnem de Iuda exorti, vox Iudę est orãtis se ad populũ suũ introduci, videlicet oẽs populares sui, oẽs fideles sui, vnũ per eundẽ spiritũ velut mẽbra multa: vnum (inquam) corpus sint, ipse autem caput ipsorum sit. Hæc vox eius passim in scripturis auditur, maximè in psalmis, vbi in spiritu eius propheta loquitur: Domine deus salutis meæ in die clamaui, & nocte coram te. Domine exaudi oratiõem meam, & clamor meus ad te veniat. Igitur audi inquit domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum, id est, exaudi Christum tuum quẽ de Iuda speramus nasciturum, & à mortuis suscita illum, atque principem ac saluatorem exalta eum, ad dandam pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Sed nunquid ille infirmus est, & seipsum adiuuare non potest? Imò manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius cõtra aduersarios eius erit. Ad vos, ô adiutores, apostrophen feci, ne putetis hãc orationem esse dubitantis, sed festinantis animi, atque tripudiantis esse desiderij. Nam ille deus est, deus & homo erit. Ex eo quod deus est, manus eius pugnabunt pro eo, id est, in ipso sua fortitudo erit, vt soluat dolores inferi, iuxta quod impossibile erit teneri illũ ab eo. Ex eo autem quod homo erit adiutor eius contra aduersarios eius erit, id est, adiutorio cuncta peraget diuinitatis corporaliter in se habitantis. Hęc est (inquit) Iudę benedictio insigni demonstratione, quę dicturus erat, pro Iuda prætitulauit, quia in cęterarum tribuum benedictionibus, nusquam vsus est, quia videlicet quod de Iuda sperabatur, singulare bonum est, & de cæteris tribubus nulla erat eiusmodi spes.

Ioan. 7.

Psal. 87.

Psalm. 101.

De benedictione Leui, et vndè benedictionem meruit, & quomodò illum imitentur sacerdotes euangelici.

CAPVT XIII.

LEui quoq; ait: Perfectio tua & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tẽtatione, & iudicasti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel. Ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.) In Leui præsentis eo tempore Phynees sacerdotis dignitas benedicitur, qui in initiatione Beelphegor arrepto pugione ingressus post virum Israelitem in lupanar, amboscq; perfodiens, virum scilicet & mulierẽ, cessare fecit plagam à filijs Israel, dicente domino ad Moysen. Phynees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est cõtra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum. De hoc ipso, & propter hoc ipsum, item in propheta dominus dicit: Pactum meum fuit cũ Leui vitæ & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. In pace, inquit, & æquitate ambulauit mecum, subauditur sicut ambulauit Enoch, qui translatus est ad dominũ, & nõ inueniebatur. Traduntur enim Hebræi, q⁹ Phynees ipse sit Helias. Quod si ita est, maximè placet, quia nobiscum facit, ne ignoremus quomodo cũ illo pactum pepigerit deus sacerdotij sempiterni, cum sacerdotium legale, quo functus est Phynees, sempiternum non fuerit. Nam cum venerit circa finem seculi, profectò in ecclesia Christi, cuius sacerdotium sempiternum est, honore sacerdotij non carebit.

Act. 2.

Igitur perfectio tua ô deus, inquit, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, videlicet secundum Phynees qui est ex Leui, & iudicasti ad aquas contradictionis, videlicet secundum me & Aaron, quibus iratus es ad aquas contradictionis, & dixisti: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Quæ est illa perfectio? Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, & cætera, vt suprà. Hanc perfectionem tũc Leui carnaliter quidem, sed pro tempore dignè & laudabiliter arripuit, quando propter vitulum conflatilem irato Moyse, ac dicente: Si quis est domini iungatur mihi, congregati sunt ad eum omnes filij Leui, illoq; protinus dicente, Hæc dicit dominus: Ponat vir gladium super fœmur suum, & occidat vnusquisque fratrem, et amicum suum, et proximum suũ,

Num. 20.

Num. 15.

Mala. 2.

Gen. 5.

Exo. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecerunt filij Leui iuxta ſermonem Moyſi. Conſecraſtis manus veſtras hodie domino, vnuſquiſq; in filio & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio. Hi, inquit, cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum, ſeruauerunt iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Iſrael. Et quia ſuas illic manus conſecrauerunt: ponét(ait) thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum, id eſt, ſacerdotes tui erunt, & in tempore iracundie ſtabunt ad reconciliandum. Verùm euangelico viro hoc vel maximè loco viuificans ſpiritus ſequendus eſt. Vbi enim litera magis occidit? Igitur ille qui gladium illum arripuerit, de quo dominus legis, legem adimplés in euangelio dicit: Nolite arbitrari, quia venerim pacé mittere ſuper terram, non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiá aduerſus matrem ſuã, & nurũ aduerſus ſocrum ſuã, & inimici hominis domeſtici eius, qui amat patrẽ ac matrẽ plus quàm me, non eſt me dignus: qui amat filiũ aut filiam plus me, non eſt me dignus. Qui inquam, gladiũ illum arripiunt, gladium verbi Dei, qui perfectio & doctrina domini eſt, & hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Iſrael, atque idcirco quia perfecti ſunt, idcirco Deus pro imperfectis popularibus tuis ponẽt thymiama orationum, ſiue holocauſta interceſsionum, quia videlicet pro peccatis hominum intercedere digni & idonei ſunt. Iſte gladius verbi Dei, in manu vel ſuper fœmur Apoſtolorum & euangeliſtarum vera fortitudo eſt, cui protinus ita benedicitur. (Benedic domine fortitudini eius & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorũ eius, & qui oderunt eum non conſurgant.

Matt. 10.

De benedictione Beniamin, cur iſtum ponat poſt Iudam & Leui, et quòd maximè in Paulo Apoſtolo hæc eius benedictio completa ſit.

CAPVT XIIII.

ET Beniamin ait: Amantiſsimus domini habitabit confidenter in eo quaſi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros illius requieſcet.) Non caſu atque fortuitu contingit, vt poſt Iudam Leui, ac deinde prædicet ac beatificet Beniamin, neglecto ordine natiuitatis, ſed ſpirituali oculo cauſas habet præſentes, quas ſcripturarũ auditor, certius quàm digitos aut vngues ſuos cognoſcere poſsit. Certum quippe eſt, quia ſciſſo regno Iſrael à domo Dauid, propter peccatum Salomonis, & ſuper Iudam & Beniamin, & ſuper ſacerdotium Leuiticumque templi miniſterium, lucerna remanſit ipſi Dauid. Igitur recte ſpiritu prophetali præeunte primũ tribum Iuda regiam, deinde ſacerdotalem ſiue Leuiticam, ac deinceps tribum Beniamin benedicendo deſignat, vtriq; loco habitationis, regnique Dauidici vnione coniungendam. Amantiſsimus, inquit, domini habitabit confidenter. Ac ſi dicat: Multum à domino ſe diligi non ingrato animo Beniamin exiſtimet, in eo quod vitulis Samariæ, ſiue vitulorum ſacerdotibus, cæterarum tribuum animas deprædantibus, ipſe habitabit confidenter alijsque tribubus adorantibus quod neſcient, ipſe cum Iuda & cum Leui adorabit quod ſciet. In eo quaſi in thalamo tota die morabitur, in eo inquam, id eſt, in cultu eius, in lege eius, vbi quaſi in thalamo anima legitimo viro ſuo Deo copulatur, tota die morabitur, & inter humeros illius, id eſt, inter fortiſsimas tribus regiam & ſacerdotalem requieſcet, vt nõ eum vanus error laboris fatiget. Verùm altius adhuc reſpicientibus, amantiſsimum domini Paulum de tribu Beniamin præterire non licet, neque arbitrandum eſt, quod prophetarum maximus Moyſes, qui præſcire meruerit, quicquid bonæ ſpei de ſingulis tribubus expectandum foret, tale tantumque Beniamineæ ſtirpis bonum nõ præuiderit, aut preuidens oraculo vocis ſuæ celebrare dedignatus ſit. Igitur amantiſsimus domini Beniamin, id eſt, Saulus, qui & Paulus de tribu Beniamin, magno pietatis miraculo de perſecutore domini factus amantiſsimus domini, habitabit confidenter, magis ac magis conualeſcens, & inimicos domini confundens, in eo quaſi in thalamo tota die morabitur, id eſt, in gratia eius omni tẽpore gloriabitur, & inter duos humeros illi⁹, inter duo teſtamẽta illius requieſcet, paſcetur, ac multitudine reuelationũ clarificabitur, ita planè quẽ admodũ in Iuda rex & dominus Ieſus Chriſtus, ſic & Beniamin amantiſsimus eius, vas electionis eius, ſacrarium gratiæ eius, dignè prophetico ſpiritu celebretur.

CAPVT XXXIII.

Act. 9.

2. Reg. 12.

De benedictione Ioſeph, quod Iuda, & in iſto Chriſtus Dei filius benedicitur.

CAPVT XV.

IOſeph quoque ait: De benedictione domini terra eius, de pomis cæli & rore, atq; abyſſo ſubiacente, de pomis fructuum ſolis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius.) Si ad literã ſpectes, cur poſt Iudam, Leui, & Beniamin, ponatur Ioſeph, qui ſecundum tempus & ordinem natiuitatis duodecim filiorum Iſrael penultimus eſt, illa cauſa eſt, quia regni Hieroboam, qui à domo Dauid abſcidit decem tribus Iſrael, principium fuit tribus Effraim filij Ioſeph, & grandi quidem affectu benedictionis aceruus congeritur, propter merita Ioſeph, ſed ſecundum literam, quicquid benedictio præſens reſonat, non valdè magnum eſt cum pomis cæli & rore, id eſt, omni vbertate aeris rorantis, bona

bona & ſalubri temperie, atque abyſsi ſub iacentis, fructibus quoque ſolis & lunæ, naturaliter autem (vt phyſici perhibent) ex luna crementum, ex ſole autem maturitatem fructus terræ capiunt, cũ, inquam, pomis vel frugibus terræ omnibus, malis æquè vt bonis, interdum quoq; malus magis quã bonus abundet. Porrò iuxta ſenſum altiorem ac prophetico ſpiritu dignum, ipſe in Ioſeph, qui & Iuda benedicitur, quia videlicet qui ex Iuda ſecundum carnem natus, ipſe eſt Ioſeph Chriſtus dei filius, toto vitæ eius ordine eſt præfiguratus. Ait ergo: De benedictione domini terra eius, &c. Benedictio hæc ſeptenaria diſtinctione ſubdiuiſa eſt. Prima, de benedictione Domini terra eius. Secunda, de pomis cæli & ore, atq; abyſſo ſubiacẽte. Tertia, de pomis fructuum ſolis ac lunæ. Quarta, de vertice antiquorum montiũ. Quinta de pomis collium æternorũ. Sexta, de frugibus terræ. Septima, de plenitudine eius. Quid hac benedictione ſeptenaria, niſi Chriſto dei filio, cuius ille filius accreſcens typũ geſſerat, cuncta perfecta, cuncta præoptantur vel prædicantur proſpera? Nam de benedictione domini terra eius, ſubaudiendum eſt fundabitur vel creabitur, terra, inquam, eius, id eſt, terrenum de terrena materia corpus eius, non de virili ſemine, ſed de domini benedictione: non de mortali opere ſed de ſancti ſpiritus operatione cõcipietur, formabitur, & patietur. De pomis cæli & rore, & abyſſo ſubiacente, ſubaudietur concipitur, & germinabitur: de pomis, inquam, cæli rorantis, & abyſſo ſubiacente. i. de cæleſtibus & angelicis alloquijs, & virgineę carnis humore, iuxta aliam prophetiam dicentem: Rorate cæli deſuper, & nubes cæli pluant iuſtum, aperiatur terra & germinet ſaluatorẽ. Roraverunt enim cæli pomiferi, quando de cælis miſſus Gabriel angelus. Eccè (inquit) concipies & paries filiũ, &c. Subiacens autẽ byſſus, poma cæli, id eſt, verba fidelia ſuſcepit angeli, cùm virgo fidelis ſubiectũ & credulum pandens auditum. Eccè (inquit) ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbũ tuũ. De pomis (inquit) fructuum ſolis ac lunæ, id eſt, de veritate vel operatione vtriuſq;, diuinæ ſcilicet, pariter & humanæ naturæ. Nam iſte benedictionis filius non de ſole tantum, neq; de luna ſola. i. nõ enim ex diuina tantũ, neque de ſola humana, ſed de vtraque Deus & homo vnus idemq; conſiſtit natura. Et de ſole quidem. i. de natura diuina immutabilis atq; impoſsibilis erat. De luna verò, id eſt, de humana natura varietatibus noſtris poſsibiliter ſubiacebat. De vertice antiquorum mõtium, & de pomis colliũ æternorum, ſubauditur inſignis & inclytus incedat. Montes quippe antiq patriarchæ ſancti: colles æterni prophetæ ſunt, ſtabilis & permanentis teſtimonij. De carne illorum natus, de ſcripturis horum teſtimonium habet iſte accreſcẽs filius. Igitur de vertice antiquorum montiũ de pomis collium æternorum. i. de fideli ſemine prophetarum, de fideli veniat nobis ſermone patriarcharum. De frugibus terre, ſubaudis ditetur atq; amplificetur magnificè. i. de multis atq; innumerabilib. filijs toto orbe diffuſæ eccleſiæ, natę atque germinantis, de ſacroſancta eius paſsione Et de plenitudine eius, id eſt, de glorioſa & cæleſti illa patria, vbi terra eadem plenitudine, atq; felicitate reſurrectionis innouata, bonis eius imple bitur, bonorũ omnium abundantia, tam ſecundum corpus quam ſecundum animam in aſpectu eius perfruetur. Ad ſummum, inquit. (Benedictio eius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazaræi eius inter fratres ſuos.) Quod eſt dicere: Quæ tunc benedictio prefigurata eſt, quando ille omnis benedictionis opifex apparuit in rubo, vt populum ſuum liberaret & educeret de Aegypto, illa perficiatur in capite Chriſti filij dei qui nobis Ioſeph, nobis inquam filius accreſcens venturus eſt, in capite inquam, & in vertice illius Ioſeph, in maieſtate & altiſsima diuinitate Nazaræi, inter fratres ſuos, id eſt, ſancti inter omnes, & ſuper omnes homines ſanctos. Veniat ſuper caput eius, dum concipitur: veniat ſuper verticem eius, cùm iam iuuenis baptizatur. Nec partim, ſed tota plenitudine veniat ſuper caput, vel ſuper verticem eius, vniuerſus gratia & benedictionis fluuius, quæ profectò non alia eſt quam gratia ſeptiformis ſpiritus. Veniat ignis quidem, ſed rubum illuminans, non comburens, id eſt, cùm ſit fortiſsimus ſpirituum Deus, fragilem virginei ventris ſubſtantiam non diſſoluens, matrem quidem efficiens, ſed virginem incorruptã cuſtodiens. Talis veniens benedictio de medio Rubi, liberet nos de manu Pharaonis, & de luto Aegypti, id eſt, natus de virgine, liberet nos de manu diaboli, & ſeruitute peccati. (Quaſi primogenita tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocertis, cornua eius.) Libet & ſecundum rem geſtam intueri, quam rectè ille Ioſeph filius Iſrael, rectè & Nazaræus inter fratres ſuos, & quaſi tauri fuiſſe primogenitus pulcherrimus, & cornua velut Rhinocerotis, pro ſimilitudine habuiſſe dicatur. Videlicet Nazaræus ex lege comam nutrire iubetur. At ille longa carceris clauſura, comam nutrierat, quouſque ad imperium Pharaonis de carcere eductus, tonſus & ſtola indutus eſt byſsina. Pro qua cauſa? Videlicet pro magna innocentia, pro laudabili iuſtitia, quia ne conuentus & prouocatus à concupiſcente domina, nequaquam operi nefario acquieuerat. Rectè igitur rei vel cauſæ merabili applaudendo, & capiti comato alludendo, dixit & patriarcha IACOB: Fiant (ſubauditur benedictiones iſtæ) in capite IOSEPH, & in vertice Nazaræi,

Eſa. 45.
Luca 1.

Exod. 3.

Num. 15.

Num. 6.
Gen. 41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 49. inter fratres suos, dicit & iste legislator: Veniat benedictio super caput Ioseph & super verticem Nazaræi inter fratres suos. Cõstat verò, quia propter pulchram faciem, decorumq; aspectum à domina sua adamatus est: Ergo quasi primogenita tauri pulchritudo eius, quia videlicet sic à domina sua iuuenis decorus, velut à lasciuiente vacca taurus iuuenculus, & intra ceteros egregius appetitus

Ibidem. est. Ad quod idem alludens, idem qui supra pater sanctus, filius (inquit) accrescẽs Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu. Quia verò fortiter libidini restitit, rectè & hic dictũ est, cornua Rhinocerotis cornua eius, & ille qui supra: Sedet (inqt) in forti arcus eius.

Cant. 5. Sed iam cœptã sequentes tropologiam, hæc quoque ad saluatorem referamus. Nam qua si primogeniti tauri pulchritudo eius, in eo quòd pro salute mundi sacrificatus, solus sufficit, pro omnib. in odorem suauitatis acceptus, vitulus saginatus, vitulus primogenitus, candidus & rubicundus, electus ex milibus. Cornua Rhinocerotis, cornua eius. Fortissimus quippe erat atq; omnipotẽtissimus, incõprehensibilis cunctis venatoribus, nisi quòd in sinum imò in vterẽ virginis singulare deposuit omnipotentiæ cornu, atque inde comprehendi & occidi potuit à venatoribus, à Iudæis insidiantibus. Quamuis vnũ sit cornu Rhinocerotis, vnde & dicitur vnicornis, tamen pluraliter cornua dixit, videlicet, quia vnus idemque cuncta omnipotenter fecit, & cuncta perdita nihilominus eadem potentia restaurauit. De natura Rhi

Sup. lib. 17 cap. 20. nocerotis iam alibi dictum est, nunc ad reliqua properemus. (In ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Effraim, & hæc milia Manasse.) Clarum est, quia bello publico mirabiliter in illis cornibus suis gentes vsque ad terminos terræ ventilauit: prædicando enim, quia verbum per q̃ omnia in principio facta sunt, caro factum in fine seculorum vicit diabolum, gentes ante se egit, partimq; in fugam vertit, partim sub pedibus suis strauit. Nam qui ex eis rest iterunt cum gladijs suis & proposito persequendi, disperierunt: qui autem prædicationem eius receperunt, benè pedibus eius subiecti sunt. Ventilauit igitur gentes vsq; ad terminos terræ, & sic ventilando tã

Psal. 2. gentiles quã Iudæos, compleuit, quòd dixerat in Psalmo: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos

Gen. 48. in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos. Gentes ipsę multitudines sunt Effraim, & milia Manasse. i. sic iudicatæ, & sic dispositæ sunt, quomodo præfiguratum est in filijs Ioseph, Effraim, & Manasse. Effraim natu iunior, Manasses primogenitus erat, sed benedictione sua pater Israel constituit Effraim ante Manassen. Sic populus Iudaicus populo gentiũ prior erat, sed ventilantibus huius Rhinocerotis cornibus, illud quoque post cætera factũ est, vt iunior iste ante priorem illum staret.

De benedictione Zabulon & Isachar, quòd in ipsis Apostoli Christi benedicantur.

CAPVT XVI.

ET Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis. Populus ad montẽ vocabũt, ibi immolabũt victimas iustitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos harenarũ. Primò simpliciter sic dicendum est: Quòd in benedictionibus siue laudibus Ioseph tacitũ est, cũ secundũ literam siue historiã dici posset Effraim à templo Dñi, & à regno vel ciuitate Dei recessurus, & vitulos aureos fabricaturus est, tũc qui de Zabulon, & Isachar optimi erunt, populus ad montẽ vocabũt: ad montem, inquam, id est, ad templũ in Hierosolymis, in monte Moria situm, cõtradicẽtes sacrilegio Hieroboã, ac dicentes, nõ vitulos eius in Bethel, & in Dan, sed dñm Deum patrum suorum in Hierosolymis esse adorandum. Aiunt nanq; Hebræi, quòd hi maximè, qui de Isachar & Zabulon, Nepthalim quoq; erãt, ad scripturas sanctas die ac nocte meditandas studium dederunt, & Gen. 49. hoc per methaphoram significari in benedictionibus Iacob dicentis, Zabulon in littore maris habitabit. Isachar asinus fortis, suppo suit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens, quòd est, submisit se studijs, laborans ad discendum, magistris dona portans. Cui sensui amplissimè congruit, quòd nunc dicitur: Qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos harenarum. Quòd idem est ac si diceret. Qui plenitudinem scripturarum cum dulcedine & desiderio percipient, & absconditos in literarum profundo thesauros subtilium sententiarum. Ibi immolabunt victimas iustitiæ: vitulis autẽ Effraim quæcunque immolabuntur, sine dubio victimæ erunt iniustitiæ. Verum iam altius ,producendũ est. Lætare, inquit, Zabulõ in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis. Melius & Matth. 4. prophetico spiritu dignius est, si ad doctrinã salutaris, qui supra in Ioseph benedicitur, hæc referamus, eò quòd vel maximè in terra Zabulon vel Nepthalim docuerit, atque Apostolos vocauerit, vt in Euangelio quoque scriptũ est, Lætare Zabulon, quòd interpretatur habitaculũ fortitudinis, & Isachar, quòd interpretatur merces. Lætamini, inquam, Apostoli saluatoris, quib. fortiter omnia relinquentibus, fortiterque aduersa ,pter iustitiam sustinentibus, copiosa in cælis merces reposita est. In illo exitu vestro, in illis cælestib. habitaculis vestris lætamini. Protinus ad auditores apostrophen facit sermo propheticus. Populos ad montem vocabunt, ibi immolabunt victimas iustitiæ.

Populos

Populos, inquam, non vnũ populum Iudæorum, sed populos vel gentes omnes ad montem vocabunt, ad montẽ illum, de quo & se-

Esa. 2. cundum Esaiã semetipsos vocati populi multi, vel oẽs gentes cohortantur & dicunt: Venite ascendamus ad montem domini, & ad domũ dei Iacob. Erit (inquit propheta) in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montiũ, & eleuabit super col

Psal 18. les, & fluẽt ad eum omnes gentes. &c. Ad illum, inquã, montẽ, qui impleturus totũ orbem terrarũ, populos vocabunt, magna voce vocabunt, ita vt in omnẽ terram exeat sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ibi immolabunt victimas iustitiæ: ibi

Esa. 2. inquã, tantũ, quia præter montis illius ascensum, præter montis istius, vel domus dñi fidem, nusquã alibi est immolare victimas iustitiæ. Ex quo ad montem istum vocantibus Apostolis, de Syon exiuit lex, & verbũ Domini de Hierusalem, quicquid vsquã, siue in Hierosolymis, siue in tota synagoga immolatur, illa vocatione cõtempta, sacrificiũ iniustitiæ est, victima impietatis est. Illuc vocando inundationẽ maris (inquit) quasi lac sugent, id est, multitudinẽ gentium, dulci prædicatione in vnam fidem, quasi in suum corpus traijcient, iuxta quod in propheta sanctę & Apostolicæ ecclesiæ, promittens sanctus

Esa. 60. & consolatorius spiritus dicit: Et suges lac gentium, & mammilla regum lactaberis. Sugent, & absconditos thesauros harenarum, id est, clarissimo intuitu scrutabuntur, & spiritualiter tractando suauiter bibent profunda scripturarum, arcana legis & prophetarũ. Sugent, inquam, thesauros eiusmodi harenarum, & experimento scient, quia iudicia domini vera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum mul

Psal. 18. tum, & dulciora super mel & fauum.

De benedictione Gad, quomodo nomen eius quod interpretatur accinctus, tam secundum historicum, quàm secundum spiritualem sensum, conueniat.

CAPVT XVII.

ET Gad ait: Benedictus in latitudine Gad. Quasi leo requieuit, cœpitq; brachium & verticẽ. Et vidit principatum suũ, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principib. populi, & fecit iustitias domini, & iudicium suum cum Israel.) Benedictus (inquit) in latitudine. i. in bona voluntate, videlicet quia dicit, Caulas ouium fabricauimus, & stabula iumentorum, paruulis quoque nostris vrbes munitas. Nos au

Num. 32. tem ipsi armati & accincti, pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Non reuertemur ad domos nostras, vsq; dum possideant filij Israel hæreditatem suam, nec quicquam quærimus trãs Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali plaga eius. Hæc dicendo Gad, & sic faciendo, profectò vidit principatum suum, id est, non neglexit sponsionem suam, nec mentitus est, promissum suũ princeps belli incedendo armatus, & secundum nomen suum accinctus ante faciẽ fratrum suorum. In parte sua doctor repositus, id est, propria sententia dux in periculis constitutus, factis suis præcurrentibus disciplinã docẽs & fortitudinẽ belli, quam cæteri sequerentur. Ita fuit cum principibus populi, princeps in acie, primus in periculis, & fecit iustitias domini, dicta sua compensando factis, & iudicium suum cum Israel, faciendo quod iudicauit se facere debere, coram vel cũ vniuerso Israel. Deinde quasi leo requieuit, cœpitque brachium & verticẽ. Ad filios nanque quos trans Iordanem in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos reuertens, prælium aduersum eos vicinarũ gentium grande repperit, & dimicando fortiter hostes vicit, admodum leonis brachiũ aduersarij verticemque occupantis, vt subla ta primùm pugnaci dextera, deinde sanguinem eius bibat. Spiritualiter post Apostolos Apostolorum successores hac benedictione instruuntur, qui profectò iam citra Iordanẽ possessiones acceperunt, quia videlicet iam hic ante prædia cælorum terramque viuentium, facultates in ecclesia possident, & prædia de manu diuitum regumque, vel Imperatorum fidelium. Videant isti principatum suum, quod in parte sua doctores sint repositi, id est, non ignorent, qua cõditione principatum acceperunt ecclesiæ Christi, quia non Imperatores vel Tyranni, sed doctores sunt in parte vel possibilitate sua repositi, regere Ecclesiam, quã acquisiuit sanguine suo, vnde & rationem sunt reddituri. Hoc, inquã, videant, sintque cũ principibus, populi. i. Apostolos imitentur, partes & princi- Actor. 20. pes Christiani populi, & exemplo illorum fa- Hebr. 13. ciant iustitias Domini, secundum quod causa postulat, nunc in virga, nunc in spiritu mansuetudinis, & iudicium suum cum Israel, Iudicium, inquam, vel propositum suum teneant, quo curare se professi sunt 1. Cor. 4. pro isto spirituali Israel, ne illis ad damnationem proueniat indignè sumpta temporalis merces. Igitur benedictus in latitudine Gad, scilicet quicunque prædicator, aut prę latus dilatata per charitatem habet viscera, 2. Cor. 6. qua dilatatus Apostolus dicebat. Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, & cæt. Planè quisquis eiusmodi est, quasi leo requieuit, cœpitque brachium & virticem, id est, sanctum leonis de tribu Iuda spiritum induit, cœpitque omnem hominem in brachio suo spiritui dei resistentem, & conculcauit superbiæ verticem.

De benedictione Dan, quod in illo secundum historiam Samson, qui futurus erat de tribu eius, mysticè autem Christus, cuius ille typum gesserit, benedicatur.

CAPVT XVIII.

Dan quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DAn quoq; ait Dan: catulus leonis, fluit largiter de Basan. Dan, id est, Samson de tribu Dan, quasi catulus leonis fortissimus erit: sic enim millia hostium, quasi leo vnus multa millia ouium, facile superabit.
Iosue 19. Fluet largiter de Basan, id est, trāsgressus Iordanem, expugnata prius cum Israel terra Og regis Casan, fortiter agat, ascendēs & pugnādo capiens sortem suam. Nec enim propter Samsan solum, sed & propter communes pugnacissimæ tribꝰ vires, catulus leonis Dan. Scriptum est enim. Ascenderunt filij Dan, & pugnauerunt contra Lesen, cœperuntq; eā, & percusserunt in ore gladij, ac possederunt & habitauerunt in ea vocantes nomen eius Lesendan, ex nomine Dan patris sui. Porrò & altius, in Dan propter prædictū Samson, quod interpretatur sol eorum, licet intelligere solem nostrum, solē iustitiæ Christum. Iste catulus leonis, id est, filius Dei fortissimi, fluit largiter de Basan, id est, fortiter aget, & largitatem donorum tribuet spiritus sancti, cuius plenitudo intelligitur per Basan. Basā quippe interpretatur pinguis, & in
Psal. 67. Christo rectè pinguedinem significat spiritus sancti, iuxta quod in Psalmo dicitur, mōs dei mons pinguis. Iste catulus leonis portas inferni cōfregit, & media nocte resurgēs, tādem cælum ascendit, iuxta quod in typum eius Samson idem de tribu Dan obsessus ab hostibus, media nocte surrexit, portas vrbis tulit, & in verticem mōtis subijt. Sed & cætera præclarissima, ac fortissima gesta, quibus illustrauit tribum Dan tribum suam, mysteria fuere significantia Christi Domini nostri gloriam, sicut à patribus orthodoxis
Ibidem 16. iam dudum exponitur, & expositum legitur, & scitur per vniuersam Christi ecclesiā.

De benedictione Nephtalim, & quod dictum est: Mane & meridie posidebit, ad doctrinam pertinere saluatoris.

CAPVT XIX.

ET Nephtali dixit: Nephtalim abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionis domini, mane & meridie posidebit.) Si ad literam spectes, quod dictum est mane & meridie posidebit, quæritur cur non sit dictum, quia occidentem quoque posidebit. Scriptum est enim in sorte Nephtalim. Et egressus eorum vsque ad Iordanem, reuertiturque terminus contra occidentem in Aznoththabor, atque inde egreditur in Vcoca, & pertransit in Zabulon contra meridiē, & in Aser contra occidentem, & in Iuda ad Iordanem, contra ortum solis ciuitates munitissimæ. Ergo melius est, si & hoc ad doctrinam referamus saluatoris, eò quòd ibi vel maximè docente illo: Nephtalim re-
Matth. 4. uera mane & meridie possederit, completo quod dictum est per prophetam, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Quod Euangelista quoque testatur, cùm dicit. Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit Capharnaum, maritima in finibus Zabulon & Nephtalim, vt implerētur quod dictum est per Esaiam prophetā. Esa. 9. Terra Zabulon & terra Nephtalim via maris, trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Igitur mane & meridie posidebit: exinde enim Iesus meridiana lux prædicare cœpit, exinde, inquam, idem stella matutina & meridianus sol prædicando illuxit. Ita benedictionis Domini plenus erit Nephtalim, videlicet pro parte electorum, quibus ipsum mane & ipsa meridies complacebit, sanis & non inuidentibus oculis. Vni-
1. Cor. 13. uersaliter tamen, quoniam Nephtalim latitudo interpretatur, intelligere licet, quia omnis qui per charitatem dilatatur, reuera plenus sit benedictionis domini, & hic mane ac meridiem posideat, id est, nunc quidem per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem Deum videat.

De benedictione Aser, quòd in eo secundum nomen eius, quod interpretatur beatus omnes sancti dei, qui verè beati sunt, benedicantur.

CAPVT XX.

ASer quoque ait: Benedictus in filijs Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum, ferrum & æs calciamētum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. Non est Deus alius vt deus rectissimi. Ascensor cæli, auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, & habitaculum eius sursum & subter brachia sempiterna. Eijciet à facie tua inimicum, dicetq; conterere.) Benedictum fuisse in filijs Aser, & beatos genuisse filios, illud indicio est, quòd fœminę quoq; beatæ ac benedictæ, prophetiæ spiritum habentes, magnum ac longæuum sapientiæ vel sanctitatis reliquere testi-
2. Reg. 20. monium. Siquidem mulier sapiens, quæ de ciuitate Abella exclamauit dicens: Audite, audite dicite Ioab, ac deinceps: Sermo (inqt) dicebatur in veteri prouerbio, qui interrogant, interrogēt & Abella, & sic percipiebāt veritatē, nónne ego sum, qui respondeo veritatem in Israel, quare præcipitas hæreditatem domini? mulier, inquam, illa sapiens (vt tradunt Hebræi) filia fuit huius Aser, quę & idcircò matrē se dixerit in Israel, quia multorum erat annorū, vt vel propter eam núc rectè pater Aser dicatur, ferrum & æs, calciamentum eius, quo dicto pulchrè diuturnitas vitę designatur. Sed & in euangelio Anna, p Luce 2. phetissa legitur filia Phanuel, de tribu Aser, tam pro longæua sanctitate, quàm pro gratia prophetica venerabilis, quippe quæ Christum infantem agnoscere, & propheticum illi perhibere testimonium digna habita est. Verū quoniam Aser beatus interpretatur, latius sanctos oēs beatā spem expectantes, in hoc nomine beatificari arbitremur. Itaq; benedictus in filijs Aser. i. benedictus in operibus bo-

ribus bonis, & virtutibus suis beatus ille populus, cuius dominus deus eius est. Sit placēs fratribus suis, id est, habeat dilectionem aduersum, sicut eum dominus deus eius dilexit. Et intingat in oleo pedem suum, videlicet pacem annunciando, charitatem prædicando. Nam beati pedes euangelizantium pacem. Ferrum & æs calciamentum eius, id est, sicut ferrum forte, & æs perseuerantissimum est, ita fides eius fortis sit, & vsq; in finem perseueret: vel sicut ferrum constans, & æs sonorum est, ita bona & constanter operetur, & fideliter annūciet. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. Hoc verè laudabile est. Solent enim pleriq;, maximè qui carnaliter sapiunt, & carnaliter viuunt, in iuuentute quidem sapere & acutiores esse, in senectute autem desipere, & in infantiam declinare stultitiæ. Non ita autē tu. Nam & rex
3. Reg. 2. Dauid postquā senuerat, tunc demum inuenit Abisac Sunamitem pulchrā nimis adolescentulam virginem, significans viros sanctos, cùm plurimos habuerint ætatis dies, & à calore pristino magis ac magis refrigauerint, tunc magis ac magis proficere ad sapiētiam spiritualem, & cælestem virginē incorruptam atq; incorruptibilem. Igitur sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua, scilicet eius quam vocasti amicam tuam, sapiētiæ vel prudentiæ complexibus idonea. Nō
Matth. 5. est deus alius, vt deus rectissimi. Hoc planè dicent, qui tinctum in oleo pedem tuum, & ferreum vel æneum calciamentum tuum viderint. Propterea dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Hoc, inquā, dicent, & idcircò pedem tuum oleo tinctum, ferroq; vel ære calciatū ostendere debebis, non vt videant te, sed vt iucundo lumine operū tuorum exhilarati, dicant: non est Deus alius, vt Deus altissimi. Hoc sæpe dictū est, & dicentib. profuisse notissimū est. Admirantes quippe atq; gaudentes, cū viderent Ethnici atq; gentiles, Christi seruos opere perfectos, & sermone potētes, verus (dixerunt) Deus ille est, qui vos tales seruos habet. Vbi propter te, ô rectissime, sic deus fuerit glorificatus, eadē dei glorificatione beatificaberis & tu. Adijcient enim: Ascensor cæli auxiliator tuus. Idcircò tu (inquiunt) rectissimus, quia qui in cælum ascēderit, ipse auxiliator tuus. Nam sine auxilio eius nihil facere poteras tu. Exempli gratia: Petrus hodie rectissimus, antequā ille ascendisset in cælum non erat rectus, quippe qui ad vocē ancillæ ostiarię trepidus & curuus
Psal. 67. declinauit, & dū mori timuit, vitam negauit. At vbi ille auxiliator eius super occasum ascendit, vbi mortē resurgendo calcauit, & in cælū ascendit, vel (vt secundum prophetam loquar) vbi ascendens in altū, captiuā duxit captiuitatē, dedit dona hominib. ibi & extūc Petrus rectissimus. Igitur quisquis in glorificatione rectissimum te dicit, causam efficiētem vnde sis rectissimus subiūgat protinus: Ascensor cęli (inquiens) auxiliator tuus. Magnificētia eius discurrunt nubes. Ac si dicat. Quid miratur? Auxiliū illius ascensoris cæli potentissimū atq; efficacissimū est. Nam magnificentia eius discurrunt nubes. Magnificētia, inquā. i. magnifica gratia hoc factū est, vt super oēm terram discurrunt nubes, nubes temperatiuæ, nubes aquosæ cūctis lōquelis, vniuersis sermonibus gentes oēs aquis com pluentes salutaris doctrinæ. Nam istæ nubes
Esa. 60. Apostoli & prophetę sunt. Dictū quippe est de his. Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Antequā magnificus ascensor eius suum auxilium illis. i. sui spiritus dona præstitisset, non discurrebant, sed in vno loco Iudææ permodico pluebant istæ nubes. Nunc aūt quid? Habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna. Quod est dicere: Ille ascendit in cælū, sedensq; ad dexteram patris, habitat sursum, & exinde porrexit huc brachia sua, brachia sempiterna. i. sancti spiritus sui dona fortissima. Nam eadem sancti spiritus dona, sicut in Apoc. septē agni cornua, sic in isto, ppter
Apoc. 5. eandē fortitudinē, rectè dicatur VII. brachia habitaculi eius sempiterna. Horū magnificē tia brachiorū magnificatę discurrerūt nubes. i. per mundū vniuersū diuisi sunt Apost. vel Apostolici viri sapiētes atq; eloquētes, vt eo rū doctrina oēm terram cōplueret. Eijciet à facie tua inimicū, dicetq; cōterere. Illis brachijs suis, ô Aser, ô populę, terque quaterq; beate, inimicū illū eijciet à facie tua, de quo
Ioan. 12. anteq brachia sua cęli ascēsor extēderet. Núc (ait) iudiciū est mundi, nunc princeps huius mūdi eijcietur foras. Ergo primū quidē per passionē, resurrectionē, atq; ascensionē suam eijciet inimicū à facie sua, trahendo ad se om
Matth. 25. nia, in nouissimo aūt dicet, conterere, veniēs scilicet cum potestate magna & maiestate, vt eum & oēs angelos eius præcipitet in ignē æternum semper ardentis atq; inextinguibilis gehennæ. Dicet, inquā, conterere. i. conteret eū, non manu vel pede, sed verbi omnipotētis (q; ipse est) magna & ineffabili dictione, nō transitoria voce, sed sentētia permanēte.

De vniuersali benedictione totius populi Dei, sub nomine Israel & Iacob.

CAPVT XXI.

HAbitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cæliq; caligabunt rore.) Cùm ille ascensor cæli regnauerit, cùm habitaculum suum sursum posuerit, sedendo ad dexteram patris, & quæ prædicta sunt brachia sempiterna subter porrexerit, tunc Israel, verus Israel, qui amoto velamine, & reuelata facie, gloriam Domini speculabitur, habitabit confidenter
Hier. 23. & solus, quēadmodum & alius propheta testatur: Eccè (inquit) dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, &

regnabit rex,

Universidad de Deusto
Biblioteca

regnabit rex,& sapiens erit, & faciet iudiciũ & iustitiã in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Quis rex secundũ illum prophetam regnabit, nisi qui secundum istum ascẽsorem cæli, sursum que habitaculum sibi posuit? Et per quid faciet iudicium & iustitiã in terra, nisi per hæc brachia sempiterna, per sancti spiritus charismata mũdum arguentis de iudicio & de iustitia? *Ioan. 16.* Igitur quemadmodum & hic, & ille testatur, habitabit, imò iam extunc habitat verus Israel cõfidenter & solus: cõfidenter, inquam, quia magnum habet aduocatum apud patrem, magnum habet pontificẽ, qui *Hebr. 4.* penetrauit cælos, Iesum Christum, cuius tenet confessionem. Solus autem, quia non nisi vnam catholicam recipit fidem, foris est & extra terminos huius Israelis, vbicunq; sit, quisquis idipsum nõ sapit, quisquis idipsum non dicit. Interea solus vel solitarius iste nequaquam hic suæ confidentiæ mercedem re *1. Cor. 1.* cipere intendit. Sed quid? Oculus Iacob interea frumenti & vini: oculus, inquã, id est, intentio Iacob fortissimi supplantatoris in illam terram viuentium tendit, quam indignis habitatoribus supplantauit, quæ terra est frumenti & vini: frumenti, inquã, id est, vitæ æternæ, vbi in sua substantia videbitur angelorum panis, & terra est vini, vbi nõ deficiat fluuius amoris, torrẽs voluptatis. Illuc tendit oculus Iacob, illic spem suam posuit fortis Iacob. Cæliq; caligabũt rore, vbi oculus Iacob in illam terrã prospicit, quamdiu in hoc seculo peregrinatur, contemplanti animo patria cælestis dulci caligine, & caliginosa absconditur dulcedine, vt quod mirũ ac penè ineffabile est, in eo quod videre nititur fatigata deficiat, & ipso defectu suo refecta gaudeat. (Beatus es tu Israel. Quis similis tui populo qui saluaris?) Eccè iterum beatus Israel dicitur, quia reuera populus beatus, cuius Dominus Deus eius. Et quis similis tui, inquit? Nemo subaudis, nam tu saluaris: populus autem, cuius ascensor cæli auxiliator datus non est, perditioni destinatus est, & in hoc valdè atq; contrario modo tui est dissimilis. Verùm non hoc tibi reputes, neq; ex te prouenisse existimes. Sed quid? (In domino scutũ auxilij tui, & gladius gloriæ tuę.) *Ephe. 6.* Scutum auxlij tui quo ignea inimici tui iacula restinguere potuisti, & gladius sermonis Dei quo inimicũ persequendo, vel vitia carnis resecando, gloriosè triumphasti, in domino, & non in te, fuit donum gratiæ domini, & non tuæ opus est virtutis. (Negabunt te inimici tui, & tu eorũ colla calcabis.) Et hoc ipsum de gloria est Domini, quem primùm negauerunt inimici sui ante faciem Pilati, ipse autem resurgens ex mortuis, ascendens in cælum, colla eorum calcauit, deditq; tibi potestatem vt cũ similiter inimici te negauerint, qui propter eum sunt inimici tui, tu tandem colla eorum calces in die iudicij.

De morte Moysi, q̃ sine dubio mortuus sit, sicut mortuus est Aaron frater eius, & de Iosue successore eius.

CAPVT XXII.

MOrtuus est Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab, contra Phegor. Et non cognouit homo sepulchrũ eius vsque in præsentem diem.) Asserunt pleriq;, quòd Moyses non verè iuxta proprietatem vocis mortuus sit, sed Dominus eum absctõderit, & per nomen mortui absconsionem eius siue translationem debere intelligi, illud pro maximo argumẽto habentes, quòd tranfigurato in monte domino, iste cum Helia cum eo loquens apparuit. Verùm si non mortuus, sed à Domino, vt Enoch & velut Helias translatus creditur, quomodo istud *Matth. 17.* pro indignatiõe vel ira domini reputabitur? Nempe sic transferri non indignationis, sed dignationis, non iræ, sed magnæ gratiæ est. Dicit enim ipse Moyses. Nec miranda indi- *CAPVT XXXIIII* gnatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus, dixerit propter vos. Nec tu ingredieris, sed Iosue filius Nũ minister tuus, *Deut. 1.* ipse intrabit pro te. Item: Iratus est dominus *Ibidem 4.* contra me propter sermones vestros, & iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. Eccè morior in hac humo, non transibo Iordanem. Vos transibitis, & possidebitis terram egregiam. Sed & nunc iratus dominus dicit: Hæc est terra pro qua iurauí Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad eam. Ad summum, nónne vel Aaron verè mortuus est, vera depositione corporis? Quis vel hoc dissimilare possit? Dicit autem *Deut. 42.* Dominus paulò suprà Moysi: Ascende in montem istum Abarim, id est, transitum, in montẽ Nebo, & morere sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, quia præuaricati estis coram me ad aquas contradictionis, & non sanctificastis me inter filios Israel. Igitur quantiscunque quis econtrario nitatur argumentis, liberè confirmamus: *Gen. 6.* quia sicut Aaron, sic & Moyses verè, & vera depositione corporis mortuus sit. (Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est.) Ac si dicat: Eccè super me illa domini sententia cõsurgit, qua cùm vniuer- *Iob 14.* saliter dixisset, nõ permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, statim singulariter quasi iratum contra me digitũ intendens: erunt (ait) dies illius centum viginti annorum. Constituit enim dies hominis, qui præterire non poterunt. (Non caligauit oculus eius, nec dẽtes illius moti sunt.) Ergo adhuc vitæ huic poterat idoneus esse, nisi vindicta properante dixisset Dominus: ascende in montem istum & morere. (Iosue verò, filius Nun, repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij Israel, feceruntq; sicut præ-

sicut præcepit dominus Moysi. Et non surrexit vltra propheta in Israel, sicut Moyses.) Iudæi fugaces & vbique sensum veritatis fugientes, cum interrogantur de quo dixerit *Deute. 48.* Moyses hic: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus deus tuus, ipsum audies, sicut petisti à domino Deo tuo in Oreb: respondens, quia de Iosue dictum est, Ecce autem cum dixisset, Iosue verò repletus est spiritu sapientiæ, &c. statim subiũxit. Et non surrexit propheta vltra in Israel, sicut Moyses. Hoc planè idem est, ac si dixisset, non fuit Iosue sicut Moyses. Igitur non surrexit propheta vltra in Israel sicut Moyses, subaudias oportet, excepto illo, qui non solum propheta, sed & prophetarum dominus est, qui secundum homi nem quidem sicut Moyses, id est, alius legislator est, secundum diuinitatem verò non sicut Moyses, sed pluſquam Moyses est. *Nume. 18.* (Quem nosset (inquit) dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis.) De hoc iam alibi dictum est, quia Moysen dominus facie ad faciem præ omnibus nouit, in eo videlicet, quod non per somnium aut per figuras, sed certa & propria visione cælestia mysteria, vel futurorum notitiam præ omnibus prophetis illi ostẽdit. De mõrte Moysi, & succesione Iosue, quid mysterij contineant, sequentis non tacebunt principia voluminis.

Quod verè dixerit dominus Iudæis, Si credere tis Moysi, credere tis forsitan & mihi.

CAPVT XXIII.

VErè & fideliter ait dominus Iudæis, quia si credere tis Moysi, credere tis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Quid enim aliud quàm ea quæ de illo sunt Moyses scripsit? Aut quem in alium, quàm in Dei filium, vultum suum scriptor intendit? Verè (vt hic nouissimè dictum est) dominus illum facie ad faciem nouit in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel. In omnibus his nouit eum dominus, & ipse nouit dominum facie ad faciem. Faciendo namque extrinsecus hæc omnia terrestria, cęleste intrinsecus certo intuitu respiciebat exemplar, quod in mõte sibi ostensum fuerat, & secundum res illas, res veras, figurarum quasi in tabula docta manu pictor egregius imitatrices ducebat lineas. Hæc illa claritas interioris vultus Moysi, quæ hodie in Christo toto reuelata est orbi, fugientes accusat Iudæos, videre non ferentes, eius, in quem non credunt, in Moyse suo gloriam Christi filij Dei. Rectè igitur *Ibidem.* & veraciter, Est (ait) qui vos accuset Moyses, in quo vos & speratis, quia vos in eum non creditis, quia vos vultui eius clarissimo, perfidiæ velamen oppanditis. Nos autem cre- *2. Cor. 4.* dimus, propter quod & locuti sumus, & si quid aliter quàm dici debuit, diximus, si quid minus aut exilius, veniam à te, & à spiritu Moysi, duce vel habitatore Christo petimus.

(·.·)

Finis Commentariorum in Deuteronomium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LIBRVM IOSVE, COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Quòd Iosue iam octauũ sit speculum Christi filij Dei, septem figuris in Moysi pentateuco præsignati.

CAPVT I.

SEptem periochis in pẽtateuco Moysi, recapitulatã tractauimus passionem Christi filij Dei, nunc in octauo Iosue, gloriam resurgentis, cælumque ingressi triumphum sumus celebraturi. Prima namque fuit in morte Abel iusti. Secunda in angustijs Noe. Tertia in immolatione Isaac. Quarta in venditione & vinculis Ioseph. Quinta in exitu filiorũ Israel de Aegypto per immolationem agni. Sexta in eo quod Moyses petram virga percussit, & sitienti populo aquam produxit. Septima in eo, quod idem in deserto serpentem exaltauit, quia sic exaltari oportebat filium hominis. Octauum (vt iam dictum est) eiusdem Christi filij Dei speculum, scilicet Iosue nunc ingredientis, in prælijs & victorijs eius talem agnoscimus eundem principem, & saluatorem mundi, qui nos in terram viuentium introduxit, vbi prior ingressus, resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nó dominabitur. *Rom.6.* Talem inquam illum in istius nomine & operibus agnoscimus, quippe qui & victorijs præclaris populum in illam promissionis terram introduxit, quod Moyses facere non potuit, & in pace obijt nullis passionibus agonizans, in figuram passionis eiusdem domini nostri. Veruntamen non vt in Moyse fecimus, ita deinceps continuum explanationis cursum vel ordinem tenebimus, sed splendidiora carpendo, vbicunque fulgentis desuper solis æterni imaginem agnoscere poterimus, ad propositum finem properabimus.

Quod iam tertio dominus locutus sit Iosue.

CAPVT II.

CAP. I. ET factum est, vt post mortem Moysi serui domini loqueretur dominus ad Iosue filium Nun ministrum Moysi, & diceret ei: Moyses seruus meus mortuus est. Surge & transi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filijs Israel. Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, dabo vobis, sicut locutus sum Moysi. A deserto & Libano vsque ad flumẽ magnũ Euphraten omnis terra Etheorum, vsque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. Nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuæ. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, non dimittam nec derelinquam te. Cõfortare & esto robustus. Tu enim sorte diuides populo huic terram, pro qua iurauí patribus eorum.) Hoc iam tertio factum est, vt loqueretur dominꝰ ad Iosue. Primo ad illum, vel super illo locutus est, cùm sicut habemus in extremis partibus libri Numeri, dixit ad Moysen. Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus *Num.17.* Dei, & pone manum tuam super eum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo, & reliqua. Secundo locutus est ad eundem, cum (sicut habemus supra) scribente Moyse canticum & docente filios Israel, præcepit dominus Iosue filium Nun, & ait: Confortare, & esto robustus. Tu enim introdu- *Deut.31.* ces filios Israel in terram quam pollicitus sum, & ego ero tecum. Tertio, vt prædictum est nunc in exordio voluminis, loquitur ad eum, Moyses inquiens seruus meus mortuus est: surge, & transi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum, & cætera. In manifesta historiæ litera latentia, sed clarissima spiritus scrutemur mysteria.

Quod prima locutione iussu domini, Moyses manus super caput eius posuerit, & Dei filius prima locutione patrũ mitte meis sub lege factus est.

CAPVT III.

PRimò iuxta ipsam proprij nominis interpretationem Iosue filius Naue, domini nostri Iesu Christi gestare se testatur imaginẽ. Nam Iosue saluator domini, Naue pulchritudo interpretatur. Ergo Iosue filius Naue, id est, saluator domini filius pulchritudinis, quis est nisi saluator vnigenitus Dei patris, filius virginitatis? Ad hunc sine dubio saluatorẽ suum, saluatorem à se missum, tertio dominus Deus pater locutus est, & tertio illũ spiritu sancto vnxit, principaliter & singulariter. Primo namq; in vtero virginis spiritu sancto illum vnxit, quippe quem non de virili semine, sed de spiritu sancto incorrupta virgo concepit, & secundum propheti cum eiusdem spiritus sancti testimonium, sic ad eum locutus est, imò & sic de illo prælocutus: Eructauit cor meum verbum bonũ, *Psalm.44.* dico opera mea regi. Lingua mea calamus scribę, velociter scribentis. Deinde quasi iam formati hominis speciosi manum tenens, vt educeret eum per claustra vteri virginei, quem

quem vir nunquam aperuit, speciosus (inquit) forma præ filijs hominum. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende prosperè, procede & regna. Hæc & cætera quæ psalmi eiusdem sequentia innuunt, tunc ad istum Iosue dominus locutus est. Dictum est autem in illa locutione prima. Et pone manum tuam *Nume.27.* super eum. Ac deinceps. Et impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit, quæ mandauerat dominus. Quid igitur secundum hæc *CAPVT I.* dicendum est, nisi quia Iosue noster prima sancti spiritus operatione cõceptus & natus, sub lege factus est? Moyses namq; capiti Iosue manus imposuit, quando saluator noster Deus Dei filius, vt eos qui sub lege erant redimeret, legi subijci dignatus est, non tanquã legis seruus, sed tanquam legi obediens homo idemq; Deus, legis dominus, secundum legem circuncisus, secundum legem tanquã peccator solenni hostia mundatus, & cæteris similibus vsque ad tempus per omnia legi tanquam Moysi manibus subditus. Vndè di *Gala.4.* cit Apostolus: Misit Deus filium suum factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.

Quod secunda locutione confortare, & esto robustus, ad Christum autem dictum sit, Tu es filius meus dilectus.

CAPVT IIII.

SEcundo hunc Iosue eundem, id est, saluatorem nostrum, Deus vnxit vel ad eum locutus est, quando super eum iam iuuenem ac pro virili ætate publico prædicationis officio iam idoneum, spiritus sanctus in specie *Matt.3.* columbæ descendit, protestante paterna vo- *Lucæ 3.* ce de cælis. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Dictum est autẽ in illa secunda locutione domini ad illum literalem Iosue. Confortare, & esto robustus. *Deute. 31.* Ac deinceps: Tollite librum istum, librum legis (ait Moyses) & ponite eum in latere arcæ fœderis domini Dei nostri, vt sit sibi contra te in testimonium. Quid igitur per hæc innuitur, nisi quia nostro Iosue humilitatis principi vsque ad annum tricesimum latenti apud se prædicta spiritus declaratione, cum testificatione paternæ vocis mandatum est, vt confortaretur, & esset robustus, id est, vt ad prædicandũ gladio suo, quo super fœmur suum erat accinctus, vteretur, & ad facienda miracula, ad eijcienda dæmonia digito Dei armaretur, spiritu Dei incederet robustus? Quid verò tunc fuit, tolli legis librum, & poni in latere arcæ cõtra Israel in testimonium, nisi extunc per passionem eius adimpleri legem contra carnalem Israel, contra carnis Iudaismum? Arca nempè, vt suo loco iam dictũ est, fabricatum de massa generis humani Christi Dei corpus est. Arcæ illius, corporis illius latus sacrosanctum lancea perforatum est, atque exinde sanguine pariter & aqua in redemptionem atque sanctificationem nostri profluentibus lex cõsummata, lex adimpleta est. Itaq; confortato, atque robustis animis incedente Iosue liber legis domini in latere arcæ fœderis domini positus est, contra Israel in testimonium, quia fortiter prædicante ac robusto Dei digito dæmonia eijciente saluatore nostro, lex per passionem eius adimpleta est, posita contra Iudæos in te- *Ioan. 5.* stimonium, ita vt extunc accusẽt eos Moyses, quem inaniter, imò & stultè sperant defensorem suum.

Quod tertia locutio ad Iosue, Surge, & transi Iordanem istum, ad Christum autem exurge gloria mea, exurge psalterium.

CAPVT V.

TErtio ad eundem saluatorem nostrum, dominus pater locutus est, & tertio illum vnxit spiritu sancto, quando animam e- *Hebr.2.* ius eduxit ab inferis, carnemque eius ne videret corruptionem, tertia die suscitauit à mortuis, nouumque hominem innouatum, filium hominis gloria immortalitatis & honore incorruptionis coronauit, atque extũc constituit eum super opera manuum suarũ, & omnia subiecit sub pedibus eius. Vocem patris, qua tunc ad eum in sepulchro iacentem locutus est: vocem inquam, & ipsa verba in psalmo audiuimus. Exurge (inquit) glo- *Psal.56. 107.* ria mea, exurge psalterium & cithara. Respõdit cithara illa paternæ laudis psalteriumque sempiternæ eius iubilationis: respondit, inquam, & exurgam diluculo inquit. Igitur vbi nunc in typum illius magni & veri saluatoris in sepulchro (vt dictum est) quiescentis ad istum Iosue iam tertio loquitur dominus, rectè & iuxta mysterij proprietatem: surge inquit, & transi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum. Nunquid enim vir ille in propria persona sua iacebit, vt diceretur ei, surge, & non potius stabat in præcelsis meritis iustitiæ? Spiritu Dei plenus erat, quemadmodum primo loco testatus est ipse Deus, dicens: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo *Num.27.* est spiritus Dei, & c. Nempè talium est stare. Quemadmodum de semetipso vnus eorum liberè profitens, viuit dominus (ait) ante cuius conspectum sto. Itaq; spiritus idem, qui *3.Reg.17.* saluatori nostro dicit in propheta (vt iam dictum est) Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: ipse inquam & idem spiritus Dei huic in typum eius præcipiens, Surge, ait. Ipsa iam verba discutienda sunt, & sicut iam dictum est, in hac tertia citatione viri fortis, victoriosa speculanda est gloria saluatoris inuicti & immortalis.

Quomodo Moyses seruus domini verè Iudæis mortuus sit, & quid Christo Iordanem transire, & de finib. vel distributione terræ promissionis eius.

CAPVT VI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MOyses(inquit) seruus meus mortuus est. Surge & trāsi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum in terram quam ego dabo filijs Israel.) Vbi Moyses seruus domini, vbi inquā vel quibus mortuus est? Planè Iudæis mortuus est. Iudæis, inquā, Moysi vita indignis Moyses mortuus est, in scelere ipsorum, in sacrilegio quo dominū Moysi crucifixerunt. Quicquid extunc habere sibi videntur Mosaicum, mortuum est, & omni vita caret multitudo victimarū illorum, holocausta arietum, & adeps pinguium, sanguis vitulorum, & agnorum, siue hircorum, neomenia eorum, sabbatum eorū, Calendæ eorum, & aliæ omnes festiuitates eorum, siue solēnitates. Quomodo enim hæc viuere, vel in his Moysen se putant habere viuum, cùm illa oderit Deus vita viuentium? Odiuit (inquit) hæc anima mea, facta sūt mihi molesta. Nō feram, nō exaudiā, imò & oculos meos auertam. Igitur Iudeis Moyses: Iudæis inquā, pro sacrilegio ipsorum, quia manus ipsorum plenæ sunt sanguine, Moyses mortuus est. De quo & supra rectè dictum est. Et non agnouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem. Quis enim hodie locū scire possit Moysi in manibus Iudæorum mortui? Ciuitas eorum facta est deserta terrena Syon, deserta facta est illa quondam nobilis domus sanctificationis eorum. In omnes gentes dispersi sunt, in omnibus locis noti sunt, & nullus est locus eorum: nec est dicere, hic vel ille Iudæorum est locus, vbi mortuum Moysen suum, mortuam literaturā celebrare debeāt. Itaq; mortuo Moyse, surge tu Iosue, exurge saluator, resurge salutare meum, & trāsi Iordanē istū, transi cūctas carnales ceremonias Iudeorū, cūctas purificatiões Iudeorū, cūcta Iudeorū baptismata, baptismata calicum, vrceorū, æramentorū, & lectorū. Transi inq̄, & ipso transitu tuo diuisiones facies inter literam & spiritum. Tu & omnis populus tecum. Te enim primogenito mortuorum resurgente à mortuis fit, vt resurgat & omnis populus tecum, sitque speranda vniuersalis resurrectio mortuorum, & te resurgente trā sibit omnis populus tecum in terram, quam ego dabo filijs Israel, terram viuentium, terram reuera fluentem lac & mel. (Omnem locum quē calcauerit vestigiū pedis vestri vobis tradā, sicut locutus sum Moysi.) Hoc planè verum est, hoc in saluatore nostro perspicuū est. Omnis locus, oē cor, vel omnis cōscientia, q̄ calcauit vestigiū pedis eius, q̄ subiecit sepedib. eius, q̄ suscepit vestigia eius vel custodiuit, ipsius est, saluatoris est, sēpiternę salutionis est. Ecōtrariò quos nō calcauit vestigiū pedis eius, qui nō sint subiecti pedib. eius, non sunt eius, non ipsi traditi sunt, sed diabolo dati sunt, non populus acquisitionis, sed perditiōis filij sunt. (A deserto & Libano vsq; ad fluuium magnum Euphraten, omnis terra Etheorum, vsque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.) Iuxta literam illi Iosue terræ possidendæ termini definiuntur. Iuxta sensum verò spiritualem, domino saluatori nostro, tam Iudæorum quàm Gentium potestas vel imperium promittitur. Nam desertum & Libanus, quod interpretatur candidus, populus est Iudaicus, desertum videlicet pro parte illorum qui ob suam perfidiam ab isto saluatore deserti, ab ista salute derelicti sunt: Libanus verò pro parte illorum, qui baptismi eius gratiam susceperunt, vel circa finem mundi, cùm plenitudo gentium subintrauerit susceputi sunt: Flumen verò Euphrates & magnum mare, populus gentium est, videlicet flumen Euphrates, quod interpretatur frugifer, siue crescens, pro parte illorum, qui de ipsis gentibus ad istum saluatorem, magno virtutum incremento cū fructu salutis æternæ currunt: mare autem magnum pro parte illorum, qui falsi & amari persistētes, salutem vel sanitatem vitæ non receperunt, imò & mirabiliter persecuti sunt, sed non præualuerunt, quemadmodum de illis in Psalmo canimus: Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominꝰ. Omnis, inquit, terra Etheorum, id est, formidantium siue stupentium, de qualibus in cantico suo Moyses dicit: Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui: omnis inquam terra formidantium, & sub tormento malæ conscientiæ pauentium ab illo deserto vsque ad illud mare magnum, & ab illo Libano vsque ad illud flumen magnum Euphraten erit terminus vester, vt videlicet in omni gente & natione prædicando euangelium, reueletis iram Dei ad formidinem Etheorum, id est, impiorum hominum eorum qui veritatem Dei in iustitia detinent, & creaturæ potius quàm creatori seruiunt. (Nullus vobis poterit resistere cunctis diebꝰ vitæ tuę.) Repugnēt & resistant veritati fortes & pugnaces Ethei, non præualebunt, sed secundum nomen Etheorum formidabūt & pauebunt, quicunque tibi ô saluator mundi contradicunt.

Gal. at. 4. Coloss. 2. Esaiæ 1. Deut. vlt. Psalm. 72. Deute. 32. Mac. 7. Hebr. 6. Rom. 1.

Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, id ad Christū dici, fiet per te, quicquid in Moyse est præfiguratum.

CAPVT VII.

SIcut fui cum Moyse, ita ero tecum, nō dimittam, nec derelinquam te. Confortare, & esto robustus. Tu enim sorte diuides populo huic terram pro qua iuraui patrib. eorum, vt traderem eam illis. Cōfortare igitur & esto robustus valdè, &c. Sicut fui cū Moyse, inquit, ita ero tecum. Quod est dicere. Sicut per Moysen carneum Pharaonē debellaui, totamq; contriui Aegyptum, tandemq; eduxi filios Israel per manū eius, & transtuli illos per mare rubrum, submerso Pharaone cum curribus & exercitu eius: sic per te Christe saluator mundi, & iam vici, & in futuro iudicabo spiritualem Pharaonem, id est, diabolum: per te, inquam, confregi infernum, & vici

& vici mundum, vincamq; vsq; ad perfectū, donec in profundo submergatur spiritualis Pharao cum curribus & equitibꝰ suis, id est, in infernum præcipitetur diabolus, cum angelis & omnibus pompis suis. Itaq; sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. i. sic per te cuncta fient, sicut per illum figurata sunt, & ea per te in veritate complebuntur, quorum in figura per Moysen illa contigerunt. Confortare, & esto robustus. Hic sermo confortatorius tertio est repetitus. Primo cōfortare ait, & esto robustus: secundo confortare igitur & esto robustus valde: tertio, cōfortare & esto robustus, noli metuere, & noli timere. Secundum literam quanto multiplex repetitio, tāto vehemens est fortitudinis inculcatio: secundum cœptum verò mysterium triplex saluatoris & spiritus eius commendatur negotium. Quod ipse declarans ac subdistinguens: Cùm (inquit) venerit paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio, &c. Igitur confortare, inquit, vt arguas mundum de peccato, confortare vt arguas de iustitia, confortare vt arguas de iudicio. Ad omnia cōfortare & esto robustus, vt nec blandimentis, nec terroribus, nec prosperis, nec aduersis constantia euangelij turbetur, aut conuellatur.

CAP. II. Ioan. 16.

Quando vel quomodo præcipit Christus principibus populi, id est, Apostolis, dicens: Transite per medium castrorum, & quid sit transire Iordanem post diem tertium.

CAPVT VIII.

PRæcepitque Iosue principibus populi dicens: Transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendam terram, quam dominus Deus vester daturus est vobis.) Principes populi sunt sancti Apostoli, de quib. huic Iosue. i. saluatori Christo filio suo Deus pater in psal. dicit, pro patribꝰ tuis nati sunt tibi filij, cōstitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui. Porrò Iosue huius castra, vel populus eius, omnes electi sunt, omnes hi sunt, qui ad vitam præordinati sunt. Vbi vel quando Iosue, id est, saluator noster, istis principib. suis horum per medium castrorum transire, & hæc imperare iusit? In Galilæa in monte postquam resurrexit à mortuis, vbi & videntes principes adorauerūt, quidam autem dubitauerūt. Tunc enim dixit. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Eūtes ergo docete oēs gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti, docētes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Igitur Iosue, qui audierat dicentem sibi dominum, surge, & transi Iordanem istum, statim præcepit principibus populi dicens, transite per medium castrorum, quia saluator noster qui audierat dicentem patrem Deum, exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, nihilominus præcepit Apostolis suis, dicens: Ite in mundum vniuersum, ite & transite per medium nationum: transite inquam accincti, transite expediti, nusquam substistentes, nusquam retrò aspicientes, nullo vos negotio seculari impedientes, neque sacculum, neque peram portantes, non æs in zonis vestris habentes, vt omnibus exonerati, nulloque sub onere curui, velociter ad omnes nuntiū bonum perferatis. Et imperate, inquit, populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quoniā post diem tertium transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendam terram, quam dominus Deus noster daturus est vobis. Imperate inquam, vt imini imperiosa spiritus liber tate, quoniam vbi spiritus domini, ibi libertas, quæ nullius pulchritudini aduletur, nullius atrocitatem timeat. Præparate vobis cibaria, prouidete fructus dignos pœnitentiæ: Thesaurizate fidem, comportate spem, reponite vobis charitatem. Hæc enim cibaria vitæ æternæ sunt. Post diem tertium transibitis Iordanem id est, secundum negotium vel opus diei tertij, de morte ad vitam, de hoste ad amicum, de diabolo transibitis ad Deum. Ego tertia die resurrexi à mortuis, idcirco vos in morte mea terna mersione baptizati, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, vt quomodo ego surrexi à mortuis per gloriā patris, ita & vos in nouitate vitæ ambuletis. Hæc, inquit, populo imperate, hęc dicite, hęc imperando, hæc dicendo, velociter transite.

Luc. 9. 10. 2. Cor. 3. Rom. 6.

Quinam sint Rubenitæ & Gadditæ: quibus præcipiat saluator, vos autē transite armati ante fratres vestros

CAPVT IX.

RVbenitis quoque & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse ait: Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus domini, dicens: Dominus Deus vester dedit vobis requiem & omnem terram, vxores vestræ ac filiæ & iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Iordanem. Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate proceis, &c.) Rubenitis & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse, hoc pacto nonnulli doctorum Iudæos esse similes intelligi volunt, & eo quod citra Iordanem habitare, id est, fidem vel baptismum Christi non suscipere elegerint, & tamē accincti atque armati pergant ante nos, & pugnent pro nobis, baiulando scilicet secum per omnes terras legis & prophetarum libros, quorum vbique fides Christiana comprobatur ac defenditur testimonijs. Verùm quomodo hoc illis concedat, imò & præcipiat saluator, vel quomodo isti respondeant. Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocunque miseris, ibimus, sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi. Ecclesiasticæ expositionis nō est. Ergo Rubenitæ & Gadditæ & dimidia tribus Manasse ante transitum Iordanis, ante introitum terræ repromissionis iam sorti-

Psalm. 44 Matth. vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti possessiones, mysticè ecclesiastici sunt ordines, qui iam in hoc seculo & vita præsenti, vt instantius & ex debito verbum Dei annũcient, licitas & ex euangelio sibi concessas facultates accipiunt, vt illis euangelizare vacet, vt eos non solum pro spe futurorum, verùm & pro re præsentium Christum annunciare delectet. Vos ergo inquit mementote sermonis quẽ præcepit vobis Moyses famulus domini. Mementote sermonis, mementote professionis, mementote legis & debiti, mementote officij vel propositi vestri. Nam væ vobis est si non pugnaueritis, quia iam pugnæ stipendium accepistis: si non euangelizaueritis, qui de euangelio viuitis. Armati transite ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis: armati inquam verbo & opere, & fortes manu: ne fortè alijs prædicantes, ipsi reprobi efficiamini.

1. Cor. 9.

Quod Iosue miserit exploratores, cũ virtute Dei certus esset, & quid per illos, quid per meretricem quæ suscepit & saluauit eos, præfiguratum sit.

CAPVT X.

CAP. II. Sethim. MIsit ergo & Iosue filius Nun de Sathim duos viros, exploratores abscondito, & dixit eis: Ite & considerate terrã, vrbemq; Hiericho. Qui per gentes, ingressi sunt in domum mulieris meretricis nomine Raab, & quieuerunt apud eam.) Cum quo dominus erat, cui & dixerat, nullus vobis poterit resistere cunctis diebus vitæ tuę. Ipse exploratores mittit ad considerandam terram vrbemque Hiericho. Nõ ergo quisquam vllo in negotio tantum de cælestibus præsumat præsidijs, vt non etiam ipse sibi prior assit, vigilando pro facultate ingenij, laborando pro portione virili. Nam sicut minimę fidei est, de diuinis dubitare promissis: sic nimiæ temeritatis vel præsumptionis est, cęlestem per miracula præstolari opem, otiosè sedendo manibus compositis. Hominis nanque est incipere. Dei autem perficere. Porrò vt cœpta prosequamur mysteria, Ingressi (inquit) domũ mulieris meretricis, nomine Raab, & quieuerunt apud eam. Notæ fidei & celebris memorię meretrix ista, tam nomine quam vita: maximè autem facto præsenti collectam & colligendam de gẽtibus ecclesiam significat. Nomine videlicet, Raab quippe latitudo interpretatur. Et certum est, quia sancta catholica ecclesia latissimè per totum orbem terrarum diffusa est. Vita verò, quia quemadmodum meretrix hæc multis viris prostituta, sic gentilitas, quę nunc est ecclesia, multorum deorum vile prostibulum fuit. Facto autem præsentia, quia quemadmodum hęc exploratores ab Iosue missos: sic ecclesia Apostolos vel prędicatores vniuersos à saluatore legatos, domo excepit, hospitalitate fouit, fide seruauit. Igitur duos (inquit) exploratores misit Iosue, ite inquiens, considerate terram, vrbemque Hiericho. Hiericho defectus siue luna interpretatur. Significat autem hunc mundum mutabilitati & defectioni obnoxium, quemadmodum in parabola euangelica saluator ipse testatus est. Homo quidam (inquit) descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, & cæt. Duo viri exploratores, vniuersos significant euangelij prædicatores, in duobus præceptis charitatis ambulantes, vel duo testamenta vetus & nouum recipientes, nihilque extra loquentes. Hi rectè dicuntur exploratores à saluatore missi, terram omnem, vrbemque Hiericho exploraturi, quia videlicet cauti & discreti profecti sunt contra sapientiam, imò fallaciã inanemque philosophiam mundi, cauti inquam, non astutia humana, sed spiritu Dei, spiritu sapientiæ multiplici, discreto, subtili, diserto, mobili ad perdendam sapientiam sapientium, ad comprehendendos sapientes in astutia eorũ. Tales excepit exploratores meretrix illa, & ingressi domũ eius quieuerunt apud eam. Flagellati, in consilijs, fatigati in consilijs, persecutionem passi de ciuitate in ciuitatem, quieuerunt apud eam, & illa refecit viscera eorũ aperiẽdo illis ostiũ suum, recipiendo salutis verbum, præbendo nuntijs pacis patulum fidei auditum. Antequam ingrederentur domum eius, antequam requiẽ offerret ingredientium pedibus pacem portantibus, meretrix erat, prostibulum dæmoniorum, lupanar idolorum. At vbi ingressi sunt, & eos recepit, iam pudica, iam vnius viri virgo casta, vna amica, vna columba, vna immaculata, vna perfecta est.

Luc. 10.

2. Cor. 11. Cant. 6.

De mendacio cũ quo tamen illa iustificata est, et quòd ille Rex Hiericho diabolũ, & quos ille misit ad Raab, persecutores præsignauerint Christianorum, & quòd Christianis in persequutione fugere licitum sit.

CAPVT XI.

NVnciatumque est regi Hiericho, & dictũ, Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filijs Israel, vt explorent terram. Misitque rex Hiericho ad Raab dicens: Educ viros qui venerunt ad te, & ingressi domũ tuã. Exploratores quippe sunt, & omnem terram considerare venerunt.) Quæstionem facientibus de mendacio, & arbitrantibus culpa nõ carere, quod mulier ista tollens viros, & abscondens eos: fateor (inquit) venerũt ad me, sed nesciebam vndè essent, cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quo abierunt, persequimini citò, & comprehendetis eos, primò illud respondendum est, quia & hoc mendacio iustificata est. Dicit enim Apostolus Iacobus: Similiter & Raab meretrix, nónne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eijciens? Planè illud nemini dubium est, quia ex mendacio, cuius diabolus pater est, nemo iustificari potest. Hæc autẽ ex hoc (vt iam dictum est) mendacio iustificata est. Igitur & hoc fidenter astruendum, quia nec mẽ

Iacob. 2.

dacium dicendum est, qp contra veritatẽ dei non est, imò nec ad veritatem Dei pertinere potest quãuis veraciter, salua tamẽ charitati dici nõ potest. Sed de hoc aliàs dictũ est. Spiritualiter regi Hiericho nũciatũ est, venisse ab

CAP. III. Iosue missos exploratores, quando principi huius mũdi diabolo, re ipsa cõpertũ est, venisse contra principatũ, & aereas potestates, regemq; tenebrarum à saluatore missos euangelij prædicatores. Tunc, inquã, hoc illi nunciatum est, quando de cordibus hominum, de templis vel simulachris gentiũ illum eijci cœptum est. Misit ergo rex iste: rex, inquam, filiorum superbiæ, & rex Hiericho. i. stultitiæ. Qui sunt vel q fuerũt missi regis huius?

Iacob. 14. Primus Nero, regis diaboli lictor præcipuus. Deinde Domitianus. Deinde Traianus. Deinde cæteri oẽs, hominum quidẽ principes, dæmonum aũt satellites: mundo quidem imperantes, diabolo autẽ parentes. Isti missi à rege suo, missi, inquam. i. insperati à diabolo, dixerunt ad Raab, dixerunt ad ecclesiã, quæ toto iam orbe Romano diffusa, Christi Apostolos vna fidei domo susceperat. Educ viros qui venerunt ad te, & ingressi sunt domũ tuam. Hoc dixerunt edictis nouis legibus, proscriptionib. gladijs, & varijs tormentorũ generibus. Cùm enim modis omnib. persequendo & occidendo id agerent, vt Christi nomen, & Apostolorum eius fidem extirparent, viros educi cõpellebãt, qui venerant ad eam, & domũ eius ingressi fuerant. At illa talibus nunquã assensum præbuit, imò & vbi vtrinq; seruare nequiuit, fidei margaritam abscondit, & suam potius vitã prodidit. Nõ solum autẽ, sed & secundum historicũ quoque mulieris huius exemplum, vbicũq; causa vel ratio popposcit susceptos saluatoris missos per aliam viã fugituros emisit. Nec vero bellatorum fidissimi duces hoc modo glorię suæ crimen intulerunt, quoties persecutores astu fallando, de loco ad locũ fugerunt. Nã vbi totam Christi familiã persecutor petit, & tanquã in totum ouile, lupus aut leo desęuit, ibi pastor non fugere abiectis armis, sed vsq; ad mortem stare, socius periculi, animã

Matth. 10. 2. Cor. 11. Actor. 9. que suam pro ouibus dare debebit. Vbi verò solum pastorem latro aut carnifex petit, illic vtiliter fugæ præsidium quærit, secundũ auctoritatem euangelicam. Cùm persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. Sic Paulus Damasci, vbi præpositus regis Arethæ custodiebat ciuitatem vt eum cõprehẽderet, quia solus quærebatur, à fratribus per murum volens submissus est in sporta, & sic euasit manus eius. Vbi vniuersalis persecutio sæuientis Neronis tam pastoris eiusdem, quàm & ouium vitam quæsiuit, ibi nec fenestram, nec funem, nec sportam popposcit, sed libenter fuso sanguine in exemplum ouium pro saluatore occubuit.

De fide Raab, id est, Ecclesiæ, secundum mysterium, & de domo eius, & quid sit signum coccineum eius, & quid omnis cognatio eius.

CAPVT XII.

NEcdum obdormierant, qui latebant, & eccè mulier ascendit ad eos, & ait: Noui quòd dominus tradiderit vobis terram. Etenim irruit in nos terror vester, & elãguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando ingressi estis ex Aegypto, & quæ feceritis duobus Amorræorum regibus, qui erant trans Iordanem Seon & Og, quos interfecistis, &c.) Sic hodie quę mulier sapiẽs ac prouida loquitur, sic omninò fidelis ecclesia nunc vsque & corde credit, & ore confitetur. Audiuimus, inquit, & credimus, propter quod & loquimur ait, ó sancti Apostoli, quòd ad vestrum introitum, quòd in diebus vestris, quando ad vitam introistis, spiritualem Pharaonẽ, id est, diabolum debellauerit, eumq; per aquas maris rubri, per sanguinem & aquam, quæ de latere suo profluxit in passione sua suffocauerit, & ita de Aegypto, ita de tenebris regni eius vocati, inammirabile lumẽ existis. (Nũc ergo iurate mihi per dominum, vt quomodo ego feci vobiscũ misericordiã, ita & vos faciatis. Ad hæc illi, innoxij erimus à iuramẽto hoc, quo adiurasti nos, si ingredientibus nobis terrã, signum funiculus iste coccineus fuerit, & ligaueris eum in fenestra, per quam nos dimisisti, & patrem tuum ac matrem, fratres q; ac omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Loci huius memores psallimus regi nostro, psallimus sapienter saluatori nostro. Fundamẽta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas dei. Sequitur enim exponendo quæ nam gloriosa dicta illa sunt. Memor ero Raab, & Babylõis, sciẽtib. me. Domus ergo Raab mysticè ipsa est Sió, cuius dominus portas diligit, ipsa est ciuitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt: ciuitas, inquã. i. ecclesia dei digna memoria dei. Porrò fundamẽta eius ipsi sunt exploratores, quos ipsa suscepit episcopi sunt, Apostoli, id est, quos illa abscõdit, quibus omninò tanquam fidei suæ fundamentis innititur, & dicit. Nũc ergo iurate mihi per dominum, vt quomodo ego feci vobiscũ misericordiã, ita & vos mecum faciatis, vt eruatis animam meam de morte. Quod est dicere. Nunc ergo inuocate super me nomẽ domini, nomẽ patris, & filij, & spiritus S. vt in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, quãdo sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, saluetis me à damnatione æterna, & quomodo ego vos in mea tẽporalia, sic vos me recipiatis in vestra æterna tabernacula. Innoxij inquiũt) erimus à iuramento hoc, quo adiurasti nos, si in-

2. Cor. 4.

1. Pet. 1.

Matth. 19.

Luca 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus, &c. Postulauerat enim signum dicens: Detisq; mihi signum verum, vt saluetis patrem meum, & matrẽ, fratres, & sorores meas, & omnia quæ eorũ sunt, vt eruatis animas nostras de morte. Signum istud, funiculus iste coccineus in fenestra ligandus, titulus est passionis dominicæ inter oculos ecclesię iugiter pingendus: coccineus, inquam funiculus, sanguineũ est crucis signaculum, iugiter pinguendum in fronte eius. Quòd enim signum aliud benè sibi prouida postulat ecclesia? Itaq; innoxij (inquiunt) erimus à iuramento hoc. i. ea conditione libenter constringimur iuramẽto quo adiurasti nos, vt si ingredientibus nobis terram, si veniente ad iudicium saluatore, cùm omnib. senatoribus populi sui, apparuerit signum istud in te teneamur obnoxij iuramẽti & sponsionis nostræ, vt sit anima nostra p vobis in mortem, atq; ex debito misericordiæ atq; veritate faciamus in te. Nunc interim patrem tuum ac matrẽ, fratresq; & omnem cognationẽ tuam cõgreges in domũ tuam, vt sit domus tua per fidem vna. Nam qui ostium domus tuæ egressus fuerit, quicũque semetipsum ab vnitate fidei præciderit, hæresesq; ac schismata fecerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Igitur hæc illa gloriosa sunt, quæ dicta sunt, de ciuitate dei, cõprobante te Iosue. i. saluatore dicta hæc, atq; dicẽte: Memor ero Raab & Babylonis scientibus me, subauditur, ita vt dicam ego Iosue. Sola Raab meretrix viuat cũ vniuersis qui cum ea in domo sunt? Sed qui nam sunt cognati illi, qui in domo ista sunt. Eccè, inquit, alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Tyrus angustia interpretatur. Ergo quicunq; à cultu dei alieni, quicũque angustiati à peccatis, quicunq; Aethiopes. i. denigrati in vitijs, veniendo in vnam domum cognati fiunt, & fratres sunt, & oẽs per vnum saluãtur funiculã coccineũ per crucis & passionis Christi signaculum.

Psal.86.

Quomodo iuxta historiam comprobatum sit, quòd dictum est Sicut fui cum Moyse, sic ero tecum, quid sit mysticè, quòd aquæ Iordanis inferiores descẽderunt, & superiores steterunt.

CAPVT XIII.

CAP. III. IGitur egressus est omnis populꝰ de tabernaculis suis, vt transirent Iordanem, & sacerdotes qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. Egressisque Iordanem, & pedibus eorum tinctis in parte aquæ. Iordanis autẽ ripas aluei sui tempore messis implebat, steterunt aquæ descendentes in loco vno, & instar montis intumescentes, apparebant procul ab vrbe quæ vocatur Adon, vsque ad locum Sarthan. Quæ autem inferiores erant in mare solitudinis, quòd nunc vocatur mortuum: descenderunt, vsquequo omninò deficerent.) Iuxta literam si fortè quæras, quid intendens dixisset dominus, sic ut fui cum Moyse, ita ero tecum. Itéq;: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, vt sciant quòd sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim. Eccè habes, quia sicut fuit cũ Moyse, vt eleuante illo virgam suam super mare, auferret illud dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & verteret in siccum, ac diuideretur aqua, ingressisque filijs Israel per medium sicci maris, esset aqua quasi murus ad dexteram eorũ & leuam: ita & nunc eodem elemento diuina potentia suũ administerium vtens, ad ingressum Iosue diuidit Iordanem populo incedente, & sacerdotibus qui portabant arcam fœderis domini stantib. super siccam humum. Porro iuxta spiritum, eccè plusquam Moyses hic: eccè cum Iosue Dominus, plusquam cũ Moyse fuit. In quo: Videlicet in eo, quòd steterũt aquæ descendentes in vno loco, quæ autẽ inferiores erant, inquit, in mare solitudinis, q̃ nunc vocatur mortuum, descenderunt, vsquequo omninò deficerent. Aquæ inferiores veteris testamenti fuere iustificationes, de quibus Apostolus cùm dixisset: Quòd autẽ antiquatur & senescit propè interitũ est, continuò subiunxit. Habuit quidem & priꝰ iustificationes culturę, & sanctũ seculare. Tabernaculũ em factum est primũ, &c. Aquæ verò descendẽtes & sequẽtes, euãgelica fides est, dei iustitia est. Descẽderunt aquæ inferiores in mare solitudinis, in mare mortuum, & omninò defecerũt, quia videlicet iustificationes carnis, iustificationes Iudęorũ, cũctę carnales cæremonię illorũ, quę neminẽ ad perfectum adduxerunt, tanquã aqua decurrẽs ad nihilũ deuenerunt: imò & p detrimento habendæ, & vt stercora arbitrandæ sunt. Ita in mare mortuũ descenderunt. Quę aũt sequũtur, descendentes & venientes de sursum aquę viuæ, aquę supernæ gratię. Descẽdentes, inq̃, de sursum à patre luminum, ecce in vno loco cõsistentes, instar montis intumuerũt, procul apparentes ab vrbe, quæ vocatur Adom, vsq; ad locũ Sarthan: Adõ rubra, Sarthan tribulatio eorũ interpretatur. Adom ergo. i. rubra ipsa est Hierusalẽ terra, vnde iuxta prophetã, tinctis vestib. venit formosus iste verꝰ Iosue. Sarthã aũt. i. tribulatio eorũ, Romanum est imperiũ, à quo illa Hierusalẽ per miserandum, imò per meritũ tribulata & versa est excidium. Ab illa Hierusalẽ vsque ad Romanũ imperium, aquæ Iordanis descendentes, & instar montis intumescentes apparuerũt. Incipientes enim ab Hierusalem, vsq; in sinũ Romanæ vrbis deuenerunt dona domini, scilicet pœnitentia, & remissio peccatorũ. Igitur (vt prædictum est) plus cũ isto Iosue deus est, quã cũ Moyse fuit, altiusque hunc quã illum corã omni Israel principem & saluatorem exaltauit.

Iosue 1.

Hebr.8.

Hebr.9.

Psal.57.

Philip. 3.

Esa.63.

De duodecim lapidibus, à Iordanis alueo sublatis, aliisque totidem in medio Iordanis positis, quòd prophetarum & Apostolorum typus fuerit.

CAPVT

CAPVT XIIII.

CAPVT IIII. FEcerunt filij Israel sicut eis præcepit Iosue, portantes de medio Iordanis alueo, duodecim lapides, vt ei dñs imperarat, iuxta numerum filiorũ Israel, vsq; ad locũ in quo castrametati sunt, ibiq; posuerunt eos. Alios quoq; lapides duodecim, posuit Iosue in medio Iordanis alueo, vbi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis, & sunt ibi vsque in præsentem diem.) Lapides isti pro vtilis memoriæ fundamentis, quibusdam poni iussi sunt. Cur enim sic à dño præceptum,

CAP. V. & sic est factum? (Quando (inquit) interrogauerint vos filij vestri cras dicentes, quid sibi volunt isti lapides? Respondebitis eis. Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Dñi Dei nostri, cũ transiret eum, idcircò positi sunt lapides isti in monumentũ filiorum Israel, vsque in ęternum.) Nec verò hi qui in medio Iordanis alueo minus quã hi qui super aridã positi sunt durissimi lapides, vtpotè sub aquis nutriti, earumq; veteri vsu attriti tanti memoriam facti seruare, vel indicare potuerunt. Nam & si interdum crescentibus aquis subtecti latere poterunt, semper tamẽ eorum offensione gurgites irritati (quod a quis profluentibus naturale est) fortius atque animosius inibi currendo scãdalũ suum nunquam occultum esse siuerunt: Porrò spiritualiter nobis lapides viui, lapides magni, Apostoli & prophetæ sunt, qui fidem nostrã velut fundamentum portant, necessariam q̃; nobis factis & dictis operum domini memoriam semper suscitant. Vnde Apostolus. Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, domestici dei, superædificati super fundamentũ Apostolorum & prophetarum. Et prophetæ quidem, quia profundiora vel obscuriora sacramenta cõtinent, quasi in medio Iordanis alueo sub aquis latent. Apostoli verò, quia nuda & aperta facie saluatoris opera testantur, quasi in Galgala positi, quod interpretatur reuelatio, semper

Ephes.2. sub diuo conspectibus omnium patent. Vtrobiq; magnum & euidens testimoniũ, credulis gentib siue Iudæis bonum & iucundũ incredulis triste atq; pauendum.

De causa circuncisionis, & quid impedire potuerit, vt per quadraginta annos itineris populus qui natus est, circuncisus non fuerit.

CAPVT XV.

CAP. V. EO tempore ait Dominus ad Iosue: Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundò filios Israel. Fecit quod iusserat dominus, & circuncidit filios Israel in colle præputiorum. Hæc autem causa est secundæ circuncisionis. Omnis populus qui egressus est ex Aegypto generis masculini, vniuersi viri bellatores mortui sunt in deserto, per lõgissimos viæ circuitus, qui omnes circuncisi erant. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircuncisus fuit, donec consumarẽtur qui non audierant vocẽ Domini.) Est quod hoc loco rectè quæri debeat. Certè Moyses nescire non poterat quod scripserat, scilicet dixisse Deũ ad Abrahã: Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. De quo videlicet circuncisionis remedio quã necessarium ante Christi aduentum fuerit, vel qua ratione vsq; ad eundem aduentum eius celebrari, postea verò iã cessare debuerit, suo loco iam dictum est. Quomodo ergo tanto tẽpore. s. per quadraginta annos populũ q̃ natus est in deserto, incircũcisum esse sustinuit, præsertim cùm in tanta multitudine innumerabiles paruuli mori potuerint, & ita quia nõ erãt circuncisi, periere de populis suis. Quid tandẽ dicemus, vt negligentia tã dura Moysen, sanctum ducẽ populi ac principẽ, excusatum habeamus? An fortè illud affirmare licebit, q̃ inter cætera mirabilia dei mirabiliter & hoc fieri potuerit, vt de filijs qui in locum successerunt patrum circuncisorũ, nemo moreretur, per XL. annos latissimę solitudinis? Dicit enim Moyses his: Adduxit vos dñs quadraginta annos per desertum, nõ sunt attrita vestimẽta vestra, nec calciamenta pedum vestrorum vetustate cõsumpta sunt. Si illud curare dignatus est, vt vestimenta nõ atterererẽtur, neq; calciamenta pedum illorum vetustate consumerentur, quanto magis illud curasse credendus est, vt nemo illorum immatura morte moreretur? Alioquin quomodo stabit quod idẽ in Cantico dicit: Circunduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui?

Deut. 29.

Deut. 32.

Attamẽ vel in eo præuaricatio fuit, quòd non in tempore fuere circuncisi. Dixerat enim dominus in prima circũcisione, id est, vbi primò circuncisionis ritũ instituit. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Quem ergo scriptura culpare putabitur, dicendo: Horum filij in locum successerunt patrum, & circuncisi sunt ab Iosue, quia sicut nati fuerãt, in præputio erãt, nec eos in via aliquis circunciderat. An fortè non ipsum Moysen, sed patres eorum rebelles incredulos videlicet, quòd propter dilationẽ annorum quadraginta semetipsos rebelli impatientia dissecantes, & mandatis Domini amplius aduersantes, nõ saltem suos circũcidere voluerint filios? Dicit em̃ illis per prophetã: Nunquid hostias aut sacrificium obtulistis mihi in deserto XL. annis domus Israel? Subauditur, non, sed diabolis vestris. Sequitur enim. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sydus dei vestri quæ fecistis vobis. Qui ergo nõ deo, sed idolis suis hostias aut sacrificium obtulerunt, quid mirum, si nec filios suos circunciderunt? Igitur vbi nunc ait, qa sicut nati fuerãt, in præputio erat: nec eos in via aliquis circũciderat, subaudiendum est, non Moysi negligentia, sed patrum rebellium pertina-

Amos 5.

cia. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

cia. Et hæc, inquit, causa est secundæ circuncisionis, id est, secundæ imperādæ vel instruēdæ circuncisionis. Primo nanq; imperio tradita fuit Abrahæ, secundo nūc imperatur Iosue. Valet aūt dictio hęc ad commendationē circuncisionis, quòd videlicet seriò tenenda tunc fuerit, quàm & semel dominus tradiderit, & abolitam iterum sanctione sua firmauerit.

Quòd spiritualiter nobis secunda circuncisio futura, sit resurrectio carnis. Prima autem nunc fiat in baptismo Christi, & quòd culter lapideus Christus sit.

CAPVT XVI.

POrrò spiritualiter nobis secundæ circuncisionis talis itidem est causa. Secundæ, inquam, credendo namque in Christum, & baptizati, prima circuncisione sumus circuncisi, testante Apost. cùm dicit: In Christò circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi, consepulti in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Quod & ipsum in Euangelio Christi non sine legis & prophetarum testimonio dixit. Nam lex dicit. Circuncidet dominus deus tuus cor tuū, & cor seminis tui, vt diligas Dominum deū tuū in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. Et propheta dicit. Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordiū vestrorum, viri Iuda, & habitatores Hierusalem. Prima itaq; circuncisione circuncisi sumus, & prima resurrectiōe resurreximus, consepulti Christo in baptismo, & expoliati in operibus carnis, in quo & resurrexistis (inquit) per fidem Dei. Talis igitur (vt prædictū est) nobis secundæ circuncisionis causa est. Nos oēs populus acquisitionis, qui sub gratia Christi nati, imò renati sumus, per hoc omne tempus itineris latissimæ solitudinis, id est, vitæ præsentis seculi, prima quidem circuncisione (de qua iam dictum est) circuncisi, sed secunda circuncisione necdum circuncisi sumus, quia videlicet spiritu mentis nostræ renouati quidē sumus, sed corpore vel carne vetusti adhuc sumus, & quotidie veterascimus. i. corruptibiles adhuc & mortales sumus, & viuendo quotidie magis ac magis ad mortem proficiscimur. Vnde idem Apostolus: Corpus quidem, inquit, mortuum est propter peccatū, spiritus verò viuit propter iustificationē. Ait igitur dominus ad Iosue: ait inquam, dominus Deus pater ad saluatorem nostrum in illa (de qua dictum est) eiusdem resurrectione. Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundò filios Israel. Faciet saluator quod iussum est, & circūcidet filios Israel in colle præputiorum, id est, in resurrectione mortuorū. Canente nanq; tuba, mortui resurgent incorrupti, & nos (inquit Apostolus) immutabimur. Omnes enim, inquit, resurgemus, sed nō oēs immutabimur. Et exponens quid sit immutari, oportet enim, inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hac vtique immutatione non omnes immutabimur, soli nanq; electi ad impassibilitatem resurgemus. Culter lapideus, quo iam semel circuncisi prima resurrectione resurreximus, ac secundò circuncidendi circuncisione secunda. i. carnis resurrectione resurrecturi sumus, sermo Dei est, sermo, in quam, Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, cuius virtute resurgemus, cuius efficacia cuncta corruptione expoliabimur. Ergo culter lapideus Christus est: nam sermo Dei Christus. Christus autē ipse lapis vel petra dictus est.

Quòd filijs Israel terram promissionis ingressis, manna defecit, quid mystice hoc significet.

CAPVT XVII.

DEfecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vlla illo cibo filij Israel, sed comederūt de frugibus anni præsentis terræ Chanaan.) Manna quo in deserto præsentis seculi pascimur, donec ad beatam perueniamus patriam, vbi in conspectu vel præsentia Dei epulabimur & exultabimus, atq; in lætitia delectabimur, verbum dei est, scriptura sancta est. Quod breuiter innuens Moyses, cùm dixisset: Afflixit te dominus penuria, & dedit tibi cibū manna, quem ignorabas tu & patres tui, continuò subiunxit: Vt ostēderet tibi q̄ non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo q̄ progreditur de ore Dei. Hoc manna, hunc panem angelorum vt manducaret homo, semel quidem Deus portas cæli aperuit, vt in terram nostram illud carnem factum mitteret, & solis angelis hactenus vsitatum, nobis quoq; paruulis, ac pene edentulis, manducabile faceret. Vnde & dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, &c. Cæterùm & quotiens Apostolorum, & prophetarum siue etiam doctorum spiritus S. ora aperit, ad prædicandum salutis verbum, ad reuelanda mysteria scripturarū, portas cæli aperit Dns, & pluit nobis manna ad manducandū. Quā diu per hoc desertum huius seculi incedimus, quam diu per fidem & non per speciem ambulamus, nimirum istis alimentis indigemus. Pascimur mente legendo, vel audiendo verbum Dei, pāscimur & ore manducando de mensa Domini panem vitæ æternæ, & bibendo calicem salutis perpetuæ. At vbi venerimus ad illam terrā viuentiū, in illam beatam Syon, vbi in sua specie videbitur Deus deorum, neq; verbo doctrinæ indigebimus, neq; in istis speciebus panis & vini, sed in ꝓpria substantia videndo panem angelorum manducabimus. Igitur postquam comederunt fruges terræ, defecit manna, quia videlicet postquam venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.

Quòd qui Moysi in flamma ignis, ipse gladium tenēs Iosue apparuit, quid mystice hoc significet.

CAPVT

Colloss. 2.

Deut. 30.

Hier. 4.

Rom. 3.

1. Cor. 15.

Hebr. 4.

Deut. 2.

Ioan. 6.

1. Cor. 5.

Psal. 83.

1. Cor. 13.

CAPVT XVIII.

CVm aūt esset Iosue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos suos, & vidit virū stantem contra se & euaginantē gladiū tenentem. Perrexitq; ad eum & ait: Noster es, an aduersariorum? Qui ait: Nequaquā. Sed sum princeps exercitus dñi, & nūc venio. Iuxta historiam, quemadmodū trāsitus Iordanis, ita & hoc ad illud promissum pertinet, q̄ dictum est, sicut fui cū Moyse, ita ero tecum. Ac deinceps: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, vt sciāt sicut fui cum Moyse, ita & tecum sum. Moysi nanq; apparuit dns in flamma ignis de medio Rubi: huic autē tanq̄ vir præliator stans, & euaginatū gladium tenens, vnicuiq; iuxta rērum sequentium proprietatē figuras vel formas competentes præostendens, illi videlicet splendida facturo miracula, ignis apparuit, vt iam dictū est: Vidi, inquiens, afflictionē populi mei in Aegypto, & clamorē eius audiui, & descēdi liberare eum, huic mox cruenta bella facturo, euaginatū gladiū tenens apparet: princeps, inquiens, ego sum exercitus dñi, & nūc venio. Vtriq; magnum cōmendans humilitatis præsidium, sine qua nunquam acceditur ad dominū, tam huic quā illi. (Solue (inquit) calciamentū tuum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est.) Sed iam, vt cœptū prosequamur mysteriū, illic primus, hic secundus saluatoris nostri figuratur aduentus. Secundò nanq; filijs Israel circuncisis adest, euaginatū tenens gladium, princeps exercitus domini, quia videlicet nobis secunda. i. corporum resurrectione immutatis, iudiciū arripiet manus Domini, iudex (inquā) viuorum & mortuorum apparebit Christus filius Dei. Qui & in Cantico Deut. de hoc ipso gladio suo dicit: Si acuero vt fulgur gladium meū, & arripuerit iudiciū manus mea, reddam vltionē hostib. meis. Nec verò solus ipse princeps exercitus domini, sed & ipsi, cū quib. ad iudiciū veniet, seniores populi sui, iudiciarios habebunt gladios in manib. suis. Vnde & Psalmista canit: Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Nationes ipsæ in quibus vindicta facienda est, vel populi in quibus faciendæ sunt increpationes, per vrbem Hiericho figuratur, de qua & protinus subditur.

Quid sit mystice clausam Hiericho, singulis diebus semel, septimo autem die circuire septies, & quòd illa ciuitas tubis concrepantibus funditus corruit.

CAPVT XIX.

HIericho autem clausa erat, atq; timore filiorum Israel munita, & nullus egredi audebat aut ingredi. Dixitq; Dominus ad Iosue: Eccè dedi in manu tua Hiericho, & regem eius, omnesque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem. Sic facietis sex diebus, septimo autem die, sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus in iubileo, & præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis ciuitatem, & cætera.) Magnum & pulchrum mysterium, magnū & tremendum in mysterio mundi huius iudicium. (Cùm (inquit) insonuerit vox tubæ longior atq; concisior, & in auribus vestris increpuerit, cōclamabit omnis populus vociferatione maxima & muri funditus corruent ciuitatis. Ita factum: Postquam in aures multitudinis vox sonitusq; increpuit, muri illicò corruerūt, & ascēdit vnusquisq; per locum qui contra se erat.) Hiericho præsenti loco mysticè ciuitas diaboli est, ciuitati dei viuentis Hierusalem, semper inimica, quam & Babylonem nuncupare sancta consueuit scriptura, vt in Psalmo superius memorato: Memor ero Raab & Babylonis. Raab videlicet in bono, Babylonis autem in malo ipsius memor ero. Raab (inquam) vt sola viuat cum vniuersis, qui cū ea per fidem in domo sunt. Babylonis autem in malo ipsius, scilicet vt muri eius funditus corruant, sitq; ipsa anathema, & omnia quæ in ea sunt. Quare aūt sex dieb. circuire oportet ciuitatē semel per diem, septimo autē die septies? Videlicet quia ciuitas diaboli, & pro creatura mundi, vnde & creatorem cognoscere potuit, & pro aduentū filij Dei, quem non recipit, iudicanda est. Circuitus sex dierum, senariæ significat creaturę indicium. Sex enim diebus cuncta hæc creata sunt. Apostolus autem cùm dixisset, quia quod notum Deo est, manifestum est in illis, deus enim illis manifestauit, continuò subiunxit: Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoq; virtus eius & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles, quia cùm cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, & cætera. Igitur sex diebus semel per singulos dies ciuitas inimica circumeunda est, quia pro intellecta creatura mundi impietas hominum, qui non probauerunt deū habere in notitia iudicanda est. Septimo autem, id multò maximè, & per omnem modum amplius, ꝓ aduentu filij Dei iudicandi sunt, quia nō receperunt eum. Nūquid enim non audierunt. Et quidem in omnē terram exiuit sonus eorum, &c. Audierunt cælis enarrantibus, & viderunt in sole positū tabernaculum eius, nec est qui se absondat à calore eius. Hoc tā mirabiliter quā veraciter dictum, quia videlicet nō magis eos latuit filij dei aduentus, quàm sol iste qui ab omnib. videtur. Pro hoc (inquam) amplius iudicandi sunt, & pro hoc multò maximè inexcusabiles erunt. Igitur & hoc rectè dictum vel factum est, vt cum singulis cæterorū dierū semel, septimo die ciuitas circuiretur septies. Septimus nāq; dies, in quo requieuit deus ab omni opere suo quod patrārat, sicut latius in exordijs huius operis diximus, ipse est filius dei, cuius illis aduentus ad iudicium est.

Itaque

CAP. VI.

Exod. 3.

Deut. 38.

Psal. 49.

CAP. VI.

Psal. 136.

Rom. 10.

Psal. 18.

Rom. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque & rex ciuitatis diabolus, videntibus
Apoca. 18. cunctis, præcipitabitur, & muri eius corruẽt funditus, flẽtibus, ſicut plenius in Apocalypſi habemus & plangentibus omnib. qui cũ illa fornicati ſunt, ac dicentibus: Væ væ ciuitas illa magna Babylõ, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. Itemque ſecundo: Væ væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſino, & purpura, & cocco, & deaurata eſt auro, & lapide prætioſo, & margaritis, quoniã vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ. Ac deinceps tertio: Væ væ ciuitas magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habẽt naues in mari de pretijs eius, quoniam vna hora deſolata eſt.

Quòd Ioſue contemplatione iudicij diuini vrbem anathematizauerit, & eum maledixerit, qui muros eius reſtitueret.

CAPVT XX.

IN tempore illo imprecatus eſt Ioſue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit & ædificauerit ciuitatem Hiericho. In primogenito ſuo fundamenta illius faciat, in nouiſsimo liberorum ponat portas eius.) Duo dixit: Primò, ſitq; ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt. Deinde maledictus vir coram domino, qui ſuſcitauerit ciuitatem Hiericho. Duo, inquam, dixit, & neutrum in amaritudine furoris, ſed ex proprij motu animi, ſed diuini cõtemplatione iudicij, ciuitatem peccatricem deoque odibilem condemnauit. Denique ſententia eius vtrobiq; diuinum teſtimonium eueſtigio ſubſecutum eſt. Nam vt taceã, quod muri ſolo dei nutu, & ſine manu hominis funIoſue 7. ditus corruerunt, Achar filius Charnu filij Zaddi, filij Zare de tribu Iuda, tollendo aliquid de anathemate, turbauit omnẽ Iſrael, Domino terribiliter inclamante. Anathema in medio tui Iſrael. Non poteris ſtare corã hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere. Item qui ſuſcitauit & ædificauit ciuitatem Hiericho, ipſe iuxta q̃ imprecatus eſt Ioſue in primogenito ſuo fundamenta illius iecit, & in nouiſsimo liberorum poſuit portas eius. Sic enim habemus
3. Reg. 16. in lib. Reg. tertio: In diebus Achab ædificauit Ahiel de Bethel Hiericho, in Abiram primitiuo ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſsimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun. Sanè quod dictum eſt: In primitiuo ſuo fundauit eam, & in nouiſsimo ſuo poſuit portas eius, idem eſt ac ſi diceretur: Quãdo fundamẽta eius iecit, ſtatim mortuus eſt filius eius primogenitus, & deinceps inter ædificandum paulatim ſecundum ordinem natiuitatis decedentibus filijs omnibus, vbi (quod nouiſsimum erat operis) poſuit portas eius, mortuus eſt filius eius nouiſsimus: mira ambitione pertinaciã fulciente, vt ambiendo conditoris nomen, totum cum effectu perderet genitoris honorem.

Quòd in vindicta quæ facta eſt in Iſrael propter anathema quod furatus eſt Achar, exemplum ſancitum ſit contra auaritiam.

CAPVT XXI.

QVare autem tanta ſæueritate cæleſtis iudicij in eos vindicatum eſt, niſi vt venturis ſeculis metus eorum exemplo ſanciretur? Futurum quippe erat, quod hodie videmus) vt ſcilicet falſorum fratrum auaritia ſimul & ambitione, non modicè Eccleſia dei turbaretur. Quid enim? Nónne omnes qui in Chriſto Ieſu baptizati ſumus, Hiericho, id eſt, mundum hunc anathematizauimus, abrenunciando diabolo, & omnibus pompis eius? Eccè autem de nobis exierunt, quàm plurimi imitatores Achar de tribu Iuda, qui videlicet fidem profitentes catholicã, quod eſt eſſe vel dici de tribu Iuda (Iuda quippe confeſsio interpretatur) tulerunt de iſto anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt, atque inter vaſa ſua repoſuerũt. *Ephe. 5.*
Dum enim ſub ſpecie pietatis, pulchri incedentes atq; religioſi, auaritiæ ſtudent, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, & cuncta malitiæ ſpiritualis faciunt venalia, quid aliud quã *2. Tim. 4.*
anathema furantur, & mentiuntur, & abſcõdunt inter vaſa ſua, imò inter conſcientias ſuas. Hãc malitię radicẽ, & huius fellis amaritudinẽ, primũ in Symone mago per os beati Petri Apoſtoli, vniuerſa Chriſti Eccleſia terribiliter anathematizat, & hæreticam eſſe hydriam indicat. Nõ ergo (inquit dominus) poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eosq; fugiet, quia pollutus eſt anathemate. Vbi enim in ſacerdotibus, vel eis qui præſunt, auaritia *Matth. 21.*
regnat, & principatũ obtinet pecunia, hi qui ſunt Iſrael arma virtutum contra vitia tenentes, & prout oportet arguere, obſecrare volentes, ſtare non poſſunt contra hoſtes liberè repugnantes, quippe quos pecunia tuetur, vt de vitijs ſuis aliquando non ſaltẽ impunè arguantur. Vnde & apud Euangeliſtã Matthæum. Pulchro myſterio dictum tenemus, quia cùm Dominus noſter facto de funibus flagello, vendentes & ementes de templo eieciſſet, tunc demum acceſſerunt cæci, & claudi ad eum in templo, & curauit eos. Non prius cæcos & claudos curauit, quam illos latrocinantes de ſpelunca eiecit, quia videlicet non vitia curari, nec virtutes poſſunt illuſtrari, niſi prius Mammon de cordibus ſacerdotum, aut ipſi ſacerdotes cum illo deo ſuo de templo dei fuerint eiecti. Hoc (inquã) futurum erat, & idcircò vtiliter præmonſtrãdum erat in illo vno Achar, qualis vel quanta ſecundum nomen eius, quod interpretatur tumultus vel turbator, cunctis imitatoribus eius turbatio vel pœna ſit repoſita. Rectè igitur ſeuerè, & ſine vlla venia pro tali in illum furto vindicatum eſt, lapidante illum omni Iſrael, & omnia quæ illius erant igne ſunt conſumpta, præloquente Ioſua, ac dicẽte, quia turbaſti nos, turbet te Dominus in die hac.

Ioſue 7. die hac. Quamuis enim illo dicente: Fili mi da gloriam domino Deo Iſrael, confitere, & indica mihi quid feceris, & ne abſcondas: ille confitendo reſponderit, verè ego peccaui domino Deo Iſrael, & ſic & ſic feci, non tamen vllam mereri veniam debuit, quia videlicet confeſsio nimium tarda fuit. Antè enim turbatus eſt Iſrael, quàm ille reatum agnoſceret & antè ſors veridica Deo auctore prodidit perſonam, quàm ipſe culpam.

Quare omnis ſententiæ fuerit, vt cuncti reges cõtra Iſrael pugnarent, & pugnando caderent, & quod illa cædes, & ſole ſtante prolongata dies, longum iudicij diem ſignificet.

CAPVT XXII.

CAP. X. QVibus auditis, cuncti reges trans Iordanem, qui verſabantur in montanis, & campeſtribus, in maritimis, ac littore maris magni, hi quoq; qui habitabant iuxta Libanum, Aetheus, & Amorrhæus, & Chananæus, Pherezeus, & Aeueus, & Iebuſęus congregati ſunt pariter, vt pugnarent contra Ioſue & Iſrael, & vno animo, eademque ſententia, &cætera.) Omnes peccato ſuo duce congregati ſunt, vt perirent, quia videlicet domini
Leuit. 17. ſententię fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiam. Quare autem hoc domini ſententiæ fuit? Videlicet quia tam peſsimi erant, tamque peccatores, vt ipſa eos terra meritò euomeret. Cum enim dixiſſet, qui cũ iumento & pecore coierit, morte moriatur: mulier quæ ſuccubuerit cuilibet iumẽto, ſimul interficietur cum eo: cum (inquam) hęc & his ſimilia dixiſſet, ſubſecutus ait: ne & vos euomat terra, quam intraturi eſtis, & habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus ſum eas. Iuſtè ergo domini ſententiæ fuerat, vt indurarentur corda eorũ, & pugnarent, & non mererentur vllam clemẽtiam, ſicut præceperat dominus Moyſi. Quid
Deut. 10. enim præceperat dominus Moyſi? Si quãdo, (inquit) acceſſeris ad expugnandam ciuitatẽ, offere ei primo pacem. Sin autem fœdus inire noluerint, & cætera. Ac deinceps: De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullũ omninò permittes viuere, ſed interficies in ore gladij, Aetheum videlicet, Amorrhęum, & Chananæum, Pherezeum, & Aeueum, & Iebuſæum, ſicut præcepit dominus Deus tuus, ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt dijs ſuis, & peccetis in dominum Deum veſtrum. Parum autem erat apud homines, tantum victorem, qui nec mortuis parceret, ſed mortuorum quoque colla pedibus calcari præciperet, mortuosque patibulis affigeret, de crudelitate excuſari prædicto teſtimonio, vel præcepto legis, niſi etiam defenderetur in
CAP. X. præſentiarum nouo & inaudito miraculo iuſti Dei. (Cum (inquit) fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Betheron, dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo, vſq; ad Azeca & Maceca, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filij Iſrael. Tunc locutus eſt Ioſue domino in die qua tradidit Amorrhęum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne moueãris, & luna contra vallem Ahialon. Stetit itaq; ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei. Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.) Quid igitur in omnib. his, niſi futuri vniuerſalis iudicij iuſti figura vel documentum eſt, quando is qui in multitudine miſericordiæ iudicandus aduenit, in fortitudine iuſtitiæ gladium (vt ſupra ſignificatum eſt) euaginatum tenens, iudicaturus aduenit? Tunc profectò ſole ſtante, & non feſtinante occumbere, longus dies erit, donec ſe gens vlciſcatur de inimicis ſuis. (Nónne, inquit, ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorũ?) Quo in libro iuſtorum, niſi in vniuerſitate ſanctarum & veridicarum ſcripturarum? Vniuerſitas quippe illarum, diem illum tremendis declamat præconijs, diem longum, diem magnum, diem amarum. Iuxtà eſt (inquit Propheta) dies domini magnus, iuxtà eſt & velox nimis. Vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Verè longus, verè magnus dies, cuius magnitudinem tot vocibus, tantis declamationib. explicare Propheta non valet. *Sopho. 1.*

Pro eo quod eiectis gentibus, Ioſue terram in funiculo diſtributionis ſorte diuiſit, id ſignificari, quod manſiones in domo patris, gratia Dei diſtribuuntur, & non ex meritis.

CAPVT XXIII.

ET dixit dominus ad Ioſue: Senuiſti & CA. XII. longæuus es, terraque latiſsima derelicta eſt, quæ necdum ſorte diuiſa eſt, &c.) Quoniam & hoc ab imperio domini procedit, vt non hominum arbitrio, ſed occulto ſortis iudicio tribubus Iſrael diuideretur terra repromiſsionis, ne hoc quidem à myſterio vacare credendum eſt. Quid enim eſt, quod ejectis à facie eorum gentibus, ſicut & pſalmiſta canit: Sorte diuiſit eis terram in funiculo *Pſalm. 77.*
diſtributionis, niſi quòd beata patria, de qua ſuperbientes eiecti ſunt apoſtatæ angeli, cunctæ manſiones illæ quæ multæ ſunt in domo *Ioan. 14.*
patris, gratia Dei diſtribuuntur, & non ex meritis. Dei enim donum eſt, & non ex nobis (inquit Apoſtolus) vt ne quis glorietur. *Epheſ. 2.*
Rectè igitur ſorte, in qua non hominis electio, ſed occulta die cuncta agit diſpoſitio, terra illa diuiſa eſt: quia videlicet, gratia Dei, quam nulla præceſſerunt merita, noſtra terra viuentium ſperanda nobis & poſſidenda

est. Transeamus nunc ad librum Iudicum, & planam tritamque historiæ superficiem transilientes, in his duntaxat venerandum quæramus mysterium, vbi pro re vel tempo re se exerit domini verbum, vbi ad eius dicitur vel agitur quid cæleste imperium.

Finis Commentariorum in Librum Iosue.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LIBRVM IVDICVM, COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Quod duodecim sint Iudices vsque ad Samuel, vndè & liber Iudicum dictus est.

CAPVT I.

POst mortẽ Iosue consuluerũt filij Israel dominum, dicẽtes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum & erit dux belli? Dixitq; dominus: Iudas ascendet. Eccet erram in manu eius, &cætera.) Liber iste idcirco liber Iudicum appellatur, eo quod de illis cõscriptus sit qui iudicauerunt Israel, antequam in gente illa regum nomen, vel regia potestas expeteretur. Fuerunt autem iudices numero duo decim, Primus, Othoniel filius Cenez frater Caleph. Secundus, Aoth filius Iera filij Gemini. Tertius Sengar filius Anath. Quartus, Barath filius Ahinoen, de cedẽs Nephtalim: Quintus, Gedeon filius Ioas. Sextus, Iair Galaadites. Septimus, Iepte Galaadites. Octauus, Abesam de Bethleem. Nonus, Ahialon Zabulonites. Decimus, Abdon filius Hellel Pharathonites. Vndecimus, Samson. Duodecimus, Samuel. De primo horum Othoniel ita scriptura refert: Et clamauerunt filij *Infra 3.* Israel ad dominum, qui suscitauit eis saluatorem, Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleph iuniorem. Fuitque in eo spiritus domini, & iudicauit Israel. Quoniam ergo nomine saluatoris & officio fungitur, & in eo fuit domini spiritus: rectè spiritualia saluatoris nostri Christi filij Dei mysteria in persona eius requiruntur. Historia de illo talis est.

De Othoniel, & vxore eius Axa filia Caleph: quid sedens in Asino & suspirans allegoricè significet.

CAPVT II.

DIxitque Caleph: Qui percusserit Cariath Sepher & vastauerit eam: dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cumque cœpisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleph minor, dedit ei filiam suam cõiugem. Quam pergentem in itinere monuit vir suus, vt peteret agrum à patre suo. Quæ cum suspirasset sedens in asino dixit ei Caleph: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem. Quia terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleph irriguam superius & irriguam inferius.) Hæc ipsa per anticipationem in libro Iosue dicta *Iosue 15.* sunt. Porrò Othoniel siue vt verius iuxta beatum Hieronymum scribitur Athoniel, tempus eius Dei, vel responsio Dei interpretatur. Significat autem magnum iudicem, imò saluatorem Israel CHRISTVM DEI filium, cuius typus quo populum suum visitauit tempus Dei, cuius euangelium nimirum responsio Dei est. Axa verò siue vt verius legatur Axaf, medicamentum interpretatur: nam Axa in furibundam vertitur. Loci huius sacramentum duplex, id est, tam allegoricum quam morale est. Nam Othoniel, scilicet saluator noster & iudex, tunc Cariathsepher, id est, ciuitatem literarum percussit, quę prius Dabir, id est, loquẽs siue loquela vocabatur, quando manifestata veritate euangelij: loquacem scribarum & pharisæorum synagogam in litera legis gloriantem redarguit. Nam eadem synagoga *Rom. 3.* rectè ciuitas literarum dicta est, cui primùm credita sunt eloquia Dei. Dixit autem saluator iste scribis & pharisæis, dixit (inquam) *Matt. 21.* & dictum opere compleuit: Amen dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ita per ciuitatem literarum, id est, eos qui tulerunt clauim scientiæ, percussit atque damnauit, proposito sibi præmio, vt acciperet Axam coniugem, id est, nouam de gentibus ecclesiam. Cuius pater per fidem factus est Caleph, quod interpretatur quasi cor, scilicet Deus, qui nobis factus est quasi cor, dicendo: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hinc ipse qui factus est ei vir saluator mundi, suasit vt peteret à patre suo agrum. Docuit enim ecclesiam suam orare & petere à Deo patre regnũ *Zacha. 1.* cælorum. Quæ cum suspirasset sedens in asi- *Matt. 6.* no, dixit ei Caleph: Quid habes? Axa sedens *Luc. 11.* asino suspirat, quando conuersa ad Christum ecclesia, prima iam gratia, id est, peccatorum

catorum remissione percepta, secundum gratiam, id est, sancti spiritus illustrationem regni cælestis desiderio postulat. Vndè & protinus subditur. Da mihi (inquit) benedictionem. Quia terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Terra namque arens est prima gratia remissionis peccatorum, quam in baptismo pariter omnes accipimus: irrigua verò aquis, cognitio vel desiderium cælestiũ bonorum, quod in diuersis diuersa operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

De eadem re moraliter, quæ sententia Beati Gregorij est.

CAPVT III.

CAeterum & moraliter Axa super Asinũ sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans, à patre terram irriguam petit, quia à creatore nostro cum magno gemitu quęrẽda est lachrymarum gratia. Sunt namq; nonnulli, qui iam CAPVT IIII. in dono perceperũt, pro iustitia libere loqui, oppressa tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere: sed adhuc gratiam lachrymarum non habent. Hi nimirum terram australem & arentem habent, sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atq; feruẽtes sunt, oportet ad minus vt aut timore supplicij, aut amore regni cælestis mala etiam quæ antea perpetrauerunt, deplorẽt. Et licet in multis speciebus compunctio diuidatur, quando singulæ quæque à potentibus culpæ planguntur, vndè & voce quoque pœnitentium Hieremias *Thren. 3.* ait: Diuisiones aquarũ deduxit oculus meus: Principaliter tamen compunctionis genera duo sunt, quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur, pòst amore. Prius enim in lachrimis se affligit, quia dum malorum suorum recolit pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At verò cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta: quædã iam de præsumptione veritas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum amarissimè deflet, quia differtur à regno. Contemplatur enim mens, qui sint illi angelorum chori, quæ societas sanctorum spirituum, quæ maiestas æternæ visionis Dei, & amplius plangit, quia bonis perennib. deest, quæ flebat prius cum mala interna metuebat. Sicq; fit, vt perfecta compunctio formidinis tradat animum cõpunctioni dilectionis. Quod benè in hac sacra veracíq; historia, figurata narratione describitur. Quia ergo, vt dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum superius accipit anima, cùm se in lachrimis cælestis regni desiderio affligit: Irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius irriguũ inferius, ac post irriguũ superius datur, sed quia compũctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit, vt prius irriguũ superius, & postmodum irriguũ inferius cõmemorari debuisset.

De Barach et prophetissa Debbora vxore eius, et quod idem sit Lapidoth.

CAPVT IIII.

QVartus iam nobis è iudicib⁹ assumitur Barach. Nam in Aoth qui secundus est, CAPVT IIII. mysterium requirere vel sacramentum, penè violentum est, quippe qui non tam diuino oraculo, quàm humano ductus ingenio, imò & dolo interfecit regem Moab, atq; idcirco non tam missus, quàm permissus dicatur à Deo, vt esset saluator. (Addiderunt (inquit) filij Israel facere malum in cõspectu domini, post mortem Aoth, & tradidit illos dominus in manu Iabin, regis Chanaan, qui regnauit in Asor. Habuitque ducem exercitus sui Sisaram, ipse autem habitabat in Aroseth gentium. Clamaueruntq; filij Israel ad dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus, & viginti annos vehementer oppresserat eos. Erat autem Debbora prophetes vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tẽpore, & sedebat sub palma, quę nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel, in monte Effraim. Ascẽdebantq; ad eam filij Israel in omne iudiciũ. Quæ misit & vocauit Barach filium Abinoen de cædes Nephthalim.) Barach idẽ qui Lapidoth vir Debbore prophetes fuisse traditur. Interpretatur autem Lapidoth fulgur. Barach quoq; fulmẽ. Fulgur idcirco, quia antequam vlcisceretur Israel de Chananæis, quasi fulgur splendebat in populo, meritis scilicet & prærogatiuis operum: postquã verò vltus est Israel de Chananæis, fulmen. i. percutiens vocatus est. Plana historia est. Caticum ergo eorum primò breuiter percurrentes, tunc demũ pulchrum perstringamus mysterium, quod intrinsecus latet.

Cantici illorum tractatus ex B. Hieron. liter aliter.

CAPVT V.

DOmine cùm exires de Seir, & transires per Edom, terra mota est, cæliq; ac nubes distillauerunt aquis.) Exisse dominus de Seyr dicitur, & transisse per Edom, eo quòd Idumæis legem suam recipere nolentibus in monte Synai legem Israel dederit. Terra mota est, cæli ac nubes distillauerunt aquis. Terræ motus montis Syna describitur. Et quòd dixit, cęli ac nubes distillauerũt aquis, ad præsentiam domini cæli, quasi quodam pauore sudorem emittentes, aquis distillasse dicuntur. Similiter & (Montes fluxerunt à facie domini:) Quod verò sequitur. (Et Synai à facie domini Dei Israel.) Subaudiendum est contremuit & fumauit. (In dieb. Samgar filij Arath in diebus Iahel quieuerunt semitæ, & qui ingrediebantur, ambulauerunt per calles deuios.) Quieuisse dicuntur semitę, quia tempore Samgar ducis Israel, præoccupatæ erãt semitæ ab inimicis Israel, & non audebant in domum domini liberè orandi gratia ascendere, sed qui ingrediebantur per eas, timore

Universidad de Deusto
Biblioteca

inimicorũ latenter, & per calles deuios ascen debant. De quibus inimicis nõ plenè eos Sam gar liberasse dicitur. Quod verò interponi tur, paulò superius in diebus Iahel, intelligẽ dum est, quia interẽpto Sysara à Iahel, aper tæ sunt viæ, & absq; vllo timore ibant in do mum domini, qui antea per calles deuios il luc gradiebantur, & quod Iahel aut Debbo ram hic ponitur, humilitatis causa hoc Deb bora fecisse dicitur, eo quod Iahel vxor A ber Cynei Syraram interfecerit. (Cessauerũt fortes in Israel, quieuerunt donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.) Fortes hic doctores & prædicatores legis dicit, qui quieuisse, id est, non fuisse dicũtur, donec sur geret Debbora, quæ Israel & predicatione & exhortatione doceret, & concilio ab hostib⁹ liberaret. Hos etiam fortes in superiorib. ad dominum secum benedicendum, eadẽ Debbora verbis his prouocat, dicens: Qui sponte obtulistis animas vestras de Israel ad periculũ, benedicite domino. Hi fortes, i. doctores obtulisse dicuntur suas animas ad periculũ, i. legi Dei & seruituti eius se subdidisse, & die noctuq; in meditationibus corpus animamq; macerasse. (Noua bella elegit dominus, & portas hostium iste subuertit.) Quomodo vel in quo noua bella? Sequitur continuò, & interrogando dicit: (Clypeus & hasta si appa ruerunt in quadraginta millibus Israel?) Sub auditur nõ. Hęc enim verior lectio, veriorq; sensus est, licet in plerisq; codicibus, detracta dictiũcula si, affirmatiuè soleat legi, qd' scri ptorum vitio inoleuit. Quod dicit clypeus & hasta, intelligendum est hòc quasi iureiuran do dixisse, quòd in quadraginta milibus, nec clypeus nec hasta inueniri posset. Idcirco Deus noua bella elegisse dicitur, & portas ho stium subuertisse, eo quòd de inermibus for tes & victoriosos fecerit. Quòd verò Israel armis expoliati fuissent, à Iabin rege Chana an, in superiorib. declaratur, vbi dicitur: Cla mauerunt filij Israel ad dominũ, nongentos enim falcatos habebat currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos. Vehemẽ ter & fortiter oppresit eos, quia armis expo liasse dicitur, sicut in lib. Samuelis scribitur: *Capit. 4.* Cumq; venisset dies prælij, non est inuentus ensis & lancea totius populi, qui erant cum Saul & Ionatha, excepto Saul & Ionatha filio *1. Reg. 13.* eius. (Cor meũ diligit principes Israel.) Sciẽ dum, quod in Hebræo non principes, sed do ctores legitur. Hoc Debbora in persona Dei loquitur, quod De⁹ diligat doctores legi Dei studentes, de quibus dicitur subiungendo. (Qui propria voluntate obtulistis vos discri mini) in populo (benedicite domino.) De qui bus etiam iam superius dictum est in eo loco vbi ait: Qui sponte obtulistis animas vestras ad periculũ, benedicite domino. (Qui ascen ditis super nitẽtes asinas, & sedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.) Ascensores asinarũ populus Israel dicitur. Asinæ verò, in quib. ascendunt doctores tribus Israel di cuntur. Super quorum doctrinam reliquus populus, quasi super asinas ascẽdisse dicitur, i. requiescere. Et ipsæ asinæ nitentes dicun tur, hoc est, gradientes instar lunæ, in lege sedẽtes super iudicium, i. super legem. Quæ et iam super iudicium sedere dicuntur. i. super legem, & ambulare in via, subauditur legis, eo quod viã legis nequaquã excederent. Popũlũ itaq; qui super has asinas, i. super hos do ctores requiescebant, prouocat Debbora ad benedicendum dominum, & dicit: Loquimi ni, i. laudate. Et quasi interrogassent, vbi & quando laudabimus dominũ, illa respondit. (Vbi collisi sunt currus, & hostium suffoca tus est exercitus. Ibi narrentur iustitiæ do mini, & clementiæ fortis Israel.) Ac si dice ret: Quamuis semper & vbiq; Deus laudan dus sit, modò tamen à vobis potius laudan dus est, & benedicẽdus, qui inimicos vestros subuertit, sicut Aegyptios in mari rubro. (Tunc descendit ad portas populus domini, *Exod. 14.* & obtinuit principatũ.) Ad portas populus domini descẽdit. i. ad portas domus domini, quia benedicto & collaudato in loco victo riæ domino, descenderunt in domũ domini, vt ibi etiã dominum collaudarent, orationes & victimas ei offerẽtes. Quod verò de tribu Isachar, doctores cęterarum tribuum essent, mõstratur ex li. Paralip. vbi ait: De filijs quo- *1. Para. 12.* que Isachar eruditi viri, qui notant singula tẽpora, ad præcipiendũ quid facere deberẽt Israel, principes ducenti. Omnes aũt reliquæ tribus, eorum cõsilium sequebãtur. Et quod idem doctores asini sint, monstratur in lib. Gen. vbi legitur, Isachar asinus fortis, accu bans inter terminos. Vidit requiem, quòd esset bona, & quod optima terra, & suppossuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens. Asinus in lib. Gen. vbi *Gen. 49.* sequitur, fortis dicitur, propter fortitudinẽ legis, eo quod legem in humero portaret, & cæteris tribub. tributum. i. doctrinam legib. impenderet. In li. verò Iudicũ asinæ dicũtur, eo quod virib. fracti & humiliati atq; infirmi manerẽt, iugo scilicet gentiũ pressi atq; humi liati, & sola tantũ lege Dei cõtenti. Surge surge Debbora, surge surge loquere canticum.) Notandum, quod in Hebręo expergiscere le gatur, id est, expergiscere in spiritu prophe tiæ. Præfatorum itaq; doctorum vocib. Deb bora prouocatur, vt expergiscatur in spiritu prophetiæ & laudis, & non cesset à laudibus Dei. Vndè & sequitur. Loquere canticum. (Surge Barach, & apprehende captiuos tuos fili Ahionem.) In Hebræo dicitur, prædare prædam tuam fili Ahionem. Hac sententia vocibus etiam eorundem doctorum Barach ammonetur, vt deprædetur reliquias inimi corum suorum, & ad internitionem eos vs que perducat, & nomen sibi victoriæ lauda biliter acquirat. (Tunc saluatæ sunt reliquiæ populi.) Hæc sententia ad intelligendum, iungen-

iungenda est sententiæ superiori, qua dici tur, vbi narrentur iustitiæ domini, clementię fortis Israel, eo quod tunc saluatæ sunt reli quiæ populi. Dominus in fortib. dimicauit.) In Hebræo legitur, dominus propter me in fortibus dimicauit, & est vox totius pop. Is rael. Dimicauit enim propter eos in Aegy ptijs, & cæteris inimicis Israel. Vndè & sequi tur. (Ex Effraim deleuit eos in Amalech.) i. Iosue, existens de tribu Effraim, deleuit for tes inimicos Israel in Amalech, & populum *Exo. 17.* eius in ore gladij, sicut legitur in li. Exo. Fu gauitque Iosue Amalech & populum eius in ore gladij. Et quod idem Iosue ex tribu Ef *Nume. 13.* fraim fuerit, monstratur ex li. Num. vbi dici tur: De tribu Effraim, Osęę filium Nun. Quẽ & in consequentibus Iosue vocat, dicẽs: Vo cauitq; Moyses Oseæ filium Nun Iosue. (Et post eum in populos tuos Amalech.) Post eũ i. Iosue ex tribu Beniamin existens, Saul po pulum Amalech præcipiente domino dele uit. Quod de spiritu prophetiæ Debbora & Saule futurum prophetauit, & hoc secundũ schema, quod vocatur prolepsis, dictum est, *3. Reg. 15.* quod ipse esset deleturus Amalech, sicut ha bes in li. Samu. Sed & quod ait: O Amalech, in Hebręo non legitur, sed Latinus interpres sensus gratia hoc addidit. (De Machir princi *CAP. V.* pes descẽderunt, & de Zabulon, qui exercitũ ducerent ad bellandum.) In Hebręo legitur. De Machir principes descenderunt, & subau ditur ad bellandum. i. ad prosternendum Sy sara principem, & de Zabulõ, subauditur de scenderunt, qui ducerent de tribu literarum i. de tribu Isachar, & subauditur ad bellandũ. i. ad Deũ collaudandũ, & exorandũ, de quib. & sequitur. (Duces Isachar fuere cũ Debbo ra.) In Hebręo, principes. i. Doctores legis fu ere cũ Debbora, ad collaudandũ Deũ. (Et Ba rach vestigia sunt secuti.) Intelligendum est, quia pars quædam illorum cum Debbora ad Deum collaudandũ remansit, & pars Barach vestigia sunt secuti ad populum exhortandũ & debellandum Sysaram. (Qui quasi in prę ceps ac baratrũ se discrimini dedit.) Barach, scilicet, credens verba domini, se discrimini dedit, præcipitans se in torrentẽ Cyson, per sequens & debellans Sysaræ exercitum. Bara trum in hoc loco torrens Cyson intelligitur. (Diuiso contra se Ruben, magnanimorum reperta contentio est.) In Hebręo non habe tur contra se. Vox enim Debbora est increpans Ruben. i. tribum Ruben, eo quod impe rio domini non obtemperans cum fratribus suis contra inimicos domini debellandos nõ ierit, sed timore perterritus, & verbis domi ni incredulus ab eis se diuiserit, & pro eo ma gnanimus. i. superbus, repertus extiterit. Vn dè & sequitur eorũ increpatio in spiritu pro phetiæ dicens: Quare habitas inter duos ter minos, vt audias sibilos gregum. In Hebræo non legitur, duos, sed, inter terminos. Et est sensus. O Rubẽ, quare habitas. i. quare rema nes inter terminos tuos, scilicet vicinarum tribuum tuarum, vt audias sibilos gregum? Ac si diceret, Greges quib. abundas, seruare cupis & amittere vereris, eorumq; sibilos au dire potius delectaris, quã cum fratribus tuis ad debellãdos hostes Israel progredi niteris: & qa hoc facis imperio domini superbus resi stis, vndè & sequitur idipsum, quod & suprà. (Diuisio Ruben, magnanimorum reperta cõ tentio est.) Eo quod malè fecerit, imperium domini paruipendens, & superbus existens. (Galaad trans Iordanem quiescebat.) Et hoc increpando dicitur, eo quòd remorante Ru ben cum eo Galaad pari cõsilio remansit. (Et Dan vacabat nauibus) quia videns, quod tri bus Ruben, & tribus Galaad, non irent cum fratrib. suis ad bellandum, timore correptus, nauibus vacando fugam arripuerit. (Aser ha bitabat in littore maris, & in portubus mora batur.) Similiter hoc increpando ponitur, eo quod Aser in littore maris habitans, in por tubus moratus fuerit, fugam potius arreptu rus, quam fratrib. compreliaturus. (Zabulon & Nephthalim obtulerunt animas suas mor ti in regione Meronie.) In Hebræo super re gionem Meronie. Et est sensus. Quia cæteris tribubus ire nolẽtibus, hę duę tribus, animas suas morti dederint super regione Meronie. Meronie enim interpretatur excelsus. Pro re gione enim excelsi. i. Dei, obtulisse dicuntur animas suas, & idcirco laudibus efferuntur, cum cæteræ comprehendantur tribus. (Ve nerunt reges & pugnauerunt.) Reges terræ Chanaan dicit, qui regi Labin subditi erant. (Pugnarunt reges Chanaã.) Idipsum repetit. (In Thanaac.) Thanaac enim prouincia est, vbi est torrẽs Cyson, iuxta aquas Mageddo. Mageddo enim ciuitas est posita super torrẽ tem Cyson. Et quod dicit: (Iuxta aquas Ma geddo.) Intelligitur iuxta torrentẽ Cyson ci uitas Mageddo. (Tamẽ nihil tulere p̃dantes.) Hoc subiannando dicitur, cũ non solum ni hil prædæ tulerint, quin potius animas erue re nequiuerunt. (De cælo dimicatum est con tra eos.) Quia in xl. milibus Israel clypeus & hasta inueniri non poterãt, idcirco dominus de cælo lapidibus grandinis & igni dimicauit *Iosue 10.* p̃ eis cõtra hostes suos, sicut & illud in li. Ios. (Stellæ manentes in ordine suo & cursu, ad uersus Sysaram pugnauerunt.) Stellæ, angeli intelligantur, qui de cælo contra Sysaram pu gnauerunt. (Torrens Cyson traxit cadauera eorum.) Est enim hic defectus, & quasi inter rogando, vbi & respondeatur in torrentem Cadumin. i. mare rubrum. Vndè & sequitur. (Torrens Cadumin, torrens Cyson.) Torrẽ tem Cadumin, mare rubrum vocat. Cadu min enim interpretatur antiquorũ, eo quod antiquè miracula in eo facta fuerint, transe untibus filijs Israel, & Aegyptijs pereunti bus. Et quia mare rubrum Aegyptios mor tuos euomuit, ita vt eos mortuos Israelitę su per littus maris viderent, & eadem cadauera

Universidad de Deusto
Biblioteca

piſcibus & beſtijs maris abſtracta fuerunt, idcirco traxit torrens Cyſon cadauera eorũ, vt pro cadaueribus Aegyptiorum ſibi ablatis cadauera Chananæorum ipſius maris rubri piſces & beſtię comederent. (Conculca anima mea robuſtos.) Hoc Debbora in perſona totius Iſraelis dicit, vt omnes vno animo robuſtorum, id eſt, fortiſimorum inimicorum ſuorum colla conculcarent, ſicut eſt illud in li. Ioſue de quinq; regibus Chananæorum. (Vngulæ equorum.) In Hebræo ſic legitur. (Tunc vngulę equorum ceciderunt fugientibus impetum, & per pręceps ruentibus fortiſimis hoſtium.) Lapidibus enim grandinum de cælis ab angelis vngulæ equorum cecidiſſe traduntur, vt ſit ſenſus. Si vngulę equorum cecidiſſe tactu lapidum creduntur, quid putas equitib. accidiſſe? (Maledicta terra Meroz dixit angelus domini.) In Hebræo legitur. Maledicite Meroz dixit angelus domini. Angelus domini ab Hebræis Michael intelligitur, qui iubet per Debboram populo Iſrael, vt maledicant Meroz, id eſt, poteſtatę angelicam, quæ præerat Chananæis. Meroz enim interpretatur arcanum. Idcirco maledici iubetur, id eſt, anathematizari, eo quod cæteris angelis dimicantibus pro Iſrael, ipſe nõ ſolùm non pugnauerit, verùm etiam in aduerſitate eorum perſtiterit. (Maledicite habitatorib. eius, id eſt, & Meroz & populo eius. Et redditur cauſa cur maledicantur. (Quia, ſcilicet, non venerunt in adiutorium domini, in auxilium fortiſimorum eius. Benedicta inter mulieres Iahel vxor Abercynei.) Inter mulieres, ſcilicet Saram, Rebeccam, Rachel, Liam, & cæteras fermè mulieres. (Benedicatur in tabernaculo.) ſubauditur domini, & ibi memoriale ſit eius, ſicut & Iudith. Et benè redditur cauſa cur benedicatur, quia ſcilicet ſapienter & prudẽter fecerit, eo quod petenti aquam lac dederit. Idcirco lac dedit, vt hoſtis fugiens, ſibi potiorẽ fidem accõmodaret. Et ſi quęritur, cur vinũ nõ dederit, reſpõdendum eſt, quia domus Rachab vinum nõ bibebat, ſicut habes in Hieremia propheta.

Ioſue 10.

Hiere. 35.

Quod myſticè Syſara diabolum, Debbora legem, Barach verò qui interpretatur fulmen, fortes legis viros ſignificet, qui illa legitimè vtentes, fortiter diabolum percuſſerunt.

CAPVT VI.

HAec ad literam dicta, magna ſpiritus & vitæ continent myſteria. Syſara quippe dux aduerſi exercitus, hoſtem generis humani, nomine ipſo ſignificat. Interpretatur nanq; equi viſio. Equi viſio diabolus eſt, qui omne ſublime videt, qui ſecundum naturam equi ſuperbi & fluxi ſpiritum hominis in ſuperbiam erigit, carnemq; luxurioſam velut equino fluxu polluit. Hic dux Iabin, quod interpretatur intelligentiæ, videtur enim ſibi eſſe Cherub. i. plenitudine ſcientiæ, dux, inquam, Chanaan. i. omnium quorum pedes per ſuperbiam moti ſunt (Chanaã quippe interpretatur motus eorum) nongẽtos habuit falcatos currus, id eſt, ſuperbiuit in omni potentatu, ita vt ſibi pro Deo præeſſe videretur, cunctis angelorum ordinibus. (Erat autem (inquit) Debbora prophetes vxor Lapidoth. Debbora apes interpretatur. Significat autem legem, quæ tanquam in cæra mel, id eſt, in litera, ſpiritus continet dulcedine. Hęc autem vxor Lapidoth, qui & ipſe vocatus eſt Barach. Vir Debborę populus fuit Iudaicus, legis ſtudium vel ſcientiam profeſſus. Lapidoth fulgur, Barach fulmen interpretatur. Et fulgur quidem coruſcat, ſed breuiter, fulmen autem ferit fortiter. Lapidoth ergo, id eſt, fulgur populus ille erat, pro parte illorũ qui breuiter, imò inaniter ſolo legis literalis ſermone coruſcauerunt, fulmen verò pro parte illorum, qui legem adimplendo, fortiter diabolum percuſſerunt. Igitur Debbora, id eſt, lex ſancta & iuſta & bona, miſit & vocauit Barach filium Abinoen, idem populum Iudaicum, patrem Deum labijs honorantem, ſecundum nomen Abinoen. Abinoen quippe interpretatur patris mei decor. (Vade (inquit) & duc exercitum in montem Thabor.) Thabor veniens lumen interpretatur, illum ſignificans, de quo veraciter Zacharias cecinit, dicens: Viſitauit nos oriens ex alto, &c. Ergo in montem Thabor, duc (inquit) exercitum, id eſt, crede in eum, ſpera in eum qui Abrahæ promiſſus eſt, qui de ſemine Abrahæ venturus eſt, ſcilicet Chriſtum lumen verum, benedictionem omnium gentium. Nam in illum montem ducere exercitum, id eſt ſpem vitæ vel iuſtitiæ ponere in Chriſtum, hoc Debbora præcipit Barach, hoc enim lex vniuerſa, hoc, inquam, legis & prophetarum ſancta imperat Iudaico populo ſcriptura. (At ille: Si (inquit) venis mecum, vadam. Si nolueris venire, nõ pergam.) Hoc planè populus ille dixit, quia iuſtitiam ſuam volens ſtatuere, iuſtitię Dei ſubiectus eſſe noluit. Hoc inquam ille non Barach, ſed Lapidoth dixerit, id eſt, populus ille, non pro parte fortium & perfectorum fortiter fulminantium, ſed pro parte imperfectorum breuiter coruſcantium ſiue fulgurantium, qui fiduciam habentes in operibus legis neſcirent ſibi eſſe aduentum vel gratiam Chriſti. Sed enim ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro corã Deo. Dicit ergo Debbora: (Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Syſara.) Quod eſt dicere: Tibi quidẽ lex obſeruata, quamuis nõ ad perfectũ adducendo proderit, ſed cum Chriſtus venerit, eccleſia de gentibus per ſolam fidem eius ſperãs iuſtificari, perfectionem plenamque victoriam obtinebit. (Aber autem Cyneus receſſerat quondam à cæteris Cyneis fratribus ſuis, &cæt.) Cynei poſteri erant Obab, id eſt, Iethro cognati Moyſi, de quibus aliàs iam dictum eſt. (Deſcendit itaq; Barach de monte Thabor, & decẽ millia pugnatorũ cũ eo. Deſcendit Barach, Barach, inquam, nõ iam Lapidoth, id eſt, non iam fulgur, ſed fulmen deſcẽdit de monte Thabor, ſcilicet Iudæi magni & veri Chriſti Apoſtoli afflati ſpiritu ſancto, miſsi à Chriſto, & cum eis decẽ millia pugnatorum, ſcilicet fide armatus vniuerſus exercitus credentiũ. Vnde canitur in Pſal. Currus dei decẽ millibus multiplex, millia lætantiũ dominus in eis in Syna in ſancto. Deſcenderũt, inquã, dignatione, ſcilicet, quia credentes ipſi illuminati, nondũ credẽtes & adhuc cæcos reſpicere dignati ſunt.

Luc. 1.

Rom. 10.

Rom. 3.

Pſal. 67.

De Iahel vxore Aber Cynei, qualiter Syſaram interfecerit, & quòd eccleſia de gentibus typum geſſerit.

CAPVT VII.

PErterruitq; Dñs Syſaram, & omnes currus eius, vniuerſamq; multitudinem in ore gladij, ante cõſpectũ Barach, in tantum, vt Syſara de curru deſiliens, pedibus fugeret, & Barach perſequeretur fugientes currus & exercitũ vſq; ad Aroſeth gentium, & omnia hoſtium multitudo vſq; ad internetionem caderet.) Dominus (inquit) perterruit Syſaram. Quis enim alius niſi dominus noſter, Dñs virtutum, & rex gloriæ perterruit diabolum, & de curru ſuperbiæ in pedes deiecit eum, iuxta Pſal. decentẽ. Tu humilia ſti ſicut vulneratum ſuperbum. Illum ipſe perterruit, ad cõſpectum Barach, ad conſpectum Apoſtolorũ. qui fuêre ex Iudaico populo, cui Debbora, ſicut iam dictũ eſt, id eſt, ſacra lex primò nupſit. Illi erant cæli enarrãtes gloriam dei, & illis comitantibus atq; fulminantibus, ſignaq; & prodigia facientibus perterritus diabolus de curru deſiliuit. Imperatorum enim & principum ſeculi, cõuerſorum ad Chriſtum, altitudinem perdidit. Quid deinde? Fugiens (inquit) peruenit ad tentorium Iahel vxoris Aber Cynei. Erat enim pax inter Iabim regem Azor, & domũ Aſer Cynei. Iahel cerua ſiue coniugium ceruale interpretatur. Significat aũt eccleſiã de gentibus, quæ veluti cerua ceruo. i. viro ſuo Chriſto nunc per fidẽ copulatur. Quæ cõmedit quidẽ ſerpentem admittendo peccati venenum, ſed pro hoc pœnitens dicit ſingulariter ex perſona ſingulorum, dicit vniuerſaliter in perſona omniũ membrorum ſuorum, qui ſunt vnũ corpus, vna eccleſia, vnus populus. Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Deiectus de curru, & pedib. fugiens tabernaculum eius ingreſſus, & pallio eius opertus eſt, quia perdito falſo diuinitatis vocabulo, quo adulter in publicis gloriabatur conuentib. populorum, occultus irrepſit in eccleſię tabernaculum, vt occultis quaſi ſub pallio vitijs refocillaretur, vt victoris Chriſti non valens fuſcare nomen, ſaltem morũ in domo eius corrumperet pulchritudinem. Sed quid illa fecit? (Tulit (inquit) clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè & cũ ſilentio poſuit ſupra tempus capitis ſui clauum, percuſſumq; malleo, defixit in cerebrum vſq; ad terrã. Qui ſoporẽ morti ſocians, defecit ac mortuus eſt.) Verè iuxta ſcripturam aliã, mulier fortis accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Siniſtrã manum miſit ad clauum, & dexterã ad fabrorum malleos. Talis habitus corporis, profectò figurã crucis exprimit. Clauus tabernaculi ipſum eſt ſtigma paſsionis Chriſti. Clauum tulit, quæ iuſſa mortificare membra ſua ſuper terram, crucem ſuã baiulauit, crucifigens carnẽ ſuã cum vitijs & concupiſcentijs. Hoc tunc validè fit, quando nõ pro vanitate humanæ laudis, ſed pro gloria aſſumitur dei afflictio carnis, non, inquam, in ambitione auræ popularis, ſed in timore Dñi. Idcircò Pſalmiſta poſtulat. Confige timore tuo carnes meas. Rectè igitur ſiniſtrã manũ miſit ad clauũ, & dexteram ad fabrorum malleos. Siniſtra inferius ad clauum viſibilis operatio pœnitentię eſt in oculis hominum. Malleus in dextera deſuper, timor Dñi in intentione cordis eſt. Ita factum eſt, vt capiti eius defigeret clauũ valdè in cerebrum vſq; ad terram. Quare in capite quæſiuit vulneri locũ? Videlicet quia peccati caput eſt feriendum, ne poſtquam ventre irrepſerit, difficilior pugna ſit. Caput prima peccati ſuggeſtio eſt, venter autẽ ſubſequens delectatio. Porrò conſenſus eauda eſt. Vnde ligetur animus, quemadmodum de Beemoth ad beatum Iob dicitur. Stringit caudã ſuam quaſi cedrus. i. fortius tenet, quemcunq; per conſenſum ligauerit diabolus. Igitur in capite quæratur vulneri locus, id eſt, nõ expectata cauda cõſenſus, imò delectationis vẽtre, prima ſuggeſtio clauo dominicę crucis, cũ timoris dñi malleo trãsfigatur.

Pſal. 18.

CAP. IIII

Pſal. 41.

Prou. 32.

Pſal. 118.

Iob. 40.

De cantico Debboræ & Barach à qualibus rectè ſecundum ſenſum myſticum in eccleſia Chriſti ſit canendum.

CAPVT VIII.

CEcineruntq; Debbora & Barach, filius Abinoen in die illo dicẽtes: Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras, ad periculum benedicite Dño.) Canticũ hoc iuxta literam ſuprà decurſum, ſpiritualiter in eccleſia iugiter illis canendum eſt, qui ad bella ſpiritualia ſpõtè animas ſuas obtulerũt. i. qui nõ cõtenti acceptaſſe pręceptũ, vt fortius pugnarẽt cõtra diabolũ, ſecuti ſunt & conſiliũ, ſpõtè offerendo animas ſuas, ſponte, inquam, & ex voto gratuito, cũ rebus & poſſeſsionibus ipſis, quas pro domino reliquerunt, ſuas quoque vbi cauſa popoſcit, obtulerunt animas. Iſti ſunt reges, iſti ſunt principes. (Audite (inquit) reges, percipite auribus principes. Ego ſum, ego ſum, quæ Dño canam, pſallam deo Iſrael.) Ego ſum (inquit) Debbora, ego ſum (inquit) lex diuina, quæ domino canã. Quanticunque reges, quanticunque principes, os ſuum ad canendum aperiant, ego ſum quæ

CAP. V.

Universidad de Deusto
Biblioteca

domino canam, nam extra legē diuinam, extra canonicā scripturam nihil est quod domino deo canat. Quid igitur canam? Quid domino deo Israel psallā? (Domine cùm exires de Seyr, & transires per regiones Edom, terra mota est, cæliq; ac nubes distillauerunt aquis. Montes fluxerunt à facie domini, & Synai à facie domini de Israel.) Seyr pilosus, Edom terrenus siue sanguinolentus, Synai tētatio interpretatur, quibus vtiq; nominibus populus ille Iudaicus denotatur hactenus persequens Iacob fratrem suum. i. supplantatorem de gentibus, populū Christianū, peccatis hispidus, cupiditate terrenus, crudelitate sanguinolentus, maximè Christi sanguine, & prophetarum eius. Notum autē & certū est, quia de illo Seyr exiuit, & per regiones illius transiuit, populum illum reliquit, & ad nationes transiuit, dicendo nimirū propheticā, dicēdo voce euāgelica. Eccè relinquetur vobis domus vestra deserta. Igitur domine (inquit) cū exires de Seyr, & trāsires per regiones Edom, terra mota est, cæliq; ac nubes distillauerunt aquis. i. cū carnales relinqueres Iudæorū cæremonias, templumq; Christi filij tui sanguine pollutum, præsidibus eius angelis tuis, vt Iosephus quoq; testatur, clamantibus, transeamus ex his sedibus, terra omnis, audita euangelij tui prædicatione, ad pœnitentiā mota est. Cæli de quib. scriptum est, cæli enarrant gloriam dei, cæli, inquam. i. Apostoli, ijdemq; nubes, de quibus alibi scriptum est: Et nubibus mandabo, ne pluuant super vineam meam imbrem, distillauerunt vbiq; aquis sapientiæ, aquis doctrinæ euangelicæ, ita vt non essent loquelæ, neq; sermones, quorum non audirentur voces eorum, & in omnē terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hocidem verbis quidem paulò immutatis, sed eodem sensu alibi Psalmista concinit. Deus cū egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est, &c. Reliqua cantici, superius literali expositione digesta, studio proficiscendi præterimus.

Matth. 23.

Ioseph.

Psal. 18.

Esa. 5.

Psal. 67.

Moraliter de eo, quòd Gedeon cùm à paleis frumenta excuteret, angelum vidit, ad cuius imperium hœdum coxit. CAPVT IX.

CAP. VI. FEcerunt autem filij Israel malum in conspectu Domini. Qui tradidit eos in manu Madian septē annis, & oppressi sunt valdè ab eis. Venit autem angelus domini, & sedit sub quercu quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas, patrem familiæ Ezei. Cumq; Gedeon filius eius excuteret atq; purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei, & ait: Dñs tecū virorum fortissime,) &c. Hic primo sensus moralis nō prætereundus est. Gedeon cū à paleis frumenta excuteret, angelum vidit, ad cuius imperium protinus hœdum coxit, quē super petrā posuit, & ius carniū desuper effudit. Quid est frumentum virga cedere, nisi rectitudine iudicij, à vitiorum paleis, virtutū grana separare? Sed hęc agentib. angelus apparet, tanto magis enim dominus interiora denunciat, quāto se studiosius homines ab exteriorib. purgant. Qui occidi hœdum præcipit. i. oēm appetitū nostrę carnis immolari, carnesq; supra petrā poni, & ius carnium desuper effundi, quē alium significat petra, nisi eū de quo per Paulum dicitur: Petra aūt erat Christus? Carnes ergo supra petrā ponimus, cū corpus nostrū in Christi imitatione cruciamus. Ius etiā carnium desuper effundit, qui in cōuersatione Christi, ipsas etiā carnales cogitationes exinanit. Quasi enim ius ex carne liquida ī petra funditur, quādo mens à cogitationum carnaliū fluxu vacuatur. Quę tamē mox angelus virga tangit, quia intentionē nostrā nequaq; potestas diuini adiutorij deserit. De petra aūt ignis exit, & ius carnesq; cōsumit, quia afflatus à redemptore spiritus, tanta cor nostrum flāma cōpunctionis cōcremat, vt omne q̄ in eo est illicitū & operis & cogitatiōis exurat. Perfecta em̄ mēs solerter vigilat, vt nō solū puersa agere renuat, sed omne etiā quod in se per cogiationes turpiter loquatur, tergat.

1. Cor. 10.

De gemino signo velleris, quale in vtroque futurorum præsagium fuerit. CAPVT X.

DIxitq; Gedeon ad Dominum. Si saluū facis per manum meā Israel, sicut locutus es, ponā vellus hoc lanę in area. Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciā q̄ per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita, &c.) Iuxta historiam delictum quidem est & tentatio, quod adhuc secundo & tertio petit signum, postquā superiore signo quod primū fuit, accendēte igne de petra, & carnes azimosq; panes cōsumente, vidit & agnouit, quod esset angelus domini. Nec mirū, quod cōtra legē potuit tentare dñm, qui post victoriā, de auro eiusdē victorię facere potuit Ephot, quod & posuit in ciuitate sua Ephra, fornicatusq; est ipse, & omnis Israel cū eo. Vnde Gedeon interpretatur, tentatio iniquitatis eorū, licet & aliàs interpretetur circuiēs vterum. Porrò iuxta sensum mysticum, vtrunque nō veleris signum futurorum præsagium est. Quā diu ros in vellere, tam diu in omni terra fuit siccitas. Itemque econtra, vbi omnis terra rore maduit, solum vellus siccum fuit. Sic profectò, quā diu in Iudæa notus erat deus, quam diu in Israel magnum erat nomen eius, totus mundus siccitate, id est, ignorantia Dei marcebat, & econtra nunc, vbi in tota multitudine & latitudine mundi, spiritus sancti dona diffusa sunt, Iudæa Christum nō habens, omnimoda supernæ gratiæ squalet inopia. Quod respiciens Psalmista, Domino canit, Domino patri de filio eius Christo dicit: Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillātia super terrā. i. prius veniet in cognitionem Iudæorum, & descendet deinde su-

Psal. 75.

Psal. 71.

per terrā. i. in cognitionem gentium. Ideò autē per vellus populus Iudæorū intelligitur, quia sicut vellus sine corruptione & dolore agni succiditur, ita Iudaicus populus primū deo adhærens, à fide Christi sine damno ipsius domini est separatus. Quamuis rectè & aliter debeat intelligi. Nā descendet sicut pluuia in vellus. i. sicut pluuia in vellus descendit, sine omni corruptione & dolore ipsius velleris: ita ipse rex nascetur de virgine sine omni corruptione virginis, & postea descendet sicut stillicidia stillantia super terrā, id est, in cognitionem omnium hominum.

De mystica eius pugna, trecentis viris probatis contra Madian. CAPVT XI.

CAP. VII. DIxitq; dñs ad Gedeonem: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo eos. Et de quo dixero tibi vt tecū vadat, ipse pergat. Quem ire prohibuero, reuertatur. Cumq; descendisset populus ad aquas, dixit dñs ad Gedeon. Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum. Qui aūt curuatis genib. biberint in altera parte erunt. Fuit aūt numerus eorum qui manu ad os proijciente aquas labuerant trecenti viri,) & reliqua. Et hic vt superius in Barach cantatum est) noua bella elegit dominus. Actū quippe est, vt cū trecētis viris tantum modo qui stantes manibus aquas hauserunt, & cum eo remanserunt, cū his ad prælium pergeret, eosq; nō armis, sed tubis, lampadib. lageniscq; armaret. Nā sicut scriptum est, accensas lampades miserunt intra lagunculas, & tubas in dextera, lagenas autē in sinistra tenuerunt, & ad hostes suos cominus venientes, cecinerunt tubis, cōfregerunt lagunculas, lampades aperuerunt. Et hinc tubarum sonitu, illinc lāpadarum coruscatione territi hostes sunt in fugā conuersi. De hoc nanq; bello per prophetā dicitur: Iugum enim oneris eius, & sceptrum exactoris superasti, sicut in die Madian. Eripiens nempe gentilitatem dñs, superauit iugum oneris eius, cū eam aduentu suo ab, illa dæmoniacę tyrannidis seruitute liberauit. Superauit CAP. VII virgam humeri eius, cū percussorem illius, qua ex peruerso opere grauiter deprimebatur, ab humano genere redempto cōpescuit. Superauit sceptrum exactoris eius, cū regnū eiusdē diaboli, qui pro pestifera perpetratione vitiorū cōsueuerat tributa debita pœnarū exigere, de fideliū corde destruxit. Quid est hoc, quod tale bellum per prophetā adducitur ad medium, & aduentui redēptoris nostri istius pugnæ victoria cōparatur? An indicare nobis propheta studuit, quod aduētum redemptoris nostri cōtra diabolū illa Gedeonis pugnę victoria designauit? Talia illic nimirum acta sunt, quę quāto magis vsum pugnandi transeunt, tāto amplius à prophetandi mysterio nō recedunt. Quis enim vnquā cum lagenis & lampadib. ad prælium venit? Quis cōtra arma veniēs, arma deseruit? Ridi-

Esa. 9.

Cap. 5.

Psal. 23.

Matth. 12. Marc. 8. Luc. 9.

Ezech. 9.

Rom. 11.

cula nobis hęc, pfectò fuerāt, si terribilia hostib. nō fuissent. Sed victoria ista attestāte dicimus: ne parui hęc quę sunt facta pendamus. Gedeō itaq; ad prēliū veniens, redēptoris nostri signat aduētum, de quo scriptū est: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex glorię? Dñs fortis & potens, dñs potens in prælio. Hūc redēptorē nostrū, nō solū opere, sed etiā nomine prophetauit. Gedeō nāq; interpretatur circuiēs in vtero. Dñs enim noster p maiestatis potētiā, omnia circūplectitur, & tamē per dispēsationis suæ gratiā intra vterū virginis venit. Quid est ergo circuiēs in vtero, nisi omnipotēs deus sua dispēsatione nos redimēs, diuinitate cūcta cōplectēs, & humanitatē intra vterū sumēs: in quo vtero & incarnatus esset, & clausus non esset? Quia & intra vterū fuit per infirmitatis substātiā: & extra mundū p potentiā maiestatis. Madiā verò interpretatur, de iudicio. Vt enim hostes eius repellēdi, destruēdiue essēt, nō de vitio repellētis, sed de iudicio iustè iudicātis fuit. Et idcircò de iudicio vocātur, qa alieni à gratia redēptoris iustę dānationis meritū etiā in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeō cū trecētis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo introducto cētenario numero designatur, nisi perfecta cognitio trinitatis. Cū his quippe dñs noster aduersarios destruit, cū his ad prædicatiōis bella descēdit, q̄ possunt diuina cognoscere, qui sciūt de trinitate, q̄ deus est, perfecta sentire. Notandū verò est, quia iste trecētorū numerus in tau litera cotinetur. Et p tau literā, sicut iā diximus, species crucis ostenditur, quæ crucis speciē tenet, cui si super transuersa linea id quod in cruce eminet, adderetur, nō iā crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecētorum numerus in tau litera cōtinetur, nō immeritò in his trecētis Gedeonē sequētib illi designati sūt, quib. dictū est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē suā, & sequatur me. Qui sequentes dñm tāto verius tollūt crucē, quāto acrius se domāt, & erga pximos suos charitatis cōpassione cruciātur. Vnde & per Ezech. certo in his trecētis qui in tau litera cōtinētur, hoc exprimitur, q̄ ferrū hostiū crucis ligno superetur. Dictuq; sunt ad fluuiū, vt aquas biberēt. Et quicūq; aquas flexis genib. hauserunt, à bellica intētione remoti sunt. A quis nanq; doctrina sapiētię, stātis aūt genu, recta operatio significatur. Qui ergo dū aquas bibūt genu flexisse perhibentur, ab eorū certamine prohibiti recesserūt: quia cū illis Christus cōtra hostes fidei pergit ad prelium, qui cū doctrinæ fluēta hauriunt, à rectitudine operū non inflectuntur. Oēs quippe tunc bibisse aquā, sed non oēs recto genu stetisse narrati sunt. Reprobatiq; sunt, qui genua dum aquas biberent, inflexerunt, quia attestāte Apostolo:

Non au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quia enim vt diximus, dissolutio operū in ipsa genuum
Hebr. 12. incuruatiõe signatur: rectè per Paul. dicitur, Remissas manus, & genua dissoluta erigite, & gressus rectos facite pedib. vestris. Igitur Christo duce ad bella prodeunt, qui hoc q̄ ore annunciãt, opere ostendunt, qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamẽ in prauis operib. carnaliter inflectuntur: quia sicut scriptum est. Nõ est speciosa laus in ore
Eccl. 15. peccatoris. Itũ est igitur ad prælium, cũ tubis, cum lampadib. cum lagenis, atq; iste (vt diximus) fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis. Intra lagenas aũt missæ sunt lampades: cõfractis vero lagenis, lãpades ostensæ sunt, quarũ coruscante luce, hostes territi in fugã vertuntur. Designatur ergo in tubis clamor prædicationis, in lãpadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporũ. Tales quippe dux noster secũ ad bella prędicationis duxit, q̄ despecta salute corporum, hostes suos moriẽdo p̄sternerẽt: eorumq; gladios nõ armis & gladijs, sed patiẽtia superarẽt. Armati em̃ venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri, sed tubis, sed lampadibus, sed lagenis. Qui cõsonuerunt tubis dũ prędicãt, cõfregerunt lagenas, dum soluẽda corpora in passione hostilib. gladijs supponunt. Resplenduerunt lampadib. dũ post solutionẽ corporum miraculis coruscauerunt. Moxq̃ hostes in fugã versi sunt, quia dũ mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare cõspiciũt, luce veritatis fracti, q̄ impugnauerant, crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, vt lagenæ frãgerentur: lagenę fractę sunt, vt lãpades apparerent: apparuerunt lãpades, vt hostes in fugã verterentur. i. prædicauerunt martyres, donec eorũ corpora cum eo in morte soluerẽtur, vt miraculis coruscarent. Coruscauerunt miraculis, vt hostes suos ex diuina luce prosternerent: quatenus nequaq̃ deo erecti resisterẽt, sed eũ subditi formidarent. Et notandũ, q̄ steterunt hostes ante lagenas, fugerunt aũt lãpades, quia nimirum persecutores sanctæ fidei prædicatorib. adhuc in corpore positis restiterunt. Post solutionẽ verò corporum apparentibus miraculis, in fugã versi sunt, quia pauore cõterriti à persecutione fideliũ cessauerunt. Prædicatione. s. tubarum fractis lagenis corporũ, visis timuerunt lãpadibus miraculorum. Intuẽdũ est etiã hoc q̄ illic scriptum est, quia in dextera tubas, in sinistra aũt lagenas tenuerunt: Pro dextro enim habere dicimus quicquid pro magno pẽsamus: pro sinistro verò, quod pro nihilo ducimus. Benè ergo hic scriptũ est, quòd in dextra tubas, & lagenas in sinistra tenuerũt: quia Christi martyres pro magno habẽt prędicationis gratiã, corporum verò vtilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit vtilitatẽ corporis, quã gratiã prædicationis, in sinistra tubã, atq; in dextera lagenã tenet. Si em priore loco gratia prędicationis attẽditur, & posteriore vtilitas corporis: certũ est, quia dextris tubæ & sinistris teneãtur lagenæ.

De Iepthe Galaadite, q̄ Abraham quidem in exemplum deo parendi, hic autẽ in exemplum nobis sit, temeraria vota cauendi, & qualis super illo Ioannis Chrysostomi homilia sit. CAPVT XII.

FVit illo tempore Iepthe Galaadites, vir *CAP. XI.*
fortissimus, atq; pugnator, filius mulieris meretricis, q̄ natus est de Galaad, & reliqua.) Vnum est, q̄ in isto Iepthe pietas humana rationi admixta iustè accusare posit. i. quod in consultè nouit, quod sine custodia discretionis os suũ ad deum aperuit. Quid enim? Nunquid indiscretè vouere debuit? Nunquid nõ dñs in lege dixerat. In omni oblatione tua of- *Leuit. 2.*
feres sal? An fortè discretè vouit, vel in hac oblatione sua sal obtulit, qui dixerit. Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicũque primus fuerit egressus de forib. domus meæ, mihiq; occurrerit reuertẽti cum pace à filijs Ammon, eũ holocaustum offerã dño? Nónne cognoscere quisq; debet, vtrum bonum sit vel malũ quod vouet, cognoscere & videre vtrum vel maculatũ vel immaculatũ sit quod offerat? Hoc igitur est, quod iustè quisq; repræhendat, hoc vnũ in isto est, quod anima Deo deuota sapienter vitare debeat. Nã quòd ad deũ cõfugit, quòd fideliter à deo victoriã sperauit, non solũ non repræhensibile, sed & laude dignum fuit, vnde & in epistola quę dicitur Pauli Apost. ad Hebręos, *Hebr. 11.*
in cathalogo patrum fidelium cõscriptus est, qui per fidẽ vicerunt regna, operati sunt promissiones. Porrò & deus in hoc facto inexcusabilis est qui nõ prohibuit, quin ille filiã *Gen. 22.*
suã sibi sacrificaret. Nõne enim eadẽ, qua sanctus Abrahã, & iste via venerat ad sacrificandum? Nõ vtiq;, nã illum laudanda obedientia: istũ verò castigãda temeritas adduxerat. Rectè igitur quando extendit manum & arripuit gladium, vt immolaret filiã, nõ præstò fuit angelus dñi, qui clamaret de cælo dicẽs: ne extendas manum tuã super puellã, neque facias illi quicquã. Proinde ille quidem in exemplum deo parendi, hic autẽ exemplum sit nobis temeraria vota cauendi. Extat de hoc Homilia Ioan. qui Chrysost. dictus est, qua *1. Cor. 10.*
& hoc factum Iepthe inter illa cõputare nõ dubitauit, de quib. dictum est: Hæc autẽ omnia in figura cõtingebãt illis. Vnusquisq;, ait, nostrum debemus esse Iepthe, qui deuictis amicis cupiditatum nostrarũ, voluptatis car- *Psal. 21.*
nis nostræ offeramus vnicã animã nostram, de qua dicebat propheta: Erue à framea de animam meã, & de manu canis vnicã meam. Occisis in nobis omnibus delectationib. carnis, victores redimus ad deum, offerentes ei, vt dixi animã nostram, quæ est singularis & vnica. Sed scissis vestimentis malarũ cogitationum temporaliũ quæ valeant animam, of- *Matth. 10. & 16.*
feramus illã occidendam in malis, viuificandam in bonis. Vnde dicebat dñs in euãgelio.

Qui

Qui perdiderit animam suã, inueniet eã. Ac *Luc. 10.*
deinceps. Adhuc, inquit, istum Iepthe, existi- *Matth. 10.*
mo esse dominum nostrũ Iesum Christum victorẽ mundi, qui obtulit filiam suã vnicã ipsam ecclesiã tempore persecutionis, malis pontificib. non agnorũ, sed luporum: ipso dicente: Eccè ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Obtulit ergo ecclesiam per immolationẽ martyrum tempore persecutionis. & victima vnica oblata est deo, vt sacrificium acceptabile esset patris ex lucris vnigeniti. Offert vnicus, vnicã: spõsus, sponsam: pater, filiã. Quid enim potest inueniri fortis integritate & virginitate ecclesiæ: q̄ concipit in corruptiõe, creat in integritate? Virgo est ista, quæ virum non nouit. Plangit aũt sexaginta diebus virginitatẽ suam. i. omnib. suis diebus. Nec enim mittit ad dñm eos qui ipsa proficiunt, nisi ex magna tribulatione, nisi ex planctu, & fletu, & lachrymis. Hæc ecclesia cultoribus suis lætitiã nõ promittit, neq; in p̄senti seculo securitatẽ: quia reuera omnis lætitia periculosa est, omnis securitas casibus plena, omnis iucunditas laqueis impeditur. Hæc prædictus Ioannes. Verùm nos ea prætercurrentes, in quib. iubẽtis desuper vel agentis domini maiestas nõ effulget: ad illa properemus, in quib. auctore ipso gestis, manifestior mysteriorũ pulchritudo perlucet.

Degestis Samson fortissimi, quòd manifestè fuerint opera virtutis Dei: & idcircò rectè in illis quærentur mysteria Dei.

CAPVT XIII.

CAPVT XIII. RVrsumq; filij Israel fecerunt malum in conspectu domini. Qui tradidit eos in manus Philistinorum XL. annis. Erat autem quidã vir de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manue, habẽs vxorẽ sterilẽ, & reliqua.) Samsonis huius Nazaræi fortissimi, oẽs sunt actus mirabiles, manifestum in se diuinæ virtutis vel fortitudinis opus exprimentes. Neque enim opera sunt hominis, sed Dei: non, inquam, virib. hominis acta, sed virtute dei mirabilia facientis. Sunt autẽ numero septẽ. Primus actus est, quòd angelico prænunciãCAXIII. te ministerio, Nazaręus dei de muliere sterili natus est. Secundus, q̄ de comedente illi exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Tertius, quòd captis trecentis vulpibus, cau- *Cap. 14.*
das earũ iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas & igne succendit, vt pergerent in segetes Philistinorum. Quartus, q̄ percussit eos ingenti plaga, vt stupentes suram fœmori imponerent. Quintus, quod in maxillas asini, in mandibula pulli asinarum, deleuit & percussit mille viros. Sextus, quod obsessus Gazæ dormiuit vsq; ad noctis mediũ, & exinde consurgens, appræhendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, imposi- *Cap. 15.*
tasq; humeris portauit ad verticẽ montis. Septimus, q̄ cõcussit duas magnæ domus columnas, & multo plures interfecit moriens, quã ante viuus occiderat. Igitur quia cuncta *Cap. 16.*
hæc (vt prædictũ est) opera sunt dei, neq; fieri potuerunt, nisi agente spiritu fortitudinis dei: in singulis vt rerũ veritas, dignitasq; poscit, gloriosa scrutemur sacramẽta Christi filij dei, in quo septiformis spiritus S. requieuit.

De eo quòd Nazaræus fore prænunciatus est, & de iuncta matri continentia, quo sensu ad Christum et virginem eius matrem aspiciat.

CAPVT XIIII.

STerilis, inquit, es absq; liberis, sed concipies & paries filium. Caue ne vinũ bibas ac sicerã, nec immundũ quicquam comedas, quia cõcipies & paries filium, cuius non tanget caput nouacula. Erit enim Nazaræus dei ab infantia sua, & ex matris vtero: & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorũ.) Iam ex hoc ipso, quod sterili ex matre nasciturus Samson promittitur: magnis & primis cõparabilis est patribus, Isaac, & Iacob, & Ioseph, qui oẽs steriles diu matres habuerunt, omnesq; fide promerente, superno munere deficienti naturæ dati sunt, & in factis suis Christi dñi nostri figurã prætulerunt, quem non more suo natura, sed præcipua præ omnibus Nazaræis, factum de ventre virgineo protulit gratia. Matris vel mulieris huius sterilitas, beatæ Mariæ secundũ figuram est virginitas. Quid enim secundũ naturã sterilius virginitate? Igitur vbi apparet angelus domini, dicens huic, sterilis es, & absq; liberis, sed concipies & paries filium: in mente nobis veniat Gabriel angelus domini, dicẽs illi: virgo es, & nõ cognouisti virum, sed eccè cõcipies & paries filiũ. Nẽpe, & quod huic ait, caue ne *Luca 1.*
vinũ bibas ac sicerã, nec immundũ quicquã comedas, quia cõcipies & paries filium, cuius nõ tanget caput nouacula: illa mysticè præparatio est, quæ in his angeli verbis intelligẽda est. Spiritus S. superueniet in te, & virtus *Ibidem.*
altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur filius Dei. Deniq; beatæ virgini spiritus S. superueniente, purificari, vinũ ac siceram non bibere, & immundum non quicquã comedere fuit. Vinũ quippe ac sicerã bibere, vel immundũ quid comedere, est voluntatẽ carnis amare, virilesq; per libidinẽ complexus admittere. Sed profectò omnẽ ciusmodi appetitum beatæ virgini superueniens spiritus S. à mente & corpore eius exclusit. Igitur vinũ ac siceram nõ bibit, nec immundũ quicquã comedit paritura filium: cuius, cũ sit filius dei, caput tangere non debeat nouacula. i. blasphema cor rodere lingua. Quisquis em̃ negat illũ esse filium dei, quisquis non hominẽ ac deum, sed hominẽ tantũ illum esse asserit, p̄fectò caput eius ausu sacrilegio, & nouacula nimis acuta radit, quod fecit Dalila meretrix. i. synagoga cardinalis ingrata amãti. Erit enim, inquit, Nazaræus dei: Nazaræus, inquã, dei. i. sanctus dei, q̄ & dæmoniaca impuritas confessa est, *Luca 4.*
scio, inquiens, quis sis, sanctus dei. Præterea quod oblato sacrificio domino super petrã,

stante

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtante Manue & vxore eius flamma aſcẽdit. (Cumq; aſcenderet flamma altaris in cælũ, angelus domini in flamma pariter aſcendit.) Illud nobis pulchrè innuit, quia ſuſcepto Deus pater ſacrificio virgineæ fidei dicentis ad angelum: Eccè ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum: ſtatim ſpiritus ſancti ſplendoribus caſta repleuit viſcera, & receſſit angelus ab ea.

Quòd nomine ipſo Chriſtum figurauerit Samſon, qui catulum leonis, manibus in fruſta decerpſit, & fauũ mellis ex ore eius ſumptum, comedebat in via: & problemata eius, & vxor alteri tradita, quarum rerum Chriſti fuerint ſigna.

CAPVT XV.

CAPVT XIIII. PEperit itaq; filiũ, & vocauit nomen eius Samſon.) Ipſum quoq; Nazarei nomen reſonat Chriſtum. Samſon quippe interpretatur, ſol eorum. Quis autem Chriſtum eſſe neſciat ſolem verum, ſolem eorum, qui oculos habent, & in cælũ aſpiciunt? Igitur cuius munere peperit filium, eius inſtructu vocauit nomen eius Samſon. (Creuitque puer, & benedixit ei dominus. Cœpitq; ſpiritus domini eſſe cum eo in caſtris Dam, in Saraa & Eſtahol. Deſcendit igitur Samſon in Thamata, & reliqua.) Plena fortitudinis res geſta eſt. (Irruit (inquit) ſpiritus domini in Samſon, & dilacerauit leonem, quaſi hœdum in fruſta decerpẽs, nihil omninò habens in manu.) Catulus leonis ſæuus rugiens, qui occurrit illi, typũ prætulit diaboli, qui verè vt catulus leonis ſæuus ac rugiens ſaluatori noſtro occurrit, cũ adamatam coniugem acceпturus eſſet, id eſt, cùm ſynagogam ſua præſentia docturus aduenisſet. Vbi primum occurrit illi? In deſerto ieiunanti & eſurienti. Matth. 4. Cùm enim ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant, &c. Illic occurrentẽ ſibi leonem in fruſta decerpſit, nihil omninò habens in manu. Tertio nanq; tentantem confutauit, non fortitudine, qua in illum poterat vti deus, ſed ratione, & ſcripturarum teſtimonijs, qualibus & nos vti voluit, quotienſcunq; tentaremur. (Et poſt aliquot dies, inquit, eccè examẽ apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. Quem cùm ſumpſiſſet in manibus comedebat in via.) Reuertẽs Samſon Epheſ. 2. examen apum, & fauum mellis ſumpſit ex ore leonis, quia victo tentatore, Chriſtus regreſſus in Galilæam, in virtute ſpiritus duo Matth. 11. decim Apoſtolos elegit. Quomodo illi erãt in ore leonis? Planè vt taceam quod erant omnes ſecundum Adam natura filij iræ, ſicut & cæteri, Petrus & Andreas primi Apoſto. Philippus quoque à Bethſaida erãt ciuitate, quam per infidelitatem leo diabolus in ore tenuit, ipſo teſtante domino, cũ dicit: Væ tibi Corrozaim, væ tibi Bethſaida, qa ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quę in vobis factæ ſunt: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Amplius autem tunc examen apum & fauum mellis ex ore leonis aſſumpſit: quando palam in cruce de humani generis hoſte triumphans, non ſolùm Apoſtolos, ſed & omnes, qui per verbum eorum crediturí erant in illum, de poteſtate eius eripuit. Igitur fauum mellis ſic ſumptum in manibus comedebat in via, id eſt, voluntatẽ patris in ſalutem illorum delectabiliter faciebat in præſenti vita, quemadmodum dicit: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei. Interea & problema ꝓpoſuit ſodalibus ſuis (. De cõedente (inquiens) exiuit cibus, & Ioan. 4. de forti egreſſa eſt dulcedo) Iudæis nanq; loquebatur dominus in parabolis iuxta illud in pſal. Aperiã in parabolis os meũ, loquar ꝓ Pſalm. 77. poſitiões ab initio. Maximè aũt tunc illis ꝓblema propoſuit eiuſmodi, quando ſignificans qua morte eſſet moriturus: Nũc, inquit, iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Ioan. 12. In eo nanque quod eiecto foras principe mundi, omnia traxit ad ſe, de comedẽte illi cibus exiuit, & de forti dulcedo egreſſa eſt. Et huius problematis illi ſolutionem inuenerunt. Dixerunt enim, Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Itaque ſolutionem inuenerunt, veruntamen non in aliena vitula, ſed in propria arando conſcientia. Nam quod facere cogitabãt, hoc illum ſignificaſſe intellexerunt. Quo Marc. 16. tandem illud coniugium fine ſolutum eſt? (Iratus, inquit, nimis, aſcendit in domum patris ſui. Vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius, & pronubis.) Certum eſt, palã omni mundo eſt, quia Iudæis iratus nimis, aſcendit Chriſtus in domũ patris ſui: aſcendit, inquam, in cælum, & ſedet à dextris Dei. Vxor autem eius ſynagoga maritum accepit vnum de amicis eius & pronubis, vnũ de magnis patriarchis & prophetis amicis domini, Moyſen ſcilicet amicum & pronubum Chriſti, quia de illo ſcripſit. Illum accepit ſynagoga. Imò illum accepiſſe ſibi viſa eſt, glo- Ioan. 9. riãndo in legis eius litera, legẽdo legem eius ſine huius gratia. Verbi gratia: Tu, inquiũt, diſcipulus eius ſis: nam nos Moyſi diſcipuli ſumus.

Quòd illum afferentem hœdum de capris, & volentẽ cubiculum introire, prohibuit pater puellæ, & idcirco iratus, faciã, inquit, vobis mala, quid myſterij in Chriſto contineat.

CAPVT XVI.

CAP. XV. POſt aliquantum autem temporis, cũ dies triticeæ meſsis inſtaret, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.) Poſt aliquantum temporis, id eſt, poſtquã reſurrexit à mortuis, & in cælum aſcendit, ſanctumq; ſpiritum Apoſtolis ſuis dedit: cùm dies triticeæ meſsis inſtaret, id eſt, cũ tempus euangelicæ prædicationis adeſſet,

adeſſet, vt operarios ſuos dominus meſsis in mundũ vniuerſum mitteret: venit ipſe Chriſtus in Apoſtolis ſuis, in quibus loquebatur, inuiſere volens vxorẽ ſuam, conuertere volens ſynagogam, afferens illi hœdum, id eſt, prædicans pœnitentiam & remiſsionem peccatorum. (Cumq; eius cubiculum ſolito more vellet intrare, prohibuit eum pater illius.) Pater ſynagogæ, cœtus phariſaicus, cuius erat officium vel profeſsio, populum inſtruere, ſeueritate magiſtri, patris affectu. Talis profectò pater, clauim vſurpãs ſcientię, Chriſtum prohibuit ne intraret cubiculum ſynagogæ. Cæſis namque Apoſtolis, denunciaue Act. 5. runt, ne in nomine eius loquerentur vlli hominum. (Cui reſpondit Samſon, Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſtæos, faciã enim vobis mala.) Senſus penè idem & verba conſona ſunt hæc, Hieruſalem Hieruſalé Matt. 23. quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt. Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Hæc paſturus ore proprio dixit, & poſtquãpaſtus, poſtquã reſurrexit, & in cælũ aſcẽdit, itidẽ loquẽs in Apoſtolis ſuis, in illos Philiſtæos, in illos potione cadentes, ebriosq; ſuo ſanguine Iudæos, excuſſo puluere pedum, locutus eſt. Act. 13. Vobis quidem oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, ecce conuertimur ad gentes. Ita iam nõ eſt ab hac die culpa in me contra vos. Quid enim vltra debui facere, & non feci?

Quid in eo myſticum ſit, quòd trecentas vulpes cœpit, & caudas earum ad caudas, & faces ligauit in medio, & dimiſit vt irent in ſegetes Philiſtinorum, quitã mulierem quàm patrem eius combuſſerunt.

CAPVT XVII.

PErrexitq;, & cœpit trecentas vulpes, caudasque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio. Quas igne ſuccendens, dimiſit vt huc atque illuc diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſtinorum.) Quo perrexit, vel quas cœpit vulpes verus Samſon? Ad Gentes perrexit, in omnem terram exiuit, perſcrutansq; templorum antra ad delubrorum foucas, illas cœpit vulpes, de quibus Pſalmiſta: Philiſtæos iſtos, id eſt, Iu- Pſalm. 99. dæos ore prophetico percutiens. Tradentur inquit, in manus gladij, partes vulpium erũt. Vulpes namq; iſtæ, maligni ſpiritus ſunt, qui latebant in cordib. hominum, in ſimulachris gentium doloſè agentes, reſponſa fallacię ſuę CAP. XV. proferentes. Cœpit itaque trecentas vulpes, id eſt, in tribus orbis partibus, Aſia, Europa, & Affrica, rete ſuum expandens, cunctos ad iudicium protraxit, qui prò dijs colebantur, dæmones. Et nunc quidem de templis eiecti: huc, illucque diſcurrunt quærentes & non inuenientes requiem, ſed in caudis, vbi finis eſt corporis, colligatum portant incendium, id eſt, conſecuturum in fine ſeculi non ignorant damnationis iudicium. Statim, inquit, perrexerunt in ſegetes Philiſtinorum. Segetes Philiſtinorum, opera erant Iudæorum, ſtudia ſcribarum, traditiones Phariſæorum. Illuc omnes perrexerunt, quemadmodum in euangelio eſt ſignificatum. Cùm, inquit, Matth. 12. ſpiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa quęrens requiem, & nõ Luc. 11. inueniens dicit: Reuertar in domum meam vndè exiui. Et cũ venerit, inuenit ſcopis mũdatam. Et tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſsi habitant ibi. Et fiũt nouiſsima hominis illius peiora prioribus. Diabolus namque de corde gentilitatis eiectus, cum ſeptem, id eſt, vniuerſis malignitatis ſpiritibus, in gentem illam reuerſus eſt, vndè exiuit: quando primùm de erroribus Aegypti eductam, Deus verus ad cultum ſuum reuocauit. Igitur ſegetes Philiſtinorum, & confortatæ iam fruges concrematæ ſunt: intantum, vt vineas quoque & oliueta flamma conſumeret: quia videlicet cuncta opera Iudæorum, cunctæ ceremoniæ vel ritus eorum Dei odio damnati ſunt: intantum, vt ciuitatem quoque & templum hoſtilis flamma conſumeret. (Dixeruntque Philiſtijm. Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt, Samſon gener Thãnathæi, quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus eſt.) Planè Iudæi & ſecundũ corpus traditi in manus gladij, & ſecundum animã partes vulpium, id eſt, malignorum ſpirituum effecti, ignorare non poterant, quis feciſſet hanc rem, quo proſcelere paterentur tam peſsimam rem. Erat itaq; manifeſtum in cordibus illorum iudicium, teſtimonium reddente contra illos conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitatiõum accuſantium, & defendere non valentium. (Aſcenderuntque Philiſtijm & combuſſerũt tam mulierem, quàm patrẽ eius.) Philiſtijm, inquam, combuſſerunt Philiſtæos voluntate vlciſcendi: Iudæi autem Iudæos intereme-runt, non voluntate exigẽtes vindictam ſanguinis Chriſti, ſed cauſa occulta agente contra ſemetipſos armati. Obſeſsi namque foris à Romanorum exercitu, triplici (vt hiſtoriæ referunt) intrinſecus bello diſſecabãtur. Bellum erat intra vrbem, bellum inter ciues, bellum ante templum. Eleazarus interiora, & circuitum omnem templi occupauerat. Simon ſuperiora vrbis tenebat. Medius eorũ Ioannes aduerſus vtrunque pugnabat, Eleazaro inferior, Simone ſuperior. Itaq; per vulpes immiſſo primùm incendio, Philiſtæi Philiſtæos, id eſt, deſertricem Samſonis mulierẽ cum patre eius combuſſerunt: quia videlicet per malignos ſpiritus, quib. poteſtas data eſt, Iudæi contra ſemetipſos inflammati, ipſi ſynagogam ſuam cunctumque ordinem ſacerdotalem ac Leuiticum perdiderint, tandemque viſibiliter quoque exuſta eſt ciuitas, & templum eorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo percusserit Philistæos, vt stupentes suram fœmori imponerent: & quale vsque hodie, secundum hæc sit opprobrium Iudæorum.

CAPVT XVIII.

QVibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem & tunc quiescam.) Iuxta literam quod dicit hoc est, licet causam meam vindicaueritis cõburendo mulierem quondam meam, & patrem eius, qui illam viro alteri tradidit: tamẽ vltionem adhuc expetam ex vobis, tanquam non de vindicibus, sed de hostibus meis. Nõ enim mihi fauendo, sed vestram vltionem quærendo, illos combusistis. (Percussitque eos ingenti plaga, ita vt stupentes suram fœmori imponerent.) Stupentes, inquit, videlicet stupore corporis. Non enim mentis, sed corporis stupor est, succisis vel cõbustis varicibus, geniculares quoque neruos contrahi, sicq; sura fœmori cohærente tam turpiter, quàm miserè nates à terra non posse subleuare. Adhuc igitur, inquit, ex vobis expetam vltionem, vt scilicet vulpes supradictæ, quarum caudas iunxi ad caudas facibus in medio ligatis, non maiore mihi ridiculo per segetes vestras nates suas flamma vrgente agitauerunt, quam vos ipsi per terram vestram nates vestras rependo trahetis. (Et descendẽs habitauit in spelunca petræ Ethan.) Ethan interpretatur fortium. Quanta fortitudine secundum hoc nomen de petra eadem contra hostem promouerit, claret ex subiectis. Sanè verus Samson virtutum princeps suis itidem inimicis Iudæis dixerit. Licet hęc feceritis, licet facti partes vulpium, & traditi in manus gladij, bellis nihilominus intestinis, & seditionum pertinacia vobismetipsis exitio fueritis in vindictam sanguinis mei: tamen adhuc ex vobis quicunque supersestis expetam vltionem. Percutiam vos ingenti plaga, ita vt stupẽtes suram fœmori imponatis: vt videlicet, quemadmodum is qui arefactis meatib. sanguinis, contracto fœmori suram imponit, ad communem hominum staturam assurgere nequit: sic vos captiui in omnes gentes abducti, & opprobrium omnibus effecti, semper diminuti capitis, & minimæ conditionis habeamini. Tunc quiescam, id est, non omninò vos occidam, quemadmodum dixi in propheta: Deus ostẽdit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei, disperde illos in virtute tua. Hæc dixit & fecit, & descendens atq; discẽdẽs vsq; hodie habitat in spelunca petræ Ethan. Petrę namq; Ethan, petræ fortium spelunca, ecclesiasticæ fidei conscientia est tuta & solitaria, in qua nimirum illa requiescens habitat.

Psal. 58.

De asini mandibula, qua mille viros percussit: et quòd ita Christus per contemptibilia & infirma, fortia quaque confundat.

CAPVT XIX.

DEscenderunt igitur tria milia virorum de Iuda ad specum Silicis Ethan. Dixeruntque ad Samson, Nescis quòd Philistijm imperant nobis? Ac deinceps. (Inuentamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ iacebat arripiés, interfecit in ea mille viros.) Iam satis experti fortitudinem Samson Nazaræi, id est, compertam habentes omnipotentiam Christi filij Dei: adhuc tamen ascenderunt Philistijm, ascenderunt potione cadẽtes, vel casuri Iudæi in terram Iuda, in terram confessionis contra ecclesiam catholicam, in qua est fides & confessio veritatis. Descenderunt & propter eos tria millia virorum de Iuda ad ligandum Samson, quia videlicet per tres orbis partes. Asiam, Europã, & Africã, quàm plurimi qui de Iuda esse videbantur, qui Christum confitebantur, de qualibus Apostolus: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, adiutores facti sunt Iudaicæ impietatis, multis quidem scissuris, sed eodem Christum apprehendere volentes spiritu malignitatis. Sed quid ille? Inuentam maxillam, id est, mandibulam asini, quę iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros. Maxilla vel mandibula asini in manu Christi, illa stulta & infirma mundi, illa sunt ignobilia & contẽptibilia mundi, de quibus Apost. dicit: Videte vocatiõem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, nõ multi potẽtes, nõ multi nobiles: sedquæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contẽptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. Inuentam itaque maxillam asini quæ iacebat arripiens, interfecit in ea mille viros, quia videlicet inuentos eos qui non erãt, qui ignobiles & contemptibiles mundo atq; abiecti erant, confudit & destruxit inimicos suos: quod iam partim factum est commutando illos in bono: partim faciendum est, damnando illos qui benè occidi non potuerunt in futuro iudicio. Hoc mirabile opus fecit Deus, Samson fortissimus Christus omnipotentissimus. Sciebat quod grãde sibi certamen, grauisq; disceptatio foret contra legis peritos, contra oratores, cõtra mũdi philosophos, cõtra nobiles & fortes, reges, imperatores, tyrãnos. Et hoc sciens, nõ vocauit prima expeditione multos sapientes, nobiles, siue potentes, quorum linguis magniloquis, quorum gladijs siue potestatibus euangelium suum roboraret: sed tales nimirum, qui tanquam leonibus asini, sic despecti essent sapientibus, nobilibus, atque potentibus illis: scilicet idiotas, non scribas: homines sine literis, non sedentes in cathedra Moysi: simplices, non oratores: piscatores, non imperatores. Et ait: (In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos.) Asinus prior, id est Iudaicus: pullꝰ asinæ iunior, est Gentilium populus. Ergo maxilla asini, Apostoli de Iudæis non valdè secundum carnem magni aut inclyti: mandibula pulli asinæ, martyres & doctores fuere de gentibus electi.

1. Ioan. 2.

1. Cor. 1.

electi. Nam & si omnes qui de Iudæis, & de gentibus in initio prædicationis euangelicæ fuere vocati, tanquam asinus, velut & pullus asinarum mundo erant despecti: attamen hi qui totum pondus certaminis susceperunt, qui totam victoriã perfecerunt, velut in maxilla asini, & velut mandibula pulli asinarũ, magis fuere contempti. i. apud mundum istũ, stultorum stultissimi, & despectorum despectissimi, qui contumelias honoribus præferrent, pro Christo mori quàm viuere mallẽt.

Quod aperuit dominus molarem dentẽ asini, et egressa sunt aquæ largissimæ, cuius rei mysterium sit.

CAPVT XX.

CVmq; hęc canens verba complesset, proiecit mandibulam de manu. Sitiensque valde. En, inquit, siti moriar, incidamque in manus incircuncisorum. Aperuit itaq; dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillauit spiritum, & vires recepit.) Quomodo verus Samson Christus dominus illã de manu sua proiecit maxillam siue mandibulam: in qua tantam salutem, tantamq; fecit victoriam? Nunquid illos deseruit, aut dereliquit, per quos pugnauit & vicit? Non vtique deseruit aut proiecit, sed tamen occidi permisit atque prosterni, & visi sunt oculis insipientium mori. Proiecit ergo illos de manu sua, nõ inuitos, sed spontaneos, tradẽtes corpora sua propter Deum ad supplicia. Clamauitque & ait: En siti moriar, & c. Grandis enim illi cura fuit, imò ecclesiæ eius, quę est corpus eius, magna solicitudo, & grandis erat metus: ne decidentibus apostolis, quorum meritis & virtutibus innitebatur, periret religio, fides infirmaretur, & ad delendum Christianum nomen manus incircuncisorum, manus infidelium & impiorum roborarẽtur. Sed quid? Aperuit, inquit, dominꝰ molarẽ dentẽ in maxilla asini: & egressę sunt ex eo aquę. Nihil veriꝰ, nihil manifestius. Prostratis enim in mortẽ sanctis apostolis & martyribus, sepulchra illorum viuas aquas emanauerunt, corpora illorum miraculorum gratiam profuderunt. Hoc omnib. membris Christi dulce fuit, hoc omnib. fidelib. eius desudãtib. in agone Christiano tale fuit, quale quies lasso, quale peræstum, dulcis aquæ properãte sitim restinguere riuo. Nã exinde creuit fides, roborata est spes, charitas magis ac magis inualuit. Itaque refocillauit spiritum Samson, & vires recepit.

Sapient. 3.

Quod obsessus hostibus, media nocte surrexit, portas tulit, & cum eis verticem montis ascendit.

CAPVT XXI.

CAPVT XVI.

ABijt quoq; in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem. Ingressusq; est ad eã. Quòd cũ audissent Philistijm & percrebuisset apud eos, intrasse vrbem Samson, circundederũt eum, positis in porta ciuitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt facto mane, exeuntem occiderent.) Et meretrix ista fornicariam synagogam significat, cui per prophetam Deus dicit: In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix. Ad hanc Samson ille fortissimus ingressus est, quando Christꝰ in ea cum hominibus cõuersatus est, & apud illam prædicare & miracula facere dignatus est. Sed circundederunt eum Philistæi, circũdederunt & obsederunt Iudæi, quemadmodum in Psalmo dicit: Quoniam circundederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. Quid enim Gaza ciuitas, nisi infernum significat? Quid per Philistæos, nisi Iudæorum perfidia demonstratur? Qui cũ dominum mortuum viderent, eiusque corpus in sepulchro iam positum, custodes illico deputauerunt, & eum qui auctor vitę claruit, inferni claustris retentum, quasi Samson in Gaza se deprehendisse lętati sunt. Samson verò nocte media nõ solum exijt, sed etiam portas tulit: quia videlicet redemptor noster ante lucem surgens, non solum liber exijt de inferno, sed inferno ipsa inferni claustra destruxit, portas tulit, & montis verticẽ subijt, quia resurgẽdo claustra inferni abstulit, & ascendendo cęlorum regna penetrauit.

Hiere. 2.

Psalm. 11.

Quòd Dalila quæ Samson rasit, synagogam significet, quæ Christum blasphemauit, & in Caluariæ loco crucifixit: et quid sit mysticè, Samson, id est, Christum ligari, &c.

CAPVT XXII.

POst hæc amauit mulierem, quę habitauit in valle Sorech, & vocabatur Dalila. Veneruntque ad eam principes Philistinorum, atque dixerunt. Decipe eum, & disce ab eo in quo tantam habeat fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere. Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille centum argenteos.) Hæc mulier tandem decipiendo prævaluit. Primò tentauit, & non potuit. Secundò & tertiò tentauit, & non potuit. Quartò tentauit & prævaluit. Et personæ quidem vel mulieres secundum historiam plures ac diuersæ, sed secundum mysterium vna eademq; synagoga est, quæ Christum multotiens tentauit, & nec saltem in sermone capere potuit: tandem autem aliquandò quasi caput eius radendo tentauit, & prevaluit, quia Christum Dei filium regem suum negando ac blasphemando, in mõte Caluariæ crucifixit. Interpretatur autem Dalila paupercula, quo nomine synagogam eandẽ sensu, pauperrimam denotat, cũ se iactet magnas legis & prophetarum habere diuitias, & ita habitare in Sorech, quòd interpretatur electa vel optima. Sanè qui venerunt ad illam principes Philistinorum, postulantes vt deciperet amatorem suum Samson, principes sacerdotum & seniores populi fuerunt: qui plebem vniuersam aduersus Christũ concitauerunt. Et quamuis ille quidem secundũ historiam falsum locutus sit, dicendo: (Si septem neruiceis funib. necdũ siccis, & adhuc humẽtibus ligatus fuero, infirmus ero vt cæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

teri homines.)Itemq;:(Si ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominũ similis.) Ac deinceps.(Si septem crines, crines capitis mei cum licio plexeris, & clauũ his circumligatũ terræ defixeris,infirmus ero:)In Christo aũt nihil horum falsum est, sed omnia secundũ mysteriũ vera sunt.Imò quoniam in illo spiritum Christi locutum esse dubitare prohibemur, tantis præsentialiter signis diuinæ fortitudinis apparentibus:nec illud quod ibidem sonuit, quòd Dalila audiuit falsum fuisse fateamur, sed ipsam falsam dicentem. Ecce falsum locutus es.Quid enim funes nisi peccata
Prouerb.5. *Psalm.118.* sunt, iuxa illud: Funibus peccatorum suorũ vnusquisq; constringitur,Psalmista quoq; dicente: Funes peccatorum circumplexi sunt me.Ergo septenarius funium numerus,peccatorum numerositas est,quia septenario numero plerunq; vniuersitas significatur.Quis autem nesciat, quia verus Samson Christus Iesus omniũ peccatorũ nostrorũ vincula suscepturus erat,& cũ esset fortissimus spirituũ deus,propter nos homo infirmꝰ, homo passibilis,atq; mortalis apparere habebat?Igitur si septẽ neruiceis funib.(inquit spiritus Christi) ligatus fuero,infirmus ero.i. non,nisi peccata mundi super me tulero, mortalis ero, aut mori potero:nec enim ex meo cur mori debeã causam vllam habeo. Quare autem tertiò ligaturam septenariam repetiuit? Videlicet propter tria tempora seculi. Primũ ante legem. Secundum sub lege. Tertiũ sub gratia: quorum omnium peccata tollere venturus erat, secundum hominem futurus infirmus & moriturus,secundum diuinitatem sic eadem peccatorũ vincula rupturus, quomodo si rumpat quis filum stuppæ tortum, vel staminis putamen cum ardorem ignis accepe rit. Et notanda distinctio prædictorũ temporum'secundum diuersitatem vinculorum. Primi temporis(quod fuit ante legem)peccata,neruiceis funibus nec dum siccis & adhuc humentibus comparantur:quia videlicet illius æui homines dissolutos & recentes nulla temperauerat lex,nihilq; interdixerat deus, quo carnis humidę fluxũ restringeret. Secũdi temporis peccata funibus quidẽ, sed neq; adeo neruosa,neq; adeo fluxa fuerunt,quippe quæ iustitia legalis qualiscunque, etsi non consumpsit,tamen vtcunq; molliuit:etsi nõ combussit,tamẽ aliquantisper exiccauit.Tertij quod nunc agitur temporis peccata, septẽ Nazaræi capillis cùm licio plexis,clauoq; circumligatis rectè signantur : quia videlicet nostra id est omniũ qui in Christo credimus peccata,capiti eius propius admota,licioq; tę læ euangelicæ complexa,clauisq; crucis publica confessione circumnexa sunt.Igitur omnia quidẽ Nazaræus filius dei in corpore suo pertulit peccata mundi. Et pro omnibus vsq; ad mortẽ infirmatus est, pro cõditiõe carnis, sed ex virtute dei cuncta superando, ab inferno teneri non potuit,in sepulchro corruptionem non vidit.

Quãdo vel vbi dixerit Christus,quia Nazaræus sum, & quomodo raso capite infirmus,sicut cæteri homines effectus sit,quomodo vel quibus defecerit.

CAPVT XXIII.

CVmque ei molesta esset, & per multos dies iugiter adhæreret,spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei,dixit ad eam: Ferrum nunquam ascendit caput meum, quia Nazaræus sum.i. consecratus Deo de vtero matris meæ. Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea,& deficiam, eroq; vt cæteri homines.)Caput Christi Deus,inquit Apost.quod *1.Cor.11.* tunc raditur,quando nouacula acuta linguæ blasphemantis, virtus eius & diuinitas denegatur. Sed quomodocunq; vel quantũcunq; radatur, nunquid ab illo fortitudo sua recedet & deficiet,eritq; vt cæteri homines? Planè illis deficiet, & illis infirmabitur, qui illũ blasphemando radunt, vt nihil prosit eis aduentus filij hominis in hunc mundum, qui illum negant verum Deum, verum esse Dei filium.Defecit,inquit, anima eius, & vsque ad mortem lassata est. Iuxta historiam sic factum est,& sic fieri vtiliter prouident a diuina permisit,vt audiret omnis mundus, quantum in amore meretricis naufragium sit, & muliebris sentina cedrinis quoq; fortium virorum tabulis quàm pernitiosa sit, vt,inquã, audiret omnis mundus,& haberet omnis sapiens exemplum cauendi, sciens quod nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior esse posset. Porrò vt cœptum prosequamur mysterium,tunc anima domini Iesu quodã- *Matth.27.*
modo defecit, & vsq; ad mortem lassatus spiritus fortitudinis eius, quando post multas tentationes Dalilæ, id est, pauperculæ synagogæ,dicentis:In qua potestate hæc facis?Tu *Ioan.1.* *Ioan.8.* quis es? Quem teipsum facis?tandem adiura- *Matth.26.*
tus est ab eadem dicente: Adiuro te per Deũ viuum,vt dicas nobis, si tu es Christus, si tu es filius dei benedicti. Tunc,inquit, anima eius defecit, tristis vsque mortem, molestè nimis interpellata, & tunc aperuit illi omnem veritatẽ,quòd esset Nazaræus,id est, sanctus Dei filius.Dixit enim: Tu dixisti, Ego sum. Et adiecit: Veruntamẽ dico vobis, amodo videbitis filium hominis, sedentẽ à dextris virtutis Dei,& venientem in nubibus cæli.

Quomodo vel à quo tonsore rasum fuerit caput huius Nazaræi,id est,Christi.& de eo quòd Philistijm clausum in carcere Samson molere fecerunt, erutis oculis, omni Christiano hoc exemplum cauendum sit.

CAPVT XXIIII.

ATilla dormire eũ fecit super genua sua & in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonsorem,& rasit septẽ crines eius,& cœpit abijcere eum, & à se repellere.) Tonsor quem meretrix illa conduxit, vt raderet septem crines dormientis Nazaræi, Pilatus *Ioan.19.*
extitit,

extitit,cui vinctum dominum nostrum, sanctum sanctorũ tradidit & negauit, & in mõte caluariæ crucifigi postulauit. Ibi rasit septem crines dormientis,id est, regem suum detestata est,& vniersũ ius eius abdicauit, quasi ouis obmutescẽtis, quasi agni corã tõdente se os suum non aperientis.Cœpitq; eũ abijcere, & à se repellere,insuper & insultare
Esa.53. dicendo,moto & agitato capite. Vah qui de-
Mar.15. struis tẽplũ dei, & in triduo illud reædificas. Saluum fac temetipsum.Statim enim ab eo fortitudo recesit,scilicet vt visum est inimicis,præsertim cùm diceret ipse: Deus deus meus,vt quid me dereliquisti? (Quem cùm appræhendissent Philistijm, statim eruerunt oculos eius,& duxerunt Gazam vinctum catenis,& clausum in carcere molere fecerũt.) Euulsione oculorum Samson, ipsa inter fectio Domini figurata satis aptè intelligitur: quia videlicet in morte non solum visus,sed & cæteri omnes sensus auferuntur. Gaza ciuitas,infernum significat, in quo catenis vinctum impij dominum teneri voluerunt, sed
Actor.2. hoc impossibile erat. Nã deus(inqt Apost.) illũ suscitauit solutis dolorib. inferni, iuxta q̃ impossibile erat teneri illũ ab eo. Et clausum,inquit,in carcere molere fecerunt.Hoc iuxta literã significari Hebręi volunt, q̃ pro sobole robustissimorum virorũ mulierib. ac libidini vacare cõsulsus sit,& ad hunc sensum pertinere, q̃ in Esaia Babylon dicitur:
Esa.47. Tolle molam & mole farinã, quod scilicet in morẽ scorti cunctorũ libidini pateat maximè pro eo,quod cõtinuò subiungitur, denuda turpitudinẽ tuam.Sed nunquid hostes Philistæi de semine Hebræorũ fortes viros multiplicari optauerunt? Ergo hæc opinio quam turpis,tam & friuola est. Moraliter exemplũ hoc omni homini cauendũ est.scié dum quippe est, q̃ aliquando prius oculus intellectus obtunditur, & postmodum animus captus per exteriora vagatur desideria, vt cæca mens quo ducitur nesciat, & se carnis suæ illecebris subdat. Aliquando verò prius desideria carnis ebuliunt, & post longum vsum illiciti operis oculũ cordis claudunt.Nã sæpè mens recta cernit, nec tamen audenter cõtra peruersa se erigit, & renitens vincitur,dum hoc ipsum quod tangit vel agit dijudicans carnis suæ delectatione superatur. Quia enim plerunq; prius oculus contemplationis amittitur, & post carnis desideria huius mundi laborib. animus subiugatur,testatur Samson ab allophylis captus, q̃ postquã oculos perdidit, ad molã deputatus est:quia nimirũ maligni spiritus,postq̃ tentationũ stimulis intus aciẽ contẽplationis effoderint,foris in laborem circuitus mittunt.

CAPVT XVI.

Quid sit mysticè Nazaræi nostri,id est, Christi capillos renasci cœpisse,& quomodo multò plures interfecit moriens,quam viuens occiderat, & quam domũ, & quibus discussis columnis,deiecerat.

CAPVT XXV.

IAmq; capilli eius renasci cœperãt,& prin cipes Philistinorum conuenerunt in vnum vt immolarent hostias magnificas Dagõ deo suo, & epularentur,dicentes: Tradidit Deus noster inimicũ nostrũ Samson in manus nostras.Quod etiã populus vidẽs,laudabat deũ suum, eademque dicebat. Lætantesque per conuiuia sumptis iam epulis, præceperunt vt vocaretur Samson, & ante eos luderet, &c.)Ludus iste in luctũ, lætitia hæc in mœstitiã, epulæ istæ in vomitum cõuersæ sunt, ita vt cruentas crapulati euomerent animas, oppressi magnæ domus ruina. Nam multò plures interfecit moriens, quam ante viuus occiderat. Porrò capilli Samson fortissimi, inuicti & insuperabilis, scilicet Christi filij dei:capilli, inquã, huius nunc renasci cœperunt. Quando Petrus qui illũ negauerat, cæteriq; oẽs Apost.qui omnes relicto eo fugerant,illo resurgente à mortuis, fidẽ atq; fiduciã resumpserunt,& Philistinorum quidẽ principes,& populus gaudebãt dicẽtes: quia *Matth.26.*
mortuꝰ est seductor ille, & perijt nomẽ eius q̃ commouit vniuersam terram, incipiens à Galilæa vsq; huc, & docens seduxit plurimos. Hæc dicentes, & ita lætantes immolabant hostias magnificas, non Deo, sed diabolo:non,inquam, in templo dei, sed templo diaboli,scilicet Dagon.Dagon quippe interpretatur piscis tristitiæ, illum significans, de *Esa.27.*
quo in Esaia scriptum est: In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti,super Leuiathan serpentem vectem,& super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidit cetum qui in mari est: huic,inquam, immolabant hostias, ex quo manus suas Christi sanguine impleuerunt, & quicquid deinceps sacrificant vel offerunt, non Deo patrum suorum, sed diabolo offerunt.Lætantes itaque inter huiusmodi epulas, præceperunt vt vocaretur Samson,& ante eos luderet, & ipsi spectabant ludentem Samson. *Actor.5.*
Compræhensos quippe Apostolos Christi *1.Cor.4.*
pessimi lusores cæciderunt, vnde tamen illi gaudentes,quod digni essent pro nomine Iesu contumeliam pati, spectaculum, inquiũt, facti sumus mundo, & hominibus, & angelis.Ludebat ergo in illis membris suis Christus,quicquid enim miraculorum agebat, quicquid sanæ doctrinæ dicebat, ludus erat, & vanitas impijs spectatoribus. (At ille appræhendens ambas columnas, quibus innitebatur domus,alteram earum dextera,& alteram leua tenuit, concussis que fortiter columnis cecidit domus super oẽs principes,& cæteram multitudinem,quæ erat ibi.)Quis hoc non videat, quis nesciat, quia desérta facta Hierusalem, desolata quoque domus sanctificationis eorum, & gloria eorum, cecidit super omnes principes, & cæteram multitudinẽ? Non enim ita mediocriter, vt quõdam à Babylonis,nõ,inquam, ita parcè templũ illud antiquissimũ à Romano excidio euersum est: sed cecidit funditus,& cum gente ipsa perijt,ita vtnõ sit relictus lapis su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

per lapidem qui nó destrueretur. Perdiderũt locum & gentẽ, cuius metu simulato ne perderent mortem dñi sibi expedire voluerũt, dicendo: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrũ & locũ & gẽtẽ. Hoc ecótrariò contigit: nã potius idcircò, quia non dimiserũt eũ sic, omnes gentes credent in eum, Romani quoq; illorum & locum, & gentem tulerũt. Rectè ergo dictum est, quia multo plures interfecit moriens, quã viuus occiderat. Multò magis enim, quia mortuus est, nos in eum credimus, & inimici tam visibiles quã inuisibiles perierunt & perdiderunt, imò & perditi sunt: quã aut nos crediturí, aut ipsi perituri vel perdituri erant, si dimisissent eum viuum. Igitur resumptis virib columnas duas, quib. innitebatur dom⁹, Samsõ tenuit, quib. & excussa dom⁹ cum perditione multorũ cecidit: quia videlicet Christus à mortuis susci tatus, & claritate quã habuit priusquã mundus esset apud patrem clarificatus, vtranq; columnam gentis illius, regnum scilicet, & sacerdotium vetus iratus fortiter concussit: & per manus Romanorũ cũ duplici, id est, corporis & animæ Iudæorum contritione locum ipsum euertit.

Ioan. 11.

De historia, qua tribus Dan tulisse idolum Michæ, & viri stirpis Beniamin narrantur mulierem incredibili libidinis furore vexando interfecisse, quòd vehemẽter Israelitas duplicis fornicationis crimine infamet.

CAPVT XXVI.

CAPVT XVII.

FVit eo tempore vir quidã in monte Ephraim, nomine Michas, qui dixit matri suæ: Mille centum argenteos quos separaueras tibi, & super quibus me audiente iuraueras, eccè ego habeo, & apud me sunt.) Ac deinceps (Reddidit igitur matri suæ. Quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile & cõflatile, & cæt.) Duo gentis Israeliticæ mala, duplicem fornicationem populi Israel, ex hoc loco vsque ad finem huius libri scriptura sancta culpare & execrari laborat: propter quæ penè continua, & nunquã nisi pauciſsimis iudicibus, siue regibus iustis frænantib. interdum coercita, dominus terræ illi & populo toties iratus est, & adhuc manus eius extenta. Prima nanq;, id est, fornicatio animæ est, qua à deo legitimo viro creatura recedens, idolis prostituitur, & diuini nominis ad ulterium perpetrat, sculptili atq; conflatili communicando illud. Hoc adulterium, hanc fornicationem spiritualem in gente illa præsens lectio vehementer percutit, quo in tantum ardebat: vt nunc temporis nõ solũ Michas, vnus homo sculptile fecerit, sed & integra tribus Dan pro magno commodo sibi illud furata sit: cũ adhuc inter cæteras tribus sortẽ nõ accepisset, & idcircò Dei veri auxiliũ saltem pro tẽporalibus bonis impensius quærere debuisset. Sicem dictum est: (In diebus illis nõ erat rex in Israel, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea. Vsque ad illum enim diẽ, inter cæteras tribus sortẽ non acceperant. Et post aliqua: (Tulerunt sculptile Ephod, & idola, atq; cõflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis? Cui responderũt: Tace, & pone digitũ tuum super os tuum, & veni nobiscũ, vt habeamus te patrem & sacerdotẽ.) Ephod indumentũ sacerdotale significat, quod in Exod. & Leuit. superhumerale dicim⁹. Teraphin aũt propriè appellantur, figurę & simulachra. Hæc ergo prima est fornicatio, qua populus Israel pro nus ad idola, secundũ animã fornicabatur à deo suo. Altera fornicatio est, quę diuersis libidinũ ludibrijs corpora cõmaculat, tunc pniciosior, quando cõtra naturã Zodomitica debacchatur insania. Hęc quãta effrenatiõe populũ illũ dissoluerit, acerrimè lectio præsens insinuat. (Fuit (inqt) quidã Leuites habitãs in latere mõtis Ephraim, q accepit vxorẽ de Bethlehẽ Iuda. Quę reliquit eũ, & reuersa est in domũ patris sui Bethlehẽ mãsitq; apud eũ quatuor mensib.) & reliqua. Quid hoc auditu turpius, scelestius, crudelius? (Venerũt (inqt) viri ciuitatis illi⁹ filij Belial. i. absq; iugo, & circũdantes domũ senis, fores pulsare cœperũt, clamantes ad dñm domus, atq; dicẽtes: Educ virũ qui ingressus est domũ tuã, vt abutamur eo.) Illo obsecrãte vix abacti ne scelus hoc cõtra naturã operarẽtur in virũ, facta commutatione nequissima vxorẽ eius tota nocte abutendo, incredibili libidinis furore vexauerunt. Deniq; mortua est. Illa ciuitas Gabaa in tribu Beniamin erat. Tota tribus Beniamin sceleris eiusdẽ maculã cõmunem sibi fuisse, atrociter ꝓfessa est. (Cõgregatis quippe pariter omnibus filijs Israel de Dan vsq; Bersabee quadringẽtis millib. peditũ pugnatorũ, vt pugnarẽt cõtra Gabaa Beniamin, cũ misissent nũcios ad omnẽ tribũ Bẽiamin, qui dicerẽt: Cur tantũ nefas in vobis repertũ est, tradite homines de Gabaa, q hoc flagitiũ perpetrarũt, vt moriãtur & auferatur malũ de Israel: noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum, sed ex cunctis vrbibus, quæ suæ sortis erant, conuenerũt in Gabaa, vt illis ferrent auxiliũ, & cõtra vniuersũ Israel populũ dimicarẽt.) Sed & cunctũ Israel, qui cõgregatus fuerat, reddere illis ꝓ scelere ꝙ merebãtur, indubitalis diuini oraculi iustitia sceleris eiusdẽ coarguisse videtur (Cõsultus enim dñs à dicentibus, quis erit in exercitu nostro princeps certaminis, respõdens: Iudas (inquit) sit dux vester.) Attamen. (Egressi filij Beniamin de Gabaa, occiderunt de filijs Israel die illo, viginti duo millia virorũ.) Iterum: (Cõsultus dñs à dicẽtib. Debemus vltra ꝓcedere ad dimicandũ contra filios Beniamin, an non? Ascendite (inquit) ad eos, & inite certamen.) Attamen. (Occurrentes eis filij Beniamin, tanta in eis cæde bacchati sunt, vt X. & VIII. millia virorũ gladiũ educentium prosternerẽt.) Tertiò tandem

Exod. 28. 35. 39.

Leuit. 8.

CAPVT XVIII.

CAP. XIX.

CAP. XX.

tandẽ cõsulentib. atq; dicẽtb. (Exire vltra debemus ad pugnam cõtra filios Beniamin fratres nostros, an quiescere? Ascẽdite, inquit, cras eñ tradã eos in manus vestras.) Et sic factum est. Ergo nõ solũ Beniamin, quã manifestum scelus infamauit, sed & pugnantẽ cõtra illos Israel occulti iudicij Dei veritas redarguit. Cur enim vindicib. tanti sceleris victoria tã fera tãq; luctuosa prouenit: nisi quia in quo alios impugnabãt, seipsos accusabãt? Igitur vt præmissum est, duplicis fornicationis, animæ scilicet & corporis, populum Israel præsens historiæ locus vehementer accusat, & acerrimè percutit, ad hoc valens, vt

Rom. 3.

quẽadmodum ait Apost. Omne os obstruatur, & non magis Iudæus quàm Græcus de iustitia coram deo glorietur.

Quòd Christum regem qui venturus erat, scriptura sancta suspiret, toties dicendo: In diebus illis non erat rex in Israel.

CAPVT XXVII.

SVper hoc hic itidẽ scriptura vehementer ingemiscit, cùm inter narrandũ semel & iterum ac tertiò dicit: In diebus illis non erat rex in Israel, sed vnusquisq; ꝙ sibi rectũ videbatur, hoc faciebat. Quẽ putas, vel qualẽ regem in dieb. illis in Israel non fuisse deplorat? Nunquid quando rex datus est Saul, abstulit fornicationes istas? Nunquid Achaz? Nunquid Manasses? Imò tã hi, quã plerique regum cæterorũ, illas auxerunt, extruendo altaria vniuersæ militiæ cæli, hariolando & obseruando auguria, traducendo filios suos per ignem, faciendo Pythones, & multiplicãdo aruspices: Ad summũ præter Dauid & Ezechiã & Iosiam, oẽs peccauerunt. Nam de peccato Dauid ꝙ fecit in Vriam silebimus, quia trãstulit illud dñs. Quem ergo regẽ in illis dieb. non fuisse scriptura deplorat, nisi illum, cuius solius aduentu vel regno cõsummaretur præuaricatio, & finẽ acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna, & impleretur visio & ꝓphetia, & vngeretur sanctus sanctorũ? Hic nempe deerat rex, cùm data esset lex. Et lex quidẽ peccatum ostendere poterat, sed à peccato liberare non poterat. Solus iste rex eos oẽs qui regnum eius susciperent, à peccato gratia sua liberare habebat. Cùm igitur tanta enarrat scriptura peccata populi Israel, rectè & oportunè congemiscit dicens: quia in diebus illis non erat rex in Israel.

2. Reg. 11.

Daniel 9.

Esa. 19.

De Ruth Moabitide, quòd per illam alienigenam generatio Christi quodammodo recuperata sit, & quòd illa fuerit petra deserti, de qua Esaias: Emitte (inquit) agnum dominatorem terræ, de petra deserti.

CAPVT XXVIII.

Ex li. Ruth CAP. I.

IN diebus vnius iudicis, quando iudices præerant in Israel, facta est fames in terra. Abijtq; homo de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide, cum vxore sua, ac duobus libris. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi, & è duobus filijs, alter Maalon, & alter Chelion, Ephratei de Bethlehem Iuda.) Librum hunc Hebræi in librum Iudicum cõpingunt: idcircò quia in diebus Iudicum facta narratur historia. Valdè hoc fidelem animum delectat, quòd nomine Ruth potius quam Booz, aut Noemi in titulo prænotatur. Nõ enim parũ splendoris habet, ꝙ series generationis Christi, in mortibus virorum Israelitarum, & Iudaicæ tribus penè defecta, per fidem alienigenæ resarcita est, sicut ipse historicæ narrationis ordo continet. Quod propheta respiciens: Emitte (inquit) agnum domine dominatorem terræ de petra deserti, ad montem filiæ Syon. Petram deserti Ruth Moabitidem dicit, petram videlicet propter propriam fidẽ petram verò deserti, propter desertitudinẽ Moabiticæ gentis, quæ verò idcircò desertũ est, quia dominum inhabitatorem non habebat, quemadmodum vt reliqua gentilitas, quam alibi propter causam eandem prophe ta idem desertam appellat, dicendo: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo. Sciebat nasciturum esse Christum de semine Dauid filij Iesse, filij Obed, quẽ de Booz hæc alienigena peperit, quam ille beneuolus secundum legem accipit, vt susciteret semen propinqui sui. Hoc, inquam, ille respiciens, emitte, inquit, agnũ domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion, ammirãdo scilicet in gratia Dei, quòd agnus Dei dominator terræ, cùm sit ex Iudæis salus ipse gentium, primùm tamen de fide gentili venturus esset ad montem filiæ Sion. Adhuc autem acrius percutiens Iudæorum supercilium, in principio libri. Nisi, (inquit) dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus, continuò subiungens: audite verbum domini principes Sodomorum, & percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quo enim secundum superiores geminæ fornicationis narrationes, quo, inquam, populus hic qui legem acceperat, populo Sodomorum aut Gomorrhæ iustior erat, qui legem non acceperat? Sed reliquit dominus semen fide Ruth Moabitidis promerente, & Booz per iustitiam legis semen fratri suo suscitante, vnde Christus secundũ carnem nasceretur, quo factum est, vt gens Israelitica nequaquã Sodomę aut Gomorrhę similis in perditione remaneret. Hoc igitur dicendo propheta, Iudaicum os obstruere cõtẽdit, vt de meritis suis nemo audeat gloriari. Et signanter dixit, nisi dñs exercituũ reliquisset nobis semen. Exercituum inquam, quia videlicet in exercitibus supra scriptis filiorum Israel contra Beniamin, iudicium cum misericordia moderando, & in vtrisque peccata Sodomitica puniuit, addita etiã fame, propter quã vir primus de Iuda peregrè obijt cũ filijs suis, & deinde per gentilẽ

Esa. 16.

Esa. 35.

Esa. 1.

(vtiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

(vt iam dictum est) fidem reliquum seminis, vnde salus procederet, defunctis eisdem suscitauit.

De Elimelech & vxore eius, & duobus filijs, quid vel quomodo de his in Paralipomenon scriptum sit.

CAPVT XXIX.

IPse (inquit) vocabatur Elimelech, & vxor eius Noemi, & è duobus filijs, alter Maalon, & alter Cheleon Ephratei de Bethlehem Iuda. Ephratei dicti sunt, scilicet ab Ephrata vxore Caleph. Iste Elimelech in Paralipomenon vocatur Ahalai, vel Oholoi, & filius fuisse scribitur Sesain filij Iesi, filij Abphaim, filij Nadab, filij Semmei, filij Onan, filij Iheramael, filij Esrom, filij Phares, filij Iuda, filij Israel. Quòd autem illic dictū est, Sesain autem non habuit filios, sed filias, quia filij eius, immò filij Elimelech, scilicet Maalon & Chelion, quorum auus fuit, absque filijs mortui sunt. Item in Paralip. scriptum est: Et cognationes domus operantiū byssum in domum iuramenti, & qui stare fecit solem virique mendacij, & securus, & incendens. Qui principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt Leē/Hæc autem verba vetera. Hi sunt filij figuli habitantes in plantationibus, & in sepibus apud regem in operibus eius, commoratique sunt ibi. Tradunt hunc fuisse Elimelech, in cuius tempore sol steterit propter præuaricationes legis, vt tanto miraculo viso conuerterentur ad Dominū Deum suum. Quod quia facere contempserunt, idcircò fames inualuit. Et ille, quia in tribu Iuda prior videbatur, famis inopia cū vxore & filijs non solùm patria pelleretur, sed etiam in eadem peregrinatione cum filijs moreretur. Viros autem istos mendacij esse filios eius Maalon & Chelion, qui illic securus & incendens appellantur, & de quibus dicitur quod principes fuerint in Moab, eò quòd vxores Moabitides duxerint, quod in Hebræo expressiùs ponitur, vt ab eruditis linguæ illius didicimus, vt non principes, sed mariti dicantur. Quod verò sequitur, quæ reuersę sunt in Leem, Noemi & Ruth, demonstrat quæ in Bethlehem, id est, panem, post inopiam famis audita vbertate panis in Bethlehem reuersæ sunt. Et quia hæc historia in lib. Ruth scribitur, idcircò subsequitur, hæc autem verba vetera. Figulos verò dicit habitātes in plantationibus & sepibus, progeniem quæ de Ruth propagata est. Quę in sepibus & plantationibus habitasse dicitur, quando ad regiam dignitatem hæc plantatio peruenit. Commorati sunt ibi, hoc est, in Bethlehem apud regem in operibus eius, quia ex eis Dauid rex ortus est, cuius opera miris præconijs prędicantur.

1. Paral. 4.

COMMENTARIORVM IN LIBRVM IVDICVM, FINIS.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LIBROS REGVM, COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Quòd quarta ætatis mundi Dauid fuerit initium: & quomodo hac ætas respondeat quartæ Dei primorum dierum seculi.

CAPVT I.

POst ampla virentis ac florētissimæ ętatis tertiæ spectacula, quartā tandem mundi splendida nos excipit ætas. Eius pulchritudo lucida, mentis nostræ oculos quasi à terra in cælum leuet, vt post actualia legis instituta, regum & prophetarum, qui sub ipsis prophetauerunt, facta fortia & cælestia partim contemplemur eloquia. Nam pulchra quidem terræ plantaria, quæ tertio die plantata vel produci iussa sunt, sed pulchriori cæli luminaria, quæ quarto die facta vel in firmamento posita sunt. Sic nimirum pulchra quidem & bona sanctæ legis opera, quæ tertia mundi ætate in figurā futurorum præcepta sunt, sed pulchriora regum coronatorum & prophetarum facta & dicta, quæ in typum regni Dei, in testimoniū magni ac veri regis Christi præsplenduerunt. Hanc enim quartam ætatem, quartæ diei in laudem creatoris coniubilare rectè dixerim, & secundum opera vtriusque spiritum sanctum, spiritum prędicari fortitudinis, quia videlicet & quarto die luminaria firmamentum ornauerunt in potestatib. & firmissimis ordinibus suis, & quarta ætate, in psalmis canoris, scriptisque propheticis, regali auctoritate sermo Dei conualuit, auctum est verbū promissionis. In quo? In eo videlicet, quòd is qui hactenus homo vel semen in Isaac vocandum patri Abrahæ promissus fuerat, iam rex promittitur cum iuramento dicentis ad Dauid. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Item: Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar? Semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Hoc maximè hęc ætas à precedēte distinguitur, vt illa tertia fuerit, hæc iam quarta computetur. Igitur in gloriam Christi filij Dei regum regis, & prophetarum domini, cęptum peragentes cursum, ætatem hāc ingredimur, præeunte nos & propitio nobis, si dignetur, sancto fortitudinis spiritu.

Gen. 21.

Psal. 131.
Psalm. 88.

Quod primus et secundus liber Regum apud Hebræos Samuel vocentur, & quod regnum Saul, regnum peccati, Dauid autem regnum Christi significarit.

CAPVT II.

PRimus & secundus Regum liber apud Hebræos Samuel dicuntur, videlicet, eo quod de regno Saul, regnoq; Dauid, quæ his continentur libris, peristum quasi mediatorem Dei & regum ordinata sunt. Interpretatur autē Samuel nomen eius Deus. Quo nomine rectè sermo Dei significatur, per quem vtique regnum peccati destructum, & regnū iustitiæ constructum est. Saul quippe quem dominus peccanti populo iratus dedit, dicens ad Samuel, Non enim te abiecerunt, sed me ne regnem super eos, regnum præfiguraui peccati & mortis, quod abiecto Dei iugo, genus humanum stultè nimis appetiuit. Hoc ipsum significat Saul nomine proprio, interpretatur enim petitio. Porrò Dauid quem illo proiecto secundum cor suum dominus elegit, regnum iustitiæ, regnum Christi significat, quod humano generi, destructo regno peccati, propitius Deus contulit. Nec verò solum regnum, sed & sacerdotij principatus, hoc prænuncio à posteris Heli ad Sadoch translatum est in figura sacerdotij veri, quòd à Iudæis in ecclesiam Christi transponēdum erat. Ab ipso igitur Samuel, cùm sit duodecimus, & nouissimus Iudicum, sic incipit primus liber Regum.

1. Reg. 3.

De Helchana & vxoribus eius Anna & Fenenna, & de oratione Annæ & de ortu Samuel.

CAPVT III.

FVit vir vnus in Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Helchana, filius Hieroham filij Heliu, filij Tohu, filij Suph Ephrateus, & habuit duas vxores. Nomen vni Anna, & nomen secundæ Fenenna. Fueruntque Fenennæ filij, Annæ autem non erant liberi.) Ramathaim autem interpretatur excelsa duo, & hæc excelsa duo, duæ intelliguntur tribus, regia videlicet & sacerdotalis. Quòd pater Helchana de tribu fuerit Leui, Paralipomenon liber plenissimè docet, in quo series genealogiæ illius vsque ad Leui producitur. Matrem quoque eius de tribu Iuda extitisse monstratur, in eo quòd Ephrateus vocatur. Ephrateus ab Ephrata vxore Caleph, quam constat fuisse de tribu Iuda, dictus est. Et si quem mouet quod ab Ephraim, non Ephra

CAP. I.

1. Paral. 6.

1. Paral. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Reg. 17. ta, Ephrateus vocetur, videatur subsequentibus qualiter Dauid filius viri Ephratei vocetur, cum liquidò pateat eundem Isai non de Ephraim, sed de tribu Iuda extitisse, & probet eundem Helchanam Ephrateum ab
1. Paral. 6. Ephrata, non ab Ephraim dici. Sophim speculatores interpretatur. De mõte Ephraim, de mõte verò Ephraim fuisse dicitur, quia ibi erat eius habitatio. Intra cũctas nanq; tribus, habitationẽ Leuitarũ fuisse nõ dubiũ est. (Et ascẽdit vir ille de ciuitate sua statutis diebus.) Tribus festiuitatibus, pascha videlicet, pentecoste, & solennitate tabernaculorum, ascendebat in domum domini. (Deditque Fenennæ vxori suæ, & cunctis filijs eius & filiabus partes.) Hæ partes vestes intelliguntur, quæ in eisdem tribus festiuitatibus, iuxta morem illius gentis vxoribus & liberis ac famulis tribuebantur. (Ne reputes ancillam tuam quasi vnam ex filiabus Belial, quia ex multitudine mœroris & doloris mei locuta sum vsque in præsens.) Belial enim interpretatur absque iugo. Et notãdum, quòd omnes qui ebrietatem sectantur, filij Belial vocẽtur. (Et adduxit eum secum, postquàm ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini, & adduxit eum in domo domini in Sylo.) In Hebræo non tribus modijs farinæ, sed modio farinæ legitur. Quem locum apud Latinos scriptorum vitio constat esse deprauatum. Si enim cum tribus vitulis tres modios farinæ obtulit, con-
Nume. 19. tra legem fecit. In lege namque præcipitur. Mensis septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. Omne opus seruile non facietis. Dies clangoris est & tubarum. Offeretisq; holocaustum in odorem suauissimum domino. Vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos immaculatos septem, & in sacrificio eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietẽ, vnam decimã per agnũ. Hæc verò decima, decima pars erit Ephi. Vndè datur intelligi, quòd Helchana non obtulerit tres modios farinæ cum tribus vitulis, sed nouem decimas, quibus secundum Hebraicam mensuram vnus efficitur Ephi. Est igitur orationis fructus Samuel sanctus, magna fide & largo fletu matris comparatus. Habet in matrẽ eius Anna virtutis exemplum, quòd imitetur nostra sterilis anima, si mater fieri optat, si verbi Dei sanctarumque virtutum cupit esse fœcunda. In quo? In eo videlicet, quòd dictum est, vultusque eius non sunt amplius in diuersa mutati. Quòd idem est, ac si diceretur. In tentatione perstitit, orando perseueranit. Hoc ergo fidelis anima imitetur, & quærens inueniet, petens accipiet, pulsanti aperietur. Iam nunc prophetissæ huius Annæ canticum explanabimus, & ob fastidium leuandum quasi canendo potius quàm legendo, aut loquendo horum quæ plana historia dicta sunt, mysteria carpemus.

Quòd Anna canticum cantans quæ sterilis fuit, idem secundum Apostolum quod Sara, & Fenenna idem significet quod Agar.

CAPVT IIII.

EXultauit cor meum in domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.) Quæ CAP. II.
canit, hęc prophetissa est, & eadẽ qua fœcũda facta est gratia, quam & proprio nomine significat. Anna quippe interpretatur gratia, non tam sua præsentia propria, quàm totius sanctæ ecclesiæ bona futura communia prophetat ac prædicat. Quapropter idem in Anna quod in Sara, idem in Fenenna quod in Agar, licet hęc libera, illa fuerit ancilla, idem in Helchana mysticè sentiamus quod in Abraham. Nanque & res gesta ex parte similis, & vocabula ex sensu cognata sunt. Siquidem
Gen. 17. & Abraham, id est, pater multarum gentium prius Abram dictus est, quod interpretatur pater excelsus, & hic Helchana quod interpretatur Dei possessio de Ramathaim, id est, de excelsis fuisse scribitur. Agar conuersa. Fenenna conuersio interpretatur, Sara verò princeps. Anna gratia, & in vtraque gratiæ principatus intelligendus est, quia videlicet non vt Agar & Fenenna secundum carnem, siue carnis suę qualitatem, sed secundum gratiam pepererunt, cùm prius fuissent steriles. Igitur Fenenna & Anna duo sunt testamenta, alterum carnis in seruitutem generans, alterum fidei quod in libertatem generat. Helchana namque, id est, Dei possessio, ipse est Dei populus, cui dictum est. Qui possedit & fecit, & creauit te. Qui in Abraham quidem
Deute. 32. in semine Abrahæ qui est Christus, testamentum accepit fidei, testamentum libertatis, in monte autem Syna post quadringentos & triginta annos testamentum carnis, testamentum seruitutis. Sed testamentum carnis quasi testamentum seruitutis sicut Fenenna vel Agar, prius peperit plurimos, testamento fidei quasi Anna vel quasi Sara, longam plorãte sterilitatem, quia videlicet filij carnis in illo populo prius multiplicati sunt, qui in carne Abrahæ gloriarentur, fide eius vix aliquã in pauciſsimis educente progeniem. Deniq; illi qui de Aegypto exierunt omnes à viginti annis & supra, præter Iosue & Caleph filium Iepphone, de sola carne non etiam de fide Abrahæ sese ortos prodiderunt. Tandem aliquando fides vel gratia quæ sterilis fuerat, per euangelium peperit plurimos, & gloriatio carnis quæ multos habebat filios, infirmata, imò & exclusa est. Hoc ista prophetico spiritu in semetipsa præfiguratũ esse sciens, exultat & laudat in persona ecclesię dicens.

Tractatus cantici eius, in quo mysteria Christi & ecclesiæ magnificè prophetizans, in domino gloriatur, et synagogæ superbiam sub typo eius quæ multos filios habebat detestatur.

CAPVT

CAPVT V.

EXultauit cor meum in domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Vbi
Esai. 26. sola fœcunda est caro, non est vndè exultet cor, neque enim exultatio cordis vlla est, nisi in domino. Proinde cum dicit, exultauit cor meum in domino, illam se vniuersalis ecclesiæ exultationem decantare indicat, quam propheta alius denuntians. A timore, inquit, tuo domine concepimus & peperimus spiritum, salutes non fecimus super terram. Ibi namque exultat non caro, sed cor, quamuis cor prius exultans, carnem quoque subleuet in exultationis suæ consortium, iuxta illud
Psalm. 83. Dauidicum, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Illa exultatio fortis, & gaudium non vanum, sed fortissimum est.
Psalm. 91. Addidit ergo: Et exaltatum est cornu meum
Psalm. 47. in Deo meo. Singulariter & propheta, Exaltabitur, inquit, sicut vnicornis cornu meum. Idemque pluraliter. Et exaltabuntur ait cornua iusti, & res non diuersa est. Nam vnum ecclesiæ cornu, vnus est Christus, & plura eiusdem cornua, plura sunt dona sancti spiritus, vndè verus ille agnus sicut oculos septẽ,
Apocal. 5. sic & cornua septem habere scribitur. Eiusmodi cornu meum, in Deo meo inquit exaltatum est, in Deo meo inquam, & non in me, quæ vana fiducia & fallax esset fortitudo. In de & intus cordis exultatio, & foris confidẽtia super inimicos meos. Nã & hoc est quod sequitur. (Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.) Humilientur, & de terra loquantur quondam loquaces inimici mei filij carnis, & non fidei, mihi namq; nunc versa vice loquendi auctoritas data est, vt nõ iam in angulis mussitem, aut ore dimidiato loquar, sed ore dilatato sic eloquar super inimicos meos, qui mihi sterilitatem exprobrant, vt audiar in toto mundo. Quia lætata sum in salutari tuo, Salutare Dei Christus est. Nunquid ergo in solo Samuele vna mulier exultat, & non potius in vna matre sancta, vniuersalis ecclesia veram in Christo exultationem suam decantat? Et in istis duobus cantilenæ versiculis, primus sensus quidem non dispar, sed verba diuersa & præposterata sunt. Nam exultauit cor meum in domino, idem est quod lætata sum in salutari tuo, & exaltatum est cornu meum in Deo meo, idem est quod dilatatũ est os meum super inimicos meos. Iam quid dignum dilatatione oris sui proferat, audiamus. (Non est sanctus vt est dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.) Rectè os suum dilatat qui non seipsum, sed dominum prædicat. benè cornu suum exaltat, qui non suam, sed Dei iustitiam commendat. Non est ait sanctus, vt est dominus. Parum dixerat. Suppleuit ergo dicendo, neq; enim est alius extra te, parque & idem effecit, ac si dixisset, præter illum nemo mundus à sorde. Et nõ est, ait, fortis, sicut Deus noster. Nempè alij falso sunt fortes, de qualibus in psalmo Propheta. Et irruerunt, inquit, in
Psalm. 58. me fortes. Hic verè fortis, & vera humilium fortitudo est. Non est, inquit, sanctus, vt est dominus, nõ est fortis, sicut Deus noster. Ac si dicat, filij Annæ filijs Fenennæ, filij gratiæ filijs synagogæ, filij promissionis filijs carnis. Quid vos toties iactatis dicendo, nos natura Abrahamitæ, nos natura Israelitæ & non ex
Galat. 2. gentibus peccatores? Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est
Psalm. 13. intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum. Hæc
Rom. 3. dicit lex, & vtique quæcunque lex loquitur, scimus, inquit Apostolus, quia his qui in lege sunt, loquitur. Non ergo est sanctus quisquã, non est alius extra te, non inquam est alius qui posit sanctificare, præter te sancte sanctorum Christe, quòd & sancti illi antequam tu venires ore proprio fatentes, sicut pannus
Esa. 64. menstruatæ inquiunt omnes iustitiæ nostrę. Et quid vos in fortibus Moyse & Aaron gloriamini in fortitudine legis, & sacerdotij vestri? Non est fortis sicut Deus noster, sicut Christus noster. Nam Moyses & Aaron, nõ lex vestra, & sacerdotium vestrum spirituale vicerunt Pharaonem, neq; destruxerunt eum qui habebat mortis imperiũ, id est, diabolum, sed hic illum vicit, hic infernum confregit, hic deuicta morte resurrexit. Ergo nõ est fortis sicut Deus noster, sicut hic Saluator noster. Igitur (Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.) Multum gloriamini, mul-
Ioan. 8. tum erigimini, multa sublimia per inanem
Rom. 9. gloriam loquimini. Verbi gratia, dicẽdo, Pater noster Abraham est, nostrum est testamẽtum, nostra est legislatio, nostrum est obsequium, nostra sunt promissa, nostra est gloria, nostra est adoptio filiorum, Abraham, Isaac & Iacob, patres nostri sunt. Nolite sic loqui, nolite sic multiplicare sublimem loquelam oris magnifici, nolite sic gloriari. (Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.) Hęc sublimia quę vos hactenus mul-
Leuit. 20. tiplicastis loqui, vetera sunt, iam inueterauerunt, & nouis superuenientibus proijcienda
Hiere. 31. sunt. Hæc enim dicit in Hieremia Deus scientiarum dominus, qui & vobis olim dedit scientiam literæ, & nobis nunc dat scientiam spiritus, prout vult. Ecce dies veniunt, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehẽdi manum eorum, vt educerẽ eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum dicit dominus, sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dabo legem meam in viscerib. eorum, & in corde eorum scribam eam, &c. Et ipsi, inquit, præparãtur cogitationes, sub-
Sap. 1. auditur, sensatæ: nam econtrario à cogitatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. 11. nibus, quæ sunt sine intellectu, ille auferet se. Ipsi Deo scientiarū dño, cogitationes præparantur pro munere. Si vis ab illo promereri vel impetrare scientiæ donū, non multæ oblationes arietum & taurorum, sed sanctæ cogitationes eius rei preparatorię sunt. Vndè & Psal. 9. Psalm. 75. Psal. Præparationes inquit cordis eorum audiuit auris tua. Item: Quoniã cogitatio hominis confitebitur tibi & reliquiæ cogitationis diem festũ agent tibi. Reliquiæ inquit cogitationis. Si primitiæ cogitatiõis infectæ fuerint, saltem reliquiæ eius per pœnitentiã & confessionem diem festũ agẽt tibi. Propterea, vt dixi, recedant vetera de ore vestro, recedãt sub limia, cesset gloriatio vestra. Quid enim? (Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.) Hoc nõ semel factum est. Quãdo fortitudo vel potentia Aegyptiorum superata est, & Israelitæ confortati sunt, vtique tunc arcus fortiũ superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Ita & nunc. Arcus enim, id est superbia, & fortitudo Fenennæ, qua in filijs gloriabatur, superata est, & ego quæ ob sterilitatem infirma erã, accincta sum robore filiorũ. Hoc enim est quod sequitur. (Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.) Nã quod interponitur repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt, non secundum præsentem locum historiæ huius canitur, sed tamen & hoc & cætera talia facta sunt & fiunt, vt quoties superbit impius, cantare tibi liceat, illud regale prouerbium: Ne glorietur
3. Reg. 20. accinctus ęquè vt discinctus. In Hebręo & in lxx. translatione, non plurimi, sed septem leguntur. Iudæi hũc locum ita intelligũt, quod nato Samuele, mortuus sit filius primogenitus Fenennæ, & deinceps singulis nascentib⁹ filijs Annæ, singuli secundum ordinem natiuitatis Fenennæ mortui sint filij. Sed quærendum est, quomodo hoc stare possit, cùm Fenenna septem, Anna autem non plus quàm quinque filios habuerit? Quam quæstionem Hebræi soluentes, duos Samuelis cum filijs Annæ annumerant. Iuxta anagogen, arcus fortium, id est, confidentia Iudęorum, qui se Iudæos esse dicunt, & non sunt, sed mentiuntur. Iudæorum inquam de sua virtute præsumentium, & suam iustitiam statuere volentium, atque ita iustitiæ Dei subijci recusantium. arcus superatus est. Extenderunt, inquit
Hiere. 9. propheta, linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis. Talis arcus fortium superatus est, nihil enim sagittando contra veritatem profeceruut, quemadmodum alibi
Psalm. 62. scriptum est. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Infirmi autem, scilicet hi qui nihil suis viribus attribuunt, qui non in suis operibus, sed in fide Christi Iesu gloriantur, accincti sunt robore, robore, inquam, quo & regno cęlorum vim facere, & violenter illud diripere possunt. (Repleti, inquit, prius pro panib. se locauerũt, & famelici saturati sunt.) Famelici prius eramus nos gẽtes, repleti aũt, i. saturati erant Iudæi. Et cõstans est, quia hæc gentiles verbo Dei per euangeliũ filij eius Ie Matt. 11. su Christi saturati sunt. Iudęi autem famelici sunt, solam literæ sectantes paleam, & viuificantem non habẽtes spiritũ. Sed nunquid isti pro panib. se locauerunt? Nunquid enim esu rire malunt, quã nobiscum manducare panẽ viuum? Sic enim habet parabola patris euan- Luc. 15. gelici, qui cum recepisset filium suum famelicũ, qui abierat in regionem lõginquã, & ibi dissipauerat omnẽm substantiã suã viuendo luxuriosè, cum inquã reuertentem suscepisset eum, & magnum celebraret conuiuium, indignatus frater eius senior, nolebat introire. Ergo nunc interim esuriunt qui prius fuerant repleti, saturatis famelicis iuxta prophetæ cõminationẽ dicẽtis: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Futurum autẽ est, vt se pro panibus locare non dedignẽtur. Cùm enim plenitudo famelicarũ gentium subintroierit, reliquiæ ex illis ad esum panis vitæ conuertentur. Nõ modicè arcus fortiũ superatus est, & infirmi accincti sunt robore, nec parũ famelicis saturatis nunc esuriunt, qui prius repleti fuere. Sed quid? Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. In tantum dexteræ excelsi mutatio magna facta est, in confractione fortium & accinctione infirmorum, vt plurimos peperit illa quæ sterilis erat, vicissim infirmata illa quæ multos habens filios, superbiebat, cõpleta prophetia quæ per alium sic decantat,
Esaiæ 54. Lauda sterilis quę non paris, decanta laudem & hymnum quæ non pariebas, dicit dominꝰ, quoniam multi filij desertæ, magis quàm eius quę habebat virum, dicit dñs. Dilata locũ tentorij tui, & pelles tabernaculorũ tuorum extende, ne parcas. Longos fac funilos tuos & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim & ad leuã penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit, & reliqua. Quæ hactenus cantata sunt, vniuersas domini vias respiciunt, scilicet, misericordiã & iudiciũ. Igitur in laudem earũdem magnitudinum, videlicet, misericordiæ & iudicij, sonoriꝰ & peramplius exultante corde & dilatato ore prosequitur, & dicit. (Dominꝰ mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat.) Nam quòd mortificat dominus iudicij est, & quòd viuificat, misericordiæ est. Item quod deducit ad inferos iudicij est, quòd reducit, misericordiæ est. Nihilominus quòd pauperem facit iudicij est, quòd ditat misericordię est. Itidem, quod humiliat iudicij est, quod subleuat misericordiæ est. Itaq; per hęc antitheta, id est, oppositæ vniuersæ viæ domini spectabiles propositæ sunt requirentibus testamentum eius & testimonia eius. Sed erga quales iudicium aut veritas, & qualibus reposita est misericordia? Quales nisi superbos mortificat, & ad inferos deducit, humiliat & pauperes facit? Quales ecõtrario, nisi humiles viuificat & reducit ab inferis, ditat & subleuat? Sequitur ergo. (Suscitãs de puluere egenum, & de stercore erigẽs pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium
Matth. 5. glorię teneat.) Quid est enim egenum & pauperem, nisi qualem beatificat in euãgelio suo dominus, pauperem spiritu, id est, humilem? Illũ enim de puluere suscitat, & de stercore erigit, quem sapienter cognoscentem, quòd sit puluis & cinis, & peccatorum suorum stercus erubescentem iustificat & exornat splendore gratiæ suæ dominus vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat, cum his videlicet quos ante secula præsciuit & prædestinauit, vocauit, iustificauit & magnificauit. Hoc non rarò, nec in paucis factum est. Amplius autẽ & principaliter in illo factum hoc esse gratulamur, & iugiter decantamus, quẽ
Matth. 11. veraciter cõstat dixisse: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. De quo & illud est.
Psal. 108. Et perse. utus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Illum enim reuera dominus pater præcepto charitatis suæ mortificauit, & ad inferos deduxit, pauperem fecit & humiliauit, eũdemque virtute & omnipotentia diuinitatis rursus viuificauit, reduxit ab inferis, ditauit & sublimauit. Suscitauit eum de puluere nostrę mortalitatis, erexit eum de stercore, vt non videret caro eius stercus corruptionis, & ecce, cum principibus, imò super omnes principes ad dexteram patris sedet, & solium gloriæ tenet. Quòd ita intelligendum sit, conclusio probat cantici. Clauditur enim sic. Et dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. (Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.) In Hebræo ita habetur, Domini enim sunt afflicti terrę. Afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu & humiles corde intelligunt, super quos dominum orbem posuisse dicunt, quia eorum meritis terrã stare autumant. Ergo propositio quidem splẽdida est qua dixerat suscitans de puluere egenum, &c. Sed ratio splendidior idipsum confirmat, qua dicit nunc, domini enim sunt cardines, id est, afflicti terræ, & posuit su
Matth. 5. per eos orbem. Cui consonans euangelica veritas, pauperes spiritu in fundamento beatitudinis collocat, dum octo beatitudines con
Luca 6. numeraturus sic incipit, beati pauperes spiritu. (Pedes seruorum suorum seruabit.) Qui egeni & pauperes, qui inquam cardines & afflicti terræ? ipsi sancti domini sunt, quorum ipse pedes inquit seruabit, subauditur, qui pedes superborũ non seruauit, quorum lapsum ruinamq́; irrecuperabilẽ expauescẽs prophe
Psalm. 35. ta dicit: Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Et continuò subiungit, ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Ergo pedes sanctorum suorum inquit, pedes inquam seruorum, id est, humilium, seruabit

vt videlicet ad solium glorię perueníre, imò & impositum super se orbem, stabilibus portare possint meritis. Hucusque expressit quales dominus viuificet & reducat ab inferis, ditet atq; sublimet, nunc edicit quales morficet & deducat ad inferos, pauperes faciat atq; humiliet. Sequitur enim. (Et impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir.) Impij, inquit, id est superbi, qui nunc in hac die sua extollũt in altum cor nu suum, & loquuntur aduersus Deum iniquitatem, ipsi in tenebris cõticescent, ipsi humilibus solium gloriæ tenentib. suumq; possessorem dominum Deum laudãtibus, in tenebris inferni cõquiescent, imò & vlulantes Mat. 8. 12. dentibus stridebunt & flebunt. Nam ibi erit 22. 24. 25. stridor dentium & fletus. Quia non in forti- Psal. 146. tudine sua, inquit, roborabitur vir. Quanta enim ibi erit fortitudo viri? Cùm fuerint paulo pòst redactæ in lutum ceruices eius, tunc fatebitur impius, quia nec in equo, nec in tibijs suis roborabitur quisquam, quemadmo Psalm. 32. dum & alius propheta dicit. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Amplius autem vt magis spirituali sensu loquamur, non in fortitudine roborabitur vir, id est, ex operibus legis, in quibus filij Fenennę, scilicet Iudęi, gloriantur, nemo coram Deo iustificabitur, nec omninò quisquam, siue Iudæus, siue Græcus in iudicio saluabitur siue iustificabitur, si absq; misericordia, vel tantum secundum merita sua iudicetur. (Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cęlis tonabit.) Hoc & vi
Iosue 10. sibiliter aliquãdo factum est, vt super aduersarios suos in cælis dñs tonaret, sicut est illud in lib. Iosue. Cumq; fugerent à facie Israel, & essent in descensu Bethoron, dominus misit super eos lapides magnos, de cælo vsq; Azecha, & mortui sunt multo plures lapidib. grãdinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel. Verùm extunc magnificentius hoc fit, vt videlicet dominus super aduersarios suos tonet in cælis, ex quo is ipse, qui vt egenus & pauper mortificatus, & ad inferos deductus, rursus viuificatus, & ab inferis reductus sublimatus est, vt sederet cum principe patre, & solium gloriæ teneret. Extunc enim intonuit super aduersarios suos, magno & terribili tonitru euangelij, & vsq; in finem seculi tonare non desinit, quemadmodum & Apost. dicit: Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominũ, eorũ qui veritatẽ in iniustitia detinent. Et reliqua. Hinc illud est, quod & propheta præci Psalm. 17. nuit. Et intonuit de cęlo dñs, & altissimus dedit vocem suã grãdo & carbones ignis. Et misit sagittas suas & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & turbauit eos, &c. Nouissimus tonantis motus magno & irreuocabili fulmine formidãtes aduersarios feriet. Dicet enim eis

Universidad de Deusto Biblioteca

CAP. II. Matth.25. qui à sinistris erunt. Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. (Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.) Tanquam diceret. Ista quam prædixi superborum & humilium discretio, nondū apparet. Nōdum enim omnis egenus & pauper solium gloriæ tenet, nec in tenebris conticuit omnis impius, nec in præsenti vita dominum formidant omnes aduersarij eius. Imò econtrario tanta securitate nunc impij viuunt, & super humiles extolluntur, vt penè moueatur humilis adhuc infirmus. Nam ipse est, qui Psalm.72. vel cuius ex persona propheta in psal. loquitur. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super inimicos pacem peccatorum videns, & reliqua. Ergo distinctio nondum apparet, sed non sit tibi curæ. Nam dominus iudicabit fines terræ. Nunc interim vitia terræ dissimulat, quia videlicet non statim superbiam terræ vbi incipit, iudicat aut punit, sed certè fines eius iudicabit. Nam pius conditor mala hominum & per suam patientiam tolerat, & per aliquorū quandoq; conuersionem relaxat, vt vel serò Rom.2. redeant, & hoc ipsum saltem, quòd diu expectati sunt, erubescant. Superbientem terram quæ diuitias bonitatis eius cōtemnit, & ignorans expectantem se patientiam Dei, thesaurizat sibi iram secundum duritiā suam & cor impœnitens, certè tandem in fine iudicabit in die iræ & reuelationis iusti iudicij sui, in quo reddet vnicuiq; secundum opera sua. Et dabit, inquit, imperium regi suo. Regi, inquā suo scilicet Christo. Sequitur enim: Et sublimabit cornu Christi sui. Huic regi imperium dabit, & cornu eius sublimabit, in eo videlicet, vt omnia sub pedib. eius subiecta sint. Hebr.2. Futurum inquit Apostolus, de quo loquitur: Nam necdū videmus ait, omnia subiecta esse ei. Dabit autem secundum humanitatem habenti omnia secundum diuinitatem, dabit inquam, per passionē obedienter promerenti, quemadmodm deuicta morte iam emeritus dicit. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Sublime cornu eius Apostolus Matth.28. Philip.2. insigniter eloquēs dicit. Propter quod & Deus illū exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorū, & omnis lingua confiteatur, quia dñs Iesus Christus in gloria est Dei patris.

Quomodo peccabant filij Heli, & quod peccantibus sacerdotibus viris, puer Samuel ministrabat ante dominum: & quam legem præuaricatus sit Heli nimis molliter & tenere submonendo filios suos & dicendo: Nolite filij mei.

CAPVT VI.

PVer autem Samuel erat minister in conspectu domini ante faciem Heli sacerdotis. Porrò filij Heli, filij Belial, nescientes dominum, neque officium sacerdotum ad populum, sed quicunq; immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem vel in caldariam aut in ollam, siue in cacabum, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi, &c.) Tria scelera filiorum Heli scriptura præsentat, propter quę & nominat eos filios Belial. Primùm iam in eo est, quòd ait, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sibi sacerdos. Non enim quidlibet secundum legem sacrificij, sed certas quasdam portiones debebat sacerdos tollere sibi, scilicet pectusculum & armum dextrum, pectusculum, inquam, elcuationis, & armum separationis, quemadmodum in Leuitico & in Exodo plenius dicit. Secundum illorum peccatum est, in eo quod sequitur. (Etiam antequam adolerēt adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolāti. Da mihi carnem vt coquam sacerdoti. Non enim accipiam à te carnem cоctam, sed crudam. Dicebatque illi immolās. Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcunq; desiderat anima tua. Qui respondens, aiebat ei: Nequaquam. Nunc enim dabis. Alioquin tollā vi.) Rectè dicebat immolans. Incendatur primū adeps, quia videlicet adipem hostiæ prius incēdi mos erat ex præcepto legis domini. Tertium illorum peccatum erat (quòd dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.) Dormisse eos dicunt Hebræi cū mulieribus, eo quod post mēstrui tēpus aut partus non impleto secundum legis præceptum sacrificio, suadebant eas ad viros suos redire, eisque commisceri. Et dormire ideo dicuntur, quia eas dormire cū viris suis, contra legis præceptum faciebant. Vndè idē Heli post paululum ait. Non est enim bona fama quam ego audio, vt transgredi faciatis populum domini. Transgressionem faciebat populus, quia sacrificio non ritè peracto, vxoribus suis iungebantur. Sicut enim vi extorquebant carnes ab immolante, ita etiā extorquebant ab offerente, & idcirco sicut in auferendis carnibus faciebāt homines detrahere sacrificio domini, ita quoque nihilominus in coniungendus vxoribus transgredi faciebāt populum Dei. (Samuel autem, inquit, ministrabat ante faciem domini puer.) Ac si apertè diceretur. Sacerdotibus viris contemptibile sacrificium domini reddentibus, reliquus hic erat vnus puer, de quo tanquam paxillo modico tota penderet restitutionis spes, in quo dominus iniuriā patiens, aliquas honoris sui reliquias appenderet. In peccato filiorū tam grandi pater sacerdotū princeps, qui & ipse iudicabat Israel, iam nō paternam pietatē, sed zelo Dei percitus, iudiciariā exercere debuerat seueritatem. Iusserat enim lex, vt in caussa iustitiæ, nec pater filio parceret. Si inquit, genuerit homo filium contumacem Deut.21. & proteruum, qui nō audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contēpserit, apprehendent eum & ducent ad seniores ciuitatis

Exod.29. Leuit.7.8.

Exod.29. Leuit.3.7.

uitatis illius, & ad portam iudicij, dicentq; ad eos. Filius noster iste proteruus & cōtumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat & luxuriæ atq; cōuiuijs. Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiēs, pertimescat. Quāto magis homo sacerdos, in huiusmodi semotis affectibus carnis, filios suos ignorare, & domesticum malum viriliter amputare, debuit? Nam itē dixerat Moyses in benedictione Leui: Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & neDeut. 33. scierunt filios suos, hi custodierunt eloquiū tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ō Iacob, & legem tuum ō Israel. Ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. At ille nulla sæuiens magistri disciplina, solasq; patris seniles balbutiēs blanditias. (Nolite, inquit, filij mei. Non est enim bona fama quā ego audio, vt transgredi faciatis populum domini.) Nec verò ille per ætatem ad infantiles redierat ineptias, potiusq; per negligentiam crimina fouebat, quàm non habendo intelligentiam. Dixit enim ibidem sapientib. dignè audiendam grauem & maturam sententiā. Si, inquit, peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem peccauerit in Deum vir, quis orabit pro eo? Non, inquit, eo modo in virum quo in Deum peccatur, quia in virū peccare peccatum, qualecunq; est, leuiorq; remissio: in Deum verò peccare, id est, ab eius cultu recedere, impietatis peccatum est, difficiliorque remissio. Et quoniam cū in virū quis peccat placato sibi viro facit sibi virū placabilem, in Deum autem cùm quis peccat, quis orabit pro eo? Ac si dicatur. Per quem deum sibi in quem peccauit, propitiū facere potest? Igitur qui iudicaret rectè & oportunè, ab ipso domino sua suscepta est causa, taliterque ab illo tam in patrem, quàm in filios iusta de prompta est sententia.

De viro Dei qui venit ad Heli, quæ & qualia prædixerit ei, & de sermone Domini ad Samuelē super Heli.

CAPVT VII.

VEnit autem vir Dei ad Heli, & ait ei, Hæc dicit Dominus, Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm esset in Aegypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem?) & cætera. Hunc virum Dei Iudæi Phinees dicunt fuisse, quem & Heliam autumant. Reuelatus verò fuisse Dominus Exod.4. Exod.28.29. Leuit.9. dicitur domui patris eius, id est, Aaron in eo loco vbi ait. Dixit Dominus ad Aaron. Vade in occursum Moysi in deserto. In hoc loco primum ei dominus reuelatus dicitur. In sacerdotem verò electus est ex omnibus tribubus Israel, sicut habes in Helleſmoth & Vagecra. Quòd verò ait, venit vir quidam Dei ad Heli, & cætera quæ sequuntur ante tempus Helchanæ dicta fuisse arbitrantur, sed hic ob gloriam Samuelis interposita dicuntur. (Eccè dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachiū domus patris tui.) Brachium arcam vocat & dignitatem sacerdotij, vt non sit senex in domo tua. Senem sacerdotem magnum dicit. (Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israel.) Aemulus domus Heli Sadoch sacer- 3.Reg.2. dos extitit, qui eiecto Abiathar à Salomone sacerdotium susscepit, sicut in Malachim legitur. Proiecitq; Salomon Abiathar ne esset sacerdos domini, vt adimpleretur verbum domini, quod locutus fuerat Dominus ad domum Heli. (Verūtamē non penitus auferā virum ex te ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua.) Ideò se Dominus non penitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari suo dicit, vt semper de domo Heli esset in domo domini vir, qui in dignitate sacerdotij alium substitutū videret, vt se eadem dignitate priuatum videns, oculi eius deficerent, & anima eius tabesceret. Vnde & in subsequentibus dicitur. (Veniat vt adoret eum.) Id est, sacerdotem magnū. (Et accipiat ab eo nummum argenteum, & tortam panis, dicatq;, Dimitte me obsecro, ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.) Accessit è vicino Samuel puer testis alius, miro & magnifico ordine probatus, videlicet prius à Deo commendatus, quàm sibi ipsi vel hominibus notus. Sic diuinitus procuratum est ob commendationem prophetæ fidelis, vt magnus sacerdos prior quàm puer ipse vocationem ipsius à Deo factam intelligeret, quemadmodum scriptura dicit. (Intellexit igitur Heli, quia Dominus vocaret puerum, & ait ad Samuelem. Vade & dormi. Et si deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.) Et ita factum est. Et euenit sermo Samuelis non solùm Heli, sed & vniuerso Israeli. Sermo enim eius fuit, ad vniuersū Israel, q̄ percutiendi essent à Philistęis propter peccata filiorum Heli, quem sermonem euentus rei postea probauit. Pugnantibus Philistæis, facta est plaga magna nimis, & ceciderunt de Israel triginta millia peditum, & arca Dei capta est. Duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees. Porrò Infr.ca.4. ipse pater Heli senex & gradæuus, accepto tristi nuncio, cecidit de cella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus, mortuus est. In omnibus historiam planam tenentes, mysteria requiramus.

De eo quod dictum est: Filij Heli, filij Belial, nescientes dominum: quòd Heli vetus sacerdotium, & duo filij eius, eiusdem temporis duo pontifices, Annam & CAypham significent.

CAPVT VIII.

FIlij, inquit, Heli, filij Belial, nescientes dominum, neque officium sacerdotum

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. II. ad populum.)& reliqua. Heli senex & grandæuus, significat sacerdotium vetus. Immò veternosum & inueteratum, quale tunc temporis extitisse cognoscitur, quando cum illo Lucæ 19. & cum templo veteri ruituram ciuitatẽ Hierusalem, fleuit Dominus Iesus. Porrò duo filij Heli duos eiusdem temporis pontifices significant, Annam & Cayphã, reuera nescientes dominũ, neq; officiũ sacerdotum ad populum, filij tamen Heli, quod interpretatur Deus meus. Nam in isto quidẽ nomine gloriabãtur, vt de deo patrum suorum diceret, Deus meus, deus meus, sed ita deum labijs honorantes, corde inhonorabant, & operib. quemadmodum in Euangelio illis itnprope Matth. 15. rat dominus. Quare, inquit, vos transgredimini mandatum Dei propter traditionẽ vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem, & qui maledixit patri & matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificauit patrem suum, ac matrem suam. Et irritũ fecistis mandatũ Dei propter traditionẽ vestram. Et cótinuò, Hypocritæ benè prophetauit de vobis Esaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem illorũ longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Interpretatur autem Ophni quidem discalciatus, Phinees os requieuit. Quibus nominibus rectè prædictorum pontificum, Annę & Cayphę, vitia denotantur, qui ore quidem post dominum requiescebant, operibus autem discalciati erant, id est, gloriabantur in deo tanquã filij Heli ore dicẽdo, Deus meus, deus meus, operibus autem illum negabant. Non enim expetebant id quod doctoribus & sacerdotibus erat legitimum, scilicet hostiæ pectusculum, & armum dextrum, sed omne, inquit, quod leuabat fuscinula tollebat sacerdos sibi. Videlicet non exigebãt, vt quisquam reuelaret domino viam suam, pura cordis confessione, ac deinde faceret fructus dignos pœnitentiæ, quod esset, prius pectusculum, ac deinde armnm dextrum ab offerente accipere, sed toti intendebant ad satisfaciendũ auaritiæ suæ, quod erat quasi carnes expiscari quascunq; poterant fuscinula siue tridente, quo benè exprimitur vncus auaritiæ. Et iam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis & vi tollebat carnem coquẽdam sacerdoti. Nimirum peccata populi quę per adipem hostiæ intelliguntur, nequaquã dignæ orationis incendio concremabant, & tamen pro ipsis peccatis mercedem non solũ accipiebant, verumetiam emeriti mercenarij siue operarij per vim extorquebãt. Vnde & illud cõtra eos propheticũ oris dni impro Osea 4. periũ. Peccata populi mei comedẽt. Cæterũ qui de incendendo prius adipe curant, rectè postea de carne sibi coquẽda pertractãt, quia videlicet qui ꝓ peccatis hominũ dignè intercedunt, iuste mercedem suam accipiũt, & ita seruientes altari legitimè de altario viuunt. Nihilominus & dormiebãt cũ mulierib. quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, quia videlicet traditiones docebant suas, non dei, qꝑ erat adulterino concubitu cũ animabus deũ 1. Cor. 9. quærentibus nefariè permisceri. Qui enim se ipsum magis quàm Deum commendat, qui non dei, sed suam doctrinam seminat, rectè de illo dicas, quòd cum animabus obseruantib. ad ostium tabernaculi cælestis dormiat, quod peccatum vt verum adulterium, cæleste iudicium condemnat. Nam si peccauerit, inquit, vir in virum. &c.

Quòd vir Dei, qui ad Heli locutus est, mysticè sit vniuersus prophetarum chorus, qui acerba occursione veteris sacerdotij proterit confidentiam.

CAPVT IX.

VEnit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum. Hæc dicit dns. Nunquid nó apertè reuelatus sum domui patris tui, cũ esset in Aegypto in domo Pharaonis, & elegi eũ ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotẽ, vt ascenderet ad altare meũ & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me, & dedi domui patris tui, omnia de sacrificijs filiorum Israel? Hic vir vnus mysticè vniuersus est prophetarum chorus. Nã etsi prophetæ multi sunt, sed vnus est Dei sermo in ore omnium. Nunquid non apertè, inquit, reuelatus sum domui patris tui? Ac deinceps. Propterea ait dns deus Israel. Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in cõspectu meo vsq; ad sempiternũ. Nunc autẽ dicit dns, Absit hoc à me, sed quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum, qui aũt contemnunt me, erũt ignobiles. Grauissima nimiumq; acerba occursiõe sacerdotij veteris, inordinatam proterit confidentiã. Tanq diceret. Eccè vos dicitis, ecce vos in verbis mendacij confiditis dicẽtes dns dixit, dominus locutus est, dominus promisit ac pollicitus est Aaron, vt ministraret domus illius in conspectu eius vsq; in sempiternum. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo & Num. 23. non faciet, locutus est & non implebit? Agamus vt volumus, viuamus vt libet, immutabilis est, sacerdotium nostrũ manet, mutari nõ licet. Ad hæc, inquã. Vobis licebit, vobis pulchrum erit, immutare & prævaricari legem, quã professi estis, mihi aũt sententiam meã mutare nõ licebit? Propterea dico. Ego quidẽ loquẽs olim sic & sic locutus sum, sic & sic pollicitus sum. Nũc aũt dico, absit hoc à me. Quoniã mutati estis, mutabor & ego. Quoniã peruersi estis, peruertar & ego. An frustra mihi scriptura dixerit. Cũ sanctis sanctus eris, & cũ viro innocente innocẽs eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris? Absit, inquã, hoc à me, vt quia lo- Psal. 17. quens locutus sum, idcirco debeam domum patris tui glorificare vsq; in sempiternum.

Dura,

Dura, improba, damnosa mihi ista est conditio, vt videlicet idcircò debeam quenquam glorificare lege debiti, quòd de domo patris tui sit. Sed quid? Quicunq; honorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnũt me, erunt ignobiles, quacunq; ex domo, quacunq; ex gente sint, siue Iudæus ille, siue Grecus sit, qui me honorificauerit, glorificabo eum, glorioso regno, glorioso sacerdotio, faciamq; omnes regnum & sacerdotes Deo & patri meo. Siue Iudæus ille, siue Grecus sit, qui me contempserit, erit ignobilis, neq; rex neque sacerdos esse poterit. Hæc mihi conditio, hæc mihi seruanda vicissitudo est. Accipito vtius & dicito, quia promissionis fidem irritam fecerim. Tu homo quis es, vt respõdeas Deo? Quidlibet olim ego locutus sim, hæc præsens loquela mea stabit, vt facilius cęlum & terra, quàm hoc verbum meum transire possit.

Quòd dies isti iam venerunt sacerdotio Iudæorum, de quibus dictum est: Eccè dies venient, & præcidam brachium tuum, sacerdotio Iudæorum tristes & amari, sacerdotio autem Christi ecclesiæ læti & iucũdi.

CAPVT X.

ECcè dies venient & præcidam brachium tuum, & brachiũ domus patris tui, vt nõ sit senex in domo tuo, & videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israel & non erit senex in domo tua omnib. diebus Dies isti iam venerunt & nunc sunt, sacerdotio Iudæorũ & domui Aaron tristes & amari, sacerdotio autem ecclesiæ læti & iucundi. Præcisum est brachium Iudæorum, quia caro erat, præcisum est brachium domus Aaron quia non domini, sed hominis brachiũ Hier. 17. erat. Maledictus vir, inquit propheta, qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suum, vt à dño recedat cor eius. Confidebãt in homine, gloriando videlicet, non in fide, sed in carne Abrahæ, posuerant carnem brachium suum, vt à domino recederet cor Hier. 7. eorum, superbiendo in sacerdotio Aaron, & crucifigendo illũ quem præfigurabat Aarõ. Templum, inquiunt domini, templũ domini templum domini est. Sed eccè spelunca latronum, ait dominus, facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris. Vbi nunc illud templũ, imò vbi nũc illa spelũca latronũ? Vbi nunc sacrificia filiorum Aaron, sacrificia taurorum & hircorũ & agnorum & arietum? Præcisum igitur est brachium Heli, præcisum est brachium sacerdotij veteris, vt iam in domo eius non sit senex, non iam nominetur in domo Aaron magnus sacerdos, summus pontifex. Et videbis ait æmulum tuũ in templo in vniuersis prosperis Israel. Quis iste æmulus est, cui sacerdotium vetus inuidet, nisi ille, de quo propheta, Iurauit, inquit, dominus & nõ pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secũ- Psal. 105. dum ordinem Melchisedech? Grandis iste æmulus est, in quem cùm sit de tribu Iuda, de qua nullus altari præsto fuerat, translato sacerdotio, legis quoque translatio necessario facta est. Istũ Iudaicus sacerdos iam spoliatus egerrimo oculo videt in illo templo quo totus orbis contentus est, in illa ecclesia quæ toto orbe terrarum diffusa est. Videt, inquam, illum in vniuersis prosperis Israel, nam vniuersa quæ de illo sunt prospera & pacifica vero sunt Israel, quemadmodum in alio Psalmo præcantauit idem propheta. Intende prospere, procede & regna. Veruntamen non auferam ait virum penitus ex te, ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & magna pars domus tuę morieturcùm ad virilem ætatem peruenerit. Secundum hæc & Apostolus dicit, Nunquid Rom. 11. reppulit Deus populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, ex tribu Beniamin. Non reppulit Deus plebem suam, quã præsciuit. Ac deinceps. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundũ electionẽ gratię Dei saluæ factæ sunt. Verũtamen ego inquit, nõ auferam virũ penitus ex te, ab altari meo. Sed qd? Vt deficiãt, inqt, oculi tui, & tabescat anima tua. Deficiant, inquam, oculi tui, quemadmodum idem Apostolus dicit. Dedit illis spiritum compunctionis, ocu- Ibidem los vt nõ videant, & aures vt nõ audiant vs- Psal 68. que in hodiernum diem. Et Dauid dicit. Fiat mensa eorum in laqueum & in captionem, & in scandalum, & in retributionẽ illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Et post aliqua, Nolo enim ignorare vos fratres mysterium hoc, vt nõ sitis vobismetipsis sapiẽtes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentiũ intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et pars magna, inqt, domus tuę moritur tunc, qꝑ maioris miserię est, cũ ad virilem ætatẽ peruenerit. i. cũ plenitudo temporis aduenerit, morietur, inquã, non solùm gladio maligno, qui animã à Deo dirimat, sed etiam gladio Romano, qui animã à corpore diuidat. Et susciabo, inquit, mihi sacerdotẽ fidelem, qui iuxta cor meũ & animam meam faciat, & ædificabo ei domũ fidelẽ, & ambulabit corã Christo meo cunctis dieb. Sacerdos iste fidelis Christus intelligitur, qui & per nomen Sadoch, de quo superius secundũ literã diximus, rectè signatur. Interpretatur enim iustus. Iustus autem & veraciter sanctus sacerdos vel pontifex ipse est, quẽadmodũ di- Hebr. 7. cit Apostolus. Talis decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. Igitur susciabo mihi, inquit, sacerdotem fidelem, fidelem inquã, qui semetipsum fideliter offerat non habens necessitatem quotidie, quẽadmodũ sacerdotes prius, pro suis delictis hostias offerre, qui iuxta cor meum & animam meam faciat, id est, non per sanguinem hircorum, Ibidem aut vitulorum, quorum ego, neque carnem manducabo, neque sanguinem potabo,

sed per

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. III sed per proprium sanguinem intoeat semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Domus autē fidelis quæ ædificatur ei ecclesia est, quæ ex fide viuit. Aedificatur, inquam, ei, videlicet per sacramentum sanguinis & aquæ, quod de latere eius manauit, quemadmodū in typum eius mulier de costa viri in primordio fabricata est. Hæc domus ædificata, ambulauit, inquit, coram Christo cunctis diebus, quia videlicet tota Christi domus, tota ecclesia, genus sacerdotale est, & hæc proficiendo de virtute in virtutem, ambulat coram Christo cunctis dieb. Futurum est autē vt quicunq; remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortā panis, dicatq;: Dimitte me obsecro, ad vnam partē sacerdotalē, vt comedam buccellā panis. Quis est qui remāsit in domo Heli, in domo sacerdotij Iudaici, nisi *Esa. 10.* is qui perditioni gentis illius, per gratiam e- *Rom. 9.* lectionis superstes esse potuit vel poterit? Nā & scriptura dicit: Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Planè ergo quicunq; remanserit, id est, quicunque de populo isto ad vitam præordinatus fuerit, veniet ad sacerdotem æmulū, veniet non ad synagogæ, sed ad ecclesiæ sacerdotium, nunc sibi inuisum, vt oretur p eo, vt per eiusdem ecclesię sacramenta recōcilietur Deo. Offerat nummum argenteum, & tortam panis, id est, lucidum fidei verbū, & opera dilectionis, dicetq;, Dimitte me obsecro ad vnam partē sacerdotalem, vt comedam buccellam panis, dimitte, inquā, me ad vnam quālibet diuisiuam euangelicæ gratię donationem, vt in vnitate corporis ecclesiæ, comedam buccellā panis viui, qui de cęlo descendit, buccellam corporis Christi filij dei, in quo solo vita est, sine quo nemo viuit.

Quòd puer Samuel alius testis contra sacerdotem accessit, & quòd dictum est: Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.

CAPVT XI.

CA. III. PVer autem Samuel ministrabat domino coram Heli, & sermo domini erat pretiosus. In diebus illis non erat visio manifesta. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in lecto suo & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam *Deut. 19.* extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo domini, vbi erat arca dei. Et vocauit dominus Samuel, & cætera.) Ad confirmationem sermonis superioris hic alius testis, puer Samuel accedit, vt iuxta legem quam Deus ipse populo præscripsit, non vnus tantum, sed duo starent testes contra sacerdotem pigrum & segnem magis quàm pium, suorum videlicet magis quàm Dei amatorem filiorum. Plana res gesta est. Puerum dormientem dominumque necdum scientem, cui necdum reuelatus fuerat sermo domini, Dominus tertio vocando excitauit, & cætera. In illum suæ moderatus est gratiam vocationis, vt prius is, contra quem mittebatur, vocatum illum esse à Domino sciret, quàm ipse qui vocatus est. Sicq; factum est, vt is qui visionem indicare timuisset, cęlare non auderet, tacere non posset. Sanè quod dictum est, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur, varium sensum habet. Nam alij sic distinguunt. Et oculi eius caligauerant, nec poterat videre. Et postea inferunt. Et antequam lucerna domini extingueretur, puer Samuel dormiebat in templo domini, vbi erat arca Dei. Intelligi autē hoc modo volunt. Dormiebat in tēplo anteq̄ lucerna Dei extingueretur, id est, antequam lux diurna fieret quando eadem extinguenda erat lucerna. Sic enim à domino per Moysen iussum erat, vt eadem lucerna luceret vsque mane. Sicut est illud in Leuitico, Præcipe ait dominus filijs Israel vt afferant tibi o- *Leuit. 24.* leum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum vt ardeat lucerna semper in tabernaculo Domini, & collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram domino. Alij verò. Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur. Et est sensus, Ipse qui propriæ vitæ meritis, & dignitate sacerdotij lucerna dei erat, antequam pro peccato filiorum, lucida dei gratia priuatus extingueretur, non poterat videre, sicut in mente præinordinato filiorum suorum amore, ita & in corpore præ nimia senectute caligans, & non volens videre. Porrò alij simplicius. Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur, id est, adeò caligauerant oculi eus, vt lucernā in tēplo clarè ardentem videre non posset, quo dicto intelligitur, quòd ne paruas quidem in oculis reliquias luminis haberet valdè senex. Sed iam spiritualium mysteriorum vela pandamus.

Quid sit mysticè q̄ puer Samuel dormiebat, & sermo domini erat pretiosus, id est, rarus, & quomodo venerit dominus mysticè & Samuelē nescientem tertio, quarto autem scientem iam vocauerit ille.

CAPVT XII.

PVer Samuel dormiebat, quia videlicet perituro carnali Iudæorū sacerdotio, sermo propheticus cōticuerat. Iam enim multis dieb. ante Christi aduentum, propheta nō *Luca 11.* fuerat visus in Israel. Sed & qui dudum missus & scriptus fuerat sermo propheticus, quasi sub clauib. dormiebat, clauim quippe scię tiæ scribæ & pharisæi tulerant, nec ipsi introeuntes, nec eos qui volebant introire permittentes. Ergo puer Samuel dormiebat, & sermo domini erat pretiosus, id est, rarus. Rarus enim & penè nullus erat, q̄ sermoné domini volentib. audire loqueretur. Sed venit dominus, & stetit & vocauit Samuelē, excitauit dormientem. Quando venit dominus, & stetit, nisi

stetit, nisi quando de cælis deus descendit, vt factus homo staret pro nobis? Tunc vocauit Samuelem, tunc propheticum excitauit sermonem, hactenus dormientem. Excitauit, inquam puerum suū, excitauit in puero præcursore sermonem suum, in eo videlicet puero cui gloriosè concinitur. Tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini parare vias eius. Tertiò illum *Luca 1.* nescientem vocauit, priorq; ipso sacerdotij veteris minister Zacharias pater eius vocationem illam intellexit. Primo enim angelus illum ex nomine nunciauit. Secundo, ad salutationē Mariæ clausum adduc in vtero matris exultatione, & gaudio concussit. Tertio iam nato, per os patris officium suæ præcursionis edixit, tu quoq; propheta altissimi vocaberis. Igitur sacerdos Heli destituendus, puerum vocari prior à domino intellexit, quia sacerdos officijs carnalis Zacharias, magni prophetæ vocationem ipso prior intellexit & enunciauit, iustus quidem in persona sua, apud Deum & homines, sed eius sacerdotij minister, q̄ protinus destituendum esset, sicut in isto sacerdote Heli præfiguratum esse, iam dictum est, & adhuc dicendum est. Quarto tandem iam sciens vocationem suam puer Samuel, venienti domino, & vocanti sicut vocauerat secundo. (Samuel, Samuel. Loquere ait domine, quia audit seruus tuus. & dñs, eccè, inquit, ego faciam verbum in Israel, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures eius. In die illo suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius. Incipiam & cōplebo. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem eius, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & nō corripuit eos. Idcircò iurauit domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius *Exod. 32.* victimis & muneribus vsque in æternum.) *Psal. 105.* Quid ad hæc ille? Non vtiq; consurrexit sicut Moyses, vt deum teneret, ea virtute, qua teneri ipse vult, & teneri potest, vt stando in conspectu eius, in confractione cordis orando, iram eius à domo sua auerteret. (Sed dominus, inquit est, quod est in oculis suis faciat.) Paulò melius ante consultius Achab, licet alias impius, qui cùm audisset sermones domini in Helia, dicentis. Eccè ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, *3. Reg. 21.* & interficiam de Achab mingentē ad parietem, &c. cùm, inquam, audisset sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque ac dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Idcircò ille quidem in diebus suis non vidit inductū domui suæ malum, hic autem & vidit, & ipse sustinuit, cecidit enim audito tristi nuncio, & fractis ceruicib. mortuus est. Nunc ad superiora redeamus. Loquere, inq̄t, dñe, quia audit seruus tuus, &c. Planè iuxta hanc normam prædictus ille prophetarū maximus, primo, per angelū ex nomine nunciatus, deinde ad vocem salutantis Mariæ gaudio cōcussus, tertio prophetica, vt supra dictū est, patris voce declaratus, quarto tandē iam sciēter in deserto audiuit, q̄ dominus loqueretur. Imò & orans vt dñs loqueretur, signum accepit veri ac iusti sacerdotis, adijciente sibi deo, super quē videris spiritum descendentē & manentē super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto, simulq; verbum accepit quod loqueretur contra vetus sacerdotium, imperante domino. Factum est enim (inquit Lucas) verbum Dñi super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Ac deinceps, Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis e- *Ioan. 1.* nim arbor non faciens fructum bonum, ex- *Luca 3.* cidetur, & in ignem mittetur. Hæc enim cōtra sacerdotium illud Leuiticumque ministerium dicta esse, Matthæus euidentius insinuat. Videns, inquit, multos Pharisæorum & Sadducæorum venientes ad baptismum *Matth. 3.* suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Ac deinceps, Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Pharisæi nanque sacerdotes vel clerici erant Iudæorum. Igitur tunc domui Heli iurauit dominus, q̄ non expiaretur iniquitas dom⁹ ei⁹ victimis & munerib. vsq; in æternum, quando per hunc enunciauit se curim positam esse ad radicē arboris, dignū pœnitentiæ fructum non facientium, videlicet maximè pharisæorum, in templo dei, sub nomine sacerdotij latrocinātium.

De pugna malè gesta contra Philistijm, & de vana leuitate quæ dixerunt. Afferamus ad nos arcā domini sedentis super Cherubin, & quid significe auerit lapis adiutory.

CAPVT XIII.

CAPVT XIII. ET factum est in diebus illis, conuenerūt Philistijm in pugnam. Egressus est nanque Israel obuiam Philistijm in pugnā, & castrametatus est iuxta lapidē adiutorij.) Et reliqua. Narratione hac mox subsecutura, præmissum est. Et addidit dominus vt appareret in Sylo, quoniā reuelatus fuerat dñs Samueli in Sylo iuxta verbum dñi. Et est sensus, Dominus, quoniā reuelatus fuerat Samueli in Sylo, dictus addidit, vt appareret itidem in Sylo, iuxta verbum suum factis, ita vt non caderet ex omnibus verbis eius interram, vt cognosceret vniuersus Israel à Dan vsq; ad Bersabee, q̄ fidelis Samuel propheta esset dñi. Ita planè ex omnib. verbis prophetæ, & plus quam prophetæ Ioannis, non cecidit verbum in terrā. Respiciamus ad dies illos, in quibus non iam Philistijm, sed qui per Philisteos hoc loco rectè figurantur, Romani cōuenerunt in pugnam. (Dixerūt, inquit, maiores natu de Israel, Quare percussit nos hodie Dominus coram Philistijm?

Afferamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. V. Afferamus ad nos de Sylo arcam fœderis domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Sylo, & tulerũt inde arcam fœderis domini exercituum, sedentis super Cherubin.) Præsumptio stulta & vana, quæ tunc decepit improuidos, & iustitiæ vel gloriæ Dei ignaros, ipsa eadẽ decepit illos, quando clausi obsidẽte exercitu Romano, tumultuabantur & vociferabantur confidentes, vt historiæ tradunt, quod nequaquam toleraret deus priuari se illo pulchro templo, illo pulchro & aureo sanctuario. Cuius vanitatis respectu nota quam acutè, quã mordaciter cùm præmissum esset, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum, continuo subiunctum est, sedentis super Cherubin. Hoc quippe nõ ꝓ suo sensu, sed pro illorum notab li vanitate scriptura dixit. Quid
Exod. 37. enim stultiùs ac vaniùs? Nunquid super illos Cherubin quos fecit Moyses, imò quos Beseleel ille faber cum socio suo Ooliab fudit, aut fabricauit, sedebat dominus exercituum
Psal.107. captus vel delectatus pulchritudine auri, & non potius super homines, vel super sanctos angelos sedet plenos scientia Dei secundum nomen Cherubin? Igitur eadem hic & illic vanitate decepti sunt, dum pro aureis cælestis sanctuarij simulachris, diuinum sibi quasi debitum arrogãt adiutorium, vnde & falsi sunt, metando castra iuxta lapidem, postea dictum lapidem adiutorij. Nam & tunc præsagio suo frustrati sunt, & nunc eius lapidis non habuêre adiutorium, quem in malum sibimetipsis reprobauerunt, iuxta quod scriptura dicit. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et tunc quidem sacerdotis vnius Heli domus vna concidit, ipso quoq; corruente, fractisq; ceruicibus moriente, nunc autẽ tota gens captiuata est, tota ciuitas, cum templo suo funditus in fauillas disperijt, sacerdotio illo quoque cadente, suumque opprobrium per omnes gentes circunferente, quia pollutum, sordidatum, imò & eiectum est, eodem quo viuimus, quo redempti & emundati sumus nos credentes Christi sanguine.

Quid significet mysticè, quòd ab ijsdem arca Dei capta sit, à quibus victus est Israel, & quòd cecidit Dagon truncatus coram arca domini, & quod percusserit illos Dominus in posteriora.

Colloss. 1. CAPVT XIIII.

CAP. V. Sed & arca Dei capta est.) Vt iam euangelicam legis prosequamur intelligentiam, eisdem Romanorum armis, eisdem imperatorum gladijs, quibus ille populus obsessus, concisus, & in omnes gentes captiuus ductus est, eisdẽ, inquã, ecclesia dei, quæ est corpus Christi capta, & ab eisdem persecutionem passa est. Pandamus glorioſi vela nauigij, & cursum percurramus intelligentiæ spiritualis. (Philistijm autem tulerunt arcam Dei, & asportauerunt eam à lapide adiutorij in Azotum. Tuleruntque Philistijm arcam dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotij, altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terrã ante arcã dei. Et tulerunt Dagon, & restituerunt eum in loco suo. Rursumq; mane die altero consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam, in terra coram arca domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisę erant super limen. Porrò Dagon truncus solus remanserat in loco suo.) Grande spectaculum, grande miraculum. Translata ab Israel gloria domini, capta ab allophylis arca DOMINI, victoriam de victoribus versa vice exigit, primumq; in Deum ipsorum Dagon, deinde & super homines aggrauantur manus domini. (Nam ebullierunt, inquit, villæ, & agri, in medio regionis illius, & nati sunt mures & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate, & percusit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius, & computrescebant prominentes extales eorum.) Hæc Psalmista magnificè decantans, & excitatus est, inquit, tanquã dormiẽs dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. Hoc quid portenderit, perspicuum est. Vbi enim supra dicto modo concidit sacerdotium vetus cum terrena Hierusalem, & manufacto templo eius, tunc victoriosiùs pugnam inijt, cum dijs gentium, arca domini quæ est Christus Dominus secundum cõpactum ex carne nostra corpus eius, sedens & manens in Ecclesia sua, & ipsa quę est corpus eius, & plenitudo eius. Cecidit coram arca ista Dagon, cecidit, inquam, coram illa omnis massa dæmonum, quæ intelligitur per illud idolum, per hoc ipsum nomen Dagon. Interpretatur enim piscis tristitiæ, illum, vt supra dictum est significans, qui in mari est, centum magnum Leuiathan, serpentem vectem tortuosum. Cecidit hic talis Dagon coram arca Domini tandem truncatus capite, & abscisis manib. id est, sublatis à cultu eius regibus terræ & principibus, qui prius adsti- Psal.2.
terant, & conuenerant in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius. Quid autem est, quòd & percusit inimicos suos in posteriora, ita vt computrescerent prominẽtes extales eorum, nisi quod illos qui victoriam eius recipere noluerunt, qui intelligentes virtutem Dei, nõ sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, tradidit in reprobũ Rom.1.
sensum? Nam fœminæ eorum (inquit Apostolus) mutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminę, exarserunt in desiderijs suis in inuicẽ, masculi in masculos turpitudinẽ operantes, & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipiẽtes. Dum enim huic vitio nequissimo, incredulos subdidit terribile iudicium domini, profectò percussit inimicos suos in posteriora & opprobrium sempiternum dedit illis. Quid autem sunt illi, qui ebullierũt, & terram demoliti sunt mures, nisi maligni spiritus, iustis quidem contemptibiles vt mures, peccatoribus autem terribiles vt leones?

Quod vaccæ arcam domini portantes, prædicatores significent fideles in ecclesia, qui in directum procedũt non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram.

CAPVT XV.

CAP. VI. Quo tandem modo victoria omnis peracta est? Duritia vtiq; & patientia prædicatorum secundum hoc miraculum, quòd subiũctum est. (Tollentes (inquit) duas vaccas quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum cõcluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam quę habebat mures aureos, & similitudinem agnorum. Ibant autem in directũ vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.) Quid enim vaccę nisi fideles quosque in ecclesia signant, qui dum sacri eloquij præcepta considerant, quasi super impositam domini arcam portãt. De quibus hoc etiam notandum, quòd fuisse fœtæ memorantur, quia sunt pleriq; qui in via Dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligantur. Sed non declinãt à recto itinere, quia arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe domus solis interpretatur. Et propheta ait: Vo-
Malac. 4. bis autem qui timetis dominum, orietur sol iustitię. Si igitur ad ęterni solis habitationem tendimus, dignum profectò est, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pẽsandum est, quod vaccæ Dei plaustro suppositæ, pergunt & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non retorquẽt gressus. Amorem quidem per compassionem sentiũt, sed colla posterius non reflectunt. Sic nimirum prædicatores sancti, sic fideles quippe esse debent intra sanctam ecclesiam, vt compatiantur proximis per charitatem, & tamen de via Dei nõ exorbitent per compassionem. Arcam quippe vaccis superpositam Bethsamis pergere, est cum superna scientia, ad internæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namq; sic necesse est, vt incedere debeant, qui sacræ legis jugo suppositi, iam per internam scientiam arcam domini portant, quatenus per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent, à cœpto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet, ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur dura sit, aut plus tacta, si inflectitur remissa.

Quid significet quod Bethsamitæ videntes arcam domini, gauisi sunt, & quòd vaccæ in holocaustum cæsæ sunt, & quòd viri Bethsamitæ percussi, eo quòd vidissent arcam domini.

CAPVT XVI.

PORrò Bethsamitæ metebant triticum in valle. Et eleuantes oculos viderunt arcã, & gauisi sunt cum vidissent eam. Et plaustrũ venit in agrũ Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum domino.) Lapidem istum super quem concisis lignis plaustri vaccas imposuerunt in holocaustum, Hebræi aram ab Abraham ædificatam intelligunt. Hæc, &cę. (Quinque satrapæ Philistinorum viderunt, & reuersi sunt (inquit) in Accharon in die illa.) Sic planè perseuerantiam prædicatorum, de quibus iam dictum est, principes idololatriæ viderunt, quòd scilicet nullis affectibus carnis reuocari potuerunt, quinetiam insuper corpora sua passionibus obijciẽtes in holocaustum domino obtulerunt, & tandẽ cõfusi à persecutionibus cessauerunt. Hi autem sunt ani aurei, quos reddiderunt Philistæi pro delicto domino. Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon, vnum. Geth vnum, Accharõ vnum. Et mures aureos secundum numerũ vrbium, & cætera.) Hoc vrbium numero, quæ anos auræos & mures reddiderunt, vniuersitas illorum significatur, qui quinq; corporis sensibus, prius per fornicationem abusi, postea supradictas passiones ignominiæ fugientes, peccata priora subsequentibus bonis operibus redemerunt. Quod verò sequitur: (Et vsque ad Abel magnum super quem posuerunt arcam domini.) Abel magnum ciuitas est in termino Israel. Abel magnum idcirco vocatur, cum antea Bethsamis vocitata sit, siue propter luctum super viris Bethsamitis ibi factum, siue propter distinctionẽ ciuitatis Abel Bethmacha, de qua exclamauit mulier sapiens ad Ioab, dicens: Qui inter- 2. Reg. 10.
rogant interrogent in Abela. Sic itaque intelligendum est, quòd ab vrbe murata vsque ad villam quæ erat sine muro & vsque ad Abel magnum, dederint mures. Super quem, id est, super luctum posuerunt arcam Dei, quæ erat vsque in illam diem in Agro Iosue Bethsamitæ. Fuit igitur in agro illius, donec in Cariathiarim ducta est. (Percussit autem de viris Bethsamitis eo quòd vidissent arcam domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta milia plebis.) Hos septuaginta viros, Iudices septuaginta, Hebræi intelligunt, quorum meritò & gloria quinquaginta milia viri computantur, sicut de Dauid dicitur, quia tu vnus pro decem mili- 2. Reg. 18.
bus computaris. Idcirco percussit eos, quia vide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VII. viderãt arcam domini, quia curiosè inspexerant, cum fuissent lege prohibiti, ait enim do
Num. 4. minus in libro Numeri, Aaron & filij eius intrabunt, ipsíque disponent opera singulorũ, & diuident quæ portare quis debeat. Alij nulla curiositate videãt, quæ sunt in sanctuario, priusquam inuoluantur, alioqui morientur. Sic nimirum milia multa de viris Bethsamitis, de viris domus solis, de viris ecclesiasticis, multa (inquam) milia plebis, multos primates viros percussit iudicium domini & errare eos fecit, eò quòd vidissent arcam domini, eò quod indignè nõ dilectionis studio, sed præsumptionis & curiositatis vitio, ausi fuissent in scripturis scrutari secreta diuinitatis, & facti sunt heresiarchę, iudicante Deo, superbos ad conspectum diuinitatis & veritatis non admitti.

De translatione arcæ domini, quòd nusquam legatur reducta in Sylo, per quòd synagoga mystícè intelligitur, et quod manserit in Cariathiarim, quo nomine significatur ecclesia gentium.

CAPVT XVII.

CAP. VII ET factum est ex qua die mansit arca domini in Cariathiarim multiplicati sunt dies. Erat quippe iam annus vicesimus, & requieuit omnis dom⁹ Israel post dominum.) Vicesimo anno peracto, translata est eadem
2. Reg. 6. arca à Samuele in Masfath, & de Masfath trã-
2. Para. 1. stulerunt eam Samuel & Saul in Galgala. In-
3. Reg. 8. de translata est à Saul, in Nobe, de Nobe in
2. Paral. 5. Gabaa. De Gabaa translata est à Dauid in domum Obeth Edom, de domo Obeth Edom transtulit eam Dauid in Sion, & de Sion transtulit eam Salomon in sancta sanctorũ. Nusquam extunc in Sylo reducta fuisse legitur, quia repulit & spreuit illum locum Deus in typum videlicet synagogæ, in qua quondam erat sanctuarium domini, sed repulsa & spreta est, & omne sanctum alio transmigrauit.
Psalm. 77. Quod propheta respiciens, & repulit, inquit, tabernaculum Sylo, tabernaculum suum ibi habitauit in hominibus. Sylo namque abruptio interpretatur. Quo nomine grauiter eadem synagoga denotatur, pro eo videlicet, quia assistens aduersus dominum & aduer-
Psalm. 2. sus Christum eius. Dirumpamus (ait) vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Manet autem nunc arca domini in Cariathiarim. Cariathiarim interpretatur ciuitas syluarum, quo nomine rectè ecclesia gentium designatur. Ipsa nanque quondam erat sylua magna, bestijs ferocibus, id est, malignis spiritibus inhabitata & peruia, nunc autem ciuitas est fide fundata, muro diuinitatis & angelorum præsidijs communita. Hic ergo manet, hic arca domini inueniẽda est. Vnde propheta cum dixisset: Ecce audiuimus e-
Psal. 131. am in Ephrata, continuò subiunxit. Inuenimus eam in campis syluæ. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Surge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuę, & cętera. Hæc planè dixit gaudio dulci attonitus, quippe qui vouerat se, non daturum oculis suis somnum, & palpebris suis dormitationem, & requiem temporibus suis, donec inueniret locum domino, tabernaculum Deo Iacob, id est, donec sancto indicante spiritu quo in loco quieturus sit dominus & saluator, & vbi tabernaculum suum tendere dignetur Deus Iacob. Et subitò irruente in se spiritu. Ecce (inquit) audiuimus eam in Ephrata, eam, inquam, id est, arcam sanctificationis eius, compactam vel compingendam esse audiuimus de carne virginis in Ephrata, hæc est Bethlehem. Ac deinceps subiungens. Inuenimus eam (inquit) in campis syluæ. Tanquam diceret: Iam non inuenitur illic, vbi audiuimus eam, iam non inuenitur in illa de qua processit gente, sed in gentibus quæ prius fuerunt, tanquam sylue à bestijs, id est, malignis spiritibus possessæ, nunc autem in modum camporum sepibus gratiæ Dei circundatæ, cultiles sunt & fœcundæ. Manet igitur arca domini nunc in Cariathiarim, & multiplicãtur dies, dies inquam sanctorum, dies virtutum, succrescitque in lucem multitudo gentium vsque ad tempus prefinitum, quo & reliquię Sylo, id est, carnalis Israel saluandæ sunt. Sicque requiescit omnis domus Israel post dominum, post dominum, inquam, qui dixit:
Matth. 11. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iuxta literã requieuisse post dominum dicuntur, quia abiectis idolorum sordibus, domino se ad seruiendum, toto corde tradiderunt, quòd & in subsequentibus dicitur. (Abstulerunt filij Israel Baalim & Astaroth, & seruierunt domino soli. Et conuenerunt in Masfath, hauserunt-
Numer. 5. q; aquas, & effuderunt in conspectu domini.) Hebræi tradunt quod còram domino in eadem aqua maledicta congesta sint, & sicut in lege mulier zelotypa hausta aqua probabatur, ita & hic idololatræ hac aqua probati sunt, hi videlicet, qui se idola coluisse penitus denegabant. Tradunt etiam, quòd quicunque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea abinuicem idololatra separare posset. Hoc idololatra indicio deprehendebatur, & interficiebatur. Quòd sequentia demonstrant in eo quod ait: (Iudicauitq; Samuel filios Israel in Masfath.) Iudicare in hoc loco idololatras secundum legem morti tradere intelligendũ
Exod. 32. est. Dicunt etiam, quòd hoc modo Moyses idololatras qui sibi vitulum fecerant, probauerit, quando arripuit vitulum, & combussit, & contriuit vsque ad puluerem, & sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.

In quo peccauerunt postulantes regem, cùm lex data non prohibuerit eos constituere regẽ sed alterius gentis hominem.

CAPVT XVIII.

Hacte-

CA. VIII. HActenus imaginem sacerdotij transferendi, nunc velut in alia tabella, mysticis depictam figuris contemplemur imaginẽ regni Christi filij Dei, quòd destructo peccati regno, in salutem & libertatem nostrã succesit. (Congregati vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad Samuel in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui nõ ambulant in vijs tuis, Constitue nobis regem vt iudicet nos sicut & vniuersæ habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent. Da nobis regem vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad dominum. Dixitque dominus ad Samuelem. Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos,) & cętera. Primò iuxta literam quęritur,
Deut. 17. in quo populus regem sibi postulando peccauerit. Dicit enim lex. Cum ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerisque in illa, & dixeris, constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, cùm cõstitues quem dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum. Nõ poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus, & cætera. Hæc vtique dicendo, non qualemcunque regem, sed alienigenam regem lex constituere vetuit. Quid ergo iustæ querelæ legislator habuit vt diceret, non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos? (Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto vsque ad diẽ hãc, sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic faciunt etiam tibi.) Ad hoc facilis patet responsio, quia tempore importuno dixerunt, da nobis regem, vt iudicet nos, cùm haberent iudicem iustè & regaliter iudicantem eos, non in ambitionis vanitate, sed in spiritu Dei & sermonis domini veritate, de quo sciebant, quòd fidelis esset, quemadmodum
1. Reg. 3. & superius de illo contestans scriptura dicit: Et cognouit vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel prophetae esset domini In eo populus deliquit, quia regnantem super se sermonem domini, imò ipsum regem Deum suum proiecit, sicut & postmodum Samuel ipse acri inuectione dicit: (Vos
Infra 9. autem hodie proiecistis dominum Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis & tribulationibus vestris, & dixistis, nequaquam, sed regẽ cõstitue super nos.) Quia plana historia est, nunc breuiter pauca, quæ quæstione indigent, perstringamus, & tunc demum iuxta propositum, mysteria subtexamus.

De Saul, quomodo regnare cœperit, & quod sic innocens videbatur, tanquam filius vnius anni, & quòd in eadem innocentia duobus annis regnauerit.

CAPVT XIX.

CAP. IX. DIxitque Saul ad puerum. Ecce ibimus. Quid feremus ad virum?) Non enim putabat Saul sibi asinas à Samuele aliter indicari, nisi pretio diuinationis. Ideo ait: Quid feremus ad virum? Festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populo in excelso.) Sacrificium in hoc loco prandiũ intelligitur, quod parauerat Samuel populo in Calendis. Et dimittam te mane, & omnia quæ sũt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis, quas perdidisti nudiustertius ne solicitus sis, quia inuentæ sunt.) Erat in corde Saul sicut Hebręi tradunt, quòd rex futurus esset, quia viderat per visum se in vertice arboris palmæ collocari, quæ visio signum regale erat. (Cumque abieris inde, & transieris CAP. X.
vltra, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel.) Hi viri causa orationis ibant in Be-
Gen. 28. thel, vbi Iacob lapidem erexerat. (Post hæc venies ad collem Dei.) Collis Dei, locus erat, vbi prophetæ habitabãt. (Et insiliet in te spiritus domini, & prophetabis cum eis.) Prophetasse eum ibi Iudæi dicunt de futuro seculo, de Gog & Magog, & de præmijs iustorum, & de pœna impiorum. (Quando ergo euenerint signa tibi hæc omnia, fac quodcunque inuenerit manus tua, quia Deus tecum est.) Ac si diceret: His signis nosse poteris, qa Deus te regem facere voluit, & idcirco ad omnia, quæ tibi agẽda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est. (Et descendens ante me in Galgala, Ego quippe descendam ad te, vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas septem diebus, expectabis, donec veniã ad te, & ostendam tibi quæ facias.) Videtur quibusdam Saul inculpabiliter obtulisse holocaustum, cùm Samuel ab eo expectatus, iuxta placitum septem dierum non venerit. Si quis verò hunc locum benè distinxerit, inueniet eum non immeritò culpatum fuisse, & inobedientiæ redargutum. Locus autem hic apud Hebræos ita distinguitur. Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendam ad te. Et postea inferunt, ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas septem diebus, expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias. Non ergo Samuel suum præstolari aduentum Sauli septem dierum tempore præcepit, sed ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas, septem diebus ab eo voluit expectari. Quòd ille nequaquam fecit, ideo meritò culpatur, & stultitiæ elogio denotatur. (Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.) Non de Isboseth filio Saul, sed de eodem Saule dictum est. Sic enim erat innocẽs, quando regnare cœpit, sicut filius vnius anni est, & in eadem innocentia duobus annis regnasse dicitur.

De superbia Saulis, cuius indicia fuerint peccata maxima, alterum quo sacrificium obtulit, alterum quo Amalech percutere & delere iussus, obedire contempsit, insuper & peccatum suum defendit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XV.

CAPVT XX.

ARbor magna & fertilis valde citò inue terauit, quæ tantum duobus annis fructificandi gratiam retinens, ſtatim corrupta radice, frondium venuſtatem ſimul & fructuum honorem perdidit. Qualis putas vermis intrinſecus radicem eius momordit? Vtique vermis ſuperbiæ, quo & ille vitiatus cõ
Ezech. 31. putreſcere potuit, de quo & in Ezechiele dicit verbũ domini. Ecce Aſſur quaſi cedrus in libano, pulcher ramis & frondibus nemoroſis, excelſuſque altitudine, & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius. Ac deinceps: Pro eo quòd ſublimatus eſt in altitudine, & dedit ſummitatem ſuam virentem & condenſam, atque eleuatum eſt cor eius in altitudine ſua, tradidi eum in manu fortiſsimi gentium. Planè & de iſto veraciter dicas, quia pro eo quod eleuatum eſt cor eius in altitudine ſua, tradidit eum Deus in manu fortiſsimi gentium. Nam ſpiritus domini receſsit ab eo, & exagitabat eum ſpiritus nequam à domino. Duo peccata pœnam hanc præcedentia, iam dictæ eius ſuperbiæ nobis indicio ſunt. Primum eſt, quod homo non de tribu Leui, ſed de tribu Beniamin regio faſtu nihil ſibi non licere arbitratus. (Afferte ait mihi holocauſtum, & pacifica, & obtulit holocauſtũ.) Hoc nimis grande fuit regis ſupercilium, dignè ſuperno iudicio feriendum. Quid enim
2. Par. 26. tale fecit Ozias Dauidici generis, de tribu Iuda? Tantum ingreſſus templum domini adolere voluit incẽſum domini ſuper altare thymiamatis. At verò ſtatim cæleſtis vltio ſuper biam eius loco competenti percuſsit, orta eſt enim lepra in fronte eius in domo domini coram ſacerdotibus, vndè & leproſus vſque ad diem mortis ſuæ habitauit ſecundum legem leproſi in domo ſeparata, plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo domini. Quanto magis iſte proijciendus fuit, qui totum ſibi ſacerdotis officium vſurpauit? Illic ergo dicitur ei. (Nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & cætera.) Secundum illud fu-
Infra 15. it, quòd iuſſus in verbo vel voce domini ire, & percutere Amalech, & demoliri vniuerſa eius, non parcere ei, ſed interficere à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem bouem & ouem, camelum & aſinum, non fecit ſic, ſed in derogationem ſupernæ ſe ueritatis, auſus eſt parcere Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus & arietibus, & vniuerſis quæ pulchra erant, nec voluit diſperdere ea. In hac ſuperbia preſumpti quoque ſuperius ſacerdotij vſum retinebat. Nam deinceps ſcriptum eſt. (Venit
CAP. XV. ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocauſtum domino, de initijs prædarum quæ attulerat de Amalech.) Nónne ſupra quia neceſsitate compulſus obtulit holocauſtum, dixerat ei Samuel, nequaquam regnum tuum vltra conſurget? Itaque perſeuerans in malis, peccatum non mutauit, ſed auxit, quando optimis quibuſque pepercit, & Agag reſeruauit, contra imperium domini, non ſolum præſentis tranſgreſſor præcepti, ſed & veteris contemptor ſcripturæ Dei. Dixerat
Exod. 17. enim dominus Moyſi, vbi venerat Amalech, & pugnauerat contra Iſrael. Scribe hoc ob monumentũ in libro, & trade auribus Ioſue. Delebo enim memoriam Amalech ſub cælo. Præterea quod nequiſsimum eſt, redargutus in ſermone domini, dicentis: (Nón ne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, quare ergo non audiſti vocem domini, ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis domini.) Refellere auſus arguentem ſe de peccato ſpiritum domini, cum ſuperba defenſione dicit: (Imò audiui vocem domini, & ambulaui in via per quam miſit me dominus, & adduxi Agag regẽ Amalech, & Amalech interfeci. Tulit autem populus de præda oues & boues primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet domino Deo ſuo in Galgalis,) & cætera. Hoc etenim nequiſsimum eſt, cum poſt voluntatem peccati, quod primum eſt, & poſt effectum operis, quod ſecundum eſt, atque poſt vſum peruerſum, quod tertium eſt, additur & defenſio peccati, quod quartum eſt, & hic nullus veniæ locus eſt. Nam & per prophe-
Amos 1. tam Deus dicit: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non cõuertam eum. Idcirco & nunc quàm acerrimè Samuel cum dixiſſet. (Melior eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipẽ arietum, cõtinuò ſubiunxit. Quoniam quaſi peccatum hariolandi, eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere,) & cætera. Igitur tantis exacerbatus contumelioſi iniurijs, ſpiritus domini receſsit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequã à domino. Grandis pœna regis, grandis confuſio populi, qui contra Dei voluntatem regem poſtulauit. Et ſi cætera deſint, exempla iudicij & veritatis, vel hoc ſolum pro teſtimonio ſufficere poſſit, quod nunquam ad bonum ſtatus ſui finẽ perueniat, omnis plantatio quam non plantauit pater cęleſtis, quod omnis ordinatio domus domini, quæ inconſulta voluntate eius per voluntatem hominum facta eſt, inordinationis pœnas datura ſit. Huius opprobrij maculam ſubſequẽs abſtulit regnum Dauid, ordinatum per voluntatem & per manũ Dei, quemadmodum & Samuel ſuperius teſtificãdo dicit. Quæſiuit ſibi dominus virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei dominꝰ, vt eſſet dux ſuper populum eius, quòd profecto cum dicit, ex oppoſito dat intelligi, quòd nunquam Saulem iuxta cor ſuum dominus quæſierit. Ac proinde cum dicitur, quia erat Saul electꝰ & bonus, & nõ erat vir de filijs Iſrael melior illo. Vtiq; ſubaudiendum eſt, non iuxta cor domini, ſed iuxta cor populi. Sequitur enim: Ab humero & ſurſum eminebat ſuper vniuerſum

uerſum populum. Quo videlicet dicto brutum percutit vulgi iudicium, eo quod ſtaturæ, non meritis, faſces aſſcribat, vel gloriam dignitatum.

Quod eo ipſo, quòd dæmoniacus erat, regnum peccati in illo figuratum ſit, in Dauid autem nomine et factis regnum Chriſti. CAPVT XXI.

IGitur myſterium hoc iã in promptu eſt, quò ſcilicet dæmoniacus rex Saul, furioſum peccati regnum, Dauid autem pacatum iuſtitiæ regnum ſignificet, primam nominibus, deinde rebus. Saul namque petitio. Dauid autem manu fortis ſiue deſiderabilis interpretatur. Quæ autem fuit petitio generis humani, niſi petitio peccati, quòd ꝓpria ſpõtè homo expetiuit, cùm liber eſſet & ingenuus, creatus ad imaginem Dei? Quis econtrà manu fortis vel deſiderabilis, niſi Chriſtus filius Dei, qui fortem armatum peccati principẽ, atrium ſuum cuſtodiẽtem, fortiori manu ſuperueniens vicit, & deinde victor ſedẽs
Luc. 11. ad dexteram patris, videntibus ſe angelis, & ſperantibus in ſe hominibus, totus eſt deſiderabilis? Regnauit mors quę per peccatum introierat in hunc mundum, vſque ad Moyſen
Rom. 5. (ait Apoſtolus) & extunc per legem audita
Rom. 7. regni ſui contradictione, vis peccati amplius inſaniuit. Vndè idem dicit Apoſtolus: Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat, ſed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Sed & in ſingulis hominibus, quãdiu non liberantur gratia Chriſti, peccatum regnat, & tanquam furioſus ſeſſor equum ſubactum calcaribus vrget, flagellis diuerberat. Vndè & ethnicus adultero his verbis inſultat. Vrget enim mentem dominus non leuis, & acres Subiectat laſſo ſtimulos, verſatq; negantem. Ab huiuſmodi regno rex manu fortis & deſiderabilis Chriſtus, & in maſſa totum mundum ſemel moriendo poteſtate liberauit, & in ſua quẽque perſona nunc vſq; actu liberare non deſinit. Eius regni gratiam nunc in patre carnis eiꝰ Dauid, ſub myſticis cõtẽplemur figuris.

De electione Dauid, quã pura ab humano fauore fuerit, & quod ſicut Samuel perſonam Dauid non nouerat: ita Ioannes Chriſtum neſciebat.

CAPVT XII.

CA. XVI. DIxitq; dominus ad Samuel. Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem. Prouidi enim in filijs eiꝰ mihi regem. Et ait Samuel, Quomodo vadã? Audiet enim Saul & me interficiet. Et ait dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum domino veni, & cætera.) Et ſi Samuel prophetico ſpiritu
Supra. 15. rem nouerat, ita vt diceret. Quæſiuit ſibi dominus virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei, vt ſit dux ſuper populum ſuum. Et iterum: Scidit dominus regnum Iſrael à te & tradidit illud proximo tuo meliori te, perſonam tamen electi illius non nouerat. Vndè cum ingreſſi eſſent filij Iſai, vidit Heliab, & ait: (Nũ coram domino eſt Chriſtus eius? Et dixit dominus ad Samuel. Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturę eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis iudico. Homo enim videt ea quæ patent, dominus autem intuetur cor.) Sic profectò præcurſor domini Ioannes, eum quem præcurrebat ſecundum ſpiritum nouerat, ſed ſecundum carnem, vel ſecundum faciem non nouerat. Vnde & dicit: Et ego neſciebam eum, ſed qui mi
Ioan. 1. ſit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Hoc nempè ad puritatem veri teſtimonij plurimum valet, quia videlicet ibi in eligendo fauoris vel gratiæ humanæ ſuſpitio nulla ſubeſſe poteſt, vbi ipſa cui fauor aut gratia impẽdatur perſona, nec-dum cognita eſt.

Quod vnctus ſit Dauid, non vt Saul lenticula, ſed pleno cornu olei, quid myſticè ſignificet, & quòd à die illa directus eſt in eum ſpiritus domini.

CAPVT XXIII.

IMple (inquit) cornu tuum oleo. Et hic iam manifeſta diſtantia eſt. Nam de Saul dictũ eſt. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius. Lenticula vaſculum erat olearium quadrangulum, in latere apertum, à liniendo dictum. Cornu verò olei longè ampliorem continens abundantiam, conſtantem & perſeueraturam in Dauid ſignabat regalem pariter ac prophetalem gratiam. Nam directus eſt, inquit, ſpiritus domini in Dauid à die illa, & in reliquum. Videlicet cum vngeretur oleo viſibili, pinguedo inuiſibilis à radice ſeſe diffudit in ramos bonæ arboris, à radice inquam, id eſt, ab eo qui
Apoca. 22. dixit: Ego ſum genus & radix Dauid. Nam qui poſtea per nouam carnis natiuitatem factus eſt genus Dauid, ipſe iam per antiquam diuinitatis naturam erat radix Dauid, ſpiritꝰ ſancti verum oleum veramq; pinguedinem ſubminiſtrans, vndè floreret, fronderet, fructumq; faceret, imò & pater ipſius, ipſe fieret Dauid. Igitur quemadmodum arbor à radice pinguedinem ſumit, vndè fructificet temporibus ſuis, ſic iſte ab illa radice ſua ſumpſit quæ theſaurizaret teſtimonia domino ſuo filio ſuo, factis myſticis, dictis propheticis. Vndè hunc ſeruemus honorem patri tantæ maieſtatis, ſiue carnis ſedentis ad dexteram maieſtatis in excelſis, vt quamuis cuncta capere nequeamus, nihil in illo ſecundum præſentẽ ſcripturam factum, nihil ab illo quod à myſterio vacet dictum ſiue cantatũ arbitremur. Nẽpè primo hoc ipſum, quòd pleno olei cornu iungitur, quid myſterij, quid pulchritudinis habet intrinſecus? Plenitudine olei, qua pater vnctus eſt, rectè omnis plenitudo diuinitatis intelligitur, quæ nunc in filio eius in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

habitat corporaliter. Non enim huic ad mensuram dedit Deus spiritum, sed totus in illo septiformis spiritus requiescit. Quòd sciens is ipse, de quo hæc dicuntur, futuri pater filij, cùm dixisset illi. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus Deus tuꝰ oleo lætitiæ, continuò subiunxit, prę participibus tuis, id est, præ omnibus sanctis, præ omnibus vnctis. Nam singuli sanctorum diuisiua vel particulari gratia sunt inuncti, in isto autem omnis, vt iam dictum est, inhabitat plenitudo diuitatinis.

Psal. 44.

Coloss. 2.

Quod tertio vnctus sit idem Dauid, & hoc ipsum in typum domini, & filij sui Christi.

CAPVT XXIIII.

HIc iam sciendum est, quia hic talis ac tãti filij propheta & pater, tertio vnctus est. Primò hicà Samuele in medio fratrũ suorum nesciente Saul. Secundo in Hebron super domum Iuda mortuo Saul. Tertio super vniuersum Israel, deiecta à spe recti omni domo Saul. Planè in isto quasi speculo, tota vnctionis Christi forma præfulsit. Illenamque tertio vnctus est. Primo videlicet vbi de spiritu sancto conceptus est. Secundo, vbi cum baptizaretur, veniente super illũ spiritu sancto, in specie columbæ demõstratus est. Tertio, vbi resurgens ex mortuis, tantam vnctionis suæ gratiã in suos fideles transfudit, quantam hic idem vnctus rex futurus, pater illius commẽdare cupit his verbis: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimẽti eius. Vbi enim resurrexit, ipsa die stans in medio discipulorũ suorum, dicensq;, Pax vobiscum, insufflauit & accipite inquit spiritum sanctum, & postmodum sedens à dextris Dei misit eundem, & iterato dedit spiritum sanctum. Ita vnguẽtum verum de capite in barbam Aaron, & oram vestimenti eius descendit, id est, spiritus sanctus de Christo, qui caput nostrum est. Primo in illos fortes ac perfectos viros apostolos Christi, ac deinde per ministeriũ illorũ in totam ecclesiam descendit.

Luc. 1.
Matth. 1.
Matth. 15.
Luc. 3.
Psal. 132.
Ioan. 10.
Act. 1.

De prima eius vnctione clam facta in domo patris sui, & de vitulo, quem vt Saul falleret, adduxit Samuel iussu domini, quod ita diabolus incarnatione Christi falsus sit.

CAPVT XXV.

PRima vnctio Dauid clam in domo patris hoc modo fit. (Quomodo (inquit Samuel) vadam? Audiet enim Saul & interficiet me. Et ait dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum domino veni, & cætera.) Vitulus ad immolandum adductus, claudere poterat oculos Saul ne solicitaretur, ne quid suspicaretur, causa quasi tota patente securus. Sic pulchrè in illa figura factum est, quia sic in re futurum erat. Titulus immolandus, passibilem significat naturam, nascituri de virgine regis Christi filij Dei, qua falsus diabolus potentiã nascentis intelligere non potuit, quod scilicet ad destitutionem peccati rex iustitiæ veniret, & regni eius non esset finis. Est enim ille malis quidem suis astutus & callidus, in bonis autẽ Dei brutus & fatuus. Vndè & in Iob ex ore Dei Behemoth, id est, animal dicitur, circulum fatuitatis habẽs in naribus. Sed & in principio, vbi serpens, imò ipse in serpente diabolus maledicitur, super pectus tuum gradieris inquit deus. Quomodocunq; in malo sit subtilis & callidus, quantumcunque naturę peruersione malitiosus abutatur ad cognoscendum arcanæ diuinitatis cõsilium, brutus est, & super pectus suum graditur, semper intentionem suam conculcando, vt cælestib. dum nocere cupit, prodesse probetur. Quod facilè agnosci libet ex cunctis, qui spiritu eius agun tur malitiosis hominibus. Quantumcunque in cognitione creaturæ, in cæli motibus, in astrorum cursibus, seu etiam magicis artibus, subtiliter calleant, spiritualium tamen bonorum, ac cælestium sacramentorum, adeo indociles & imperceptibiles sunt, vt si eos voces ad audiendum, cassolabore tuo nimium experiaris, brutam & penè irrationabilem illis esse animam. Igitur vbi Dauid inungitur, vitulus de armento tollitur ad immolandũ, ne audiat Saul, quia videlicet vbi rex nouus Christus nascitur, cũcta humanæ naturæ passibilitas de foris prætenditur, ne sacramẽtum hoc agnoscat diabolus, vt quãuis circum fulgentibus miraculis terreatur, & aduersi aliquid interdum suspicetur, nesciat tamen, qua via vel quo ordine virtus quæ mundum ingressa est, regnũ eius expugnare aggreditur.

Gen. 3.

Iob 40.

De eodem Dauid, quòd paruulus erat, & oues pascebat, & rufus, ac decora facie, quòd in his omnib. Christum figurárit.

CAPVT XXVI.

ADhuc, inquit Isai, est reliquus paruulus, & pascit oues.) Ac deinceps, (Misit ergo & adduxit eum. Erat autẽ rufus, & pulcher aspectu, decoraq; facie.) Paruulus erat, & oues pascebat, videlicet in typum iam dicti filij sui, qui vt vere paruulus dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & vt verus pastor nos oues suas, nos inquã populum suum, & oues pascuæ suæ pascit, quos & acquisiuit suo sanguine. Vndè & dicit, Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Hoc Abel iusti & patriarcharum cum quibus locutus est Deus, fuit officium. Sed quòd rufus erat, imaginem pastoris illius prætendebat, pastoris qui animam suam pro ouibus suis posuit. Nã & iste rectè rufus dicitur, non alieno sanguine sicut diabolus, draco magnus & rufus, sed rufus proprio sanguine, quemadmodum & Zacharias propheta testatur, Vidi per noctẽ, & ecce vir ascendens super equũ rufum.

Matth. 11.

Ioa. 10.

Apoca. 12.

Zacha. 1.

Vir ascen-

Vir ascendens super equum rufum, ipse est resurgens corpusq; resumens, proprio sanguine perfusum, iuxta quod postmodum idem propheta. Tu quoque (inquit) in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Nihilominus ad eiusmodi imaginem pertinet, quòd pulcher aspectu erat, & facie decora, videlicet non ea pulchritudine vel eo decore, qui lasciuos vel incontinentes ad videndum prouocat, sed qui sapientiæ conditorem pudicè delectat, dum lucet in vultu, ipsaque spirat in mente gratia, quemadmodum scriptura testatur, quia sapientia iusti lucet in vultu eius. Inde pulcher aspectu spiritualibns prophetæ oculis cognosci poterat, quòd is ipse esset, quem regem futurum præparatrix iam præparauerat dei gratia. Hoc, inquam, ad imaginem eius pertinet, Christi filij dei, de quo postmodum ille citharizando cecinit, Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum. Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende prosperè, procede & regna. Hæc species, hæc pulchritudo procedentis & regnantis species interior est, species diuinitatis tãta, vt in comparatione eius habitus hominis sordes fuerint, quemadmodum & propheta dicit. Et ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est ei species neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus. Et cætera.

Zach. 9.

Eccl. 3.

Psal. 44.

Esa. 53.

De eodem quomodo electus & vnctus sit, absque omni humano fauore, in typum eiusdem Christi dicẽtis Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos.

CAPVT XXVII.

QVis autem aliquãdo sic vnctus est rex, & tali ad regnum ordine perductus est? Omnes reges aut proprio statu singuli ad regnum ambitiosè aspirauerunt, aut hæreditaria successione prouecti sunt, aut in filijs hominum confisi sunt, & à principibus subleuati sunt, & acclamati ab illis statim purpura vestiti, & coronis insigniti sunt, statimq; in sublimi solio residentes, ac sceptra tenentes, in gloria sua splẽduerunt. Hic autem adhuc puer, cùm post fœtantes iret, viuente ac regnante Saul, nihil eiusmodi in corde suo habere poterat, vt diceret ei Samuel, quod ante Sauli dixerat. Omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Non enim principes fuere fauentes & acclamantes, sed fratres magni inuidentes, & de puero indignantes. Vnde & frater eius maior, postmodum loquente illo cum alijs, iratus dicit. Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego nouì superbiam tuam, & nequitiã cordis tui, quia vt videres prælium descendisti. Non statim sceptriger in solio sedit, purpura insignis, & diademate clarus, vel corona aurea splendidus, sed prius egenus & vagus, profugusque errauit, & exul omnibus quoque modis prius amaritudines totius infelicitatis, quam nectareos aut mellitos regum populi liquores epotauit. Quis, inquam, omnium regum, præter solum dominum, & filium eius Iesum Christum Deum & hominem, tali ordine processit & regnauit? Ille nanque puer, nunc exaltatus & eleuatus & sublimis nimis, non seipsum exaltauit, aut eleuauit, quemadmodum Iudæis dicentibus, quem teipsum facis, respondens ait. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Itẽ, Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. Et alibi: Et à meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Non elegerunt eum filij hominum, principes vel primates populorum, sed ipse potius principes suos elegit. Quemadmodum dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nõ hæreditaria secundũ hominẽ successione in regnum ascendit, quippe qui non saltẽ de filia Herodis, siue cuiuslibet principis, sed de paupercula virgine desponsata fabro, nasci dignatus est. Vnctus quoque ex vtero rex, non statim vt rex dici vel esse potuit, gloria & honore regio coronatus est, sed iuxta prophetiam dicentis: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput, prius cunctis tentationibus, & passione mortis amaricatus est, quam in illas delectationes, quæ sunt in dextera patris, caput exaltaret. Igitur & in his omnibus patri filius similis est, imò in similitudinem futuri filij sui pater iste Dauid præordinatus est.

1. Reg. 6.

Ioan. 8.

Ioan. 7. 8.

Ioan. 15.

Psalm. 109

De mystica compositione psalterij decachordi, & q. interea spiritus nequam exagitabat Saul, & quòd in his omnibus ecclesia Christi, & insania figuretur inimici eius Iudaici populi.

CAPVT XXVIII.

ET directus est spiritus domini in Dauid, à die illa, & in reliquum.) O quantum habet pulchritudinis & gratiæ, verbum ipsum, quo sic dicitur, & directus est. Non sic dictum est, nec sic dici debuit de Saul, à quo spiritus domini erat recessurus, nec de alio quoquam, cuius animam fictam aut duplicem, ille spiritus amoris recto nunquam osculo dignatur, fictionem eius post leuem attactum statim effugiturus. Istum secundum cor suum inuenerat Dominus, & idcircò in animam eius deosculandam promptiore, & recto pectore ferebatur. Quibus nam ab effectibus claruit, quòd in illum dirigeretur spiritus Domini? Primum à gratia prophetali, deinde & ab opere fortitudinis. Nam ex tunc & psaltes inclytus factus est prophetans & citharizans magnalia domini, Psalmosque componens mysteria continentes filij Dei, filij sui Christi, & fortitudine indutus est, quemadmodum ipse testatur, dicendo ad Saul, (Pascebat seruus tuus domini sui

1. Reg. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gregem, veniebat leo vel vrsus, tollebatque arietem de medio gregis, & sequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorũ. Et illi consurgebant aduersum me, & appræhendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus. Erit igitur & Philistæus hic incircuncisus, quasi vnus ex eis, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis.) Igitur directus est spiritus Domini in Dauid, quem secundum nomen ipsius & dictis desiderabilem & factis manu fortem fecit, in typum nihilominus eiusdem Christi filij sui, qui fortiter fecit, & delectabiliter docuit, verè manu fortis, verè desiderabilis. Ille enim sic prædicauit, sic docuit, vt admirantes dicerent ipsi eius aduersarij. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. Doctrinã eius vel prædicationem, ipsum psaltæ huius musicum instrumentum expressit, quod psalterium dictum est in modum Delthæ compositum, interius concauum, de foris pellibus mortuorum animalium coopertum, habẽs decem chordas desuper sonans. Quæ singula mysticè nobis consideranda sunt in prædicatione eius euangelica. Concauitas interior in eo est, quod perfectionis appetitorẽ terrenis facultatibus euacuat, si vis, inquiés, perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Pelles mortuorum animalium, quibus erat coopertum, mortificationes sunt vitiorum. Docet enim quatenus sibi compatiamur vt conregnemus, cõmoriamur vt conresurgamus. Decachordi positio, decalogi legis est obseruatio. Legem enim, inquit, non veni soluere, sed adimplere. Soni desuper emissio, cælestium tantum est appetitio, solius Dei dilectio sursum tendens benè operantis intentio, quam prædicat & inculcat. Nesciat, inquiens, sinistra tua, quid faciat dextera tua, & his similia. Parum dictum est. Ipse qui sic locutus est, & sic docendo cecinit, ipse, inquam, secundum hominem in quo docuit, psalterium est, quemadmodum & in Psalmo vox ad eum cælica dicit. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cathara. Statimq; respondens etiam resurrectionis horam determinando, exurgam, inquit, diluculo. Tanti ergo artificij melodia, scilicet euangelica doctrina, fidium inpulsione & digitorum motione excitata, habẽti aures audienti dulciter & clarè personat. Sonus fidium in illo, ipsa est prolatio vocum, discretio digitorũ, pluralitas est spiritus sancti donorum, quæ vniuersa in illo sunt. Ille nihilominus sic operatus est, & sic fortiter fecit, vt leonem vel vrsum suffocaret, & ouem siue arietem de ore eorum erueret. Notum hoc & certum nobis est, populo eius de ouib. pascuæ eius, quia magnum leonem diabolum suffocauit, & nos de ore eius eripuit. Interea Saul exagitabat spiritus nequam à Domino, id est, illos in quibus regnabat peccatum & mors, amplis in præsentia saluatoris excæcabat zelus & inuidia ex domini iudicio, in tantum vt comparatione præsentis insaniæ præteritus omnis furor leuior fuerit & tolerabilior. Quod innuens ipse dominus, cùm diceret de illo, dæmonium habet, & in principe dæmoniorũ eijcit dæmonia, dicit de illis. Cũ immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, dicit, Reuertar in domũ meã priorem vnde exiui, & reliqua. Hominem enim, id est, populum illum de quo exierat, quando de Aegypto eductus vbi dijs alienis seruierat ad dei vnius cultum conuersus est, illum, inquã, populum, tunc spiritus nequã & opulentior ingressus est, quando mox natum filium Dei cum Herode persequi cœpit, & deinceps blasphemare non desinit, & fiũt nouissima populi illius peiora prioribus.

Ioan. 9.
Matth. 19. Lucæ 18. Rom. 8. 2. Tim. 2. Matth. 5. Matth. 6.
Psalm. 56.
Matth. 12. Lucæ 11.

COMMENTARIORVM LIBRI PRIMI
IN LIBROS REGVM FINIS.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LIBROS REGVM, COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.

Quomodo & bonorum quæ fecit, & malorũ quæ pertulit Christus filius Dei, præcesserunt signa in Dauid.

CAPVT I.

VErus Dauid, id est, desiderabilis, siue manufortis, prædicando regnũ Dei, & eijciendo dæmones in digito dei, nobis quidem bona prouidit, sed sibimet aduersa cõcitauit. Vtriusque effectus signa quædam mystica mox præbuit, vt ante iam dictũ est, in isto Dauid spiritus domini, scilicet quod prædicando & mira operando, & electis suis vitam acquisierit, & cõtra seipsum mortis satellites concitauerit. Et prius quidem bona nostra, deinde aduersa ipsius præsignantur in isto Dauid. Nam protinus sequitur. Et ait Saul ad seruos suos. Prouidete mihi aliquem benè psallentem, & adducite eum ad me. Et respondens vnus de pueris, ait. Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, &c. Ac deinceps. Igitur quandocunq; spiritus domini malus arripiebat Saul, tollebat Dauid citharã, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat em̃ ab eo spiritus malus. Puer ille qui hæc respondit Saul, Doech Idumæus fuisse perhibetur inimicus Dauid, & omnia quæ de Dauid in laudẽ dixisse videtur, in odium eius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causa & inuidiæ liuore, vt ad Saul veniret, quatenus ibi qualibet occasione necaretur. Cõtinuò sequitur. Congregantes verò Philistæi agmina sua in prælium, conuenerunt in Socoth. Inde & castrametati sunt inter Socoth & Azecha in finibus Dommim.

1. Reg. 17.

Quid mysticè significet quòd psallente Dauid refocillabatur Saul: & ꝙ eodẽ percutiẽte, corruit Philistæus.

CAPVT II.

QVid enim per ea quæ dicta sũt mysticè nobis innuitur, nisi quia desiderabilis & manufortis Christus, inimicos suos siue ex nobis gentibus, siue ex Iudæis, qui & ipsi testante Apostolo, erant natura filij iræ sicut & cæteri, inimicos, inquam, suos ad reconciliationem vel amicitiam prædestinatos, & per prædicationem Euangelij requiescere à peccatis, & respirare fecit de subiugo diaboli, ac deinde superbum inimicum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, lapide viuo, quod ipse est, percusit, & sicut vulneratum humiliauit? Saul quippe in eo quod Dauid citharam percutiente, refocillabatur, & leuius habebat, & recedebat ab eo spiritus malus, inimicos dei significat pro parte illorum qui audita dulcissima prædicatione Christi ad pœnitentiam inuitantis ad fidem eius cõuertuntur & refocillantur, depositis peccatorum oneribus, & per confessionem recedit ab eis diabolus. Porrò Philistæus quem interfecit, contra quem solum prævaluit solus Dauid, ipsum significat diabolum, quem solus verus Dauid Christus, superare potuit, quem per crucem suam vicit, & suo sanguine triumphatum foras misit. In paralipomenon iste & fratres eius gigantes de progenie Arafa fuisse leguntur, quæ in Iudicum libro dicitur Orpha, socrus Noemi. Ipso nomine diabolum (vt prædictum est) significat Golias Philistæus. Nã Golias reuelatus, Philistæus verò potione cadens interpretatur. Reuelatus ille est ex Euangelio Dei, quòd princeps tenebrarum sit, qui antea mendacio protectus pro deo colebatur in templis, adorabatur in simulachris. Nihilominus potione cadens ipse est, qui superbiæ veneno ebrius moto pede ceci dit, expulsus est, stare non potuit.

Ephe. 2.
Psal. 88.
2. Reg. 22. 1. Para. 10. Ruth. 1.

De exprobratione Philistæi: & quod non erat quisquam ante aduẽtum Christi, qui posset percutere Philistæum, id est, diabolum foras mittere.

CAPVT III.

STANSQVE clamabat aduersus Israel, & dicebat eis. Quare venistis parati ad prælium? Nunquid ego non sum Philistæus, & vos serui Saul? Eligite ex vobis virum, qui descendat ad singulare certamen.) Ac deinceps, (Ego exprobraui agminibus Israel hodie. Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.) Agmina Israel, agmina sunt vniuersæ generationis quærentium Dominum, quærentiũ faciem Dei Iacob, cum quo ille directus meruit vocari Israel. Agmina hæc iã multa erant antequã Christus manufortis de diabolo triumpharet & fuerunt ex eis pleriq; fide fortes, in spe lõganimes, dilectiõe creatoris excellẽtes. Sed non

1. Reg. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. XVI. Sed non fuit ex illis quisque adeò fortis, vt destruere posset regnum peccati & mortis, vt posset armis iustitiæ suæ superare atrium fortis armati, fortis, inquam, crudelis atque superbi. Vnde & in Esaia spiritus S. cùm dixisset vniuerso Israeli, vniuerso Hierusalem ciuitati, quæ est ecclesia dei, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu domini calicē iræ eius vsq; ad fundum, calicem soporis bibisti & potasti vsque ad fęces, continuò subiecit. Non est qui susciter eam ex omnibus filijs quos genuit, & non est qui appræhendat manum eius ex omnibus filijs quos enutriuit. Exprobrabat igitur ille superbus agmini bus Israel, exprobrabat atq; insultabat omni bus electis Dei, quod in Adam ceperat, & apud inferos iure victoris detinebat. Quare, inquit, venistis parati ad prælium? Quare tabulas testamenti, & decē præcepta legis quasi fortiter pugnaturi sumpsistis contra imperium meum? Nunquid ego non sum Philistæus, & vos serui Saul? Nūquid, inquam, ego non sum princeps huius mundi, & vos serui peccati? Eligite ex vobis virum, qui descendat ad singulare certamen. Sciebat enim quòd oēs illaqueasset, omnes in iram dei deuoluisset, quemadmodum in eodē prophe ta post illa quæ iam dicta sunt, subiunctum est, Elij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut bestia illaqueata, pleni indignatione domini, increpatione dei tui. Hoc erat opprobrium Israel, quia necipsi parati venerant ad prælium, qui arripuerant legis armaturam, vt resisterent aduersus peccatum, nec semetipsos liberare potuerant, quin cū peccato originali, nonnihil pec catorum quoque adderent actualium.

Esa. 51.

Esa. 51.

Quod Golias de Orpha, hic autē processisset ex Ruth, altera nuru Noemi, & quomodo aliàs septem, aliàs octo legantur fuisse filij Isai: & quòd item à patre missus sit Dauid in typum Christi.

CAPVT IIII.

DAuid autem erat filius viri Effratei, de quo supra dictum est, de Bethlehē Iuda cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex & grandæuus inter viros.) Pulcherrima occurfio. Saul & omnes viri Israelitæ audientes sermones Philistæi, stupebant & metuebant nimis, sed illo tempore Dauid iam erat à deo datus & oportunè pręparatus, velut ex aduersa stirpe creatus. Nam ille (vt supra dictum est) ex progenie Orpha, hic aūt de progenie Ruth, quæ vtraque nurus fuerat Noemi. Nam Orpha osculata est socrum ac reuersa Ruth adhæsit socruj suæ. De cuj radice quasi germinauerit Dauid, qui nati ex Orpha Philistæi superbiam percuteret. Iste Christi, ille typus Antichristi, qui ex diuersis, imò contrarijs generationibus æditi, ab aduentu eiusdem Christi toto spectante mundo, cōfligere nō desinunt vsque ad finem seculi. (Habebat (inquit) octo filios.) Quæritur, cur hic octo filios habere dicatur, cùm in Paralipomenō non amplius quàm septem legantur? Quòd ita soluitur. Nathā vtique propheta filiū Samaa filij sui, quem in loco filij educauerat & nutrierat, inter filios numerat. Nam & corā Samuele septem eius filij leguntur adducti esse, & octauus esse in pascuis, inter quos Nathan adductum fuisse manifestum est, qui & Ionathan vocatur, de quo & in extrema parte Samuelis dicitur, Percussit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Et notandum quòd vbicunq; propheta vocatur, Nathan scribitur, non Ionathan. (Accipe, inquit, Isai fratrib. tuis Ephi polētæ & decē panes istos, & curre ad castra ad fratres tuos, & decem formellas casei, has deferes ad tribunum, & fratres tuos visitabis, si rectè agant, & cum quibus ordinati sunt disce. Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem custodi, &c.) Non vt pugnaret, armis indutus est bellicis, sed vt fratres suos visitaret, missus est à patre suo Dauid. Planè sic & Christus, non vt in operibus legis pugnaret, quæ nihil ad perfectum adduxerat, sed vt fratres suos in hoc mundo peregrinantes visitaret, à deo patre suo missus est. Visitaret, inquam, licet longè minor dictio sit, quā postulat res. Qui tropus topinosis dicitur, id est, humilitas rei magnę, non id agente sentētia, quod ostendit. Quo locutionis modo Moyses quoque rem grandem humilians. Vadā, inquit, & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuunt Quod vtique dictum, re quam intendebat longè minus est. Igitur vt fratres suos visitaret, id est, vt filios Dei qui dispersi erant, in vnum congregaret, Christus venit, non pugnaturus in castris Saul, nec de lege nobis fratribus suis quicquam præter decem præcepta impositurus (quæ per decem panes vel per decem formellas casei rectè signantur) cum Ephipolenta, id est, cum vna trinitatis fide.

Ruth. 4.

1. Para. 2.

1. Reg. 16.

1. Para. 20.

Ioan. 11.

Quid sit mysticè, quòd cum armis pugnare vel incedere non potuerit Dauid, sed quòd ea saltem attentauit: & quid baculus Dauid: quid quinque lapides: & quid vnus lapis in quo percussit.

CAPVT V.

ET induit Saul Dauid vestimentis suis, & CAPVT XVII. imposuit galeam æreā super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius super veste sua, cœpit tentare si armatus posset incedere. Non enim habebat cōsuetudinem. Dixitq; Dauid ad Saul. Non possum sic incedere, quia nec vsum habeo. Et deposuit ea.) Vestimenta vel arma Saul, quibus indutus vel accinctus Dauid incedere non potuit, & idcircò deposuit ea, legis (vt prædictū est) fuere opera carnalia quę Christus

Galat. 4. Hebr. 7. Christus temporaliter quidem subijt, factus sub lege, vt Apostolus ait, sed inutilia iudicauit, eò quòd eodem testante Apostolo) nihil ad perfectum adduxisset lex, neq; posset ex illis iustificari omnis caro coram deo, & idcircò illa deposuit. Quare autem tentare voluit, vtrum sic vestitus vel armatus posset incedere, cùm non haberet consuetudinem? Nunquid ipsam consuetudinem quòd non haberet, nesciebat? Aut nunquid is in quo directus erat spiritus domini, hoc ipsum nesciebat, quod non in armis victurus esset, sed in virtute domini, cùm ipsam pugnā nō ingrederetur, nisi in ipso quo & victoriam suam præscire poterat spiritu domini? Quare ergo sic frustra tentauit? Videlicet, quia sic pulchrius, facto suam regi spem ostenderet, quàm si oblata regis arma mox voce aut verbo præcipiti quasi cum contemptu repelleret. Sic planè Christ⁹ quare carnales subijt legis iustificationes, circuncisus ipse & per omnia circuncisionis factus minister? Nunquid nesciebat quia suum nō esset pugnare, per opera vel iustificationes legis, sed per solum patibulum crucis? Quare ergo sub lege factus est, & in semetipso legis cōsuetudines admisit? Videlicet, quia dulciùs fuit hominesdocere ratione, quā vi, dulciùs, inquam, & suauius nihil nocituram subire consuetudinem legis, quàm offensionem siue occasionem dare vlli homini. Depositis itaq; vestimentis Saul. (Tulit (inquit) baculum suum quē semper habebat in manibus, & elegit sibi quinq; lympidissimos lapides de torrēte, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philistæum.) Baculus nostri Dauid, Christi scilicet quem cōtra Philistęū tulit, quē & semper habebat in manibus, cura ouium rationabilium est, quam cōtra diabolum susceptt de earum salute semper solicitus. Quinq; lapides lympidissimi, quos elegit de torrente, quinque sunt libri Moysi, quos tulit de populo Iudaico superfluente. Fluebat enim fluuius neq; lapidibus illis retardabatur, id est, per carnalia licentiosè decurrebat desideria Iudaicus populus, nec enim vlla legis disciplina coercebatur. Misit eos in peram pastoralem quam habebat secum, id est, contulit cum Euangelio quod nobis attulit secum deus homo factus, verbum caro factum. Pera nanque vas pastoricium est, in quo lac mulgeri solet. Significat autem eam quam attulit Christus nouam legem, legem euangelicam, quæ profectò paruulis præstat lactis copiam. Fundam quoq; manu tulit, id est, per charitatem, manus in crucē extedit, vt vnū lapidem iaceret, vt vna & sola fide, sine legis operis diabolū prosterneret. Ecōtrario casis ærea super caput Philistæi & lorica hamata, clypeus quoq; & hasta eius, singula magni pōderis & magnę ostentationis, illa est armatura superbiæ diaboli, de qua ad B. Iob Dns dicit, Per gyrum dentiū eius formido. Corpus eius quasi scuta fusilia cōpactū squamis se præmentib. Ac deinceps, Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulā versi sunt ei lapides funde, &c. (Ibat inquit Philistæus, incedens & appropinquās aduersum Dauid, & armiger eius ante eū.) Quis est armiger eius, nisi egestas semper prę cedens faciē eius? Sic enim item de eodem ad B. Iob dictum est, In collo eius morabitur fortitudo, & ante faciē eius prędet egestas. *Iob 41.* *Ibidem.*

De victoria Christi: & quomodo vel quæ mulieres cantent. Percussit Saul mille, & cætera.

CAPVT VI.

FEstinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philistæi, & misit manum suā in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram.) Tandem opprobrium & maledictum Philistæi, opprobriū, inquam, quo exprobrauerat agminibus Israel & maledixerat Dauid in dijs suis, subiūgendo. Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestijs terræ, cōuersa est in caput eius. Nam econtrario carnes eius & volatilib. cæli, & bestijs terræ dedit Dauid. Tulit enim gladium eius, præciditq; caput eius, eoque sic trunco iacente, vidētes (inquit scriptura) Philistæi, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. Secundum hanc omnipotentiæ gloriam in se præfiguratam cecinit ipse Dauid. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Sic nanque manu fortis Christus, vbi misit manum ad lapidem, id est, ad implendam per passionem suā scripturarum veritatem, percussit frontem, impudentē scilicet ac superbam diaboli confidentiam. (Superbus enim habet frontis impudentiam) & præcidit caput illius, tollendo videlicet primæuum peccatum, per quod ille mundo dominabatur. Vnde Apostolus, Delens, inquit, quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci expoliās principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. Bene igitur in occursum victoris mulieres egressæ, de vniuersis tribubus Israel cantantes, chorosque ducentes, dicant in tympanis, & sistris lætitiæ, dicant, inquam, & præcinant vna fide & consona voce. (Percussit Saul mille, & Dauid decem millia in millibus suis.) Siquidem mulieres istæ, animæ nostræ sunt. Audierunt istæ mulieres, quia quem probrosus Philistæus maledixit, quem diabolus per ora Iudæorum blasphemauit, & in crucem suspendit, vt maledictū legis fieret. Maledictus enim (inquit lex) à deo est, qui pēdet in ligno, ipse benedictus q venit in nomine Domini, maledicti

Psal. 88. *Coloss. 2.* *1. Reg. 18.* *Deut. 21.* *Matth. 21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

maledicti hostis caput amputauit,id est,principatum abstulit,& exinde resurgés ex mortuis in Hierusalem cęlestem victor ascendit. Hoc auditu excitatæ per fidem occurrunt animæ nostræ,victori publicè & priuatim cătantes&ducẽtes choros lętitię. Quid canim⁹, q⁹ cõfitemur? Percussit Saul mille,& Dauid decẽ millia in millibus suis. Planè quæcunq; mulier carmen istud nescit,quæcunque anima laudem istam non recipit, Dauidici triũphi particeps esse non poterit,Saul dæmoniacus,id est, populus Iudaicus, qui sub regno mortis est, cui peccatum dominatur, multũ esse arbitratus est, quod templum habens & sacerdotium atque, vnius dei cultum,iustitias legis operabatur. Sed quanta iustitia illa fuit,comparatione iustitiæ Christi, qui ipse iustitia factus est nobis? Nempe ac si mille, decem millibus comparare volueris. Nã illa iustitia nonnihil quidem effecit, quia spẽ salutis suis operarijs collocauit, sed nihil ad perfectum adduxit, quia principem mundi huius foras mittere nõ potuit. Dauid,id est, Christus hoc fecit. Christus diabolum vicit, Christus diabolũ prostrauit, Christus mortem destruxit, Christus super occasum ascẽdit, Dominus nomen est illi. Igitur percussit decem millia in millibus suis, id est, vniuersitatem peccati destruxit, in multis virtutibus suis:suis, inquam, quia non aliundè petitis.

1.Cor. 1.

Quòd toties Philistæm Dauid vincat, quoties catholicus hæreticum superat,& de Saulis insania, quòd lãcea Dauid configere parieti nitebatur.

CAPVT VII.

POst diem alteram inuasit spiritus domini Saul malus, & prophetabat in medio domus suæ. Dauid autẽ psallebat manu sua, sicut per singulos dies. Tenebat autem Saul lanceam & misit eam, putans quòd confingere posset Dauid cũ pariete. Et declinauit Dauid à facie eius, secundo.) Interim sciendum, quia nunc quoque superbum Goliam toties Dauid armis suis extinguit, quoties vir rectè fidei plenus,quæ sanctis solet adiustitiam deputari,ea ipsa scripturæ sacræ,quę hæreticus affert, testimonia colligit,& erroris eius pertinaciam inde conuincit. Nam cũ superbientem & sacræ scripturæ sententias differentem eiusdem verbis atq; sẽtentijs, quas profert, vincit, quasi elatum Goliam suo gladio detruncauit. Et hactenus quidem in Dauid præfigurata sunt, quæ nobis bona Christus contulit,deinceps in eodem figurã tur,quæ à reprobis mala Christus idem pertulit. Saul quippe iam illã regni diaboli partem significat,quæ nulla dulcissimę prædicationis vnquam potuit mitigari cantilena. Supra nanque quandocunque spiritus domini malus arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam,& percutiebat manu sua,& refocillabatur Saul & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus. Nunc autem psallente Dauid idem insanus prophetans, & diuinãs alieno spiritu,lanceam semel & iterum mittit,putans quòd configere possit cum pariete Dauid. Ergo quoniam veniens sapientia Dei, nullum ab insania peccati liberum inuenit,illic quidem eos significat, qui audita prædicatione Christi, iugum abiecerunt furiosi domini,scilicet peccati, hic autem eos, qui ex eadem prædicatione deteriores sunt effecti,quemadmodum idem cantor aut ciharista dicit, Cantauimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non ploraſtis. Amplius dicere potuit,Cantauim⁹ vobis & plorare nos fecistis,lamentauimus vobis & lancea nos cum pariete confixistis,lancea nos in cruce transfixistis. Nam iste quidem in figura patiens,non confixus fugiendo euasit,ille autem,cuius passionis præfigurãtur, lancea, clauisque confixus quidem est, sed resurgendo euasit.

1.Reg. 16.

Matth. 12. Luc. 7.

Quòd septem persecutiones passus sit Dauid:quo numero capitum draconis rufi in Apocalypsi significantur omnes persecutiones diaboli contra Christum & ecclesiam:& quòd in persona sua totidẽ vicibus à Iudæis tentatus sit Christus.

CAPVT VIII.

HIc iam persecutiones ipsæ quas pertulit Dauid numerandæ sunt. Prima est, vbi nunc mittente Saul lanceam vt configeret eum cum pariete, declinauit & fugit. Secũda,vbi postquam percussit Philistæos plaga magna, itidem psallentem nisus est Saul configere,& eo declinante,lancea cassо vulnere perlata est in parietem. Tertia,vbi cùm fugisset Dauid, & venisset ad Achis regem Geth, interfecit Saul propter illum sacerdotes domini. Quarta,vbi nunciauerunt Ziphei, dicentes: Eccè Dauid latitat apud nos, & surrexit Saul & persecutus est Dauid in desertum Maon. Cumque desperaret Dauid se posse euadere,nuncius venit ad Saul, dicens: Festina & veni,quoniam insuderunt se Philistæi super terrã. Quinta,in deserto Engadi, vbi cũ ingressus speluncam fuisset Saul vt purgaret ventrem, surrexit Dauid & præcidit oram chlamydis eius silenter. Sexta,vbi iterum nunciauerunt Ziphei, dicentes:Ecce Dauid absconditus est in colle Achila, & surrexit Dauid & descendit in desertũ Ziph, vbi cùm dormiente illo dixisset Abisai,conclusit deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiã eum lancea in terra semel,& secundo opus non erit. Dixit Dauid. Ne interficias eum. Ac deinceps: Propitius sit mihi dominus, ne extendam manum meam in Christum domini. Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ,&c. Septima, quæ & vltima,vbi ait Dauid in corde suo. Aliquando incidam in vna die in manus Saul. Nónne melius est vt fugiam & saluer in terra Philistinorum, & desperet Saul,cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? Fugiam ergo manus eius. Et surrexit Dauid & abijt ipse & sexcenti viri cum eo ad

1.Reg. 18. Cap. 15. Cap. 22. Cap. 23. Cap. 24. 1. Reg. 18 Cap. 26. Cap. 27.

cum eo ad Achis filium Mahog regem Geth. Septem istis persequutionib. Dauid, vniuersæ significantur persequutiones,quas excitauit diabolus contra Christum & ecclesiam eius. Septenario quippe numero plerunq; vniuersitas designatur. Vndè & in Apocalypsi draco ille magnus rufus,serpẽs antiquus, qui vocatur diabolus,& satanas,septem capita habere scribitur,quibus vniuersi reges,qui contra Christum & sanctam eius ecclesiam persequutiones excitauerunt, significantur. Cęterum & in propria persona sua, quas pertulit Christus persequutiones, septem fuerunt. Prima fuit, vbi secundum Matthæum mox nati eius animam funestus Herodes quæsiuit,& propter eum infantes occidit. Secunda fuit,vbi secundum Lucam,cùm venisset Nazareth,vbi erat nutritus, cum iam citharizaret,id est,prædicaret, ad mitigandum furorẽ Saul,scilicet vt conquiescęret, qui cõtra eum iam furere cœperat possessor vel agitator Iudæorum malignus spiritus, surrexerunt, inquit,& eiecerũt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, supra quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Iesus autem transiens per medium illorum ibat. Tertia fuit, vbi secundum Ioannem,fugit à facie Iudæorum iridentium, fugit inquam dicendo:Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nam reuera hæc dicendo,fugit & absconditse ab illis,secundum titulum psalmi tricesimitertij,qui sic inscribitur:Psalmus Dauid, cum commutauit vultum suum coram Abimelech,& dimisit eum,& abijt, & tympanizabat ad ostia portæ ciuitatis, & defluebant saliuæ in barbam,& ferebatur in manib. suis. Abimelech ipse est, qui supra dicitur Achis. Interpretatur autem Abimelech patris mei regnum. Achis verò quomodo est. Significat ergo Iudæos, quos rectè Christus prius appellauerit patris sui regnum, quòd significat Abimelech, nunc autem Achis,ex quo dixerunt,quomodo est, quomodo esse potest. In quo coram istis immutauit vultum suũ? In eo videlicet, quòd veteris sacrificij ritum conuertit in nouum. In eo quoque saliuę defluxerũt illi in barbã, quod cum diceret: Nisi manducaueritis carnem meam, & cætera. Infantilia videbatur illis verba proferre. Infantium enim est saliuã emittere. Tunc quoque tympanizabat ad portam ciuitatis, quando inuitis & audire nolentibus mysterium prædicabat sue passionis,futurum esse sciens, quòd credẽdo aperirẽt aliqui. Ferebatur etiã in manib. suis, videlicet cũ tenẽs in manib. panem & vinum. Accipite inquit & comedite, hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus nouum testamentum. Attamẽ secundum Hebraicam veritatem nunc legimus, & collabebatur in manibus eorum. Quarta fuit persequutio, quando miserunt principes & pharisæi ministros vt apprehenderent eum. Qui reuersi,cùm diceretur eis:Quare non adduxistis eum? Respondерunt: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. At illi in intentione persistentes,adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam, tentantes, vt possent accusare eũ. Quinta persequutio fuit, vbi cum dixisset: Amen amen dico vobis, antequam fieret Abraham ego sum, tulerunt lapides vt iacerent in eum. Sexta vbi cum dixisset: Ego & pater vnum sumus, sustulerunt lapides Iudæi vt lapidarent eum. Septima, quæ & vltima, vbi collegerunt aduersus eum cõcilium,nec destiterunt, donec crucifigerent eum.

Apoc. 12. Matth. 2. Luc. 4. Ioan. 6. Psalm. 33. 1. Reg. 21. Matth. 26. Luc. 22. Ioan. 7. Ioan. 8.

Quòd secundum hũc numerum persequutionum suarum septem psalmos cecinerit Dauid:sicut ex titulo ipsorum potest agnosci, cum mysterio passionis & tentationum Christi.

CAPVT IX.

SCiendum præterea, quia secundum prædictarum persequutionum numerum Dauid iste septem psalmos cecinit, videlicet tricesimumtertium, L I. LII. LIII. LV. LVI. LVIII. Quòd ex titulis ipsorum animaduerti promptum est. Nam titulus primi hic est, psalmus Dauid cum commutauit vultum suum coram Abimelech,& dimisit eum & abijt. Titulus secũdi, psalmus Dauid, cum iuit Doech Idumæus,& annuntiauit Saul, & dixit: Venit Dauid in domũ Abimelech. Titulus tertij. In finem pro Amalech intelligentia Dauid. Hic ad vltimam eius fugam respicit,quando confugerat ad Achis filium Mahog regem Geth, & venerunt Amalechitæ absente Dauid, & percusserunt Sicelech, & succenderunt eam igni. Titulus quarti. In finem,in carminibus intellectus Dauid, cùm venissent Ziphei & dixissent ad Saul. Nónne Dauid absconditus est apud nos? Titulus quinti. In finem pro populo qui à sanctis longè factus est Dauid in tituli inscriptione,cùm tenerent eum Allophyli in Geth. Titulus sexti. In finem ne disperdas Dauid, in tituli inscriptione, cùm fugeret à facie Saul in spelunca. Titulus septimi. In finem ne disperdas Dauid, in tituli inscriptione, quando Saul misit ad custodiendam domum eius, vt interficeret eum,& abijt. Hic ad secundam persequutionem respicit, qua cum declinasset à facie Saul lancea cassо vulnere perlata in parietem, misit Saul satellites suos nocte in domũ vt custodirent eum, & interficerent mane. Quòd cum nuntiasset Dauid Michol vxor sua,deposuit eum per feneſtram, & abijt & ausugit,atque saluatus est. Mysterium tituli psalmi primi, quomodo Dauid, id est,Christus vultum suum mutauerit,supra perstrinximus. In titulo psalmi secundi. Doech, quod interpretatur,motus, Doech inquam Idumæus,id est, motus terrenus. Antichri-

Titulus. Psal. 33. 51 52 1. Reg. 27. 30 53 55 56 58. 1. Reg. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. XIX. stum significat. Nam quòd ille annuntiauit Sauli, venisse Dauid in domum Abimelech, & propter hoc interfecit sacerdotes domini, illud præfigurauit, quia Antichristus ecclesiam vsque in mortem persequendo dilania-
1. Reg. 27. bit. In titulo psalmi tertij, in finem pro Amalech, illud mysticè innuitur, quia quod secũdum historiam cõtigit Dauid, vt ciuitas eius deprædaretur, & succenderetur ab Amalechitis, idem spiritualiter futurum esset, contra ecclesiam Christi, quòd impugnaretur à perfidis, scilicet Iudæis, Paganis, hæreticis, quos omnes sub nomine Amalech exprimit. Interpretatur enim Amalech populus lingens siue dolens & parturiens, iuxta illud.
Psalm. 7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. In titulo psalmi quarti. Ziphei qui annuntia-
1. Reg. 23. uerunt Saul, dicentes: Nónne Dauid absconditus est apud nos. Iudæos significant, qui Dauid Sauli prodiderunt, id est, Christum morti tradiderunt. Ziphei namque florentes interpretantur. Quo nomine Iudæi denotantur, qui temporalibus bonis florere certabãt, & secundum carnem cognati Christi erant.
1. Reg. 27. In titulo psalmi quinti. Allophyli qui tenuerunt Dauid in Geth, ipsi sunt Iudæi facti alienigenæ, suis meritis, quod ipso nomine suo indicant Allophyli, in Geth, quòd interpretatur torcular, tenuerunt eum, id est, in pressura tribulationum & mortis longè facti à sanctis, scilicet valde dissimiles apostolis, &
1. Reg. 24. cæteris fidelibus Christi. In titulo psalmi sexti, quo fugisse scribitur Dauid à facie Saul in spelunca, illud mysticè significat, quòd à cognatione Iudæorum recesserat Christus propter perfidiam ipsorum, & quasi latens in spelunca sic diuinitatem suam in humana
1. Reg. 19. occultauit natura. In titulo septimi psalmi, quo misisse scribitur Saul ad custodiendam domum eius vt interficeret eum, illud significat, quòd misit populus Iudaicus custodes
Matth. 27. ad custodiendum Christi sepulchrum, vt interficerent eum, id est, vt in morte quantum ad opinionem suam eum detineret, quòd nõ fecit. Nullo autem argumento certius potuit dominica resurrectio comprobari, quàm per hoc quòd ex suis inimicis testes sibi adhibuit. Quòd in quibusdam eorum titulis scriptũ est, ne disperdas, siue ne corrumpas in tituli inscriptione ex abundãti, nunc exponere est, eo quòd ad rem minus attinet, neque enim psalmos, aut psalmorum titulos tractare, hic nobis propositum est. Veruntamen nec omninò præterire libet, quia quãtum ad eorum
Ioan. 19. voluntatẽ, titulum ipsius Dauid, id est, Christi corruperunt vel disperdiderunt, scilicet quando dixerunt: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, rex Iudæorum sum.

Quomodo singulas penè persecutiones comes gloria secuta sit in typum eiusdem Christi, qui cuncta quæ vt passibilis homo pertulit, impassibili diuinitate superauit.

CAPVT X.

NOtandum & illud, quia singulas penè persecutiones, comes gloria sequitur. Vbi primùm misit lanceã Saul, putans quod configere posset Dauid cum pariete, cõtinuò subsequitur. (Vidit itaq; Saul, quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum. Omnis autem Israel & Iuda diligebat Dauid, ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.) Scilicet quando egrediebatur ad pugnam, ipse primus more regio egrediebatur in conspectu illorum, & regrediebatur. (Dixit autem Saul ad Dauid. Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem, & cætera.) Ac deinceps. (Dilexit autem Dauid Michol filiam alteram Saul. Et nunciatum est Saul, & placuit ei. Dixitque: Non habet rex necesse sponsalia, nisi tantum centum præputia Philistinorum. Et post dies paucos surgens Dauid, abijt in Acharon cum viris qui sub eo erant, & percussit de Philistijm ducentos viros, & attulit præputia eorum, & annumerauit ea regi, vt esset gener regis.) Inde dictum est. In duabus rebus gener meus eris hodie. In duabus rebꝰ generũ eum esse sibi futurum dixit, quia attulerat præputia Philistinorum pro Merob, quam Saul dedit Adrieli Melothitę, & postea pro Michol ducenta. Et quamuis non apertè dicatur pro Merob Saul pręputia Philistinorum Dauid dedisse, tamẽ qui præcedentia & subsequentia perlegerit & scrutatus fuerit, inueniet eum bis Sauli præputia Philistinorum dedisse. Potest etiam & aliter intelligi, in duabus rebus gener meus eris hodie, quia ego quæsiui à te centum præputia Philistinorum, & tu obtulisti ducenta. Potest adhuc & constantius sic dictum intelligi, in duabus rebus gener meus eris hodie, vt sit sensus. Vt gener meus fieres, dudum Philistæum occidisti, sed & nunc centum Philistinorum præputia dabis. Nam ne hoc vlli dubium sit, meminisse debet, quia cum Philistæus blasphemaret, & exprobraret, dixit vnusquisquam de Israel. Num vidisti virum hunc qui ascendit? Ad exprobrandum enim Israel ascendit. Virum ergo qui percusserit
1. Reg. 17. eum ditabit rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei. Igitur qui pene lancea cum pariete confixus fuerat, mox subsequente consolatur gloria, regis gener in duabus rebus, id est, iterata factus victoria. Item vbi lancea
Cap. xix. rursus impetitus fuerat, & domi conclusus per fenestram euaserat, cùm adhuc elapsum persequeretur Saul, glorioso miraculo eum qui quærebatur protexit & consolatus est Deus. (Misit, inquit Saul, lictores vt raperent Dauid.) Qui missi fuerant primi, & qui secundi, & qui tertij, prophetauerunt, irruente in illos spiritu domini. Abijt & ipse. (Et factus est super eum etiam spiritus domini, & expoliauit se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele.) Prophetauit inquam non minus facto quàm verbis. Nam

Nam expoliando se vestimentis suis, ei quem persequebatur, regnum se relicturum significauit, & hic quæstio magna oritur, cùm in præcedentibus legatur, Et non vidit Samuel Saulem vsque in diem mortis suæ, aut non vidit eum, quia quando Saul iunctus est cuneo prophetico, abscondit se Samuel, ne videretur ab eo. Aut non vidit eum
1. Reg. 15. indutum habitu regio, quo indutus erat, quando dictum est, non vidit eum vsque in diem mortis, subauditur, indutum veste regia. Expoliasse verò non omnibus ve-
CA. XXI. stimentis, sed regalibus tantum intelligendum est. Item vbi fugerat & venerat ad Achis regem Geth, & dicentibus seruis Achis, nunquid non iste est Dauid rex Israel, & cætera, extimuerat valdè & immutauerat os su-
CA. XXII um, & collabebatur inter manus eorũ & impingebat in ostia portæ, defluebatque saliua in barbam. Cùm interim occidisset propter eum Saul sacerdotes domini, mox subsequẽ-
CAP. XXIII. te gloria triumphali, amaritudo eius dulcorata est. (Annunciauerunt, inquit, Dauid, dicentes: Ecce Philistęi expugnãt Ceilam.) Cõsulto protinus domino, & accepto eius oraculo. (Perrexit aduersus agmina Philistino-
Suprà 21. rum & pugnauit aduersus eos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna.) Hic iam nec illud prętereundum quod dictũ est. (Et fuerunt vasa puerorum sancta.) Achimalech interrogat, vtrum Dauid & pueri sui quos in illum & illum locum conduxisse se dixerat, mundi essent, Dauid ænigmaticõs de se pluraliter respondit, dicens: Et fuerunt vasa puerorum sancta à concubitu coniugali. Quòd verò ait: (Porrò via hæc polluta est.) Et in Hebræo legitur, porro via hæc laica est, sic est intelligendum. Via hæc laica est. Ac si diceret: In lege præceptum est, vt extraneus non comedat ex eis, & tu interrogas, vtrum mundi sint pueri, qui etiam si mundi essent, nequaquam vesci deberent. Idcirco via est laica, quia tu laicaliter interrogas. Quod verò sequitur. (Sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.) Ipsa vtique in vasis, id est, mente sua sanctificari dicitur, quia nisi necessitate corporis & periculo vitæ vrgente nequaquã vesceretur eis. Non tamen apertè eosdem legitur Dauid panes comedisse. Tradunt Hebræi nequaquam Dauid eosdem panes comedisse. Aliter dominus in euangelio. Item vbi ascendentibus Ziphęis ad Saul, & dicentibus. (Nónne Dauid latitat apud nos, cũ isset Saul & socij eius ad quærendum eum, cumque Dauid desperaret se posse euadere à facie Saul.) Tam iucundo præsentia Dei subuenit præsidio, vt in tali articulo posito Dauid. (Veniret nuntius ad Dauid & diceret: Festina & veni, quia insuderunt se Philistijm super terram.) Hoc tam glorioſum fuit, vt fa-
CAP. XXIIII. cti vel euentus memoriam posteris nequaquam deesse vellent. (Vocauerunt enim locum illum, petram diuidentem.) Item cum reuersus. (Saul perrexisset ad inuestigandum Dauid etiam super abruptissimas petras, quę solis ibicibus peruiæ sunt.) Ibi verò glorioſi viri virtus & patientia laudabiliter enituit. (Speluncam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem, Dauid & viri eius in interiori parte speluncæ latentibus. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter, & cætera.) Hoc admirans Saul. (Iustior inquit tu es quàm ego.) Ac deinceps. (Iura mihi in domino ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.) Hoc planè glorioſum fuit, vt hic veraciter dicas, quia non qui passus est, sed qui fecit iniuriam miser extitit. Item vbi (rursum venientes Ziphei ad Saul dixerunt. Ecce Da- CAP.
uid absconditus est in colle Achila, & surre- XXVI.
xit Saul, & descendit in desertum Ziph & cũ eo tria milia virorum de electis Israel.) Animaduerte quid fecit Dauid. (Venerunt ipse & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem & dormientem in tentorio & hastam fixam in terra ad caput eius.) Post omnia quæ illic dicta vel gesta sunt, ait Saul: (Peccaui. Reuertere fili mi Dauid, & cæt.) Parum ne id spectat ad gloriã victoris, quòd tam viuida patientia carbones ignis super caput inimici sui congesit, licet in corde illius CAP.
pertinax malitiæ radix incombusta perseue- XXVII.
rauerit? Item vbi (Fugiens Dauid ad Achis habitauit in Geth, deditq; ei Achis Sicelech. Amalechitæ impetum fecerunt, & percusserunt Sicelech, & succenderunt eam igni.) Sed veniens Dauid, tristitiam præsentem, CAP.
mox subsequentis triumphi gloria detersit. XXX.
(Percussit enim latrunculos Amalechitas à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & eruit omnia quæ tulerant, nec defuit quisquam à paruo vsque ad magnum, tam de filijs quàm de filiabus, & de spolijs, & quæcunque rapuerant, omnia reduxit Dauid, & tulit vniuersos greges & armenta, & minauit ante faciem suam, dixeruntque. Hæc est præda Dauid.) Igitur (vti prædictum est) cuncta quæ pertulit aduersa Dauid, Deus in prospera conuertit, cuctamque miseriæ noctem mox succedentis gloriæ dies effugauit, in typum videlicet Christi filij Dei, eiusdem filij Dei Dauid, Dei & hominis, qui cuncta quæ vt passibilis homo pertulit, impassibili diuinitate superauit.

Quomodo Dauid propter persecutiones latitanti fortes viri sese adiunxerint, quos postea principes ac duces constituit: & quod ita Christo in infirmitate carnis latenti suus spiritus iudices secuturos apostolos adduxit, secundum numerum eorundem principum Dauid.

CAPVT XI.

GLorioſum & illud fuit, quòd inter ipsas persecutiones fugienti adhuc, & latitanti, fortes illos spiritus domini aggregauit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quorum fides & bellicosa virtus militaret postmodum regi in throno sedenti. Sic enim
1. Para. 12. in Paralipomenon scriptum est. Hi quoque venerunt ad Dauid in Sicelech, cùm adhuc fugeret Saul filium Cis qui erant viri fortissimi & egregij pugnatores tendentes arcum, & vtraque manu fundis saxa iacientes, principes Ahiezer & Ioas filius Amaa Gabathites, & cæteri de Beniamin. Et de Gaddi viri inquit robustissimi, & pugnatores optimi. Facies eorum quasi facies leonum, & veloces quasi capreæ in montibus. Egressusque est Dauid obuiam eis, & ait: Si pacifici venitis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis, si autē insidiamini mihi pro aduersarijs meis, cùm ego iniquitatem in manibus meis non habeam, videat Deus patrum nostrorum & iudicet. Spiritus verò domini induit Abisai principem inter triginta, & ait: Tui sumus ô Dauid, & tecum fili Isai, pax, pax tibi, & pax adiutoribus, te enim adiuuat Deus tuus. Suscepit ergo eos Dauid, & constituit eos principes turmæ. Nónne & vero Dauid Christi filio Dei dum adhuc lateret in infirmitate carnis, dum adhuc tentaretur, dum adhuc persecutionibus vrgeretur, suus ipsius spiritus, principes, id est, apostolos adduxit, quorum fides, & patientia postmodum regnanti, atque ad dexteram patris residenti, per totum militaret orbem in prædicatione euangelij? Nam de illis dicitur per prophetā.
Psal. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos principes super omnem terram. Et alibi: Principes populorum cōgregati sunt cum Deo Abraham. Nam vt iucundius aspiret huiusce pulchritudo mysterij, cùm fortes tunc ad Dauid profugum conuenerint quam plurimi, vndecim tantum principes nomine pariter, & numero scriptura designauit. Ezer inquit, primus princeps, Obdias secundus, Eliab tertius, Masmanna quartus, Hieremias quintus, Hethi sextus, Heliel septimus, Iohanna octauus, Helzabath nonus, Hieremias decimus, Machabana vndecimus. Quem hoc non delectet scientem, quòd Christus, &
Luc. 6. si plures discipulos fecit, tamen duodecim tantū elegit, quos & apostolos nominauit, & ex illis vnus perijt, Iudas filius perditionis? Et
Psal. 108. Act. 1. quidem episcopatum vel apostolatum eius accepit alter, & duodenarius apostolorum numerus suppletus est, sed non cum adhuc ille Dauid lateret, cum adhuc fugeret, cum adhuc persecutionem sustineret. Iam inimicos suos vicerat, iam mortem superauerat, iā
Luc. 22. in cælum ascenderat, & regnans gloria & honore coronatus ad dexteram patris sedebat.
Luc. 21. Vndecim ergo principes, profugi & adhuc latitantis Dauid, vndecim fuere apostoli adhuc mortalis & passibilis Christi, quibus & proinde dicit: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Quid ergo inquam illud sibi vult, quod ibidem de illis principib. continuò dictum est. Nouissimus cētum milibus præerat, & maximus mille? Nulla quippe quæstio subesset, si ita dictum fuisset, maximus centum milibus præerat, & nouissimus mille. Quid inquam, nisi quia in lege vel ordine magni Dauid militiæ, ille qui maior est sit sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator? Igitur vt reciprocando melius sententia colliquescat, qui centum milibus præerat, ille nouissimus, & qui mille præerat, ille maximus erat. Quod est dicere. Qui inter principes Dauid, id est, apostolos Christi, pluribus abundabat virtutibus ille spontanea submissione omnium erat nouissimus, & qui pauciorum videbatur esse virtutum, ille pia humilitatis contentione omnium iudicabatur esse maximus.

Quid mysterij in eo sit, quòd Dauid inter persecutiones vnam quidem vxorem Michol filiam Saul amisit, sed duas acquisiuit Abigail & Achinnoen Iezraelitem.

CAPVT XII.

NIhilominus nec illud à mysterio vacare putandum est, quòd inter prædictas 1. Reg. 25.
persecutiones vnam quidem Dauid vxorem, scilicet Michol filiam Saul amisit, sed duas acquisiuit, videlicet Abigail vxorē Nabal Carmeli & Ahinoen Iezraelitem. (Nam Saul dedit filiam suam Michol vxorem Dauid Phalthi filio Lais, qui erat de Gallim.) At ille (vt Hebræi tradunt) non cognouit eam, id est Phalthi, quia si cognouisset eam, nunquam Dauid postea eam sibi sociasset, quia in lege penitus huiusmodi prohibetur coitus. Idem namque Phalthi de Gallim, id est, de inundatione erat. Inundatio, hoc est, Gallim, lex intelligitur. Legis enim doctor erat, de Bahurim, id est, de electis. Quando autem à Saule Michol ei datur, Phalthi, id est, euadens interpretatur. Quando verò ab eo eadem Michol aufertur, Phalthiel, id est, euadens à Deo interpretatur. Euadens à Deo dicitur, quia custodiuit eum ne tangeret eam, ne fieret transgressor legis. Secutus est eam vir suus plorans vsque Bahurim. Ploraſſe dicitur præ gaudio, eò quòd eum dominus custodisset ne tangeret eam. Significat autem Michol quod nomen vertitur in aquam carnalem nimis & aquaticam synagogam, vtpote vinum nescientem, quòd de aqua factum, Hebr. 7.
CHRISTVS desiderabilis illi propinare voluit in nuptijs suis, magisque sequentem aquam literæ quæ nihil ad perfectum adduxit. Propter illam equidem vt eam desponsaret sibi, Philistæum Dauid interfecit, id est, diabolum, Christus propria morte vicit. Sed Saul arreptitius, scilicet insania peccati in illa synagoga regnantis, abstulit illi, & dedit eam Phalthi, id est Moysi, non quòd verè data vel subdita sit illi. Si enim crederetis inquit Ioan. 5.
Moysi, crederetis forsitan & mihi, sed quòd sic arbi-

CAPVT XXV. sic arbitretur, sic confidat sibi, iuxta illud: Tu discipulus eius sis, nam nos Moysi discipuli sumus. Attamen idem Phalthi, qui nunc non cognoscit vxorem quondam Dauid, aliquando reducet illi. Futurū est enim aliquando, vt Christum synagoga cognoscat, ex lectione Moysi. Iterum Dauid qui vnam suā vxorem amisit, duas (vt prædictum est) inter
Ibid. 9. ipsas persecutiones acquisiuit, videlicet Abigail vxorem Nabal Carmeli, & Ahinoen Iezraeliten. Ahinoen fratris decor, Iezrael semē dei, Abigail patris mei exultatio, Nabal insipiens interpretatur. Igitur Ahinoen Iezraelites, id est, fratris decor, de semine dei antiqua ecclesia est, quæ Christi aduentum præcesserit, decor, inquam, fratris, id est, honor & regnū eiusdem Christi filij dei, deus enim pater se-
1. Corin. 1. cundum spiritum. Abraham verò pater secundum carnem est ecclesiæ. Sicque Iezraelites est, id est, de semine dei. Porrò Abigail noua ecclesia est quæ aduentū subsequitur eiusdem Christi filij dei vxor quondam Nabal, id est insipientis, disciplina enim erat philosophorum insipientium, quorum sapientiam deus stultam fecit. Vtrāque ecclesiam, eisdē passionibus, eadem morte Christus redemit.

Qualiter Abigail eundem Dauid ne se manu sua vlcisceretur præuenerit, & quid mystice munera eius quibus placauit Dauid significent.

CAPVT XIII.

CAPVT XXV. QVidnam egit hæc Abigail secundum nomen suum, patris exultatione dignum? (Nuntiauit ei vnus de pueris, dicens: Ecce misit Dauid de deserto nuntios, vt benediceret domino nostro, & auersatus est eos. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & cætera. Et ait Dauid Abigail. Benedictus dominus deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictū eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem & vlciscereturme manu mea. Alioquin viuit dominus deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi, nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinā mingens ad parietem.) Ac deinceps. (Cumque pertransissent decem dies, percussit dominus Nabal, & mortuus est. Misit ergo Dauid & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi vxorem. Planè secundum hanc sapientis formam mulieris, ecclesia de gentibus sibimet sapienter prouidit. Venerunt nuntij Dauid ad Nabal vt benedicerent ei, venerunt inquam nuntij pacis, prædicatores salutis ad mundum istum insipientem, & in maligno positum, vt gratiā supernæ benedictionis, gratiam spiritus sancti in baptismo remissionis peccatorum conferrent ei. At ille scilicet Nabal, id est, omnis insipiens, omnes qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, auersati sunt eos, persecuti sunt eos, occiderunt eos. Quid econtrario Dauid? Quid ad hæc manu fortis? (Accingatur (inquit) vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt omnes gladijs suis.) Gladius Dauid & virorū eius, Roman. 1.
potestas iudicij est, in manu Christi & sancto rum eius. Nam exultationes dei, inquit, in Psal. 149.
gutture eorum & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum. Hoc metuens festinauit Abigail, festinauit gentiū multitudo mune- Hebr. 10.
ribus prolatis, præuenire & placare iram iudicis, ne se manu sua vlciscereturDauid, credens attestantibus, quòd horrendum sit incidere in manus dei viuentis, quando iudicatu rus deus noster veniet, & non silebit. (Viro autem suo Nabal non indicauit.) Nec enim Roman. 3.
quæsiuit ecclesia consilium cuiusquam philosophi, aut edictum attendit cuiusquam orbis terrarum principis, sed illis quidem omnibus debita reddidit, cui tributū, tributum. cui, vectigal, vectigal. cui honorem, honorem. salutis autem suæ viam, aut venturæ iræ effugium qualiter inueniret, cùm sola sapientia tractauit, à solo spiritu dei consilium quæsiuit. Quid enim de huiusmodi tractaret cùm ebriosis principibus, cum insipientibus huius mundi philosophis? (Erat enim (inquit) Nabal ebrius nimis.) Quæ autem sunt munera, cùm quibus ad nostrum Dauid ista festinauit Abigail? Vt taceam de sex operibus misericordiæ, quæ replicaturus est ille dicendo. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis mihi potum, & cætera, Matth. 25.
illud præcipuè munus, illa maximè singularis oblatio, prudentiam huius laudabilem efficit, quam quotidie immolat in sancto altari sanctum sacrificium, immaculatam hostiā corporis eius & sanguinis. His muneribus non solum iram vel gladium euasit, sed coniunx effecta est ecclesia magni Dauid.

De imitabili exemplo eius, quòd Nabal ebrio culpam suam laudabiliter tacuit: quam digesto vino reuerentur dixit.

CAPVT XIIII.

ET non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsque mane. Diluculo autem cum digestus esset Nabal vinum, indicauit ei omnia verba hæc.) Hoc exemplum tam vniuersam ecclesiam, quàm singulatim quosque fideles ædificat. Quid enim Abigail nobis per hanc renunciationis suæ dispensationem innuit, nisi quòd iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinamus? Perturbati quippe quid audiant ignorant, sed ad se reducti tanto libentius verba exhortationis recipiunt, quanto se tranquillius tolerari erubescunt. Mentibus autem furore ebrij, omne quod rectum dicitur, peruersum videtur. Vndè & rectè Nabal ebrio culpam suā Abigail laudabiliter tacuit, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

digesto vino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audiuit.

Qualiter vel quibus Dauid sit imitãdus in eo quod per cussit cor suũ, eo quòd abscidisset orã chlamidis Saul.

CAPVT XV.

POrrò ad cauendum obtrectationis vitium & exhibendam à subditis humilitatem, quibuslibet etiam prauis rectoribus, superiori eiusdem exemplo plurimum instruimur. Saul persecutor cum ad purgandũ ventrem, spelunca fuisset ingressus, illic Dauid cum viris suis inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum domini non deberet. Qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid per Saul nisi mali rectores, quid per Dauid nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiã vsque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem Dauid ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum suorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cùm de imperfectione reprehendunt. Qui & si quando propter infirmitatem sese abstinere vix possunt, vt extrema quædam atque exteriora mala præpositorũ, sed tamen humiliter loquantur, quasi chlamydis oram incidunt silenter, quia videlicet dum prælatæ dignitati, saltem innoxiè & latenter derogant, quasi regis sibi superpositi, vestem fœdant. Sed tum ad semetipsos redeunt, seque vehementissimè vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vndè benè & illic scriptum est. Post hæc Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam si rectè reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est vt per afflictionem pœnitentiæ cor premamur, quatenus ad semetipsum redeat, vt cum præpositæ potestati deliquerit, eius contrà se iudicium à quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cum in præpositos delinquimus, eius ordinationi qui eos ordinauit & nobis prætulit, obuiamus.

Sup. ca. 24

Rom. 13.

Quid mysticè per puerum Aegyptium intelligitur: quo duce Dauid inimicos suos Amalechitas persequens comprehendit.

CAPVT XVI.

TAndem illud, quòd Aegyptium puerũ Amalechitæ in itinere deserunt, quẽ Dauid cibo reficit, ducem sui itineris facit, Amalechitas persequitur, epulantes reperit & sunditus extinguit, mirandum supernæ gratiæ donum in peccatorum conuersione spiritualiter ostendit. Quid enim est, quòd Aegyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur, nisi quòd amator præsentis seculi, peccati sui nigredine opertus, sæpè ab eodem seculo infirmus despectusque relinquitur, vt cum eo nequaquã currere valeat, sed fractus aduersitate torpescat? Sed hũc Dauid inuenit, quia redẽptor noster veraciter manu fortis, nonnunquã quos despectos à mũdi gloria reperit, in suo amore conuertit, cibo pascit, quia verbi scientia reficit, ducem itineris elegit, quia suum etiam prædicatorem facit. Et qui Amalechitas sequi non valuit, dux efficitur Dauid, quia is quem indignum mundus deseruit, non solũ conuersus in sua mẽte dominum recipit, sed prædicando hunc vsque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce, Dauid Amalechitam conuiuantem inuenit & extinguit, quia ipsis prædicantibus Christus mundi lætitiam destruit, quos mundus habere comites despexit.

Quod Saul spiritum Pythonis consuluit, & quod non tam Samuel, quàm spiritus malignus apparuisse credendus sit.

CAPVT XVII.

SAmuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. (Quẽritur, cum superius iam mortuus legatur, cur hic repetatur mortuus. Supra namque dicitur sepultus fuisse in domo sua in Ramatha. In domo sua in familia videlicet & cognatione sua. Mortuus hic vt Hebræi volunt, resuscitationis suæ causa repetitur. De qua videlicet resuscitatione postmodum dicetur. (Dixitque ei mulier. Quem suscitabo tibi? Qui ait, Samuelem suscita mihi, & cætera.) Nullo accepto diuinitus responso Saul conuertitur ad Pythones, sicut hicitidem scriptum est, Consuluitque dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. Respondebat dominus per somnia, sicut Hebræi asserunt, eo quod ieiunando & orando poscebant, oraculum sibi fieri diuinum, & Deus illis per somnia reuelabat ea quæ futura erant, quod in hoc loco minimè fecisse legitur Saul. (Saul autem (inquit) abstulit magos & hariolos de terra, & interfecit eos qui pythones habebant in ventre.) Hanc ergo mulierem Hebræi matrem fuisse Abner filij Ner autumant, & propter eundem Abner, ne perimeretur cum cæteris pythonissis, absconditam fuisse & reseruatam. (Intellexit (inquit) Saul quòd Samuel esset, & inclinauit se in terram, & adorauit.) Ergo ne benè Saul intellexit? Ergo ne spiritui pythonis virum sanctum suscitare licuit? Repugnat valde, quòd ille qui visus est. (Cras (inquit) tu & filij tui mecum eritis.) Nunquid quem Deus propter superbiam deiecerat, quique in extremis

CAP. XXVIII.

Supra 25.

mis suis spiritũ pythonis consuluerat, & de vitulo eius comederat, cum iustis & prophetis futurus erat? Et si tempore illo sancti quoque & iusti homines apud inferos erant expectantes beatam spem, non tamen impij cũ illis esse poterant. Dicit enim Abraham diuiti in inferno sepulto, sine dubio, quo tempore adhuc ipse Abraham in inferno fuisse credendus est. Et his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Itaq; licet in Ecclesiastico legamus, quia Samuel quoq; post mortem prophetauit, non tam Samuel, quàm in phantasmate Samuelis, spiritus malignus apparuisse credendus est. Igitur dum morituro Saul & filijs eius repetitur, quod supra dictũ est, Samuel mortuus est, planxitq; eum omnis Israel, Hoc secundum mysteriũ magis, quàm secundum historiam operari compro batur. Iudæis nanque in peccato suo moriturís, sacerdotio quoque & regno pariter cum templo perituris, quod videlicet sacerdotiũ vel regnum per vnctum Saul rectè intelligitur, rectè dicas, quia Samuel mortuus est. Illis nanque nõ solus Samuel, & tota lex & prophetæ mortui sunt, quia videlicet solam illorum occidentem literam lectitantes, & viuificantem spiritum non habentes, in manus hostium traditi sunt, secundum corpus ab inimicis hominibus, secundum animam interfecti à malignis spiritibus.

Luca 10.

Quomodo vel quam ob causam benè contigerit Dauid, vt ruituro Saul cum populo suo, ipsi bello interesse non est permissum: & quòd sicut planxit Dauid, fortes qui ceciderant, ita Christus gentem suam humano fleuit affectu.

CAPVT XVIII.

CAPVT XXIX.

QVid porrò sibi vult, quòd mortuus in bello Saul & filijs eius, & vniuersis viris eius, Dauid bello interesse non permittitur? (Dixerunt enim principes Philistinorum ad Achis. Quid sibi volunt Hebræi isti?) Ac deinceps. (Reuertatur vir & sedeat in loco suo in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius cùm præliari cœperimus. Quomodo enim placare poterit dominum suũ, nisi in capitibus nostris? Nónne iste est Dauid, cui cantabant in choris dicentes, percussit Saul in millibus, & Dauid in decem millibus suis.) Itaque factum est, vt Dauid neq; in populo suo, neque contra populum suũ, bello interesset, sed absens fortes qui ceciderant in præleo, plangeret. Nunquid hoc casu, & non potius per Dei prouidentiam gestum est? Vtique Deo prouidente factum est, vt Dauid legitimus rex, neque proditor, neque hostis patriæ iudicari posset. Denique si bello admissus contra suos præliaretur hostis patriæ, si ad suos conuerteretur deserto rege ad quem confugerat, quique illum quasi fidelem custodem capiti suo posuerat, infamis existeret, perfidi proditoris crimine. Sed nec istud à mysterio vacare credẽdũ est. Sic nempe Saluator ruituro Iudeorũ populo, cũ ciuitate & templo, suã ademit præsentiam, vt neque hostibus eius faueret, neq; tamen suis cognatis manum auxiliarem porrigeret. Secundum hominis loquimur affectum. An inimicis gentis suæ fauit, qui videns ciuitatem fleuit super illam, & inter lachrymas futura mala prædixit? Igitur præleantibus Philistæis, cõtra Israel, Dauid vtrisque deest, quia ciuitatem Hierusalem Romanis obsidentibus, Christus manu fortis neutræ parti adest, cum neutra parte, gratia eius est. Et iste quidem Dauid iam completam Saul & filiorum vtrorumq; ruinam eius deflet. Christus autem ruinam Iudæorum, & antequã fieret, fleuit per semetipsum, sicut iam dictum est, & postquam iã facta est, doluit in Apostolo suo, in quo & loquebatur, quemadmodũ Apostolus ipse testis est. Veritatem dico in Christo non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in spiritu sancto, quia tristitia mihi est magna & continuus dolor cordi meo, & cætera.

Luca 19.

Rom. 9.

De morte Saul, & filiorum eius, & quòd Amalechitẽ, qui nunciauit mortem eius, dicant Hebræi fuisse filiũ Doech.

CAPVT XIX.

NOn audiet vos (inquit) Dauid de sermone hoc. Aequa enim pars erit descendentis ad prelium & remanẽtis ad sarcinas.) Cùm in Latinis codicibus legatur lassos quosdam substitisse ad sarcinas, in Hebræo habetur, iussos fuisse vt residerent ad sarcinas, locus hic monstrat Hebraicam veritatẽ, in hoc loco sequi debere, quæ non lassos, sed iussos remansisse ad sarcinas dicit fuisse. Ait enim ita. Aequa pars erit descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas. Non ait, qui lassi remãserunt ad sarcinas, sed absolutè remanentes ad sarcinas, quia qui lassi remansissent, nulla eis dari deberetur de prædis portio. (Quod cũ vidisset armiger.) Vidit licet, (Quod mortuus esset Saul.) Irruit etiã ipse super gladium suũ, & mortuus est cum ipso. Armigerum istum Hebræi Doech Idumæum dicunt fuisse, qui cernens Saul mortuum, seipsum ob metum Dauid interemit. (Mortuus est ergo Saul & tres filij eius, & armiger illi⁹, & vniuersi viri eius.) Viri isti pueri domestici eius intelligẽdi sunt. Hi tres filij eius cũ eo interfecti sunt, Ionathan, Aminadab, q & Iesui & Melchisina, Isboseth autem dormierat, qui anno quo Saul rex cõstitut⁹ est, natus fuerat. Qui etiã quadraginta annorum fuisse dicitur cũ regnare cœpisset. Vnde collgitur Saul p quadraginta annos regnasse. Quæredũ, cur alibi legatur Iesui, alibi Aminadab. Iesui enim interpretatur æqualis.

CA. XXX

CAPVT XXXI.

11. Reg. C. 1

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXXI.

Aequalis enim dicitur, quia æqualis meriti fuisse filij cum patre memorantur. Aminadab interpretatur pater meus spóte. Spóte enim sua pater eius Saul, malè agendo conquisiuit, vt taliter vna cum filijs perimeretur. (In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul.) Hominem istum Amalechiten Hebræi filium Doech fuisse dicunt. Amalechites etenim & Idumæus vnum est, quia filius primogenitus Esau Elifar fuit, & huius filius Amalech. Diadema autem & armillam quæ Dauid detulit, à patre Doech cõmendata sibi fuisse perhibent.

De mira innocentia Dauid, qua mortuum Saul planxit & de arcu quem filij Israel per eiusmodi planctũ discere debuerint.

CAPVT XX.

PLanxit autem Dauid planctũ huiusmodi super Saul, & super Ionathan filiũ & eius, præcepit vt docerẽt filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum. Inclyti Israel super montes suos interfecti sunt, &c.) Quis plãxerit, quid vel quare planxerit, amplius autem quid mysticum significet, si ritè consideres, planctus iste rationabilis, & de thesauro sapientis, prolatus est. Quis enim planxit? Rex vnctus, electionis suæ non inscius, qui non ignoraret per mortem Saul, vacuè factum sibi esse thronum regium, vt qui profugerat, iam repatriaret. Mira ergo innocentia, mira aduersus ambitionem temperantia. Parum fuerat manib. temperasse, dicendo, propitius sit mihi dominus, ne extendam manum meam in Christum domi-
1. Reg. 24. ni, nam poterat & hæc dicens optare, vt aut dies mortis eius veniret, aut in prælium descendens periret. Sed eccè occulta cordis ma-
Psal. 7. nifestus iustitiæ actus defendit, dum ipse plãgit, & per pœnam vel mortẽ eius qui nuncia uerat nemini suorum exultandum esse decernit. Rectè igitur canat, securè canat, & dicat fortis Dauid, Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã merito ab inimicis meis inanis. Quid autẽ plan-
1. Reg. 31. xit? Istud videlicet, q̃ Saul cùm esset Christus domini, propter superbiã suam hoc cõmeruit, vt & ipse proijceretur à facie domini, & cum illo cunctus Israel caneret coram hostibus suis, inclytis suis interfectis. Hoc planè viro sapienti plangendum erat, qui sciret in summa humilitate sibi cauendum esse exemplum eius, qui cùm esset Christus domini, superbiendo spiritui maligno mancipare meruit, & eo vsque deuolutus est, vt consulto spiritu pythonico plena præuaricatiõe damnabilis, vitam præsentem miserabili fine concluderet. Et quare plãxit? Vt docerẽt (inquit) filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum. Arcum, id est, belli fortitudinem, qui profectò arcus vel quæ fortitudo belli non alia est, quã manus vel auxilium domini. Et rectè hoc loco per arcum tota significatur fortitudo belli, quia videlicet maximè p arcũ perierat Saul, sicut suprà scriptũ est, quia consecuti sum eũ viri sagit- 1. Reg. 31.
tarij, & vulneratus est vehementer à sagittarijs, quod vtiq; non euenisset, si suum & ipse arcum tenere, vel intendere voluisset, id est, si suam in deo spem posuisset, sine quo nunquam vicit, aut fortiter fecit Israel. Sicut scriptum est, inquit, in lib Israel iustorum. Liber iustorum, quamuis quidam liber possit intelligi qui hodie nusquam possit inueniri, constantiùs tamen liber hic intelligitur, de
Num. 2. quo scriptum est in Numeris. Vnde dicitur in libro bellorum domini, Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, &c. Liber aũt bellorum domini, quis est; nisi omnis scriptura sacra, ex qua sine dubio docemur bellare bella domini? Nec enim ante Moysen qui illud dixit, scriptũ fuerat quippiam eiusmodi. Igitur docerẽt (inquit) filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorũ, id est, qa malè pugnauerãt filij Israel ob culpã suam, discerent saltẽ filij Iuda, contribules sui ponere deum adiutoriũ suum, sicut fecerunt omnes iusti, quorum omnes victoriæ deo mirabiliter cooperante peractæ
Apocal. 5. sunt, sicut testantur scripturæ, quæ & pluribus libris distinctæ, vno tamen spiritu conscriptæ sunt, & idcircò rectè reputantur in vnum librum, iuxta illud. Et vidi in dextera sedentis super thronũ, librũ scriptũ intus & foris, & signatũ sigillis septem. Quomodo verò per huiusmodi planctũ, dicendo. (Inclyti Israel super mõtes tuos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes? A quilis velociores, leonib. fortiores. Ionathã in excelsis tuis occisus est.) Quomodo (inq̃) per huiusmodi planctũ discunt filij Iuda, arcũ prædictum? Videlicet vt sit subaudiendũ, Ab hoc experimento discãt quicunq; pugnant, q̃ & si fortes sint, & inclyti multũ, & si velocitatẽ, aquilarũ, at fortitudinẽ habeant leonum, nullatenus tamen victoriã aduersante Deo perficere poterũt. Ab hoc (inquã) experimẽto istud discant. Eccè emẽ super montes tuos, ô Saul, super montes (inquã) tuos. i. propter superbiã tuam inclyti Israel interfecti sunt, fortes ceciderunt tecũ. Sed & Ionathã in excelsis tuis, tuis (inquã) nó suis occisus est. Nó enim ppter suã, sed propter patris superbiã, filius hic meliori patre dignus mortuus est. Repugnat nanq; q̃ dicitur, (Sagitta Ionathę nunquã abijt retrorsum.) Sagitta Ionathæ fides fuit Ionathæ, qua cũ ipso Dauid fœdus inijt & nunquã retrorsum abijt, nunquã emẽ illud fœdus irritũ fecit. Dicendo aũt sagitta Ionathæ, pro eo vt diceret fides Ionathæ, pulchrè ad rem gestã respexit. Supra nãq; scriptum est. Pepigit ergo Ionathan fœdus cum Dauid, & addidit Ionathan deierare Dauid. 1. Reg. 20.
Ac deinceps. Et ego tres sagittas mittam. Si dixero puero: Eccè sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi est, & cæt.

Ergo sa-

gitta Ionathã nũq̃ abijt retrorsum. i. fœdus in quo sagittarium signo vsus est Ionathan, nunquam fecit irritũ. Hæc dicens, & planctum huiusmodi plangens, confortat tamen & suadet Israel oportunam à deo sperare consolationem. Ait enim. (Nolite annũciare in Geth, neq; annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philistijm, ne exultent filiæ incircũcisorum.) Quod est dicere. Quãuis inclyti Israel interfecti sunt, quãuis ceciderunt fortes, & arma bellica perierunt, citiùs resumite arcum, vestrumque bona spe roborate brachiũ, vt non vacet hostibus æstimare quod plenum de vobis egerint triumphum, vt annuncietur illis, quamuis fortes ceciderint, vos tamẽ habere deum fortissimum. (Quare autem (inquit) Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniãt super vos neq; sint agri primitiarum.) Videlicet vt ipsa montis ariditas perpetua permanẽs, posteris sit necessariæ rei documentum, vt semper prę oculis habeant vnde cõmoneãtur futuri reges, cauere superbiæ vitium, propter quod sibi adiect⁹ est clypeus fortiũ, clypeus Saul, tam ignobiliter, ac si non esset vnctus oleo, ac si nunquã efficax redisset à sanguine interfectorum, ab adipe fortium. (Filiæ (inquit Israel super Saul flete, flendus enim est, quia qui vestiebat vos coccino in delitijs, q̃ præbebat ornamenta aurea cultui vestro.) subauditur de prædis hostium quas agebat, nunc ipse nudus iacet, nunc ipse hostium visibilium, atq; inuisibilium præda factus est.

Quomodo vel quale lamentum Christi ille planctus Dauid significet super gente sua Iudaica, & qualẽ nos arcum idem planctus spiritualiter intellectus docere debeat.

CAPVT XXI.

Luce 9. Rom. 9. QVid tandem planctus iste mysticum signat, nisi lamentum veri Dauid, id est, manu fortis Christi, qui gentis suæ, gentis Iudaicæ fleuit ruinas? Ille nanque & per semetipsum videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens, Quia si cognouisses & tu, & per Apostolum suum iam peractam deflet ruinã, dicẽte illo, in quo sine dubio loquitur Christus: Veritatem dico in Christo nó mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & cõtinuus dolor cordi meo. Optabã enim ego ipse anathema esse à Chri-
Psal. 38. sto pro fratrib. meis, &c. Plangit ergo Dauid Saul, & eos qui ceciderunt fortes & inclytos Israel, plangit manu fortis siue desiderabilis Christ⁹ superbiã carnalis Israel, falsãque Israelitarũ fortitudinẽ, de qua ipse ī psal. Et irruerunt (inquit) in me fortes, suam videlicet iustitiam statuere volentes, & non in gratia dei, sed in operib. legis, quasi inclyti
II. REG. gloriantes. Et væ illis qui planctum huius Dauid nequaquam pœnitentiæ suæ prę uenerunt lamentis. Plangendo autem & hoc præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, vt docerent filios cõfessionis suæ, scilicet Christianum de gentibus populum, non gloriari quasi de suis meritis, sed subijciendo se gratiæ dei, verum & constantem tenere supernæ fortitudinis arcum. Quod præceptũ docendi Apostolus sagaciter exequens, quod Rom. 15.
si (inquit) aliqui ex ramis fracti sunt. Tu autem cùm oleaster esses, insertus es illis, & socius radicis factus es, & pinguedinis oliuę, noli gloriari aduersus armos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Noli altum sapere, sed time. Si enim deus naturalib. ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Hæc & cætera cùm dicit, profectò docet, filios Iuda arcum, vt scilicet si fortiter agere velint, non glorientur, sed humiliter stent in gratia Dei. Nam inclyti Israel (inquit) super mõtes suos interfecti sunt, & ceciderunt fortes, inclyti videlicet, qui sunt secundum carnem Israelitæ, quorum adoptio est filiorum & gloria, & testamentũ, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorũ patres & ex quibus Chrustus secundum carnẽ, q ui est super omnia deus benedictus in secula, Amen. Ita- Rom. 9.
que secundum hæc verè quidẽ inclyti sunt, sed de his superbiendo falso fortes sunt. Idcircò interfecti sunt, idcircò ceciderunt, maximè ob culpam sacerdotum, deceptam plebem deuotantium. Propter quod dicit, Mõtes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniãt super vos, neque sint agri primitiarum. Gelboe nanq; deuoratio siue decursus interpretatur. Quo nomine non incongruè pharisæi siue sacerdotes illi denotantur, quos in domo patris latrocinantes, & prædam de populo facientes, Saluator cum flagello eiecit, deuoratores & voraces iuxta illud propheticũ. Pec- Ioan. 1.
cata populi mei comedunt. Igitur mons Gel- Osee. 4.
boe, inquit, nec ros, nec pluuia veniãt super te, neque sint agri primitiarum, id est, vniuersa valle gentium humilium supernè irrorata, & compluta vt abundet frumento vt edant pauperes & saturentur, & laudent dominum, vos alti & superbi, neque rorem, id est spiritum sanctum, neque pluuiam ac- Esa. 5.
cipiatis, id est, salutaris doctrinæ verbum. Nam & nubib. meis mandabo, ne pluant super vos imbrẽ, nubibus (inquam) meis, id est, Rom. 9.
Apostolis meis mandabo vt vestræ superbię subtrahant, pluantque gentibus prædicationem euangelij. Itaque non eritis agri primitiarum, non erit primitiua messis, quæ de vobis hoc tempore deportetur in illud cæleste horreũ, donec subintret plenitudo gentiũ. Tunc enim reliquiæ saluæ fiẽt ex vobis, erit que nó iã primitiua, sed serotina messis. Quare? (Quia ibi abiectus est clypeus fortiũ, clypeus Saul quasi non esset vnctus oleo.) Ibi, inquam, id est, in superbia vestra, ego abiectus sum, qui solus sum clypeus fortiũ, qui Ioan. 19.
esse debuerã clypeus Saul, id est, defensio vel protectio furiosi vel arreptitij populi huius.

Vestro

Universidad de Deusto
Biblioteca

II.REG. CAP. II. Vestro nanque suasu negauit me ante faciē Pilati, negauit(inquam) dicens, non habemus regem nisi Cæsarem. Quid hac negatione nisi clypeum suum,clypeum fortium abiecit,quasi non esset vnctus oleo. Ibi(inquā) me abiecit,quasi non essem ego Messias,nō essem Christus, non essem vnctus spiritu S. testimonium habens à sanguine interfectorum,ab adipe fortium, scilicet malignorum spirituum, vel impiorum hominum, quasi nullam omninò prædam tollere possem de manibus inimicorum meorum.

Ioan. 18.

De oraculo,quo Dauid in Hebron ascendere iubetur, & quid mystitū in Christo significet ille ascēsus eius.

CAPVT XXII.

2.Reg.2. IGitur post hæc consuluit Dauid Dominum,dicens. Num ascendam in vnam de ciuitatib. Iudæ? Et ait Dominus ad eum, Ascende. Dixitq; Dauid,Quo ascendam? Et respondit ei, In Hebron.) Hactenus profugus, hactenus exul plorauit,& fleuit multa amaritudine inebriatus,nūc aūt repatriare & regnare obediēter paratus, in tabernaculo dei sui cantare & psallere vult,videlicet in exemplum eius,cuius in persona ipse loquitur. Paratum cor meum Deus, paratum cor meū, cantabo & psallam in gloria mea. Nempe & huic consulenti, num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda. Ascē de(inquit)in Hebrō. Et illi in sepulchro velut responsum patris præstolanti,quippe qui non à semetipso venit,sed obedienter cūcta fecit. Exurge(inqt) gloria mea, exurge psalterium,& cithara. Et ille protinus, Exurgā(inqt)diluculo. Et quasi iussus ascendere in Hebron, libenter hoc accipiens. Confitebor tibi(inquit) in populis domine,& psallam tibi in nationibus. Hebron nanq; ciuitas,sepulchrum erat Abraham, Isaac, Iacob,& maximi Adæ, sicut in libro Iesu Naue scribitur. Vnde & Chariathar be dicitur, Nomē(inquit) Hebron antea vocabatur Chariatharbe, quod interpretatur quatuor. Adā maximus ibi inter Enacmim situs est. Hebron itaq; regni Dauidici principium,propter Abraham quidem, Isaac, & Iacob ibi sepultos, populum significat Iudaicum,propter Adam autem maximum ibidē situm vniuersum designat genus humanū. Proinde Dauid rectè & in persona sua in Hebron ascendere iubetur, & in persona Christi cantare docetur, confitebor tibi(inquiēs) in populis domine, & psallam tibi in nationibus. Attamen consulens in vnam tantū quæ rit ascendere de ciuitatibus Iuda,quia videlicet non nisi in vna vnius fidei ecclesia Christus regnat.

Pſal. 107.

Pſal. 56.

Ioſue 15.

De Abner,qui prius aduersarius Dauid, postea transtulit regnum ad Dauid,quod in illo forma quædam sit Apost. Pau.de eadē tribu Beinamin. Et quid significet ludus ille,in quo pueris ex vtraque parte simul cantibus, idem Abner velocissimum Asahel auersa hasta percussit in inguine.

CAPVT XXIII.

ABner autem filius Ner princeps exercitus Saul,tulit Isboseth filium Saul, & circunduxit eum per castra, regemque constituit,super Galaad & super Iesuri & super Iezrael, & super Ephraim, & super Israel vniuersum.) Pro Iesuri verius legitur Asuri, id est,tribus Aser. Abner primo quidē Dauid aduersari⁹, & aduersæ partis dux,postea verò transferens regnum de domo Saul,vt eleuaretur thronus Dauid super Israel,& super Iudam,quomodo iurauit ei Dominus, quem alium,nisi Paulū de tribu Beniamin significare arbitremur? Abner quippe patris lucerna. Isboseth verò vir confusionis interpretatur. Patris autem lucerna procul dubio iam in præsentia dei Paulus erat,cùm adhuc circumduceret Isboseth, id est, cū adhuc cōfusionem Iudaicam defenderet, veruntamē in factis præsentibus cæcus vtpotè persecutor & blasphemus inimicus Dauid erat. (Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filij Saul de castris in Gabaon. Porrò Ioab filius, Saruiæ & pueri Dauid,egressi sunt & occurrerunt eis.) Ac deinceps.(Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul. Et post pauca: percussit ergo Abner Asael auersa hasta in inguine & transfodit eum,& mortuus est.) Hęc pugna dupliciter,id est,tam allegoricè quàm iuxta anagogen,discret um lectoris sensum ædificat. Allegoricè quippe illā designat pugnā, qua inter se Iudæi Gentesque credentes,in primordijs euangelicæ fidei confligebant. Nam Iudæi dicebant, Nos sumus populus Dei quos ab initio dilexit & fouit. Nos circuncisi, ex genere Abraham,ex stirpe sancta discendimus,& notus retroseculis tātum in Iudæa Deus, vos autem canes potius quā homines, idolis ab initio deseruiuistis. Et his similia. Econtrariò gentes respondebāt. Quanto maior erga vos dei beneficia narraueritis,tanto maioris vos criminis reos esse mōstrabitis. Semper em̄ his omnibus extitistis ingrati,& nunc tandem dūm Christum, prophetarum semper vobis vocibus repromissum,non solū suscipere noluistis,sed etiā morte pessima peremistis. Ita cōtra se pugnā tes, gladios vtiq; linguæ suæ in latera cōtraria defigebant, simulq; cadebant. Quod tandem Abner?(Auersa(inquit) hasta percussit Abner Asael in inguine,& trāsfodit eum, & mortuus est.) Asael quod interpretatur tollens siue sustollens Deum. Asael,inquā, cursor velocissimus, ipse solus cunctos designat, qui supra dicto modo hinc & inde contendendo communem omnium deum, invtramlibet partem tollere conabantur. Abner

Abner autē, id est,patris lucerna, qui Asael auersa transfoderat hasta,ipse est,vt prædictum est,Paulus Apostolus, qui ita contendentibus Iudæis atq; Gentib. peccata sua nō impetu aperto improperat, sed velut ex obliquo tranquille & quasi parcendo commemorat in illa quam ad Romanos scribit epistola. Iuxta anagogen verò, cuius Asael typum tenuit,nisi eorum quos vehementer arripiens furor in præceps ducit? Qui in eodē furoris impetu, tanto cautè declinandi sunt, quanto & insane rapiuntur. Vnde & Abner quod patris lucerna dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ supernum dei lumen indicat, irascentem atq; furentē declinans, verborum iacula reddere dissimulat. Sed cū iracundus insanire non cessat, necesse est,vt quædam subtiliter proferat,in quibus ex obliquo furentis animum pungat. Vnde & Abner cū contra persequentem subsistit, non eum recta, sed auersa hasta transforauit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertæ persecutionis obuiare. Auersa verò hasta persequentem ferire est, furentē tranquille ex quibusdam tangere, & quasi parcendo superare. Asael autē protinus occumbit, quia cōmotæ mentes dum & parci sibi sentiunt, & tamē responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo,quod se erexerant statim cadunt. Qui ergo à furoris sui impetu subleuantis percussione reliliunt, quasi sine ferro moriuntur.

De morte Isboseth filij Saul, & quid per eam mystic̄ intelligatur.

CAPVT XXIIII.

2.Reg. 4. DVo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Baana,& nomen alteri Rechab filij Remmon Berothitæ. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fuerūtq; ibi aduenæ, vsq; ad tempus illud,&c.) Duo viri isti principes,principes erant super expeditionis Isboseth. Mortuo autem vt Hebræi tradunt, Abner consiliati sunt cum Mifiboseth,vt vna interficerent Isboseth,& eundem Mefiboseth cōstituerent regem,& eiusdem consilij, delatorem eundem Mifiboseth extitisse,& idcircò hic idem Mifiboseth subintroducitur hoc modo. (Erat autē Ionathæ filij Saul filius debilis pedib. Quinquennis enim fuit,quando venit nuncius de Saul & Ionathan ex Iezriel,&c.) Vidētes verò Baana & Rechab à Mifiboseth suum proditum esse consilium, timore perterriti,fu-

2. Reg. 7. ga lapsi sunt in Gethaim, fueruntq; ibi aduenę vsque ad tempus illud. Tempus illud intelligendum est, quando inde reuersi domū Isboseth feruente die ingressi sunt,assumentes spicas tritici,& percutientes eum in inguine. Spicas tritici, quasi causa primitiarum,tulerunt,vt honorem regi deferre viderentur, & eorum dolus nequaquam deprehenderetur. Ex hoc loco moralis spirat suauitas. In inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforari. Si quidem ostiaria triticū purgat,cū mentis custodia discernendo virtutes à vitijs separat. Quæ si obdormierit,in mortem proprij domini,insidiatores admittit. Nequaquā verò Isboseth iste, id est,vir confusionis,hac morte succumberet,si non ad ingressū domus mulierē,id est, ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis nanque virilisque sexus præponi cordis foribus debet,quē nec negligentiæ somn⁹ opprimat,nec ignorātiæ error fallat.

De adductione arcæ domini, & quòd illud tripudiū Dauid prophetæ,& regis salientis,de magna humilitate & sapientia processerit.

CAPVT XXV.

COngregauit autem Dauid omnes electos ex Israel triginta millia, surrexit 2.Reg.6. que Dauid & abijt, & vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, & adduxerūt arcam Domini exercituum, sedentis in Cherubin super eam. Et imposuerunt arcam dei super plaustrum nouum,& cætera.) Quæ ista prophetæ festiuitas fuit? Prophetæ dicā, an regis? Imò melius prophetæ simul & regis. Ipse nanque qui in illum directus est spiritus domini, prius illum prophetam quàm regem effecit, priusque illi mysteria futuri domini & filij sui magni regis Christi ostendit, quàm thronum ascendere concederet præsentis regni Israelitici. Quæ ergo fuit illa tanta solēnitas prophetæ & regis,in dedu ctione arcæ domini? Ierunt(vt in Paralipomenon locupletius scriptum est) ad portandam arcā fœderis domini de domo Obeth Edom cum lætitia. Cumque adiuuissent dominus Leuitas, qui portabant arcam fœderis domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes. Dauid autem indutus erat Ephod lineo, vniuersusq; Israel deducebat arcam fœderis domini in iubilo,& sonitu buccinæ & tubis,& cymbalis,& nablis,& citharis concrepantes,&c. Num hæc frustra vel absente sancto prophetię spiritu facta sunt? Si ad cantū vnius psaltæ sanctum prophetiæ spiritum Helisæus in pectore suo suscitauit, sicut scriptum est, nunc autem adducite mihi psalten, cumq; caneret psaltes, facta est super eum manus domini, & ait. Hæc dicit Dominus, facite in alueo torrētis huius fossas, quanto magis in illo tanto iubilo tantoque buccinæ sonitu, tubarū quoque & cymbalorum,atque citharārum concrepitu, eui gilasse credendus est idem, qui & in isto erat spiritus, præsertim cùm ipse rex quasi regalis oblitus fastigij luderet, ac totis viribus saltaret ante arcā domini, in tantum vt vxori suæ Michol videretur despicabilis? Num lasciuiente iuuenili sanguine,& non potius cō fringente cor humile magna spiritus Dei fortitudine sic lusit, & sic saltauit rex magnus rex manufortis,tanto magnus & fortis, quā to paruus & vilis in oculis suis?

2.Para.15.

1.Para.15.

1.Reg.3.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd illa deductio arcæ domini, gloriam resurrectionis Christi figurârit, & quòd illa decantatio citharizantium sonum & verba significauerit prædicatorũ, quæ in omnem terram exierunt.

CAPVT XXVI.

IGitur quòd confirmato regno Dauid super populum Israel, tanto totius regni tripudio deducitur arca fœderis Domini, eius rei typus est, pro qua totus hodie tripudiat orbis, quia videlicet resuscitato à mortuis rege magno, rege manuforti & desiderabili Christo, postquam gloria & honore coronatus, & constitutus est super opera manuum patris, continuò per mundũ vniuersum, resurrectio ꝓdicata est eiusdẽ regis victorioſi. Etenim sicut alibi plenius iam dictũ est, arca mirabilis, arca totos in se continens thesauros vniuersæ diuinitatis, fabrica est humani corporis, quod Dei filio spiritus sanctus de virginali vtero compegit, & huius arca illa typus extitit. Nam reuera super hanc arcam inuocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubin super eam, imò ipsa vocatur domus exercituum, propter plenitudinem scientiæ totiusque diuinitatis corporaliter inhabitantis in ea. Decantabat itaque populus domini in Israel, & vniuersa multitudo Iacob canebat legitimè. Dauid quoque cum cantoribus, citharam percutiente, sonus cantantium in toto mundo auditus. Nã non sunt (inquit) loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, subauditur dicentium. In sole posuit tabernaculum suũ, &c. Cæli, qui hanc enarrant dei gloriam, scilicet Apostoli, ipsi sunt iuxta præsentis loci mysterium, Asaph, Idithun, Eman, & Ethã, id est, congregantes & transilientes, robusti & fortes, congregantes videlicet spiritualia, transilientes carnalia, robusti ad mala toleranda, fortes ad bona peragẽda, & omni studio in citharis canentes pro octaua, id est, in omnimoda mortificatione carnis resurrectionem testificantes, quæ dicitur octaua. Iuxta literam pro octaua canebant, quia in sexto Psalmo qui hoc habebat, in titulo incipiebant. Pro octaua Iudæi putant pro circũcisione, nos autem pro illa qua innouandi sumus meliori circuncisione, id est, carnis resurrectione. In medio illorũ stabat Dauid, tenens & ipse psalterium, citharamque percutiens, ac totis viribus subsiliens. Ipse nanque dixit: Sine me nihil potest facere, & ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, pulchris digitis suis, id est, spiritus sancti donis, pectora concutiebat Apostolorum, vt non tacerent aut deficerent, quodãmodo subsiliens, id est, mira quib. adiuuarentur, & sermo illorum confirmaretur, per ipsos opera faciens.

Psalm. 12.

Ioan. 25.

Matth. 25.

Quid sit plaustrũ nouũ, & quæ sit domus Abinadab, & quid despectio Michol filiæ Saul, prospicientis per fenestram.

CAPVT XXVII.

ET imposuerunt (inquit) arcam Dei super plaustrum nouum, tuleruntq; eam de domo Abinadab.) Plaustrum nouũ quo hæc arca fœderis domini portatur, nouum est Christi Euangeliũ, quò resurrectio eius, vt prædictum est, in toto mundo annunciatur. Nã quatuor plaustri rotæ, quatuor sunt euangelistę. Domus autem Abinadab, quòd interpretatur populi mei spontaneus, dom⁹, inquam, Abinadab, id est, Christi, qui populo suo spontè semetipsum dedit, quondam synagoga fuit, nunc autem domus eiusdem ecclesia est, quæ illa inuidente fidem suscepit resurrectionis Christi. Et nunc quidem illa ludentem atque subsilientem irridet nostrũ Dauid, blasphemo non parcens ori, quemadmodum hic Michol filia Saul, prospiciẽs per fenestram subsilientem atq; ludentem corã domino, despexit in corde suo Dauid. Futurum est autem vt dicat. Nesciui, anima mea turbauit me, propter quadrigas Abinadab. Nesciui, inquam, anima mea inopinata rerũ mutatione conturbata est, & non intellexi quadrigas euangelij, portantes arcam dei de domo Abinadab. Cùm enim plenitudo gentium subintroierit, tunc ista Michol non iam prospiciendo per fenestram despiciet gloriosum regem Dauid, sed & ipsa sequetur, imò & suscipiet arcam domini, fidem resurrectionis Christi. Nunc interim per fenestram quasi prospicit, quia tantis interesse nolens gaudijs, velut in abscõdito insidias machinatur, quid vel vnde blasphemare possit.

Cant. 6.

Rom. 11.

Quòd Dominus percussit Ozam, eò quòd tetigit arcam domini, exemplum esse, quòd nõ debeat vita prælatorum à subditis temerè reprehendi.

CAPVT XXVIII.

HAio & Oza filij Abinadab minabant plaustrum nouum. Postquam autem venerunt ad arcam Nachar, extendit manũ Oza ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam. Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate.) Iusserat idẽ Abinadab duobus filijs suis Oza & Haio, vt portarent arcam domini humeris suis, & quia neque ipsi eam portauerunt, neque Caathitis ad portandum dederunt, id circò Oza morte mulctatus est. Fuit enim peccatum in non portando, in sustinendo arcam iã pœna peccati. Nã de Oza traditur, ꝙ aruisset brachium eius, & humerus vbi arca domini portanda fuerat, & in illius loco diuisio quædam facta est. (Auertit arcam domini, in domum Obeth Edom) Obeth Edom Leuita erat, & ignorabat Dauid, ob quã causam indignatio Dei venisset in Ozã. Postquam verò cognouit causam, pro qua Oza percussus est, iussit eam portari in humeris, sicut sequẽtia monstrant. Porrò mysticè per

sticè per hãc similitudinem vehementius cõmonemur, ne quando nos otiosi aut vacui cũsimus, humiles arcæ Dei portitores, si quando excesserint veluti boues calcitrantes, temerè iudicemus. Verbi gratia: Facta est contentio inter discipulos Iesu, quis eorum videretur esse maior. Item in actibus Apostolorum. Facta est dissensio inter Barnabã & Saulum, ita vt discederent ab inuicem. Vbi hæc vel huiusmodi euenerunt, boues vtique calcitrantes arcam declinauerunt. Nam & Paulus dicit: Scriptum est in lege Moysi. Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bob⁹ cura est Deo? An propter nos vtique dixit. Nam propter nos vtiq; scripta sunt. Igitur ad reprimendam contra rectores, reprehensionis audaciam. Iratus est inquit dominus contra Ozam indignatione, & percussit eum super temeritate, quia videlicet qui sanctorum infirma respiciunt, & non potius quia conualuerũt de infirmitate, fortes sunt in bello, ibi contra semetipsos diuinum prouocant iudicium. Aliter quoque & iuxta moralem sensum, quid mens iusti, nisi arca est testamenti? Quę gestata bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquã etiam qui benè præest, subiectorum populorum confusione cõcutitur. Sed perdit vitam qui arcam Dei tumidè subleuat, quia nequaquam quis sanctorum corrigere facta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Vndè & Leuites idem rectè Oza dicitur, quòd videlicet robustus domini interpretatur, quia præsumptores quiq;, nisi audaci mente robustos se in domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma, iudicarent.

Luc. 2.

Act. 15.

Deute. 25.

1. Cor. 9.

Hebr. 11.

Laudabilem esse deuotionem Dauid, qua domum domino ædificare voluit, & quòd nemo dignam domino domum ædificare potuerit, nisi solus Christus.

CAPVT XXIX.

II. REG. VII. FActum est autẽ cum sedisset in domo sua rex, & dominus dedisset ei requiem vndique, ab vniuersis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam. Vidésne, quòd ego habitẽ in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium, &cætera.) Hæc dignè & laudabiliter dixit, vt non ingratus, vt æquus ponderator, vel æstimator dignitatis vel beneficiorum Dei. Nec verò casu vel frustra, sed nutu Dei hæc illi in mentem cogitatio venit, vt videlicet per hanc occasionem benè præparata mente ac deuoti cordis apertis ianuis, repromissionem dignè acciperet domini sui filij sui, Christi regis æterni, qui solus sciret ac posset domum ædificare ad habitãdum, Deo viuẽti. Porrò Nathan dicendo. (Omne quod est in corde tuo vade & fac, quia Deus tecum est,) ex se, non ex sermone Dei locutus est. Illud verò quod sequitur, hæc dicit dominus. (Nunquid tu ædificabis mihi domum, &c.) ex sermone domini dixit: Itaq; iam nunc dulcissimum præsentis loci mysterium ingrediamur, & ad laudem Christi filij Dei cuius hic repromissio est, misericordias domini in eternum cantandas digno fidei auditu suscipiamus. Primumq; est, vt in Dauid sanctos vel iustos omnes æquè perpendamus, qui fuerũt ab initio, vsq; ad aduentum Christi filij Dei, quos, quia cuncti peccato obnoxij fuerunt, non potuisse constat ędificare domũ nomini domini. In Salomone autem eundem Christum Dei filium, quem quia peccatum nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, domũ ædificasse confitẽmur. s. ecclesiam Dei viuentis de sanguine suo, quem fudit pro nobis, & de spiritu suo sancto quem dedit nobis.

Quòd ait. Cumq; impleti fuerint dies tui, & cætera, ecclesiam promissam esse Christo secundum carnem, & super illo Psalmum illum esse. Misericordias domini in æternum cantabo.

CAPVT XXX.

NVnquid ait, tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitaui in domo, ex die illa qua eduxi filios Israel de terra Aegypti, vsq; in diem hanc.) Ac si diceret: Non poteris mihi domum ędificare, quia vir sanguinum es, & multum sanguinem effudisti. Amplius autem non poteris mihi domum ædificare, domum inquam, id est, ecclesiam, in qua mihi complacitum sit per gratiam inhabitare, quia videlicet cum proprijs non careas, peccata populi nequaquam potes tollere, quòd est reuera Deo domum ædificare. Econtra. (Prædicit ait tibi dominus, quod domum faciat tibi dominus.) Non tu illi, sed ille tibi domum ædificabit, in qua tu, & per communem fidem quidem domestic⁹ fis, & per gratiæ priuilegium honorem obtineas paterni nominis. Nam ecce sustine me, audi & hoc ipsum per me prophetam suum prædicit dominus tibi, vel certè illud quod nunc per me internuntium eius audis, ipse tibi velut eximio prophetæ per spiritum sanctum postmodum reuelabit. (Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quòd egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.) Ac deinceps. (Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter.) Maiestas dictorum atque sensuum omnino prohibet hæc, de alio quolibet intelligi, quã de Christo vnico filio Dei, & filio Dauid, secundum diuinitatem domino Dauid, secundum carnem autem filio Dauid. Cuius enim nisi huius thronum firmauit Deus vsque in sempiternum? Aut de quo alio aliquando dixit, aut dicere debuit. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Igitur larga & admiranda vicissitudine, dum pauper & angustus homo, immensũ & incõprehensibili Deo, domum manufactam ædificare cogitat, Deus econtrario, quòd homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni impossibile erat, eidem domum æternam, in qua veraciter & ipse Deus inhabitet, ædificaturum se pronunciat. Sic enim propheta loquitur. Prædicitq; tibi dominus, scilicet pater, quòd domum tibi faciat dominus, scilicet patris filius. Et reuera domus Dei, quæ sancta est ecclesia, ipsa est domus Dauid, in qua pater Christi Deus secundum diuinitatem, Dauid autem pater Christi nominatur secundum carnem. Inde illa magnifica æternarum cantatio misericordiarum, quas latitudo cordis ore angusto satis exprimere nō valens, contendit hoc modo. Misericordias do-
Psalm. 88. mini in æternum cantabo. In generatione & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo. Quas enim misericordias cantabis ô homo, quā veritatem meam annunciabis ore tuo? Quoniam dixisti (inquit) in æternum misericordia ædificabitur in cælis, præparabitur veritas tua in eis. Et reliqua vsque ad finem Psalmi dicta prophetica, tanti fulgoris & tantæ charitatis quantum pretiosę fidei aurum in pectore Dauid igne suo cōflare potuit, excitatus spiritus pietatis. Sedebat enim effuso corde suo coram domino, post auditū tantę promissionis, & dicebat. (Quis ego sum domine Deus, quia adduxisti me hucusque? &cæ. Sanè quod hic dictum est qui si iniquè aliquid gesserit arguam eum, in virga virorū & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo, in Psalmo prædicto citius expeditum est. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorū, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autē meam non dispergam ab eo. Neq; enim iniquum aliquid acturus erat ille filius Dauid sanctus sanctorum, quòd arguendum esset in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, sed filij eius qui sumus nos, sine peccato non sunt, imò multæ iniquitates nostræ, multa peccata nostra sunt, quæ in virga meritò visitentur, & purgatorijs verberibus expientur, non amota tandem misericordia, si non sit peccantiū dura & impœnitens pertinacia. Veruntamen vtriusq; loci vna est sententia, quia videlicet filiorum pater ille super se peccata tulit, & ipse est caput totius, cuius membra sumus corporis. Et huius quoq; veritatis firmitas in illo typico Salomone templi manufacti ædificatore, præcesit. Nam & ille legem domini dereliquit, & filij eius reges Iuda in iudicijs domini non ambulauerunt, nam præter Dauid & Ezechiam & Iosiam omnes peccauerunt, Deus autem in virga iniquitates eorum visitauit, & misericordiā suam non abstulit ab eis, quando iuxta veritatem Dei iuramento firmatam cum Dauid nasceretur ex eis, qui sicut iam dictum est misericordiam, vel misericordiæ domum ædificaret in cælis.

De eadem promissione, et quòd non antea Dauid promissionem accepisset quòd de semine eius Christus nasciturus esset.

CAPVT XXXI.

QVis (inquit) ego sum domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usq;? Sed & hoc parum visum est in cōspectu tuo domine deus meus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum.) Quamuis propheta Dauid, quamuis psaltes inclytus voces iam edidisset, directi in se, à prima vnctione sua spiritus domini, nondum tamen illud acceperat quod summū est suæ felicitatis, videlicet, quòd de illo nasciturus esset salus sua Christus, salus, inquam, & expectatio non tā tum ipsius, sed & totius mūdi. Nam expectabatur quidem Messias de tribu Iuda, sed non etiam de domo fidelis Dauid. Hic primum illud audiuit, & idcirco velut attonitus in admirationem suę benedictionis exclamans, de semetipso quis nam esset requisiuit. Nec verò isto contentus fuit, nisi locum quoque sciret, vbi nasceretur ille dominus Deus suus, & filius vteri sui. Afflixit igitur se, & humiliauit animam suam pro hoc, orās reuelari sibi, quo nasciturus esset in loco, quemadmodum testatur ipse in alio Psalmo: Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascēdero in lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē, & requiem temporibus meis, donec inueniā locum domino, tabernaculum Deo Iacob. Quam arctissimè se afflixerit nobis aperuit, & continuò subiunxit, quia exauditus sit. Nā adhuc in afflictione positus repentè reuelante spiritu, lætabundus exclamauit. Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in cāpis syluæ. Quo dicto non solum vbi nasciturus esset Christus se in spiritu audisse asseruit, sed & quò transferenda esset illa arca domini, arca sanctificationis Dei, illa in qua habitat corporaliter plenitudo diuinitatis natura *Col. 2.*
hominis, ex semine ipsius Dauid. Nā Ephra- *Luca 2.*
ta ipsa est Bethlehem ciuitas Dauid, in qua cōpleti sunt dies Mariæ, vt pareret, & peperit primogenitum filium suum. Campi autem syluæ sumus nos gentes, campi, inquam, syluæ, id est, nunc effecti campi cultiles, & bonarum frugum fertiles, cùm antè fuerimus syluæ malignis spiritibus, qui vtiq; crudeles sūt feræ, secreta in nobis cubilia præbentes. Itaq; cū dicit audiuimus eā in Ephrata, inuenimus eā in cāpis syluæ, profectò & vbi primū audiēda, & vbi tandem inuenienda sit incarnatæ diuinitatis arca, sibi testatur intimatum esse.

Quid velit, dicendo, Ista est lex Adam.

CAPVT XXXII.

ISta est enim lex Adā domine Deꝰ. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te?) Tanquam diceret: Verè iuxta verbum tuum domine Deus, ego non ædificabo tibi

tibi domum ad habitandum, quam inhabites tu, quem non capit cælum, & cæli cælorum. Neque tu habitasti in domo ex die qua eduxisti filios Israel de terra Aegypti. Perspicuū autem est, quòd multò magis & antea nequa quam in domo habitaueris. Nam ista est lex Adam, lex vtique peccati, sub qua nos omnes
Ephe. 1. ille genuit. Sumus enim secundum illum & nos omnes natura filij iræ, sicut & cæteri. Idcirco neq; nos, neq; alij per nos, tua domus esse meretur, quia nemo nostrum est qui à sorde sit mundus, & omnes eadem gratia tua, id
Iob. 15. est, peccatorum remissione indigemus. Vnde dicit & alius. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mūdissimę manus meę, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimēta mea. Quid ergo contra sententiam tuam potero respondere? Nempè vt
Ibidem. ait idem qui supra. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentē ostēdere, prauum me comprobabis. (Tu enim scis seruum tuum domine Deus.) Scis, inquā quòd cum originali peccato, actualibus quoque peccatis non carēa ego seruus tuus. (Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc.) Parum erat dixisse propter verbū tuū, quod videlicet promisisti Abraham, Isaac, & Iacob, nisi addam & secundum cor tuum, id est, secundum gratiam tuam, secundum misericordiam tuā gratuitam, indebitam, nullis præcedentibus meritis retributam. Secundum cor tuum inquā. Quis enim & in hoc adiuuit spiritum tuum?
Esaiæ 45. aut quis consiliarius tuus fuit, & ostēdit tibi? Cum quo iniisti consilium, vt talem tibi prouideres architectum, qui de nobis ipsis tibi faciat domum ad habitandum? (Idcirco magnificatus es domine Deus, quia non est similis tui. Neque est alius extra te.) Nam omnes alij cultores suos infelices subtili decipiunt fallacia, tu autem sperātes in te mira atq; inopinabili saluas cordis tui prudentia. Sed hoc ab effectis melius, ipse probat dicens. (Quæ est autem vt populus tuus Israel gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum.) Iuit inquam illa videlicet via, vel cursu suo illo, de quo alibi loquitur hic i-
Psalm. 18. dem propheta. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Nam illa quidem via, qua populum suum de Aegypto terrena, & de manu Pharaonis carnei liberauit, iuit quidē Deus, sed non per semetipsum. Iuit quidem, sed non per propriam vnigeniti filij sui personam. Alia huius itineris gratia, & alia est gloria, quo propter gentem suam, gentem electam, de cęlo descendens in vterū virginis, homo factus ex semine huius fidelis Dauid, iuxta veritatem promissionis prę sentis, ad inferos iuit, per passiōem mortis, vt redimeret eam sibi in populum, quam captiuauerat in Adā spiritualis ille Pharao princeps tenebrarū. (Propterea (inquit) inuenit seruus tuus cor suum, vt te oraret oratione hac.) Vidilicet, qua reuelasti aurem serui tui, dicens, domū ædificabo tibi. Inuenit quippe cor suum, qui in principio huius orationis dixit: Quis ego sum, nam econtra, qui se existimat aliquid esse, cùm sit nihil, profectò necdum cor suum inuenit, sed ipse se seducit. Ergo cor suum inuenit, qui nullum esse suum meritū perspiciens, solam in dilectione sua cognoscit gratiam Dei, verè confitens, quod secundum merita, non gloria, sed pœna, non honore, sed abiectione dignus sit.

De cōsolationibus eius, quòd qui septies fugerat Saul, septies triumphauit de hostibus, insuper sciens, quòd Christi pater futurus esset.

CAPVT XXXIII.

FActum est autem post hæc percussit Dauid Philistæos, & humiliauit eos. Et tulit *CA. VIII.*
Dauid frænum tributi de manu Philistijm.) Secūdum multitudinem dolorum meorum in corde meo (ait hic ipse Dauid) consolationes tuæ domine lætificauerunt animam me- *Psalm. 93.*
am. Hoc verè & secundum præsentes successus suos canere potuit rex vtrobiq; felix, scilicet temporalib. pariter & æternis. Dudum quippe profugus, & exul, nunc promissione accepta pater Christi futurus, septies de suis triumphat hostibus, qui vt supra taxauimus septies persequentem fugerat Saul. Supra se-
2. Reg. 5. mel & iterum percusserat Philistæos, primò in Baalpharasim dicens: Diuisit dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ, & propterea vocauit nomen loci illius
Ibidem. Baalpharasim. Secundo in valle Raphaim dicente domino: Non ascendas obuiam eis, sed gyra post terga eorū, & venies ad eos ex aduerso pirorum. Veruntamen in Hebræo nō pirorum legitur, sed flentium, id est, idolorū. Quæ idcirco flentium vocantur, quia fletu digna sunt, & eos qui ea colunt ad fletum miseriarum perducunt. Tradunt Philistęos idolum habuisse, cui in lachrymis hominum sacrificium parabatur. Huic illi more suo lachrymis sacrificabant, & eis ex aduerso venit Dauid. Tertio nunc percussit Dauid Philistæos vt iam dictum est & humiliauit eos, & tulit frenum tributi de manu Philistinorum. Frenum tributi quinque erant ciuitates Philistinorum, quæ frequenter Israel tributarium sibi faciebant, quas eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitq; eos sibi tributarios. (Percussit Moab, & mensus est funiculo coæquās terræ.) Quod profectò magnum est, præconium perfectæ victoriæ, quia quemadmodū quis terram funiculo metitur, sic eos distribuit ad placitum suum, alios reseruari, alios occidi imperans, sic repugnare non audētes, quomodo terra reluctari non nouit, aut dicere mensori suo, quare metiris me sic? Idcirco magnificè dictum est. (Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidēdum, alium

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. X. ad viuificandum. Percussit deinde Dauid Adar Ezer filium Roob regem Soba, & cum eo Syriam Damasci, quæ venerat vt ei præsidiũ ferret, facta est quoque Syria Dauid seruiens sub tributo. Posuit & in Idumæa custodes, & facta est Idumæa seruiẽs Dauid. Deinde percussit filios Ammon, & cum eo Syrum Sobath, & occidit de Syris septingentos currus, & quadraginta milia equitum, & Sobath principem militiæ percussit. Timueruntque Syri vltra præbere auxilium filijs Ammon. Istæ sunt septem victoriæ Dauid, quas si spirituali ter ad Christum referre voluerimus, vniuersas intelligemus vltiones, quæ & in Apocal. Apocal. 6. per septem angelorum, septem plagas nouissimas significantur, quibus voce magna de tẽplo dicitur. Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terra. Tot tantisque prosperis animæ & corporis Dauid, tanta tamq; dolenda succedunt aduersa itidem animæ & corporis, vt totum prius ædificium labentibus columnis in terram ceciderit, & nisi dominus supposuisset manum suam, iaceret proh dolor magna rum virtutum ruina incomparabilis, quem- Psalm. 93. admodũ & ipse dicit. Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset anima mea in CAP. XI. inferno. Accidit, inquit, vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem, viditq; mulierem se lauãtem ex aduerso super solarium suum. Erat autem mulier pulchra valde, &c.) Nota & celebris tanti huius euentus est historia, quia venit peregrinus quidam, scilicet diabolus ad hunc diuitem & regem Dauid, vt adipe peccati apud illum saginaretur. At ille par 1. Reg. 12. cens sumere de ouibus suis, quas multas habebat (multas enim habebat vxores, quibus licenter vteretur) tulit ouem pauperis, tulit ouem proximi, & ita preparauit cibos peregrino illi vago & instabili, nihil habẽti in domo vel ciuitate Dei. Et ille peregrinus talis saturatus edulio patrati adulterij, sanguinẽ quoque Vriæ sibi in poculum poposcit, & hic nihilominus dedit. Nam gladio filiorum Ammon Vriam interfecit. Magna huius tam magnæ turris ruina magnum spectaculũ, in quo quisque nostrum videat, quia nunquam dum viuit, de statu sui firmitate securus esse debet. Itaq; gloriam regis & præsentibus victorijs illustrati, & futuri seminis sui beata spe, per promissionem suprascriptam dilatati, magna miseriæ nebula penè totam cooperuit. Nam propter malum hoc, & postmodum de regno fugit, iuxta sermonem domini dicentis: (Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis solis huius. Tu enim fecisti absconditè, ego verò faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in cõspectu solis.) Et in præsentiarum timuit, ne ob culpam suam pœniteret dominum, & immutaret promissionẽ suam, qua iurauerat dicens: De fructu vẽtris tui ponam super sedem tuam. Hoc timuit istam calamitatem ne sibi obueniret, expauit. Sed vertit se ad munitionẽ spei. Præsumpsit spiritum consilij & fortitudinis, & offenso Deo, peccator homo consiliarium se Psalm. 131. ingerere non dubitauit. Dixit enim pœnitẽs in oratione, quã pro hoc peccato effudit. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum Psal. 50. iudicaris, subauditur, miserere mei. Tanquã diceret: Quæ enim iustitiæ laus, si fideli suo quis fidem promisi sui custodiat? Verùm illic magnæ & prædicandæ iustitię laus est, vbi quamuis offensus, quamuis irritatus, qui promisit, fidelis permanet, & hoc tantum respiciens, quia iurauit, fidem retinet, promissum Psalm. 118. adimplet. Vt igitur iustificeris in sermonibus tuis, vt narretur in gentibus, quia nec tanta iniquitas mea fidem tuam euacuauit, clameturq; à cunctis auditoribus placiti tui, Deus verax, omnis autem homo mendax, miserere mei. Ita fiet, vt vincas cum iudicaris, quoniam tu te libenter iudicijs offers, dicens in alio propheta. Quis est qui iudicetur mecum, ve- Esaiæ 44. niat, stemus simul, narra si quid habes, vt iustificeris. Quanta enim iustitiæ victoria erit, Ibidem 50. cum nec illud narrari potuerit, quòd tu saltẽ mendacibus nobis veritatem tuam obseruare neglexeris? Non denique paruam in gloriã Psalm. 67. tuam, veritas tua in mendacio nostro abundabit. Suscepit consilium peccatoris Deus mi Matth. 1. serabilis, Deus fidelis in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, tanquam prona in dulgentia sermonis sui fidẽ retinuit, vt Christum suum, de illo potissimum semine suscitaret, quòd de adultera Bethsabee natum est. Quòd volẽs nos venerabiliter scire Matthæus, tantæ scriptor genealogiæ, Dauid autem inquit rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.

Quale mysterium sit in lapsu eius in vxorem Vriæ, quẽ gladio filiorum Ammon interfecit.

CAPVT XXXIIII.

PRoinde & in isto damnabili facto Dauid, magnum à sanctis patribus subesse mysterium dignè anima duersum est, quòd tantum est, vt quoties per ora Christiana voluitur, meritò erubescat, & confundatur vehemẽter ille, qui venit ad Dauid peregrinus diabolus, quia dum nequiter prophetæ & regis deuorare quæsiuit animam, sacramenta sua præfigurantem, viriliter adiuuit Dei sapientiã. Cuius enim Dauid in solario deambulãs, nisi eius typum tenet, de quo scriptum est. In sole posuit tabernaculum suum. Bethsabee verò puteus septimus dicitur. Verius tamen Bethsabee legitur, quòd filia iuramenti interpretatur, ita tamen vt prima correpta sit syllaba. Alioquin vbi producitur, semper domus interpretatur. Vrias autẽ lux mea Dei. Quid ergo est, Dauid Bethsabee coniugem Vriæ ad se producere, nisi legem literæ, carnali populo Iudaico coniunctam, qui quasi de Dei luce gloriatur, spirituali sibi intellectu sociare? Porrò quòd Vrias ad Ioab cum epistolis mittitur, ex quibus debebat occidi, quid est, nisi quia ipse Iudaicus populus legẽ portat, qua conuincente moriatur? Itaque in hoc quoque aduentu suo, ciuitati Dei & regi eius Christo peregrinus ille seruiuit, quia res gesta, & si in superficie causa damnationis, in mysterio tamen est prophetia virtutis. Rem gestam sic damnamus, vt mysterium amplectamur.

Quòd cum pro facto ipso pœnã recipit, fugiendo à facie Absalon filij sui, quòd in ipso fuga, grande mysterium Christi sit.

CAPVT XXXV.

AMplius autem cum pro facto ipso pœnã recipit, fugiendo à facie filij sui Absalon, grande in eadem fuga sua, Christi filij sui spectat mysteriũ, videlicet psallẽdo in spiritu humilitatis, & componendo hunc psalmum, Domine quid multiplicati sunt qui tri- Psalm. 3. bulãt me, multi insurgunt aduersum me? Nã in eodem psalmo dicit: Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me. Planè hoc non suo, sed Christi spiritu dicit, qui vtiq; multis tribulationibus, multis aduersum se insurgentibus ac dicentibus, nõ Psal. 3. est salus illi in Deo eius, tandem cruci affixus, emittendo spiritum, obdormiuit, & profun- Matt. 27. da morte soporatus est, sed tertia die exurrexit, quoniam dominus suscepit eum, quoniã illa caro erat, quam de vtero virginis suscepit, sibiq; in vnam eandemque personam vniuit dominus Deus Dei verbum. Idcirco exurrexi, inquit, à somno mortis, solutis vide- Actor. 2. licet doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat me ab illo teneri. Igitur Absalon, quod interpretatur patris pax. Absalon inquam filius & hostis, imò non filius, sed hostis, cuius à facie pater fugit, ipse in mysterio est Iudas traditor, falsa patris & magistri pax, quem osculo pacis signo tradidit. Iudas inquam apostolus & diabolus, imò non apostolus, sed diabolus, cuius à facie reuera talis pater fugit, nam à ficto corde eius Christus, vel CHRISTI spiritus fugit, in quem satanas Matth. 27 introiuit. Et proinde pœna eius iustitiæ lau- Cap. 18. datorem maximè delectat, quia iudicio Dei mente captus se suspendit, in quo iã non mysterij profundum, sed ipsa rei gestæ superficies, Iudam & Absalon penè demonstrat esse pariles. Nam & iste pendens quercu mula cui sedebat pertrãseunte desertus, meritò in corde lanceas suscepit, & ille laqueo suspensus, & principum sacerdotum familiaritate, quam ascenderat malè desertus, dignas protinus sagittas, id est, æternæ damnationis & mortis sententias in anima accepit. Et ne parum putes, quòd vnus Absalon vnius Iudæ formam prætulerit, Achitofel quoq; consiliarius eius 1. Reg. 17. suo suspendio interijt.

Quòd Goliad fratrẽ Goliæ interfecit, et de reliquis fratribus qui ceciderunt in manu seruorum, & cur Dauid Adeodatus, Filius Saltus, cur Polymitarius, cur Bethlehemites, videlicet pro mysterio Christi, appelletur.

CAPVT XXXVI.

FActum est rursus prælium Philistinorũ 11. REG. aduersus Israel, & descendit Dauid & ser XXI. ui eius cũ eo, & pugnabant contra Philistijm, & c. Gob interpretatur lacus. In quo percussit, inquit, Adeodatus filius saltus Polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum.) Idcirco lacus dicitur, quia sicut in lacum leonũ quis mittitur, ita semetipsum contra Goliath Dauid misit. Adeodatus ipse est Dauid. Idcir co dicitur Adeodatus, quia à Deo est electus in regnum. Filius Saltus, quia de saltu vbi oues pascebat, est eductus. Polymitarius, quia de genere Beselehel mater eius fuit. Bethlehemites, quia Noemi & Ruth tempore vbertatis reuersæ sunt Bethlehem. Et quia panis causa Ruth à Booz nota est, propterea idem locus domus panis interpretatur. Quare autem hisce nominibus loco præsenti insignitur, cùm posset proprio nomine exprimi cõpendiosius? Videlicet pro mysterio magno, quia profectò non sine magno futurorũ præsagio quatuor isti nati de Arapha in Geth, quorum causa & quatuor istic bella taxãtur, ceciderunt in manu Dauid & seruorum eius. Arapha quippe est Orpha ipsa altera nurus Noemi, quæ ad populum suũ & ad deos suos Rut. 1. reuersa est, persistente Ruth in eo quod cœperat dicendo: Populus tuus populus meus, & deus tuus deus meus. Et ex illa videlicet Esaiæ 16. Ruth, Christus processit, iuxta illud Esaiæ. Emitte agnum domine dominatorem terrę, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. Christus inquam de illa petra, id est, muliere Gentili, sed firmiter fideli, Dauid iste & qui de semine eius natus est, Christus processit, ex ista autem, scilicet Arapha Goliath, & cæteri isti, Iesbi, & Saph, & vir excelsus qui sine nomine ponitur, senos habens digitos in manibus & pedibus. Fuerunt enim quinque, quorum duo scilicet Golias Philistæus, & frater eius Goliath Ethæus ceciderunt in manu Dauid, reliqui autem in manu seruorum eius. Num ergo absq; mysterio sic contigit, vt modo supradicto disparatæ duæ nurus Noemi, tam aduersas in alterutrum generationes æderẽt, & sic in manu huius stirpis illius monstra caderent? Igitur istis nominibus siue appellatio nibus Dauid, mysticè Christus designatur, & istis bellis quib. in manu Dauid & seruorum eius stirpis aduersæ fortes prosternuntur, eiusdem Christi bella spiritualia significantur, quibus inimicum omnium veritati mendacium destruitur. Nam Adeodatus ipse est, de Esaiæ 9. quo propheta cecinit. Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis. Filius saltus ipse est, qui in saltu huius seculi natus, filius hominis ouium spiritualium curam suscepit, suffocaturus leones & vrsos, qui sunt spiritus maligni. Polymitarius ipse est, qui cum patre Deo solis ac lunæ, stellarumq; opere vario cælum fabrefecit, imò & ecclesiam suam vario virtutum opere perornare non desinit. Bethlehemites

Universidad de Deusto
Biblioteca

mites ipse est, cuius aduentu ecclesia præsens Bethlehem facta est, id est domus panis, quę admodum dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Hæc planè, quæ dicta sunt, sequentis carminis verba confirmant. (Dominus (inquit) petra mea & robur meum, & saluator meus. Deus meus, fortis meus, & sperabo in eum, & cætera.) Nam aliquantis verbis demutatis carmẽ istud psalmus septimusdecimus est, quem prophetico spiritu in persona Christi decantari dubium non est.

Ioan. 6.

CAPVT XXII.

Qui tres fortes primi, & qui tres fortes secundarij, & qui triginta fortes fuerint, & quare Ioab, neq; inter tres, neque inter triginta saltem numeratus sit.

CAPVT XXXVII.

II. REG. XXIII.

HAec nomina fortium Dauid. Dauid sedens in cathedra sapiẽtissimus princeps inter tres. Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno, & cæt.) Post tam multa, tamq; ingentia facta Dauid, quæras fortè, quib. viribus, quibus vel quantis fretus ipse fortibus, illa perfecit. Et ecce fortium eius cuneus nobilis tibi denumeratur, cuneus inquam, triginta fortium, tribus fortibus, scilicet Abisai & Sobochai, & Ionathan filio Semmaa fratris Dauid, præacutus amplius tribus fortibus, id est, virtutibus, sapientia videlicet, humilitate, & fortitudine ipsius Dauid tot' solidus ac ferreus. Nam sedens in cathedra sapientissimus, ecce sapientia. Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, ecce humilitas. Qui octingentos interfecit impetu vno, ecce fortitudo. Tres ergo fortes computãtur in vno Dauid, quos & diligenter nobis scriptura cõmendare studuit, cum ait: (Abisai frater Ioab nominatus in tribus, & inter tres nobilior, eratq; eorum princeps, sed vsq; ad tres primos nõ peruenerat.) Idem enim est ac si diceret: Quamuis inter tres fortes nobilior, & eorũ princeps fuerit, tamen nec fortitudo eius fortitudini Dauid, nec sapiẽtia eius sapiẽtię Dauid, nec humilitas eius humilitati Dauid coæquari potuit. Sanè cur fortes isti scribãtur fortiũ fortissimi fuisse cũ Dauid, altera præcedens, altera subsequens causa euidenter ostendit. Præcedens videlicet, quia tres isti illi sunt serui Dauid, de quibus supra dictum est, Hi quatuor nati sunt de Arafa in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius. Nam cum quinque fuerint, duos quidem ex eis occidit Dauid, scilicet Goliam Philistæum, & fratrem eius Goliath Ethæum, singuli autem serui eius, isti singulos interfecerũt, videlicet Abisai & Iesbibenob & Sobochai Saph, Ionathan verò virum excelsum senos in manibus pedibusque digitos habentem. Altera & secundum præsentem descriptionem subsequens causa hæc est. (Desiderauit, inquit, Dauid aquam, & ait, Si quis daret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserũt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.) Igitur tres isti fortes quidem, sed (vt iam dictum est) vsque ad tres primos, id est, ad tres virtutes non peruenerant, ad quas peruenerat Dauid. Quare autem Ioab neq; inter tres, nec saltem inter triginta fortes numeratus est? Videlicet, quia non hic tantum vires corporis, sed potius virtutes animi spectantur, in fortibus Dauid. Porrò Ioab interfecerat duos viros iustos, meliores q̃ se, Abner filium Ner principem militiæ Israel, & Amasa principem exercitus Iuda, & effuderat sanguinem belli in pace, id est, in dolo vel pacis simulatione. Rectè ergo in numero fortium Dauid conscriptus non est. Attamen vtrunque scelus vna ipsius morte expiatum est. Quapropter sic de illo scriptum est. (Ipse (videlicet Banaias filius Ioiadæ) descẽdit & percussit leonem in media cisterna, in diebus niuis.) Leo iste Ioab fuit. In media cisterna, id est, in domo domini, vbi cornu altaris tenebat. Cisterna ideo dicitur, quia sicut aqua cisternę immundiciam aufert, ita etiam nihilominus hæc cisterna, id est, sanctuarium domini, peccata expiabat, in diebus niuis, quia per mortem peccatum expiauit. Notandum tamen, exceptis tribus fortibus primis, id est, tribus virtutibus Dauid, tres esse fortiũ subdistinctiones. Prima videlicet, qua conscripti sunt Abisai, Sobochai, & Ionathan, qui erant cum Dauid, sed non vsque ad sæpedictos tres primos peruenerant. Secundam, qua supputantur Eleazar filius patrui Dauid, Ahoites, & Semma filius Aggę de Arari, & Banaias filius Ioiadæ, qui ad tres non peruenerant, scriptura inquit, & primos non addit. Tertiam, qua cursu continuo triginta numerãtur, qui sunt hi. Asahel, Elehanan, Semmadech, Elichah, Eles, Hira, Abiezer, Mobommai, Selmon Macharai, Eleph, Itai, Banaia, Pharatonites Elbai, Abialbon, Azmauet, Eliaba, Semma de Arai, Aiam, Elifeleth, Eliam, Esrai, Farai, Gigaal, Bani, Selech, Naarai, Ira, Iareph, Vrias Ethæus. Itaque omnes in summa triginta septem legũtur, ita videlicet, vt primus sit Dauid, qui appellatur Adeodatus. Fortes istos in litera spectamus, fortes alios in spiritu requiramus.

2. Reg. 21.

Quomodo mysticè sedens in cathedra sapientissimus dominus Iesus Christus, & qui fortes eius primi, & qui secundarij, qui XXX. fortes sint, & qui sint duo de filijs Orpha, quos ipse percussit, qui reliqui tres, quos percutiunt viri eius.

CAPVT XXXVIII.

DAuid sedens in cathedra sapientissimus inter tres, dominus & filiꝰ huius Dauid Christus est, sedet enim iste in cathedra sapientissimus Dauid, sedet inquam, in sede maiestatis, dicente ad eum patre: Sede à dextris meis. Quinam sunt illi ad quos nullus fortium peruenit, tres fortes eius, nisi vnus deus, fortissimus pater, & filius, & spiritus sanctus? Etenim sola quidem filij persona, hunc hominẽ susceperit, & sola incarnata est, sed nihilominus fortis eius, pater, & fortis eius, spiritus sanctus. Pater, inquit, in me manens ipse facit opera, & ego in spiritu dei eijcio dæmonia. In hoc igitur sapientissimus pater est, in hoc & spiritus sanctus, spiritus humilitatis, quasi tenerrimus ligni vermiculus est, quo duce quasi vermem, & nõ hominem se conteri perpessus est, in hoc verbum dei est in vnam eandemq; personam vnitum homini, quod & fortitudo eius est, in qua percussit octingentos impetu vno, mortuus enim semel spoliauit inferos, & nunc sedens in cathedra, omnes iudicaturus est, viuos & mortuos. Quis omnium fortium angelorũ aut hominum hucusque peruenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet Apostoli primi prædicatores trinitatis quorum fortitudinẽ, & nominibus proprijs tres illi primi ordines fortes pulchrè exprimunt. Abisai nanq; patris sacrificium, Sobochai condensum, Ionathan domini donum interpretatur. Siquidem per illos resurrectionem sacrificati filij sui, testificando rugijt Deus pater, ita vt in omnem terrã sonus eorũ exiret, & ipsi velut cõdensi & valdè muniti aduersarijs restiterunt, & hoc totum non ex seipsis, sed domini confitentur esse donum. Fuerũt, inquam, tres isti fortissimi, veruntamen ad illos tres primos, nullus eos peruenisse credidit. Nam quis in nubib. æquabitur domino, aut quis similis erit deo inter filios dei? Prima tamen post magnum Dauid victoriæ palma meritò conceditur illis, quia videlicet de filijs Orpha q̃ interpretatur ceruix eius, duos quidem Dauid, hi autem singuli singulos interfecerunt ex illis. Duos quasi filios ceruicosi diaboli Christus interfecit, quando & primogenitam diaboli mortem animarum nostrarũ moriendo deuicit, & vitã corporum nostrorum resurgẽdo reparauit. Futurũ quod loquimur, quia profectò qui baptizati in morte eius, prima iam resurrectione resurreximus, secunda carnis resurrectione in vitam atq; in corruptionẽ resurgemus. Ergo qui vnum ex quinque lapidibus suis in frontem Goliæ coniecit, quasi ad lapidem alium manum protinus misit, vt Goliath fratrem eius percuteret, sed nondum omninò percussit, quia secundum carnem in semetipso quidem resurrexit, sed nostra mors in victoria eius necdum funditus absorpta est. Interim super alios tres Orpha filios fortes isti irruunt, eosq; percutiunt, quippe qui verbo dei omnem proterunt veritatis aduersariũ, scilicet Iudæũ, Paganũ, & hæreticum. Ita totum genus partis aduersæ, cadit in manu Dauid & seruorũ eius, dũ Christus & per semetipsum caput, & per fortes suos totũ debellat diaboli corpus. Post istos tres fortissimos, tres alij proximè subsequuntur, qui tamen ad eos nõ perueniunt, videlicet Eleazar, Semma, & Banais. Post Apostolos quippe martyres incedunt, pugnatores eiusdem trinitatis, fortes quidem & ipsi, vt meritò totũ in illis glorietur regnum Dauid. i. omnis Ecclesia Christi, veruntamen inferiores Apostolis. Post istos ordinantur & alij XXX. fortes, omnes videlicet glorioſi eiusdem sanctæ & individuæ trinitatis confessores, fideliter credendo, & præcepta decalogi fortiter adimplendo, facti insignes, ac proinde nos infirmiores ac plebeios, magni Dauid milites meritis præcipuis protegere valentes.

Psal. 112.

Ioan. 14. Luca 11.

Psal. 18.

Psal. 88.

2. Reg. 23. Galat. 3.

Cur Vrias Ethæus in numero triginta fortium positus sit, & quid, vel quomodo Dauid numerando populum deliquerit, & quid significet area Ornan Hiebusæi mystice.

CAPVT XXXIX.

ET addidit furor domini irasci contra Israel, cõmouitq; Dauid in eos dicentem ad Ioab. Vade & numera Israel & Iudã, &c.) Triginta fortium vltimus positus erat Vrias Ethæus, videlicet propter id q̃ sequitur, & addidit furor domini irasci contra Israel. Iã enim vltio facta fuit in Dauid, & in domo eius, in populo vero qui noluit resistere Dauid in perimendo Vria Ethæo, necdum vltio diuina facta fuerat. Porrò quid mysterij præsens locus contineat, ex eo maximè colligitur, quod ex occasione cædis constructa est domus domini in area Ornan Iebusæi, videlicet hominis Gentilis. Dixit enim Dauid, Hæc est domus dei, & hoc altare in holocaustum Israel. Et præcepit vt congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus domini, & cætera. Dauid ergo gloriabundus in multitudine exercitus, quem (vt in Paralipomenon legitur) incitauit Sathan, vt numeraret Israel, cuius, nisi carnalis populi Israel gloriantis in operibus legis typum tenet? arbitrari nanq;, q̃ ex operibus legis iustificetur, cùm Abraham non ex operibus, sed ex fide fuerit iustificatus, id planè est in curribus & in equis confidere, & quasi multitudinem exercitus numerare. Clamat hæc Apostolus. Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud deum, & cætera. Persistit in cõtentione pertinax Iudæus, & q̃ sola iustificare potest fide Iesu Christi contempta, numerosam sibi iustitiam arrogat ex operibus. (Immisit igitur dominus pestilentiam in illum Israel, de mane vsq; ad tempus constitutum.) Iuxta literam tempus constitutũ dicit, quando sacrificium vespertinum offerebatur. Cæterũ

II. REG. XXIIII.

1. Para. 22.

1. Para. 21.

Rom. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuxta mysterium hoc tempus constitutum est finis seculi, quãdo cessabit pestilentia hæc quæ nunc in populum illum desæuit. Cùm enim plenitudo gentium subintrauerit, tunc omnis Israel saluus erit. Interim moriuntur ex populo septuaginta millia virorum. Numerus iste ex septenario, denarioq; perficitur. Septenarius vniuersitatem, denarius Mosaicam solet significare legem. Igitur septuaginta millia virorum moriuntur, id est, qui contempta Christi gratia de operibus legis gloriantur, vniuersi condemnantur. Porrò in area Gentilis hominis angelus domini conspicitur, qui & præcipit prophetæ, vt dicat Dauid, cp ascẽdere debeat, & construere altare domino illic, quia videlicet omnis testatur scriptura prophetica, quòd in fide gentium vna sit Ecclesia Dei, extra quam ille angelus magni consilij qui reliquias Israel saluet, nequaquam inueniri possit.

Rom.11.

COMMENTARIORVM IN LIBROS
REGVM LIBRI II. FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LIBROS REGVM, COMMENTARIORVM

LIBER TERTIVS.

Quòd Salomon, cui viuens adhuc pater regnum delegauit, typum Christi gesserit iuxta versiculum psalmi LXXI. Deus iudicium tuum regi da.

CAPVT I.

ET rex Dauid senuerat, habebatq; ætatis plurimos dies. Verè iste Dauid senuit, habetq; ætatis plurimos dies, imò æternitatis, quemadmodum & Daniel, Aspiciebam, inquit, donec throni positi essent, & antiquus dierum sedit. Ac deinceps: Aspiciebam ergo in visione noctis, & eccè cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ seruient ei. Cumque operiretur vestibus ille antiquus Dauid, non calefiebat, inquit. Planè calor eius, charitas vel amor eius est, sanctus eius spiritus est. Nunquid ab illo calore suo vnquam senex iste, vel antiquus refriguit? Non vtiq; sibi, sed nobis, quos inter ipsumque propter peccatum primi hominis, paries inimicitiarum consurrexit. Nam in illo calor æternus, amor sempiternus, spiritus S. consubstantialis, & coæternus est. Verũ vbi primus homo contra illũ peccauit, calor amoris eius intrinsecus à genere humano iustè se abscondit. Operiebatur vestibus, honorabatur cæremonijs legalibus, at verò lex nihil ad perfectũ adduxit sacerdotiũ legis nullo modo cp hominib. Deo sacrificãdo satisfacere potuit. Itaq; cũ operiretur vestibus non calefiebat. i. cùm seruiretur illi prioris testamenti cæremonijs carnalibus, seruiẽtes sibi in gratia per spiritum reconciliationis recepit. Dixerunt ergo ei serui sui, Quæramus domino nostro regi adolescentulã virginẽ, & stet coram rege, & foueat eũ, dormiatq; in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt ergo adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisach Sunamitem, & adduxerunt eam ad regem.) Serui isti DAVID, prophetæ DEI sunt. Virgo

Dani. 7.

Hebr.7.

3.Reg.1. 

Ioan.9.

Quòd iam rex Dauid, in eo quod senuerat, typum gesserit Dei patris, & quomodo talis senior vestimentis opertus non calefactus sit, & qualem illi virginem adolescentulam sui prophetæ quæsierint.

CAPVT II.

Virgo hæc adolescentula, fides est. Viderũt serui isti, cp humano genere non calefieret, aut repropitiaretur Deus legalibus cæremonijs coopertus, & idcircò quęsierũt hãc virginẽ hãc adolescẽtulã, id est, fidẽ. Planè si sensũ eorum intelligas, si spiritum eorum in literis ipsorum perspicias, inuenis quia victimas & holocausta Iudæorum veluti vestes inutiles fastidiuit, & fidem per quã Abraham, cæteri que patriarchæ iustificati sunt, studiosissimè perquirat. Nam sicut pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ. Iustus autem, inquit, ex fide viuit. Vbi autem inuenerunt eam? In Suna, quod interpretatur captiuitas, siue mortificatio, vel certè despectio, vnde & ipsa fides, Sunamitis dicitur, id est, captiua siue mortificata vel certè despecta. Eorũ nanque est fides, qui in hoc seculo peregrinantur, manentem hic non habentes ciuitatem, sed futuram inquirentes, propter quod & huic mundo despecti sunt, tota die mortificantur, quorum principes vel patres secundũ eandẽ fidem Abrahã, Isaac, & Iacob, extiterunt, peregrinando propter fidem, & cõfitendo, quia peregrini & hospites sunt super terram. In illis vtique serui isti Dauid Sunamitem hanc inuenerunt, viderunt enim quia non ex operibus legis, sed ex fide iustificati sunt. Erat autem, inquit, puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege & ministrabat ei. Rex verò nõ cognouit eam.) Planè pulchra & Deo placita erat fides, & beata spe in Deo, fideles untiqui requiescebant, veruntamen rem salutis nondum accipiebant. Ergo rex non cognouit eam, id est, necdum acceptauit vsque ad salutem perfectam.

Esa.46. *Hebr. 10.* *Abac.2.* *2.Cor. 5.* *Hebr.13.* *Rom.8.* *3.Reg. 1.* *Galat.2.*

Quòd Adonias qui eleuabatur, dicẽs: Ego regnabo, Iudaici populi typũ gesserit, & quid sit mysticè, quòd Ioab & Abiathar adiuuabãt partes Adoniæ, Sadoch autem sacerdos, & cæteri, roburq; exercitus non erat cum Adonia.

CAPVT III.

ADonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens, Ego regnabo. Fecitque sibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui ante eum currerent.) Adonias dominator Dominus, Haggith meditans siue loquens interpretatur. Ergo iuuenculus iste stultus & imprudens, carnalem significat populum Iudaicum Mosaicæ legis alumnum, qui labijs quidem Deum honorabat, dicens, dominator dominus, dominator dominus, & hoc in matre sua synagoga loquaciter confitebatur, cor autem eius longè erat à Deo. Superbè nanque quasi inconsulto patre eleuabatur. Quippe qui iustitiam suam statuere volens, iustitiæ Dei non erat, nec est subiectus. Ego, inquit, regnabo. Nónne Domini est regnum, & ipse dominator gentium? At certè, nunquid Iudæorum Deus tantum? Nònne & gentium? Imò & gentiũ.

Psal. 21. *Psal.75.*

At ille legebat, quia notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, & idcircò putabat quòd Deus nunquam, nisi eius quod in manifesto in carne est Iudaismi, deberet esse Deus. Faciebatque sibi currus & equites superbiendo scilicet, & quinquaginta viros qui ante eum currerent, per quod intelligimus cæremoniarum ostentationem, in quibus quasi iubilæum sibi arrogabat, id est, dimissionem vel iustificationem. (Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens, Quare hoc fecisti?) Videlicet sapiens rex, graui iram temperabat silentio, stultam prę sumptionem oportunè ita correpturus facto, vt non esset opus verbo. (Erat autem & ipse pulcher valdè secundus natu post Absolon.) Notandum secundum quosdam ita legi. Et ipsum peperit post Absolon, subauditur peccatum. (Et sermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cũ Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.) Ioab inimicus vel est pater, Abiathar pater superfluus interpretatur. Ergo stulto illi populo, de quo iam dictum est, cum Ioab & Abiathar, id est, cum inimicis & animæ suæ prædonibus pharisæis, & superflua docentibus sacerdotibus vel pontificibus sermo erat, sermo vanus, sermo inutilis, qualem vtique detestando Deus p prophetã dicit, Et ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Ac deinceps, Propterea erumpere faciam, dicit Dominus Deus, spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandinis iræ in consummationem, & destruam parietem quem linistis absque temperamento, & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamentum eius, & cadet, & cõsumetur in medio eius, & cætera. Talis nanque structuræ parietis rectè comparantur Iudaica opera, quia cùm Dominum labijs honorarent, cor eorum ab eo longè erat, cùm Deum patrem deum suum esse dicerent Dei filium impia nimis inhonorabant vesania, linientibus pontificibus & pharisæis luto absque temperatura. Mollibus quippe suasionibus infelicem populum decipiebant, dicentes. Pax, pax, cùm non esset pax, nam potius bellum fuit, tam de cælo, quam de terra. Ruit denique paries eorum, & reuelatum est fundamentum eius Deo inuisibiliter, & Romano visibiliter destruente exercitu. (Sadoch verò sacerdos & Banaias filius Ioiadæ, & Nathan propheta, & Semei, & Rhei, & omne robur exercitus Dauid non erant cum Adonia.) Sadoch iustus, Banaias cæmentarius vel ædificator Domini, Ioiada domini cognitio, Nathan donum interpretatur. Semei audiens me, Rhei pastor meus dicitur. Semei ipse est Nabath pater Hieroboam, qui fuit magister Salomonis. Rhei autem ipse est Irhaiarites sacerdos Dauid, id est, magister.

Ezech. 13.

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non ergo minime partes suas stultus ille iuuenis infirmauerat, qui tantos & tales non vocauerat, qui talium vel fauorem quærere, vel consilijs inniti cõtemserat. Imò per amplius stultus populus ille, de quo iam dictũ est, semetipsum adnihilauerat, qui cũ sibi ex operibus legis regnum vendicarent iustum & ædificatorẽ domini, cognitionem quoq; vel auditorem Dei patris & pastorem suum, quibus cunctis nominibus vnus Christus nõ ineptè prædicatur, non quæsierat, imò spreuerat, atq; repulerat. (Nam & Salomonem, inquit, fratrem suum non vocauit.

Quid sit mysticè, quod loquente Nathan propheta, cum Bethsabee, id agitur, vt Salomon in regẽ vngatur, & quid sit, quod viuente patre rex constituitur, quid mula patris, quid multitudo canentium quæ post illum ascendit.

CAPVT IIII.

DIxitque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis, Num audisti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & dominus noster Dauid hoc ignorat? (Hoc ignorat, inquit, id est, non approbat. Nam supra non ignorasse dictus est. Sed nec corripuit eum pater suus ait, aliquando dicens, Quare hoc fecisti? Ergo & dominus noster Dauid hoc ignorat, inquit, id est, non concedit, non vult, non approbat, vt videlicet mulierem maiorem capiendi consilij fiduciam addat. Nunc ergo veni, accipe à me consilium, & salua animam tuam, filijq; tui Salomonis.) Loquẽte & ineunte propheta consilium cũ Bethsabee, & vtrisque consistentib. coram magno sene, & sapiente rege Dauid, Salomon, q̃ interpretatur pacificus dominus, rex inungitur, & ascendẽte vniuersa multitudine, post eum, & populo canentium tubis & lætantium magno gaudio insonuit terra à clamore eorum, sic prælocuto rege, illiq; præcipiã vt sit dux super Israel & Iudam Illud nempe in hoc est mysterium, quòd iudicio sedẽte iuxta Danielem, & libris apertis venientẽ, vt suprà iam dictum est, cum nubibus cœli, quasi filium hominis, & vsque ad antiquũ dierum peruenientem, in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Libri nanq; aperti sunt, quando spiritus sanctus per Christi passionem datus est hominibus, per quem aperta & intelligibilia facta sunt mysteria scripturarum. Est quidem iudicium futurum, quo & aperiendi sunt libri conscientiarum, quẽadmodum in Apocalypsi scriptum est. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in cõspectu throni, & ibri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris secũdum opera ipsorum. Veruntamen & iudicium iam factum est, illud videlicet, de quo Dominus cum passioni iam propinquaret. Nunc, inquit, iudicium est mũdi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Illo iudicio libri aperti sunt, quia post quam per mortẽ Christi iudicium mundi factum est, sensus discipulis eius apertus est, vt intelligerent scripturas. Igitur Bathsabee cum propheta consiliũ ineunte (per q̃ superius spiritualiũ intelligentiam significari diximus) Salomõ rex constituitur, quia videlicet prophetarum dictis adimpletis & spiritualiter intellectis, Christus Dei filius agnoscitur rex pacificus, rex paternæ gloriæ, & omnia trahit ad se. Viuente adhuc patre rex constituitur, quia profectò qui hunc regem Christum cõstituit Deus pater, nunquam moritur, qui, inquam, constituit hunc regem hæredem vniuersorum, nunquam mortuus, nunquã est moriturus, quodq̃ue mirum atque vnicum habetur, nunquam mortui, nunquam morituri patris hæres Christus est, semel mortuus & rediuiuus, nunquam vltra moriturus. Sedetque super mulam regis, immò & super solium patris, id est, super omnem Ecclesiam, quæ reuera est vehiculum altissimi, & super omnem principatum & potestatem, super thronos & dominationes, sedet nunc ad dexteram maiestatis in excelsis. Pro hoc ecce vniuersa multitudo ascendit post eum populus canentium & lætantium, & insonuit terra à clamore eorum. Nam cœlorum gloriam hanc enarrantium, id est, Apostolorum linguis omnibus loquentium, magnum audiuimus gaudium, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed nec illud à mysterio vacat, quod serui gratulantes, & domino regi benedicentes, amplificet, aiũt, dominus nomen Salomonis super nomen tuum. Nam antea notus erat tantum in Iudæa Deus, postquam autem regnum accepit Dei filius, in omnes gentes tam patris, quàm filij gloria prædicatur, impleta hac prophetia, Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

Dani. 7. *Apoc. 20.* *Ioan. 12.* *Ioan. 20.* *Hebr. 1.* *Hebr. 1.* *Psal. 18.* *Psal. 75.* *Psal. 107.*

Cur Salomon postulantem sibi vxorem Abisach Sunamitem Adoniam occidit, & quod huic simile regnante Christo acciderit.

CAPVT V.

QVare, inquit, postulas Abisach Sunamitem Adoniæ. Postula ei & in regnũ, &c.) Insidiosa fratris sui molimina, rex Salomon sapiens & prouidus deprehendit, ne videlicet quod futurum erat, si Abisach daretur postulanti, ille quasi reginæ potitus nuptijs, spem resumeret regni recuperandi. Hoc, inquam, deprehendit, & idcircò scandala sibi & regno suo suboritura præscindere festinãs. Hęc, inquit, faciat mihi deus, & hæc addat, quia contra animã suam locutus est Adonias verbum hoc.) Et continuò. (Vi

3. Reg. 2.

uit dominus, quia hodie occidetur Adonias, & reliqua.) Occisus est Adonias, occisus est & Ioab, quia post Adoniam declinauerat, & post Salomonem nõ declinauerat. (Electus autem est ne sacerdotio fungeretur Abiathar.) His peractis. (Confirmatum, inquit, est regnum in manu Salomonis.) Ita planè vt confirmaretur regnum & fides Christi, vt sine scandalo Iudaico in offensum curreret verbum Euangelij, data est ciuitas Hierusalem & omnis gloria templi manufacti exterminio per manus Romani imperij, & cecidere unt in ore gladij, & captiui in omnes gentes adducti sunt. Quid enim moliebantur ipsi quoque qui ceciderant ex Iudæis, immò qui sub nomine discipulorum aduersabantur discipulis Christi filij Christiani, & pseudo apostoli? Cæremonijs legis permiscere volebant fidem Euangelij. Surrexerunt (ait Lucas in Actibus Apostolorũ) quidam de hęresi pharisæorum, qui crediderant, dicentes, quia oportet circuncidi eos (subauditur, qui ex gentibus conuersi fuerant) præcipere quoque seruare legem Moysi. Profectò cũ hæc & his similia dicerent, cũ cæremonijs legis fidem Euangelij commiscere vellent, quasi Adonias postulabat sibi Abisach Sunamitẽ, vt non fidei Christi, sed operibus legis cunctam arrogarent iustitiæ dignitatem. Sed prouidit sibi & regno suo rex sapiens Christus, interficiendo Adoniam & eos qui adiuuabant partes eius, tradidit enim (vt iam dictũ est) exterminio ciuitatem Hierosolymam & templũ eius, ne aliquatenus Abisach, id est, fides Christiana in spem eius pelliceretur, & stante gloria templi manufacti, quicquam in sacris Iudæorum virtutis esse suspicaretur. Iam ad insigne & nobilissimum eius opus, id est, ad templum currimus, vt in eo quoq; iuxta propositum nostrum, sacra Christi filij Dei miracula quæramus.

3. Reg. 3. *Act. 14.*

De templo Salomonis, quod corporis Christi typus fuerit, secundum testimonium Apocalypsis.

CAPVT VI.

FActum est igitur quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti in anno quarto, mẽse Ziph, ipse est mensis secundus, regis Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus domino.) Hęc domus aut templum domini, cuius in figuram vel typum ædificatum sit, non nostra coniectura, sed scripturarum tradendum est testimonijs. Primus ipse dominus, cùm interrogaretur in templo à Iudæis, dicentibus. Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis, respondit & dixit, Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem (inquit Euangelista) dicebat de templo corporis sui. Profectò cùm hæc dicit, templum illud manufactum, templi non manufacti, id est, corporis sui fuisse typum voluit intelligi. Et idem euangelista in Apocalypsi dicit, Et templum non vidi in ea,

3. Reg. 6. *Ioan. 2.* *Apoc. 21.*

videlicet ciuitate sancta Hierusalem, Dominus enim omnipotens templum illius est, & agnus. Sed & ipse Salomon significans, cuius in typum templum illud ædificauerit, Sapiẽtia, inquit, ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, & cætera. Quibus verbis quid aliud, quàm Christum, dei virtutem, & Dei sapientiam, templum sibi ædificasse docet humani corporis, septem fultum vel ornatum columnis, quæ vniuersa sunt dona septiformis spiritus sancti? Igitur templũ illud manufactum sine dubio templi sancti, templi dominici corporis typum fuit, cuius de latere dextro (iuxta Ezechiel.) aquæ viuentes, aquæ salubres egressæ sunt, & omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt.

Prou. 9. *1. Cor. 1.* *Ezech. 47*

De mensuris eiusdem templi, quid sit mysticè.

CAPVT VII.

DOmus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.) Hæc mensurarum distinctio, tam pulchra, quàm mystica est. Nam templi prædicti inhabitator, Deus dei filius ipse est, per quem & senario dierum numero, cuncta opera sua condidit pater Deus, & per quem in monte Sina decem præcepta legis scripsit in tabulis idem Deus, vel Dei digitus. Ergo templi huius longitudo pulchrè sexaginta cubitorum est, qui numerus ex senario & denario per latitudinem conficitur, vt erubescat Cerinthus, vel omnis hæreticus, qui cũque asserere ausus est, quòd templum hoc Maria virgine non fuerit longius, id est, quòd ex Maria sumpsit initium Christus. Porrò latitudo viginti cubitorum, habitãtem atque diffusam in isto templo, significat charitatis amplitudinem. Hic nempe numerus, id est, vicenarius in deceno limite binarius est. Dixit autem iste, quia in duobus præceptis, scilicet in dilectione Dei, & in dilectione proximi vniuersa lex pendet & prophetæ. Igitur latitudo hæc templi manufacti, perfectio est geminæ dilectionis plenariæ, permanentis in illo templo non manufacto dominici corporis. Nam & patrem diligit & nos, quibus per carnem proximus factus est, & vsque ad mortem dilexit. Si quidem dilectione Dei patris dicit. Sed vt cognoscat mundus, quia ego diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. De dilectione autem, qua nos diligit, cùm dixisset, Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos inuicẽ, continuò subiunxit, sicut dilexi vos. Et quasi quæreremus, quomodo vel quantũ dilexisti nos, maiorem, ait, hac dilectionem nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis. Tandem altitudine cubitorum triginta, quid pulchrius, gloriosius, magnificentius?

Cerinthus. *Matth. 22* *Ioan. 13.* *Ioan. 15.*

Denique

Universidad de Deusto
Biblioteca

Denique tricenarius numerus ipse est in decem limite ternarius. Et quis fidelium nesciat, quia pulcherrima dominici corporis fabrica vsque ad præcelsam sanctæ trinitatis gloriam alta est? Si quidem dominicus homo, mo, vna ex tribus, vna, inquam, in trinitate persona est. Nec em quia geminæ gigas subdū est ratio stantiæ, quia Deus & homo est, idcircò etiā ne humanæ duarum personarum Christus est, sed idem naturæ, deus & homo, vna eademque persona est. quam signi Igitur altitudo templi triginta cubitorū est, ficat hoc no quia dominicus homo in altissima sanctæ trimen homo, nitatis gloria est. Sciendum tamen, quia ternon autem na erant in templo laquearia. Prima videliratione sup cet post triginta cubitos à pauimento. Secunpositi, de da post cubitos sexaginta contra summitatē quo apud porticuum. Tertia post cubitos centum viAugust. li. ginti, in summitate totius domus.

Quod de Christo dicit domini intelligendū est ratione humanæ naturæ, quam signi ficat hoc no men homo, non autem De porticu ante templum habente viginti cubitos lōgitudinis, & decem latitudinis, quid in Christo significauerit.

primo Retract. c. 29.

CAPVT VIII.

ET porticus erat ante templū viginti hābens cubitos longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi, & decem cubitos latitudinis.) Porticus ante templum vitam vel conuersationem designat eiusdem domini nostri, qua vixit vel cōuersatus est ante passionis suæ sacramentum. Nam quandiu hic vixit, quādiu in terra conuersatus est, sui qui erant cum eo, qui illum sequebatur, non eū agnoscebant, non intelligebant, nec enim spiritus sanctus datus erat, necdum aperuerat illis sensum, vt intelligerent scripturas, quarum sine lumine non est introire & videre templi illius interiora. Itaque vita vel conuersatione eius cum hominibus, quasi porticus erat, in qua credentes in se ad hoc dispōnebat, vt peracta passione, & resurrectione sua, tunc demum intromitteret eos ad videndum, quale quā speciosum ipse diuinitatis tēplum erat. Et porticus viginti habebat cubitos longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi, per quā videlicet latitudinem, charitatē eius iam diximus designari. Opus quippe erat, vt ambulans inter homines inuicta charitate patiēs esset, & longanimus tot irrogatis iniurijs, cōtumelijs, terroribus, blasphemijs, & ad vltimū flagellis, & ipsa amaritudine mortis. Hęc longanimitatis perfectio porticus longitudo fuit iuxta mensuram latitudinis templi, iuxta amplas diuitias habitātis in illo supradictæ charitatis, qua non lassescebat, nec inuitus patiebatur. Sed tanquam esuriēs saturabatur opprobrijs, latitudo porticus eiusdem decem cubitorum erat. Ergo
Matth. 15. porticus ipsa latitudine, scilicet templi angustior erat. Quare? Videlicet, quia dum adhuc cum hominibus conuersaretur, non ita charitas eius vt nunc actu diffundebatur. Angustiabatur adhuc paulisper, ita vt diceret. Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Iam quidem & ante constitutionem mundi, tam voluntate quā potestate habebat se extendere vsque ad gentes, sed actu (vt iam dictum est) solas admittebat oues Israel. Itaque latitudo porticus latitudine tēpli minor erat, illa videlicet latitudo, qua dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus Matth. 28.
sancti. Quare de altitudine porticꝰ nihil scriptura dixit? Verè & in hoc magna subest pulchritudo mysterij. Nam quandiu hic vixit, quandiu mortalis fuit, nullius apud homines erat altitudinis. Sed erat despectus, sed erat virorum nouissimus. Vnde est illa vox eius in Psalmo. Ego autem sum vermis & non homo. Pulchrè ergo de altitudine porticus scriptura tacuit, quia dum in hoc mundo Psal. 21.
militaret sub obedientia patris, tanquam homo mendicus & pauper nimia humilitate cōtentus fuit.

Quæ & quales templi illius non manufacti obliquæ fenestræ sint, non de foris lumen petentes, sed deintus dantes charitatem luminis æterni.

CAPVT IX.

FEcit & fenestras obliquas in templo.) Templo manufacto necessarium fuit fenestras fieri, quia videlicet absque illis non templum venerandæ visionis, sed carcer esset tenebrarum & caliginis. At verò templū hoc nō manufactum, templum hominis dominici, non de foris lumen petit, non aliundè posćit claritatem solis aut diei, cū sit templum luminis templum ignis æterni. Num ergo nullas esse putandum est fenestras in hoc templo Dei? Imò fenestras habet plurimas, non vt de foris lumen accipiat, sed vt toti sanctæ ciuitati, cuius templum est, verum de semetipso lumen effundat, sitque eiusdē (vt in Apocal. scriptum est) ciuitatis lucerna. Quales istæ fenestræ? Fenestræ obliquæ, penè occultæ. Nam hinc est, quod dicitur, quodque ait habitator templi huius, & templum ipsum Deus & homo, Christus. Spiri- Apoca. 22.
tus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Fenestræ igitur obliquæ sunt, id est, occultæ viæ, occultæ Ioan. 3.
diuisiones habitantis in illo gratiæ & exinde diuidentis singulis prout vult, qua mensura, quo tempore, quo fine nouit solus ipse.

Quid in illo templo mysticè significet tabulatum superius quinque cubitorum, & tabulatum medium sex cubitorum, & tabulatum tertium septem cubitorum, in altitudine: & quid ostium lateris medij, & quid sit trabes muris non hærere.

CAPVT X.

ET ædificauit super parietes templi, tabulata per gyrum in parietibus domus, per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitos latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Ostium lateris medij in pariete erat domus dextro, & per cocleam ascendebant in medium

medium cœnaculum, & à medio in tertium.) Pulchrè sapiens architectus, vnam eandemq; domum triplici ordine sursum ampliauit, & ita capacem magnæ multitudinis effecit. Nimirum & in hoc diuinitatis templo, in hoc Deo & homine Christo, tria tabulata sunt, & necesse est, vt quisque in Christo manere desiderans, in quolibet eorum fideliter consistat. Quænā sunt tabulata hæc? Profectò tres benè viuendi distinctiones, tres in Christum
Matt. 24. credentium ordines, quos & ipse mysticè discernens. Duo, inquit, in agro, duæ molentes in vnum, duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur. Itidem isti sūt ordines, quos
Ezech. 14. in Ezechiele propheta sub nominibus intelligimus, Iob, Noe, & Daniel. Primus vel infimus ordo est, operantium in agro. i. coniugatorum, qualis fuit Iob, qui Deo complacuit, per fidem & patientiam cum coniugio. Hoc planè primum tabulatum est in Christo diuinitatis templo, quinq; habens cubitos, quam per mensuram rectè intelligitur, quinq; corporis sensus occupans exteriorum opus & labor. Medius ordo Molētium est. i. eorum qui benè præsunt, & verbū Dei prędicando quasi molendo circumeūt, qualis fuit Noe, qui gubernādo aream in fluctibus, exemplum præbuit cunctis rectoribus sanctæ ecclesiæ. Hoc tabulatum secundum est, sex habens cubitos, quæ illorum mensura est mystica, qui laborant in verbo & doctrina. Senario namq; dierum numero, Deus sua perfecit opera, & idcirco rectè illorum qui operantur opus Dei latitudo hæc significat statum. Tertius ordo qui & supremus, quiescentium in lecto est. i. contemplationi vacātium, qualis fuit Daniel, qui coniugio carens, & quasi in lecto suauissimo solitarius dormiens, clarè quasi facie ad faciem videbat Dei visiones. Hoc nimirum dominici templi tabulatum tertium est, septē habens cubitos, quo in numero sabbatismus Dei est, illam significans requiem animę, Deū
Matth. 11. suspicientis, de qua ipse cum dixisset: Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde, subsecutus, & inuenietis, ait requiem animabus vestris. In hoc tabulato supremo, sancta iam sabbatizat anima, seculo altior, & cum adhuc teneatur in corpore angusto, iam per cōtemplationis requiem fruitur cælo, spatiatur inter angelos, assistit Deo. Igitur in templo domini tria tabulata sunt qui manentium in Christo, tres legitimi ordines sunt. Ostium, inquit, lateris medij in pariete erat, &c. Quod est ostium lateris medij, per quod introitur in tabulatum primum, vt ascendatur in medium, & à medio in tertium? Ostium lateris templi, vulnus est in latere lanceato dominici corporis, præter quod non est aditus, non est ostiū, vel ianua qua intret quis, vt in quouis ordine coram Deo stare possit. Nam ex illo latere cum lancea percussum esset, sanguis & aqua profluxit, quo sacramento deletum est peccatum mundi, in quo & baptizati sumus, dicente Apostolo, quia quicunq; bapti- Gal. 3.
zati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Ergo vnum est ostium, vnum baptisma, per quod introitur in illud Dei tēplum, quò cum admissus fuerit, tūc domum ascendere licet, vel à primo in medium, vel à medio in tertium, prout delectauerit quemcunque ascensus virtutum, vel celsitudo meritorum. (Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hærerent muris templi.) Muris templi hærere, est hoc solum considerare, quòd Christus homo est, quod passibilis erat, quòd homines impij murum corporis eius clauis & lancea suffodere potuerunt, vt interficerent eum. Verùm hoc tantū considerare, hoc solum respicere, & pro hoc illum contemnere, Iudæorum est & hæreticorum, atque gentilium. Trabes igitur tabulatorum muris templi non hæreant, id est, vna cunctorum ecclesiæ ordinum fides, nō solum in Christo respiciat carnis naturam, sed ad internam diuinitatis gloriam tendat.

Quid sit quod omne ferramentum non est auditum in domo cum ædificaretur, et quod templum auro est vestitum, quid in templo oraculum, quòd & aqualibus per longum, latum, & altum, mensuris erat perfectum.

CAPVT XI.

DOmus autem cum ædificaretur, lapidibus dolatis atque perfectis ędificata est, & malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.) Hoc & pro vniuersitate sanctæ illius supernæ ciuitatis Hierusalem, sic rectè intelligi potest, quia lapides viui, lapides sancti, de quib' illa construitur, hic dolantur, hic in mundo tonsionibus atque pressuris expoliuntur, ibi autem in pace per manum artificis locis suis aptantur, ita vt nullus persecutoris malleus, nulla cædentium securis, nullum serrantium ferramentum vlterius audiatur. Verum quia hic non de ciuitatis ædificio, sed de ciuitatis tēplo sermo est, illud rectè intelligitur, quia sine opere humano siue virili complexu, conceptus est Deus & homo Christus Dei filius. Igitur malleus siue securis atque omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur, quia nullum affuit opus humanum vt Christus conciperetur. Foris dedolati sunt lapides, quib. hæc domus ędificata, quia prius patres vel iusti omnes more naturæ, vel opere humano generati sunt, quorum fide in beatam virginem coadunata, Christus conceptus est. Hic ferramentum quodlibet audiri scelus est, & quicunque se audisse somniauit, hæreticus est. (Ædificauitque quadraginta cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, à pauimento vsque ad superiora, & fecit interiorem domum oraculi in sanctum sanctorum. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, & operuit illud, atq; vestiuit auro purissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo. Sed & altare vestiuit cedro, & cæt.) Non solum oraculum quod erat x x. cubitorum, sed & ipsum templum, quod præ foribus oraculi quadraginta cubitorum erat, operuit auro purissimo, nihilque erat in templo, quod auro non tegeretur. Sed & totum, inquit, altare oraculi texit auro. Magnum & mirificũ templi manufacti opus, gloriam præfigurabat tẽpli non manufacti, id est, hominis Christi, quam credimus, quam prædicamus, cuius vilionem desiderãtes expectamus. Quid est enim templi illius aurum siue aurea claritas, nisi sedentis ad dextram patris immortalitas atque impassibilitas? Denique antequam passus vel mortuus resurgeret, templum quidẽ erat lapideum, & cedrinis tabulis quasi contextum, sed nondum auro tectũ, quia sordida quidẽ & nullo vitio putribilis in illo nostra erat natura, sed nondum sua fulgebat gloria, qua post passionem mortis coronandus erat.

Rom. 6. At postquam resurrexit à mortuis, iam nihil in templo est quod non immortalitatis auro tegatur, semel quippe mortuus, & viuẽs Deo, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Auro vilior templi substantia tegitur, non destruitur, quia videlicet gloria resurrectionis, siue immortalitatis, natura carnis nõ absorbetur, sed superinduitur. Quòd tandem in hoc templo est oraculum, quòd dicitur sancta sanctorum? Oraculum in tẽplo, Deus est in Christo. Vndè Aposto. dicit:

1. Cor. 3. Deus erat in Christo, mundum recõcilians sibi. Oraculum autem & præ foribus oraculi templum, sicut non duo templa, sed vnum templum, sic hominem & in homine Deum, non duos Christos, sed vnum confitemur Christum. De vocibus siue responsis huius oraculi, de dispositione verbi incarnati, illud sacrũ corporis templum inhabitantis, non soli apostoli, sed & ipse Christus iugiter secundum hominem pependit, vt nihil à semetipso faceret aut iudicaret, ita vt (verbi gratia) gentem suam vel ciuitatem Hierusalem, ruiturã flere posset flendo tamen non liberaret. Oraculum illud quantæ longitudinis, tantæ & latitudinis, tantæ nihilominus erat latitudinis, qa videlicet Christi domini nostri diuinitas, quantæ antiquitatis quæ per longitudinem, quantæ maiestatis quæ per altitudinem, tantæ omninò charitatis est quæ intelligitur per latitudinem.

Quid sint duo Cherubin, & cur posita in oraculo, & quid quòd fecit ea de lignis oliuarum, quid extẽsio alarum, quid ostiola in ingressu oraculi, et postes anguli ipsorum, quid in eis pictura Cherubin, & species palmarum, quid ostia, quid postes in introitu templi de lignis oliuarum.

CAPVT XII.

FEcit in oraculo duo Cherubin de lignis oliuarum, decem cubitorũ altitudinis.)

Exod. 15. In tabernaculo Moysi, duo Cherubin obumbrantia propitiatorium, mysticè duo testamenta sunt, mediatori Dei & hominum Christo, concorditer perhibentia testimonium, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

1. Ioan. 2. In his itidem quę fecit Salomon, ipsum intelligimus mysteriũ. Et ille intra velum, & hic intra tabulatum quo distinguebatur à templo propitiatorium, posuit Cherubin. Plane saluo mysterio poterat posuisse in templo extra propitiatorium, quia videlicet templum diuinitatis, homo Christus vtrunque memoriter capiebat testamentum, & ab vtroq; tam diuinitatis, quàm humanitatis suæ verum habet testimonium. Sed hoc sciendum necessario recondita hæc fuisse, tam nunc intra oraculum, quàm tunc intra velum, videlicet ne populus instabilis, & idololatrię nimius appetitor, pulchras effigies miratus pro Deo adoraret, sicq; verum & viuum offenderet Deũ. Denique in hoc libro Regum scriptum est.

4. Reg. 18. Confregitque Ezechias serpentem æneum, quem fecerat Moyses. Si quidem vsque ad illud tempus incensum adolebant ei filij Israel. Si non tantum aureum vitulum, sed & serpentem populus ille pro Deo adorare poterat æneum, quanto magis Cherubin adoraret spectabilium, imò & quasi cælestium mirator specierum? Ergo necessario hæc (vt præ dictum est) recondita sunt, vt sola sacerdotalis maturitas, ea certis temporib. intueretur,

Numer. 1. ita dicente domino per Moysen: Quia si quis externus accesserit, morte moriatur. Veruntamen & mysticè idcirco testamentum vtrũque intrinsecus recondatur, vt scripturarum arcana, nullus attrectare audeat prophanus, ne dum verba spiritus sancti discutit alieno spiritu, fiat hæreticus atque ita iuxta sententiam legis diuinæ, morte moriatur. De lignis, inquit, oliuarum fecit eos. Ligna oliuarum viri sunt misericordiarum, de qualibus scriptum est. Hi sunt viri misericordiæ, quorum

Eccle. 44. iustitiæ obliuionem non acceperunt. Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen ipsorum. Tales quippe per viros vtrunque conditum est testamentum, qui quasi ligna oliuarum, id est, vasa misericordiæ fuerunt, eorumq; fides & merita vtriusq; Cherubin materia sunt. (Extendebãt alas suas Cherubin, & tangebat ala vna parietẽ, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum. Alæ autem alteræ in media parte templi se inuicẽ contingebant à pariete vsque ad parietem alterum, quicquid erat oraculi obumbrabãt.) Cherubin, quia videlicet quicquid est de verbo Dei, quicquid sciri vel prædicari oportet, de incarnatione, de vera diuinitate & humanitate filij Dei, duobus ita continentur testamentis, vt extra hæc nihil sit quod annunciari debet aut credi. Totum in his comprehenditur cæleste oraculũ, quòd tam firmiter scire debemus, vt extra hæc audire, nec hominẽ nobis liceat nec angelum. (Texit quoq; Cherubin auro.) Vt videlicet omnis literæ vilitas splendeat spiritualis intelligentiæ fulgore diuino. (Et in ingressu oraculi fecit ostialia de lignis oliuarum.) Ostialia quæ claudantur & aperiantur, sanctorum sunt expositiones eloquiorum, quæ pro diuersa capacitate audientium alijs claudẽdę, alijs aperiendæ sunt, quẽadmodum dicit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis

Luc. 8. (Postes, inquit, angulorum quinque, & duo ostia de lignis oliuarum.) Factura hæc pentagoni speciem exprimit, maximè clausis ostiolis, vt videlicet illis præcipuè claudi debeant secreta cælestis oraculi, quorũ capacitas quinque sensuum facultatem non excedit, adeò, vt spiritualium comparatione non tam homines quàm iumenta posint æstimari. (Et sculpsit in eis picturam Cherubin, & palmarum species.) In ostijs & in parietibus cum Cherubin, palmarum quoq; species pinguntur, quia scientiam Dei fideliter suscipientibus, & pro illa certantibus, victoriæ de cælo promittuntur. (Fecit & in introitu tẽpli postes de lignis oliuarum quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis, altrinsecus, & vtrunq; ostium duplex erat, & seinuicem tenẽs aperiebatur.) Itaque quatuor erant ostia, quoniam vtrunque ostium duplex erat. Planè in introitu tẽpli non manufacti quatuor ostia sunt, quia notitiam quatuor euangelistarum, narratione incarnationis dominicæ accipimus. Hæc ostia se inuicem tenentia aperiũtur, quia profectò summa euangelistarum concordia est, seque inuicem tenent, & in nullo à se illos discrepare sentit & credit quisque pio spectat intuitu.

De eo quod ait: Aedificauitq; eam annis septem, cùm Iudæi dixerint ad dominum, quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, et quale in illo numero mysterium sit.

CAPVT XIII.

ANno quarto fundata est domus domini, in mense Zio, & in anno vndecimo mense Bul, ipse est mensis octauus, perfecta est domus in omni opere suo, & vniuersis vtensilibus. Aedificauitq; eam annis septem.) Mensis Zio, ipse est Aprilis, qui & Iar vocatur. Zio enim interpretatur vultus. Idcirco vultus, quia in dedicatiõe tẽpli nubes glorię vultus domini texit templum. Iar autem interpretatur pauor. Ideò pauor, quia timetur, ne ea quæ fruges ac terræ debent, in hoc mense aeris intemperãtia influctuosa sint. Aedificauit, inquit, eam annis septem. In Euangelio

Ioan. 1. cùm dixisset dominus: Soluite templum hoc & ego in tribus diebus excitabo illud, de tẽplo loquens corporis sui, respõderunt Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus reædificabis illud? Rancoris impatientia dixerunt quidã, quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, cùm quod breuius erat dicere, potuissent, septem annis ædificauit Salomon, attamen tam secundum historiam quam & secundum mysterium, nescientes vera locuti sunt. Nam sicut historica testatur narratio filij captiuitatis de Babylone reuersi sub Esdra, vel Neemia cùm reædificare cœpissent, quòd videlicet ædificium tunc stabat, cũ hæc dicerentur, prohibebantur ædificare ab eis, quæ in circuitu erant aduersarijs nationibus, atque ita factum est, vt cœpta ædificatio quadraginta & sex annis protelaretur. Porrò & mystica nobis verba dederunt, vt dicamus de dominici corporis tẽplo, quia reuera quadraginta & sex annis ædificatum est, id est, vera de carne Adam caro est. Hic nempè numerus secundum Græca elementa numerus nominis Adam est. Adam siquidem quatuor literis scribitur, quarum prima alpha, α vnum. Secunda delta, δ quatuor. Tertia alpha, α rursus vnum. Quarta mi, μ quadraginta significat. Hoc ergo verbum de ore impiorum, & ignorantium rapuimus, gratulãter dicentes, quia veraciter hoc sanctum Dei templũ, quadraginta & sex annis ædificatum est, id est, de vera carne Adæ, vera caro, verũ corpus Christi sumptum est. Rursus quatuor iam dicti nominis elementa quatuor mundi plagas significant, quarum & in Grẽcis nominib. prima sunt. Nam Græcè oriens ἀνατολή, occidẽs δύσις, septentrio ἄρκτος, meridies dicitur μεσημβρία. De corpore igitur Adæ, quòd per quatuor mũdi plagas diffusum est, templum dominici corporis sumptum est, quòd Iudaicus liuor dum nescit, testatus est.

Quid spiritualiter significet domus saltus Libani, & quia quot generationes ab Abraham vsque ad Christũ totidem, id est, quadraginta quinque domus illius colũnæ fuerint, licet euangelista tres pratermiserit.

CAPVT XIIII.

III. REG. VII. AEdificauit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorũ altitudinis, & quatuor deambulatoria inter colũnas cedrinas. Ligna quippe cedrina exciderat in columnas, & tabulis cedrinis vestiuit totam cameram. Quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Si ciuitas Hierosolyma spiritualiter sancta est ecclesia, & templum illud manufactum, templum corporis dominici significat, quid hæc domus Salomonis, domus saltus Libani, nisi domum generationis eiusdem Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham figurat? Ligna quippe cedrina, ligna imputribilia patres fuerunt, ex quibus ipse Christus secundum carnem, quippe qui propter magnæ fidei meritũ, imputribilis memoriæ sunt. Quid ergo domus huius columnæ XLV. nisi totidem significãt generationes, ab Abraham vsque ad Christum? Nam secundum Euangelium non plus quidem quàm quadraginta duæ sunt, sed secundum fidem historiæ quadraginta quinq; sunt. Tres quippe Euangelium certi gratia

Matth.1. mysterij prætermisit, dicendo. Ioram autem genuit Oziam, Ioram quippe non genuit Oziam, sed Ochoziam, qui Ochozias genuit Ioas, de quo natus est Amasias, qui genuit Oziam. Videlicet quia Euangelistæ propositũ erat tres tesseradecades in diuerso temporũ statu ponere, & Ioram generi se miscuerat impijssimæ Iezabelis, idcirco vsque ad tertiam generationem, eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Igitur domus saltus Libani quadraginta quinque columnis sustentatur, quia patrum ex quibus Christus secundum carnem ab Abraham vsque ad Christum generationes quadraginta quinque sunt. Sed quomodo, inquis, sub hoc mysterio dicuntur stare in numero vel ordine columnarum, qui in Euangelio Christi non stant, & de generatione eius ceciderunt? Dicamus ad hæc. Illi quidem ceciderũt sed meliores alię columnę locum illorum acceperunt, scilicet prophetæ quos illi aut occiderunt aut persecuti sunt. Verbi gratia: Cecidit Ochozias, qui & Ahazias, loco eius stetHelisæus propheta, qui in sermone domini, mandauerat Iehu quem & vnxit in regem super Israel, vt deleret domum Achab & Iezabel
1.Reg.9. 2.Par.34. quæ occiderat prophetas, cuius de genere, id est, de filia erat Ahazias. Cecidit & Ahaziæ filius Ioas. Locum eius obtineat is, quem ille occidit Zacharias filius Ioiadæ propheta. Cecidit Amasias, loco eius supputetur ille propheta qui cum illum corriperet, adorantem
2.Para.25 deos Seyr, audiuit hęc. Nunquid consiliarius regis es? Quiesce ne interficiam te. Itaque in domo pacifici regis Christi. Columnę, vt iam dictum est, quadraginta quinque sunt. Cur enim prophetæ memorati in generatione CHRISTI, vbi carnis eius patres meritò cadunt, non admittantur, cùm in Ioseph terminetur, de quo constat, quòd non fuerit pater eius? Denique euangelistæ spirituali & sapienti, magis secundum fidem, quam secundum carnem genealogiam verbi incarnati texere propositum fuit, cuius videlicet generationis vera beatitudo est in eo, quia verbum ipsum quod virgo fidelis, secundum carnem peperit & lactauit, ipsa secundum fidem prius & corde concepit, & ore peperit, iuxta magnam prophetæ admirationem, dicẽtis: Antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiEsaiæ 66. uit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Et continuò. Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos? Quæ nam est ista Sion, quæ antequam parturiret, peperit, quæ antequam veniret partus eius, peperit masculum, & deinde simul vna die peperit filiorũ suorũ gẽtem, nisi illa beata generatio, quę antequã secundum carnẽ, secundum Mariæ virginis vterũ parturiret Christum, peperit eundem masculum, id est, fortissimum & omnipotentem secundum spiritum, & deinde prędicantibus apostolis parturiuit & peperit, quasi in vna die, id est, in breui tempore diffusam per mundum vniuersum multitudinem credentium? Quid enim fuit, post promissionem beati seminis quę facta est ad Abraham? Quid, inquam, fuit Moysi & prophetis sanctam scripturam quæ verbum Dei est, contexere, nisi Christum & corde per spiritum propheticum concipere, & ore parere? An nõ & hoc vnus illorum asserit, à timore tuo, in- Esaiæ 26.
quiens, domine concepimus & peperimus spiritum, salutes nõ fecimus super terram? Item quid fuit post ascensionem domini, Moysi prophetarumq; testimonijs repentè gẽtes ad fidem Christi conuertere, nisi gentem filiorum Sion in vna die parturiri? Igitur rectè & venerabiliter euangelista sanctus sic generationem Christi contexuit, vt & reges impios qui prophetas occiderunt in exemplum matris suæ Iezabelis amoueret, & eandem in viro fideli Ioseph sponso custoditæ virginis terminaret.

Quid mystičè significet porticus in facie maioris porticus, & porticus solij in qua tribunal est, pro diuerso statu temporum ab Abraham vsque ad Noe, et à Noe vsque ad Abel, & ab illo sursum vsque ad primã creationem mundi.

CAPVT XV.

QVadragintaquinque columnas perspeximus, reliqua videamus. (Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis, & alteram porticum in facie maioris porticus, & columnas & epistylia super columnas fecit. Porticumque solij in qua tribunal est, fecit, & texit lignis cedrinis à pauimento vsque ad summitatem, & cætera.) Porticus columnarum ante domum, quæ columnis subnixa est, tempus illud fuit, supra Abraham vsque ad Noe, ab Abraham, inquam, ad quem primum repromissio facta est. Altera porticus in facie maioris porticus, superioris fuit temporis status, videlicet, à Noe vsque ad Abel, siue ad Adam, qui primus creatus est. Porrò porticus solij, in qua tribunal est, illud est initium timoris domini, initium sanctarum scripturarum, quod timendum est, in quo Deus lucem à tenebris, id est, humiles angelos à superbientibus angelis insociabili separatione discreuit, & eum quem in paradyso posuerat protoplastum propter præuaricationem eiecit. Illic terribile solium. Illic tremendum tribunal est. Ait ergo: Porticum quoque solij in qua tribunal est, fecit, & texit lignis cedrinis, à pauimento vsq; ad summitatem. Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, erat in medio porticus simili opere. Et Lucas quidem generationis dominicæ narrator facundissimus ac vitulus disertus, ab ipso templo domini, quod est in Hierusalem, ab ipso dominico homine, qui natus est in ea, quiq; fundauit eam altissimus, vsq; ad hanc supremam porticum, vsque

vsque ad hanc domunculam, in qua solium prædictum vel tribunal est, nos perduxit, sic incipiendo. Et ipse Iesus erat incipiens quasi
Luc.3. annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, & sic finiendo, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Statim quippe omni habenti aures audiendi illud in animo proponitur solium vel tribunal Dei, quo Adam iusta sententia, iudicium incidit suæ præuaricationis & in hoc exilium missus est, duplici oppressus morte, animæ & corporis. Matthæus autem domum illam, domum regiam quadragintaquinque columnarum excesit, quia supra Abraham ad quem primum repromissio facta est seminis, in quo benedicentur omnes gentes, non processit. Nunc quid ab ipsa domo porticus differat, breuiter dicẽdum est: Generationum series ab Abraham vsque
Gen.22. ad Christum, domus Salomonis, domus pacifici, & sapientissimi regis idcirco est, quia ex quo Abraham audito quod in semine eius benedicerentur omnes gentes credidit, & per hanc fidem iustificatus est, Christus in corde eius, & filiorum eius per eandem fidem habitauit, quemadmodum & de nobis Apostolus
Ephe.3. dicit: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. At verò Noe, & qui ex illo, vel post illum vsque ad Abraham iusti siue electi fuerunt, nihil tale acceperunt, nihil de eiusmodi promissione audierant, circa rerum aliarum inspectionem probati, & fideles inuẽti sunt, vt idem Noe, qui dicenti sibi Deo, diluuium futurum credidit, & arcam ad præceptum domini fabricauit, non credentibus a-
1.Pet.3. lijs, quemadmodum & Petrus in epistola dicit: Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabat Dei patientia in diebus Noe, cùm fabricaretur arca. Proinde & diuersum fidei suæ signum accepit, id est, non in carne sua, quemadmodum Abraham, qui beati seminis fidem habuit, & idcirco congruum accepit signum circuncisionis, sed in nubibus dicente
Gene.9. domino: Ponam arcum meum in nubibus cęli, videlicet quia cataractus cæli vt diluuiũ fieret aperiendas fore credidit. Erat ergo status illius temporis alius, tanto à tempore vel fide Abrahæ differens, quanto à dignitate domus differt anterior porticus. Porrò & qui ante illum omnes electi vel iusti ante diluuium fuerunt, alterius differentiæ fuerunt, in eo scilicet, quòd præter legem naturalem nullum mandatum accepisse leguntur, sed ex creatura cognoscentes creatorem spontanea fide in iussis quoque sacrificijs velut Abel & Enoch Deo complacuerunt. Erat ergo & alius temporis status, vt rectè nunc per porticum quæ erat ante faciem maioris porticus intelligatur. Suprema tandem porticus solij in qua tribunal est, illa est, vt supra iam diximus, quam in vertice sanctæ scripturæ spectamus mundi fabrica, sex diebus explicita. Vndè tanquam de solio vel tribunali, voces imperiosas audimus creatoris & regis dicẽtis: Fiat lux, ipsamque lucem & tenebras diuidentis, dicentis:
Gene.1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, &c. dicentis, atq; dicendo facientis cum auctoritate imperiali, vndè & canimus. Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse
Psal. 148. mandauit & creata sunt. Statuit ea in seculũ, & in seculum seculi, præceptum posuit & nõ præteribit. Solij vel tribunalis illius sententiam illam, quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini, adhuc portaremus vniuersi, nisi amota fuisset per illum quem habemus apud patrem, aduocatum magnum Iesum Christum, qui interpellat pro nobis.
1. Ioan. 3.

Quæ & qualis domus sit, quam filiæ Pharaonis, id est, ecclesiæ de gentibus, fecit Salomon Christus.

CAPVT XVI.

DOmum quoq; fecit filię Pharaonis, quã vxorem duxerat Salomon tali opere, quali & hanc porticum.) Tandem filiæ quoque Pharaonis, quam vxorem duxerat Salomon, fecit domum, quia videlicet post omnia quę in supradictis mystice intellecta sunt, ecclesiæ quoque de gentibus, quam sibi sponsam acquisiuit, bonum Christus in cælo & in terra parauit locum. Fecit, inquam, illi domũ tali opere, quali & illam supremam porticũ. Nam verbi gratia, illa quomodo in porticu mysticè ac spiritualib. oculis spectamus, quia spiritus Dei ferebatur super aquas, sic in domo huius filiæ Pharaonis, in sacramentis huius ecclesiæ de gentibus, quæ quondam fuit filia Pharaonis spiritualis, id est, diaboli, eundem spiritum sanctum ferri non dubitamus super aquas baptismi, iamque exinde creasse nouos cælos, & nouam terram, & cætera omnia noua, iuxta quandam similitudinem illorum veterum. Vndè alias plenius nobis erit dicendum. (Omnia, inquit, de lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati sunt, à fundamẽto vsque ad summitatem parietum, & intrinsecus vsque ad atrium maius. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis, decem siue octo cubitorum.) Lapides illi, lapides pretiosi, & fundamenta hæc, illa sunt, quibus vel de quibus Apostolus dicit: Iam non estis hospites & adue
Ephe.3. næ, sed estis ciues sanctorũ, & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum, & prophetarum, & cætera. Et illa quidẽ ædificatio manufacta, sicut & omnis structura manufacta, terrena fundamenta deorsum habens tendebat sursum. Hæc autem ædificatio spiritualis, fundamenta sursum habet quemadmodum Psalmista, Fundamen-
Psalm. 86. ta, inquit, eius in montib. sanctis. Etenim fundamentum fundamentorum eius Christus, nulli dubium, quoniam sit ille lapis altissimus. Ad quem accedentes (ait Petrus) lapidẽ
1.Pet.2. viuum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, nunc tamen eo tenditur, vt super illum debeamus eleuari. Ad normã, ait, quandam, atque mensuram tam intrinsecus, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

extrinsecus serrati erãt. Ac deinceps, Aequalis mensurę, secti erant. Hoc plane secundum vnam eandemque fidem intelligendum est. Nam side quidem omnes lapides isti, lapides viui, lapides pretiosi, æquales sunt, & tam intrinsecus quam extrinsecus serrati sunt, quia tam coram Deo quam coram hominibus idem dicunt, & idem sapiunt, vndè & tanquã serrati siue secti bene coniungi & sibi cohærere possunt, operatione autem vel potentia plurimum differũt, vnde & Apostolus, Hæc
1.Cor.11. autem inquit, omnia operatur vnus, idemq; spiritus, diuidens singulis prout vult. Et benè ad normam quandam atque mensuram. Vnus enim & solus qui sine vlla mensura omne datum optimum & omne habet donum perfectum, ille est de quo Ioannes Baptista,
Ioan. 3. Non enim, inquit, ad mensuram Deus dat spi-
Ioan. 13. ritum. Illi omnia pater dedit in manus, nos autem omnes ad mensuram de plenitudine eius accepimus. Similiterq; de cedro, inquit, Tam in atrio maiori, quàm & in atrio domus domini interiori, siue in porticu domus cum lapidibus, vel super lapides ordinantur, & cedri, quia videlicet in ædificatione Dei decet, vt & tanquam lapides simus per patientiam stabiles & firmi, & tanquam cedrus imputribilis, bonis eos qui foris sunt, prouocemus exemplis. Dicamusque cum Apostolo, Chri
2.Cor.2. sti bonus odor sumus Deo in omni loco. Sanè atrium domus hi sunt, qui propter charitatem intus positorum, ad exteriora se extendunt, vt eis excudentibus importuna quæq; sanctum non inquietetur otium illorum, qui religioni, & sanctæ cõtemplationi magis idonei sunt. Vsque ad illud atrium pertingit, opus Salomonis accuratissimum, quia profecto quicquid operatur Christus in eis, qui sibi intus assistunt, illis proficit, qui (vt prædictum est) propter eos fideliter laborando, ad exteriora sese negotia distendunt.

Non debere cuiquam incredibile videri, quòd in constructione templi manufacti mysteria templi nõ manufacti tam perspectè expresserit, cùm Daniel numerum quoque annorum vsq; ad eundem Christum præscire potuerit.

CAPVT XXVII.

MIrum fortasse cuiquã aut etiam incredibile videatur, quòd regem hominẽ in opere suo sic spiritualibus intentum fuisse dicamus, vt ne columnarum quidem numerum absque mysteriorum intuitu collocasse sit existimandus, atque ita generationũ quoque numerum ab Abraham vsq; ad Christũ scire illum potuisse consequatur. Sed nũquid minus vllo prophetarum sciisse illum rectè quis arbitretur? Non vtique, cum eidem postulanti sapientiam dixerit dominus: Ecce fe
3.Reg.3. ci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te sur-
2.Reg.4. recturus sit. Et post pauca itidem scriptura dicit, Et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan, Ezarita, & Eman, & Calcal, & Dardan filijs Maol. Ethan interpretatur durissimus. Ezarita, orientalis. Ethan ipse est Abraham orientalis. Eman quod interpretatur fidelis, est Moyses. Calcal q; interpretatur gubernãs, est Ioseph. Dardan, interpretatur generatio scientiæ. Maol, interpretatur indulgentia. Generatio scientiæ intelliguntur XII. trib. filij Maol, id est, filij Iacob. Eadem vtique constãtia dicendum est, quia Daniele quoque qui post eum surrexit sapiẽtior erat. Dixerat illi enim Deus (vt iam dictum est) quod nullus ante illum fuerit, vel post resurrecturus esset similis illi. At verò
Daniel. 9. Daniel, numerum quoque annorum quibus exactis venturus esset Christus, scire meruit Gabriele dicẽte sic, Scito ergo & animaduerte, ab exitu sermonis, vt iterũ ędificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades quadraginta duæ erunt, &c. Num igitur quod minus est, scilicet quota generatione templum illud diuinitatis Christo nascente foret ædificandũ, iste scire potuisse negandus est, cum omnib. hominibus tam prẽteritis quàm post se futu-
Exod.33. ris sapiẽtior esset? Proinde & si non legimus, dictum illi fuisse, quod Moysi dictum est, Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, nihilominus tamen ipse vidit exemplar, iuxta quod omnia faceret, ita vt ne columnam quidem sine cælestiũ intuitu collocaret, quippe quo sapientior nec ipse fuit Moyses. Hæc idcirco dicta sunt, vt constet, quia diligentius structuram ille in opere suo perspexit, & imitatus est, templi non manufacti, templi dominici corporis, totiusque domus eius spiritualis, quàm vllus ingenio suo posit exponendo consequi, licet & hæc ecclesiasticorum omnium vnanimitas ita sentiat, vt aliud quid suspicari nefarium sit.

Quomodo ex patre Tyrio fuisse dicatur Hiram, qui et plenus sapientia & intelligentia & doctrina fuerit, & perinde mysticas operando causas attendere quiuerit.

CAPVT XVIII.

MIsit quoque rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduę de tribu Nepthalim, patre Tyrio, artificem ęrarium, plenum sapientia & intelligentia & doctrina ad faciendum opus omne ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius, & finxit duas columnas æreas. (De hoc in Paralippomenon legitur, Mi
2.Paral.2. si ergo tibi virum prudentem & scientissimum, Hyram patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater Tyrius fuit. Notandum, quod in Malachim Hyram dicitur, in Paralipomenon verò Huram. Hyram enim interpretatur sublimis, Hurã verò Deꝰ excelsus. Hyram in Malachim dicitur fuisse de Tyro & filiꝰ mulieris viduę de tribu Nepthalim patre Tyrio. Sciendum quod de tribu Nepthalim pater eius fuerit, quo mortuo vxor

tuo vxor eius, quæ hic vidua scribitur eundem Hyram in Tyrum misisse, docendi gratia dicatur, & à quo dictus in Tyro fuit, pater eius Tyrius vocatur. Idcircò patre fuisse Tyrio dicitur, cùm vtique pater eius de tribu Nepthalim fuerit. Quòd verò in Paralipomenon legitur de Hyram regem dixisse, misi tibi virum prudentissimum, & scientissimum Huram patrẽm meum, patrem dignitatis gratia eum vocat, sicut in plerisque locis legitur. Filium verò mulieris de filiabus Dan eũ vocat, quia mater eius de tribu Dan fuit, de genere Salomith sororis Ooliab, filij Achisamech, cuius filius idem Sadomith Aegyptius in eremo lapidatus est. Nõ enim eadem Salomith spontè eidem Aegyptio cõiuncta fuisse suspicatur, sed vim ab eo perpessa est. Idcircò meritis eius factum fuisse dicitur, vt de filiabus eius nasceretur talis, qui operaretur in domo domini. Nam & meritis Bale concubinæ Iacob factum fuisse quidã autumant, quod mortua Rachel non solùm Ioseph in loco filij educauit, verumetiam p fratribus interceſsit eiusdem, vt immemor esset iniuriæ fratrum suorum, & pro hac re dominus ei tribuit, vt de vno filio eius idem nasceretur Ooliab socius Beseleel, qui ædificaret domum domini, & alteri eius filio, id est, Nepthali nasceretur Huram qui domum domini in Hierusalẽ ædificaret. Multum illum commendauit scriptura dicendo. Plenum sapientia & intelligentia & doctrina. Quod per hominem assequi poterit, hoc vltimum posuit, id est, doctrinam, quæ autẽ solius Dei dona sunt, prima dixit, scilicet sapientiam & intelligentiam. Sapientia quippe, id est, bono ingenio non nisi dono Dei plenus esse quis poterit, maximè autem intelligentia, quæ propria sanctorum, & prophetarum est facultas, per quam videlicet in arte sua, diuinas & mysticas sciebat attendere causas. Porrò doctrina ex homine est, quæ cum rite procedit, quasi de insito ingenio igniculo lucidam magnamque flammam excitare solet.

De duabus columnis æreis quas finxit, & quod prima Iachim à dextris, secunda dicatur Booz. à sinistris, & de linea cubitorũ duodecim, quæ vtranq; ambit.

CAPVT XIX.

FInxit, ait, duas columnas æreas, decẽ & octo cubitorum altitudinis, columnam vnam, & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtranque.) Columnæ istæ egregium, & maximum ornamẽtum domus
Cant.5. domini, quid significent, ipse auctor illarum nobis innuit in canticis, dicendo in laudibus
Psal.24. sponsi, Crura eius columnæ marmoreę, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Quænam crura sunt sponsi, nisi vniuersæ viæ domini? Planę vię domini vniuersę nõ nisi duæ sunt, misericordia & veritas, siue misericordia & iudicium, siue iustitia & pax. Quantumcunque varientur nomina, non nisi duo cru
ra, non nisi duo domini sunt itinera. Columnis istis tota penè domus incumbit, totum sanctæ scripturæ ædificium innixum est. Nam quicquid legimus, quicquid audi-
Iacob. 4. mus de vniuersis vijs domini, aut misericordia est, aut veritas. Igitur sapiens architectus duas tantum in opere suo ponit columnas admirabiles atque spectaculo dignas, si habes vnde videas quas ille non ignorabat vias domini, quarum altera veritas siue iudicium est, quod superbis resistit, altera misericordia quæ humiles sustentat, atque confirmat, spiritu gratiæ, spiritu fortitudinis. Quapropter ne nescire aut dissimulare vacet nobis, quærendam & spectandam in columnis certi gloriam mysterij, nominibus quoque proprijs illas & ipse vocauit, & scriptura hæc æterna memoriæ nomina ipsa mandare curauit. Ait enim, Cumque statuisset columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachim.) id est, firmitas. (Similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz.) Notas imo & nobiles ille suas columnas esse voluit, quas nominibus tantis, tamque claris insigniuit. Quæ est e-
Psal.66. nim in domo domini firmitas, nisi misericors gratia, vel gratuita misericordia, magni regis, magni, inquam, & pacifici regis Christi, quam postulantes dicimus, Confirma Deus hoc, quod operatus es in nobis? Nempe quicquid operatus est in nobis, quicquid confirmat ope spiritus sancti, misericordiæ est, non iudicij, gratiæ est, nõ meriti. Et quo in robore columna consistit secunda, nisi in iudicio, quo cælum ipsum (quanto magis terra) turbabitur tempestate valida? Vnde notandum, quia quæ prior est firmitas, & quæ secunda in robore dicta est, quia videlicet, prior est misericordia quæ humiles bona spe firmat. Posterius iudicium quo cõtra superbos fortissimus Deus, robustum brachium suum præparat. (Decem & octo cubitorum
Gen.17. altitudinis columnam vnam, inquit.) Nu-
Luc.1. merus iste ab omnibus adorantibus in templo domini, fidem simul & opera certatim exigit. Decem quippe præcepta sunt legis, octauo die Christus resurrexit, octauo, inq; die quo & circuncidebatur infans, quæ circũcisio signaculum erat iustitiæ fidei, quam in Abraham deus amicitia sua remunerauit. Itẽ numerus iste altitudinis, sub ternario senarioq; cõtinetur, ter em̃ sex, vel sexies tres, decẽ & octo sunt. Ternarius trinitatis fidẽ. Senarius (quo numero deus opus mũdi explicuit) significat operationẽ. Vt ergo & rectè credamus, & bonũ ad oẽs operemur, singulæ columnarũ cõmunib. exurgunt numeris, nam ad vtrunq; tã spe misericordiæ, quã timore trahimur iudicij. (Et linea, inquit, XII. cubitorum ambiebat columnam vtrãque.) Hic iam & illud sciendum, quia cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suę, quã-
Matth.25. do cõgregabunturante eum omnes gentes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunc columna hæc quæ dicitur firmitas, columna misericordiæ ſtabit à dextris, & colúna quæ dicitur in robore, columna iudicij, ſtabit à ſiniſtris. Tunc vtique linea XII. cubitorum ambiet columnam vtranque. Nam eccè circa columnã dextrã lineæ medietas, id eſt, cubiti ſex. Eſuriui, ait, & dediſtis mihi manducare. Sitiui & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram, & collegiſtis me. Nudus erã, & cooperuiſtis me. Infirmꝰ, & viſitaſtis me. In carcere eram, & veniſtis ad me. Eccè autẽ & circa columnam ſiniſtram cubiti ſex. Eſuriui, ait, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui, & non dediſtis mihi potum. Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Nudus, & non cooperuiſtis me. Infirmus & in carcere, non veniſtis ad me. Igitur linea XII. cubitorum columnam ambit vtranq;, videlicet quia duodenaria remuneratio, bonos & malos diſtinguens, diuidetur in vtroſque. Et hic quidẽ intellectus magis ſpiritualium eſt. Cæterùm Hebræi animales, à vero templo, de quo loquimur, omninò auerſi, carnaliter in his columnis Dauid interpretãtur & Booz, vt per Iachim quod interpretatur præparator, intelligatur Dauid, per aliam verò columnam Booz, propter virtutem caſtitatis.

Quid capitella columnarum, & cur quinque cubitorum ſint, & in porticu quatuor cubitorum fabricata, & quid retiacula vel catenulæ in capitellis, quibus colũnæ de oraculo pendẽre videntur, & quid malogranata catenulis interpoſita.

CAPVT XX.

CApitella autem quæ erant ſuper capita columnarum quaſi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarũ deſuper iuxta menſuram columnæ contra retiacula.) Iuxta cœptum myſterium, congeminata capitella columnarum, conſummationem ſignificant, tam veritatis quàm miſericordiæ domini, in reſurrectione mortuorum, in qua tam ſecundum corpus quã ſecundum animam, æqua fiet ſecundum opera retributio cunctorum. Et ſubteriora quidem capitella corporum, ſuperiora verò cõſummatum deſignat ſtatum animarum, vnde & paulò antè hæc dictum eſt. Quinq; cubitorum altitudinis capitellum vnũ, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum. Quinque cubitorum altitudinis capitella, pertinent ad corpora, quorum profectò quinque ſenſus æternorum ſiue bonorũ ſiue malorum omnes complebit ſempiterna ſacietas. Nam & qui, vt ſuprà dictum eſt, à dextris erunt, ex abundantia miſericordiæ, viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu in carne iam immortali, atque impaſsibili, æternalibus ſatiabuntur bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽderunt, & qui à ſiniſtris nihilominus ex abundantia iuſtitiæ & veritatis, totis eiſdem ſenſibus in carne ſua ſempiternis implebuntur malis, ita vt vermis eorum non moriatur, & ignis eorum non extinguatur. *Eſa. 66.* Nec verò repugnat, quòd hæc quaſi opere lilij fabricata erant, quia videlicet pulchritudini laudis diuinæ, tam iuſta & debita damnatio ſiniſtrorum, quàm miſericors & gratuita proficiet ſaluatio dextrorum, pſalmiſta quoque atteſtante cùm dicit. Miſericordiam *Pſal. 8.* & iudicium cantabo tibi domine. Benè igitur capitella hæc quinque cubitorum fuiſſe referuntur. Quæ autem ſuper hac erant, neque quinque cubitorum, neq; alterius cuiuſlibet menſuræ fuiſſe leguntur, quia videlicet ſenſus quidem cunctos nouimus corporis, in quibus caro noſtra, ſecundum operũ merita, plenariè remunerabitur, animarum autem quanta ſint receptacula, qui numeri, quæ habitudines, in illa remuneratione bonorum ſiue malorum ſcire non poſſumus. Vbi capitella hæc fabricata erant? (In porticu, inquit, quatuor cubitorũ.) Id eſt, in præeunte exercitio quatuor virtutum principalium, quas Ethnici quoque nouerunt, proprijſque vocabulis nuncupant, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam. Nã prout quis iſtis ſe exercuerit ſiue malè vt Epicurus, ſiue benè vt vir eccleſiaſticus, ne dicam Stoicus ſiue Peripateticus, ita in illa diſtinctione miſericordiæ, & iudicij, dexter ſiue ſiniſter inde ſpectabitur. (Contra retiacula, inquit. De iſtis retiaculis paulò ante hæc plenius loquitur, (Septena, inquit, verſuũre tiacula in capitello vno, & ſeptena retiacula in capitello altero. Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum ratiaculorum ſingulorũ, vt tegerent capitella, quæ erãt ſuper ſummitaté malogranatorũ, &c) Et in Paralip. Nec non & quaſi catenulas, inquit, in oraculo & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum. Malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit. Itaque per hæc datur intelligi, quia demiſſæ de altitudine oraculi, catenæ duæ in ſeptenas ſingulæ catenulas, velut quoſdam in ramuſculos diſpertiebantur, ſertis aureis in modum retiaculorum contextis, diuiſiones illas cõtinuantibus, & ita malis aureis innectebantur, columnas iſtas quaſi ſuſtentantes, vt quenquã firmiter ſtarent, de oraculo tamẽ pendere viderẽtur. Quid iſtæ catenulæ de altitudine oraculi porrectæ, niſi altiſſimas ſignificant rationes iam dicti iudicij atq; miſericordiæ, tam altè in cælo radices fixas habentes, tam profundè in verbo incarnato, in Dei ſapientia reconditas, vt nequaquã comprehendere, nequaquã ſenſus humanus queat inueſtigare? Nempe hinc eſt quòd Apoſtolus cùm de his latius diſputaret, ſubito admirans, exclamauit. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim comprehendere vel inueſtigare queat, vnde veniant hæc tanta miſericordiæ vel iudicij Dei retiacula, quatenus

Matth. 16.

Eſa. 64. 1. Cor. 1.

2. Para. 3.

3. Reg. 7.

Rom. 11.

quatenus & hunc nonnunquam velut inuitum ad vitam miſericorditer trahat, & illũ quaſi ad vitam velociter currentem concludat, & quibuſdam peccatorum funibus circumſtringat? Verbi gratia, de Iudæis per prophetã dicit. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat & cõuertatur, & ſanem eũ. Porrò quòd piſcatores ſuos ad gentes miſerit & ad capiendos eos retia ſua laxari iuſſerit, totum mundi huius mare magno & longo experimento perſenſit. Igitur de catenis ſurſum fixit, columnæ quaſi dependent, quia videlicet rationes veritatis & miſericordiæ Dei, de ſublimi oraculo ſapientiæ Dei venientes contingere vel comprehendere mortalium ingenia non præualent. Sanè malogranata eorum qui iudicantur vel ſaluantur ſunt opera. Dicite iuſto, inquit propheta, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum ſuarum recipiet. Item væ animæ impiorum, quoniã reddita ſunt eis mala.

Eſa. 6. Matth. 10. Marc. 11. Luca 5.

Eſa. 3.

De mari fuſili, in quo Sacerdotes lauarentur, quòd typus fuerit baptiſmi in quo peccata dimittuntur.

CAPVT XXI.

FEcit quoque mare fuſile decem cubitorum, à labio vſque ad labium rotundum in circuitu. Quinque cubitorum altitudo eius, & reſticula tringinta cubitorum cingebat illud per circuitum, & ſculptura per labiũ circuibat illud, decem cubitis ambiens mare, &c.) Mare hoc, lauacrum ſacerdotum erat, ſicut & in Paralipomenon legitur. Porrò in mari, inquit, ſacerdotes lauabantur. Et rectè poſt expletam templi ſtructurã, miranda maris huius factura ſubtexitur, in quo ſacerdotes lauarẽtur, quia videlicet poſt ædificatum vel reſuſcitatum dominici corporis templum, baptiſmi ſacramentum proponitur, in quo quod perſpicuum, notumq; fidei Chriſtianę eſt lauaremur, nõ quia ſacerdotes ſumus, ſed vt ſacerdotes eſſemus, quẽ admodum in Apocalypſi Ioannes cùm dixiſſet. Quoniam occiſus es, & redemiſti nos deo in ſanguine tuo, continuò ſubiunxit, & feciſti nos deo noſtro regnum & ſacerdotes. Huius maris aquam & Ezechiel videt egredientem de templo à latere dextro. Sed & hic ad dextrum templi latus hoc mare poſitum nunc præſens ſcriptura refert. Nam mare, inquit, poſuit ad dextram partem templi, ad orientem contra meridiem. Quo dicto & illud innuitur, quia templum hoc ad orientem reſpiciebat. Templi quippe ad orientẽ reſpicientis dextra pars contra meridiẽ ſpectat. Sic & in illa viſione prophetica. Et conuerti me, inquit, ad portam domus, & eccè aquæ egrediebantur ſubter limen domus ad orientem. Facies enim domus reſpiciebat ad orientem, aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris. Et rectè tam hic quàm ille, quod in myſterium baptiſmus præcurrit ad dextrum templi latus contra meridiem tendit, & domus ad orientem reſpicit, quia profectò lucis occaſum, frigidaſque pectorum infidelium regiones, gratia regenerantis per baptiſmum ſpiritus ſancti non admittit, quales per occidentẽ, atque ſeptentrionem ſcriptura notare cõſueuit, ſed ad lucis exortum plerunque meridiani fulgoris diem procurrit, id eſt, ad eos in quibus per fidẽ exoritur ſol iuſtitiæ Chriſtus, & non occidit ad eos in quibus calet per amorem mentis meridiana lux veritatis, inimica diabolo ſemper frigido ſedenti in lateribus aquilonis. Nimirum amplius & perfectius in hoc templo manufacto ſplenderet tanti gratia ſacramenti, ſi patienti ſitu ſoli Hieroſolymitani, rex ſapiens ſic aquas viuẽtes deducere potuiſſet, vt quemadmodum in iã dicta viſione prophetæ diligenter perſcriptum eſt, egrederentur ſubter limẽ domus, deſcenderent in latus in templi dextrũ, redundarent nihilominus à latere dextro. Sic enim plenius hic & illud exprimeretur, quod futurum erat, quòd nunc factum credimus, propter quod & loquimur, quia de ſubter limen domus, de dextro latere templi dominici, quando illud lancea militis aperuit, aqua cum ſanguine cucurrit, & omnia, inquit, idem propheta, ad quæ venerit aqua hæc, ſiue torrens hic, viuent, ſtabunt, & omnes aquæ, id eſt, omnes populi ſanabuntur. Nunc ad ipſa verba recurramus.

Malach. 4.

Ioan. 19.

Quàm rectè mare illud labrum appellauerit, & quomodo mare noſtrum, id eſt, baptiſma fuſile ſit, & de menſuris vel ſculpturis eius myſticis.

CAPVT XXII.

FEcit, inquit, mare fuſile. Quantum quã exiguæ rei vocabulum indidit, quantum enim erat vel quid? Labrum erat decẽ cubitorum, à labio vſque ad labium rotundum in circuitu. Decem, inquam, cubitorum erat diametrum eius, vnde & conſequenter reſticula, inquit, triginta cubitorum cingebat, id eſt, cingere poterat id. Nã hæc eſt geometricæ diſciplinæ ſpeculatio naturalis, vt cuiuslibet circulares amplitudinis diametrũ triplicatum totam fere perficiat eiuſdẽ menſuram circuli. Si igitur ſolam literalem facturam ſpectes, non eſt cur mare illud appellare debuerit ſapientiſsimus rex. Porrò ſi ad myſterium planè hoc ſacramentum baptiſmi, hoc lauacrum regenerationis, quod de latere templi dominici, de vulnere crucifixi domini profluxit, mare eſt, mare, inquam, tantę plenitudinis, tantę inundationis, vt mũdũ vniuerſum impleuerit, quippe cũ & illis qui ſub terra erant mortui primitus, in remiſſionẽ peccatorũ inundauerit, & deinde illis qui ſuper terrã erant, ſunt, vel erunt, inundauit, & inundare non deſinit. Mare ergo eſt, & fuſile, inquit: fuſile, inquã, quia pro-

Apoca. 5.

Ezech. 47

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia profectò grandi charitatis igne conflatus & liquefactus Christus, istam nobis gratiam effudit. Hoc mare decem cubitorum est à labio, vsque ad labium, & circuitus eius triginta cubitorum. Quo nimirum numero, fides subintelligitur, quam necessario quisquis lauandus accedit, confiteatur. Etenim arithmetici, siue abacistę optimè nouerũt in secũdo. i. in deceno limite vnitatẽ X. ternarium XXX. esse. Nos autem hac fide ante omnia op⁹ habemus, quæ catholica est, vt vnitatem in trinitate, & trinitatem in vnitate confiteamur, in qua confessione baptizati sumus in Christo Iesu. Igitur decem cubiti latitudinis in triginta cubitorum circuitu, fides vel confessio est, sine qua nullus aut nihil est baptismus. Vnum quippe Deum in trinitate & trinitatem in vnitate baptizandus, vt iam dictum est, necessario confitetur. Quinque cubitorum altitudo eius, vt videlicet hi quoque accedere vel admitti debeãt, in quibus nulla vis vel ingenij, vel scientiæ sublimitas est nulla, præter quinque sensus corporis est potentia, quales paruulos eadẽ die natos vix ipsis corporis sensibus functos Christiana fides baiulans ad matrem ecclesiam currit & properat, nec eis hoc mare magnum accessibile esse vllatenus dubitat. Et sculptura super labium circuibat illud X. cubitis ambiens mare. Duo ordines sculpturarum hystriatarum erant fusiles. Oportet eum qui in hoc mari lauandus est, confessorem trinitatis duũm quoque testamentorũ scripturã susçipere & venerari. Decem ergo cubitis, id est, in anteriori parte maris sculptura erat super labium, vt videlicet tota se vltrò oculis offerret, accedentium ad lauandum, erantque duo ordines sculpturarum hystriatarum, id est, prostantium siue proeminentium ad spectandum videlicet apotystorin, quod Græcè videre vel cognoscere dicitur. Itaque vt confessioni fidei nõ desint opera, sine quibus fides mortua rectè dicitur vel ociosa, duobus quoque ordinibus per decem cubitos protẽsa distinguitur sculptura lectionẽ vtriusq; testamẽti significans, quam susçipiens quisque in Christo renascitur, sic legat, vt sanctorum, quorum fidem confitetur, imitetur & opera.

1aco.2.

1aco 2.

Quòd XII. boues mare portantes, XII. Apostoli sint, baptizandi regulam à Christo susçipientes, & quid sit, quòd posteriora intrinsecus latitabant.

CAPVT XXIII.

ET stabant super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad aquilonem, & tres ad occidentem, & tres ad meridiem, & tres ad orientem, & mare super eos desuper erat, quorum posteriora intrinsecus latitabant.) Qui sunt isti boues duodecim, super quos mare positum est, nisi duodecim Apostoli, quibus recens in morte Christi consecratum baptismi sacramẽtum traditum est? Passus quippe & mortuus Christus (in qua nimirum morte eius hoc sacramentum conditum est. Omnes enim, inquit Apostolus, quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus) vbi resurrexit à mortuis, continuò bobus istis hoc ma reſuppoſuit. Dixit enim sic, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Mare ergo XII. bobus suppositum est, vt scilicet portarẽt in vniuersas gentes, in quatuor mundi partes trinitatem prædicando, Deum vnum in trinitate testificando. Nam hoc est quòd tres ad aquilonem, tres ad occidentẽ, tres ad meridiẽ, & tres ad orientem respiciebant. Quorũ, inquit, posteriora intrinsecus latitabant. Planè & istorũ boũ, istorũ Christi Apostolorum, posteriora intrinsecus latitare debent, vt videlicet non respiciamus, quid aliquando fuerint, sed quid per Christi gratiam facti sint. Verbi gratia, Matthæus ante vocationem publicanus & thelonearius fuit, nunc post vocationem Apostolus est & euangelista. Hæc facies est, facies ad cõ templandam Christi gloriam reuelata, illa fuerunt posteriora. Hãc faciem intueamur, vt per eam & nos illuminemur, illa posteriora lateãt, vt non imitemur. Aliter, facies quidem exterius eminent, sed posteriora latent, quia videlicet Apostolorum vel omnium patrum atque pastorum, aperta quidem nos opera cernimus, sed apud districtum iudicẽ, quæ illos posterius maneant in occulta retributione, nescimus.

Galat.3.

Matth.28.

Quid sit mysticè, quòd in basibus, nec leones sine bobus, nec boues facti sunt sine leonibus, & quid quòd quinque bases ad dextram, quinque ad sinistram, portantes singulos lutheres constituuntur.

CAPVT XXIIII.

QVID tandem est, quòd in basibus operi sculptorio, non solùm leones, sed leones pariter & boues & Cherubin expressa sunt? Sic enim subditum est. (Et sculpturæ inter iuncturas, & inter coronulas, & plectas leones & boues & Cherubin, & cætera. Quid, inquam, est quòd in basibus, nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus fiunt? Quid, inquam, aliud designant bases in templo nisi sacerdotes in Ecclesia? Quidum sollicitudines regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portãt. In basibus igitur Cherubin exprimitur, quia decet nimirum vt sacerdotium pectora, plenitudine scientiæ sint referta. Per leones autem horror seueritatis, per boues verò patiẽtia mansuetudinis figuratur. Itaque his basibus, nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus exprimuntur, quia semper à sacerdotali pectore, in terrore seueritatis custodiri debet virtus mansuetudinis, vt & irã mansuetudo cõdiat, & eandem mansuetudinẽ ne fortè dissoluta sit, zelus districtionis accẽdat.

3. Reg. 3.

Sunt

Sunt autem numero decem, singulæ singulos luteres portantes, singulæ quaternis rotis incumbentes. Et cõstituit, inquit, eas scriptura, quinque ad dextram partem templi, & quinq; ad sinistram. Hoc nimirum nobis illud pulchrè designat, quia baptismi quidẽ sacramentum totum dextrum est, & omnes Apostoli, dextri sunt, & idcircò mare cum XII. bobus suis ad dextram partem templi positum est, sed omnes baptizantes, non omnes baptizati dextri sunt. Nam & iuxta parabolam Euangilicam decem virginũ, quinque prudentium, & quinque fatuarum, certum est, quia de vniuersitate animarum, quę ad hoc templum veri Salomonis, ad nuptias veri & pacifici regis Christi vocatę sunt, pars ad dextram deputabitur ad sinistram, pars, inquam, cum rege intrabit ad nuptias, pars foris clausa relinquetur ianua. Idcircò nõ cũctæ bases, non cuncti luteres, quamuis pariter vniuersæ super quaternas sedeant rotas, constituuntur ad dexteram, sed quinque ad sinistram, quia videlicet non vniuersi baptizantes vel omnes baptizati, quãuis quatuor euangelia lectitent aut recipiant, peruenient ad gloriam, sed pars eorum assumitur ad vitam, pars quia dilectionem cum fide non habet, relinquitur in pœnam.

Matth. 28.

Hebr. 13.

Multa esse vasa vtilia in spirituali templo dei, quorũ nos vsu vel officio fungi debeamus, & quid sit mysticè, quòd in argillosa terra, inter Socoth & Sarthan fusa esse referuntur.

CAPVT XXV.

NObis tandem qui in templo magni regis, neq; colunmnæ neq; bases esse meremur, hoc supplicandum est, vt saltem inter vasa minora, quæ multa sunt suscipiamur. Nam pro diuersitate meritorum, pro diuersitate facultatum bonarum, & vtilium artiũ, alios lebetes, alios scutras, alios amulas, alios hydrias, alios fuscinulas, alios cyathos, alios phyalas, &c. Huiusmodi ponit ac disponit sapiens rex, & sic perficitur omne opus in templo domini. Et ne quis desperet, ne quis nimiũ semetipsum despiciat, omnia, inquit, vasa in campestri regione Iordanis fudit rex in argillosa tarra, inter Socoth & Sarthan. Omnia plane vasa nunc aurea & pulchra, nunc vasa gratiæ, nunc vasa honoris & gloriæ, quorũ incõsideratione miramur, & quę iure veneramur, in argillosa terra fudit rex noster, rex Christus, in argillosa, inquam, terra fudit, id est, de eadem massa, de eodem luto sumpsit, de quo & nos plasmati sumus. Dummodo in regione Iordanis, in regione campestri habitemus, id est, fidem vsque ad finem firmam teneamus, in qua baptizati sumus, & velut campus humilis, montuosa superbia careamus, non est difficile magno artifici, formare quenque nostrũ in vas cuiuslibet gloriæ & honoris, eisdem digitis, quibus adhibitis diligenter sanctos omnes formauit, inter Socoth & Sarthan, id est, in peregrinatione & trbulatione. Socoth quippe, tabernacula, quæ vtique peregrinantium, & militantium sunt. Sarthan intepretatur tribulatio eorum. Etenim absque malleo persecutionum, siue scalpello tentationum vasa quælibet templi domini, siue aurea, siue de aurichalco minus pretiosa sunt, ad perfectũ non peruenerunt. Igitur & nos in terris Iordanis positi, quoniam sumus in Christo Iesu baptizati, peregrinantes inter Socoth & Sarthan, quoniam hic manentem ciuitatem nõ habemus, sed futuram inquirimus, & si piè viuere volumus, multis tentationibus tribulamur, quanquam terra argillosa, imò limus aut lutum, sumus plastæ nostri magni artificis manibus, supplices cum fide & spe subijciamur, & si non magna, saltem parua, si non a urea, saltẽ de aurichalco vasa efficiamur, vt in templo eius qualiscunque honoris & gratiæ dono participemur.

Quòd dictum est: Et intulit ea quæ sanctificauerat pater suus, &c. reposuitq; & quid sit mysticè principes ac duces cũ maioribus natu ad regem Salomonem congregari, oues ac boues absque numero immolari.

CAPVT XXVI.

QVid tandem Salomon, postquam fecit omne opus quod faciebat in domo domini? (Et intulit, inquit, quæ sanctificauerat Dauid pater suus argentum & aurum & vasa, reposuitque in thesauris domus domini.) Nihil verius quam omnia quæ sanctificauerat pater suus, pater deus omne aurum & omne argentũ, & omnia vasa reposita esse in domo domini, in templo non manufacto dominici corporis. Quæ enim erant vel sunt illa, quæ pater iste sanctificauerat? Omnia dicta vel acta patrum vel patriarcharũ, vniuersa præconia prophetarum, omnes omninò sanctarum thesauri scripturarum. Omnes enim scripturæ in illo adimpletæ sunt. Igitur, quia (& quemadmodum Apostolus dicit) in illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, verum est, quia Salomon iste rex magnus Dei filius, omnia quæ sanctificauerat Dauid pater suus in templo suo recondidit, & continuò sequitur: (Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel, cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorũ Israel, ad regem Salomonẽ in Hierusalẽ, vt deferrent arcam fœderis domini, de ciuitate Dauid, id est, de Sion.) Et subinde. (Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues & boues absque æstimatione & numero.) Magna festiuitas, magna celebritas. Et hic quidem Salomon rex in dedicatione templi manufacti, oues & boues immolabat cum quanta poterat populi frequẽtia.

Coloss. 2.

3. Reg. 8.

Christus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus autem dominus & rex omnium in dedicatione templi non manufacti, scilicet corporis sui, viuum & verum sacrificiū obtulit, non carnes & sanguinem boum & ouium, sed carnem suam & sanguinem proprium. Quā enim putamus templi huius dedicationem, nisi sacrosanctam passionem, & gloriosam eius resurrectionem? Tunc vtiq; carnis & sanguinis sui sacrificium immolauit in magna frequentia cælestiū, terrestriū, & infernorum, primùm in sacraméto panis & vini, deinde in propria specie ligno crucis affixus, vbi & sanguiné suum fudit, in redéptionem nostræ salutis. Tunc proculdubio, tunc, inquam, & extunc omnes maiores natu Israel, omnes principes, & omnes duces Israel, imò & omnes gentes ad eum congregatæ sunt. Tali nanque exaltatus dedicatio-
Philip. 2. ne, omnia traxit ad se. Vnde & Apostolus cū dixisset. Christus factus est ,p nobis obediés vsque ad mortem, mortem autem crucis, cōtinuò subiunxit. Propter quod & deus illū exaltauit & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum. Igitur omnis Israel, omnes qui digni erant videre deum vel dirigi cum eo, quòd intelligitur per nomen Israel, omnes omninò, qui præordinati erant ad vitam æternam, velut membra multa ad vnū caput conuenerunt. Verùm hoc ipso cæcitas contigit in illo carnali Israel. Sequitur ergo.

Cæcitatis Iudaicæ fuisse signum, quòd nebula impleuit domum domini, & quòd non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam.

CAPVT XXVII.

FActum est autem cùm exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domū domini, & nō pterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam. Impleuerat enim gloria domini domū domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit, vt habitaret in nebu-
Exod. 19. la.) Subauditur loquens ad Moysen in monte Sina. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, vt credat tibi in perpetuum. Clarum est, notum & certum est, quia sacerdotes Iudæorum, pharisæi & pontifices homicidarum, de sanctuario domini exierunt, & eadem luce omnes gentes illuminatæ sunt, eadem, inquam, luce, quasi in nebula vel fumo, per suam inuidiam excæcati sunt. Quo autem ordine, vel quā ob causam excæcati sunt, &
Esa. 6. hic factis figuratur, & in Esaia pariter dictis & factis hoc modo significatur. Vidi, inquit, dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, implebant templum, Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, & clamabant alter ad alterum & dicebant. Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus impleta est fumo. Ac deinceps. Vade & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & noli te cognoscere. Excæca cor populi huius, &c. Nimirum hic dominus, sedens super solium *Ioan. 12.* excelsum, ipse est hic Salomon, rex magnus, rex sapiens, verè pacificus, qui inter deum & homines mediator fecit pacem. Hic, inquā, ille est, Euangelista testante, qui cū hoc prophetæ testimonium posuisset, dicendo, propterea non poterant credere Iudæi, quia dixit Esaias. Excæcauit oculos eorum, &c. cōtinuò subiunxit, hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Igitur quòd hic factis, hoc vt iam dictum est, in Esaia pariter & factis & dictis præsignatur, quia videlicet vero Salomone, verè pacifico rege Christo, per passionem mortis, gloria & honore coronato, quæ templi, id est, corporis eius, vera fuit dedicatio clamantibus Seraphim, Sāctus, sanctus, sanctus, id est, A- *Esa. 6.* postolis, qui accensi erant ardore sancti spiritus, sanctam trinitaté prædicantibus, & hoc modo omniū terra impleta gloria eius, qui tantum in Iudæa notus erat prius, impleta est domus domini fumo, & Iudaico populo excæcatum est cor. Quod prædicatur deus homo factus, quòd annūciatur Christus dei *Psal. 73.* filius crucifixus, mortuus & sepultus, fumus illis est, & hæc dei humilitas superbos oculos hominum scandalizat. Et non poterant, inquit, sacerdotes stare & ministrare ,pter nebulam. Quoniam sic excæcati sunt, & ab humilitate Christi, tanquā à nebula oculos auerterunt, meritò stare & administrare nō potuerunt, sed exierunt, sed expulsi sunt, sed ablatum est ab eis tam terrenum, quā cæleste sacerdotium, ruente pariter templo & ciuitate super oculos eorum, super cadauera eorum.

Quòd Salomon vtroque genu flexo orans, Domine Deus meus non est similis tui, typus fuerit Iesu Christi, qui in dedicationem templi sui, in illa qua dedicatus est passione corporis sui pro omnibus orauit. *III. REG. VIII.*

CAPVT XXVIII.

STetit autem Salomon ante altare domini, in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandit manus in cælum, & ait: Domine deus Israel non est similis tui deus, &c.) Vtrunque genu, vt infrà scriptum est, in terram fixerat, & manus expanderat in cælum. Nimirum, & verus Salomon rex Christus in dedicatione templi sui, in illa per quam dedicatus est passione sua, passione corporis sui, stetit ante altare domini ante oculos patris, ante arā crucis, & orauit. Imò & validè exclamauit, quemadmodum Apostolus dicit: Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset saluum eum facere, cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est, pro sua reuerentia. Et quidem cùm iam in cruce penderet, clamasse illum clamore valido, non dubium, qui tamen clamor cordis

cordis soli Deo audibilis esset, sed paulò ante verbis aperuerat, quid clamare deberet, propter quod in cruce idem pontifex, idemq; hostia salutaris ascenderet. Nam subleuatis oculis in cælum, dixit: pater sancte, venit hora, *Ioan. 17.* clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, &cæt. Et hic quidem cum esset rex, vtrunque tamen genu in terram fixerat, quòd apud *Luca 12.* Iudæos rarissimum est, nam antiqua rigentes superbia, genua curuare dedignantur, noster autem rex, & dominus omnium, positis genibus, imò procidens in faciem, factusque in agonia prolixius orauit, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrā. Illud de oratione hac Salomonis huius præterire non patimur, quòd inter cætera sic loquitur: (Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cùm venerit de terra longinqua, propter nomen tuum, audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum vbiq;. Cùm venerit ergo & orauerit in loco hoc, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alieni gena.) Nimirū secundum sensum intimum, hæc verba domini nostri sunt, in prædicta oratione sua dicentis: Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non pro his autem rogo tantum, sed & pro his, qui credituri sunt propter verbum eorum in me. Nouerat quippe, quòd propter passionem ipsius audiendum esset nomen patris magnum, & manus eius fortis, & brachium extentum vbique, quodque hoc audito nos alienigenæ, qui non eramus de populo Israel, venturi essemus ad eum de terra longinqua & adoraturi ad illum, templum sanctum, in confessione nominis eius. Quippe, qui per ora prophetarum, tantis illud præconijs prædixerat, quanta colligere vel explicare nulla lingua, nulla copiosa oratoris valet facundia. Orationem eius de longinquo audierat propheta in spiri-
Psalm. 19. tu, cùm diceret: Exaudiat te dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Idemque in persona eius, circa intentionis eiusdem cardi-
Psalm. 87. nem suspensus, domine Deus salutis meæ, inquit, in die clamaui & nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam, &c.

Quòd sicut surrexit Salomon oratione completa, et benedixit ecclesiæ Israel, voce magn..., quod ita surrexit Christus à mortuis, & dedit spiritum sanctum, cū totius mundi admiratione magna.

CAPVT XXIX.

FActum est autem, cùm complesset Salomon orans dominum omnem Orationē & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris domini, vtrunque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat ad cœlum. Stetit ergo & benedixit omni ecclesiæ Israel, voce magna & reliqua.) Verè quod credimus, credentes autem exultamus lætitia inenarrabili & glorificata, dominus noster, rex noster, postquàm orauit, postquàm orationem & deprecationē suam compleuit cū sacrificio sui corporis, & sanguinis, postquam in sepulcro triduo iacuit, surrexit à mortuis, vtrunque genu in terram fixerat, animā quippe sub terram ad inferos, corpus in sepulchro terræ demiserat, manus clauis confixas, ad cœlum expanderat. Surrexit, inquam, & stetit, surrexit à mortuis, & in cœlum ascendit. Illic sedet sibi, illic stat nobis à dextris Dei. Video (inquit Stephanus) cœlos apertos, & filium *Act. 7.* hominis stantem à dextris virtutis Dei. Sedet regnantium dominator, stat pugnātium adiutor, pœnitentium aduocatus & defensor. Illic stans benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna. Quis Israelita, quis ecclesiasticus aut fidelis est, & hæc ignorat? Et eadem quidē die qua surrexit, benedixit, sed nondum voce magna. Benedixit, inquam, insufflando & di-
cendo: Accipite spiritum sanctum, quorum *Ioan. 20.* remiseritis peccata, remittuntur eis, sed clausis foribus, voce summissa. At vbi stetit à dextris virtutis Dei, vbi ascendit in cœlum, & sedet à dextris Dei, tunc decimo die peracto, magna voce benedixit. Factus est repente de *Act. 2.* cœlo sonus, tanquàm aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erāt sedentes, &cæt. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente cōfusa est, quoniam audiebat vnusquisq; lingua sua illos loquentes. Vox ista benedicentis magna fuit. Illa benedictione, de terra facti sunt cœli, qui enarrarent gloriam Dei, illa voce effectum est, vt
in omnem terram sonus eorum exiret. (Igi- *Psalm. 18.* tur rex & omnis Israel cū eo immolabant victimas corā domino, mactauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit domino boum viginti duo millia, & ouiū centū & viginti millia, & dedicauerūt templū domini rex & filij Israel.) Multa boū, multa ouiū cedes, verūtamen facilè numeris comprehensa est. Quis autem hominum dinumerare possit, quantam boum, quantam ouium multitudinem rex noster, post iam dictam benedictionem con- *Philip. 4.* tinuò vel deinceps mactauit? Vt taceam de confessorum milibus, eorum qui assistente persecutoris gladio spontanea semetipsos suo rum mortificatione membrorum immola- *Rom. 8.* uerunt, vt exhiberēt (iuxta Apostolum) corpora sua, hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium suū. Quis dinumerare possit multitudinem eorum, qui gladio persequentium, tanquam boues aut oues cæsi sunt, propter istum regem suum? Nā hinc est, quòd eidem regi suo lachrymabili- *1. Cor. 15.* ter dicūt: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Verè hos & illos Salomon iste mactauit, quia tā eis qui se mactauerunt, quā & illis, qui à persecutoribus mactati sunt, Christus & spiritus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Coloss.1. eius causa vel gratia fuit, ita vt dicat quilibet eorum. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Igitur & vsque hodie & templum illud gloriosum cũ Salomone dedicant filij Israel, supplendo videlicet ea, quæ desunt passionũ Christi, in carne sua prædicante iugiter ac dicente per Psalmistam prophetico spiritu. Tol
Psalm. 15. lite hostias & introite in atria eius. Hæc est illa magna & celebris festiuitas, quam fecit, & perficit hic Salomon in tempore suo, tempore gloriæ, tempore accepto, & omnis verus Israel cum eo.

Quos hic verus Salomon viros nauticos miserit in Ophyr, quòd interpretatur infirmitas, quæsit illa infirmitas, & quod illud aurum, & quæ regina Saba, quæ interea venit audire sapientiam eius.

CAPVT XXX.

III. REG. IX. CAP. X. MIsitque Iram seruos suos nauticos, & gnaros maris cum seruis Salomonis. Qui cum venissent in Ophyr, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem. Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine domini venit tentare eum in ænigmatibus.) Non contentus Salomon eis, quæ thesaurizauerat pater suus, misit in Ophyr, vt sumptum inde aurũ sibi deferretur. Ophyr
Galat. 4. infirmitas interpretatur. Veraciter autem in infirmitate aurum erat plurimum, quando circa infirma & egena elementa detinebantur preciosa ingenia philosophorum, & vanis in rebus occupabantur acumina rhetorũ, & dialecticorum. Sed hæc quoque rex sapiẽs Christus thesaurizauit, non contentus prophetis vel piscatoribus suis Apostolis. Misit enim viros nauticos & gnaros maris, de qui-
Psalm. 106 bus scriptum est in Psalmo: Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Misit inquam Apostolos suos, verbi gratia: Paulum Athenas & cœpit eos, & adduxit eos, & ecce præclara talium ingenia proficiunt verbo Dei, sanctas explanando scripturas, & pro fide certando seruiunt magno regi. Aurum igitur de Ophyr sumptum est. Hoc modo actum est. vt veniret ad regem istum, regina Saba, id est dies & insignis de gentib. ecclesia, non quia prius regina erat, quippe quæ dæmonum potius erat ancilla, sed quia veniendo ad Christum regina facta est, credendo in Christum regio diademate coronata est, ornata bonorum operum vestibus deauratis, cunctarumq; virtutum lapidibus pretiosis, quemadmodum de illa in psalmo Spiritus Sanctus dicit:
Psalm. 44 Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaura to circundata varietate. &c. Venit hæc regina in Hierusalem, cum multo comitatu, id est, non iam cum vna gente tantum, scilicet, Iudæorum, sicut prius synagoga solos habebat Hebræos, sed totius mundi gentib. diuersisq; nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurũ & gemmas preciosas, & hoc camelis portantibus, id est, ex Gentili populo venientibus, qui prius fuerant fœditate vitio rum distorti, & malorum onere curui ac prauitate deformes. Cùm istis inquam muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regẽ Christum, exhibens se cum fidei aurum, puri tatis incensa pretiosa, splendoresq; gemmarũ, morum scilicet insignia & ornamẽta virtutũ. (Et locuta est vniuersa, quæ habebat in corde suo.) Id est, aperuit ei cor suum, manifesta uit ei occulta conscientiæ suę, in confessione & pœnitudine pęrcedentiũ delictorũ. Iamq; hæc & reliqua quę sequũtur, ex multis sanctorũ tractatib. nota sunt. Ad cętera pficiscamur

Memorabilium operum, quæ fecit Salomon, vltimũ scilicet thronum de ebore grandem auro fuluo nimis vestitum, iudiciariã præfigurasse mundissimi hominis maiestatem Christi.

CAPVT XXXI.

FEcit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro puro, & trecentas peltas ex auro probato. Fecit etiam thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori. Et duę manus hinc & inde sedile tenentes, & duo leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leonculi stantes super sex gradus hinc atq; inde.) Hoc memorabilium Salomonis operum vltimũ, ne paruum esse aut à mysterio vacare suspicemur, vehementi atque ammiratiua, scripturæ præsentis cõmendatione prohibemur, dum Cant. 4. continuo sequitur: (Nõ est factum tale opus in vniuersis regnis.) Nam tot scuta, totq; peltæ idem significant, quod armatura illa fortium, de qua idem in Canticis Canticorum: Sicut, inquit, turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est, cum propugnaculis. Mille Clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Hoc ergo memorandorum eius operum no uissimum, quid significet, dignè quęrimus, & quærentes ad vltima magni regis Christi, opera prospicimus. Quid nam est iste thronus tam grandis, tam mirabilis, nisi altitudo maiestatis in illo die nouissimo magni & tremendi iudicij? Mirando ordine in illo rege sapientia dei significatiua opera disposuit, vt hoc opus quo perfecto nihil vltra memorabile fecit, signum vel figura esset magni iudicij, post quod nihil vltra operaturus rex noster requiescet ab operibus suis. Grandis thronus, grande quippe iudicium expectamus, cuius in occursum venientes in nube, virtutes quoque cęlorum mouebuntur. Thronus, inquam, ex ebore, iudicium quippe ex puritate constabit iustitiæ. Alioqui nisi (vt hoc idem Salomon testatur) venter eius esset eburneus, nisi absq; omni calore libidinis conceptus, natus vel cõ uersatus esset homo, & Deus Christus. (Elephas quippe, vndè est ebur, animal esse castissimum perhibetur) quo modo vel quo iure hunc mundum esset iudicaturus? Grandis igitur ex ebore thronus auro vestit⁹, iudiciaria mundissimi hominis est maiestas, in qua nimirum

mirum aurea diuinitatis iustitia reuelabitur. Sex ille habebit gradus, sex enim sententiis iudicium perficitur. Esuriui enim, & non
Matt. 25. dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me. Infirmus, & non visitastis me. In carcere & non venistis ad me. Duæ manus hinc atque inde, id est, duo tenores hinc iudicij, atque inde misericordiæ. Duo leones iuxta manus singulas, id est, vtrobique fortis atq; formidabilis iudicij veritas. Nam & à sinistra o-
1. Pet. 14. mnis iniquus condemnabitur, & à dextra vix
Psalm. 111. iustus saluabitur. Duodecim leonculi super sex gradus stantes, duodecim erunt apostoli, duodecim, id est, vniuersi iudices super condignas vtriusque manus propositi retributiones. Post hoc opus, post hunc thronum Salomonis, id est, pacifici regis Christi, iam in æternum gloria & diuitiæ in domo eius, tanta copia, quantam scriptura præsens significare non sufficit. Attamen conando non ni-
Matt. 19. hil proficit. (Non erat, inquit argentum, nec alicuius precij putabatur in diebus Salomonis.) Ac deinceps. (Fecitque vt tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta lapidum.) Etenim postquam sederit filius hominis in sede maiestatis suę, & per iudicium eius ierint impij quidem in supplicium sempiternum, iusti autem in vitam æternam, iam non erit argentum, iam nullius precij reputabitur in illis diebus æternitatis, quia sibi prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur, non illic tinniet eiusmodi argentum, quia non mittentur eloquentes ad
Cant. 4. prædicandum, ad docendum, ad prophetandum. Omnes perfecti erunt, omnia consummata erunt. In omnibus æternaliter abundabit, purissimum charitatis aurum vel argentum.

Quod amauit mulieres alienigenas multas, super quibus prohibens dominus, certissimè, inquit, auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.

CAPVT XXXII.

III. REG. XI. REx autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas. Filiam quoq; Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, & I- Eccles. 47.
dumæas, & Sidonias, & Ethæas. Fueruntq; ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.) Super hoc illi exprobrans vir sapiens, cũ dixisset: Collegisti, quasi aurichalcum aurum, & vt plũbum cõplesti argẽtum, continuò subiũxit: Et inclinasti fœmora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo, & dedisti maculam in gloria tua, & prophanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos & in cæteris stultitiam tuam, vt faceres regnum bipartitum. At ipse videlicet Salomon dicit in Canticis Canticorum. Cant. 6.
Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum nõ est numerus. Reginæ videlicet sponsi regis Christi animę sunt quæ iam per dilectionem, concubinæ autem, quæ adhuc illi subijciuntur per timorem, adolescentulæ quæ vix initiatæ per fidem custodia matris ecclesiæ, vel tutela disciplinæ indigent. Num igitur sic stultus fuit, & sic stultiam sapientiæ permiscuit, vt sciens Christi mulctarumq; animarum, spirituales fore cõplexus, semetipsum in tantis, totq; alienigenarum carnalibus dissiparet complexibus? Nẽpe si hoc intuitu taliter egit, & cœleste mysterium vertit in occasionem libidinis, insipientium omnium insipientissimus extitit. Nec enim homo rationalis, hic diuinum quærere dignabitur mysterium, vbi nudum meritò detestabitur opprobrium. Rectè igitur veritas ad impleta est domini, dicentis, super mulierib alienigenis. Nõ ingrediemini ad eas ne- Exod. 34.
q; de illis ingredietur ad vestras. Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum: nã & ita factũ est. Cum esset senex, deprauatũ est per mulieres cor eius, vt sequeretur deos alienos. De cuius pœnitentia magnorũ pleriq; doctorũ diuersa sentiunt, certissimum autem manet sapientibus exemplum, vt nunquam quoad viuant, de statu suo præsumant, cùm tam deterrimè ceciderit hic, quò vel ante vel post nemo sapientior fuit.

COMMENTARIORVM IN LIBROS
REGVM LIBRI III. FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS RVPERTI IN LIBRVM PSALMORVM.

Quòd Dauid & Salomonis, cæterorumq; prophetarum dicta, sint testimonia Christi filij Dei, & quòd in eis citius obruantur veritatis aduersarij.

CAPVT I.

SPlendida spectauimus in hac ætate quarta regum gesta, Dauid atque Salomonis, vbiq; gloriam quærẽtes regis Christi, nunc tandem & eorundem & sequentium prophetarũ dicta se offerunt, quæ testimonia sunt eiusdem Christi filij Dei, quasi post solidum terrestris amplitudinis stadium, in quo nobiscum, imò & cõtra nos aduersarij veritatis currere possunt, venimus ad hoc mare profundum, quod antequam perueniatur ad victorię palmam trãscurrendum est. Porrò non aliter quàm ligno Christi, nõ aliter quàm nauigio crucis transiri potest. Nam non credentibus Christũ, nõ recipientibus prophetiæ spiritum, propheticæ scripturæ profundum, omninò impermeabile est. Statim vt pedem immiserint, submerguntur abundantia testimoniorum Christi inimici veritatis; velut multis fluctibus, obruuntur. V.g. In carne Abrahæ, in meritis patrum, præcipueque in Moyse habere sibi videntur, vndè rectè glorientur, in propheticis autem scriptis incircunciſi conuincuntur. Pa- *Ezech. 10.* ter tuus, inquit, Amorræus, mater tua Cethea Eisdem ergo pedibus quibus per solidum legis aruum cucurrimus, iam nunc prophetarũ aquas ingredimur, fide socia regente gressus, vt non periclitemur.

Quòd Dauid prophetarum sit primus.

CAPVT II.

SAnè ex eo, quod de regno Dei, de regno Christi & ecclesię sublimiter elocuti sunt, prophetæ dici meruerunt, eorumq; primus vel præcipuus est patriarcha Dauid. Siquidẽ Moyses aut Iosue, siue Samuel, qui ante illũ fuerunt, nihil de regno Dei, nihil de pœnis inferni, nihil de iudicio, quo & iusti saluandi, & impij condemnandi sunt palàm verbis dixerunt, non quòd ista nescirent, sed quòd carnales nimium terræ amatores ista non reciperent. At verò prophetæ de huiusmodi magni ficè sunt elocuti, primusq; Dauid. Verbi gratia: Quoniam, inquit, nõ est in morte qui me *Psalm. 6.* mor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Hic primus regnum Christi verbis intelligibilibus cecinit, verbis quoque personæ eius patientis siue resurgentis vsus est. Prophetarum igitur primus est, licet & ante hunc beatum Iob de resurrectione carnis apertè locutum esse nemo est qui dubitet. Hinc iã res ipsa satis opportunè suggerit, vt quæramus, vt quid sermo domini, spiritus domini de virtutibus locuturus futuri seculi regem sibi, per quem loqueretur elegit, imò cur illum, per quem primum loqui disposuerat, de animarum salute vel vita æterna regem esse voluit? Nec enim idcirco quia rex erat elegit illum, & loqui voluit per illum, sed quia illum elegerat, & ad hoc officium præparauerat, idcirco regem illum esse voluit. Cur ergo sic egit, cur sic venit verbum domini? Cur de tribunalibus audire primitus voluit? Cur de regali solio primas voces emisit? Nimirũ propter duritiam nostram, propter vanitatem & superbiam nostrã, diligenter aduertamus, causamque ex nobis esse vel fuisse, iam scienter fatea mur. Totum mundi huius auditorium Deo obsurduerat, & in audienda vanitate superbiebat, omnis homo viuens vniuersa vanitas erat. Ludo vanitatis intẽta, populosa carnis lasciuia vitæ ęternę seria mortis imminentis negocia scire dedignabatur, audire non poterat. Videmus iam senem ac decrepitum mũdum adhuc ex parte maximè lasciuientem, matura euangelicæ prædicationis fastidire verba, sicque sani sermonis auditu velut sarcina aut massa grauari harenaria. Ridentur nonnunquam publicè prædicatores, nisi caueant, ℣ *Matt. 7.* & præceptũ est, dicente domino: Nolite margaritas vestras mittere ante porcos. Quanto magis cũ adhuc recens mundus luxu iuuentutis efferretur, personam qualemcunq; verbi Dei prędicantem audire dedignarerur? Ergo peregrinum erat huic mundo verbum domini, non aliter attentos aut beneuolos habiturum diuites seculi, nisi orationem suam inciperet per os regis diuitis, magni, regis manu fortis, & victoriosi, qualis erat iste Dauid.

Cur prius per potentem & regiam personam de pœnis inferni & regno Dei potuerit nunciari, & pedibus metricis decantari, & quid mysticè significet forma Psalterij.

CAPVT III.

SEd & hoc parum erat, vt potens persona iam dicto dei verbo auctoritatẽ sua praeret potentia. Dulcedine opus erat, quatinus alienus ab illo animus per sensus corporis necessaria insinuaretur beneuolentia. Procurauit & hoc artifex mirabilis, salutis humanæ auidus spiritus domini, tum quem præparabat ministrum verbo domini puerum citharœdum esse voluit, vt deinde paulatim proficiẽtem ordinatè Psalmistam faceret, vt negotiũ salutis animarum, mixta dulcedine musica, & canendo prophetaret, & prophetando caneret, vt inquam & verba metricis pedib. currendo, & tinnulæ psalterij chordę persultando, sensim per aures ad animũ peruenirent fidemq;, spem & charitatem dei dulciter inserent. Erat aũt instrumentũ eius musicũ, in modum deltę compositũ, interius concauum, de foris pellib. mortuorum animalium coopertum, habens decẽ chordas desuper sonãs, quæ singula

singula nobis aliquid mysticè significant Cõcauitas interior, terrenis facultatibus designat nos fore euacuandos, quemadmodum di- *Psalm. 111.* cit: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Mortuorum animalium exuuiæ, nosipsos cum vitijs & concupiscentijs debere mortificari. Iuxta illud Apo- *Coloss. 3.* stoli. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Decachordi positio, decalogi legis est obseruatio. Soni desuper emisio cœlestium tantũ est appetitio, solius Dei dilectio, *Philip. 3.* vt idem Apostolus: Nostra autem (inquit) cõuersatio in cœlis est. Sonus fidium ipsa est prolatio vocum, discretio digitorum, pluralitas est spiritus sancti donorum, quorum etiam motio quorumlibet iustorum est operatio.

Quomodo Psalterium ipsum ter quinquaginta psalmorum trimodum fidei, spei & charitatis, prædicet iubilæum, primis psalmis L. id maximè continentib. quod de Christo est credendum, secundis maximè id quod sperandum, tertijs ea maximè quibus prouocemur ad amandum Deum.

CAPVT IIII.

POrrò psalterium ipsum ter quinquaginta psalmorum, trimodũ, fidei, spei, & charitatis, prædicat ac decantat iubilæum, à quibus virtutibus, vt in prima huius operis parte iam diximus, prius homo excidit, primũ charitate, deinde spe, ac postremo fide perdita, si ne quibus nullus filiorum eius salutem recuperat, reciprocato tamẽ ordine, primum fide, deinde spe, postremo charitate possessa. Hęc autẽ fides in vno homine, hæc spes in vno eodemq;, hæc charitas erga vnum eundemq; ho- *Fides.* minem Christum possidenda est. Et prima *Spes.* quidem pars, id est, L. psalmi, septem periochis recapitulando, quid credere debeamus prædicat. Secunda autem pars itidem quinquaginta psalmorum, septem nihilominus periochis recursando, spem corroborat. Tertia quoque pars, quinquaginta psalmorum, charitatem septies recapitulando, benedictionibus & laudibus dilatare concertat. Quod vt euidentius fiat singulorũ sensus psalmorum perstringere non pigeat. Primus sic intonat.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPEribvs EIVS, IN LIBRVM PSALMORVM, COMMENTARIORVM LIBER

vnus: Qui & inter Libros Regum quartus computatur.

Ordo ter quinquaginta psalmorum cum adiunctis titulorum mysticis significationibus.

CAPVT V.

BEATVS vir, qui non abijt in consilio impiorum.) Quid nobis hic prædicat, nisi quia Christus sine peccato est, sine peccato inquã (quo credere eiusq; re fidem oportet habere) quia cõceptus & natus est de virgine Maria? Alioqui nisi id prædicari consentias, non est de quo dictum hoc rectè intelligas, cùm simus omnes *Rom. 3.* ex Adam in quo (vt Apostolus ait) omnes peccauerunt, qui primus in consilio impiorũ positus, consentiendo abijt, & à Deo re esit, & opere adimplendo in via peccatorum stetit, & reatum suum defendendo in cathedra pestilentiæ superbus ac malè suffultus sedit. In illo omnes abierunt, omnes malè steterũt, & sederunt: omnes enim (vt iam dictum est) Apostolo testante, in illo peccauerunt. Hic ergo primus psalmus fidẽ incarnationis Christi personat, quòd scilicet in illo, neque abierit neque steterit, neque sederit, eo quòd de virgine, conceptus & natus sit, vnde & liber est à peccato originali. Cætera psalmi, quæ sequuntur. (Sed in lege domini voluntas eius, & cætera.) actualem eiusdem iustitiam commendant. Itaque credentes in eum tam ab originali, quam ab actualibus peccatis rectè li- *De passione domini.* beramur, vt simus iusti, quorum dominus iter nouerit. Nam (iter impiorum peribit.) Id est eorum, qui huic beato viro contradicendo manent increduli. Secundus psalmus consequenter fidem passionis eius pronuntiat. (Quare fremuerunt, inquit, gentes, & populi meditati sunt inania?) Ac deinceps, (Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.) Secundum hæc enim ipse in Euangelio dicit. Et ego si exaltatus fuero *Ioan. 12.* à terra, omnia traham ad me. Exaltatus quip- *Hebr. 5.* pe à terra, id est, cruci affixus, postulauit, nam & ipsa passio postulatio fuit, sacrificium pro omni mundo fuit, per obedientiam qua patri seruiuit, dicẽti: Postula à me, vnde & auditus pro sua reuerentia, omnia traxit ad se, dante illi patre gentes in hæreditatem, & possessionem terminos terræ. Nã propter hoc, inquit Apostolus, Deus illum exaltauit, & dedit illi *Philip. 2.* nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium & infernorum. Fruſtra ergo fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, assistendo eum regibus & principib. vide

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet cum Herode & Pontio Pilato aduersus dominum & aduersus Christum eius, putantes, quòd per hoc possent dirumpere vincula eorum, & proijcere à seipsis iugum ipsorum, videlicet, domini & Christi eius, cùm econtrario per hoc accreuerit regnum eius, quod & visuri sunt, cùm exarserit in breui ira eius, cũ venerit, quod cito futurũ est iudiciũ eius. Tertius Psalmus fidẽ resurrectionis eius prædicat, (Domine, inquit, quid multiplicati sũt qui tribulant me?) Ac deinceps. (Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me.) Nam videtur quidẽ idem in hoc agere, quod in præcedenti psalmo, tractat enim de passione & resurrectione, sed non ita est. Hic enim de multiplicatione inimicorum agit, & manifestius de resurrectione. Ego dormiui, inquit, & soporatus sum, scilicet moriendo, & exurrexi de morte triumphando. Et quia post resurrectionem eius inimici, qui tribulauerant eum, qui insurrexerant aduersus eum sine causa, percutiendi erant ita vt & intus excæcarentur, & foris miserabili excidio vastarentur, subinde. (Exurge, inquit, domine, saluum me fac Deus meus, quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti.) Nec verò de altitudine ascẽsionis tacuit, dicendo. (Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea & exaltãs caput meum.) Tribus igitur psalmis prioribus, vbi per ordinem incarnationis, passionis, & resurrectionis eius propheticus spiritus testificatus est fidem. Quarto iam psalmo de acceptione Spiritus sancti, apostolica gloriatur ecclesia, dicẽs. (Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.) Ac deinceps, (Signatum est, inquit, super nos lumen vultus tui domine, dedisti lætitiã in corde meo.) Etenim dilatatio in tribulatione, lumen vultus tui domini & lætitia cordis datũ est paracleti Spiritus Sancti, quo post resurrectionem vel ascensionem eius accepto, qui prius per modicam fidem cor angustum habebant, ita vt relicto domino omnes fugerẽt, iam dilatarentur, & lætarentur in amplitudine cordis, quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contumeliam pati, dicentes, Signatum est super nos lumen vultus tui domine, subauditur, vt intelligerem⁹ scripturas, te sensum nobis aperiente. Simulq; arguit in illis mundum, ille paracletus, ille spiritus veritatis, & dicit. (Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Et scitote, quoniam mirificauit dominus sanctum suum, &cæt.) post hæc notum est, quia contra ecclesiam cõsurrexit persecutio malorũ, inimicorum Iudæorum, falsorum Christianorum, & maximè hæreticorum. Propter istos inimicos, quinto psalmo dicit sic. (Verba mea aurib. percipe domine, intellige clamorẽ meum.) Ac deinceps. (Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorũ vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, iudica illos Deus, &c.) Verba hæc, & clamorem hunc dominus auribus percipit atq; intelligit perseuerantis ecclesiæ vsq; ad illud mane, quo illi astabit, quod est dies iudicij, quando videbit & dicet. (Quoniam nõ Deus volens iniquitatem tu es.) In quo mane vel iudicij die quis gloriabitur castum se habere cor? Sequitur ergo & dicit psalmo sexto. (Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias.) Furor quippe erit domini dicentis impijs & peccatoribus. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ira autẽ eius post diem furoris permanens, mors est & infernus. Vnde & postmodum. (Quoniã non est, inquit, in morte, qui memor sit tui, in inferno aũt quis cõfitebitur tibi?) Proinde & idẽ Psalmus hunc habet titulum, In finẽ psalmus Dauid pro octaua. Et est sensus, iste psalmus attribuẽdus est Dauid id est, pœnitenti ecclesiæ, tendenti in finẽ. i. in Christum, & orat pro octaua, scilicet, pro æterna requie, quę dicitur octaua, quia post huius vitę decursum, quæ per septẽ dies agitur, futura est. Septimo psalmo ad caput reditur, id est, ad fidei nostræ principium, ad Christi passionẽ, orãtis in eadem passione, per quam nos saluari credimus. (Domine Deus meus, inquit, in te speraui, &cæt.) Intentio namque prophetę est in hoc psalmo, introducere Christum secundum humanã naturam, verbo sibi vnito loquentẽ & orantem, vt liberet illum, ne conformetur mentib. inimicorum, & vt à morte resuscitet eum, & deinde ostendẽtem sub quadã confessione improborum damnationem, & iustorum gloriã ex resurrectione sua prouenturã, & etiam istis malè agentibus qui si pœnitерent, possent consequi veniam. Psalmus octauus luce clarior est, quod eiusdẽ resurrectionẽ Christi, & exaltationem ammirando glorificet. (Domine, inquit, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.) Ac deinceps. (Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniã visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab angelis gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.) Patet, ait, profectò hominem esse aliquid dignum interius, licet vile & abiectum cæteris animalibus videatur exterius, & istud patet per hoc, quod memor es eius. Et quicquid sit de alijs hominibus, ipse qui nõ erat filius hominum, sed hominis. i. virginis, ipse quiddam maximum. Et hoc inde constat quoniã visitas eum. Et exponit secundũ quid visitat eum, ita: Minuisti eũ paulò minus ab angelis, &c. Spiritus sancti effusionẽ, quæ per exaltationem Christi data est, hoc modo insinuat. (Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.) Cæ-

Act. 2.

Ioan. 16.

Exodi 8. Luc. 11.

sti.) Cæli isti sancti sunt apostoli, quia de terrenis cœlestes facti sunt, per spiritum sanctũ, qui cùm singulariter dicatur digitus dei, vt illic. Si in digito Dei ejcio dæmonia, pluraliter tamen hic dictum est, opera digitorum tuorũ quia spiritus idem septiformis est, & diuisiones gratiarum eius multæ sunt. Luna vniuersalis ecclesia, stellæ singulæ ecclesiæ sunt, quæ tu fundasti, inquit, id est, quibus singulis incrementum dedisti, propter hęc nomẽ tuum, ait, quod prius notum erat in Iudæa tantùm, nunc admirabile est, in vniuersa terra. Et hic psalmus in titulo habet. Pro torcularib. quia videlicet sicut in torculari vinum & acinum, ita in ecclesia boni & mali continẽtur. Nonus inscribitur sic. In finem pro occultis filij psalmus Dauid. Et est sensus. Iste psalmus attribuendus est Dauid, id est, perfectæ ecclesiæ, tendenti in finem. id est, in Christum, vt ei sit conformis, pro occultis filij, id est, consideratione occultorum iudiciorũ, quæ ad filium pertinent, sicut scriptum est, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudiciũ dedit filio, qui antonomaticè filius dicitur, sicut idem testatur. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Intentio prophetę est, in hoc psalmo introducere perfectam ecclesiam, de occultis iudicijs gratias Deo omnibus modis agentem, & per hoc minora membra instruentem. In primo Christi aduentu, quidam eum tantum hominem esse putauerunt, pauci verò. i. electi, deum & hominem intellexerunt, quod Dei occulto iudicio factum est, videlicet vt quibusdam pateret, alios lateret. De secundo aduentu quidam malè sani dubitant, quiq; autem fideles vt certum expectant. Quod similiter iudicio iusto Dei fit. Quo tamen die, vel qua hora futurũ sit, oẽs æqualiter ignorant. Quare aũt quidã saluentur, quidam reprobẽtur, cùm omnes ex eodem parente proueniãt occulto Dei iudicio fit, quod similiter omnibus ignotum est. Quòd & in præsenti seculo, mali exaltentur, & boni deprimantur, occulto & iusto DEI iudicio fit. Occulto quidem malis, bonis autem non. Prætereà quod filius perditionis circa finem seculi, tantopere supra ecclesiam se extollet, eamq́ue tanta persecutionum acerbitate affliget, occulto Dei iudicio fit. In quibus omnibus gentes, & malè intelligentes errant & Deum blasphemant. Perfecta verò ecclesia non solùm Deum nõ blasphemat, sed in omnibus eum totis viribus attentè laudat, dicens. (Confitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te, &c.) Duobus igitur præcedentibus psalmis, continentibus recapitulatam passionis & resurrectionis Christi fidem, quæ necessaria est ad æternam salutem, rectè hic subsequitur, in quo occulta eiusdem filij iudicia confitendo, sancta ecclesia miratur, secundum sensum Apostoli dicẽtis. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Dixit enim hæc de cæcitate, quæ ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, quæ videlicet cæcitas occulto nimirum iudicio statim contigit, vbi Christus, iuxta precedentem psalmum, gloria & honore coronatus est. Psalmus decimus maximè contra hæreticos inuehitur, qui interim callidè simplicitati ecclesiasticæ insidiantur. Super quos, quia peccatores sunt, quia ignis concupiscentiæ, & sulphur malorum operum pars calicis eorũ fuerunt, & hæc eos inebriauerunt, idcirco dominus laqueos pluit, vt per scripturam sacram multipliciter illaquerentur, id est, vt malè intelligant, malè interpretentur, talibus dicit. (In domino confido. Quomodo dicitis animæ meæ.) Qua audacia dicitis mihi. (Transmigra in montem.) Id est, eminẽtiam nostrarum sententiarum, sicut passer tendit in altũ? Psalmo vndecimo ecclesia, quæ Christi aduẽtum expectabat, illud orabat, quod nunc præsens ecclesia completum sciens, adhuc tamen orat, vt salutis opus quod vniuersaliter fecit in singulis perficiat. Ait enim. (Saluũ me fac domine, quoniam defecit sanctus.) Scilicet Adam, innocens & mundus à te creatus, in cuius defectu totum corruit humanum genus. Hoc dicto omnes in Adam peccasse, & ex illo peccatum originale traxisse, confitemur. Sequitur de multitudine peccatorum actualium. (Quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum, vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, & cæter.) Hic sensum apostolicum subintelligimus. Sicut inquit. per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationẽ vitę. De quo videlicet vno subinde psalmus iste loquitur. (Propter miseriã inopũ & gemitũ pauperum, nunc exurgã dicit dominus, ponã in salutari, fiducialiter agã in eo.) Et quia per ipsum iustificamur, et in vitam regeneramur, (Tu, inquit, domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac, generatione mala, generatione Adæ vetusta.) Psalmus duodecimus idipsum obnixiùs Christũ rogat, vt & in præsenti ab omni nos crimine immunes custodiat, & post huius vitę defectũ in seipso exultare cócedat per secula, dicẽdo ita. (Vsquequo domine obliuisceris me?) Tertiusdecimus psalmus voces nobis subministrat aduersus omnem insipientem, qui dicit in corde suo, siue ille sit Iudæus siue hæreticus, non est Deus, subauditur, hic homo Iesus Christus. Agit enim de perfidia Iudæorum, quia quem sancti patres eorum, scilicet patriarchę & prophetæ, nimio desiderio dari sibi optauerunt, hi presentialiter in carne videntes, nõ solùm dicta & facta eius respuerunt, sed & ipsum morti tradiderunt. Agit etiam de temporali & singulari eorum cõtritione, & futura postmodu ęterna damnatione, necnon de sanctorũ gloriosa & ammirabili remuneratione. Psal-

Ioan. 5. Ibid. 8.

Rom. 11.

Rom. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne. Psalmo quartodecimo, dicendo. (Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c.) Intendit ipsum aput eos definitè ostẽdere, qui sub nomine Iacob, vel Israel gloriam sunt adepturi. Quia ergo in fine precedentis psalmi dixerat. Cum auerterit Dominus captiuitatẽ plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel, ne quilibet ad hanc beatitudinem solam sibi fidem sufficere inaniter arbitretur, definitè vult ostendere, qui horum nominum significationem tenentes, ad gloriam sint peruẽturi, quod interrogatiuè ponit non quòd in hac re dubitationem habeat, sed vt auditores inde certos faciat. Iam à quintodecimo tertia periocha est, id est, recapitulatio fundamenti eius, quod fidei maximè necessarium, quod passionis Christi mysterium est. Inscribitur autem sic, Tituli inscriptio ipsi Dauid. Et sciendum est in hoc psalmo illud idẽ debere intelligi, licet alijs & amplioribus dicatur verbis, quod in titulo crucis scriptum fuisse perhibetur. (Conserua me, inquit, domine, quoniam speraui in te.) Ac deinceps. (Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.) Id est, tu cui soli inest, verum esse, restitues hæreditatẽ meam in illud verum esse, quod culpa primi parentis perdidit. Et paulò post. (Propter hoc delectatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animã meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.) Planè his verbis in passione de resurrectione & æterna remuneratione agit, quæ omnia vt mereatur assequi, orat Deum patrẽ in forma serui. Sextodecimo, cui inscriptum est oratio ipsi Dauid, de eodẽ negocia agit. (Exaudi, inquit, domine iustitiã meam, intende deprecationem meam, &cet.) Intende enim in hoc psalmo ipsum caput orare Deum patrem pro se & suis, ne deficiant. Agit etiam de persecutione, & de inimicorũ temporali, & perpetua damnatione, necnon de futura cum suis gloriosa & plenaria sacietate. Dicit enim patri moriens in sua obedientia. (Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras.) Ac deinceps. (inimici mei animam meam circũdederunt, adipem suum concluserunt.) Adipem inquam suum incrassatum cor suum veritati concluserunt. (Os eorum locutum est superbiam.) Vah qui destruis templum Dei. Et non habemus, inquiunt, nisi Cæsarem regem, &c. Et hæc quidem de sui persecutione. De inimicorum verò dãnatione. (Exurge (inquit) domine, præueni eum.) Scilicet populum Iudaicum, auferendo ab eis locum & gentem. (Et supplanta eum.) Dando in mortem, qui me detinere cupit in mortem. Sed hoc ne differas in longinquum. Et quid? (Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.) Quod est dicere. Ad huc viuentes in carne, vt de terra pereant, diuidantur à paucis, separentur à iustis. Sciendũ quippe, quòd paulò ante tempus destructionis Hierusalem, quidam Iudei ad fidem conuersi præmoniti sunt à Spiritu Sancto, vt ciuitate excederent, & in regnum Agrippę tenderent, ne perirent cum impijs. De iua tandem, suorumq; facietate gloriosa, sic dicit. (Ego autem cum iustitia apparebo conspectui tuo, saciabor cum apparuerit gloria tua.) Quod dicit saciabor non ideò dicit quòd quantum in se aliquo indigeat, sed membrorum consideratione, quorum facietas, tunc tandem perfecta erit in gloria, cum tradiderit regnũ Deo & patri, sicut Apostolus dicit. Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Septimo decimo agit item de morte sua. (Diligam te, inquit, domine fortitudo mea.) Nec verò de morte solũ sed & de resurrectione sua, & quid vtilitatis inde euenerit, & per quos vel quomodo euenerit, & de temporali & æterna retributione iustorũ, & de exteriori & interiori damnatione iudæorũ, tandemq; de obedientia & salua tione gentium. Habet autem in titulo sic, In finem puero domini Dauid, qui locutus est verba cantici huius in die qua eripuit eum dominus de manu inimicorum eius, & de manu Saul. Dauid ipse est Christus verè manufortis, verè desiderabilis. Ipse est puer domini, obediuit enim Deo patri tanquã puer secũdũ formam serui. Huic in finem, id est, in omnimodã tendenti perfectionẽ attribuenda sunt verba cantici huius. In die autem qua eripuit eum dominus de manu inimicorum eius, & de manu Saul quid est, nisi in consideratione illius diei, qua resurrexit à mortuis, vltra iam non moriturus. Suscitando namque illum, eripuit dominu de potestate inimicorũ, videlicet iudæorum & gentiũ, & de potestate mortis, quæ per Saul rectè intelligitur. Nam sicut illum contra voluntatẽ domini, populus petijt regem, ita Adam & Eua contra voluntatem domini appetierunt mortem. Tribus igitur psalmis commendata passione & resurrectione eius, in qua salutis nostrę summa est, in qua fidei fundamentum consistit, quid deinde actum sit, continuò subsequens psalmus octauusdecimus edicit. Cęli inquit, enarrant gloriã Dei, & opera manuũ eius annunciãt firmamentu.) Nã cæli isti apostoli sunt, qui cùm prius fuissent terreni atque infirmi, post passionẽ eius accepto Spiritu Sancto tales effecti sunt, vt recte dicantur cęli, rectè vocẽtur firmamẽtũ. (Nõ sunt, ait, loquelę, neq; sermones quorum nõ audiantur voces eorũ.) Hoc.n. illa die spiritus sanctus fecit miraculum, vt in ore eorum, omnia genera nascerẽtur linguarum. Talium cœlorum enarratio non in vna tantũ regione remansit. Sed quid? (In omnẽ terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum.) Et quã Dei gloriã cęli isti enarrauerunt? (In sole, inquit, posuit tabernaculum suum, & ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio

Matt. 27. Ioan. 10. Coloss. 3. Rom. 8. Act. 2.

eius, & occursus eius vsq; ad summũ eius, nec est qui se absondat à calore eius. Exinde legem Christi legem fidei scriptam digito Dei, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus collaudans dicit. (Lex dõmini immaculata conuertẽs animas, &cæt.) Ex tunc sedenti à dextris Dei, & interpellanti pro nobis, psalmo nonodecimo dicimus cũ propheta, dicimus cum antiquis sanctis, & dicere non cessamus vsq; in finem seculi. (Exaudiat te dominus in die tribulationis.) Et hoc quidem non quia necessarium esse sciamus, sed ex nimio desiderio dicimus. Nam neque nos dubitamus, neque propheta, cùm hæc diceret, dubitabat, quin exaudiendus esset (quã pro nobis pertulit) in tribulatione. (Memor sit, inquit, omnis sacrificij tui, & holocaustũ tuum pingue fiet.) Ideo dicit, omnis sacrificij, quia singulæ passiones eius, singula fuere sacrificia, holocaustum autem ipsa mors. Sacrificium dicebatur in lege illud, quod partim incendebatur, partim sacerdotibus referuabatur. Holocaustum illud, quod totum crematur. Sanè ab hoc psalmo quarta iam periocha cœpta est. Agitur enim manifestè de summa fidei causa. i. de passione illius, quã & propheta prospiciens, non dubitando, sicut iam dictum est, sed benevolè optando dicebat. (Domine saluum fac regem.) Et nos credendo dicimus, quia verè dominus saluum fecit regem, videlicet accelerãdo eius resurrectionem. Hoc ipsum continuò XX. confirmat. (Domine, inquit, in virtute tua lætabitur rex.) In virtute, inquam, tua, qua Deus est, victor consistet. Et subinde. (Vitam petijt à te, & tribuisti ei.) Vitam, inquam, id est, resurrectionem, petijt & tribuisti ei longitudinẽ dierum in seculum, & in seculum seculi. Resurgens quippe ex mortuis, iã nõ moritur, mors illi vltra non dominabitur. Peramplius atq; manifestius idipsum, id est, passionem & resurrectionem eius, psalmus XXI. concinit, cuius nobis sensum ipse agnus dei, qui magni libri septem signacula soluit, non vtcunq;, sed viua voce aperuit. Nam continuò spiritum traditurus, exclamauit dicens. (Deus meus, deus meus, quare dereliquisti me?) Habet autem in titulo sic. In finẽ pro assumptione matutina psalmus Dauid. Et est sensus. Iste psalmus attribuendus est Christo vero Dauid tẽdenti in victoriam, quæ finis est cursus obedientiæ eius, pro assumptione matutina, id est pro resurrectione, quæ facta est valde mane, cum adhuc tenebrę essent. Hoc dictũ est, ad similitudinẽ solis. Quia sicut paulatim depulsis tenebris ascendẽdo vires assumit, sic Christus resurgendo, paulatim mentes infidelium illuminauit. Duo nobis sacramenta in eadem passione sua condidit, scilicet lauachrum regenerationis, vbi patefacto latere, sanguinem & aquã profudit, & mysterium corporis ac sanguinis sui, vbi tenens panẽ & vinum, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, inquit. Super his cõtinuò perfecta ecclesia psalmo XXII. gratulatur & dicit. (Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.) Nam quasi quæreres, cuius in loco pascuæ, continuò subiunxit. (Super aquã refectionis educauit me, animam meam conuertit.) Et subinde. (Parasti in cõspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulãt me.) Quæ nam est aqua refectionis, nisi baptismus salutaris? Super hãc aquam baptismatis, quod est fundamentum bonorum operũ. Me (inquit ecclesia) dominus æducauit, videlicet lacte prædicationis, & deinde (sic enim recto ordine legendum est) deinde inquam, in loco pascuæ me collocauit, id est, fecit studere in scripturis. Ibi me regit, scilicet ne prauè intelligam, & nihil mihi deerit, quod intellectui necessarium sit. Quæ autem mensa, quam parasti, inquit, in conspectu meo, aduersus eos qui tribulant me, nisi corpus tuum & sanguis tuus cuius sacramentum sub alijs speciebus pro posuisti intellectui meo, ne inimici præualerent in me? Et quia duplex post hæc datum est spiritus sancti donum. (Impinguasti, ait, in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus est.) nã primo dato spiritus sancti dono, quasi oleo suauiter delibuti sunt apostoli, insufflante illo ac dicente, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, secundo autem quasi fœcundo calice inebriati, fortes facti sunt atque diserti, ita vt diceretur, Musto pleni sunt isti. His sacramentis parata est domino terra illa, & ille orbis, de quo protinus psalmus XXIII. sic incipit. (Domini est terra & plenitudo eius.) Nam terra hæc, & orbis iste, quæ terra quidem ecclesia est, duplici de causa dicitur, tum propter stabilitatẽ, tum propter fœcunditatem, orbis autem dicitur propter perfectionem. Et quia nulli ad habitandum in æterna ecclesia, sola sufficiunt (quæ supra dicta sunt) sacramenta visibilia, sub interrogatione melius insinuat sic. (Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde.) Psalmus XXIIII. ordine congruo Psalmus Dauid, id est, ecclesiæ pœnitentis oratio est. (Ad te, inquit, domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubescam, &c.) Orat quippe dominum, vt in bono eam perseuerare faciat, aliquando Dei gratiam, aliquando suum meritum prætendendo. V.g. (Vniuersæ viæ domini, misericordia & veritas.) Psalmo XXV. orat eadem ecclesia dominũ, vt per eãdẽ misericordiã & veritatẽ domini tandẽ discernatur ab impijs. (Iudica me domine, inquit, quoniã ego in innocẽtia mea ingressus sũ.) Et vt meritò in futuro discernatur ab impijs, discernit se in præsenti, & dicit. (Non sedi cum concilio vanitatis, & cũ iniqua gerentib. non introibo, &c.) Psalmo XXVI. intendit eadem ecclesia perfecta, modum ostendere illius benedictionis, quam

2. Cor. 3. Apo. 1. Matt. 27. Ioan. 20. Act. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam in fine præcedentis psalmi promisit,benedicam te,inquiens,in ecclesijs.(Dominus illuminatio mea,& salus mea.Quẽ timebo?) A quo visibilium seu inuisibilium hostium trepidabo.(Dum appropiant super me nocentes,vt edant carnes meas?) nam hoc dictum exaggeratio criminis est,sicut ibi dicitur, Assatum est,iam versa,& manduca. Ostendit et iam,nihil præter vnum debere peti, suo exẽplo.(Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini,&cęt.) Titulus autem eius talis est,Psalmus Dauid,priusquam liniretur.Et est sensus,Ista operatio est attribuenda Dauid, id est, perfectæ ecclesiæ gratias agenti de eo, quod accepit priusquam
1.Reg.16. peruẽiat ad perfectam vnctionem.Hic mittit nos ad historiam Dauid, adhuc in domo patris sui scilicet in Bethlehem puerulus vnctus,à Samuele eum regem futurum, spiritu sancto sic præsignante. Deinde vnctus est in Hebron,& super tribum Iuda tantum regnauit,mortuo Saule, postea verò tertio vnctus
2.Reg.2. est, quando totius Israelitici populi prouin-
2.Reg.5. ciam accepit. Quæ vnctiones nobis mysticũ quid insinuant. Sicut enim tertio vnctus est Dauid,sic quique fideles participes debent esse ternę vnctionis.Prius in baptismo, vbi spiritus sancti gratia innouantur.Secundò,quãdo per impositionem manuum episcopi, donis eiusdem Spiritus sancti augmentantur. Tertiò,in die iudicij, quando eiusdem spiritualis gratiæ perfectam dulcedinem adipiscẽtur.Non enim credendũ Dauid huncpsalmũ antequã in domo patris liniretur, sed an post illam vnctionem statim, an post secundam fe cerit,incertum est. De hinc à psalmo vigesimo septimo iam quinta perioche fit, cùm ad caput reditur,ad summã fidei,quam de Christi passione & resurrectione constare credimus & scimus.(Ad te,inquit,domine clamabo Deus meus,ne sileas à me,&cęter.) Voces quippe capitis nostri sunt orantis, pro resurrectione sua, vt non sit similis descendentib. in lacum,simulque interponentis damnationem inimicorum sub concessione, qua dicit. (Da illis secundum opera eorum, & secundũ nequitiam adinuentionum ipsorum &c.) Nã quod ait, (Dominus adiutor meus & protector meus,& in ipso sperauit cor meum,& adiutus sum,& resloruit caro mea.) Certissima post orationem resurrectionis enunciatio est in qua videlicet resloruit caro eius, quæ cùm de radice Iesse floruisset, sub flagellis & opprobrijs desloruisse visa fuerat.Hoc eius clamore audito,propheta repente psalmo subsequenti,id est, vicesimo octauo, conclamat. (Afferte domino filij Dei,afferte domino filios arietum, &c.) Hoc enim dicendo communiter omnes fideles adhortatur,vt imitando illum,semetipsos Deo offerant,ammonẽs perfectos velut arietes, vt perseuerent & augmententur, alios verò velut filios arietum, vt bene operando ad oblationem eiusdem sacrificij citò promoueãtur. Insuper ibitur autem sic,Psalmus Dauid in consummatione tabernaculi.Mittitq; nos ad historiam, quia sicut *2.Reg.6.* Dauid post receptionem arcæ sublatę à Philistæjs,tabernaculum domino ad orandum & sacrificãdum instituit,sic quippe fideles, post fidei catholicæ perceptionem semetipsos prę parare debent tabernaculum sanctificationis, in quo Deo offerant sacrificium laudis, videlicet fidem, spem & dilectionem. Et hic quidem prophetæ clamor voces interrumpit, quas præcedente psalmo dare cœperat in persona Christi. Verùm psalmo sequenti, id est, XXIX.ad causam vel sensum eundem recurrit,& peragit sic. (Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me , nec delectasti inimicos meos super mę, & cætera.) Agit enim ipsum caput, de sua operatione, & æterna remuneratione.Hortatur etiam fideles, vt suo exemplo psallentes domino,& confitentes,ad eandem lętitiam peruenire mereantur. Intitulatur autem sic, Psalmus cantici in dedicatione domus Dauid.Hic titulus mittit nos ad historiã.Quia sicut Dauid impẽsa & apparatu suo templũ domino ędificauit, & postea cũ iucũditate & solemnibus verbis, ad laudem domini dedicauit,sic corpus Christi, secundum singularem natiuitatem sine peccato ędificatum,& per resurrectionem in ęternã impassibilitatis & immortalitatis gloria est dedicatum.Dedicatę domus immutati,& iam vltra non morituri hominis defici, voces istę sunt. (Dominus DEVS meus clamaui ad te,& sanasti me.) Item. (Domine in voluntate tua pręstitisti decori meo virtutem.) Ac deinceps. (Conscidisti saccum meum, & circundedisti me lętitia, & cętera.) Amplius atque profusius causam eandem subsequens idem tri. esimus psalm⁹ exponit.(In te domine speraui non cõfundar in ęternũ.)Nam quod hęc *Luce 22.* illius verba sint, ipse vniuersо orbi auditum & notum fecit,clamando voce magna, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. *Matt. 27.* Ipse igitur est, qui secundũ formã serui spera uit in Deum,vt non cõfunderetur in ęternũ, quemadmodum illum inimici confundere voluerunt,iuxta quorum ęstimationem.(Factus sum,ait, tanquam vas perditum quoniam audiui vituperationem multorum.) Verbi gratia, dicentium, Vah, qui destruis templum DEI, saluum fac temetipsum. Habet autem hic Psalmus in titulo sic. In finem Psalmus Dauid pro extasi.Pro extasi, inquit id est, pro consideratione profundissimi intellectus CHRISTI, de reparatione humani generis, quam per mortem & resurrectionem suam disposuit, qui intellectus omnem intellectum creaturarum excedit. Post-
Luce 23. quam aũt dixit.(In manus tuas commẽdo spi-
Ioan.19. ritum meũ.)Et sic spiritũ tradidit. vnus militum lancea latus eius aperuit, & cõtinuò sanguis eius & aqua effluxerũt,qua videlicet effusiõe,oẽs electos ab origine mũdi,à peccatis emun-

emundauit & baptismum nobis in remissionem peccatorum cõdidit.Sequitur ergo psalmus XXXI. eos omnes beatificans, quos ille sanguis & illa aqua per fidem contingit. (Beati, inquit,quorum remissæ sunt iniquitates,& quorum tecta sunt peccata.) Psalmi huius titulus hic est.Huic Dauid intellectus. Et est sensus. Eiusmodi qualis est ille, qui in hoc Psalmo loquitur, attribuendus est intellectus,& is intelligens meritò est dicendus. Nimirum talis erat, & tales non esse volebat, cùm ad Romanos scribens diceret Apostolus,
Rom. 4. ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium,reputatur fides eius ad iustitiam secundum præpositum gratiæ Dei,sicut & Dauid dicit,beatitudinem hominis , cui DEVS accepto fert iustitiam sine operibus.Beati quorum remissæ sunt iniquitates,&cæt. Isti sunt iusti,quõdam impij, nunc autem per hanc fidem iustificati,quibus hic Psalmus in conclusione dicit. Lætamini in domino,& exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Eundem nihilominus sequens,id est, XXXII. Psalmus dicit. (Exultate iusti in domino,rectos decet collaudatio.) Primi vel principes horum iustorum atque rectorum quos laudatio decet, quorum in ore speciosa laus est, Apostoli fuerunt. De quibus hic Psalmus. (Verbo inquit, domini cœli firmati sunt, & spiritus oris eius omnis virtus eorum.) Verbo, inquam domini, id est, per filium Dei per præsentiam filij Dei, firmati sunt isti cœli,& omnis virtus eorum firmata est spiritu oris eius, spiritu eiusdem filij eius, qui bene dicitur os domini,quia per eum Deus pater locutus est, sicut Propheta dicit,Os enim domini locutũ
Esaiæ 25. est. Isti priores maximè exultauerunt, verè beati, quia remissæ sunt eorum iniquitates, & tecta sunt eorum peccata, & eorum tristitia versa est in gaudium,iuxta promissum di
Ioan.16. centis: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Idcirco firmati sunt, vt per os faceret dominus, quod subiunctum est. (Cõgregans sicut in vtre aquas maris.) Id est, amaricantes populos, in vnitate fidei,& cætera vsque ad finem Psalmi. Sequentis, id est, tricesimi tertij titulus talis est, Psalmus Da-
1.Reg.21.2 uid,cùm immutauit vultum suum corã Abimelech,& dimisit eum,& abijt. Iuxta historiam Dauid mutauit vultũ suum similans se arreptitium coram Achis rege Geth, ad quẽ fugerat,timens inuidiam Saulis. Sed cum hic etiam virtuti eius inuideret,timuit eum Dauid.& (vt dictum est)immutauit vultũ suum corã eo, & sic dimissus abijt. Sciendum verò est, Achis fuisse proprium nomen regis illius ad quem fugit Dauid, qui etiam Abimelech dicebatur,quod erat commune nomen omnium regum illius terræ, vt Pharao Aegyptiorum,& Cæsar Romanorum,quæ omnia nobis mysticum quid insinuant. Quòd enim Dauid vultum suum coram Achis immutauit,significat,quia Christus veteris ritum sacrificij in nouum conuertit coram Iudæis. Achis enim interpretatur,quid est hoc, & significat,ignorantiam, per quem Iudęi benè intelliguntur,in quibus tenebræ & ignorantia plurimum vigebãt,apud quos cùm à pharisæis & summis sacerdotibus & scribis accusatus ad mortem quæreretur,in porta ciuitatis manentibus tympanizauit, id est, apostolis in fide iam positis,quæ introitus est cœlestis Hierusalem,sonum dulcem de tympano protulit,doctrinam scilicet carnis suæ mortificandæ. Vel si dixerimus coram Abimelech,significatio manet eadem. Abimelech enim, regnũ patris mei interpretatur, per quẽ similiter denotantur Iudæi,in quibus regnabat Dauid qui secundum carnem pater Christi dicebatur,eò quòd de parentela eius nasci dignatus est. Vndè in Euangelio,cæcũ dixisse *Matt.15.* legimus, Fili Dauid miserere mei. Quòd verò Abimelech, dimisit Dauid,& ipse abijt,significat transitum Christi ad gentes, per Apostolos, cùm eum dimiserunt Iudæi, quando eis nouum sacrificium prædicauit dicens. Nisi *Ioan.6.* manducaueritis carnem meã,& biberitis sanguinem meum, non habetis vitam in vobis. Quod multi audientes, abierunt retrorsum, etiam ex discipulis,dicentes, Durus est hic sermo. Et quis potest eum audire? Igitur iustorum præcedenti Psalmo exultantium, id est Apostolorum nouo sacrificio,noui testamenti carne & sanguine os plenum habentium voces istæ sunt. (Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.) Ac deinceps.(Gustate & videte, quoniã suauis est dominus, beatus vir qui sperat in eo) Gustate,sumite ipsum sacrificium, & tunc videte,tunc intelligite,scilicet in rei reperentia, quoniã suauis est dominus, quoniã cib⁹ delectabilis est dominus, & sperenthoc oẽs, quia (beatus vir qui sperat in eo.) Psalmus tricesimus quartus,in hæc verba consequitur. (Iudica domine nocentes me,expugna impugnãtes me.) Hæc, & cætera Psalmi caput nostrum Christus de Iudæorum damnatione non orando,sed diuino iudicio concedendo, dicit:Et rectè his Psalmis, qui præmissi sunt, iste ordine succedit. vbi enim domino Iesu glorificato, iustificati per fidem in sanguine eius exultauerunt iusti,traditumq; sibi genti bus proposuerunt ritum noui sacrificij, continuò Iudæi, Christum nocentes atq; impugnantes,iudicati atque inexpugnati sunt, per dito templo & amissa terra, cuius in iracundia iuxta hunc psalmum loquentes dolos cogitabant,dicendo:Ne fortè veniant Romani & tollant nostrum & locum & gentem. Ni- *Ioan.12.*
mirum & vsq; hodie,in iracundia eiusdẽ terrę loquentes dolos cogitant,nimio quippe furuntur odio,vt nec nomen Christi audire sustineant,nõ ignorantes licet negitẽt,quia propter sanguiné eius perdiderunt terrã. Rectè igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

igitur hic psalmus subsequitur. Iudica, inquiens, domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, videlicet Romanorum Titi & Vespasiani imperatorum. Et exurge in adiutorium mihi, vt abducantur in omnes gentes captiui, ne remanente illis loco, gente, & pulchro templo, maius fiant schandalum Euangelicæ fidei. Nihilominus & hic psalmus tricesimus quintus, rectè subsequitur. Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.) Videlicet quasi quæreres, cur sic ille populus iudicatus, expugnatus est, ipsa tibi hoc psalmo Iustitia respondet, quia iniustus est, *Ioan.25.* quia dixit, quia præmeditatus est, quia scienter proposuit, vt delinquat in semetipso. Vnde & excusationem non habet de peccato suo quoniam non ignoranter deliquit, sed dolosè egit in conspectu eius, scilicet Dei, cuius ab oculis suis timorem abiecit, hoc modo, vt inueniatur iniquitas eius ad odium, &cet. Nam erga illos, qui peccata sua confitentur, & pœnitentiam agunt. (Domine, inquit, in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque nubes, & reliqua.) Et infelices quidem Iudæos mente & corpore captiuos atque iudicante & expugnante Deo, in omnes gentes dispersos, non est cur Christianus æmuletur, veruntamen multi sunt impij, tam diuites, tamq; potentes, vt eos infirmus aliquis æmulari potuerit. Sequitur ergo psalmus tricesimussextus, dicendo sic: (Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.) Quare? (Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum holera herbarum citò decident.) Inscribitur autem sic, Psalmus ipse Dauid, id est, operatio ista est attribuenda Christo vero Dauid, agenti in hoc Psalmo de institutione fidelium. Nam hæc & cætera Psalmi, dicendo dehortatur eos, ne de malorum prosperitate indignentur, nec eorum iniquitatem imitentur, cùm sit transitoria & breuissima, sed potius sperent in domino, quæ recta sunt faciendo, per ea enim & in præsenti protegentur, & in futuro cum Deo coronabuntur. Psalmi tricesimi septimi titulus hic est. Psalmus Dauid, in rememoratione sabbathi. Et est sensus: Ista operatio attribuenda est Dauid, id est Christo, facta propter memoriam æternæ quietis, quæ significatur per sabbathum. Sabbathum enim requies interpretatur. Orat autem caput nostrum in hoc Psalmo, pro his pœnitentibus, qui futuri sunt, siue ante baptismũ, siue post, quadam affectione in persona sua, loquẽs de illis. Ostendit etiam multas causas, quare pro eis orandum sit, tum quia grauiter peccauerunt: & plurimùm inde contristantur, tum quia pro eis passus est, tum etiam quia imitatores eius passionis esse parati sunt. (Domine (inquit) ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixę sunt mihi, &c.) Me & meis ait: Pro eo vt dicat meos & meis. Nam & caput corporis ipse est, membra autem omnes electi. Et hoc quidem Psalmo pro pœnitentibus orat, compatiendo infirmitatibus nostris, & condolendo his, qui ignorant & errant, vtpote tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. Sequenti autem, id est, tricesimooctauo, suũ iustis exemplum commendat. (Dixi (inquit) custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis, &c.) Hoc exemplum iustis quoque imitandũ est. Nam & iuxta alium prophetam: Cultus iu- *Esaiæ 32.* stitiæ silentium. Quòd si à bonis & ædificationum colloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri, quantò magis à malis propter pœnam debet taceri? Veruntamen ne obstinatè nimis, & indiscretè taceamus, cõtinuò subiunxit: (Et dolor meus renouatus est, & cæt.) Sicut (inquit) prius peccabam nimis loquendo, ita modò nimis tacendo. Benè igitur habet in titulo. In finem pro Idithun canticũ Dauid. Idithun transiliens interpretatur. Significat autem titulus hic, canticum Dauid illis cantari, qui ad virtutes transilierunt à vitijs, vsq; ad moderamen linguæ, à temporalibus vsque ad finem illum vltra quem transiliendum non est, vsque ad æternitatem, quæ Deus est, quam qui adeptus fuerit, nihil vlterius quæret. Sexta iam Perioche, id est, Psalmo tricesimo nono, Christus dicit, secũdum formam serui. (Expectans expectaui dominum, & ipse intendit mihi.) Hic enim Prophetа ad fidei nostræ Principium, id est, ad passionem eius redit, quod maximè versiculus iste innuit. (Sacrificium autem & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatẽ tuam Deus meus volui.) Noluisti (ait) sacrificium & oblationẽ, quæ præcipiebatur in lege offerri, aures autem, id est, intellectum, vt solus intelligerem, cur illa nolles, quid tu velles, perfeciſti mihi. Tunc dixi, ecce venio.) Ecce incarnatus sum, paratus vt faciam voluntatem tuam. (Sicut in capite libri scriptũ est.) id est, sicut in sapientia tua personaliter mihi vnita dispositum est. Nihilominus Psalmo sequẽti, id est, quadragesimo de eiusdem suæ passionis humilitate dicit. (Beatus qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum dominus.) Quis enim alius hic dicit. Homo pacis meę, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem, tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribuã eis?) Nẽpe de hoc dubitare ipse non sinit, qui cum dixisset, sub ipso passionis articulo. Ego scio quos elegerim, continuò subiunxit: Sed vt impleatur scriptura. Qui manducat mecum *Ioan.13.* panem, leuabit contra me calcaneum suum. *1.Cor.8.* Ipse igitur, qui cum diues esset, egenus & pauper pro nobis factus est, & in fine præcedentis psalmi,

tis psalmi, dixit, ego autem mendicus sum & pauper, dominus sollicitus est mei, & hic in principio sequentis. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, & cætera, ostendẽs & damnationem miseriamq; eorum, qui scãdalizantur in eo, reputantes eum tantum egenum & pauperem, id est, hominem, & illorũ beatitudinem, qui non scandalizantur in eo, credentes eum esse verum hominem & verũ Deum. Psalmo quadragesimo primo dicunt filij Chore. (Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.) Sic enim habet in titulo. In finem intellectus filijs Chore. Et est sensus: Intellectus designatur his subsequentib. vocibus ascribendus filijs Chore, id est, imitatorib⁹ crucifixi domini nostri Iesu Christi, qui per ipsam imitationem tendunt in finem, id est, in consummatum bonum, vltra quod nihil est appetendum. Chore enim interpretatur caluitiũ, & ponitur pro ipso loco, vbi dominus fuit crucifixus, qui Hebraicè dicitur *Ioan.19.* Golgatha, Latinè autem Caluaria. Veruntamen propter eãdem interpretationem, competentius posuit Chore, quàm nomen ipsius loci, quia & persona fuit, & multos filios habuit. Igitur filij Chore, id est, imitatores crucifixi, egeni & pauperes supradicti, qui super paupertatem humanitatis eius, intelligunt diuitias diuinitatis eius, dicunt omnes, dicunt singuli. Quemadmodum ceruus consumpto serpente summa agilitate, desiderat venire ad fontes aquarum, valdè sitiens, tanto desiderio, tanta festinatione æstuat anima mea hausto veneno diaboli per multas tẽtationes carnis, venire ad te potandum, & tibi compartícipandum, vt sic iuueneſcat facta tibi conformis qui es fons aquæ frigidæ & indefinentis. In quo est omnis plenitudo iucũditatis. Hæc dicenti primum fonte baptismi refrigerari conuenit. Dicit enim in sequentibus eiusdem Psalmi. (Propterea memor ero tui de terra Iordanis.) Id est, ex eo, quòd sum terra Iordanis facta per baptismũ irrigua & fertilis, quæ prius eram arida & sterilis. Psalmo quadragesimosecũdo, quælibet fidelis anima dicit: (Iudica me Deus & discerne causam meã de gente non sancta, &c.) Superius locuti sunt martyres, illi qui patiebantur ab extraneis tribulationes, referendo suum desiderium, hęc verò orant generaliter omnes fideles, tam martyres, quàm confessores, qui commixti sunt in area cum paleis, id est, qui patiũtur probra & tribulationes ab illis qui intra ecclesiã sunt falsi Christiani, & cupiunt dissolui & esse cũ Christo, vt in futuro à massa infidelium, cum quibus hic in area Ecclesiæ commixti sunt, discernantur, sicut grana à paleis, & hic citò eripiantur ab illis. Psalmi quadragesimitertij versiculo Apostolus vtitur sic. Quis nos sepa- *Philip.1.* rabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Igitur voces istæ. (Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.) Voces sunt perfectorum martyrum, vel admirantium, cur non cito faciat Deus in dieb. eorum, sicut fecit in diebus patrum antiquorum. (Manus tua inquiunt, gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.) Hoc nempè morientes desiderabãt martyres, vti eadem manus domini, citò disperderet gentes, id est, impios gentiliter viuentes, & plantaret fideles, ita vt vbique terrarum pacificè fides Christiana floreret. At nunc. (Vendidisti (aiunt) populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.) Quod est dicere: Et tuos occidi permisisti, & ex illis nullum acquisisti. Sanè si quos acquisisti, non tamen digna commutatione est factum, quia non fuit multitudo in commutationibus eorum. Vbi mille interficiebantur, vix duo aut vnus conuertebantur. Sed nunquid sic frustra ingemuerũt? Nunquid vane desiderauerunt? Non vtique. nam exurgente domino, qui videbatur dormire, Gentiles impij cum idolis suis disperditi sunt, & multitudines credentium ex plantatione martyrum, mundum impleuerunt. Benè ergo hic Psalmus hunc habet titulum. In finem filijs Chore, ad intellectum. Et est sensus: Hæc verba proponuntur filijs Chore, tendentibus in finem, id est, imitatoribus crucifixi, tendẽtibus in consummatum bonum. Præponuntur (inquam) ad intellectum, ad hoc vt intelligant, quid significet quòd Deus cum patribus antiquis tam benignè egit, istos autem econtrario permittit tribulari, & esse in omnib. miserijs. Psalmo quadragemoquarto. Deus pater suauissimè intonat. (Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.) Hæc iam septima fidei nostræ recapitulatio est, cæteris altior. Nam idem est, quòd Euangelista Ioannes contra perfidiam hæreticorum, qui Christum ex Maria sumpsisse initium dixerunt, reclamans. In princi- *Ioan.1.* pio (inquit) erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbũ. Ac deinceps: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius. Idem (inquã) pater loquitur. Eructauit (inquiens) cor meum verbum bonum, id est, protulit secreta essentia mea verbum bonum, ego ex meipso essentialiter genui filium, Deus Deum, bonus bonum, bonum (inquam) sicut ego bonus sum, quia nemo bonus, nisi vnus Deus. De incarnatione huius verbi, de qua & Euangeli- *Marc.10.* sta. Et verbum (inquit) caro factum est, & habitauit in nobis, subinde magno affectu spiritus propheticus dicit. (Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, &c.) Habet autem in titulo hic Psalmus. In finem pro his qui commutabuntur filijs Cho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re.i.fidelibus crucifixi, ad intellectum canticum pro dilecto. Et est sensus: Hoc cãticum arcanum & mysticum proponitur filijs Chore.i.fidelibus crucifixi, quos genuit in passione,ad hoc vt intelligere satagant illa arcana& secreta, quæ continentur in hoc Cantico: Agit etiã pro dilecto.i.de domino Iesu Christo singulariter dilecto. Vndè dicitur: Hic est filius meus dilectus. *Matt. 3.* Ideo vocatur iste tractatus Canticum, quia de nulla re magis est iucundandum. Est enim epithalamium.i. carmen nuptiale, quòd proponitur in nuptijs ad delectãdum,quo pater loquens in Propheta, filium suum commendat secundum humanam & diuinam naturam, sponsam quoque quam ei copulandã præuiderat. (Adstitit regina (inquit) à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.) Ad ipsam aũt. (Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.) Psalmo sequenti. i. quadragesimo quinto, hi per quos prædicata, vel quib. primis prædicata est illa, quæ præcedenti Psalmo cõtinetur fides, semetipsos ponunt in exemplũ alijs,ne in tribulationib. deficiant, qui licet vera, & vtilia prædicassent, multis tamen contumelijs ignominiosè subditi fuerunt. (Deus (inquit) noster refugium & virtus,adiutor in tribulationibus quę inuenerunt nos nimis.) Inscribitur autem sic,in finẽ filijs Chore pro arcanis ait: Videlicet iudicijs, de quibus ait: (Propterea non timebimus dũ turbabitur terra,& transferentur montes in cor maris.) Arcano quippe iudicio factum est, vt ad prædicationẽ Euangelij turbarentur Iudæi, & transferrentur Apostoli de terra illa quondam stabili,in cor maris.i,in medium gentium. Vndè & admirans Apostolus dicit: O altitudo diuitiarum *Rom.11.* sapientiæ & scientiæ Dei, &c. Et illi quidem montes. i. Apostoli primũ conturbati & afflicti sunt turbatis aquis populorũ, sed (Fluminis impetus (inquit) lætificat ciuitatem Dei.) Fluminis,inquam, impetus.i. abundans gratia sancti spiritus, ipsos Apostolos lætificat. Psalmus quadragesimussextus, recto & pulchro ordine vniuersas continuò gentes alloquitur (Omnes gẽtes plaudite manibus.) Subauditur,ad quas turbata terra trãslati sumus, ad quas repellentibus nos Iudæis conuersi sumus. (Plaudite,inquit,manibus.) Cum lętitia benè operamini. (Iubilate Deo in voce exultationis.) Quare? (Quoniam dominus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram. Elegit nobis hęreditatem suam,speciem Iacob quã dilexit.) Sicut enim Esau qui prior natu erat,à Deo reprobatus est, sic Israeliticus populus qui prius quadam familiaritate, Deo acceptabilis erat,nunc reiectus est, & benedictionem recepistis vos Gentes. Psalmus quadragesimus septimus,pulchrè nihilominus præcedentib.succedit, dicendo sic. (Magnus dñs & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in mõte sancto eius) Intendunt nanq; Apostoli hoc Psalmo, laudare dominum nostrũ & ciuitatẽ eius fundatam vtroq; parietes Iudęorum scilicet ac gentiũ. Nã hoc est quod dicit: (Montes Sion,latera Aquilonis, ciuitas regis magni.) Montes Sion pro quadã dignitate dicuntur Iudæi, latera verò Aquilonis. Gentes collateranæ Aquilonis. i. diaboli, qui à feruore dilectionis frigidus mãsit. Titulus eius talis est. Psalmus cantici filiorum Chore, secunda sabbati.i.iucunditas Apostolorum à tempore dominicæ resurrectionis vsq; in finem seculi. Dicitur q; secunda sabbati, iuxta computum Hebręorum, qui oẽs dies computãt à sabbato. Psalmo quadragesimo octauo, itidem filijs Chore, dicit Dauid, dicunt Apostoli, qui sunt vt Dauid manu fortes, Christi fidelibus. (Audite hæc oẽs gentes, aurib. percipite omnes qui habitatis orbem, &c.) Intẽdunt autem in hoc tractatu, omnibus in fide existentibus cuiuslibet conditionis sint, parabolicè ostendere, quib. & propter quid in die iudicij timendum sit, vt his cognitis,& sic per Dei adiutorium deuitatis, tunc temporis valeant esse securi. Amplius aũté psalmo sequẽti. i. quadragesimo nono, timorem eiusdẽ futurii iudicii, Asaph annuntiare intẽdit. (Deus Deorum (inquit) Dominus locutus est.) Locutus est. (Et vocauit terram.) Scilicet ad fidẽ suam primo aduentu veniens occultus: nam secundo idem Deus manifestè veniet. (Deus noster & non silebit, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas validа.) Tunc dicet peccatori. (Hæc fecisti & tacui. Existimasti inique, quòd ero tui similis, &c.) Cursibus istis atq; recursibus, pulchrius nihil est, quib. propheticus spiritus, à primo vsq; ad finem.i. vsq; ad secundum aduentum currit & recurrit septies, prudenter auditoris animum per multa fidei documẽta, quasi per amplissima terrarum spatia ducens ac reducens, atq; vtiliter exercens. Vias eius quisquis benè cognouerit, falli vel abduci à fide nõ poterit. Iudæus fidei Christianæ aduersarius, si se obuium immiserit citò capiendus est, citò corruet, vt hoc quoque modo illa in eũ maledictio compleatur, qua dictum est. Tradat te dominus corruentem ante hostes tuos. Per *Deute. 28.* vnam viam egrediaris contra eos, & per septẽ fugas. Quinquagesimus tandem Psalmus, qui peccatorum remissionẽ poscit, rectissimè ponitur, quasi iubileus fidei. Hoc nanq; Psalmo illud poscimus propter quod credimus, propter quod in Christo credentes baptizamur. *Rom.5.* (Miserere (inquit) mei Deus.) Ac deinceps: (Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.) In iniquitatibus (inquit) subauditur primorum parentum. Et quod dicit de se, de alijs intelligendũ est. In Adam enim omnes peccauimus. Nam mors in omnes pertransijt, inquit Apostolus. *Rom.7.* Titulus Psalmi talis est. In finem Psalmus Dauid cum venit ad eũ Nathan Prophetа, quando intrauit ad Bethsabee. Nota historia est, quòd Dauid Bethsabee vxorem Vriæ tulit,

tulit,& ipsum interfecit gladio filiorum Ammon. Pro hoc peccato orat, simulq; orando, de vniuersali peccatorũ remissione prophetat. (Asperges me (inquiens) domine hyssopo,& mundabor, lauabis me,& super niuem dealbabor.) Hyssopo namq;, quæ herba est humilis,& deponit tumorem pulmonis. Asperges me (ait) id est, mundabis me, in fide humilitatis passionis Christi. Media Psalmorum. i. quinquaginta psalmi, ad illum maximè hominis statum medium respiciunt, de *Rom.7.* quo Apostolus, sub persona infirmorum,& adhuc dubio certamine pugnantium conde lector (ait) legi Dei, secundum interiorẽ hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ. Renati namq; per fidem Christi præteritorum remissione peccatorum accepta, nõdum securi sumus, quippe qui cum hoste pugnam certamenq;, ingredimur. Planè illic spe pariter & metu opus est. Igitur in hoc Psalmorũ medio ad spem, quæ ad fidem necessaria est, nos vocari competenter aduertimus, atque idcirco repetitiones non à primo, vt hactenus, sed à secundo Christi fieri aduentu. Primum psalmus quinquagesimusprimus, contra Antichristum inuehitur,& dicit: (Quid gloriaris in malitia, qui potẽs es iniquitate?) Ac deinceps. (Propterea Deus destruet te in finem,&c.) Illo destructo videbunt iusti & dicent singuli. (Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum,& in seculum seculi. Confitebor tibi in seculum, quia fecisti, & expectabo nomen tuum quoniam bonum est, in cõ spectu sanctorum tuorum.) Hæc loquitur Dauid in persona iusti, cõtra Doeth Idumæum qui ministrum egerat Antichristi. Sicenim habet in titulo. *1. Reg. 22.* In finem intellectus Dauid, cùm venisset Doeth Idumæus, & annũciauit Saul, dicens: Venit Dauid in domum Abimelech. Et est sensus: Intellectus prophetæ est in hoc Psalmo loqui de aduentu Antichristi, qui multorum corda commouens, persequetur & occidet fideles Christi. Sed ideo ad historiam nos mittere voluit, vt quod historicè scriptum est, ostenderet spiritualiter debere intelligi. Psalmi quinquagesimisecundi, titulus hic est. In finem pro Amalech, intellectus Dauid. Nota autem historia est, quod Dauid fugiens Saulem venit ad Achis regẽ Geth, & sub eo militauit, vxoribus ac filijs collocatis in parua ciuitate *1. Reg. 27.* Sicelech. Veneruntq; Amalechitæ,& incen- *30.* derunt ciuitatem,abstuleruntque vxores & filios Dauid. Quo audito Dauid persecutus est latrunculos illos, & liberauit captiuos. Sicelech, interpretatur conuersio, & significat ecclesiã, in vxoribus sanctas animas, per filios, bona opera, per Dauid intelligimus Christum. Sciendum verò Dauid habuisse eundem intellectum in hoc Psalmo, quẽ habuit cum prius ipsum composuit, sed ideo repetijt, quia quod historicè ab Amalechitis sibi contigit, spiritualiter in Christo, & in ecclesia futurum intellexit. Nam ipse Amalech insipiens, Iudęus siue hęreticus est quicunq; blasphemando Christum, dicit in corde suo, non est Deus. Contra hunc sapientis cuiusq; animam confortat spes, vt dicat. (Cùm conuerterit Deus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.) Sicut in iam dicto Dauid facto præfiguratum est. Psalmi quinquagesimitertij titulus, In finem in carminibus intellectus Dauid cum venissent Ziphei,& dixissent Saul. Nonne Dauid ab- *1. Reg. 22.* sconditus est apud nos? Hæc quoq; historia nota est. Et notandum, quòd illic scriptum est. Quòd cum audiuisset Saul, persecutus est Dauid. Porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul, attamen contra spem suam euasit,& ascẽdens inde habitauit in locis tutissimis. Titulo tali pręmisso dicit: (Deus in nomine tuo saluum me fac.) Etc. Hoc igitur exemplo, quisquis videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, non desperet se posse euadere de manu Saul. i. mortis siue diaboli, de manu Zipheorum. i. florentium, subauditur vitiorũ, sed oret inuocans nomen domini, donec habitet in locis tutissimis gratię Dei, liberatus de corpore mortis. Psalmus quinquagesimus quartus, oratio est capitis nostri agentis de præsenti Iudæorum repulsa, & damnatione ęterna,& de assumptione Gentium,& de securitate fidelium in æternũ. Inscribitur autem sic, In finem in carminibus intellectus ipsi Dauid. Et est sensus: Intellectus huius Psalmi, attribuendus vero Dauid Christo, perseuerantiin finem vel cõsummationem obedientiæ suę. Et hoc in carminibus, id est, in iucunditate. Accipiat itaque quisque fidelis documenta spei ab exemplo huius dicentis: Et dixi. (Quis dabit mihi pennas sicut columbæ. Et expectabam eum, qui saluũ me fecit à pusillanimitate spiritus, & tẽpestate.) Ac deinceps. (Iacta super dñm curã tuã, & ipse te enutriet, non dabit in ęternum fluctuatiõem iusto.) Itemq;. (Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos, ego autem sperabo in te dñe.) Itidem sequenti Psalmo. i. quinquagesimoquinto dicat exemplo eiusdẽ capitis sui. (Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.) Ac deinceps. (Ab altitudine diei.). i. à potentia, quæ desuper datur impugnantib. me. (Timebo, ego verò in te sperabo. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui, nõ timebo quid faciat mihi caro.) Itẽ. (In Deo laudabo verbũ, in dño laudabo sermonẽ, in Deo speraui, nõ timebo, quid faciat mihi homo.) Psalmi eiusdem titulus hic est In finẽ pro populo qui à sanctis longè factus est, in tituli inscriptione, ipsi Dauid, cũ tenuerunt Allophyli eum in Geth. Pro populo namq; qui à sanctis lõgè. i. valde dissimilis factus est, agit in hoc Psal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Reg.22. mo Christus, in tituli inscriptione, videlicet
1.Ioan.15. quando dixerunt: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorũ. Cùm tenuerunt eum in Geth. i. in pressura tribulationũ, facti quidem prius Allophyli, quòd interpretatur alienigenæ, sed postea credentes salui facti sunt. Psalmi quinquagesimisexti, titulo spiritus sanctus dicit: In finẽ ne corrumpas, ipsi Dauid, in tituli inscriptione cũ fugeret à facie Saul, in spelunca. Inscri-
1.Reg.22. ptio tituli nostri Dauid, qualis sit, dictũ iam est, & oẽs nouerunt, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. O tu ergo quicunque fugis à facie Saul, à facie diaboli, vel mortis, aut cuiusque
1.Cor.6. vitij. Verbi gratia, iuxta Apostolum dicentem: Fugite fornicationẽ, nec corrũpas hunc titulum, imò ne corrumpas teipsum destruẽdo in te, quòd dicitur rex Iudæorum. Quid enim est, rex Iudæorũ, nisi rex confessorũ? Confitere igitur peccata tua, vt sis regis huius regnũ, & dic secundum eius exemplum, sperans in Iesum Nazarenum. i. saluatorem sanctum regem tuum. (Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.) Quod est dicere, iuxta Apostolũ, tam diu pugnabo contra legẽ quæ est in mẽbris meis, donec veniat, quę me liberet de corpore mortis huius, gratia Dei, quæ cum venerit dices: (Misit Deus misericordiam suã, & veritatẽ suam, & eripuit animam meã de medio catulorum leonũ.) Subauditur quomodo eripuit caput meum, regem meum, de medio filiorum hominũ, quorum dentes arma & sagittæ fuerunt. Itẽ psalmi LVII. titulus. In finem ne disperdas Dauid in tituli inscriptiõe. Sicut supra dictũ est, ne disperdas in te titulum regis Iudęorũ. Sẽd quid? (Si verè vtiq; iustitiam loquimini (ait) recta iudicate filij hominum.) Non dicatis, iusti sumus. (Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniustitias manus vestræ concinnant.) Nisi dicatis, peccatores sumus, & iustificari non possumus, nisi per vnum hominem Iesum Christum disperdidistis hũc titulũ, nec attinet ad vos quòd dicitur rex Iudæorum: Itẽ, si dicatis, peccatores quidẽ sumus, sed fata hoc fecerũt, stellæ hoc fecerunt, nequaq̃ iustitiã loquimini, nequaquã recta iudicatis filij hominũ. Eiusmodi (Peccatores abalienati sunt à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.) Videlicet dũ deũ accusãt, seq; defendũt. Idcirco. (Deus cõteret dentes eorũ in ore ipsorum.) Nihilominus iuxta eundẽ sensũ titul' psalmi LVIII. In finem ne corrumpas ipsi Dauid in tituli inscriptione, quando misit Saul ad custodiẽdam domum eius, vt interficerẽt eum. Itaq; quotiescunq; misesit Saul, quotiescunq; miserit diabolus, & obsederit tot satellitibus, quot vitijs corporis vel carnis tuæ domum, vt interficiat te, qui immisit Iudæos, vt interficerent Christum, ne desperando corrũpas titulum sæpe dictum, sed dic secundũ ipsius exemplum. (Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantib. iniquitatem, & de viris sanguinum salua me, quia ecce cœperunt animã meam, & irruerunt in me fortes, &c.) Qui enim caput ipsum, resuscitando eripuit ab illis qui irruerunt in me fortibus, imò freneticis, qui insaniendo fortes sibi videbãtur, cùm essent infirmi, & percutiebant medicũ, ipse & te eripiet à fortitudine vitiorum impugnantium, siue malignorum spirituum, ita vt dicas iuxta hunc psalmum. (Ego autem cãtabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuã, &c.) Psalmo LIX. reditur iterũ ad spei summum. (Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es, & miseratus es nobis.) Hoc enim dicimus secundũ prospicientes aduentum Christi, qui sumus in immortalitatẽ atq; impassibilitatẽ cõmutandi, iuxta hunc modum tituli. In finẽ pro his, qui cõmutabuntur in tituli inscriptione ipsi Dauid. Pro his, inquit, qui commutandi sunt in finẽ. i. in immortalitatẽ atq; impassibilitatẽ, propter susceptam inscriptionẽ tituli sæpe dicti, q̃ inscriptio facta fuit ipsi Dauid. Sequitur adhuc. In doctrinã cum succendit Mesopotamiam Syrię, & Syriã Sobal, & cõuertit Ioab, & percussit Edom in valle Salinarum duodecim milia. Propter hoc ait, cõmutabuntur, quia susceperũt doctrinã eius, quia benè viuendo, & benè loquendo affecti sunt imitatores eius. Et hoc non à se, sed à Deo, qui succendit eos igne spiritus sancti, faciendo eos Mesopotamiã Syriæ. i. vocãdo & eleuando in sublime. Mesopotamia quippe eleuata vocatio, Syria sublimitas interpretatur. Hoc fecit eis cum prius fuerint Syria Sobal. i. sublimitas vanæ vetustatis. Et conuertit (inquit) Ioab. Ioab interpretatur inimicus, quod videlicet nos oẽs fuim', sed cõuersi sumus in amicos, quia per Christũ reconciliati sumus. Et percussit (ait) Edom in valle Salinarũ duodecim milia. Edom quoque terreni & sanguinolenti nos fuimus, sed percussit nos in valle Salinarum, mortificãdo nos vitijs, per ancipitem verbi sui gladiũ, in humilitate & condimento virtutum. Sumusque quasi numero duodecim milia, qui numerus per partes septenarij completur. i. tria & quatuor: ter enim quatuor, aut quater tria duodecim fiunt. Dona quippe habẽtes septiformis spiritus sancti per quatuor mundi partes, fidem sanctæ trinitatis confitemur & prædicamus. Et primo quidẽ aduẽtu credentes succendit igne pœnitentiali. Secundo aũt cum venerit, succẽdet incredulos igne pœnali. Pro meliori parte dicimus in hoc psalmo. (Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, &c.) Percepta significatione hac, psalmo sequenti. i. sexagesimo, dicit vniuersa ecclesia timentiũ Deum. (Exaudi Deus deprecationem meam,

am, intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Deduxisti me quia factus es spes mea, &c) Manifestè hæc oratio spem suggerit iam supradicto pugnatori, cuius an
Rom.7. xiatur cor dum pugnat, dum videt aliam legẽ in mẽbris suis, repugnantẽ legi mẽtis suæ, & captiuum se ducentem in lege peccati. Deduxisti me inquit, quia factus es spes mea, turris fortitudinis, à facie inimici, videlicet quod peccata deuitare, & virtutes posim cõsequi. Quid si nunc anxiatur cor meũ? Quid miror in feruore tentationis, quę ad tempus accedit? Quandoq; inhabitabo in tabernaculo tuo, in secula, protegar in velamento alarum tuarum. Et reliqua. Inscribitur autem psalmus iste sic. In finẽ, in hymnis psalmus Dauid. Benè in finem. Expectat enim in hac pugna, gratiæ Dei liberationem. Et hoc in hymnis, dũ videlicet quod pugnat, quod vincere contendit, non suis viribus, sed Dei laudibus, adscribit. Amplius autem psalmo sequenti, id est, LXI. idẽ certator legitimus, sancta spe semetipsum corroborat. (Nonne (inquit) Deo subiecta erit anima mea?) O tu lex peccati, lex mortis, legi mentis meæ, legi vitæ meæ repugnans, quid me deuocare cõtendis à spe vel expectatione auxilij Dei? Nẽ pè inuanum. (Ab ipso enim salutare meũ.) Ac deinceps. (In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. Sperate in eo omnis cõgregatio populi.) &reliqua. Habet autem titulum hunc, In finem pro Idithum psalmus Dauid. Idithũ. i. transiliens. Transijt enim eos, qui loquitur dicendo. (Quousq; irruitis.) Psalmo sexagesimosecundo, caput ipsum introducitur orans, vt ostendat quid plurimũ prodesse possit illi, qui vt prędictum est, adhuc in lucta & in periculo est, pugnando cum vitijs. (Deus Deus meus (inquit) ad te de luce vigilo.) Multũ quippe corporales quoq; vigiliæ contra vitia prosunt, & meditatio sancta, de qua dicit postmodum. (Sic memor fui tui super stratum meũ, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Et in velamento alarum tuarum exultabo, & c.) Hæc ipsum caput loquitur, sicut innuit ipse titulus. Psalmus Dauid cum esset in deserto Idumęę. Cuius videlicet tituli sensus hic est. Hæc verba sunt attribuenda vero Dauid Christo, secundum eum statum, quo ipse conuersatus est Iudaico populo, qui erat desertũ, præcepta Dei propter traditiones suas deserendo, & idumæa. i. terrena vel sanguinolenta, terrã amando, sanguinem sitiendo. Item psalmo sexagesimotertio, ad instructiõem eorundẽ introducitur orãs, & dicit: (Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam.) Si enim ipse qui prescius erat futuri, orare voluit, quãto magis illi qui incerti sunt, dare debent operam orationi, vt eripiãtur à timore inuisibilis inimici, seu visibilis, ne cedant in persecutione inimici, nec cadant vel desperent in tentatione diaboli. Idcirco tali hanc orationem concluſit fine. (Lætabitur iustus in domino, & sperabit in eo & laudabũtur oẽs recti corde.) Psalmo sexagesimoquarto, tertia iam recapitulatione reditur ad summum spei. i. ad finẽ seculi quãdo sumus in patriam cælestem resumptis corporibus profecturi. Inscribitur aũt sic. In finem psalmus Dauid, canticũ Hieremiæ & Aggæi de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci. Et est sensus: Hic psalmus est Dauid prophetæ, considerãti in finem. i. vltimam ætatem. Psalmus dico eius canticum. i. iucunditas & lætitia Hieremiæ, & Aggæi, & omnium fidelium. Hieremias interpretatur excelsus domini. Aggæus solennis vel sublimis. Hi vtriq; prædixerãt futuram peregrinationem populi Iudaici, & reuersionem in patriam, in qua etiam reuersione Aggæus interfuit. Vtriq; verò intellexerunt peregrinationem fidelium, quę fit in hac vita, & reditum, qui tandem erit, per illã designari. Per hos autem duos designantur fideles, per Hieremiam autẽ mediocres, per Aggæũ qui in reditu affuit, perfecti qui non solum se peregrinari agnoscunt, sed etiã iuxta Apostolum conuersatio eorum iam est Philip.3. in cælis. In hac spe adhuc peregrinantes dicunt hic (Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalẽ.) Subauditur cælesti. Et ne quis eorum illic desit, orant in metu & spe. (Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe, &c.) Psalmus sexagesimusquintus idem intendit, vndè & inscribitur sic. In finem canticũ psalmi resurrectionis. Et hoc quidem vniuersalis spei canticum est, vt omnes iubilemus, qui resurrecturi sumus, propter quod & vniuersaliter dicit hic psalmus. (Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriã laudi eius, &c.) Veruntamen & sæpe dicto pugnatori decantat, quo ordine sperare debeat, quo tenore debellatrix inimicorum suorum speranda sibi gratia proponatur. Iniquitatem (inquit) si aspexi in corde meo non exaudiet dominus, &c.) Ac si dicat: Si ego qui pugnare debeo contra legem, quæ est in membris meis, iniquitatem eorũdem membrorum meorum dilexi, & libenter aspexi tacitus, non exaudiet dominus, vt gratia sua liberet me de corpore mortis huius. Nam aspexi dixit pro eo, vt diceret dilexi, ideo videlicet, quia ad id quod diligimus, frequentius oculos retorquemus. (Propterea exaudiuit Deus. Quia locutum est vt prædixi. (Os meum in tribulatione.) &c. Confessus sum in infelicitate mea, scilicet in carnis meæ repugnantia, & dixi. (Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum, offeram tibi boues cũ hircis.) &c. Per arietes omnem repugnantiã carnis, per boues extollentiam, per hircos o-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mnem malorum operum fœditatẽ vult intelligi, quæ omnia se offerre dicit, dum confitendo & pœnitendo punit. Hoc sine dubio pertinet ad canticum resurrectionis, quia sic agendo prima resurrectione, quæ est animę, resurgit. Psalmus sexagesimus sextus, nihil quidem de labore certaminis, vel de spe victorię, in litera sonare videtur, sed tamen omninò commodum atq; fructuosum est, volente & consentiente totius psalmi sensu eo tendamus, sicq; dicamus. (Deus misereatur nostri.) Scilicet secũdum depressionem motuum carnalium. i. vitiorum. (Benedicat nobis) secundum profectum motuum spiritualium. i. virtutum. (Illuminet vultum suum super nos.) Id est, det nobis cognitionem filij sui, qui idcirco vultus eius dicitur, quia cognoscitur ex ipso, quẽadmodum aliquis ex vultu suo. Hanc misericordiam vel miserationem, optantes omnibus qui inuocant nomen eius, deinde subiungimus. (Confiteantur tibi populi Deus.) &c. Psalmo sexagesimoseptimo, multa sępè dictus prælиator inuenit, quibus pugnet, quibus hostem feriat, flagellet, elidat, incendat. (Exurgat (inquit) Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius.) &c. Hæc nanque fideliter dicta, velox comitatur effectꝰ, & velut exurgente Deo fugiunt qui oderũt eum, maligni spiritus cum suis suggestionibus, vt fumus deficiẽtes, vt cera à facie ignis fluentes. Et ne fortè desperet Dei miles, si quid incautius agẽdo perpessus est, si aliquo peccato vulneratus est, audit sibi postmodũ dicentem spiritum sanctum. (Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperãt, qui habitant in sepulchris.) Hoc nempè sic in vniuersis factum est gentibus, vt non sit cur desperet vnus vinctus, vnus quanuis in sepulchro habitans, quanuis Lazaro fœtenti, & quatriduano meritò comparandus. Psalmus sexagesimus octauus, amplius ad idem negotiũ operatur, quo & ipsum caput nostrum inducitur, sic orans pro suis tribulationibus exterioribus, quomodo quemq; suorum orare vult pro tentationib. suis interioribus. (Saluum me fac (inquit) Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meã. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.) Hæc namq; & cætera orando, suis intervitia periclitantibus, exemplum orãdi se dare innuit cum dicit. (Videant pauperes & lætentur, quærite Deum, & viuet anima vestra, quoniam exaudiuit pauperes dominus, & vinctos suos non despexit.) Vndè benè hunc habet titulum psalmus hic. In finẽ pro his qui commutabuntur psalmus Dauid. Et est sensus. Hic psalmus agit pro his, qui commutandi sunt in conformitatem Christi, ita vt sint euntes in finem. i. in omnimodã perfectionem. Itẽ & sequens psalmus LXIX. in persona eiusdẽ capitis decantatur ad instructionẽ cuiusq; fidelis vt & ipse oret & laboret in spe, quoties ab inimicis quærentib. animã suã diuersis tentationib. fatigatur. (Deus (inquit) in adiutorium meum intende, dñe ad adiuuãdum me festina.) &c. Titulus eius talis est. In finẽ psalmus Dauid in rememoratione, eo quod saluũ eũ fecit dñs. i. hic psalmus attribuitur Dauid. i. Christo in rememoratione. i. in cõsideratiõe habita de ea re, quod eũ saluũ fecit dñs. Psalmi LXX. voces manifestè pugnatoris sæpè dicti voces sunt, in certamine positi spẽ retinentis, spẽ profitẽtis. (In te dñe (inquit) speraui, nõ confundar in æternũ.) Ac deinceps. (Quoniã tu es patiẽtia mea dñe, dñe spes mea, à iuuentute mea. Item, Ego aũt semper sperabo, & adijciã super oẽm laudem tuam.) Nempe in eò quod dicit. (Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu cõtra legẽ agẽtis & iniqui.) Promptũ est diabolum intelligi cuius instinctu illa discordia fit, vt aduersus legem mentis expugnet lex peccati, q̃ est lex carnis. Sanè orationis huiusce præcẽtor ac prædoctor est ipse Christus, legitimè certantiũ caput & dux, orans hic vt eriperetur de manu cõtra legẽ agentis Iudaici populi, & iniqui Romani imperij eadem iustitia vel diuinitate qua potẽs est, & eos, qui tentantur eripere. Denique titulus eius talis est, psalmus Dauid filiorum Ionadab & priorũ captiuorũ. Et est sensus, Hic psalmus est Christi, quia ipse & in hoc psalmo loquitur, & de seipso loquitur. Est etiam filiorũ Ionadab, quia de ipsis dñs hic loquitur, qui filij prius captiui fuerunt. Vndè & dicitur priorum captiuorum. Benè autẽ Ionadab & secundum negotium, & secundum nominis interpretationẽ hic ponitur. Secundum negociũ ita: Quia sicut Ionadab sacerdos filijs suis à vino abstinere, & in tabernaculis habitare præcepit, ita dominus noster fideles suos à temporali iucunditate prohibet, & in hac vita peregrinos & aduenas se reputare, atq; futurã inquirere admonet. Secundũ verò nominis interpretationẽ sic, Ionadab dñi spontaneus interpretatur. Quæ interpretatio aptè dño nostro cõgruit, quippe qui præ omnib. specialiter & singulariter Deo patri vsq; ad mortẽ obediuit. Ipse in hoc psalmo orat, vt videlicet sicut iam dictum est, exemplo suo filios suos orare doceat. Psalmo LXXI. quarta iã recapitulatione ad summum spei nostrę reuocamur dum dicitur. (Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.) &c. Quòd dicit da, iam primo aduẽtu factum est. Pater quippe non iudicat quenquam, sed iudicium omne dedit filio. Ipsum aũt iudiciũ secundo aduentu futurum est, quando rex iste, iuxta veritatẽ euangelicã sedebit in sede maiestatis suæ, & cõgregabũtur ante eũ oẽs gẽtes. Illic in eo metus est, quia iudicabit in iustitia, in eo verò spes,

Hebr. 13.

Ioan. 5.

Matth. 25 rò spes, quia parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Habet autẽ hic psalmus hunc titulum, psalmus Dauid in Salomonem. Dauid, inquam, prophetæ respicientis in Christum, qui est verus Salomon, verus pacificus. Ipse enim pacem posuit inter deum & homines, inter angelicam & humanam creaturam, inter Iudæos & gentiles, de qua psalmus hic. (Oritur (inquit) in dieb. eius iustitia & abundantia pacis.) Antequam fiat illud. i. quod iam dictum est, regi huic iudicium, interim sæpe dictus certator nonnũ quam deficit, & à sua spe paululũ decidit, videns multos peccatores quandam pacem habere in malis, iustos autem aduersitatibus fatigari. Sed postmodum pœnitet illũ huius erroris sui. Hic talis correctus sequenti, id est, septuagesimo secundo psalmo loquitur. (Quam bonus Israel deus his, qui recto sunt corde. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.) Ac deinceps. (Si dicebam, narrabo sic eccè nationem filiorum tuorũ reprobaui. (Si (inquit) dicebam vel narrabam sic, imò si dixero sic, quomodo scit deus, & si est scientia in excelso, & cætera, eccè nationem filiorum tuorũ reprobaui, id est, tuuc ero contrarius omniũ sanctorum auctoritati. Nam hi qui hæc & huiusmodi dicunt, in præmisso titulo denotantur. Defecerunt, inquit, laudes Dauid filij Iesse. Filij (inquit) Iesse, id est, eorũ, in quibus regnauit Dauid filius Iesse, & quicunq; illos imitantur, imò terrenorum siue carnalium amore laudes defecerũt, dum sic dicũt, dum nisi rerum temporalium affluentiam habeant, deum laudare desinunt. Quid igitur? Mihi autem (ait) adhærere deo bonum est, ponere in domino deo spem meam.) Vera nanq; laus à spiritualibus viris amore cælestium, & contemptu terrestrium fieri incipit. psalmi septuagesimi tertij titulus intellectus Asaph, Asaph nanque, id est, omnes intellectum habentes in hoc psalmo quæstiones proponũt, dicendo. (Vt quid deus repulisti in finem? iratus est furor tuus, super oues pascuæ tuæ.) &c. Licet autem eiusmodi quæstiones proponant, non tamen id dubitando, sed aliorum saluti & instructioni proꝓ uidendo faciunt, vt prius positis quæstionibus attenti, & deinde solutionibus edocti, exemplo eorum iusto Dei iudicio applaudant, de tribulatione fidelium nõ contristentur, sed gaudeant spe, scientes, quia dura & aspera patiendo peruenturi sunt ad gloriã. Psal. LXXIIII. ad idem maximè proficit negotium, scilicet ad constituendum fortissimũ spei solatiũ. (Cõfitebimur (inquit) tibi deus, confitebimur & inuocabimus nomen tuũ.) &c. Animi quippe bona spe confortati, est dicere iniquis. (Nolite iniquè agere, & delinquentib. nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altũ vestrũ cornu, nolite loqui aduersus deum iniquitatẽ. Quia neque ab oriente, neq; ab occidente, neque à desertis montib.) Subauditur patet locus effugij. (Quoniam deus iudex est.) Quẽ effugere nemo potest. Sanè capitis nostri Christi, principaliter voces istæ sunt, nec enim alius præter ipsum dicere potest. (Cũ accepero tempus, ego iustitias iudicabo, & ego confirmaui columnas eius, & omnia cornua peccatorum confringam.) Vnde benè habet in titulo. In finẽ, ne corrumpas, psalmus Asaph cantici, & est sensus, O Asaph. i. infidelis congregatio Iudæorum, ne corrumpas aliquid in hoc psalmo, malè illud exponẽdo, vel alicui præter Christum attribuendo. Veruntamen cũ dicit pluraliter confitebimur, inuocabimus, narrabimus, cum suis membris caput communiter loqui se confitetur. Finẽ omnium quẽ sperãdo metuimus, & metuẽdo sperauimus, quinta iam recapitulatione, psalmus LXXV. intẽdit. (Notus (inquit) in Iudęa deus, in Israel magnum nomen eus. Et factus est in pace locus eius.) Ac deinceps. (De cælo auditum fecisti iudiciũ, terra tremuit & quieuit, cũ exurgeret in iudicio deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.) &c. Fecisti propheticè dicit pro eo, vt diceret facies, sed prẽterito vtitur ꝓ futuro tẽpore. Sanè in eo qꝺ ait, de cælo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & quieuit, ingẽtis metus causa est, idẽ enim est, ac si diceret. Terra. i. impij terræ amatores, trement & quiescent, quia mali operari desinent, cõpescet eũ illos iudex magnus, dicendo, Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius. In eo verò qꝺ ait, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ, plurimũ mansuetorũ armatur spes. Idem enim est, ac si diceret, Exurgens in iudicio, mansuetos, qui peccata sua non defendunt, sed eleemosynis ea redimunt, saluabit, dicẽdo. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratũ est ab origine mundi. Titulus psalmi huius talis est. In finem in laudibus psalmus Asaph canticum ad Assyrios. Assyrius dirigens interpretatur, & hoc loco Iudęos significat, qui se dirigũt. i. de genere Abrahã, vel operibus legis inaniter extollunt, putantes hoc satis esse, qꝺ carnalis Iudæa & carnalis Israel sunt. Contra horum extollentiam psalmus dicit, quia in illa quæ verè Iudæa est, notus est deus, & in illo qꝺ verus Israel est, magnũ est nomen eius. Iudæa confessionem peccatorũ, Israel quod interpretatur videns deum, siue directus cũ deo, certantem significat virum, contra impetus vitiorum, de quali viro iã sæpe dictũ est. Porrò quod sequitur, (Et factus est in pace locus eius.) Illum designat statum, de quo Apostolus. Infelix (inquit) ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Nam reuera ibi confregit deus potentias, arcum, scutum, & gladiũ, & bellum. Inter eiusdem iudicij metum,

Matth. 25.

Ibidem

Rom. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpemq; ſalutis ſæpe dictus certator poſitus pſalmo ſequenti.i. LXXVI.dicit.(Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad deum,& intendit mihi. In die tribulationis meæ deū exquiſiui manib.meis.)Ac deinceps.(Et exercitatus ſum,& defecit ſpiritus meus.) In ipſo exercitio.(Anticipauerunt vigilias oculi mei.)Id eſt, plus omnibus & laboraui, & (Tunc defeci.)Vnde. (& turbatus ſum.)Videlicet dolendo pro ipſo defectu.(Non ſum locutus.)Non ſum indignatus contra deum, deficiente vel tardante laboris mei fructū. Et dixi,(Nūquid in æternum proijciet deus, aut non apponet vt complacitor ſit adhuc?) Hæc & cætera dicendo, nimirum inter metum ſpemq; laborat, & nunc quidem metu deficit, nunc aūt defectum ipſum bona ſpe conſulatur. Habet autē hic pſalmus in titulo pro Idithum,quod interpretatur tranſiliēs, videlicet pro bona voluntate & recta intentione,quia omnibus poſtpoſitis, ſolū Deum appetit.(Renuit(inquiens) conſolari anima mea,memor fui dei & delectatus ſum.)Pſal. ſeptuageſimus ſeptimus,eidē pugnatori magnifica dei opera meditanda proponit.(Attendite(inquiēs)populemeus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.) & cætera. Hoc vtiq; vtiliter agit, intendens ad corroborādam ſpem,quemadmodum dicit.(Filij qui naſcentur & exurgēt, & narrabunt filijs ſuis.) Continuò ſubiungens,ait, (Vt ponant in deo ſpem ſuam.)Multū enim valet ei, qui in agone contendit,aſsidua meditatio operum dei. Attende aūtē hunc tractatum totum eſſe parabolicum, quēadmodum ipſe propheta teſtatur. (Aperiam(inquiens)in parabolis os meum.) Et quod in his verbis hiſtoricè dictum eſt ſpiritualiter eſſe intelligendum. Verba nanque pſalmi totius res ſonantia præteritas, futura Chriſti myſteria ſignificabant, Chriſtum videlicet & ea quæ nunc in eccleſia Chriſti ſunt. Pſal. LXXVIII. gemituoſa declamatione tribulationes refert ſanctorum, vt oſtendat eas fieri ad vtilitatem fidelium, quatenus confirmentur ne deſperent, in quouis agone interiorum ſiue exteriorū tentationum. (Deus (inquit)venerūt gentes in hæreditatem tuā, polluerunt templum ſanctum tuum.)& cætera. Sanè vnicuiq, fideli, ſua vitia barbaræ gētes ſunt,quæ polluerūt ſanctū dei templū, id eſt, corpus noſtrum, teſtante Apoſtolo cùm dicit,An neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti? Reſiſtentes igitur, vt ſæpe dictum aduerſus peccatum, rectè & ſecundum hunc pſalmum dicunt.(Ad iuua nos Deus ſalutaris noſter, & ꝓpter gloriam nominis tui domine libera nos,& propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum. Nihilominus & ſequenti,id eſt,lxxix. Idem certator dicit. (Qui regis Iſrael,intende,qui deducis velut ouem Ioſeph.) Ac dēinceps.(Domine Deus virtutum quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui? Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura, &c.) Veruntamen principaliter atque vniuerſaliter in hoc pſalmo propheta, & cæteri fideles antiqui Chriſti aduentum flagitant, quem præuidebant futurum,orantq; deum patrem nō pro ſe,ſed pro illis,quos ſuo tempore præuident immutandos in eum, ſecundum hunc eiuſdem pſalmi titulum. In finem pro his, qui immutabuntur teſtimonium Aſaph, pſalmus pro Aſſyrijs. Pro his qui immutabuntur,ait, *Rom. 10.* id eſt,pro Iudæis & gentibus,qui cito apparente domino Ieſu in eum ſunt commutandi,pro Aſſyrijs verò.i. dirigentibus,ſcilicet perfidis Iudæis ſeipſos dirigentibus, quia vt Apoſtolus ait, Iuſtitiam ſuam ſtatuere volētes,iuſtitiæ dei non ſunt ſubiecti, pro illis orat,vt tandem conuertantur,dum dicit.(Vineam de Agypto tranſtuliſti,eieciſti gentes, &c.)Vſque in finem pſalmi. Pſalmi LXXX. titulus hic eſt. In finem pro torcularibus, quinta ſabbati pſalmus Aſaph. Per torcularia præſens Eccleſia, dei deſignatur,in qua boni & mali commixti ſunt, quemadmodū oleum & amurca, vel vinum & acinum in torcularibus ſecundum negotium quod cōtigit quinta ſabbati,quando genus ortum ex aquis partim in ſublime volauit, partim depreſſum ſub fluctibus remanſit. Sic enim in præſenti Eccleſia, qui ex aquis regenerantur, partim in cælum perferuntur,partim in imo relinquuntur. Dicitur autem pluraliter pro torcularib.propter diuerſas eccleſias ex Iudæis & gentib. Hoc pſalmo magnificè tuba bellica legitimos certatores ad ſpē victoriæ ſuſcitat dicendo.(Exultate deo adiutori noſtro,iubilate deo Iacob.)Hæc poſt multa magnum ſubijcit exemplum fidei.(Teſtimonium(inquit)in Ioſeph poſuit illud cū exiret de terra Aegypti, linguā quā non nouerat audiuit. Diuertit ab onerib. dorſum eius, manꝰ eius in cophino ſeruierūt.) Per Ioſeph qui primus ſeruiuit iuxta hiſtoriā, oēs filios Iſrael vult intelligi,iuxta allegoriā verò oēs electos,quos deus de ignorātiæ tenebris eduxit,quorū dorſa diuertit ab onerib. peccati. Igitur quiſquis adhuc in ſæpe dicto agone cōtendit,ſperet,quod quandoque dicatur & ſibi.(In tribulatione inuocaſti me,& liberaui te,exaudiui te in abſcondito tempeſtatis.) Id eſt, in occulto tētationis. Soli quippe mihi notum erat, quid patereris. (Probaui te apud aquas cōtradictionis.)Id eſt,in tua fluctuatione, vbi propter prauam cōſuetudinē *Rom.7.* contradicebat legi mentis, alia lex quæ erat in membris tuis. Pſal. LXXXI propheta de Chriſto dicit.(Deus ſtetit in ſynagoga deorū,in medio aūt deos dijudicat.) Præuidens nanq;,Iudaicū populum,dominū Ieſum hominē tantum reputaturum,& ideò in morte iudicatutū. Vſquequo(inquit) iudicatis iniquitatē,& facies peccatorū ſumitis, &c.)Ad ipſum

1.Cor.6.

ipſum autem. (Surge deus iudica terrā,quoniam tu hęreditabis in omnib.gentibus.)Ac ſi dicat. Ego illos admonui vt iuſtè iudicarēt, teq; eriperent, ipſi verò non ſic facient, ſed dabunt te in mortē. Surge igitur à mortuis,& his paucis abiectis,accipe omnes gentes in hæreditatem. Principaliter quidē pſal. hic viſibiles inimicos Chriſti verberat Iudæos, ſecundariè autem inuiſibiles militis Chriſti hoſtes,ſpiritus malignos. Et in iſto capite noſtro huius. i.quintæ periochos finis Notandum quippe quod cum priorū quinquaginta pſalmorū ſingulæ periochæ à primo Chriſti aduentu incipiant, & in ſecundo finem faciant,horū econuerſo quinquagintā pſalmorū ſingulæ à ſecundo incipiunt, & vſque ad primum eius aduentum recurrūt. Pſalmus LXXXII. cōtra Idumæos, Iſmaelitas, Moabitas, Agarenos, Ammonitas,& Amalechitas,& contra oēs alienigenas, id eſt, contra omnes eccleſiæ hoſtes,falſos Chriſtianos,ſiue hæreticos,aut infideles iudicium futurum intendens,ſic dicit. (Deus quis ſimilis erit tibi? Ne taceas,neq; cōpeſcaris deus.) Subauditur,qui in primo aduentu tuo tacuiſti,tuamq; fortitudinem compeſcuiſti. Ac deinceps.(Sicut ignis,q cōburit ſyluā,& ſicut flamma cōburens montes,ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos.) In tempoſtate tua(inquit)id eſt,in iudicio,quo videlicet angelorū per officium, ſic diuidentur boni à malis, quaſi tempeſtate grana à paleis. (Tunc erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi,tunc confundā tur & pereant, atque cognoſcant.) Qui modo cognoſcere nolunt.(Quia tamen tibi dominus, tu ſolus altiſsimus in omni terra.) Hic metus eſt. Porrò ſequens.i. octuageſimus tertius Pſalmus,gaudia ſpei cātat. (Quā dilecta, inquit, tabernacula tua domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea,exultauerunt in deū viuum.) Exultauerūt(inquit)ſubauditur ſpe,nondum re. Ac deinceps.(Beatus vir(inquit) cuius eſt auxilium abs te,aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarū in loco quem poſuit. Et em̄ benedictionē dabit legiſlator, ibūt de virtute in virtutē, videbitur deus deorū in Sio.) Et in cōcluſionis fine. (Domine inquit) virtutum,beatus homo qui ſperat in te.) Igitur præcedens quidem pſal. pugnatorem ſæpe dictum metu excitat,ne pigreſcat,hic autem eundē ne metu anguſtetur, lætiſsima ſpe dilatat. Habet autē in titulo,pro torcularibus filijs Chore.i.imitatorib.crucifixi. Pro torcularibus(de quibus iam ante dictum eſt)adſcribendus eſt pſal.iſte. Sequens.i.lxxxiiij.in titulo habens,in finē filijs Chore ſic dicit. Benedixiſti domine terram tuam, auerti ſti captiuitatē Iacob.)Et ſubinde.(Mitigaſti oēm irā tuā)Hoc nimirū factū eſt, quia terrā,quæ in Adā maledicta fuerat,dñs deus per incarnationem filij ſui benedixit, & in illo irā ſuā mitigauit Mitigauit,inquā, & nondum totā auertit. Nondum enim omninò delatata eſt pœna peccati, remanente miſeria mortalitatis & paſsibilitatis. Quod ergo de futuro reſtat,orant filij Chore. (Conuerte(inquiunt) nos deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuā à nobis. Nunquid in æternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?)Deus tu conuerſus viuificabis nos,& plebs tua lætabitur in te. Viuificabis nos,inquit,id eſt, reſuſcitabis nos, &c. Pſalmo LXXXV. in titulo præſcriptum eſt. Oratio ipſi Dauid. Idcircò oratio,quia penè totus oratio eſt, & ſi quid interpoſitum eſt, principaliter ſpectat ad orationem. Attribuitur autem ipſi Dauid, id eſt, Chriſto, reuera manuforti. Orat enim in hoc pſalmo patrem circa paſsionem,nō ſecundum id,quod eſt ei conſubſtantialis & compotentialis, ſed ſecūdum fragilitatem humanæ conditionis qua erat minor etiam angelis. Oret itaque cum capite ſuo quiſquis legitimè pugnans in ſæpe dicto certamine. (Inclina dñe aurē tuam,& exaudi me,quoniam inops & pauper ſum ego. Cuſtodi animā meā,quoniā ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum tuum deus meus ſperantem in te.)Et cætera quæ ſequuntur. Manifeſtè verba ſunt nondum victorum,ſed adhuc pugnantis in ſpe. Pſalmo LXXXVI. iucundātur filij Chore,id eſt, imitatores Chriſti crucifixi, ſe de profundo vitiorū erutos, collocandos eſſe in glorioſa ciuitate. Cuius (fundamenta(inquiut)in montibus ſanctis.) Id eſt,in Apoſtolis & ꝓphetis. De cuius glorioſa habitatione gaudentes in ſpe,protinus ſubiungit.(Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas dei.)Que sūt illa glorioſa?(Memor ero Raab & Babylonis,&c.) Nempe hoc plurimū lætificat ſpem pugnantis, quē pro praua cōſuetudine confundit adhuc lex peccati quæ eſt in mēbris, ꝙ memorem ſe fore promiſit dominus,Raab & Babylonis.i.eorum, qui in multa detinebantur latitudine & vitiorum confuſione. Nā Raab latitudo, Babylon interpretatur confuſio. Pſal. LXXXVII. titulus hic præſcribitur, Canticum Pſalmi filijs Chore in finem Promelech ad reſpondendum. Promelech interpretatur concorditer. Proponitur Pſalmus hic filijs Chore.i.ſæpe dictis imitatoribus crucifixi ad reſpondendum concorditer, vt videlicet, ſicut pro eis paſſus,ita & ipſi pro eo pati,ſi opus fuerit, non ſubterfugiant, & hoc faciant concorditer,id eſt,ea dilectione,qua & ipſe paſſus eſt. Additum eſt in titulo, intellectus Eman Iſraelitæ. Eman interpretatur frater. Nempe hūc intellectū habet ipſe Chriſti frater, ipſe verus Iſraelita. Intendit aūt in hoc pſalmo caput noſtrū orare in paſsione pro ſui conſtantia & reſurrectione. (Domine deus(inquit) ſalutis meæ,in die clamaui, & nocte,corā te, &c. Nimirum eius exēplo opus habet orare

quiſque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quisq; filiorum Chore, quoties in sæpedicto periclitatur certamine, ita vt veraciter dicat, quoties lex quæ est in membris eius, legem mentis superat. (Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Aestimatus sum cum descendentibus in lacũ.) & reliqua. Psalmo LXXXVIII. misericordias domini decantat fidelis Dauid, quas & in æternum cantaturum se confidit. (Misericordias (inquit) domini in æternum cantabo.) Audierat quippe dicentem sibi Nathan
2. Regu. 7. prophetam in sermone domini, Annuncio ego tibi quod ædificaturus sit domum tibi dominus. Cumque impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius vsque in æternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, & cætera. Magnum spei firmamentum ex ista misericordiarum cantatione ille sæpe dictus certator concipit, maximè vbi dicit. (Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorũ, misericordiã autem meam non dispergam ab eo, &c. Inscribitur autem psalmus hic, Intellectus Ethan Israelitæ. Ethan fortis interpretatur. Intelligit videlicet quilibet fortis Israelita in hoc psalmo commẽdari Christum adeò magnum & terribilem, vt ei nemo sanctorum possit æquari secundum potentiam, vel similis esse secundum deitatem, adiutorium quoque humani generis in reparatione à Deo patre illi impositum, ipsum verò electum oleoque sancto, id est omnib. donis spiritualibus in regem & sacerdotem vnctum in æternum. Psalmus LXXXIX. inscribitur sic, Oratio Moysi hominis dei. Moysi, inquam, non cuiuslibet de Iudaico populo, sed illius, qui quodam priuilegio homo dei potest dici. Hic psalmus cõmunem resonat spem humani generis. (Domine (inquit) refugium factus es nobis à generatione & generatione.) Id est, à primis iustis, vsque ad nouissimos. Præuidens nanq; propheta Iudæos in perfidia semper & errore permansuros, intendit in hoc psalmo ostendere genus humanum per solum Christum esse redimendum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo oẽs viuificabuntur. Cõcessa itaq; pro merito mortalitate hominis
1. Cor. 13. per hæc verba. (Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat, vespere decidat, induret, & arescat, quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus, &c.) cõmunem resurrectionis spẽ cõtinuò subiecit. (Cõuertere (inquit) dñe vsquequo, & deprecabilis esto super seruos tuos.) Et quasi exauditus. (Repleti sumus (inquit) mane misericordia tua.) Mane. i. resurrectionis die. Sumus, ait, pro vt diceret, erimus, quia videlicet fide certissima, quasi iã peracta resurrectio est, quã in Christo factam, in nobis futuram speramus. xc. psalmi titulus, Laus cantici Dauid. Quid laudatur, quid hoc psal. cantatur? (Qui habitat (inquit) in adiutorio altissimi, in protectione dei cæli cõmorabitur.) Multum hoc psalmo spes Christiani militis roboratur, quã istis L. psalmis plurimũ inculcari diximus. Continuò sequitur. (Dicet dño susceptor meus es tu & refugium meus, deus meus sperabo in eum.) Itẽ, Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.) Ac deinde. (Quoniam (inquit) tu es domine spes mea.) Et post modũ de illo dicit altissimus (Quoniam in me sperauit liberabo eũ, &c.) Sanè in primo versu psalmi huius loquitur, propheta in persona sua, postea introducit fideles loquentes in persona ipsorum vsq; ad hunc versiculũ. Quoniam in me sperauit, liberabo eum, & ab illo loco vsq; ad finẽ psalmi. Ipsum dominum, &c. Psal. XCI. titulus, psalmus cantici in die sabbati. Hoc titulo psalmus iste, pugnatori in spe laboranti, circa quem res agitur, & spes intimatur, totis istis quinquaginta psalmis, magnam requiem promittit. Eius requiei spe nunc dicit. (Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime ad annũciandum mane misericordiã tuã, & veritatem tuã per noctem.) Hoc enim audiens vel cantans ipse, toties dictus certator cõfiteatur domino vulnera sua, quæ pertulit à lege peccati, quam videret in membris suis, ac deinde psallat, id est, benè operetur ad gloriam nominis altissimi, vt videntes homines glorificent patrẽ qui in cælis est. Tunc bona spe confortatus, dicet. (Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi. Quia despexit oculus meus inimicos meos, & insurgentibus in me malignãtibus audiet auris mea. Iustus vt palma florebit, & cæt.) Cornu, inquit, meum exaltabitur sicut vnicornis per auxilium gratiæ liberantis me de corpore mortis huius. Cornu, inquam, quod nunc deprimitur & penè constringitur à lege, quæ est in membris meis repugnãte legi mentis meæ, & senectus mea, id est, illa perfecta sanctitas, in qua positus iã ab omni appetitu terrenorum frigescam ad modum senis, qui iam præ nimia ætate in seipso calere desijt, sabbatizabit in misericordia vberi. Et hoc idcirco, quia nunc adhuc in pugna positus. (Despexit oculus meus inimicos meos.) Despexit, inquam, spe victoriæ ratio mea, me impugnantes spiritus malignos, audiẽte aure mea, scilicet intrinsecus sanctæ spei verba bona, verba cõsolatoria. Iustus, inquit, vt palma florebit, Coronabitur quippe qui legitimè certauerit. Psalmo XCII. qui sextæ huius perioches vltimus est, ad caput ipsum modo solito recurritur, ita dicendo (Dominus regnauit decorem indu- Ioan. 12.
tus est, indutus est Dominus fortitudinẽ & præcinxit se, & cæt. Dñs regnauit, dñs eiecto foras

foras principe mundi, regnũ acquisiuit, Dominus vbi à terra exaltatus est, omnia traxit ad se. Dñs decorem indutus est, dominus magno decore sanctitatis de virgine incarnatus est, dominus eandẽ carnem spinis coronatã, & in sepulchro depositam, rursus induit eã tanquã fortitudinẽ immortalem atq; impassibilem, & præcinxit se Apostolis suis, armatis spiritus S. virtute. Sub isto rege sæpe dictus certator insurgentib. vitijs, dũ fluctuat inter legem carnis, & legem mentis, dicat, puidus, dicat spe firmus. (Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus.) Hoc Apostoli dixerunt cõtra motos reclamantiũ nationum, hoc quisq; dicat contra motos repugnantium vitiorũ. Titulus psalmi huius hic est, Laus cantici Dauid in die ante sabbatum quando fundata est terra. Ante sabbatũ, inquit, id est, in consideratio sextæ ætatis, quã sequitur sabbatum. i. requies, quando fundata est terra. i. ecclesia. Notandũ quippe, quia sicut in sexta feria homo creatus est, ita in sexta ætate & eadem feria reparatus est. Nã (sic ut iam dictum est) incarnatus, & à terra exaltatus regnauit dominus, & extunc parata est sedes eius. Psalmo XCIII. septima iam periocha canimus in consideratione futuri iudicij. (Deus vltionũ dominus, deus vltionum liberè egit. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.) Et cæt. Ex nimia rei certitudine proposuit propheta, libere egit, de futuris loquens sicut de præteritis.
Matth. 25. Luca 17. Titulus psal. huius, Laus cantici Dauid quarta sabbati. Quarta dies sabbati media est in hebdomada, tribus videlicet præcedentibus, totidemq; diebus illam subsequentibus. Significat aũt improuisum iudicij tempus hoc medium hebdomadis, sicut & illud medium noctis in euangelio, Media, inquit, nocte clamor factus est, eccè sponsus venit, exite obuiam ei, vel sicut illud medium humanæ securitatis, de qua itidem dicit. Et sicut factum est in diebus Noe, & sicut factum est in diebus Loth, ita erit in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, &c. In hoc psalmo sæpe dictus certator dicat. (Quis consurget mihi aduersus malignantes, aut quis stabit mecũ aduersus operantes iniquitatẽ?) Et considerãs in quantis fuerit tentationum periculis, continuò subiungat. (Nisi quia dñs adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea.) Ac deinceps. (Et factus est dominus mihi in refugium, & deus meus in adiutoriũ spei meæ.) Idem psalmo sequenti. i. XCIIII. dicit. (Venite exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.) In confessione, inquit, peccatorũ præoccupemus faciem eius. i. anticipemus manifestum aduentum ipsius. Per faciem quippe aliquis apertè cognoscitur ideò per faciem domini ille secundus aduentus eius rectè intelligitur. Prior nanq; multos latuit, ille autem manifestus omnibus erit. Notãdum est, prophetam dixisse hæc verba in persona sua, vsque. (Hodie si vocem eius audieritis.) Et ex eo vsque ad finem psalmi in persona spiritus sancti. Itidem Psalmus XCV. iudicium futurum intendit, qui sic incipit. (Cantate domino canticum nouũ, cantate domino omnis terra.) Nouum, inquit, canticum cantate, id est, præcepta nouæ legis obseruate tam diligenter, vt domino sit delectabile. Terposuit cantate, vt videlicet studium cantandi iuculcaret ipsa repetitione. Hæc & cætera, quæ in hoc psalmo dixi, facite ad gloriam & honorẽ domini. Quare? Quia venit. (Quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbẽ terræ in æquitate, & populos in veritate sua.) Hunc habet titulum psalmus hic. Quando domus ædificabatur post captiuitatem canticũ Dauid. Vniuersaliter quidẽ nũc domus, id est, Ecclesia ædificatur post captiuitatem primi parentis, hortaturque propheta maiores & prælatos, vt prædicando minoribus accelerent ædificationem Domini. Singulariter autem, id est, in singulis hominibus domus ædificatur, dum quis post captiuitatem peccati, resistendo vitijs, vt domus vel templum sit, proficit in virtutibus. Sanè hic in principio psalmi habet quod gaudeat, dum dicitur, cantate DOMINO, & in fine, quod timeat, dum dicitur. Iudicabit orbẽ terræ in æquitate, iudicabit populos in veritate sua. Nihilominus in sequenti, id est, nonogesimi sexti est, vnde lætetur in spe, dũ dicitur. (Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.) Est vnde timeat, in humilitate, dum continuò subiungit. Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos suos, & cætera.) Nempe quod Dominus regnauit, quòd restitutus est mundus Domino eius, secundum titulum qui sic inscribitur, Psalmus Dauid quando terra eius restituta est ei. Iudæis & cunctis inimicis eius ad damnationem, iustis autem valet ad saluationẽ. Item sequens, id est, nonagesimus septimus in principio spe fidelem lætificat, dum dicitur. (Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit, & cætera.) In fine autem metu humiliat, per hæc verba. (Montes exultabunt à conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.) Sed & sequens, id est, XCVIII. spem atque metum pariter inculcat. (DOMINVS regnauit, irascantur populi, qui sedet super Cherubin, moueatur terra.) Nam Dominus regnauit, id est, Dominus diabolum vicit. Quod ait, irascantur populi, & moueatur terra, concessiuè debet intelligi, quasi diceret. Non est curandum, satis irascantur, satis moueantur Iudæi, qui sunt terra, id est, terrenis tantũ deditiDiti. Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

diti. Nam licet illis irascentibus & nolentib. eum regnare super se, dominus regnauit q̃ sedet super Cherubin. Metũ, inquam, cum spe Psalmus iste incutit, maximè vbi præmittens. (Moyses & Aaron in sacerdotib. eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius) & cæt. Continuò subiungit. (Deus tu propitius fuisti eis, & vltiscens in omnes adinuentiones eorum.) Nam idem est, ac si diceret: Ita propitius fuisti eis, vt tamen omnes adinuentiones eorũ vlciscereris. Spem ergo iuuat, q̃ propitius fuit eis, metum incutit, q̃ talium quoq; & tam magnorum omnes offensiones impunitas non dimisit. Psalmus XCIX. in confessione, id est, in confessionis consideratione, sic enim incipit. (Iubilate Deo omnis terra.) Ac deinde sequitur. (Populus eius, & oues pascuæ eius, introite portas eius in confessione.) Videlicet vt positis iubilare, portas eius introite in primis ad eũ accedite in peccatorũ cõfessiõe. Et hic quoq; psalmus spẽ simul atque metũ prudentibus incutit auditoribus. (Quoniam suauis est dominus, in æternũ misericordia eius.) In hoc sperandum est. (Et vsque in generatione & generationem veritas eius.) Hic metuendũ est, quia verax est. Quia in primo aduentu in multitudine misericordiæ venit suauis, in secundo verax & iustus apparebit. Hoc est q̃ sequenti, id est, centesimo psalmo, dicit: (Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine.) Nõ prius iudicium, & deinde misericordiam, sed prius misericordiam, & deinde iu-
Matth. 11. dicium. Prius nanque, qui hæc in propheta
Matth. 25. dicit, Christus misericordiam cãturus erat suauis, dicendo: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, deinde iudiciũ dicendo: Discedite à me maledicti. Hoc est illud in quo cõcludit, sic dicens: (In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate domini oẽs operantes
Galat. 6. *Rom. 7.* iniquitatem.) Matutinum nanque iudicium illud erit, transacta nocte huius seculi. Toto itaque hoc psalmorum medio benè in spem tendimus secundum illum hominis statum medium, quo adhuc caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & condelectatur quidem homo interior legi dei, sed videt aliam legẽ in membris suis repugnãtem, &c. Quapropter ingemiscit & di
1. Ioan. 4. cit: Infelix ego homo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Statimq; hoc spei accipit responsum. Gratia Dei per Iesum Christum. Illic nanq, (vt sæpe diximus) spes cum metu est. Scit aũt, quia cum illa gra
Ioan. 4. tia venerit, spes sine metu erit, quia perfecta charitas foras mittet timorẽ, ibiq; anima casta pacificè suum contemplabitur amatorẽ. Secundum illum pacati hominis statum tertium se habet sequentis textus extremorum quinquaginta psalmorum, vt penè totus à principio vsque ad finem affectuosam spirans charitatem. Inde sunt illæ benedictio nes, illæ confessiones, illæ laudationes alleluia in titulo habentes, quibus cunctis vocibus suum beata charitas deprimere gestit affectum, quantum potest. Sed cum illuc felix homo peruenerit, nunquid iã plorare desinit? Imò multũ plorat, gemit, & suspirat, ve runtamen nõ vt prius. Nam prius plorabat, ne duceretur ad pœnam, nunc plorare incipit, q̃a differtur à regno. Igitur hæc psalmorum pars benè inter confessiones & laudes permixtos habet fletus, imò & à fletu incipit, atq; post laudes, ad fletum septem recurrit periochis. Et continuò psalmo centesimo primo flẽs, sic dicit: (Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Nõ auertas faciem tuam à me, &c.) Quid enim hæc dicendo deflet, nisi quia à regno differtur, nisi quia in hac mortalitate tenetur. (Per cussus sum, inquit, vt fœnum.) Subauditur, ex vindicta peccati primorum parẽtum. Ac deinceps. (Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui.) Habet autẽ hic psalmus in titulo sic. Oratio pauperis cũ anxiaretur, & coram dño effunderet precẽ suam. Pauper iste principaliter quidem est Christus, secundariè autẽ populus humilis, vel quilibet Christi seruus est. Idcircò titulus iste sic in diuersa tẽpora, scilicet præteritũ & futurũ dispertitur. Oratio pauperis cũ anxiaretur, hoc præteritum est. Præterijt nanq; anxietas pauperis, præterijt anxietas mortis Christi, in qua dixit: Percussus sum vt fœnũ, &c. subiungens de resurrectione sua. (Vigilaui (id est, resurrexi) & factus sum sicut passer solitarius in tecto.) Scilicet in cælum ascẽdens. Porrò cũ effuderit coram domino precem suam, futuri est temporis, ac si diceretur quotiescunque effuderit. Hoc enim sit, & futurum est vsque in finem seculi, scilicet vt exemplo illius, tali oratione precem suam effundat quilibet pauper Dei. Statim sequenti psalmo, id est, centesimo secundo, felix homo in benedictiones sic erumpit. (Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.) Multas deinde iustæ benedictionis rationes concinens, tandem in conclusione benedictiões repetit. (Benedicite, inquit, domino angeli eius, &c. Magnificẽtius benedicere, affectuosius charitas loqui non potuit. Et notãdum vnde benedictiones incœperit, qui propitiatur, inquiens omnibus, iniquitatibus tuis. Ac deinceps. (Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.) Nempe summa dilectio nis summa est causa benedictionis, quia propitiatus est iniquitatibus nostris. Imò & propitiatorem nobis filium suum misit, q̃qui & figmentum nostrum cognouit, dignatus homo fieri. Secundaria dilectionis atque benedictionis causa est, quia nos & omnia benè condidit

condidit. Secundaria, inquam, nõ prima est. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. Psalmo igitur sequenti, id est, CIII. (Benedic, inquit, anima mea domino.) Subiũgens per apostrophen continuò. (Domine Deus meus magnificatus es vehementer.) Et quasi quẽreretur, in quo. (Cõfessionem, ait, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento, extendens cælum sicut pellem, &c.) Quibus secundum literam prima mundi creatio decantatur. Nam sicut in prima huius operis parte diximus, tunc dominus Deus lumine sicut vestimento amictus est, & confessionem atque decorem induit quando diuisa luce à tenebris, per quas reprobi designãtur, angeli luce amictus, vel ornatus est, id est, beatis angelis, quibus sese quasi vestimẽto per gratiam induit, eorumque confessione atq; decora laude incessabiliter dignatus est ornari. Item ad caput redit extrema conclusione (Deficiant, inquit, pec catores à terra, & iniqui, ita vt non sint, bene dic anima mea Domino.) Sequens. i. CIIII. Alleluia in titulo habet. Et rectè, nam totus in confessionibus, id est, laudibus est. (Cõfitemini, inquit, domino, & inuocate nomen eius, &c.) Confessionis atq; cãtationis huius maxima causa vel materia, repromissio beati seminis est, quòd Abrahæ repromittens
Gne. 22. Deus in semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Nam cum dixisset. (Memento te mirabilium eius, quæ fecit, prodigia & iudicia oris eius.) Statim intulit. (Semen Abraham serui eius.) Semen, inquam, non tã per carnem, quàm per fidem, videlicet eius semi nis, in quo nos omnes gentes benedicimur. Et subinde. (Memor fuit in seculum testamenti sui.) Cuius enim testamenti, nisi eiusdem promissionis? Nam cum eius promissio
Gal. 3. nis meminisset Apost. dicendo, Abrahæ dictæ sunt promisiones, & semini eius, continuò subsequutus, hoc autem, inquit, dico, testamentum confirmatum à Deo. Igitur promissio hęc summa confessionis huius materia est. Sequens cõfessionis huius, id est, psalmi CV. causæ sunt miranda beneficia Dei, quibus populum illum eduxit de terra Aegypti, & in terram quam promisit patribus eorum introduxit. Qui deinde sequitur psalmus CVI. causas habet multo maiores, multo digniores, id est, omninò spirituales. Idcirco alleluia geminatum in titulo habet, licet primum alleluia præcedentis esse psalmi rectè existimetur, vt sit sensus: Quandoquidẽ patres nostri adeò peccauerunt, & dominus illis tanta & tot beneficia misericorditer impendit, ergo laudate dominum, vt in principio psalmi dixi. In hoc psalmo propheta omnes exhortatur fideles siue de Iudęis, siue de gentibus, laudare dominum, primum, quia liberauit eos de periculo infidelitatis. (Confitemini, inquiẽs, domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Dicant qui redempti sunt à domino, &c.) Nam de omnibus dictum est, tam Iudæis quã Gẽtibus, quia portantes præuaricationis peccatum Adæ. (Errauerunt in solitudine, in inaquosa, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Et clamauerunt ad dominum cum tribulatione angustarentur.) Clamauerunt, in quam, non tam voce vel aliqua intentione, quam magnitudine miserię. (Et dominus eripuit eos,) scilicet per cognitionem filij sui, (vt irent in ciuitatem habitationis.) Ergo (cõfiteantur, ait, domino misericordiæ eius, & mirabilia ei'.) Subauditur exhibita filijs hominum. Deinde admonet laudare dominũ, quia liberauit eos à debilitate prauæ consuetudinis, à criminibus actualibus, post baptismum admissis. (Sedẽtes in tenebris, inquit, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro, &c.) Nam seruire peccato, hoc est vinctum esse ferro, sedere in tenebris, hoc est consuetudinem habere peccandi. Multos tales clamantes ad se, dominus liberauit. (Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorũ disrupit.) Tertia causa est, quia liberauit eos à tædio bonæ operationis, de qualibus dicit: (Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.) Quòd multis modis euenit. Verbi gratia, dum orationis, aut sacræ tædium paterentur lectionis. Et eiusmodi dominus clamantes ad se liberauit, cùm appropinquassent ad portas mortis, id est, vsque ad criminalia, quæ sunt introitus mortis. Quomodo liberauit eos? (Misit verbum suum.) Id est iusit, vel voluit tantum, (& sanauit eos.) Quarta confessionis & laudis causa est, quia liberauit eos ab angustijs suæ prælationis. (Qui descendunt, inquit, mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, &c.) Qui in nauibus descẽdunt, id est, qui ecclesiarum gubernacula sortiti sunt, ipsi quod sæpè fit. (Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.) Et istos clamantes ad se dominus eduxit de necessitatib. eorum. (Statuit enim procellã maris in aurã, & siluerunt fluctus eius.) Quod est dicere: Posuit solicitudinem eorum in auram statoriam, augẽdo spiritus sancti gratiã, ita vt intus vel foris, non adeò curarũ tumultib. affligerẽtur. Psalmo CVII. tandem caput ipsum confitetur, cantat & dicit. (Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam in gloria mea.) Habet autem in titulo canticum psalmi ipsi Dauid. Cui enim, nisi ipsi Dauid. i. Christo, attribuendæ sunt voces huius psalmi? Nam pater illi dicit in sepulchro iacenti. (Exurge gloria mea, exurge psalteriũ & cithara.) Respondet ille cõtinuò. (Exurgam diluculo.) Et adiecit. (Confitebor tibi in populis domine, & psallam tibi in nationibus, &c.) Sic denique factum est. Cithara illa. i. corpus, per quod resonuerat, per triginta & tres annos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa Dei patris musica, cithara, inquã, musici Dei, per mortẽ quassa, in sepulchro iacebat. Sed manè resumpta est incolumis, diluculo surrexit, & ecce confitetur. i. confessores & laudum cantores facit patri in omnibus populis. Psalmo CVIII. reditur ad orationem, ad fletum vel gemitum. (Deus, inquit, laudẽ meã ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est, &c.) Nota & celebris cõquestio est in infelicissimum Iudam, & populum Iudaicum qui ab illo Christum emit, triginta vindictis vel concessiuis male dictionibus deprompta, quarum prima est. (Constitue super eum peccatorem.) Vltima. (Et induantur sicut diploide cõfusione sua.) Tandẽ caput ipsum cum corpore dicit. (Cõfitebor domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum, &c.) Statimq; psalmo sequenti, id est, CIX. quid vniuersa ecclesia confiteri debeat more suo sic edicit. (Dixit dominus domino meo sede à dextris meis, &c.) Et benè hic psalmus præcedenti psalmo subiungitur. Ibi namq; egit de statu nimiæ humiliationis, & deiectionis ipsius, hic verò econtrario, de glorioſa & ineffabili exaltatione ipsius. Psalmo deinde CX. vox confessionis, vox laudis. (Confitebor tibi, inquit, domine in toto corde meo, in consilio iustorũ & congregatione, &c.) Et si quæras, quam ob causam domino confiteatur, vel cur confessio & magnificẽtia opus eius, continuò sequitur. (Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus, escam dedit timentibus se.) Videlicet quia præcedenti Psalmo dixerat. Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, & illum ordinem suum tunc nobis instituit, in sacramento corporis & sanguinis sui, dum de torrente in via biberet, atq; mox per resurrectionem, exaltato capite timentibus se sensum aperuit, vt intelligerent scripturas, rectè hoc psalmo succinit, escam dedit timentibus se, sic concluſit. (Intellectus bonus omnibus facientibus eum.) scilicet timorem domini. (Laudatio eius manet in seculum seculi.) Psalmi sequentis, id est, CXI. titulus alleluia, reuersio Aggæi & Zacharię. Et est sensus. Laudate dominum, in illud respicientes, quòd significatum est per reuersionem Aggæi & Zachariæ de Babylonica captiuitate, qui & reædificationi templi interfuere. Significatũ est enim, quòd de præsenti captiuitate debeamus ad Deum in cælestem Hierusalem redire. Illos beatificans propheticus spiritus, qui illic reuertentur. (Beatus vir qui timet dominum, ait, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitię in domo eius, &c.) Psalmo CXII. præmisso Alleluia, totum hominem in laudẽ extendit spiritus dilectionis. (Laudate, inquit, pueri dominum, laudate nomẽ domini. Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vsq; in seculum.) Pueri hi sunt, qui per gratiam eius, quem laudant, sunt à peccatis purificati. Causas cur laudẽt, cur benedicãt, subnectit. (Quis, inquit, sicut dominus Deus noster q in altis habitat? &c.) Psalmo CXIII. itidem præmittitur Alleluia, videlicet ad laudandum dominum de conuersione infidelium ad fidem Iudæorum atque Gẽtium. Nam inde dicit. (In exitu Israel de Aegypto domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.) Et est sensus: In eo quòd exierũt credentes de infidelitate & tenebris ignorãtiæ, quod exierunt luctatores, quòd significat nomen Iacob de barbarie dæmonum & vitiorum, facti sunt omnes Iudæi, id est, omnes confitentes sanctificatio eius qui per fidem sunt Israel, facti sunt potestas eius, videlicet Iacob, vt deinceps nemo in carne glórietur, sed in confessione & in virtute spiritus sancti. Hoc (Vidit mare & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.) Per mare plenitudo gentium, per Iordanem baptizati intelligendi sunt. Gentiles nanque ab infidelitate, & erroribus pristinis fugerunt, baptizati à mala consuetudine peccatorum, conuersi sunt retrorsum. Inde: (Montes (id est apostoli) exultauerunt,) & simulachra fiduciali ter condemnauerunt. (Simulachra, inquit, gentium, argentum & aurum, opera manuũ hominum.) In psalmo CXIIII. tertia iã periocha, id est, fletuum atq; gemituum recapitulatio est (Dilexi, inquit, quoniam exaudiet dominus vocẽ orationis meæ. Quia inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo. Circũdederunt me dolores mortis, &c.) Huic quoque psalmo rectè Alleluia præscriptum est, quia nimirũ diligere & diligendo dolere, aut gemere, ad veram & magnam Dei laudem pertinet. Nam quantę putas laudis veraciter est, tribulationem & dolorem inueni? Quotus enim quisq; est inuentor tribulatiõis & doloris eius, videlicet quę iure pro inuento debeat haberi? Quare autẽ pro inuẽto debet computari, nisi quia in tribulatione, & dolore locus est opportunus paracleto. i. consolatori? Idcirco cum dixisset, tribulationem & dolorem inueni, statim subiunxit: (Et nomẽ domini inuocaui.) Subauditur, dicens: (O domine libera animam meam, &c.) Psalmo CXV. itidem Alleluia præmisso, laudabiliter dicit perfectus amator Dei. (Credidi, ppter quod locutus sum.) Id est, credidi & confessus sum. Ac deinceps: Quid retribuam domino pro omnib. quæ retribuit mihi?) Et non inueniens quod ad retribuendum satis est. (Quid enim diligenti satis esse queat?) (Calicem salutaris accipiam, inquit, & nomen dñi inuocabo.) Quasi dicat: Totam paupertatem meam offeram, sanguinem meum illi offeram, vel si persecutor desit, frequentabo ad sanctum altare eius

eius passionis memoriam, pro ipso mori paratus ero, quia pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Psalmus CXVI. sermone laus breuis, sensu grandis. (Laudate, inquit, dominum omnes gentes, laudate eũ omnes populi.) Psalmus CXVII. totus, vox confessionis est, vox laudis, præmisso alleluia. (Confitemini, inquit, domino) causamque subdit (quoniam bonus.) Hoc dicat omnis Israel, hoc dicat domus Aarõ, id est, multitudo prælatorum fidelium, hoc dicant, & confiteantur omnes, qui casto timore timẽt dominum, quoniam bonus, quoniam in seculũ misericordia eius. Quid enim fecit dominus. In quo apparuit bonus? (De tribulatione inuocaui, inquit, dominum, & exaudiuit me in latitudine.) Ac deinceps, (Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.) Nempè in isto summum bonitatis eius experimentum consistit. Lapis iste ad ędificãtes venit, & reprobatus est, nos autem dicimus: (Benedictus qui venit in nomine domini.) Iterum in conclusione dicit sicut in exordio. (Confitemini domino, quoniam bonus, quoniã in seculum misericordia eius.) Psalmus CXVIII. viginti duobus capitulis dispertitus est, per singula capitula versibus octonis supputatis. Singula quoque capitula singula pro titulis habẽt elementa alphabeti Hebraici. Et quærimus, quid huiusmodi titulatio significet. Inuenimus autem quod maximè notandũ est, psalmum hunc totum in superficie splendere cę lestibus margaritis, totum, inquam, contextum esse nominibus verbi Dei, velut fulgentibus gemmis. Quis enim versiculus est in toto tam prolixo tractatu huius psalmi, in quo non resonet vocabulũ aliquod, quin rectè prædicetur de verbo Dei, de sapientia Dei, de filio Dei? Verbi gratia: (Beati immaculati in via.) Planè via nostra, Dei filius est. Dicit enim: Ego sum via. (Qui ambulant in lege domini.) Et quid lex domini, nisi verbum domini? (Beati qui scrutantur testimonia eius.) Quid aliud testimonia, quàm verba? & quid multa Dei verba, nisi vnum Dei verbum, vna Dei sapiẽtia? Similiter & in cęteris. Neq; enim facilè quis versiculus inuenitur, in quo non, aut vias, aut mandata, aut iustificationes, aut iudicia, aut sermones, aut eloquia domini habeas, aut aliquid tale qd' æquipollenter valeat. Quid ergo sibi vult hoc, quod cum talis sit psalmus, singula eius capitula singulis alphabeti titulantur elemẽtis? Nũ post tot psalmos voluit nos prophetę spiritus, verbi Dei facere abecedarios? Planè hoc vtiliter intelligimus, & veraciter confitemur, quia quantumcunq; sapiamus, quã diu in corpore sumus, ad illam Dei sapientiam infantulis abecedarijs similes sumus, & nobiscum benè agitur, si vel prima eius elementa cõsequamur. Videmus enim per speculum in ænigmate, inquit Apostolus. Proinde psalmus hic quartæ periochęs, idem nobis principium finisq; sit. Distinguitur autẽ (vt iam dictum est) viginti duob. capitulis. Hic numerus tribus constat heptadibus, vno supercrescẽte, quo de tertia heptade Ogdoas perficitur, atque per hoc intelligimus, quia octaua mundi ætate, sapientiæ Dei quæ iam dictis huius psalmi vocib. significatur, plenitudo nobis perficietur, fierq; quod ait Apostolus: Cùm autem venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Octones igitur singulorum capitulorum versus, infantuli fideliter decantemus, donec ad octo euangelij beatitudines ipso donãte peruenjamus. Nunc eorundem elementorũ interpretationem, atq; intelligentiam subscribamus. Aleph, doctrina. Beth, domus. Gimel, plenitudo. Daleth, tabularum. He, ista. Vau, & Zai hæc. Cheth, vita. Teth, bonum. Iod, principium. Caph, manus. Lamed, cordis. Mem, ex ipsis. Nun, æternum. Samech, adiutorium. Ain, fons. Pe, oris. Zadi, iustitię. Cuph, vocatio. Resch, capitis. Schin, dentiũ. Thau, signa. Doctrina domus Dei Israel, est plenitudo tabularum, id est, legis, quę descripta est in tabulis. Hæc plenitudo legis charitas est. Ista doctrina & hæc plenitudo, & talis vita, bonum principium est, manus & cordis, id est, bonæ intentionis, & bonæ operationis. Ex ipsis enim fit æternum adiutoriũ, quo adiuuamur ad æternam vitam. Et hic est fons oris iustitiæ, id est, origo doctrinæ, quam prædicauit Christus, per quam docet nos implere omnem iustitiam, scilicet charitas vel doctrina domus Dei. Hoc est maximum & primum mandatum. Et hæc est vocatio capitis, id est, Christi, quia in hoc vocati sunt omnes, vt hanc doctrinam percipiãt. In hac doctrina apparent etiam dentium signa, id est, apostolorum & doctorum, qui sunt quidem ecclesiæ dentes, dum obscura & fortia mandata minorib. exponunt. Quid pulchrius, quid iucundius hoc abecedario? Ecce hic cõtinetur omnis doctrina spiritualis vitæ. Psalmo CXIX. quinta iam periocha reditur ad gemitum, qui perfectorum est. gemitum diligentis & desiderantis animi. (Ad dominum, cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me.) Ac deinceps. (Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, &cętera.) Planè hic gemitus perfecti hominis est, ex ipsa cõfidentia perfectionis, cupientis dissolui, & esse cum Christo. Sed nimirum tali conscientiæ humilitate opus est, præsumptio cauenda est. Vnde & in titulo canticum graduum positum est. Significat autem ascensorem cęli debere humiliter ascendere, ne dum tędio peregrinationis vult volare in cælum, cadat in infernum. Sequitur ergo, & dicit in psalmo cętesimo vigesimo. (Leuaui oculos meos in montes, vndè veniat auxiliũ mihi. Auxilium meum à domino qui fecit cælum & terram.) Ac si dicat: Non in meipso fiduciã habeo,

Ioan. 15.

1. Cor. 13.

Matt. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habeo, sed in Dei, & omnium sanctorum eius auxilio, quorum fidem teneo, quorum meritis innitor. Deinde imprecando dicit animæ suæ. (Non det in commotionem pedē tuum, &c.) Quod est dicere iuxta alium psal-
Psalm. 35. mum. Non veniat mihi pes superbiæ. Iterū psalmo centesimo vicesimoprimo voces cōfidentiæ, cùm dicit. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis Hierusalem, &c.) Quasi iam ibi sit, stantes erant pedes nostri, dixit, ea videlicet conscientia, qua & Apostolus: Nostra autem conuersatio, inquit, in cælis est. Continuò, vt in humilitate confidat, pedem ponit in altiorem gradum humilitatis. Cum sequenti Psalmo centesimo vicesimosecundo dicit. (Ad te leaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorū suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.) multum se humiliat, dum ancillulæ vapulanti se assimulat, fixos habenti oculos in manibus dominæ suæ, donec parci sibi vel solo nutu iubeat. Item psalmo centesimo vicesimotertio dicit perfecti vocibus magnæ gratulationis. (Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, &c.) Nempè quasi iam victorum est dicere. (Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantiū. Laqueus contritus est, &c.) Sequitur aūt psalmus cēteſimus vicesimus quartus, quò cauti in humilitatē proficiēdo dicunt. (Qui confidunt in domino sicut mons Sion, &c.) Qui enim hæc dicunt, nō sibi, sed Deo asscribunt, quod vicerūt, quòd euaserunt. Sequēti psalmo centesimo vicesimoquinto, itidē magnificè gratulantur, & dicunt. (In cōuertendo dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.) Ac deinceps. (Magnificauit dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes, &cet.) Sequitur continuò psalmus centesimus vicesimussextus, & hanc lætitiā salubriter prouecta humilitate deprimendo dicit: (Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.) Habet autem in titulo: Canticum graduum in Salomonē. Hoc rectè & opportunè. In quo enim melius innotescere posit, quòd nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam? Ille enim domum domino ædificauit, & tamen ipse stare non potuit, licet inter homines singularis sapientiæ fuerit. Hoc ergo experimento perdocti, quòd domum ædificare non posītis sine auxilio domini, accipite quod dico. (Vanum est vobis ante lucem surgere.) Vanum, inquam, & stultum propositum est, vosmetipsos ante diē iudicij securos reddere. Sed, surgite postquam sederitis.) Id est, tunc primum vos securos esse sciatis, postquam mortalitatis & passibilitatis miseriam deposueritis. Psalmo centesimo vicesimo septimo mutatur modus vel tenor cantionis in istis graduum cāticis. Nam hactenus bini sic alternabant psalmi, vt in priore fortitudo sublimiter caneret, & in sequente timor in grauibus respon deret. Hinc econuerso in priore duorum timor canit in grauibus, fortitudo respondet in acutis. (Beati, inquit, omnes qui timēt dominum, qui ambulāt in vijs eius.) Et est sensus. Beati omnes qui in hoc ipso quod ambulant in vijs domini, timidi sunt, semper & pauidi. Ac deinceps: (Ecce sic benedicetur homo qui timet dominum.) Psalmus centesimus vicesimusoctauus fortiter gratulantis velut iam victoris voces attollit. (Sæpè, inquit, expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim nō potuerunt mihi.) Nempè victricis conscientiæ est dicere, non potuerunt mihi. Rursus psalmo CXXIX. vehementer se in humilitate deprimit. (De profundis, inquiens, clamaui ad te domine, domine exaudi vocem meam.) Ac deinceps. (Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit?) Subauditur, nullus, quia reuera nullus ex suis meritis apparebit in iudicio iustus. Sequenti protinus psalmo centesimo tricesimo magnæ sibi virtutis, magnæ temperantiæ gratulatur conscius. (Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me.) Reuera perfecti hominis est, tale ac tantum habere in corde suo testimonium conseruatæ humilitatis. Non, inquit, ambulaui in magnis. Sed quid? (Si non humiliter sentiebam, &c.) Dehinc psalmo centesimo tricesimoprimo demonstrabat nobis, quātum, vel cur se humiliauerit, dicendo: (Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit domino votum.) Et cætera, vsque, (Donec inueniam locum domino tabernaculum Deo Iacob.) Videlicet quia Christū dominum de semine suo nasciturū esse sciebat, locum quoque natiuitatis eius scire desiderabat. Idcirco mansuetus & humilis sedebat, idcirco vigilabat, idcirco orabat. Exaudita est mansueti humilitas, & repentè exclamans. (Ecce (inquit) audiuimus eā. (subauditur, natiuitatē eius) in Ephrata.) Ephrata namq; hæc est Bethlehem. Sed & exinde inuenitur in campis sylue. i. in latitudine ecclesiæ de gentibus, relictis angustijs Iudeæ. Confestim psalmus centesimus tricesimussecundus bona fortitudinis gloriatio est. (Ecce (inquit) quā bonum & quam iucundū habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbā Aaron.) Nempè quamuis humiles sint, semetipsos barbam Aaron id est, fortes atque perfectos esse cognoscunt, quia de capite suo Christo, spiritus sancti vnguentum acceperunt. Quid tandē sibi volunt istę alternationes,

nes, fortitudinis, & timoris, timoris & fortitudinis? Nimirum illud, quòd non nescire debet homo Dei, quia tempus est viriliter agendi, & tempus humiliter quiescendi. Deniq; cū suggerit hostis inuisibilis seruo Dei, nimium habere despectum sui, tunc tempus est fortiter atq; constanter agendi. i. reminiscendi donorum vel beneficiorum Dei quę accepit. Cum autem econtrario versipellis ille deceptor extollentiam de virtutibus, velut emerito militi, suggerit, tunc tempus est quiescendi. i. recogitandi quod sit puluis & cinis, qui tanquā canis de mensa domini vix paruas clementię micas acceperit. Igitur per bis septena graduum cantica, septies hinc. i. à timore, & septies inde. i. à fortitudine victus est hostis. Dicitq; psalmo sequenti. i. centesimo tricesimotertio. (Ecce nunc benedicite dominū, oēs serui domini, &c.) Ac si dicat: Vos qui statis, qui nō iacetis, sed statis in domo domini, nunc absq; dilatione, sine intermissione benedicite dominum, asscribendo illi, non vobis, quod gradibus tot ascensis, in domo vel in atrijs eius statis. Huic sic dominum benedicenti vicarium redditur prēmium benedictionis, tali conclusione. (Benedicat te dominus ex Sion,) subauditur, procedens (qui) antequam homo procederet ex Sion, Deus idem, (fecit cęlum & terram.) Sequenti psalmo, CXXXIIII. perseueratur in benedictionibus, incipit enim à laudibus, finit in benedictionibus, præmisso Alleluia. (Laudate (inquit) nomen domini, laudate serui dominum.) Multisq; causis redditis, cur laudemus, hanc facit conclusionem. (Benedictus dominus ex Sion,) subauditur, Deus & homo veniens, (qui) ante & post (habitat) in cęlesti (Hierusalem.) Iterum Alleluia. (Cōfitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.) Psalmo centesimus tricesimusquintus totis dulcisonis laudibus, totis à principio vsq; ad finem tinnulis currens confessionibus. Psalmi centesimi tricesimisexti titulus, Psalmus Dauid propter Hieremiā. Ab hoc psalmo, sexta iā periocha, breuiori cursu texitur. Reditur namq; ad fletus amantium, ad suspiria desiderantium, propter Hieremiam. i. iuxta Hieremiæ intellectum. Sicut enim Hieremias captiuitatem filiorum Israel, factam à Nabuchodonosor, historicè scripsit, & aliud tamē ibi designari, intellexerit, ita isti licet verba historiæ pronuncient, sub eisdem tamē verbis aliud oportere intelligi designant. (Super flumina (inquiunt) Babylonis illic sedimus & fleuimus, dū recordaremur tui Sion.) Quamdiu sumus in corpore (inquit Apostolus) peregrinamur à domino. Et verè, nam captiui sumus captiuitate peccati quod fecit Adam. Quotquot sumus filij Sion, captiuitatem istam congemimus & flemus, sedentes super flumina Babylonis super decurrentia vitia præsentis seculi, multos immersos esse videntes, & incidere ipsi atq; immergi metuentes. Hæc & cætera psalmi fletus sunt amantium Deum, suspiria sunt desiderantiū videre Deum deorum in Sion. Sequēti psalmo CXXXVII. iterum confessiones, iterū laudes. (Confitebor tibi (inquit) domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.) Ac deinceps: (Confiteantur tibi domine omnes reges terræ, & cantēt in vijs domini, &c.) Laudes vel cōfessiones istæ sunt, nō solum pro beneficijs singulariter cuiq; impensis, sed etiam pro omnibus communiter humano genere collatis. Psalmo cxxxviij. cantat ipse confessionum & laudum præcēctor Christus, dicēs patri de se. (Domine probasti me & cognouisti me.) Agit ille toto hoc psalmo referendo perfectam iustitiam suam secundum humanitatem, & altitudinē suam secundum diuinitatem, vt in fide & iustitia fideles instruat quatenus ipsum & verum Deum, & verum hominem credant, & eius exemplo inducti, tribulari & conculcari non subterfugiant. Psalmo CXXXIX. vndè iam vltima, id est, septima incipit periochè, orant pariter & confitentur omnes iusti atq; perfecti vna voce, tanquam ex vno corpore. (Eripe me domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.) Hæc & cętera dicendo orant dñm, vt custodiat in eis fidei perfectionē, & vt eos eripiat à prauitate & perfidia hæreticorū, imò ab occursu malignorū spirituum, qui spi vitę huius insidiantes, linguas suas exacuunt ad accusandum & cōuincēdum. Nam quia vltima hæc est periochęs, rectè ab hinc in finem nostrum spectamus, quando venit princeps mundi, & in singulis nostrum aliquid suum requirit. Dicit ergo quisq; solicitus illius diei, prouidus illius horæ imminentis. (Custodi me domine de manu peccatoris.) Ac deinceps: (Domine domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.) Et cōtinuò. (Nō tradas me domine à desiderio meo peccatori, & cætera.) Et continuò psalmo sequenti, id est, CXL. (Domine clamaui ad te, exaudi me, intēde voci meæ cùm clamauero ad te.) Quis enim necesse non habeat clāmare in illa hora mortis suæ? (Pone domine custodiā ori meo, & ostium circunstātiæ labijs meis.) Quam videlicet custodiam, quod ostium nō habet, quisquis iustificat se, quisquis confidit, seipsum coram domino iustum apparere. Habebat autem ille, qui dixit: Si voluerit contendere mecum, non potero illi respondere vnum pro mille. Ac deinceps: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Item: Etiam si habuero quippiam iustū, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Nā hoc est, quod & hic dicitur. (Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.) Videlicet ne in illa necessitate extincta lampade mea, sine oleo

1. Cor. 5.

Iob 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

frustra vadam ad emendum, idcirco quam diu viuo, iustus corripiet me, adulator autē non decipiet me. Item psalmo sequenti, centesimo quadragesimoprimo. (Voce mea (inquit) ad dominum clamaui, voce mea ad dominum deprecatus sum) Subauditur, cupiēs
Philip. 1. dissolui & esse cum Christo. Quid enim clamaui? Quid deprecatus sum? Quam orationem meam effundo in cōspectu eius? (Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.) De custodia, inquit, de carcere huius captiuitatis, vbi Deum meum videre non possum, pro reatu primi parētis, qui expulsus de luce paradysi, hic omnes nos quasi in carcere genuit. Ad hoc pertinet iste titulus psalmi. Intellectus Dauid cū esset in spelunca. Principaliter quidē Christū spectat cū esset adhuc in spelunca, scilicet carne mortali & passibili, Saule. i. morte persequente, secū darie verò quemq; fidelem cupientem educi ab hac misera vita, tanquam de custodia. Hoc & metuēs cupit, & cupiens metuit. Vndè & protinus psalmo CXLII. dicit: (Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua exaudi me in iustitia tua. Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.) Et enim si de solis meritis agatur, nemo iustificabitur, propter quod itidem dicit. (Propter nomen tuū domine viuificabis me in æquitate tua.) Scilicet, vt totum sit gratię. Item, (Auditam fac mihi mane misericordiam tuam.) Misericordiam, inquam, superexaltantem iudi-
Matth. 25. cium, dicendo mane. i. in die iudicij, Venite, benedicti patris mei. Proinde benè hunc titulū habet hic psalmus. Psalmus Dauid quādo eum persequebatur filius suus. Nam prēter vnum Christum non fuit aliquis Dauid, non fuit, nec est, nec erit aliquis adeo manu-fortis, qui genuerit filium, quem non infestum patiatur, qui non contraxerit peccatū, quo prematur, si intret in iudicium cum homine Deus. Abhinc vsq; in finem continuæ benedictiones, confessiones feruentissimæ, laudum cantationes, quas fides suggerit, spes concipit, charitas effundit. Sequens psalmus cxliij. (Benedictus (inquit) dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, &c.) Eius namq; voces sunt, qui benè sibi conscius est, quia secum habet pugnātem amicum verum, cui & dicit in contemplatione illius horæ, qua certamen habiturus est cum illo mundi principe sine dubio contra se venturo. (Qui liberasti Dauid seruum tuū, de gladio maligno eripe me.) Et vt posim in illa hora gladium illū euadere, interim, inquit, erue me de manu filiorum alienorum. i. hæreticorum vel omnium impiorum, quorum os locutum est vanitatem, &c. Vndè benè in titulo habet psalmus Dauid in Goliam. Qui enim Goliam, id est, diabolum, viuens vicit in mēbris suis, ipse confidens quod moriens eruatur de gladio eius maligno, dominum Deū in hoc psalmo benedicit. Sequentis psalmi cxliiij. titulus, laudatio ipsi Dauid, videlicet quæ ex ore amantis decantatur Christo vero Dauid. (Exaltabo te (inquit) domine Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.) A benedictionibus incipit, per benedictiones currit, benedictionibus sempiternis finit. Psalmo deinde cxlv. alleluia premisso, quanto affectu, quāto amore laudē intēdit, animā suam alloquitur & dicit. (Lauda anima mea dñm.) Et illa respondet, (Laudabo dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.) Vnde laudabo? Vndè psallam? De potentia, De misericordia. De potentia. (Quia fecit cælū & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.) De misericordia, Quia soluit compeditos, quia illuminat cæcos, &c. Nec contentus sua laude solius, sequēti psalmo centesimo quadragesimosexto, & alios ad laudandum hortatur. (Laudate (inquit) dominum, quoniam bonus psalmus.) Est verò bonus psalmus, vt pote in quo hæc tria cooperantur. Chordæ, sonus, motus digitorum. Per chordas carnis exiccationem, per sonum virtutes, per motum digitorum bonam operationem intelligimus. His adhibitis reuera Deo nostra est iucunda, decoraq; laudatio. Cur laudemus, causas continuò subiungit. (Aedificans (inquit) Hierusalem dominus dispersiones Israelis congregabit) &c. Ex illa Israelis congregatione, ex illorum contritorū saluatione, & illarum stellarum vocatione vel numeratione vna ciuitas fit. Hierusalē cęlestis, quā & cōsequenter psalmus cxlvij. ad laudādum inuitat & dicit. (Lauda Hierusalem dominū, lauda Deum tuum Sion.) &c. Tādem quasi choris ad laudandū constitutis intonā te multitudine incipitur laus vniuersalis cōiubilantib. voce sua creaturis vniuersis, continuusq; concentus absq; intermissione, sine interstitio clamorē extendit totis tribus qui supersunt psalmis. Primo qui & cxlviij. spiritus sanctus, spiritus charitatis dicit. Mox quasi iussus alleluia dicēdo. (Laudate dominum de cælis, laudate eum in excelsis. (Laudat cælestium chorus, laudant omnes angeli, laudant omnes virtutes, laudant omnia cælestia, visibilia seu inuisibilia. Quare? (Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mādauit, & creata sunt.) Deinde laudat terra & omnia terrestria. Quare? Quia visitauit quam creauerat terram, & fecit vt esset confessio eius non solum super cælum, sed & super terram. Ergo materia laudum huius psalmi inde est, quod & cūcta creauit, & genus humanum redemit. Sequenti psalmo, qui & cxlix. itidem spiritus sanctus dicit Alleluia. (Cantate domino canticum nouum, laus eius in ecclesia sanctorum.) Quare? (Quia beneplacitū est domino in populo suo, quia exultabūt sancti in gloria, quia exultatiōes Dei in

gutture

Esa. 46. gutture eorum, quia gladij ancipites in om-
1. Cor. 2. nibus eorum, ad faciendam vindictam in nationib. vt faciāt in eis iudicium conscriptū.) Ergo materia cantici, vel laudis in hoc psal. inde est, quod seculum iudicabit, & sanctos suos in iudicio glorificauit. Psal. vlt. qui est CL. itidem dicit sanctus charitatis spiritus, Alleluia. (Laudate dñm in sanctis eius.) Decies laudate dicit, & nullam causam cur laudent subiungit aut interponit, sicq; concludit ad vltimū: Omnis spiritus laudet dominum. Ergo materia laudum in hoc psalmo illa est futuri seculi beatitudo ineffabilis quę quāta vel qualis sit, nō potest dici, nō potest æstimari, quā oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ in cor hominis non ascendit.

Qualiter Salomon eadem via, fidem & spem commēdat & charitatem, in parabolis fidem, in Ecclesiaste spem, in Canticis charitatem. CAPVT VI.

EAndem fidei, spei, & charitatis intelligētiam, quam in Dauid secuti sumus, eccè & in Salomone ostio patente, satis euidenter conspicimus. Tres enim ille libros scripsit, Parabolas, Ecclesiasten. Cantica canticorum. Primus, id est, parabolarum liber vocat ad fidem. Secūdus, id est, Ecclesiastes inui
3. Reg. 11. tat ad spem. Tertius. i. Cantica canticorum, sine dubio allicit ad charitatem. Nequaquā istud profundū perambulare aggredimur, sed ad alia festinantes quasi ex latere perstingemus. Ad fidē nos vocat in parabolis, dum
Prouer. 8. in persona sapientiæ, quæ est Christus, dicit. (Dñs possedit me in initio viarū suarum, antequā quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequā terra fieret. Nondū erant abysi, & ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum erupe-
Ibidem. 8. rant, necdum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar.) Ac deinceps. (Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas
Ioan. 1. suas, vinū miscuit, & proposuit mensam suā.) Nempe quod hic ait sapientia, Dominus possedit me in initio viarum suarum, & cæt.) Hoc Euangelista confirmans. In principio (inquit) erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū, hoc erat in principio apud Deum. Et quod hic ait. Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege vallabat abyssos, & cætera, cum eo eram cuncta componens, hoc est, quod idem exprimēs, omnia (inquit) per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Item quod hic ait, & delectabar per singulos dies laudens corā eo, omni tempore ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs hominū, hoc est quod ait idem qui supra. Quod factū est in ipso vita erat. Deinde quod ait hic, Sapientia ædificauit sibi domum, hoc est, quod idem Euangelista dicit. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quod itidem ait, Excidit columnas septem, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ci-
1. Cor. 1. uitatis, hoc est spiritus sancti dona distribuit, & infirma mundi elegit, vt fortia vince-
ret, & vocaret ad fidem Euangelij. Nam reuera quasi de petra septem columnas excidit, cùm de plenitudine diuinitatis corporaliter habitante in se, dona septiformis spiritus sancti credentibus in se, diuidere non desinit. Item dicit. (Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Diriuentur fontes tui fo-
Prou. 5. ras, & in plateis aquas tuas diuide.) Quid hoc est dicere, nisi credendo in Christum, gratiam sancti spiritus accipere, vt possis alijs salutarem doctrinam propinare. Sic enim ipsa incarnata sapientia intelligi voluit, cùm dixit, Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Er-
Ioan. 7. go & quod postmodum ait. (Vt custodiat
Prouer. 6. te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius.) De vitando doctrina hæretica, dictum rectè intelligitur. Cū hęc ita se habeāt, quid est, q̄ initio parabolarū de vitāda sanguinis effusione exhortatur, nisi passionē Christi respicit, quę salutis nostrę summa est, de qua maximè pendet nostra fides? Nā quia saluatiōis humanæ summa est, rectè ab illa sermones paraboli-
cos exorsus est. Fili mi (inqt) si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, ve-
Prou. 11. ni nobiscū, insidiemur sanguini, absconda-
mus tendiculas contra insontem frustra, & deglutiamus eum sicut infernus viuentem, &c.) Nempe sic dixerunt peccatores pharisæi, & pontifices, & sic dicendo, lactauerunt miserum populū, & acquieuit eis. Sapientia verò nihilominus foris prædicauit, in plateis vocē suā dedit, in capite turbarū clamitauit. Tandemq; ne non exaudita, dixit. (Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit.) Quod timebatis, ait, subauditur, dicētes, Ne fortè veniant Romani & tollant nostrum & locum & gentē. In Ecclesiaste cui dubiū est, quoniā ad futurorum spem nos instruat, di-
Eccl. 1. cendo. (Vanitas vanitatū, & omnia vanitas?) Quare omnia vanitas, nisi qa omnia trāsitoria? Et quare hæc dicit, quare vniuersa. q̄ sub cælo sunt vanitatis arguit, nisi vt spe futurorum quæ seria, spe inuisibilium, quæ æterna sunt, præsentia, hęc visibilia doceat deberi cō-
temni? Currit per omnia, iudicat omnia, o-
mne quod in mundo est, omnem concupi-
Eccl. 11. scentiam carnis, omnē concupiscentiā oculorū, & cuncta vanitatis arguit. Et quædam quidē in primis approbat. Verbi gratia cùm dicit. (Lætare iuuenis in adolescentia tua.) Verū postmodū resumpto iudicio rationis.
Eccl. 1. (Adolescētia (inqt) & voluptas vana sunt.) Proinde & Ecclesiastes dicitur, quod interpretatur concionator, quia videlicet, prius in firmam de singulis sententiam ipse proponit, & ipse cōtinuò velut concinnando firmis rationibus in conspectu omnium destruit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Denique in calce libri quo tendat, euidenter ostendit. (Finem (inquit) loquendi omnes pariter audiuimus, Deum time & mandata eius obserua.) Hoc enim est omnis homo. (Et cuncta quæ fiunt adducet deus in iudicium pro omni erratu, siue bonũ siue malum sit. In Canticis ecclesia vniuersalis, vel etiam singulariter quælibet anima fidelis, quæ iam vsque ad amorem dei profecit, hãc primam vocem emittit. (Osculetur me osculo oris sui.) Planè osculum oris ecclesia tunc adepta est, quando Dei filius incarnatus est, quando in thalamo vteri virginalis diuina natura naturæ humanæ in vnam personam coniuncta est. Item quælibet anima quæ deũ diligit, osculum adipiscitur, quando dulcedinem diuinitatis occulta inspiratione gustare meretur, qui tamen contactus tam velociter transit, vt sibilo auræ leuis rectè cõparetur. Amplius autem & osculum & omnimodam coniunctionem tunc adipisceretur, quãdo corpore depositio, ad ipsam amatoris sui faciem videndam perducetur. Nihil immorã dum est, nec enim necesse habemus docere aut doceri, q̃ charitas significetur totis lib. huius vocibus, idcircò iam ad alia transeamus.

Cant. 1.
Ibidem 12.

LIBRI PSALMORVM FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN LIBROS REGVM, COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

Quod ait Dominus ad Salomonẽ: quia habuisti hoc apud te, & quid sit peccatum suum quenquam apud se habere, & quòd idcirco regnum eius abscindendũ fore prædixit.

CAPVT I.

3. Reg. 11. DIxit itaque Dominus Salomoni. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactũ meu, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.) Quia habuisti (inquit) hoc apud te. Cui sic dicitur, palam est, quòd peccatũ suũ necdum confiteatur. Nam apud se habet, cui quod fecit non displicet. Cæterùm cui displicet, non apud se, sed contra se habere dicendus est. Ne enim abscondit, sed annunciat, non defendit, sed accusat. Quoniam (inquit) iniquitatẽ m eam ego cognosco, & peccatum meum cõtra me est semper. Itẽ, Quoniam iniquitatem meam annunciabo. Idcircò disrumpens (ait) scindam regnum tuum, subauditur, quod penè contigit patri tuo, nisi quia iniquitatem suam annũciauit, & cogitauit pro peccato suo. Nã cecinit buccina Syba filius Bochri, dicens: Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Et separatus est omnis Israel à Dauid, secutusq̃ est Sybam filium Bochri. Viri autem Iuda adhæserunt regi suo. Regnum illi neque auferre Absalon, neque scindere potuit Syba, quia videlicet quod habuisti apud te, hoc ille apud se non habebat. Minus peccauerat, & ipsum peccatum à se excutiebat, accusabat, annunciabat.

Psal. 50.
Psal. 37.
2. Reg. 20.

Quod dixit: Et non custodiuisti pactum meum, & in quo Salomon iure denotetur qui sapientiam postulauit, quamuis hoc domino placuerit, quam in nocte per somnium accepit non perseueraturus.

CAPVT II.

ET non custodisti (ait) pactum meum. Pactum quippe pepigerã tecum, in his verbis. Si aũt ambulaueris in vijs meis, & custodieris præcepta mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciã dies tuos. Tu in vijs meis non ambulasti, sed apud te habuisti hoc. Ego ergo debitor nõ sum, vt longos faciã dies tuos. Hic iã rectè quæritur. Quare pactũ ineundo sub conditione posuit, q̃ faceret dies eius longos. Videlicet, quia q̃ iure repræhenditur, data sibi optione in illa nocte per somnium à dño dicente. Postula quod vis vt dẽ tibi, iste quod optimum fuisset, dies longos, dies æternos nõ postulauit, sed sapiẽtiam ad discernendũ iudicium, cor docile ad iudicãdum populũ postulauit. Quomodo ergo (inquis) scriptũ est. Placuit sermo coram dño, quòd Salomon rem huiusmodi postulauit? Ad hæc (inquã) placuit ei, non tanquã summum vel perfectũ bonum, sed tanquã bonũ comparatiõe deteriorũ. Proinde dicit. Quia non petisti tibi dies multos, nec diuitias, nec animam inimicorum, sed postulasti tibi sapientiam, eccè dedi tibi. Nempe diuitiæ aut multi dies vitæ præsentis, aut vltio de inimicis, bona quidem aliqua, sed infima sunt, gratiam autem habere in oculis Domini, & dies æternitatis, verum summum atque perfectum bonum est. Porrò sapientiam habere ad discernendum iudicium, bonum quidem, sed mediocre bonum est. Igitur placuit quidem coram domino, quod Salomon postulasset rem huiusmodi, repræhensibilis tamen in eo est, quod data sibi optione tam prona ad dandum largitate Domini, bonum illud quod verũ & summum est, non postulauit, rectè

3. Reg. 9.

3. Reg. 9.

lauit, rectèq; denotatur, quod sapientiam in nocte & per somniũ, non perseueraturus accepit.

Quod in isto iudicio Deus Hieroboam scissuras regni tradiderit, & qualia populi peccata præcesserint.

CAPVT III.

FActum est igitur in tempore illo, vt Hieroboam egrederetur de Hierusalem, & inueniret eum Ahias Sylonites propheta in via opertus pallio nouo. Erãt enim duo tantum in agro. Appræhensisq; Ahias palliũ suum nouũ, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad Hieroboam. Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel, Eccè ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. (Manifesta & secundum rem congrua significatio est. In propheta dominus loquitur, Domini autem quoddam pallium vel quasi vestis est, is qui adhæret illi populus. Sed nunquid ignorabat Dominus, qualis esset vel quid facturus esset Hieroboam, cui tot partes pallij tot tribus populi delegebantur? Nunquid inquam) ignorabat, quod scissum à domo Dauid populũ accipiens, à Deo quoq; scissurus esset faciendo vitulum aureum quem pro deo colerent? Quare ergo tadem populo suo regem acquisiuit? Nimirum rationabiliter hoc & cum iudicio fecit, eadẽque iustitia qua regem petentib. Saulem dedit, quem qualis futurus esset ignorare non potuit. Nam & tunc Samuelem, imò in Samuele deum abijciebant, ipso dicente. Non enim te abiecerunt, sed me, & nunc indignabantur Dauid regnare aut regnasse supra se.

3. Reg. 11. Ex ipsa gestorum serie perspicuum est hoc.

3. Reg. 8. Et in primordijs regni Dauidici subtraxerũt se totis septem annis non sequentes, non approbantes electionẽ Domini, superq; solã tribum Iuda in Hebron regnauit Dauid, & deinceps, semper dubij, semper infidi fuerũt, eidem Dauid. Quem aduersus illum rebellantem non susciperent, qui Absolon filium aduersus patrem constituerunt super se regem? Postquam ille perijt, protinus ausum

3. Reg. 20. buccina personare sicuti sunt Seba filiũ Bo-

3. Reg. 21. chri, dicendo: Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Nunc quoq; in uidiam suam prodiderunt, occasiones quærendo aduersus Roboan, & dicendo: Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, cũ per illius sapientiam diuites facti fuissent & inclyti. Igitur tanquam iudex, reos tali traditdit regi, qui volentes scinderet à domo Dauid, volentes inquam) scinderet à ciuitate Dauid, diuideretque à templo dei, à cultu vnius & solius Dei veri, & cupitis faceret seruire simulachris.

Cur tot scissuras pallij sui fecerit propheta, & quòd ex tunc regnum Israel decem vicibus scissum sit.

CAPVT IIII.

EST & adhuc quod quæramus, cur tot scissuras propheta fecit, cur pallium suũ in duodecim partes scidit? Nempe si nihil aliud quàm regni vnius diuisionem in duo regna significare volebat, poterat vnum pallium scindere in duas partes, non æquas tanto iuxta modulum impares, quanto iuxta numerum decem tribus erat minor tribus vna. Quare ergo prophetæ immò spiritui domini in propheta sic magis placuit, & tot scissuras fecit? Planè & in hoc vitæ rationis constantia est. Scissum nempe à domo Dauid illud regnum Israel, deinceps aduersus seipsũ diuisum fuit decies, & ita demum desolatũ est, vt domus supra domum caderet, rege Assyriorum transferente Israel, iuxta Gozã fluuium in ciuitates Medorũ. Quas videlicet diuisiones prosequi facile est. Filiũ huius Hieroboam nomine Nadab percussit Baasa. Hæc secunda Israel scissura regni est. Eiusdem Baasa filium Hela occidit Zambri, & regnauitque pro eo Zambri se in palatio incendit, obsidente Amri qui & pro eo regnauit. Post hunc regnauit Achab, & post eum filius eius Othozias, & post eum frater eius Joram. Sed istum occidit Iehu, regnauitque pro eo vsq; ad quartam generationẽ. Quintum ab illo percussit Sellum, regnauitq; pro eo. Sed & istum percussit Manahem, regnauitq; pro eo. Filium quoq; huius Phaceiam percussit Phacee filius Romeliæ, regnauitq; pro eo. Sed & contra istũ coniurauit Ozee, percussitque eum, & interfecit, regnauitque pro eo. Contra istum ascendit rex Assyriorum, & transtulit Israel in Assyrios Hæc decima fuit scissura. Nam in Hieroboam prima, in Baasa secũda, in Zambri tertia, in Amri quarta, in Iehu quinta, in Sellum sexta, in Manahem septima, in Phacee filio Romeliæ octaua, in Ozee nona, in rege Assyriorum qui diuisos à Deo & Dauid rege suo diuisit etiam loco transferendo in Assyrios, rectè computatur decima. Benè igitur propheticus, dum regni vnius diuisionem in duo regna præcidit, pro signo tamen diuisionis, decem scissuras Hieroboam tradidit, quia regnum suum decies diuidendum præuidit, & ita fore desolandum.

Lucæ 11.
3. Reg. 15.
16. 22.
4. Reg. 9.
& 10. 15.
3. Reg. 17.

Quòd exemplum hæreticorum sit, qui scindunt se à domo Dauid ab ecclesia Christi, & quòd rectè dictum sit. Porrò vna tribus remanebit Salomoni, &c. Cum duæ possint dici Iuda & Beniamin.

CAPVT V.

EXemplum hoc hereticorũ est. Taliter & ab ecclesia scissi, & aduersum seipsos diuisi sunt, & sic regnũ eorum desolatũ est, & domus supra domum cecidit. Tribus Iuda quod interpretatur cõfessio, & ciuitas Dauid, catholica ecclesia est, verã tenens cõfessionem vnicæ fidei, à qua illi per scissuras exierunt,

1. Ioan. 2.
Cant. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

exierunt, quemadmodũ dicit. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Huius videlicet catholicæ ecclesiæ, frater est dominus Iesus Christus, qui incarnatus loquitur. Vulnerasti cor meum amica mea, soror mea spõsa. Item, Hortus conclusus, soror mea sponsa, frater iste hic per hunc prophetam rectè figuratur. Ahias quippe frater meus interpretatur. Antequam exissent ex nobis hæretici, vnum erãt nobiscum pallium huius fratris nostri, per concordiam eiusdem religionis, per consonantiam eiusdem confessionis. Sed ex nobis exierunt, & errores suos secuti sunt. Ita illis exeuntibus scissum est pallium & scissuræ Hieroboam traditæ sunt. Hieroboam interpretatur, dijudicans populum. Signat autem Hæresiarchen quempiam, sic flatu sũperbiæ suæ dijudicantem populum Christianum, quomodo ventus in area dijudicat paleam & granum. Flauit Arrius vel quilibet Hæresiarcha alius, & quo voluit flatu suo vanos & carnales quosq; impulit, qui etiam cùm adhuc confiterentur se nobiscum nosse deũ, factis negabant. Hoc modo hæresium auctores populum, sæpe dijudicauerunt vtiliter. Nam necesse est, inquit Apostolus, hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti sint. Hic non intelligendum est, quod cùm dixisset propheta. Tolle tibi decẽ scissuras, subsecutus. Porrò vna tribus (ait) remanebit Salomoni propter seruum meũ Dauid. Nempe vna tribus & decem vndecim sunt. Nonne duodecim erant tribus Israel? Quare ergo vnam tantum tribum residuam dixi? Nonne regnauit Roboam super Iudam & Beniamin? Imò & de cæteris tribubus plerosq; sub regno suo habuit. Sic etenim postmodum scriptum est. Super filios autem Israel quicunq; habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. Ergo hic mystice intelligendũ, quia exeuntibus ex nobis hæreticis, qui nõ erant ex nobis, quotquot in ecclesiastica pace manemus, rectè tribus vna dicimur, quia per schismata non diuidimur.

Tit. 1.
1. Cor. 1.

Quod excogitatio vitulorum mystice sit adinuetio omnis hæreticorum, quorum consortium, quorum cõsortium quantum sit vitandum, illud indicat, quòd virum Dei, quia panem ibi deceptus comedebat, leo inuenit & occidit.

CAPVT VI.

3. Reg. 12. ET excogitato Hieroboam consilio fecit duos vitulos aureas, & dixit populo. Nolite vltra ascendere in Hierusalem. Eccè dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti,) & cæt. Excogitato (inquit) consilio. O cogitationem sine intellectu & consilium sine prudentia? Nunquid sic cogitando, & sic sibi consulendo regnare poterat stabilius, quàm ponendo spem suam in Domino? Potuit quidem deuocare populum, ne ascenderet ad sacrificandum in domum Domini, sed non quem sperabat ex hac pessima radice, fructum recipere potuit regni diutur ni, viginti duobus annis regnauit. Immò seruiuit vitulis aureis, seruus peccati, & regno simul & vita priuatus est, filioque suo Nadab pœnam peccati, quod thesaurizauerat, hæreditariam reliquit. Nam insidiatus est ei Baasa de domo Isachar, & percussit eum, sicque defatus est Hieroboam iuxta prophetæ iam dicti respõsum, durumque nuncium, sicut mundari solet fimus vsque ad purum. Huic simile fuit hæreticorum omne consilium. ¶Nam & illi ne ascenderet populus in Hierusalem, ad sacrificandum domino, fecerunt vitulos aureos. Quid enim sermo hæreticus, nitidus & accuratè compositus, nisi aureus vitulus? Aureus nanque vitulus foris est speciosus, intus vacuus est, & sine sensu. Sic omne dogma hæreticorum foris ad demulcendum aures, sermonis habet nitorẽ, intus nullam habet virtutem. Adorant igitur vitulos aureos, quicunque propter sermonis venustatẽ, vanos & à virtute vacuos sectantur hæreticos. (Et ascendit Hieroboã super altare vt adoleret incensum.) Non dictum est, accessit ad altare siue ascendit ad altare, sed dictum est, ascendit super altare. Iuxta sensum iam dictum hoc elegãter & propriè dictum. Hæretici nanque super altaria sua ascendunt, quia non Dei, sed suam gloriã quærunt, quia semetipsos prædicant, nõ dominum Iesum Christum. Eorum quàm vitandum sit consortium, subiectum statim in dicat exemplum. Virum Dei qui venerat de Iuda in sermone domini Hieroboam stante super altare, & exclamauerat contra altare, leo inuenit in via, & occidit. Sic enim illi mandatum fuerat in sermone Domini præcipientis. (Ne comedas panem, neque bibas aquam, ne reuertaris per viam qua venisti.) Fefellit autem eum pseudopropheta, & reduxit secum, comeditque panem in domo eius & bibit aquã. Occidit ergo eum vt prædictum est leo in via. Igitur consortium hæreticorum qui vitulos mendatij fabricauerunt, docemur vitare, & cũ eiusmodi nec cibum sumere, ne inueniat nos leo in via, ne veniat super nos similis hæreticorum vindicta. Interea notandum est, quod hic propheta deceptus in semetipso pœnã recepit. Hieroboam autem ipse quidem dormiuit cum patribus suis, filius autem eius hostili gladio percussus interijt. Nam qui per imprudentiã fortè deceptus hæreticis communicauit, quasi in semetipso punitur, dum temporali præsentialiter pœna mulctatur, qui autem hæresim per malitiam struxit quasi in filio sententiam recipit, dum in anima post hanc vitam mortem sempiternam incurrit.

3. Reg. 13.

3. Reg 17

De Helia cuius typum gesserit in eo quòd siccitatem induxit propter Achab, & Iezabel, & quòd pauerũt eum corui, & quòd ad viduam Sarepthanam missus sit.

CAPVT VII.

Post hæc

3. Reg. 16. POst hæc impietas creuit in Israel, cũ sũ-
3. Reg. 7. per vitulos Hieroboã additus est Baal. Nam Achab filius Amri duxit vxorem Iezabel filiam Methabaal Regis Sydoniorum, & abijt, & seruiuit Baal, & adorauit eum. Tunc surrexit Helias propheta, de habitatoribus Galaad, & verbo domini continuit cælũ, vt non plueret super terram annos tres, & menses sex. (Viuit dominus deus Israel (inquit) in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Et factus est sermo domini ad eum dicens. Surge, & vade in Sareptham Sydoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri, viduæ, vt pascatte,) & cætera. Euangelica lucerna lucem nobis spiritualis intelligentiæ, hoc loco demonstrat. Cùm enim præmisisset dominus, vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice cura te ipsum, quanta audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua, cõtinuò subiunxit, Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In veritatẽ dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omnem terram, & ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sareptham Sydoniæ, ad mulierem viduã. Profectò, hęc dicens, illud intelligi voluit, quod ipse in patria sua non foret acceptus, & quem admodum Helias ãd viduam Sarepthanam transmigrauit, relicta siccitate in Israel, sic ipse ad ecclesiam de gentibus transiturus esset, relicta fame verbi dei in Israel. Idcircò sic terribiliter præmisit, dicens. In veritate dico vobis, quæ videlicet dictio magnam sonat comminationem iræ imminentis. Mystice igitur Helias quod interpretatur deus dominus, ipse est dei filius cæli & terræ, deus & dominus. Achab q̃ interpretatur frater patris populus Iudaicus est, persecutor & occisor eiusdem dei, & dominus, frater (inquã) patris, id est, cohæres diaboli patris sui, quod comprobat iste Helias, iste deus & dominus cùm dicit. Vos ex patre diabolo estis. Iezabel, quod interpretatur fluxus sanguinis, synagoga eiusdem populi est, quæ ex quo sic locuta est, Sanguis eius super nos & super filios nostros, nunc vsque sanguine fluere nõ desinit. Cuius sub specie in Apocalypsi dicitur aduersus Iudaicam & omnẽ sectam euangelicæ fidei contrariam. Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere & seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis, & cæt. Quid tandem est, q̃ Helias cælũ claudit, ne pluat & recedit, nisi quia Christus ora Apostolorũ clausit synagogæ peccatrici, & populo qui illũ reiecit, & relicta illis siccitate, & fame audiendi siue intelligẽdi verbũ dei, recessit. (Recede (inquit) dñs & abscondere, cortiscq; præcipi vt pascant te.) Abscõditum ã Iudæis deum dominum, quẽ inuenire non possunt, quia velamen malitiæ positum est super cor eorum, corui in primis pauerunt, quia peccatores humili conscientia coruorum nigredinem imitantes, cum fide & charitate, primi illum receperũt. Quod præuidens ipse quodam loco scribis & pharisæis dixit, Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Corui isti primum in torrente Heliam pauerunt, quia publicani & peccatores primum in Iudæa Christum & Apostolos eius receperunt. (Post dies autem siccatus est torrens.) Quia videlicet in breui sic fideles qui erant ex Iudæis rapinam bonorum suorum perpessi sunt, à contribulibus suis, vt omnibus deficientibus ipsi egerẽt. (Nõ enim pluerat super terram.) Imò terra illa salutarem veritatis, non suscipiebat pluuiam. Factus est igitur sermo domini ad Heliam, dicens: Surge, & vade in Sareptham Sydoniorum, &c. Sarepta oppidulum erat Sydoniorum in via publica situm. Porrò Sydon inutilis venatio interpretatur. Et quid eramus nos gentes, nisi venatio inutilis, venatio diaboli? Igitur vade, inquit, in Sarepthã Sydoniorũ, id est, vade ad gentes, euãgeliza per publicũ, prædica per mũdũ vniuersum. Ibi manebis, præcepi emi ibi mulieri viduæ, vt pascat te. Præcepi, præceptũ posui quod nõ præteribit, præueni per prædestinationẽ gratię, mulierẽ viduam. i. gentilitatẽ, quondã à diabolo viro iniquo malè nuptam, nunc aũt illo foras ejecto viduam, vt pascat te, vt credat in te. Ibi manebis, cum illa eris vsque ad consummationem seculi. (Surrexit & abijt in Sarepthã.) Surrexit (inquam) & abijt Christus, dicentibus Apostolis, in quibus ipse loquebatur. Vobis quidé primum oportebat loqui verbum dei, sed quoniã repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternę vitę, eccè cõuertimur ad gentes. (Cũq; venisset ad portas ciuitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna.) ad portã ciuitatis nũc christ' venit, quã do primũ gentilitas auditu patulo verbũ dei susćepit. Tũc apparuit mulier vidua, tũc citò credẽs se obtulit, & ante faciẽ vocantis astitit ecclesia. (Nõ (inquit) habeo panẽ nisi quantũ pugillus potest capere farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illud mihi & filio meo, vt cõedamus & moriamur.) Magnę sibi paupertatis vera catholica ecclesia cõscia est. Nõ superbit, nõ extollitur, nõ sibi diues aut sufficiẽs videtur, quãdiu vidua est, quam diu peregrinatur. Quicquid interim de verbo dei, de sciẽtia dei cõsequitur, parũ est, velut tantũ farinæ quantũ pugillus capere potest. Quicquid vnctionis habet à spiritu sancto, quasi parum olei in lecytho est. Quod enim nunc per speculum in ænigmate vidimus, quantum est ad comparationem perfectionis, quam expectamus? Igitur non nisi parũ farinę, non nisi parũ olei habeo, inquit.

Matth. 27
Apoca. 2.
2. Cor. 3.
Matth. 21.
Luca 4.
Hebr. 10.
Actor. 13.
1. Cor. 13.

En col-

Universidad de Deusto
Biblioteca

En colligo duo ligna, en meam consolor inopiam amplectens crucis ligna, vt faciam mihi & filio meo, vt de modico quod habeo sermonem bonum conficiã auditori, nunc primum ad fidẽ initiato, vt comedamus & moriamur, nec enim nos iam compræhẽdisse arbitramur. Operamur cibũ, qui nõ perit, operamur quantum possumus panẽ vitæ in sancto altari duobus lignis excoctum, cruce & passione Christi signatũ accipimus, & damus vt cõedamus & moriamur. Confitemur em, quia indigni hoc facimus, & idcircò dignum est, vt moriamur, si absq; misericordia iudicemur. (Noli timere (inquit) sed vade, & fac sicut dixisti. Veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me. Tibi autem & filio tuo facies postea.) Noli timere, sed vade habens ipẽ vitæ, & fac sicut dixisti, credens huic promissioni, quia qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Veruntamen vt timere non debeas, vt meritò spem habeas, vt in æternum viuas, de ipsa farinula, de ipsa fide tua, de ipsa traditione euangelica, mihi primum fac subcinericium panem paruulum. Humilia in ieiunio animam tuã, & offer dignum sacrificium pœnitentiæ, & tunc demũ tibi, & filio tuo facies, id est, dignè offeres, dignè percipies. (Hæc autem dicit dominus deus Israel, Hydria farinæ, nec lecythus olei imminuetur, vsque ad diem, in qua daturus est dominus pluuiam super faciem terrę. (Non deficiet, ait, sed vitæ effectũ habebit, vsquequo det pluuiam super faciem terræ, vsquequo veniat plenitudo refectionis æternæ.) Vbi dicit hæc dominus deus Israel? In euangelio suo, in Apostolo suo. Quotiescunque enim panem hunc manducabitis, & calicem bibetis (ait Apostolus) mortem domini annunciabitis, donec veniat.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

De filio mulieris matrisfamilias quem suscitauit Helias, qui dicitur Ionas, & quid mistice designet mors eius.

CAPVT VIII.

FActum est autẽ post verba hæc, ægrotauit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Heliam. Quid mihi & tibi vir dei?) Et reliqua. Huius mulieris viduæ filium, quem Helias suscitauit, Hebræi Ionam sanctum esse affirmant, qui & in exordio sui voluminis dicitur filius Amathi. Ob hanc etiam causam, ipsum puerum vocatum esse, aiunt, filium Amathi, quia mater, ait: (Nunc cognoui, quia vir dei es tu, & verbum domini in ore tuo verum est.) Amathi enim in lingua nostra, veritatem sonat. Ex eo quod verum Helias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Et pulchrè de veritate columba nascitur. Ionas enim columba interpretatur. Mystice autem hic idem intelligimus per viduæ filium, quòd in Euangelio per Marthæ, & Mariæ fratrem Lazarum. Etenim tam per huius, quàm per illarum domum, ecclesia recte figuratur. Nam & in hac Helia, quod interpretatur deus dominus, vtcunque sustentabatur, & in illa deo domino Iesu Christo temporaliter ministrabatur. Igitur & hic viduæ filius, & illic Lazarus, peccatorum signi ficat ecclesiæ filium, qui post acceptam fidẽ in anima mortuus est, dignum morte admittendo peccatum. Hoc tamen interest, quòd hic in domo suscitatur, ille quatriduanus de sepulchro reuocatur. Quapropter hic & recenti casu peccatorem, & ille significat mala consuetudine fœtentem. Dicit itaque mulier vidua, dicit domino deo mater ecclesia. Quid mihi & tibi vir dei? Quid mecum iudicio contendis vir aut homo, idemq; deus & homo filj dei? (Ingressus es ad me, vt rememorentur iniquitates meæ, vt interficeres filium meum?) Nempe tanto pietatis affectu mater ecclesia pro filio suo peccatore iuste concitatur, vt quod vnus de suis peccãdo moritur, suis imputet iniquitatibus. Hac pietate fortis, sic orat vt arguat, sic arguit, vt oret & vincat. Ait enim Helias: (Da mihi filium tuum.) Ait, inquam, dominus deus. Da mihi peccatorem tuum. Da mihi, age, hortare, vt per humilem confessionem præsens assit. Hæc, ait (Tollensque eum posuit super lectum suum. Lectus Heliæ, lectus dei domini, sanctum est altare, mundusque, & reliosus conuentus sanctæ ecclesiæ. Illic expãdit se, atque metitur super puerum tribus vicibus, condescendit enim peccatori pœnitẽti, recepta confessione & satisfactione, per quam patris & filij & spiritus sancti fides, quæ mortua fuerat, reuiuiscit, & reformatur, & vera est reformatio, & vera est demõstratio, dicentis: En viuit filius tuus.

Ioan. 11.

Ibidem.

Hier. 2.

Quid reuersio Heliæ ostendens se Achab mystice significet, & quid propheta Baal clamantes, seq; cruentando concidentes, quid ignis inuocante Helia cadens de cælo super holocaustum, & quid, quòd data est pluuia, & quòd Helias præcinctus lumbis curreret ante Achab.

CAPVT IX.

POst dies multos factum est verbum domini ad Heliam in anno tertio, dicens: Vade & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ.) & reliqua. Ad hoc ire, ad hoc missus est se ostẽdere, vt daretur pluuia super faciem terræ. Et hoc factum est. (Rursum orauit, & eccè cæli contenebrati sunt, & nubes & ventus factus est & pluuia grandis.) Ita futurum est, vt siccitas & fames audiendi verbum dei, quæ in Israel contigit, venientibus & prædicantibus Enoch & Helia cõuertatur in omnẽ plenitudinem diebus. Sed quid hoc sibi vult, quod interim velut iratus accurrit Helias, quod non commonitorijs vtitur verbis, sed cum iudicio agit, & quasi iurgio cõtendit? (Vade (inquit) Helias ad Abdiam, & dic domino deo tuo. Adest

3. Reg. 18.

tuo. Adest Helias.) Ac deinceps. (Venitque Achab in occursum Heliæ, & cum vidisset eum, ait: Tu ne es ille, qui conturbas Israel? Et ille ait: Non ego turbaui Israel, sed tu & domus patris tui, quia dereliquistis mandata domini, & secuti estis Baalim. Veruntamen nũc mitte & congrega ad me vniuersum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal, quadringentos quinquaginta, prophetasq; lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. Ita factum est. Venerunt, habitoq; certamine superior apparuit dominus exaudiendo per ignem. (Dixitq; omnis populus, Dominus ipse est Deus, dominus ipse est Deus.) Protinus sequitur: (Dixitque Helias ad eos. Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Helias ad torrẽtem Cyson, & interfecit eos ibi.) Quid hoc, inquam, sibi vult, quod daturo domino pluuiam super faciem terræ, prius Helias tanta zeli armatura accedit indutus? Illud nempe, quòd in euangelio suo verus Helias, verus Deus dominus prænunciãdo dicit: Cum autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Ac deinceps: Erit enim pressura magna super terram & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Profectò tunc Helias, id est, Deus dominus iratus contra sacerdotes Baal venit, quando nutu eiusdem Dei domini Romanus exercitus Hierusalem ciuitatem circundedit. Denique quod nullus fidelis ambigit, Annas & Cayphas, cæterique sacerdotes, vniuersi seniores, omnes scribæ & pharisæi, qui contra dominum clamauerunt, sacerdotes Baal extiterunt, immò sacerdotes Barrabę latronis fuerint. Pro Barraba contenderunt, pro latrone in certamine constiterunt, persuaserunt populo ad Barrabam sibi dimitti peterẽt, Iesum verò perderent. Ibi clamabant voce magna dicendo: Tolle tolle, crucifige crucifige, & incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis donec perfunderentur sanguine. Iuxta ritum suum, inquã, semper enim illis moris fuit, cruentare & cruentari, & nunc amplius sanguine perfusi sunt, dicendo: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Sed eccè sacerdotibus illis præeunte sacrificio Barrabæ sui Deus pater nostrum Heliam, nostrum Deum & dominum, per ignem exaudiuit, per illum enim Spiritum sanctum nobis dedit. Quomodo? (Currebant (inquit) aquæ circa altare, & fossa aquæductus repleta est, & cætera.) Nempe lancea militis latus crucifixi domini patefaciente, cucurrit aqua cũ sanguine. Cecidit autem ignis de cœlo, ignis, inquam, de quo idẽ, ignem (inquit) veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Ille ignis statim post holocaustum cecidit, super apostolos videlicet, quando apparuerunt illis dispertitę linguę tanquam ignis,

Luca 21.

Matt. 27.

Ioan. 19. Luca 12. Act. 8.

&c. Sanè Abdias, cui occurrit Helias, & dixit: Vade & dic domino tuo, adest Helias, ipse est qui in ordine prophetarum quartus habetur. Abdias autem seruus domini interpretatur. Et rectè hoc nomine vocatur, fecit enim quẽadmodum seruus domini. (Seruus autem tuus (inquit) timet dominum ab infantia sua. Nunquid nõ indicatum est tibi domino meo quid fecerim, cùm interficeret Iezabel prophetas domini, quod absconderim ex eis centum viros, quinquagenos & quinquagenos, & pauerim eos pane & aqua.) Idcirco quia centum prophetas saluauerat, accepit gratiã prophetalem, & de duce exercitus, factus est dux ecclesiæ. Tunc in Samaria paruum gregem pauerat, nunc in toto orbe Christus pascit ecclesias. Quod tandem data pluuia sequitur: (Et manus domini facta est super Heliã, accinctisque lumbis, currebat ante Achab.)

Ex prologo in Abdiam.

Luca 1.

Illius temporis fuit signum quo venturus est currens ante illum populum, vt cõuertat corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Iuxta historicam superficiem hic nos exemplo suo docet in oratione habere perseuerantiam. Cùm enim dixisset puero. Ascende & prospice contra mare, & ille contemplatus respondisset, non est quicquam, ipse vt erat pronus in terram perseuerans posita facie inter genua, reuertere ait septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parua qua si vestigium hominis, ascendebat de mari Proinde Iacobus apostolus cùm dixisset: Cõfitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini, hoc exemplum proponens, Helias homo erat similis nobis, &cæt. Ita conclusit. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.

Iacobi 5.

De fuga eius, qua mori timens mori optauit, & cuius rei typus sit ipse vel iuniperus, ille q; cibus, cuius in fortitudine tot ieiunauit diebus.

CAPVT X.

MIsitq; Iezabel nuncium ad Heliam dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnus ex illis. Timuit ergo Helias, & surgens abijt quocunque eum ferebat voluntas.) Paulo ante sic fortis Helias vt cœlum clausum contineret, totq; prophetis Baal interfectis, cœlum rursus aperiret, nunc autem sic infirmus, vt fugiat propter minas mulieris Iezabel turbatus, & præpauore nescius quo iret, palam quoque suo fecit exẽplo, quia nullus homo de seipso fortis est. Non tamen eiusmodi infirmitas iure reprehenditur. Nam & in euangelio per confessionẽ loquitur dominus. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliã. Sed quid est, quod mortem fugiens optat mori? Sequitur enim: (Cumq; venisset & sederet super vnã iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur. Et ait: Sufficit mihi domine, tolle animã meam. &c.) Sufficit mihi dixit, diu namq; vixerat. Siquidẽ ipse erat Phinees, filius Eleaza

III. REG. XIX.

Matth. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri, vt perhibent Hebrei. Quòd verisimile videretur, nisi quòd Phinees de tribu Leui exti tit, & Helias de habitatoribus Galaad fuisse perhibetur, vt supra legitur. Galaad namq; ciuitas à monte Galaad in quo condita est fortita vocabulum, quam & cœpit de Amorreorum manu, Galaad filius Machir, filij Manasse. Nullam quippe de Manasse possederunt ciuitatem filij Aaron, de cuius filio Eleazaro ortus est Phinees. Sed de tribubus Iuda & Simeon, & Beniamin ciuitates quatuordecim. Sed ad propositũ redeamus. Quid est, quòd sic mori timet, vt mortem optet? Nihilominus & quod sequitur, quæsitu dignum est. (Proiecitq; se (inquit) scriptura, & obdormiuit in vmbra Iuniperi, &c.) Semel obdormiuit, & deinde surgés comedit & bibit, iterum dormiuit, surgensq; denuò, commedit & bibit. (Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsq; ad montem Dei Horeb.) Nunquid casu hæc gesta sunt? Non vtique, sed mysterijs prophetici plena sunt. Helias qui supra in spiritu fortitudinis agendo, Dei & domini secundum nomen suum typum gerebat, ipse hoc loco in infirmitate sua generis humani figuram gestat. Ibi capitis, hic membrorum mysterium est, Iezabel, qui mortem Heliæ intétat, mors æterna est, quę per peccatum in hũc mundum introierat. Hanc quicũq; fugit, sedet subter iuniperum, id est, confugit ad sanctum & viuificum crucis dominicæ lignum. Currit ad baptismũ, poscit dominicæ passiõis sacramentum. Illic ambit mortem, illic festinat commori Christo, ne ab Iezabel occidatur, complantari similitudini mortis Christi, ne in æterna morte detineatur. Proijcit ergo se in vmbra iuniperi, & obdormiscit, id est, subijcit se cruci Christi, & cõmoritur illi. Omnes (inquit Apostolus) quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Inde surgens inuitatur ab angelo domini ad prandiũ. i. percipit à sacerdote dominici corporis & sanguinis sacramentum. Illud comedit & bibit, & tamen rursus obdormiscit. Quamuis enim Christo commortuus, mortem æternam euaserit Christianus, temporali tamen morte corporis est moriturus. Sed rursus angelus domini reuertitur, eumq; iterato inuitat ad manducandum & bibendum. Surget enim omnis qui dormit, veniente Christo in iussu, & in voce archangeli, in tuba dei, & manducabit deinceps semel tantum, & semper panem verum, panem angelorum, facie ad faciem videndo Deum in fortitudine illius cibi ambulabit ad montem Dei quadraginta diebus & quadraginta noctib. i. perseuerabit in coeternitate dei cunctis dieb. imò sine fine cum angelicis spiritibus.

Gal. 3.

2. Thess. 4.

De interpellatione eius aduersus Israel, & diuino ad eum responso, & quid in spiritu grandi & forti subuertente montes, & conterente petras, quid in commotione, quid in igne, quid in sibilo aurę tenuis sit.

CAPVT XI.

CVmque venisset illuc, mansit in spelunca. Et ecce sermo domini ad eum. Dixitque illi: Quid hic agis Helias? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro domino deo exercituum, quia dereliquerunt pactum domini filij Israel. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus, &c.) Cuius rei fuerit hęc similitudo vel signum, Apostolus aperit, ex hoc loco sumens testimonium. An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat dominum aduersus Israel? Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Ergo sicut suprà diximus, in illis qui curuaueruntgenua Baal, mysticè Iudæi, qui Barrabam sibi elegerunt, intelligendi sunt. Nam septem millia virorum, qui ante Baal genua non curuauerũt, seipsum vult Apostolus intelligi, & cæteros, qui ex Iudeis crediderunt. Quid porrò intendens sic clamat, sic aduersum Israel interpellat, se solum remansisse existimans, qui non curuasset genua ante Baal? Nempe illius aduentum suspirat, per quem reformandum in integrum dei cultum, tanquam propheta nouerat. Messiam quippe, id est, Christum iam aduenire optabat, iam cunctis pereuntibus in malum declinantibus tempus esse vt ille veniret, maiori cordis, quàm labiorum voce clamabat. Ad hoc respondens dominus. (Egredere (inquit) & sta in monte coram domino. Et ecce dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante dominum. Non in spiritu dominus, & post spiritum commotio. Non in commotione dominus. Et post commotionem ignis. Non in igne dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi dominus.) In spiritu grandi & forti subuertente montes, & conterente petras, futuram captiuitatem significat decẽ tribuum Israel, quæ facta est à Salmanasar rege Assyriorum regnante Osee. Non in spiritu (inquit) dominus id est, nondum finis, nõdũ veniet Messias, dominus qui expectatur In commotione transmigrationem primam designat tribus iuda, qua tradendus erat Ioachim, rex iuda in Babylonem cũ quadraginta millibus, nemine relicto exceptis pauperibus. Non (inquit) in commotione dominus, id est, nondum finis nõdum veniet dominus. In igne secundam captiuitatem Iuda & Hierusalem vult intelligi, quando rebellante Sedechia, iterum venit rex Babylonis, & succẽdit Nabuzardan princeps exercitus, domum domini & domum regis, omnemq; domum combusit igni, & muros Hierusalem in circuitu destruxit. Nõ (inquit) in igne dominus, id est,

Rom. 11.

4. Reg. 17.

4. Reg. 25

id est, nondum templo exusto, & ciuitate destructa tempus erit dominici aduentus. Et post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi dominus. Sibilus auræ tenuis, occultus & secretus fuit aduentus domini, quem quasi de aura tenui, id est, de spiritu sancto Maria virgo concepit. Fuerunt aũt à prædicto turbine vsque ad commotionem. i. à captiuitate decem tribuum, vsq; ad primam trãsmigrationem filiorum Israel, anni circiter centum viginti septem, qui supputantur hoc modo, anno sexto Ezechię trastulit rex Assyriorum Israel in Assyrios. Ipse autem Ezechias viginti nouem annis regnauit in Hierusalem. Ergo regni eius residui erant anni vigintiquatuor. Qui coniuncti cum quinquagintaquinq; annis filij eius Manasse, ac duob. filijs eius Ammon atq; triginta & vno Iosię, ac deinde vndecim Eliachim, qui dictus est Ioachim, tandemque tribus filijs eius Ioachim, sunt centum viginti septem, ab illa commotione vsq; ad ignem. i. à prima transmigratione, vsque ad templi & ciuitatis exustionem fuere anni vndecim regni Sedechiæ Ab illo igne siue ab illa captiuitate vsq; ad sibilum auræ tenuem. i. Christi aduentum, quot anni interessent, Danieli his verbis reuelatũ est. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuũ, & super vrbẽ sanctam tuã vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum &c. Nimirũ eo tendebat Helias, vt deleretur iniquitas per Christi aduentum, & adduceretur iustitia sempiterna, qui nunc abundante iniquitate se solũ relictũ esse putabat.

Dani. 9.

Iuxta anagogen quid ille spiritus, quid commotio illa, quid ille ignis, quid ille sibilus, quid ipse Helias significet, operiens pallio vultum suum.

CAPVT XII.

IVxta anagogen spiritus ante dominũ, euertit montes, & petras conterit, quia pauor, qui ex aduentu eius irruit, & altitudinẽ cordis nostri deijcit, & duritiã liquefacit. Sed spiritu cõmotionis, & igni non inesse dominus dicitur, esse verò in sibilo aurę tenuis nõ negatur, quia nimirũ mens cũ in contemplationis sublimitate suspenditur, qui quid perfectę conspicere prealet deus nõ est. Cu verò subtile aliquid conspicit, hoc est, q̃ de incomprehensibili substãtia ęternitatis audit. Quasi enim sibilu auræ tenuis percipimus, cùm saporẽ incircunscriptæ veritatis contẽplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verũ est, quòd de Deo cognoscimus, cũ plenè nos aliquid de illo cognoscere nõ posse sentimus. Vndè bene subditur. (Quod cũ audisset Helias, operuit vultum suũ pallio, & ingressus, stetit in ostio spelucę &c.) Post auræ tenuis sibilũ, vultum suũ operuit propheta, quia in ipsa subtilissima cõtemplatiõe veritatis, quanta ignorantia homo tegatur agnoscit. Vultui nanq; pallium superducere est, ne mens altiora quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, vt nequaquam intelligentiæ oculos vltra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reuerenter claudat.

Quomodo ad imperium domini Helias Helisæũ prophetam, & Helisæus Iheu regem vnxerit super Israel, & quod contra decretum domini egerit Achab reseruando Benadab, adeò quòd diceret dominus: Erit anima tua pro anima eius, &c.

CAPVT XIII.

ET ait dominus ad eũ: Vade & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum. Cumq; perueneris illuc, vnges Azahel regem super Syriam, & Iheu filium Namsi vnges regem super Israel. Helisęum autem filium Saphath, qui est de Abelmaula vnges prophetam pro te. Et erit quicunq; fugerit gladium Azahel, interficiet eũ Iheu, & qui fugerit gladium Iheu, occidet eũ Helisęus.) Horum quæ præcepta sunt, vnum sõlũ Helias continuò fecisse legitur. Profectus ergo inde repperit Helisæum filiũ Saphath arantem in duodecim iugis boum, & misit super illum pallium suũ. Qui statim relictis bobus cucurrit post Heliã. Hoc inquam solum Helias, cętera Helisęus fecit, postquã translatus est Helias. Et Azahel quidem nõ vnxit, sed stante illo corã eo cõturbatus est vsq; ad suffusionẽ vultus & fleuit. Cui Azahel ait: Quare dominus meus flet? At ille respõdit. Quia scio quæ facturus sis filijs Israel mala, ac deinceps. Ostendit mihi dominus te regem Syriæ fore. Tunc Benadab rex Syriæ ægrotabat. Continuò sequitur scriptura. Qui cùm recessisset ab Helisæo, videlicet Azahel, venit ad dominũ suum. Tulitq; altera die stragulum, & infudit aqua, & expandit super faciem eius. Quo mortuo, regnauit pro eo, Iheu autẽ filium Namsi postmodum vnxit, vocauit vnum de filijs prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulã olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad. Cumq; veneris illuc, videbis Iheu filium Iosaphath, filij Namsi, &c. Quis ita immutauit decretum domini? Achab hoc fecit permissus iudicio domini. Nõ fecit Achab, quod dominus voluerat, nõ secutus est iudicium, quòd iudicauerat dominus super Benadab. Videamus historiæ sequentia. (Benadab rex Syriæ, congregauit omnem exercitum suum, & triginta duos reges secum, & equos & currus & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsidebat eã.) Ac deinceps. (Et ecce propheta vnus ascendens ad Achab regẽ Israel ait: Hęc dicit dominus. Certè vidisti oẽm multitudinẽ hanc nimiã? Ecce ego tradam eã in manu tua hodie, vt scias quia ego sum dominus.) Illo dicente: (Per quẽ per pedissequos, inquit, principũ prouinciarũ, & tu incipies pręliari. Ita factũ est. Inito certamine fugerut Syri, & persecutus est eos Israel, &

4. Reg. 8.

4. Reg. 9.

III. REG. XX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rael,& percussit Syriam plaga magna. Postquam annus transierat recessuit Benadab Syros,& ascendit in Apheth,vt pugnaret contra Israel. Dixerunt enim serui eius. Dij mõtium,sunt dij eorum, ideo superauerũt nos. Sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus,& obtinebimus eos. Dominus autem,quoniam,inquit,dixerunt Deus mõtium est dominus,& non Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua. Ita factum est. Percusserunt filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna,& super vigintiseptem millia hominũ, qui remanserant, cecidit murus ciuitatis Apheth,ad quam confugerant. Benadab postmodũ semetipsum tradidit, & leuauit eũ in currum suum Achab, pepigitq; cum eo fœdus,& dimisit eum. Dominus autem, quoniam, inquit, dimisisti virũ dignum morte de manu tua,erit anima tua ꝓ anima eius, & populus tuus pro populo illius. Claret,itaq; quia Benadab regem dominus dignum morte iudicauerat,& idcirco iusserat pro illo vngi Azahel, mox traditurus illum in manu Achab. At ille superbus & vanus dimisit eũ, ac proinde iuste in iudicium Saul incidit,qui Agag regem Amalech reseruauit contra prẽceptum domini. Sententia dicentis erit anima tua pro anima eius,& populus tuus pro populo illius,hoc modo cõpleta est. In anno tertio descedit Iosaphat rex Iuda ad regẽ Israel. Dixitq; rex Israel ad seruos suos: An ignoratis,quod nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ? Ascendit itaque rex Israel & Iosaphat rex Iuda,in Ramoth Galaad. Commisso prelio, vnus tetendit arcum in incertum,& casu percussit regem Israel,inter pulmonem & stomachum. Fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus. Sepelieruntque regem in Samaria,& lauerunt currum eius in piscina Samariæ,& linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt. Hoc modo,quia dimisit Benadad,fuit anima eius pro anima illius. Nec verò tantum,quia dimiserat illum impium morte dignum, verumetiam quia occiderat & possederat,occiderat inquam Naboth Iezraelitẽ,& possederat vineã eius,quã ille vẽdere noluerat. Sic impius fuit Achab, vt virum dignũ morte dimitteret de manu sua,& iustum occideret pro cupiditate sua. Rectè igitur & ordine iudicij pulcerrimo,anima eius pro anima illius,vt ex illo quẽ dimiserat, occideretur,& canes linxerũt sanguinem eius,cuius & carnes commedere debuerãt iuxta verbum domini, quòd locutus fuerat in manu Heliæ serui sui. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate,comedent eum canes, Si aũt mortuus fuerit in agro,comedent eum volucres cœli. Sed humiliatus Achab causa domini,scidit vestẽ suam,& operuit cilicio carnem suã,ieiunauitq; ac dormiuit in sacco,& ambulauit demisso capite. Idcirco dominus: non inquam inducam malũ in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. Porrò populus eius hoc modo fuit pro populo Benadab. Regnante Iorã filio eius,cõgregauit Benadab vniuersum exercitum suum,& ascendit, & obsidebat Samariam. Factaq; fames est magna in Samaria,& tamdiu obsessa est, donec venundare tur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis. Cumq; rex Israel transiret per murum,mulier quedã exclamauit ad eum dicẽs Salua me domine mi rex, Qui ait, Nõ, Te saluet dominus. Vndè te saluare possum, de area an de torculari? Dixitq; ad eã rex, Quid tibi vis? Quæ respondit, Mulier ista dixit mihi, Da filium tuũ vt comedamus eum hodie, & filium meum comedamus cras. Coximus ergo filium meũ, & comedimus, &c. Igitur Helie quidẽ mãdauerat dominus vngere Azahel regẽ super Syriã, & ipsum tradiderat in manus Achab,sed mandatũ hoc vt nõ impleret Helias, Achab permittẽte domino,in causa fuit,quòd in malum illi & domui eius versum est. Nec tamẽ dissolui poterat volũtas domini,quin moreretur vir morte dignꝰ Benadab,& regnaret Azahel,excepto quod vnctus nõ est,nec.n. dignũ erat, vt per prophetã vngeretur, qui dominũ suũ interficeret. Quomodo aũt impletũ est,qđ ait dominus,& erit, quicunq; fugerit gladiũ Azahel, occidet eũ Iheu,& qui fugerit gladium Iheu occidet eũ Helisæus? Videlicet quicunq; de domo Achab fugit gladiũ Azahel,qui Syrie princeps erat & rex futurus,iã à domino decretus erat,occidet eũ Iheu,deleuit n. vniuersam domum Achab. Quis aũt effugit gladiũ Iheu,nisi Syria? Nempe Iheu si perfecte in via domini ambulasset,& sicut deleuit Baal de Israel,ita & multos,quos Hieroboã vitulos fecerat dereliquisset atq; deleuisset sicut percusserat domum Achab, ita Syriã quoq; percutere meruisset. At ille à peccatis Hieroboam nõ recessit, & per hoc Syria gladium eius effugit. Percusit aũt eã Helisæus. Quomodo? Infra scriptum est. Helisæus ægrotabat in infirmitate,qua & mortuus est,descẽditq; ad eum Ioas rex Israel, & flebat coram eo dicebatq;, Pater mi,pater mi,currus Israel & auriga eius. Et ait Helisæus ad eum, Affer arcum & sagittas. Cumq; attulisset ad eũ arcum & sagittas,dixit ad regẽ Israel, Pone manum tuã super arcum. Et cùm posuisset ille manum suã, superposuit Helisæus manus suas manib. regis,& ait, Aperi fenestrã orientalẽ. Cumq; aperuisset,dixit Helisæus, Iace sagittã. Et iecit. Et ait Helisæus, Sagitta salutis domini,& sagitta salutis cõtra Syriã. Percutiesq; Syriam in Apheth, donec cõsumes eã. Et ait, Tolle sagittas. Qui cũ tulisset rursum dixit ei, Percute iacula terrã, & cũ percussisset trib. vicib. & stetisset, iratus est contra eũ vir Dei,& ait, Si percussisses quinquies aut sexies

4. Reg. 6.

3. Reg. 19.

4. Reg. 13.

sexiès siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam. Ioas iste nepos erat Iheu,id est, filius Ioachaz filij eius. Igitur qui fugit gladium Iheu interfecit eum Helisæus, id est, Syriam quam Iehu vel posteri eius ad percutiendum consequi non merebãtur, non quidem manu, sed meritis percussit Helisæus.

De morte Naboth Iezraelitæ,quod ipse quoque innocentiæ Christi præco moriendo fuerit, & cuius rei vineæ eius, cupiditas Achab, & Iezabel impia, typus extiterint.

CAPVT XIIII.

RErum bellicarum diuinis breuiter causis pro posse redditis, nunc demum ad prophetalem Heliæ & Helisæi gratiam redire cupimus, sed ecce sanguinem Naboth de agro Iezrael clamantem audimus, vt eum in mysterijs Christi domini silentio prẽterire non debeamus. Habet quippe sanctorum auctoritas, quia quomodo propter sanguinem eius,qui effusus est in Iezrael, deleta est domus Achab,vt Heliæ vaticinium compleretur, sic propter sanguinem veri Iezrael, hoc est feminis dei regnum destructum est Iudæorum. Ergo quanquam ad reliqua properantes, diuertamus ad hunc innocentiæ Christi prẽconem. (Locutus est Achab ad Naboth dicens, Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum oleorum, quia vicina est & prope domam meam. Daboq; tibi pro ea vineam meliorem, aut si tibi commodius putas argẽti pretium, quanto digna est dabo. Cui respondit Naboth, Propitius sit mihi dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.) Naboth conspicuus siue sessio interpretatur, vel certè exclusio. Sessionis vel exclusionis nomen Christo benè congruit, propter suæ passionis humilitatem, actamq; extra ciuitatem ad crucifigendum ipsius exclusionem. Porrò conspicuus factus est per resurrectionem & ascensionem, extunc habens nomẽ, quod est super omne nomen. Naboth iste Iezraelites erat. Bene Iezraelites. Iezrael quippe interpretatur semen Dei. quod vtique non aliud est, nisi filius Dei. Huic erat vinea videlicet illa, de qua loquitur euangelica parabola. Nam erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, &c. Da mihi vineã tuam, inquit Achab, vt faciam mihi hortum olerũ, per Achab quod interpretatur frater patris, Iudaicũ populũ supra diximus significari, fratrẽ.i. cohæredẽ patris sui diaboli, ex quo filiũ crucifixit patris omniũ Dei. Da mihi, inquit, vineã tuam, vt faciã mihi hortũ oleris. Quòd est dicere: Ad nostros libitus nobis permitte fidem & spem patriarcharum, legem quoque & testamentum, vt in voluptatibus terrenis expendamus honorem vel merita patrũ sanctorũ. Ad hæc ille: Propitius, inquit, sit mihi dominus, ne dem hæreditatem patrũ meorũ tibi. Absit, Absit ait, vt concedam talibus debere dici, vel esse semen Abrahæ, filios Dei, hæredes regni Dei. Sed si estis filij Abrahæ opera vtiq; Abrahæ facite, vineæ meæ, vineæ patris mei fructus afferte. (Venit ergo Achab in domum suam, indignans & frendens. Et proijciens se in lectum suum, auertit faciem suam ad parietem,& non comedit panem. In gressa est autem ad eum Iezabel vxor sua,dixitque ei: Quid est hoc? &cæt.) Quantum indignati sint, quantum frenduerint Iudæi legentes miramur, & ammirantes legimus, iuxta prædictam euangelij parabolam, qui prius seruos patrisfamilias missos apprehendentes,alium cæciderunt,alium occiderunt,alium verò lapidauerunt. Hoc fecerunt semel & iterum. Nouissimè autẽ missum ad se filium,patre dicente: Verebuntur filium suum,illi videntes, dixerunt: Hic est hæres. Venite,occidamus eum,& habebimus hæreditatem eius. Hoc pessimum consilium impia conflauit Iezabel,impia synagoga,impij scribę & pharisæi,seniores populi, & pontifices. Occidamus eum,& nostra erit hæreditas,occidamus eum,& Romani non venient tollere nostrum locum & gentem. (Predicate inquit,Iezabel ieiunium,& sedere facite,inquit,Naboth inter primates populi, & submittite duos viros filios Belial cõtra eum, & falsum testimonium dicãt. Benedixit Deum & regem,& educite eum,& lapidate,sicq; moriatur.) O hypocrisin,deo odibilẽ,iuxta ipsã literæ superficiem. Prædicate ieiunium. Quã ob causam? Ob magnum piaculum, ob immane sacrilegiũ,quia Naboth maledixit deũ, quia Naboth blasphemauit Deũ insuper & regem,cùm sic dicat lex. Principi populi tui nõ maledices. Et qui blasphemauerit Deũ, morte moriatur. Idcirco prædicate ieiunium, & dicite. Omnes ieiunemꝰ, omnes humiliemur, quia tantum diebus nostris nephas audiuimus,ne fortè cum blasphemo,pariter à terra deglutiamur. Planè hoc illi simile est, quod princeps sacerdotum cùm dixisset: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis,si tu es Christus filius Dei,illo respõdente. Tu dixisti. Scidit vestimenta sua,ille magnus & fortis æmulator dei,& dixit: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi dixerunt: Reus est mortis: Illi,inquam,simile est. Quare autem sedere fecerũt Naboth inter primates populi,& tunc demum submiserunt testes contra eum? Nimirum quia Naboth de primatibus erat populi, & vt totus videretur speciosus ordo iudicij,primùm in ordine suo sedit,vt postquam testes locuti fuissent, tunc demum honore priuatus, postremò vita priuaretur. Hoc iã pulchrè nefario modo palliata incesit nequissima hypocrisis. Quid multa? (Duxerunt eum extra ciuitatẽ,& lapidib. interfecerũt.) Imò duxerũt dominũ extra ciuitatẽ, & crucifixerũt. Sed hæc dicit dominꝰ.

3. Reg. 22.

III. REG. XXI.

Matth. 21.

Iohan 8.

Exod. 22. Leuit. 24.

Matth. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4.Reg.7. (Occidisti, insuper & possedisti.) Et post hæc addidit. (In loco hoc in quo linxerunt, canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum sanguinem.) Ac deinceps. (Canes comedent Iezabel in agro Iezrael. &c.) Iuxta historiam, hæc ita facta sunt. (Iehu introeunte, respexit Iezabel per fenestram oculis suis stibio depictis atque ornato capite, & ait: Nunquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?) Videlicet vt quantum hora permittebat, interfectorem suum castigaret, & de proximo territum exemplo à nece sua compesceret, sic locuta est, atque vt placere interim posset, oculis atque capite ornata est. (At ille dixit eunuchis: Præcipitate eam deorsum. Et præcipitauerunt eam. Postmodum. Cùm requireretur indulta sepultura, quia filia regis erat, non inuenerunt, nisi caluariam, & pedes, & summas manus, reliquamque canes comederant.) Hæc nimirum vindicta sanguinis Naboth, vindictæ sanguinis Christi portentum fuit. Hoc præcipitium Iezabel, illud præcipitium præsignauit, quod Hieremias præuidens lamentando, dicit sub specie Babylonicæ, quæ præsens erat captiuitatis. Precipitauit dominus omnia speciosa Iacob, destruxt in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram. Polluit regnum & principes eius. Item: præcipitauit dominus Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, repleuit in filia Iuda, humiliatum, & humiliatam. Præcipitium illud toto orbe auditum est. Ecce synagoga illa, quæ Christum occidit, vbi est? Nempe quicquid superesse videtur tale vel tantũ est, quantum fuit, quod de corpore Iezabel supererat canibus. Mortuum est omne tam regnum quàm sacerdotium eius, canes, id est, maligni spiritus, deuorãt quicquid religionis sabbatizando aut sacrificando deo sese offerre arbitrantur. Hinc iam ad superiora reuertamur.

De Helia & Helisæo quid mystice signifícet, quòd pallium suum posuit super eum, & ille relictis bobus cucurrit post eum.

CAPVT XV.

3.Reg.29. CVmque venisset Helias ad Helisæum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus, cucurrit post Heliam. In Helia Deus & dominus Christus. In Heliseo chorus apostolorum eius rectè intelligitur. Transferendus Helias pallũ super Helisæũ posuit, quia videlicet Deus & dominus Christus ex hoc mundo ad patrem transiturus, officium simul & spiritũ suum apostolis dedit.

Iohan. 20. Quod meum erat, inquit Helias, feci tibi. Nẽpe Deus & dominus Christus quod suum erat, fecit apostolis, postremo dicens ad eos. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Relictis bobus Helisæus cucurrit post Heliam, id est, relictis omnibus negocijs nudi & expediti apostoli executi sunt dispensationem euangelij sibi creditam. Deinceps historicus ordo sic se habet. (Misit ad eum Ochozias quinquagenarium principẽ, & quinquaginta, qui erant sub eo, (videlicet vt eum apprehenderent) Dixerat enim, Nunquid quia non erat Deus in Israel, misisti vt consulatur Beelzebub deus Accharon? Ideo de lectulo, super quem ascendisti, nõ descendes, sed morte morieris. Ascendit ad eum quinquagenarius, sedentique in vertice montis, ait, Homo Dei rex præcepit, vt descendas. Si, inquit, homo dei sum, descendat ignis de cælo & deuoret te & quinquaginta tuos.) Hoc semel & iterum factum est. Quinquagenarius tertius cùm venisset, curuauit genua contra Heliam, & deprecatus est pro anima sua, & pro anima illorum, qui secum erant. Deinde sequitur. (Factum est autem cum leuare vellet dominus Heliam, per turbinem in cælum ibant Helias & Helisæus de Galgalis. CAP. II.

Quid in mysterio præsignet, quòd Helias est leuatus in cælum, quid primus & secundus quinquagenarius, qui cœlesti igne consumpti sunt, & quid tertius, qui se humiliando saluatus est.

CAPVT XVI.

PLana historia, prout res gestæ sunt, ordine necessario texitur. Quæ autem in his figurata sunt, oportet vt ordine præpostero requiramus. In mysterio quippe prius est, quod Helias in cœlũ leuatur, posterius, quod executores eius primi & secundi, descendente de cœlo igne, deuorantur. Siquidem prius Deus dominus Christus in cœlum ascendit, & post modũ misit Beelzebub executores suos primos & secundos, quos tandem ignis æternus in die iudicij deuorabit. Primus quinquagenarius Nero fuit, qui primus aduersus nomẽ Christianum leges conscripsit, edicta proposuit: Huius quinquagenarij quinquaginta, fuerunt omnes, qui deinceps exemplum eius secuti sunt, & sæuiendo in martyres, Christi nomen exterminare voluerunt. Beelzebub ad quem consulendum miserat Ochozias, in euangelio quoq; princeps dæmoniorum nũcupatur. Ergo Neronem quoque misit Beelzebub, id est, diabolus. Secundus quinquagenarius, Antichristus erit, & quinquagenarij eius omnes impij, qui aduentu eius ad necem sanctorum armabuntur. Tertius quinquagenarius, & quinquaginta, qui erant cũ eo, persecutores illos designant, qui de crudelitate & proposito malo per pœnitentiã resipiscũt. Hoc significat, iste genua sua curuando, precando & dicendo. Homo dei, noli despicere animam meam, & animam seruorum tuorũ, qui mecũ sunt, &c. Non dixit quemadmodũ ille primus sedenti in vertice montis, homo dei, rex præcepit vt descẽdas aut quemadmodũ ille secũdus, Hęc dixit rex, festina descẽde. Dicere nãq; Helię, rex præcepit vt descendas de montis vertice: aut festina, descende, id est velle Christũ de cęlo deponere, vt nullus sateri audeat, deũ dominũ Christũ in cœlum ascẽdisse. Hos igitur & illos, id est, primos & secundos deuorabit ignis in vltimo iudicio, tertium

tertium autem & omnes quinquaginta eius, vniuersos qui pœnitentiam egerunt, saluabit Deus dominus in illo aduentu suo.

Quid mysticè significet, quòd Helias in cœlum leuandus pallio suo Iordanis aquas percusserit ac diuiserit, & quid quòd Helisæus, qui tertio sedere permissus, sedere noluit, sed cum illo perseueranter iuit.

CAPVT XVII.

IErunt ergo ambo pariter, & quinquaginta viri de filijs prophetarum secuti sunt. Qui steterunt de contra longè. Illi autem stabant ambo super Iordanem. Tulitq; Helias pallium suum, & inuoluit illud & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtranque partem, & transierunt ambo per siccum.) Helisæus tertio per concessionem dimissus vt sederet, noluit sedere, sed potius cum Helia pariter ire. Dixerat primo Helias, Sede hic, quia dominus misit me vsque in Bethel. Dixerat secundo, Sede hic, quia dominus misit me in Hiericho. Dixerat tertio, Sede hic, quia dominus misit me vsque ad Iordanem. Ille perstitit, & ad omnia hæc vnum eundemq; sermonem respondit. Viuit dominus, & viuit anima mea quia non derelinquam te. Planè hoc perseuerantiæ bono, beatos significat apostolos, qui suum Heliam, suum Deum & dominum per seueranter sunt secuti, non contenti complesse præceptum, nisi etiam proficiscerentur vsque ad perficiendum cõtilium. Nempe quod ait Helias. Sede hic non præcipiendo, sed permittẽdo dixit, quo videlicet ille permisso pro magistri amore noluit vti. Sic nimirum apostoli & apostolici viri, postquam impleuerũt præcepta. Verbi gratia, Non occides, non mechaberis, nec permisisis, id est, coniugio vel re Luc.22. familiari, pro amore Christi, voluerunt vti. Propter quod dicit: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Igitur inquit scriptura, ambo pariter ierunt, steteruntque super Iordanem. Iordanem constat baptismi sacramentum significare. Porrò baptismum ipsum in morte Christi manifestũ est esse conditum. Omnes enim quicunque baptizati sumus in Chrsto Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Igitur vsq; ad Iordanem venerunt vsque ad passionis articulum, dominum suum Christũ apostoli secuti sunt. Et si metu perculsi, secundum corpus ad tempus fugerunt, mẽte tamen cum illo perstiterunt. Tulit Helias pallium suũ, & percussit aquas, id est, tradidit Christus corpum suum, & patefacto latere suo, per sanguinem & aquam decurrentem, salutares baptismi nobis conse crauit aquas. Diuisæ sunt aquę, & transierunt vterque per siccum. Mors namque soluta est & Christus resurrexit à mortuis, & apostoli per eandem mortem redempti sunt.

De eo quòd ait: Postula quid vis vt dem tibi, &c. qualiter itidem in ascensione Christi apostolis factũ sit.

CAPVT XVIII.

CVmque transissent, Helias dixit ad Helisæum. Postula quod vis, vt faciam tibi antequam tollar à te. Dixit Hælisæus, Obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me. Qui respondit, Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me quando tollar à te, erit quod petisti. Si autem non videris, non erit.) Postula, inquit, quod vis, vt faciam tibi. Hoc ille dixit cùm transissent, dominus autem noster hoc ipsum dixit apostolis suis in ipso trãsitu, intra ipsum passionis agonem, sciens quia venit eius hora vt transeat ex hoc mũdo ad patrem. Ioan.16. Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis. Et ille quidẽ sciuit petere, dicens, Obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me. Apostoli autem petere nescierunt. Sed occurrit prompta largitoris benignitas, & antequam peterent quali duplicem spiritũ promisit, dicens, Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, Ioan.14. & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. Nempe maiora facere id quodammodo est duplicem Christi spiritũ habere. Quomodo autem discipuli Christi maiora quàm Christus opera fecerunt? Quæ nam possunt esse maiora? Vt cætera taceam. Christus salutaris doctrinę sermonem in vna tantum gente illa non valde magna prædicauit, vna tantum lingua, scilicet Hebræa, & pauciſsimos Act.2. ex eis conuertit. At verò apostoli, postmodũ sancto spiritu accepto, linguis omnibus, cælestis sapientiæ sermonem cunctis gentibus locuti sunt, qui erant homines idiotæ, & sine literis, & innumerabilem de cunctis gentibus multitudinem fructuoso labore acquisierũt. Item, Christus missus à patre, venit tantum in spiritu mansuetudinis. Apostoli autem, apostolorumque successores missi à Christo, venerunt ad nos in virga & in spiritu mansuetudinis. Virga potestas disciplinę est, quia Christus neminem coercuit. Spiritus mansuetudinis mitis est sermo exhortationis, quo solo vsus est, nõ tanti habitus, vt ei quenquam corripere prælationis iure vacaret. Igitur Heliæ spiritus in Helisæo duplex est, duplex inquam, in apostolis Christi, officium vel effectus modo aliquo est. Sanè iuxta literam. Helię spiritus in Helisæo duplex ex eo palam valet intelligi, quod Helisæus plura, id est, duplicia, quam Helias signa fecit. Rem, inquit, difficilem postulasti. Attamen si videris quãdo tollar à te, erit quod petisti. Si autem non videris, non erit. Velut ex latere meritum tetigit Helisæi, videlicet, quia perseuerando cũ illo cum toties sibi dictũ esset, sede hic, illud meruit, vt quasi hæreditario iure spiritũ perciperet magistri munere duplici.

De curru igneo, quo est eleuatus, & quod nec aliquis ante vel post Christum sic ascendit, vel possit ascendere in cœlum quomodo Christus.

CAPVT XIX.

CVmque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi i-

gnei diuiserunt vtrunque. Et ascendit Helias per turbinem in cælum. Hælisæus autem videbat & clamabat. Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Et nō vidit eū amplius.) Currus, quo moris erat, reges ac principes vectari, dignitatem significat beati viri, qui verè dignus est, & honorem consequitur, quem deus honorare decreuit. Quòd igneus apparuit, meritum indicat zeli fortissimi, quo pro domino deo exercituū zelatus est plus cæteris. Non, inquit, vidit eum amplius. Hoc beatificans vir sapiens, nos, inquit, vita viuimus tantum, post mortem autem non erit tale no
4. Reg. 13. men nostrum Helias, qui in turbine vectus est. Et continuò subiungit. Et in Helisæo cōpletus est spiritus eius. Quomodo completus est? Videlicet vt hoc esset ipse, quod magistrū esse fatebatur, id est, currus Israel & auriga eius. Sic enim & illi dixit rex Israel ægrotanti in infirmitate qua & mortu' est. Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius. Currus nimirum portando Israel meritis, auriga regendo Israel, responsis propheticis. Et ille quidē quia homo erat, & non Deus, curru indiguit quo in cælum leuaretur, in cælum inquam, nō æthereum, sed aereum, in aliquam terræ secretam regionem demittendus circa finem seculi ad persoluendum mortis debitum redituras. At verò Christus verè secundum nomen Heliæ Deus & dominus sine curru, sine aliquo vehiculo, vel angelorum ministerio, in cælum ascendit, in cælum æthereum, sessurus æternaliter ad dexteram patris. Nemo ante illum sic ascendit, vel post ascensurus est. Quē-
Ioan. 3. admodum dicit. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cælo. Nos quippe ascendere in cælum nō possumus, sed quia ille caput nostrum est, & nos membra sumus, diuina eius virtute sub leuamur atque portamur.

Quid sit mystice quòd Helisæus vestimenta scidit, quòdq; pallio Heliæ primò percusit aquas, & diuisæ non sunt, secundò percussit, & diuisæ sunt.

CAPVT XX.

APprehenditq; vestimenta sua, & scidit illa in duas partes. Et leuauit palliū Helię, quod ceciderat ei. Reuersusq; stetit super ripā Iordanis, & pallio Heliæ, quod ceciderat ei, percusserat aquas, & non sunt diuisæ. Et dixit, Vbi est Deus Heliæ, etiam nunc? Percussit aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & trāsiuit Helisæus.) Vetera vestimenta apostolorum carnales erant ceremoniæ Iudæorum. Porrò Christi pallium, sanctum est Euangelium. Helisæus ergo apprehendens, scidit vestimenta sua, leuauitq; pallium Heliæ, quod ei ceciderat, quia videlicet apostoli edocti spiritu sancto, carnalia reiecerunt à se, legis institutа detrimentum reputantes, & arbitrantes vt stercora Christi autem euangelium susceperunt, quod eis traditerat, quod eis reliquerat. Ventum est ad aquas Iordanis, & illo Helisæus pallio percussit aquas. Statim namque in Iudæa prædicare cœperunt apostoli Euangelium Christi, prædicare cœperunt gratiam baptismi. Et aquæ nō sunt diuisæ inquit. Certum est, quia diuisæ non sunt, nec Helisęo trāsitum præbuerunt. Iudæi namque prædicantibus Apostolis non cesserunt, gratiam Christi non receperunt. Inuocato Deo Helię percussit aquas, & diuisæ sunt, & transiuit Helisæus. Diuisę sunt aquæ iterata percussione, id est, i recepta est baptismi gratia missa ad alios id est, ad gentes, Euangelij prædicatione. Tūc transiuit Helisæus, tunc inquam viā habuit domini salus, Apostolis prædicantibus atque per publicum non sine magno fructu portantibus. Helisęus namque Dei mei salus interpretatur.

Quid sit myslicè, quòd Helisæus in Hiericho habitauit, et aquas steriles terramq; pessimam mittendo sal in vase nouo sanauit.

CAPVT XXI.

ILle autem habitauit in Hiericho. Dixerūt quoque viri ciuitatis illius ad Helisęum. Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse domine perspicis sed aquę pessimæ sūt, & terra sterilis. At ille ait, afferte mihi vas nouū, & mittite in illud sal. Qui cū attulissent egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait, Hęc dicit dominus, Sanaui aquas has, & non erit in eis vltra mors neque sterilitas.) Habitabat inquit, Helisęus in Hiericho Ex quo Hierosolymitani, id est Iudęi, quibus
Act. 13. oportebat primum loqui verbum Dei, repulerunt illud, & indignos se iudicauerunt ęternę vitę. Helisęus habitat in Hiericho, Helisęus inquam, id est, Dei salus, habitat in gente
Iosue 6. populoque quōdam destructo atque anathematizato, sicut in diebus Iosuę fuit, illa ciuitas Hiericho. Verùm hāc inhabitando fecit, vt quę erat Hiericho, in est defectus, nunc sit sancta indeficientis fidei Sion. Habitatio ciuitatis huius inquiunt Hierichotini optima est, sed aquę pessimę sunt, & terra sterilis. Nempe hoc dixerunt, & veraciter dicere potuerunt, quibus pessimę & amarę legis aquę propinabantur, sicut habemus in actibus Apostolorum. Cùm veniissent Apostoli, & congregas-
Act. 14. sent ecclesiā, retulerunt, quanta feciisset Deus cum illis, quia aperuisset gentibus ostium fidei. Et quidam descendentes de Iudęa docebant fratres, quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis salui fieri.
Ibid. 15. Ac deinceps. Surrexerunt autem quidam de hęresi pharisęorum, qui crediderant, dicētes, quia oportet circuncidi eos, pręcipere quoq; seruare legem Moysi. Nimirum eorum, quibus dicebantur hęc verba ista sunt: Ecce habitatio huius ciuitatis optima est, sed aquę pessimę sunt, & terra sterilis est. Quod est dicere. In Christum credere optimum est, sed obseruationes legis importabiles sunt, & labor inutilis. Quod continuò Petrus Apostolus comprobans dicit, Nunc ergo quid tētatis Deum, imponere

imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neq; patres nostri, neque nos portare potuimus? Afferte mihi vas nouum, inquit Helisæus, & mittite in illud sal. Hoc nēpe & protinus factum est, dum tacentib. omnibus, respondens Iacobus, orationē suam ita concluſit. Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus cōuertuntur ad dominum, sed scribere ad eos vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Denique abstinere ab huiusmodi, hoc est, vas nouum afferre, nam illa erant de vetusto vase, de vetusto homine. Porrò in nouum vas sal mittere, hoc est, cum discretione agendo, non inquietari renatos spiritu mentis suę, de laboriosa & inutili legis obseruatione. Hoc facto veraciter dicat dominus, Sanaui aquas has, & nō erit vltra in eis mors neq; sterilitas. Quomodo sanauit aquas has? Vtiq; data spirituali intelligētia, quia carnaliter legē intelligere, mors erat sterilitas erat, Intelligere aūt
2. Cor. 3. spiritualiter sanitas est, vita est. Dicit n. apostolus, Litera occidit, spiritus autē viuificat.

Quod Helisæo ascendente per viam, pueri illuserunt, & idcirco eos duo vrsi de sal u egressi laceraverunt, portentum fuisse mirabilis excidij Hierosolymorum, sub Tito & Vespasiano, pro eo quod Christo illuserunt.

CAPVT XXII.

ASCendit autem inde Bethel. Cumq; ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebat ei dicentes, Ascende calue, ascēde calue, qui cū respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine domini. Egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.) Post illa quæ ante dicta sunt, miro & mystico ordine sequitur hoc factū. Quid enim nisi portentum fuit miserabilis excidij Hierosolymorum, quod post ascensionē domini in Helia præfiguratum, & post transitum apostolorum ad gentes, qui per Helisæum habitantem in Hiericho signatus est, constat esse factum? Duo nempe vrsi de saltu egressi sunt, & pueros laceraverunt, quia duo imperatores, Vespasianus pater, & Titus filius ab vrbe Roma venerunt, & Iudæos interfecerūt.
Esaiæ 66. Quam ob causam? Videlicet quia pueri Helisæo illuserunt, quia stulti Iudæi, & principes eorum pueri centum annorum, propter quod & maledicti sunt, domino nostro illuserunt, & eum conspuerunt, faciem eius velauerunt, colaphizauerunt, purpura induerunt, spinis coronauerunt, flagellauerunt, tādemq; dixerunt: Ascende calue, ascende calue. Quo? In locum caluarię, in crucem Ascēde. Cur enim tantus vir pueris in nomine domini maledixeret, nisi lusum eorum prophetico spiritu intellexisset? Nam quod intellexerit ipsa litera præsens innuit. Cū, inquit, respexisset, vidit eos, & maledixit. Planè vidit eos, & intellexit eos, intellexit in eis pueros futuros, pueros malignos, de quib. iā dictum est. Non ergo maledictio hæc ex amaritudine irascentis, sed ex ratione fuit præuidentis. Hoc iam Heliśei signum tertium fuit. Numeranda quippe sunt, vt palam cōstet illud factum esse, quod petiuit, id est, quod spiritus Heliæ in eo duplex factus sit. Primum ergo signum fuit, quod Heliæ pallio percussit aquas, & diuisæ sunt. Secundum, quòd aquas pessimas sanauit. Tertium, quod pueris tam efficaciter maledixit.

Quod cantante psalte, facta est super Helisæum manus domini, euidens esse documentū, quia non semper aderat spiritus sanctus prophetis, quodq; ad inuocandum spiritū sanctum cū sermone diuinæ laudis, multū valet sonus musicæ dulcedinis.

CAPVT XXIII.

PORrò Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat regi Israel centū milia agnorum, & centum milia arietū cum velleribus suis. Cumq; mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus, &c.) Quartum virtutis opus hæc narratio continet. (Perrexerunt, inquit, rex Israel & rex Iuda, & rex Edom, & circuierunt per viam septem dieb. nec erat aqua exercitui & iumentis, quæ sequebātur eos.) Ac deinceps. (Nunc autem (inquit Helisæus) adducite mihi psalten. Cumq; caneret psaltes, facta est super eum manus domini, & ait. Facite in alueum torrentis huius fossas, & fossas. Hęc enim dicit dominus. Nō videbitis ventum neq; pluuiā, & alueus iste replebitur aquis, insuper tradetur etiam Moab in manu vestra.) Ita factum est. Hic ex vno miraculo viri dei, geminū capimus fructum eruditionis. Primo vt sciamus, quia nō semper spiritus aderat prophetis, prēter vnū prophetam, magnum prophetarum dominum, cui nunquā spiritus defuit, cuius hoc proprium signū fuit. Super quē videris spiri- Ioan. 1.
tum descendentem, & manētem super eum, hic est, qui baptizat in spiritu sancto. Qui enim dixit, nunc adducite mihi psalten, claret quia non habet propheticam gratiam in se manentem, cuius inuocans aduentū per cantum psaltæ se præparat in occursum. Deinde ex hoc discimus, quantum cum diuinæ laudis sermone musicæ dulcedinis sonus ad inuocandum prosit spiritum sanctum. Cū inquit, caneret psaltes, facta est super eum manus domini. Mouet enim intus musica vi quadem & potentia naturali spiritum hominis, & tum decenter cōuenit cum verbo vel sensu diuinæ laudis, concutit penetralia cordis, & illam quam accepit homo resuscitat in eo gratiam spiritus dei. Quod optimè expertus est, & experiens primus psaltes inclytus Psal. 118.
dicit. Os meum aperui, & attraxi spiritum.

Quale in eo mysterium sit, quòd mulier parum olei quod habebat per vacua vasa, effudit, quæ cuncta vsque ad summum repleta sunt.

CAPVT XXIIII.

MVlier autem quædam de vxorib. pro IIII. REphetarum clamabat ad Helisęū, dicēs IIII.

Seruus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit vir timens deum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Cui dixit Helisæus. Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? At illa respondit. Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, nisi parum olei, quo vngar, &c.) Prophetæ dictis mulier obediuit, & ex eo, quod parum olei habebat per vasa vacua effudit, quæ cuncta vsq; ad summum repleta sunt, & ex eorum repletione mulier à creditoris sui debito est soluta. Quid per hanc mulierem, nisi sancta ecclesia designatur, duorum populorum, id est, iudaici & gentilis, quasi duorum filiorũ mater? Quæ prius ex peruerso opere per callidi spiritus persuasionem, quasi quosdam peccati nummos à creditore acceperat, & duos quos in fide genuit, amittere timebat. Sed prophetæ verbis, id est, scripturæ sacræ præceptis obediẽs, ex prauo, quod habebat olei vasa vacua infundit, quia dum, ab vnius ore doctoris, parum quid de amore diuinitatis, multorum vacuæ mentes audiunt exuberãte gratia vnguẽto diuini amoris vsq; ad summum replentur. Etiam nũc multorum, quæ prius fuerant vacua vascula, vnguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod dũ alijs atq; alijs datur, & ab auditoribus fides accipitur, erepta mulier, videlicet sancta ecclesia sub creditoris sui iam debito non tenetur. Quantum hoc spiritus Dei miraculum fuit.

Quale in eo mysterium sit, quòd filium Sunamitis puer ab Helisæo missus cum baculo non suscitauit.

CAPVT XXV.

SExtum continuò succedit. (Facta est quẽdam dies, & transibat Helisæus per Sunã ciuitatem. Erat autem ibi mulier magna, & cæt.) Cum miraculo, simul & mysterium est in eo, quòd filium Sunamitis huius puer ab Helisæo missus cum baculo non suscitauit, per semetipsum verò Helisæus veniens, seq; super mortuum sternens atque ad eius membra se colligens, huc, illucq; deambulans, & in ore mortui septies aspirans, hunc ad rediuiuam lucem protinus per ministerium cõpassionis animauit. Auctor quippe humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorẽ legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per legem quippe Deus virgam tenuerat cum dicebat, Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte timor suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cũ baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante nil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadauer se humiliter sternens ad exequãda sibi mortua membra, se collegit, quia cum in forma Dei esset, non rapinam est arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsũ exinaniuit formam serui accipiens in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Huc illucque deambulat, quia & Iudæam iuxta & longè positas gentes vocat. Super mortuum septies inspirat, quia per apertionem diuini muneris gratiæ septiformis spiritum, in peccati morte iacentib. aspirat. Moxq; viuens erigitur, quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.

Hebr. 7.

Philip. 2.

Quid sit mysticè, quòd eundem quem suscitauit Helisæus eidem mulieri in virtute Dei contulerat filium.

CAPVT XXVI.

SEptimum dicimus hoc Helisæi fuisse miraculum. Sed quid est, quod eundẽ quem suscitauit, eidem mulieri in virtute Dei contulerat filium? Sic enim res gesta est. (Dixitque ad Giezi puerum suum: Loquere ad Sunamiten hanc. Ecce sedulò in omnibus mini strasti nobis. Quid vis vt faciam tibi? Dixitque Giezi, Filium non habet, & vir eius senex est. Præcepit itaque vt vocaret eam. Quæ cum stetisset ad ostium, dixit ad eam. In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium.) Nonne ergo geminum circa Sunamiten hanc factũ est miraculum? Est planè & magnum nihilo minus ad diuinum pertinẽs mysteriũ. Nam quomodo Hælisæus puerum quem suscitaret ipse obtinuit, sic Dei filius genus humanum, quod supradicto modo viuificauit, ipse benedictione sua concipi & nasci fecit. Dixit enim Deus, formatis hominibus primis. Crescite & multiplicamini, & hæc dicendo benedixit. Cæterum multitudinem vitiosum segetis, quæ supra numerum excreuit, non pertinens ad viuificam redemptionem Christi corrupta natura spõtè producit, permittente iusta ira Dei cum post peccatum dicit mulieri. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Est itaq; in vno puero sextũ simul & septimum prophetici spiritus miraculum.

Genes.

De coloquintida, cuius gustũ valde amarũ, Helisæus dulcorauit, quòd hæreticorum doctrina illi similis sit.

CAPVT XXVII.

OCtauum continuò sequitur. (Erat aũt fames in terra, & filij prophetarum habitabãt coram eo. Dixitq; vni de pueris suis, Pone ollam grandem & coque pulmentum filijs prophetarum, & cæt. Mors inquiunt in olla vir Dei.) Spiritualiter quoq; mors in olla est, quoties in scripturarũ constructione, quibus quasi grandi olla reficimur, amaritudo hæretica commiscetur. Nam vitis syluestris, quæ id quod esse videtur, non est, siue coloquintida, quæ similiter vt cucurbita per terram flagella tendit, sed valde amara est, hæretici simulationes innuit, qui speciem quidem habet pietatis, sed virtutem eius abnegauit. Quoties igitur eiusmodi mortẽ sano sermone

2. Tim. 3.

sermone vir catholicus corrigit, profecto Helisæus, id est, Christus, qui in illo loquitur, farinam in ollam mittit, vt non sit amplius quicquam amaritudinis.

Quod de paucis panibus turbam hominum saturauit, cui rei in Christo simile sit.

CAPVT XXVIII.

Matth. 6. Ioan. 6.

NOnum fuit miraculum, in eo, quòd turbam hominum paucis de panibus saturauit, videlicet in typum eius, qui & ipse de paucis panibus multa hominum millia corporaliter saturauit, & nunc vsq; spiritualiter de paucis prophetarum & apostolorum libris vniuersam ecclesiam reficit. (Comedent, inquit, & supererit.) Planè ita facimus, & ita fit, legendo atque exponendo comedimus quantum possumus & multum supersit, quod in intellectus vel memoriæ nostræ ventrẽ transmittere non valeamus.

De lepra Naaman Syri, quæ curata est, lauando in Iordane septies, quòd in facto illo præfigurata sit gratia baptismi, qua gentilis à peccati lepra mundatus est operante spiritu sancto septiformi.

CAPVT XXIX.

IIII. Reg. V.

DEcimum, curatio fuit Naaman Syri. In quo quid mysticè intelligere debeamus dominus innuit, dum dicentibus sibi, quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, respondit. Amen dico vobis, quia nemo propheta, acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, quia multi leprosi erant in Israel, sub Helisæo propheta, & nemo illorum curatus est, nisi Naaman Syrus. Igitur sensum ad intentionem domini sequẽtes, in Naaman, qui de illa patria non erat, nos ipsos, nos inquam gentes rectè intelligamus, qui ab Israel secundum carnem, & à testamẽto Dei alieni eramus. Maximè autem Romanum imperium hic aduertimus. Princeps enim erat Naaman militiæ regis Syriæ. Syria sublimitas interpretatur. Ergo rex Syrię princeps est mundi huius. Sublimus. n. & superbus erat hic mundus. Certum autẽ est, quia sub illo principe Romanum imperium mundo principabatur. Illud igitur in persona Naaman rectè intelligimus. Quod vir magnus erat, quod vir fortis & diues, sed leprosus erat, ad hunc intellectum patenter operatur. Nam reuera magnum erat, forte, & ditissimum erat Romanum imperium, sed leprosum. Magnus leprosus, magna innumerabiliũ errorum lepra coopertus erat. Porrò de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Israel puellam paruulam, quę erat in obsequio vxorum Naaman.) Puella ista, sancta scriptura erat. Porrò latrunculi, Pythagoras, Socrates, Plato, cæteriq́ue fuére philosophi, qui reuera quasi latrocinando captiuã de terra Israel duxerant puellã hãc, furtim lectitando & ad suos erroneos sensus violenter inflectendo, quamlibet sanctę scripturæ particulam, eamq; variæ philosophię quasi vxori Naaman subseruire cogebant. (Quæ ait ad dominam suam, Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria, profectò curasset eum à lepra quam habet.) Benè hæc puella dixit. Si fuisset dominus meus ad prophetam. (Sed rex Syriæ misit illum cum literis ad regem Israel Ioram.) Sic nimirum princeps mundi huius, volentes multos ingredi vel tenere veritatis viam, in prauitatẽ detorsit hæreticam, cuius typum gerebat rex Israel, vt supra diximus, scissus à domo Dauid, & aureis seruiens vitulis. Tandem venit Naaman cum equis, & equitibus, & currib. & stetit ad ostium domus Helisæi. (Misitq; ad eum Helisæus nuncium, dicens, Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Descendit & lauit in Iordane septies, & restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.) Notum est, quia ad leprosum istum, de quo loquimur, non per semetipsum venit Helisæus, sed misit ad eum. Non enim gentibus prædicauit Christus per semetipsum, sed prædicatores suos misit eis, iam assumptus in cœlum. Vade, inquit, & lauare, id est, confitere fidem Christi, & baptizare. Septies lauare, id est, non solum aqua, sed & septiformi spiritu renascere. Descendit & lauit, id est, humiliatus est mundus sub potenti manu Dei, & baptismum in remissionem peccatorum suscepit. Restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, id est, pristinam innocentiam recepit, concorporatus Christo paruulo, id est, humili atque innocenti. Omnes enim (inquit Apostolus) qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Luc. 4.

Galat. 3.

Quod ait Naaman, vt ignoscat mihi Deus pro hac re, si rege innitente super manum, & cætera, quomodo non sit contrariũ sensui apostoli, qui nec recumbere in idolio concedit.

CAPVT XXX.

DIxitque Naaman, Obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorũ burdonum de terra. Non enim faciet seruus tuus vltra holocaustum, aut victimas dijs alienis, nisi domino. Hoc autem solum est, de quo preceris dominum pro seruo tuo, quando ingredietur dominus meus templũ Remmon vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon adorãte eo in eodem loco, vt ignoscat mihi dominus seruo tuo pro hac re. Qui dixit ei, Vade in pace.) Abijt ergo ab eo electo tempore. Vade in pace dixit, & hoc dicto bonæ voluntatis hominem securum reddidit. Apostolus autem dicit, Si viderit quis eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne cõscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est? Ergóne contrarij sibi sunt Apostolus & propheta, dum hic ne saltem recumbere annuit, hic autem etiam adorare in idolio concedit? Non quidem concedit

1. Cor. 8.

propheta

Universidad de Deusto
Biblioteca

propheta adorare Remmon in templo Remmon, sed adorare deum in templo Remmõ, qui cum vbique sit, poterat adorari & in templo Remmon. Attamen plus esse videtur in idolio adorare, quam in idolio recumbere. Num inquam in hac diuersitate sibi sunt contrarij? Non vtique, sed vtrinque veritas, non dissona vim discretionis exigit. Videlicet in hac parte discernimur, atq; discernimus, cum quid eiusmodi agimus vel patimur, si conscientia teste sine grauiori dispendio, id quod in

Act. 6. Galat. 5. currimus euadere non valemus. Ea nempe discretione, & apostolus ipse defenditur, ne iudicetur sibimet esse contrarius, qui & Timotheum circuncidit, & tamen ad Galatas scribens, dicit, Sic circuncidamini, Christus nihil vobis proderit. Denique suomet iudicio Christus ei nihil prodesset, si non vrgente necessitate discipulum circuncidisset. Item sacrificio & incensum Iudæorum, cunctasque

Esaiæ 1. festiuitates eorum odit anima Dei. Sicut per Esaiam dicit, ex quo manus eorum pollutæ

Philip. 1. Act. 21. sunt sanguine Christi. Propter quod & prædictus Apostolus in epistola sua, pro Christo hæc detrimentum facit, & arbitratur vt stercora. At idem in actibus Apostolorum, quid fecit necessitate vrgente? Assumptis viris impendit illis, vt raderent capita, & postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis donec offerretur pro vnoquoq; eorum oblatio. Igitur prophetæ atque Apostoli, immò quod amplius etiam vnius atque eiusdem Apostoli dicta atque exempla non sibi contraria sunt, sed cor datum hominem virtute discretionis vtentem, vtiliter erudiunt, vt sciat quando malorum communionem vel societatem patienter sustinere, quando sapienter

Rom. 10. debeat deuitare. Quam discretionis opem, qui nõ assecuti sunt, temere nimis interdum scandala faciunt, & dissentiones in ecclesia nutriunt, recte dicas, quia æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Sanè quod ait Syrus ille, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorũ burdonũ de terra pro extruendo altari domino Deo Israel, id solicitus obsecrat. Est autem burdo animal magis oneriferum, vtpote ex equo & asina natũ.

Burdo. Abijt ab eo electo tempore, id est, verno tempore, cùm in florem cuncta erumpunt, & anni tempus electum est, vel cum transeuntes per viã carpunt, & eligũt è vicinis agris quod cunque ad manum venerit diuersis floribus inuitati.

Quorum vel qualium in ecclesia typum gesserit Giezi, cui propter cupiditatis culpam lepra Naamam adhæsit. CAPVT XXXI.

DIxitq; Giezi puer viri Dei. Pepercit dominus meus Naamam Syro isti, vt non acciperet ab eo quæ attulit. Viuit dominus, quia curram post eum & accipiam ab eo aliquid &c.) Hoc Helisæi miraculum vndecimum est. Verè in gratia propheti admirandũ quòd corpore absens. Cor meum, inquit, in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tibi, & quod tam efficaciter sententiam dare potuit dicendo: (Sed & lepra Naamam adhærebit tibi. Egressus est enim ab eo leprosus quasi nix.) Et pulchrè miraculum in peccatorem vndecimo loco ponitur, decimo autem illud in quo per emũdationem Syri, iustificatio significatur. Omne enim peccatum vndenarium est, quia dum peruersa agit, præcepta decalogi transit. Vt autem sensum mysticum prosequamur intuendum hoc Giezi exemplum, gratiæ Dei vẽditoribus in hac scripturæ arce propositum est. Omnis quippe, qui gratis dat, quia gratis accepit, qui euangelizando, non quæ sua sunt quærit, sed quę Iesu Christi, ipse est Helisęus. Qui autem lucrum ex euangelio, imò quod pessimum est, ex impositione manuum quærit, ipse est Giezi. Peccata quippe quæ emundare videtur in se transponit, lepram tantorũ susçipit, quantis illo detestabili mercimonio talentum callidus emunxit.

De miraculo quo ferrum de manubrio elapsum redijt, & super aquam natauit, cuius rei typus fuerit.

CAPVT XXXII.

DIxerunt autem filij prophetarum ad Helisæum. Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis. Eamus vsq; Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi domum ad habitandum, &c.) Duodecimum hoc miraculũ est. Mirum quippe fuit, quòd ferrum securis ex manubrio in profundũ Iordanis elapsum, sursum redijt, & super aquam natauit. Mysticè de seruando intelligentiæ dono exemplũ hoc facto datum est. Ferrum quippe in manubrio est donum intellectus in corde. Lignum verò per hoc cædere, est praua agentes increpare. Quòd nonnunquam dum fluxè agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia, non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligẽtia fatuatur. Quam profectò intelligentiam ad hoc electis nouimus dari, vt ante dantis oculos ex bona debeant actione restitui. Vndè & rectè is, qui ferrum amiserat, clamabat. (Heu, heu, heu, domine mi, & hoc ipsum mutuum acceperã) Habent enim hoc electi proprium, vt si quãdo eis in sua conscientia, furtiua vanæ gloriæ culpa subrepit, ad cor velociter redeant. & quicquid in se ante districti iudicis oculos dãnabile inueniunt, lachrymis insequãtur. Qui flentes non solum cautè inspiciunt, quæ mala commiserunt, sed ex accepto munere, quæ reddere etiam bona debuerunt, quia nimirũ tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis, quæ agere poterant, debitores tenentur. Rectè ergo qui ferrum perdidit, clamabat, Heu, heu, heu, & hoc ipsum mutuum acceperam. Ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod vt per

bona opera redderem, ex gratia creditorum accepi. Sed nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Vnde & mox Helisæus veniens, lignum deorsum mittit, & ferrum in superficiem attollit, quia videlicet redemptor noster, piè nos respiciẽs cor peccatorum humiliat, & ei quam amiserat reformat intelligentiã, lignum mergit & releuat, quia cor affligit, & scientiã reparat.

De miraculo, quo Syros cæcitate percussit, & rursum videre fecit, quod nobis quoque in hoc ostensum sit, plures esse nobiscum, quàm cum hostibus salutis nostræ, & quòd erga illos perfectam charitatem exhibuit.

CAPVT XXXIII.

REx autem Syriæ pugnabat contra Israel. Consiliumq; inijt cum seruis suis, dicens: In loco illo, & illo, ponamus insidias. Misit itaq; vir Dei ad regem Israel, dicẽs: Caue ne transeas in loco illo, quia ibi Syri in insidijs sunt, &c.) Tertiumdecimũ fuit hoc miraculũ. (Videns minister vir Dei quos miserat rex Syriæ currus, & equos, & exercitum in circuitu ciuitatis. Heu, heu, heu, inquit, domine mi. Quid faciemus? Ait ille. Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cũ illis. Cumque orasset Helisæus, aperuit dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum, in circuitu Helisæi. Rursum orauit, & hostes cæcitate percussit. Orauit tertio, rursumque apertis oculis viderunt se esse in medio Samariæ.) Et nos dicamus quoties ab inimicis Christi visibilibus seu inuisibilib. circundamur, dicamus, inquam, fidem habẽtes, spem retinentes, charitate deo propinquantes. Noli timere, ô anima, noli timere ecclesia, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Nẽpe si de inuisibili cõtra malignos spiritus certamine agitur, nobiscum est dominus, nobiscum est angelorum exercitus, nobiscum est spiritualis pugnæ princeps, & victoriæ opifex, Spiritus sanctus. Si autem visibile aduersus hæreticos certamen proponitur, nihilominus nobiscum est dominus, nobiscũ est apostolorum chorus, nobiscũ est patriarcharum & prophetarũ numerus, nobiscum est candidatus martyrum exercitus, nobiscũ est cum omni sancta scriptura, sanctus veritatis spiritus. Planè iuxta historiam præsenti loco propheta tali miraculo dignum se fuisse ostendit. Dicente rege Israel. (Nunquid percutiam eos pater mi? Non percuties inquit.) Et continuò. Pone, inquit, panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad dominum suum.) Si igitur eius exemplo equorum, & curruum igneorũ, præsidium circa nos semper paratum esse cupimus, eius nihilominus exemplo carbones ignis super

Rom. 12. capita inimicorũ nostrorũ congeramus. Cũ enim scriptura dixisset: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potũ da illi, continuò subiunxit, Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius, ita videlicet, vt ad pœnitentiã cõpungatur tuo beneficio victꝰ.

De obsidione Samariæ qua iuxta verbum Helisæi modius similæ stat tere vno, & duo modij hordei stat tere vno fuerunt in porta Samariæ.

CAPVT XXXIIII.

FActum est igitur post hæc. Congregauit Benadab rex Syriæ vniuersum exercitum suum, & ascendit & obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria, &c.) Hoc malum supererat de sententia domini, quam dixerat per Heliam contra regẽ Achab propter Benadab, quia dimisisti virũ morte dignũ de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus ꝓ populo illius. Anima illius pro anima huius iam dudum fuerat, pugnando quippe cõtra illum in Ramoth Galaad, sagitta percussus, & mortuus est. Hoc ergo supererat, & pro populo Benadab erit populus Achab. Tandiu. (Obsessa est Samaria donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars capi stercorum columbarum quinq; argenteis) Mulieres eorum pactum miserabile fecerunt. (Da filium tuũ vt comedamus eum hodie, & filium meum comedamus cras.) Hic Helisęus persecutiones sanctorum particeps fuit. (Ait enim rex: Hæc mihi faciat dominus, & hæc addat, Si steterit caput Helisæi filij Saphath super eum hodie. Timuit hic etiam vt Helias, & non quidem fugit, sed dixit: (Nũ quid scitis, quod miserit filius homicidæ huc vt præcidat caput meum? Videte ergo cum venerit nuncius, claudite ostium, & non finatis eum introire. Venit nuncius) furiosus (& dixit: Ecce tantum malum à domino est. Quid amplius expectabo à domino?) Hęc ait blasphemus simul & desperatus. (Dixit autẽ Helisęus. In tempore hoc, cras modius similæ statere vno erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ.) Ad hęc incredulus vnus de ducibus audire meruit. (videbis oculis tuis, & inde non comedes.) Ita factũ est. Et spiritus Helisęi miraculum quartumdecimum fuit. (Siquidẽ dominus sonitũ audiri fecit in castris Syriæ curruũ & equorũ & exercitus plurimi. Fugerũt Syri. Et egressus populus diripuit castra Syriæ.)

De eo quod ait ad Ioas regem Israel, percute iaculo terram, ac deinceps: Nunc autem, inquit, tribus vicibus percuties eam, videlicet Syriam.

CAPVT XXXV.

QVintumdecimũ gratiæ propheticę fuit opus. (Aegrotante Helisæo in infirmitate qua & mortuus est, descendit ad eũ Ioas rex Israel, & flebat corã eo. Et ait Helisæus: Affer arcũ & sagittas.) Ac deinceps: (Percute iaculo terrã. Et cùm percussisset trib. vicibus & stetisset, ait Helisæus. Si percussisses quinquies aut sexies aut septies, percussisses Syriã vsq; ad consummationẽ. Nunc aũt tribus vicibus percuties eam.) Hoc nempe inter Helisæi magnalia suo loco rectè computatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatur, quia non Ioas rex Israel, sed Helisæus meritis suis, percussisse Syriam auctore deo credendus est. Dixerat enim Deus: Et erit quicunq; fugerit gladium Asael, occidet eũ Iehu. Et quicunque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Helisæus. Porrò quomodo Syria effugerit gladium Iehu, iam superius dictum est. 4.Reg.19.

De eo quòd cum tetigisset ossa Helisæi, reuixit mortuus, cuius rei in Christo mysterium sit.

CAPVT XXXVI.

SExtumdecimum idemq; vltimum continuò subditur miraculum. (Mortuus est Helisæus. Latrunculi quoq; de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos & proiecerunt cadauer in sepulchro Helisęi quod cum proiecissent, tetigit ossa Helisæi, & reuixit homo, & stetit super pedes suos.) Magnum in superficie historica miraculum incomparabiliter maius in spiritu significat opus diuinum. Mortuus nempe Helisæus, mysticè Christus est pro nobis passus. Latrũculi de Moab, maligni spiritus sunt, & mundi peccata. Homines qui latrunculos viderunt & mortuũ suum in sepulchro Helisæi proiecerunt, apostoli fuerunt, qui contra dæmones, & contra peccata salutẽ mundi prouiderunt, & mortuũ genus humanum sepulchro Christi. i. aquis baptismi immiserunt. Si quidẽ aqua baptismi, sepulchrũ Christi est, dũ in illa tertio mergimur pro eo, qd Christ' in sepulchro fuit trib. dieb. & tribus noctib. Vndè apostolus: Cõsepulti. n. sumus cũ illo per baptismũ in mortẽ. Quod tetigit mortuũ ossa Helisęi, & reuixit, stetitq; sup pedes suos illud est, q cõtinuò subijcit apostol⁹. Vt quo modo surrexit Christus à mortuis p gloriã patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus Rom.6. Coloss.2.

Cõprobatũ esse ex operibus Helisæi, q in eo spiritus Heliæ duplex sit factus, et Iudæus esse ex hoc, q pia et syncera dixerit intentione: Obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me.

CAPVT XXXVII.

IGitur Helisæus, sicut ipse petiuit spiritũ Helię duplicem in eo factum accepit. Duplicia nanq; hic fecit prodigia. Etenim illius octo fuerunt, huius sedecim magnalia sunt. primum quòd orauit vt nõ pluueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Secundum quòd pauerunt eum corui præcipiente domino vsq; dum siccatus est torrens. Tertium fuit, quòd hydria farinæ non defecit, & lecythus non est imminutus vsq; ad diem, in qua dedit dominus pluuiam super faciem terræ, iuxta verbum eius. Quartũ fuit, quod filium matrisfamilias suscitauit. Quintum fuit, quòd orante illo cecidit ignis de cælo & vorauit holocaustum & ligna & lapides, puluerẽ quoq; & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Sextum fuit, quòd rursus orante illo contenebrati sunt cæli, & nubes & ventus, & facta est pluuia grandis. Septimum fuit, quòd ad verbũ eius descendit ignis de cælo, & deuorabit duos principes quinquagenarios & quinquaginta, qui cũ eis erant. Octauum fuit, quod cum irent ambo pariter, videlicet Helias & Helisæus, tulit Helias pallium suum & inuoluit illud & percussit aquas, quæ diuisæ sunt, in vtranq; partem. Hoc illius vltimum econcerso fuit Helisæi primum. Claret itaq; quã pia & syncera intentione dixit, obsecro vt fiat spiritus tuus duplex in me. Non eget commendatione nostra, quem Deus sic effectu comitante cõmendat. Claret, inquam, quia non suam, sed Dei gloriam quærebat, non semetipsum per opera sua magnificare, sed Deum glorificare volebat, non suimet exaltationem, sed miserabilis populi visitationem quærebat, quem decepit Hieroboam, lacerauerat Amri, captiuauerat Achab, contaminauerat Iezabel. Nec verò quia reges in peruersione perstiterunt, idcirco putandum est, quòd inaniter laborauerint hi duo viri misericordiarum, cõtendendo ne obliuioni traderetur nomẽ domini, in illa abundantia iniquitatum. Nam inaniter quidem se laborare putans, interpellat dominum Helias sed corripuit eum sermo diuinus, reliqua esse dicens septem milia virorum, qui nõ curuassent genua ante Baal. Ergo & in hoc magnum diuinæ pietatis iudicium est, quod in tot mala deuolutum populum, diuinitas per tales viros prosecuta est, quorum iustitię obliuionem non acceperunt. Cum semine eorũ permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter eos vsq; in æternum manent. 3.Reg.19. Gen.44.

De filia Iezabel Athalia, quæ nupserat regi Iudæ Ioram filio Iosaphat, quomodo maternam vesaniam exercuit in Hierusalem & in omni Iuda, & idcirco semen eiusdem Ioram vsque ad quartam generationem de euangelica tollitur memoria.

CAPVT XXXVIII.

INterea fluxus sanguinis secundum nomẽ Iezabel, ex ipsa in Iudam & Hierusalem, & vsq; in interiora templi domini fluere cœperat: Filia quippe Achab & Iezabel, vxor fuit Iorã filij Iosaphat regis Iuda, qui & occidit omnes fratres suos gladio, & quosdã de principibus. Hic ambulauit in vijs regum Israel, sicut egerat domus Achab. Filia quippe Achab (vt iam dictum est) vxor eius erat. Id circo semen eius de generatione Christi filij Dei, vsq; ad quartã generationẽ tollitur, dũ dicitur, Iorã autẽ genuit Oziam, sublatis de medio tribus Ahazia, Ioas & Amasia. Nam quo more Iezabel insaniuerat in Samaria, filia quoq; eius insaniuit in Hierusalem, scilicet Athalia, & in omni Iuda. Ipsa filium suũ Amaziã impulit, vt impie ageret. Quo mortuo per manum Iehu regis Israel surrexit Athalia, & interfecit oẽm stirpẽ regiã domus Ioram. Porrò Iosabeth filia regis, vxor Ioiadę pontificis, tulit Ioas filiũ Ahaziæ & furata est eum de medio filiorũ regis, cũ interficerentur, 4.Reg.1. 4.Reg.9.

rentur, absconditq; eum cum nutrice sua in cubiculo lectorum, domino prouidente, vt non extingueretur lucerna serui sui Dauid. Illum videlicet Ioas Ioiada pontifex anno septimo eduxit cum principibus atq; centurionib. arma tenentib. à dextris, & à sinistris in circuitu regis, & imposuerunt ei diadema dederuntq; in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum regem. Athalia verò interfecta est gladio. At ille videlicet Ioas mala reddidit pro bonis. Nam quandiu quidem vixit Ioiada, fecit quod bonum erat coram domino, postquam autem obijt, dereliquit dominum Deum patrum suorum, seruiuitque lucis & sculptilib. Spiritus autem domini induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi & dixit eis. Hæc dicit dominus: Quare transgredimini præceptũ domini, quod vobis nõ proderit, sed dereliquistis dominum, vt dereliquat vos? Qui congregati aduersus eum, miserũt lapides iuxta regis imperium, in atrijs domus domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat pater illius secum, sed interfecit filiũ eius. Amasias quoque filius eius dereliquit dominum, & minaciter repulit verbum eius, & oppilare nõ metuit ora prophetarum. Cùm enim misisset ad illum dominus prophetam, qui diceret, cur adorastis deos, qui nõ liberauerunt populum suum de manu sua, ille respondit: Nũ consiliarius regis es? Quiesce ne interficiam te. Huic succesit filius eius Ozias, sub quo prophetare cœpit Esaias. 1.Para.24

COMMENTARIORVM IN LIBROS
REGVM FINIS.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN ESAIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Laus Esaiæ prophetæ, quòd sic vniuersa Christi, et ecclesiæ quoque prosequatur mysteria, vt non tam propheta dicendus sit quàm euangelista, & ob quam causam res spirituales rerum terrenarum nominibus siue imaginibus subtexit.

CAPVT I.

Hieronymus in prologo.

OMNIS anima, quæ Christum diligit, Esaię prophetæ aurem libenter apponit, tantoque subiectior appropinquat pedib. illius, quanto fidelius de Christo sentit, qui in illo loquitur. Nam de hoc illud rectè æstimat pietas Christiana, quòd non tam propheta dicendus sit quam euangelsta, ita enim vniuersa Christi ecclesiæq; mysteria, ad liquidum prosequitur, vt nõ eum putes de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Et cũ interdum ad præsentẽ respiciat historiam, & post Babylonię captiuitatẽ reditum populi significet in Iudeã, tamen cum hoc omnis ei cura de vocatione gentium, & de aduentu Christi est. Hoc aũt expediebat, tam in isto, quàm in cęteris prophetis, vt terrenę Hierusalem atq; Babyloniæ, terrenarumq; rerum, aliarumq; nominib. cęlestia sacramenta tegerentur, quatenus per hanc occasionem scriptura sancta de contemptu liberaretur, suoque tempore pro futura venturis in honore seruaretur. Iudæi quippe præsentiũ tantum atq; terrenorũ amatores nimij fuerunt, adeò vt in tota lege nunquam eos digitus Dei, cœlestium promissione ad bene agendum inuitare nunquam pœnarum infernalium comminatione terrere à malis dignatus sit. Terram vbiq; bonam, & fertiles annos promittit, si bene egerint, famem & oppressiones hominum minatur, si malè egerint. Talibus nudo sermone iam cœlestia sacramenta crederentur? Proinde in prophetis quidem manifestius cœlestia prędicantur, sed quasi fugitiuus, vbi quid eorum attingit, cõsestim sub terrenorum nominibus, iterum atq; iterum & sæpissimè se abscondit sermo diuinus. Cũ ergo in cæteris steterimus, tum maximè in isto moras aliquantas iam innectere non grauabimur, exoratum esse cupiẽtes doctorem eius spiritum sanctũ, vt quo sensu per eum locutus est, eodem nobis colligenda Christi filj Dei testimonia reuelare dignetur.

Quòd aduentum Christi circa quem omnis versatur intentio septem recapitulet periochis & cunctas partes aduersas mysticè sub nouem designet regnorũ siue prouinciarum nominibus Babylonis, Moab, Damasci, Aegypti, Duma, Arabiæ, Vallis visionis, Tyri, & iumentorum austri, pœnas impiorum oneris nomine significans.

CAPVT II.

PRimo vt materiam eius quasi breui tabella depingamus, illud dicendũ est, quia Christi aduentum septem recapitulat periochis, circa quem omnis versatur spiritus prophetici intẽtio, quippe quem expectabat hic quem expectabant omnes sancti, ab origine mundi. Prima est, quam cõtra interfectores

eius zelo iusti doloris vehementissimo inuehitur, quàm acerrimè, væ (inquiés) genti peccatrici, populo graui iniquitate. Ac deinceps
Esa. cap. 1. Audite verbum domini, principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. Secunda ab eo, quod ait:
Cap. 5. Cantabo dilecto meo cãticum patruelis mei vineæ suæ. Tertia ab eo qđ ait: In anno quo
Cap. 6. mortuus est rex Ozias, vidi dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum & ea, quæ sub eo erant implebant templum. Quarta ab eo, quod ait. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nepthalim,
Cap. 9. & nouissimo aggrauiata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Quinta ab eo, quòd ait. Et egrederetur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Hinc onera nouẽ continuãtur, onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Aegypti, onus Duma, onus in Arabia, onus vallis visionis, onus Tyri, onus iumentorum austri. Sub istis nominib. vniuersi Christi, & ciuitatis eius cœlestis Hierusalem aduersarij condemnantur, singulisq; onus iudicij grauissimũq; iniquitatis eorum talentum superponitur. Nam ecclesia quam impugnant, decima est. Sub eadem specie in euangelio factum est, &
Lucæ 17. dictum est. Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Vnus iste idemq; decimus, vnius fidei ecclesia est. Denarius quippe numerus, quod melius arithmetici nouerũt, secunda vnitas est. Nouenarius aũt multitudo est, ex opposito vnitatis turba est. Cui si addatur vnum statim fit vnitas, quia sicut iam dictũ est, denarius secunda vnitas est. Sic planè multis & diuersis aduersarijs, si vna inseratur fides, vna fiunt ecclesia. Ad institutionem huius vnius plura deinde propheta locutus, sextã tã dẽ facit recapitulationẽ, dicendo. Cõsurge, consurge, induere fortitudinem brachiũ domini. Septima sic incipit. Surge illuminare
Cap. 51. Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est. Nunc præuio ipso cui intendimus sempiterni luminis, candelabro, templum huius scripturæ ingredimur, non cuncta historica, aut cuncta moralia, quæ in eo continentur, sed sola fidei Christi testimonia scrutantes iuxta quod in toto
Cap. 60. hoc opere propositum habemus.

Visionem prophetæ super Iudam & Hierusalem esse in futurum, quando Iudæi saluatorem venientem spernerent, & crucifigerent, & generationem illam iam dicti gentem peccatricem, populum graui iniquitate, semen nequam, filios sceleratos.

CAPVT III.

CAP. I. VIsio Esaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam & Hierusalem, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum iuda.) Super Iuda (inquit) & Hierusalem vtiq; super Iudam animalem, & super terrenam Hierusalem in malum, nam super Iudam spiritualem, & cœlestem Hierusalem pro parte adhuc mundo peregrinantem, visio hæc reuelatur in bonum, visio prius clausa & signata nunc autẽ aperta, & publico intellectui prædicata. (Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est.) Tanquã diceret. Magni oratoris, magni concionatoris conquæstio ista est, oratoris (inquam) cuius oratio verbum Deus est, cuius concio tota in cœlis, angelorum, & in terra hominum ecclesia est. Idcirco audite cæli, & aurib. percipe terra, vt cum audieritis, quid dominus locutus, quid dominus conquestus est, sitis ad vindictam ô vos cœli desuper ferrei, sis tu ô terra subter ænea. Quid enim dominus locutus est? Quid dominus conquestus est? Quid iniuriarum talis ac tãtus perpessus est? Ait. (Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me) Enutriui (inquam) filios in Abraham, Isaac, & Iacob, benedicẽdo & multiplicando eos, exaltaui in Moyse, in Iosue, & in Dauid, educendo illos mirabiliter de terra Aegypti, diuidendo illis terram in funiculo distributionis, decorando illos regalibus victorijs, regia quoq; ciuitate Dauid, & vnico templo nominis mei. Ipsi autem spreuerunt me, cũ præconijs prophetarũ venientem ad se. Parum est, q; spreuerunt me. Parũ est, quòd prælecto Cęsare, præter eum dixerunt regem non habere se. Insuper & prælecto Barraba latrone, crucifixerunt me. Hoc attoniti auditu cęli, & stupefacta terra, reuerendo indignamini, & incignando reueremini, quia profectò non paruę indignitatis est, quòd ego dominus vester omnia bona feci, & omnia mala recepi. Tantũ hoc est, vt vos ô cæli, iustè humili dolore debeatis confringi, & tu terra pio debeas singultu tota concuti. Dicat aliquis filiorũ eiusmodi. Quid mirũ si spreuimus? Non enim cognouimus. Venisti nimium occultus, qui iuxta promissiones patrum & prophetarũ debueras in cõspectu nostro incedere rex magnus, rex gloriosus. Ad hæc, inquam. (Cognouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.) Bos animal mundum, asinus aũt immundum, vtrũq; tamen animal brutum. Bos ergo Iudæum simplicem, qualis erat Petrus aut Andreas, vterq; piscator, non scriba non legisperitus. Asinus autem simplicem significat gentilem, qualis erat Cornelius. Dicitis (inquit) quia ego veni nimiũ occultus. Vndè ergo bos me possessorem suum, & asinus præsepe meũ cognouit? Vnde, inquam, nisi quia pabulo verbi boni delectat' est, qđ apposui, quòd opera mea bona circa se, vterque persensit? At tu Israel, tu populus meus Hierosolymitanus, qui circa templum residens, cùm pharisæis & pontificibus in lege gloriabaris, talia non amasti. Idcirco non intellexisti, igitur Israel me non cognouit, & populus meus non intellexit, id est, cognoscere &

scere & intelligere noluit. Respondete igitur cœli, loquere terra, & dic. (Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequã, filijs sceleratis.) Væ inquam. i. iudicium æternum, supplicium sempiternũ. Et quare hoc? (Dereliquerunt dominum, blasphemauerunt S. Israel.) Et antequã veniret, dereliquerunt dominum eligendo Baal, &cæt. portenta dæmoniorum, & vbi venit, blasphemauerunt eundem sanctum Israel, dicendo, demonium habet, fabri, & non Dei filius est. (Ab-
Ioan. 8. alienati sunt retrorsum.) Quomodo? Primũ
Ibid. 6. eis oportebat proponi regis sui ius, & edictũ ipsi autem odientes eum. miserunt legationem post eum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Ita abalienati retrorsum, ec-
Lucæ 19. ce pro domino expectant diabolum, pro sancto Israel expectant hominem peccati, filiũ perditionis.

Peccatum illorum non fuisse ex ignorantia, sed ex superbia, inuidia, & idcirco veniam illos non mereri, & hoc esse quod ait: Omne caput languidum, & omne cor mœrens, &c.

CAPVT IIII.

SVper quo percutiam vos vltra adijciẽtes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrẽs, à planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas.) Ac si dicat. Non peccastis per infirmitatem, non errastis per ignorantiam. Si ita esset, scirem vnde vos percutere deberem, inuenirem qua plaga vos castigare possem. Nunc autem in quo percutiã vos vltra, addentes, pręuaricationem addentes, inquam, peccato defensionem peccati? Omne caput languidum, & omne cor mœrens. In capite languido praui operis, tinea designatur exterior, in corde mœrenti, inuidia interior. Hoc ipsum verbis alijs iterat, à planta pedis (inquiens) vsque ad verticem non est in eo sanitas. Planta pedis opus exterius, vertex rationis dignitas intus intelligitur. Cùm ergo quis per malitiam peccat, velut illi, cùm dicerent. In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, cùm scirent, quòd in digito Dei ejiceret dæmonia, rectè dicas, quia à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas. Igitur in quo percutiam vos? Nempe huiusmodi insania non remittitur, neq; in hoc seculo, neque in futuro. (Vulnus (inquit) & liuor, & plaga tumens.) Malum est vulnus, peius liuor, pessimum plaga tumens. Malũ est, (inquam) peccato saltem ad horam vulnerari, peius malo vsu liuescere, pessimum cũ
Matt. 4. tumore superbiæ culpam defendere. Talis
Ioan. 19. vestra insania est. (Non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo.) Volui circunligare, & ad pœnitentiam astringere, dicendo per memetipsum, pœnitentiam agite, & noluistis euangelij ligamenta recipere.
Acto. 2 Effudi de latere meo sanguinem & aquam, medicamentum salutis æternæ, & noluistis accedere. Dedi oleum, id est, spiritus sancti gratiam credentibus in me, ita vt loquerentur omnibus linguis homines idiotæ, & noluistis audire. Quid igitur tadem fiet? (Terra vestra deserta, ciuitates vestræ exustæ igni. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili.) Hoc initium dolorum interim habete. Nam alibi habebitis, sicut prædixi, æternum væ. (Et derelinquetur filia Sion sicut vmbraculum in vinea & sicut tugurium in cucumerario.) Quomodo illud vel illud relinquitur (Videlicet cùm ablatæ fuerint fruges recedente custode, quia non habet vltra qđ seruet, remanet vmbraculum vacuum, remanet neglectum tugurium, quod fecerat sibi propter ardorem solis ac radios declinãdos, & vt inde homines vel bestiolas, quæ insidiari solent natis vicibus abigeret. Ita derelinquetur filia Sion recedentibus pręsidib. templi virtutibus, & erit sicut ciuitas, quæ vastatur, id est, verè vastabitur. Amplius dicam. (Nisi dominus exercituũ reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrhæ similes essemus.) Nõ dicatis, ira hęc est grandis nimis, multitudo malorum nostris maior est meritis, nam nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen, nisi prædestinasset, vt reliquiæ ex nobis saluæ fierent, non obsidione hominum circundaremur, non gladijs Romanorũ interficeremur, non
Gen. 19. captiui in omnes gentes duceremur, sed sicut super Sodomam & Gomorrham pluit sulphur & ignem dominus à domino, ita iustissimè super nos in vindictã sui sanguinis sulphur & ignem pluisset filius dominus à patre domino. Sed si hoc fecisset non superes-
Rom. 11. sent reliquiæ, quæ saluę fierẽt ex nobis, postquam plenitudo gentium subintroierit.

In quo peccatum illorum peccato Sodomorum et Gomorrhæ fuerit simile, vt illud prauidens, meritò diceret: Audite verbum domini.

CAPVT V.

AVdite verbum domini principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei nostri populus Gomorrhæ.) Non dicatis. Quare sicut Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes in pœna essemus. Nam ecce ego dico, ego testificor, quia vos pontifices & Pharisęi, principes Sodomorũ estis, vos populus Hierosolymitanus populus Gomorrhæ estis. Vndè? Nimirum quia sicut illi egerunt, ita & vos egistis. Venit quondam dominus, venit (inquam) in duob. angelis suis dominus Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis, compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum. Ingressisq; domũ fecit conuiuium, coxit azima, & comederunt. Prius aũt quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsq; ad senem, omnis populus simul, vocauerunt q; Loth, & dixerunt ei, Vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos. Nimirũ huic simile, imò & hoc deterius

Universidad de Deusto
Biblioteca

vos feciſtis. Venit dominus; nõ iam in angelis, ſed in propria perſona, venit (inquam) in ciuitatem veſtram, & facta hora veſpertina, in domo cuiuſdam hoſpitio receptus, man-
Ezech.16. ducabat paſcha. Veniſtis vos & miſiſtis miniſtros cum laternis & facibus, & armis, & circundediſtis eum, & expetiſtis ad illudẽdum, crapulati, ebrij, atq; vomentes, ſicut illi Sodomitæ, de quibus iam dictum eſt, quando circundederunt domum Loth, quia veſpera plenum ventrem habuerunt, teſtãte ſcriptura, quia hoc fuit peccatum Sodomorum, ſaturitas panis, & ocium. Ita & vos illa feſtiua, illa paſchali veſpera, ſaturati, & ebrij, dominũ circũdediſtis ad illudendum, ad conſpuendum, ad flagellandum, ad crucifigendum, lẽti tanquam victores, quòd apprehendiſſetis
Pſalm. 68. eum. Vndè & ſpiritus eius in pſalmo querelam depromens. Et in me (inquit) pſallebant qui bibebant vinum. Quid aũt contigit illi peſsimæ turbæ Sodomorum? Clauſerunt viri oſtium, & eos qui erant foris percuſſerunt cæcitate à minimo vſq; ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent. Ita contigit & vobis, ô principes Sodomorũ. Clauſum vobis eſt oſtium ſcripturarum, cæcitate percuſſi eſtis, foris errantes circuitis, & eum inueni
Ioan.10. re non poteſtis, qui dixit, Ego ſum oſtium. O igitur principes Sodomorum, audite verbum domini. O igitur populus Gomorrhæ, auribus percipite legem Dei noſtri. Quod illud ſit verbum domini: Ait.

Sacrificia omnia & feſta Iudæorum Deo eſſe odibilia, & vnicum illi placere baptiſma.

CAPVT VI.

QVo mihi multitudinem victimarũ veſtrarum? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorũ nolui,)&c. Adhuc (inquit) cum ſitis Sodomitæ publici, vos ſacrificatis mihi? Adhuc multitudine victimarum veſtrarum ineſcari me poſſe putatis? Quo mihi hæc? Quid ſanguis vitulorum agnorum, & hircorum mihi conferet? Plenus ſum. Magnum & verum ſacrificium ſuſcepi, & in illo impletus ſum, id eſt, obedientiam ſancti Iſrael, quem blaſphemaſtis, quẽ occidiſtis, cuius ſanguine manus veſtræ plenæ ſunt. Ille me impleuit. Ille ſacerdos mihi ſatisfecit Plenus igitur, quo admittam multitudinem victimarum veſtrarum? Nolo, imò nolui cùm veniretis ante conſpectum meũ. Quod huiuſmodi vobis ſacrificia Moſes ordinauit, non me volente, ſed me permittente fecit: videlicet quia vos talib. in Aegypto ſacrificijs aſſueti ſeruire dijs alienis, non poteratis à conſuetudine arceri. Dico ergo. (Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambuletis in atrijs meis? Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra. (Vltra ſacrificium ſacerdotis mei, cui iuraui & non pœnitebit me, di
Pſal. 109. cens. Tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. Vltra (inquam) huius ſacrificium ne offeratis olidum ſacrificiũ veſtrum. (Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam & ſabbatũ, & feſtiuitates alias non feram. Iniqui ſunt cætus veſtri, calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea.) Olim nolui, attamen tuli. Nunc aũt iã non feram, nam odio profundo odiuit hæc anima mea. (Facta ſunt mihi moleſta.) At ex quo facta ſunt mihi moleſta, ſuſtinui illa per annos quadraginta. Non ſtatim miſi Titum & Veſpaſianum, qui tollerent veſtrũ & locũ & gentem, qui ciuitatem & templũ deſtruerent, ita vt non remaneret lapis ſuper lapidẽ, ſed ſuſtinui per annos quadraginta. (Laboraui ſuſtinens.) Quòd tamdiu ſuiſtinui, labor mihi fuit. Abominabar incenſum veſtrũ oderam neomeniam, & ſabbatum veſtrum: oderat anima mea cœtus veſtros, & ſtercus ſolennitatum veſtrarum. Vim quodammodo faciebam animæ meę, vt quod oderat, ſuſtineret ſaltem quadraginta annis, & hoc faciens laboraui. Veniant tandem Romani, & hunc laborem demant mihi. (Et cum extenderitis manus veſtras.) Subauditur, & foris circundati armis, & intus fame, & ſeditionibus afflicti & conciſi. (Auertam oculos meos à vobis.) Ne compellar condolere & miſereri. (Et cum multiplicaueritis orationem.) Sacrificia certatim offerendo, in templo cruentando, in aſpectu hoſtium, pertinaciam veſtram admirantium. (Non exaudiam. Manus enim veſtrę plenę ſanguine ſunt.) Imple *Matth.27.*
ſtis vobis eas dicẽdo. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Hoc eſt verbum domini. Quæ porrò eſt lex Dei noſtri? (Lauami ni, mundi eſtote. Si forte compuncti aliqui ex vobis dicant ad Petrum, & ad reliquos apoſtolos meos: Quid faciemus, viri fratres, *Act.2.*
ecce dico vobis, Lauamini. Quod eſt dicere. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũm in nomine domini. Itaque lauamini, mundi eſtote, id eſt, baptizamini & nolite rurſus malis operibus munditiam baptiſmatis perdere, & ecce audite ſeptem partes adhibendæ diligentiæ. (Auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite bene facere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo iudicate pupillo, defendite viduam.) Septem itaque modis iſtis contendite mundi permanere, ſeptem (inquam) id eſt, omnibus modis, nam ſeptenario numero ſignificatur vniuerſitas. Et cum feceritis. (Venite & arguite me.) Non enim contemnam, ego dominus vobiſcum iudicium ſubire. Proponite cauſas, prẽmia exigite. Magnum quippe baptizati, & mundati, aduocatũ habetis apud me, cuius lauiſtis vos ſanguine, cuius purificati eſtis fide. Si fuerint peccata veſtra vt coccinũ, quaſi nix dealbabuntur. Et fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erũt.) Coccinũ igneivermiculus coloris eſt ſanguinei. In coccino ergo peccata libidinis, in vermiculo homici-

homicidij ſceIus datur intelligi. Si (inquit) fuerint peccata veſtra, peccata Sodomorũ vt coccinũ, quoniã eſtis principes Sodomorũ, quaſi nix dealbabuntur, iuxta illud in pſal-
Pſal.50. mo. Aſperges me hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuẽ dealbabor. Si fuerint peccata veſtra, peccata homicidarũ quaſi vermiculus, quoniã occidiſtis Chriſtũ, velut lana alba erunt, vt iã nõ appareat ſanguis eius ſuper vos, ſed candidum gratiæ veſtimentũ. Hęc eſt lex dei noſtri, ô populus Gomorrhę Omnem multitudinẽ victimarũ veſtrarum, oẽs ſolennitates veſtras odiuit anima mea, inquit. Solũ hoc eſt, quod volo. Lauamini. (Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.) Si (inquam) volueritis hanc legẽ percipere auribus vt audieritis, vt lauemini, & mundi ſitis, bona terrę viuentiũ comedetis. (Quod ſi nolueritis, & me prouocaueritis ad iracundiã, gladius deuorabit vos.) Gladius (inquam) deuorabit vos, & nunc in præſenti Romanorũ, qui à corporib. ſeparet animas, & alibi gladius malignus, qui animas à deo, & ab omni ſorte iuſtorũ diuidat, ſi me prouocaueritis ad iracundiam. ſi ex eis quos mitto ad vos prophetis, ſapientib. & ſcribis occideritis, flagellaueritis, crucifixeritis, lapidaueritis, & de ciuitate in ciuitatem perſecuti fueritis. (Quia os domini locutum eſt) Quid os Domini locutum eſt? Nimirum quod gladius deuorabit vos, vt veniat ſuper vos oẽs ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſq; ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Hoc locutum
Matth.23. eſt os domini, & hoc interpoſita veritate, firmauit. Amen dico vobis (ait) venient hęc omnia ſuper generationem iſtam.

Peccatum illud maximè ſacerdotum, ſcribarum & phariſæorũ fuiſſe, qui propter traditiones ſuas, traditiones Dei reliquerunt, hinc ꝙ, eſſe quod ait: Argentum tuum verſum eſt, &c.

CAPVT VII.

SCio prænoſcens ô principes Sodomorũ, quia vos hæc verbum domini non audietis, ſcio ô populus Gomorræ, quia vos hanc legem Dei noſtri auribus non percipietis. Dico ergo. (Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.) Ciuitas quondã fidelis, ciuitas Dauid fidelis, quomodo facta eſt meretrix? Quomodo, vt fornicari ſibi vacaret, legitimum virum ſuum occidit. Iuſtitia quõdam, id eſt, nomen domini, iuſtitia inquam, quæ eſt fides per quam ſolam iuſtificatus Abraham, & amicus Dei appellatus eſt habitauit in ea, nunc autem homicidę, interfectores eiuſdem Dei & domini, cui Abrahã credidit, habitauit in ea. O meretrix (Argẽtum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tu-
Matth.15. *Marc.7.* um mixtum eſt aqua.) Reliquiſti enim traditiones Dei propter traditiones hominum. Traditiones Dei argentum ſunt, vinũ ſunt dicentis, non occides, non mœchaberis, dili- *Exod. 60.*
ges dominum Deum tuũ. Traditiones Pha- *Matth. 13.*
riſæorum ſcoria ſunt, aqua ſunt, dicentium. *Marc.7.*
Laua catinum, baptiza vrceum, iuſtitiam autem & fidem derelinquẽtium. Tu argentum Dei, propter ſcoriam phariſæorum perdidiſti, tu vinum Dei aqua cœnoſa corrupiſti. (Principes tui infideles ſocij furum.) Infideles inquam, & ideirco non filij Abrahæ, cuius ſunt filij ſoli fideles. Socij furum: fecerũt *Matth.21.*
enim domum patris ſpeluncam latronum. (Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.) Nõ dico accipiunt munera, quod multorum eſt, ſed diligũt munera, quod homicidarum eſt. Nã idcirco dominũ maximè occiderunt, quia diſputabat cõtra auaritiam ipſorũ. Sequuntur retributiones, ſequuntur (inquã) non præcedunt, in eo quod ſequitur (Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ nõ ingreditur ad eos.) Si iudicarẽt pupillo, cauſam que viduæ defenderent, & tũc ab illis vltro offerentib. aliquid tanquã digni iudices, aut emeriti defenſores acciperent, præcederent retributiones, & hoc non adeò reprehenſibi le eſſet: Nunc aũt ſequuntur retributiones. i. accipiunt à violento certante contra pupillũ, & contra viduam, & pro accepto, iudicium pupilli ſubuertunt, & cauſam viduæ clauſis forib. ſuis, excludunt. Hoc eſt non præcedere, ſed ſequi retributiones. (Propter hoc dominus exercituum fortis Iſrael. Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.) Videlicet, vt gladius deuoret eos, ſicut ſuprà dixi. Non leue eſt, quod dominus exercituũ dicit heu, nõ parui ponderis eſt, qd' fortis Iſrael dicit heu. Grãdis cauſa eſt, magnus dolor eſt, quo afflictus iſte fortis, iſte dominus exercituum dicit heu, nec aliter conſolationem recipit, niſi vindicetur, niſi hoſtes eius deuoret gladius.

Quod pro parte Apoſtolorum ſiue credentium dicat, et excoquã ſcoriam tuam ad purum, & auferam omne ſtannum tuum: pro parte autem non credentium, & erubeſcetis cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, &c.

CAPVT VIII.

NVnc apoſtrophen facit ad ipſam ciuitatem, & pro parte paucorum, qui legem auribus perceperunt, dicens, Lauamini, mũdi eſtote, ita dicit (Et cõuertam manum meã ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & reſtituã iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus. Poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis, Sion in iudicio redimetur, & reducent eã i iuſtitia. Ad te ô Sion conuertam manũ meã, ad operandam ſalutẽ tuam exeram potentiam meã. Nec enim homicidæ, qui habitant in tẽ, potuerunt auertere manum meam, occidendo me. Ad te (inquam) in ipſa morte mea, conuertam manum meam, in eo vt excoquam ſcoriam tuam ad purum, & auferam omne ſtannum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuum scilicet dando tibi remissionemm peccatorum per sanguinem meum. Tunc restituam iudices tuos, id est, Apostolos meos super duodecim sedes ad iudicandum, vt fuerunt prius. Quomodo fuerunt prius? Nō per multitudinem victimarum, non per neomenias & sabbata, non per calendas, aut vllas legis cæremonias, sed per fidem iustificabantur. Non enim aliunde quàm ex fide iustificati sunt Abraham, Isaac & Iacob, iudices tui imò patres & consiliarij tui. In id restituam nunc iudices & cōsiliarios tuos. i. apostolos, nunc consiliarios. i. prædicatores tuos, postea iudices futuros. Non per legem, sed per fidem iudicabo eos. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis. Misso nanq; spiritu sancto de cælo, fortitudine construeris, & in omnes gentes dilataberis, filios tibi per fidem multiplicabis, & vocaberis nomine nouo, ciuitas iusti, qui peccatum non fecit, & moriēdo tua peccata tulit. Vocaberis (inquā) vrbs fidelis, id est, iustificata, non ex operib. legis, sed per fidem eiusdem Iesu Christi. Sion in iudicio redimetur. Audite enim fines terræ, audite hoc edictum gratiæ. Sion quæ absque iudicio vendita fuerat, quæ per mendacium diaboli captiuata fuerat, ecce in iudicio redimetur, in iudicio (inquā) mundi, quo princeps mundi huius eijcietur foras, de possessione sine iudicio rapta. Et reducent eam in iustitia. Quo reducent? In regnum Dei, vndè prius in primis parentib. eiecta fuerat. In qua illuc reducetur iustitia? In iustitia fidei, in regeneratione aquę & spiritus sancti, qua nisi quis renatus fuerit, nō potest videre regnū Dei. Illuc reducent eam iudices sui, cōsiliarij sui, restituti vt prius, restituti sicut antiquitùs. (Et cōteret scelestos & peccatores simul & qui dereliquerunt dominū cōfundentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt, & erubescetis super hortos, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentib. folijs, & velut hortus absq; aqua.) Simul (inquit) conteret scelestos, & peccatores simul principes, & populū, principes Sodomorū, & populū Gomorrhæ. Quis istos conteret, nisi lapis ille, de quo ipse in euangelio, cum proposuisset parabolā de vinea patrisfamilias, nunquam legistis ait, Lapidem quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Nam continuò, & qui ceciderit (inquit) super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit conteret eū. Isti scelesti, isti peccatores, mali agricolæ sūt, qui primum seruos, deinde filium patrisfamilias occiderunt. Nam illa vinea, ista est Sion. Confundentur ergo qui dominū vineæ dereliquerunt, conteret iste lapis scelestos & peccatores, qui ipsum reprobauerunt, & dabitur vinea, dabitur Sion, dabitur regnū Dei genti facienti fructus eius. Cōfundentur aūt isti ab Idolis quibus sacrificauerunt, videlicet ab Idolo suo Beelphegor, cui se sacrificauerūt pasiua libidine, cū vtiq; sint principēs Sodomorū & populus Gomorrhę, vt interim taceā, quòd corporaliter quoq; quoties vacauit eis semper ad Idola defluxere. Et erubescetis (ait) per apostrophē super hortis quos elegeratis. i. super cunctis voluptatib. in quibus luxuriati estis. Non enim in prædicta vinea patrisfamilias operari, sed in hortis vitiorū resolui elegistis. Nā & idcirco filium eius occidistis, dicentes. Nostra erit hæreditas, vt vineam in hortos conuerteretis, sicut in typum vestri? idcirco Achab occidit Naboth, vt de vinea eius faceret sibi hortū olerum. Erubescetis, inquā, cum fueritis velut quercus defluētib. folijs, & velut hortus absque aqua. i. tanto dissimiles, beatæ Sion, redemptę in iudicio & iustitia, quanto dissimilis est pulchrę vineę quercus arida, quāto dissimilis est paradyso domini hortꝰ sine aqua.

De monte domus domini, quòd ipse sit Christus, et quòd remanentibus Iudæis, fluant ad eum omnes gētes, quæ cohortantes dicant ad alterutrum: Venite ascendamus in montem domini, & quādo de Sion exierit lex, & verbum domini de Hierusalem.

CAPVT IX.

CAP. II.

VErbum quod vidit Esaias filius Amos super Iudam & Hierusalem, & erit in nouissimis dieb. præparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur sū per colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent. Venite ascendamus ad montem domini.) &c. Dicebam vobis, lauamini, mūdi estote, quia manus vestræ plenę sunt sanguine, & vobis primū oportebat loqui verbum hoc, sed ecce iā scio prænoscens, quia repelletis illud & indignos vos iudicabitis æternæ vitę. Audite ergo verbum, quod vidit Esaias. Auferetur à vobis regnum Dei, à vobis, inquam, Iudæis, à vobis terreno Iuda, à sanguinea Hierusalem, & dabitur genti, imò gentib. facientib. fructus eius. Nam hoc est quod dicit, Et erit in nouissimis dieb. præparatus mons domus domini in vertice montiū, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum oēs gentes. In nouissimis. i. vsq; ad nouissimos dies, vsq; ad consummationē seculi, erit præparatus mōs domus domini, mons sanctę Sion redemptę, vt superius dixi, mons ecclesiæ fidelis vrbis & ciuitatis iusti. Non erit paruus lapis, qualis ab ædificantib. potuit reprobari, sed qualis postea factus est in caput anguli. Lapis. n. (inquit) Daniel, qui percusserat statuā, factꝰ est mons magnus, & impleuit vniuersam terrā. Iste præparatus erit in vertice montiū, & eleuabitur super colles. In vertice, inquam, mōtium & collium, qui illum diu desideraue-runt, quemadmodum vnus de illis montibus, cùm dixisset filio suo benedicens, benedictiones patris tui confortatæ sunt, subiunxit, donec veniret desiderium collium æternorum. Magni montes, magni patriarchæ, magni prophetæ & Apostoli sunt, colles minores iusti, mediocres electi sunt. Præparabitur & eleuabitur mons iste in vertice illorū montium siue collium, & ita dicetur mons montium, quomodo fundamentum fundamentorum, nam ita domus domini non deorsum fundamentum habet, sed vertex eius fundamentum est. Quomodo erit præparatus? Quomodo fluēt ad eum omnes gentes? Exaltatus à terra omnia trahet ad se, & dicet Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra, euntes docete omnes gentes. Hæc erit via exinde fluent omnes gentes abundanter, plano itinere ibunt populi multi. Nec ire contenti, cohortabuntur alterutrum & dicent. Venite ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob. Ire namque credere est, dicere venite, alios quoque ad credendū inuitare est. Euntes itaque dicent, venite, credentes non cessabunt alios inuitare ad montem domini, & ad domum Dei Iacob, id est, ad altissimum Christum filium Dei, & ad ecclesiam Dei approbantis supplantationem, quæ significata est in Iacob. Nam sicut ille fratrem suum, sic gentes istæ & populi isti supplantabunt populum Iudaicum. Qua spe quo fructu ascendemus, ad montē domini, ad domum Dei? (Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.) Vias suas nos docebit, nos ambulabimus in semitis eius. Illud perfectorum est. Vię nanq; præcepta domini sunt. Semitæ consilia domini sunt. Docebit nos vias suas, dicendo. Non occides, non furtum facies, & his similia. Nos autem non contenti ambulare per vias eius, semitas consilij eius sequemur. V. g. dicentis. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia q̄ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Ergo ille docebit nos quidem vias suas, nos autem ambulabimus in semitis eius, id est, vsque adeo acceptabimus præcepta, vt non recusemus consilia eius. Ita fluent omnes gentes, & ita ibunt populi multi. (Quia de Sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalem.) & cæt. Non ita tunc vt hactenus verbum domini, lex domini coarctabitur vnius vrbis, vnius Iudaici populi angustijs, sed exibit de Sion siue Hierusalem ciuitate, imò fide & vnitate sanctorum patriarcharum & prophetarum, & ibit ad omnes gentes. Nam hoc est, quod subditur. (Et iudicabit gentes, & arguet populos multos) Quod cum iam fieri deberet aperiens exitum legi & verbo suo ipse dominus locutus est. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Nempe prædicare pœnitentiam, id est, iudicare gētes, & de peccatis suis arguere populos multos. Et hoc incipi ab Hierusalem, id plane est, exire verbū domini de Hierusalem. (Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.) Hoc planè facient omnes gentes, sed nō omnes homines. Nec enim sic fluent, nec sic ibunt vt prædictum est omnes homines, sed omnes gentes, id est, de omnibus gentib. mul-ti, & innumerabiles. Qui ex eis ibunt? Qui scilicet ex eis ibunt, vt ascendant ad domum domini, ipsi conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, id est, innocēter viuent, si fieri poterit, quod ex ipsis erit, cum omnibus hominibus pacem habentes, imò & pleriq; licitis quoq; bellis absti-neb it deponent vltro iustæ quoq; militiæ cingulum, vrbibus atq; castellis solitudines atque cœnobia prę optabunt. (Nō leuabit gens cōtra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.) Vt de cęteris taceam, & hoc facient cohortes & legiones martyrum. Arma tenentes, & contra hostes patriæ pugnare parati, pro semetipsis non pugnabunt, sed tanto ardebunt desiderio ascendendi in mōtem domini, & ad domū Dei Iacob, vt proiectis gladijs, ceruices suas lęti subijciant ictibus persecutorum. (Domus Iacob venite & ambulemus in lumine domini Dei nostri.) &c. Hæc bona pars erit dictionis eorum. Ascendentes dicēt sibi inuicem omnes gentes, venite ascendamus, venite ascendamus, dicent nihilominus inimicis suis Iudæis salutē ipsorum odientib. & propter odium ipsorū socia fide ascendere nolentib. O domus Iacob, ô Iudęi, ex quibus nobis salus venit, cur propter nos deorsum remanetis in tenebris? Cur propter nos in vobis cæcitas contigit? Venite, venite, pariter ambulemus in lumine domini Dei nostri.

Cur Iudæos dominus proiecerit vt hic ait: Proiecisti enim populum tuum domum Iacob: & quid mali euenturum prædicat illi domui Iacob, pro eo quod nō vult ascendere in ipsum montem.

CAPVT X.

PRoiecisti enim populū tuum, domum Iacob, quia repleti sunt vt olim, & augures habuerunt vt Philistijm, & pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius. Et repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eius Idolis. Opus manuum suarum adorauerunt, qđ fecerunt digiti eorum, & incuruauit se homo & humiliatus est vir. Ne ergo dimittas eis.) Dicetur ab omnib gentib & à multis populis ascendentibus ad montem domini, dicetur inquā, importunè domui Iacob. Venite ambulemus in lumine domini Dei nostri. At illa domus Iacob, aures suas obturabit vt non audiat, comprimet oculos suos ne videat, detestabitur hunc mōtem, maledicet hoc lumen. Quare? Proiecisti hunc populū quondam tuum. Proiecisti hanc domum Iacob. Quare proiecisti domine Deus? Quia repleti sunt vt olim. Quod est dicere. Quia sicut olim, quando fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerūt sculptile, comederuntq; & bibe-runt &

Matth. 19.
1 Pet. 2.
Rom. 3.
Ioan. 3.
Matth. 21.
Psal. 117.
Matth. 21.
4. Reg. 21.
Act. 13.
Matth. 21.
Dan. 2.
Gen. 49.
Ioan. 12.
Matt. 28.
Gen. 27.
Mat. 19.
Luc. 14.
Rom. 12.
Psal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt & surrexerunt ludere,ita & nunc repleti sunt duplici fornicatione.Nam sicut Philistijm,id est,alienigenæ,augures habuerunt penè omni tempore,& pueris alienis adhæserunt fornicando contra naturam principes Sodomorum & populus Gomorrhæ. Propter hæc,quæ peccauerunt,ex quo vitulũ fecerunt,proiecisti eos nunc, & induraſti cor
Exod. 32. eorum.Dixisti enim. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.Si visitare habebas peccatum illud,quod tunc vitulum fecerunt,nõ est quod postea tot augures habuerunt,quod toties idolis seruierunt quod toties auro & argento repleti,sitientes iustitiam vendiderũt, qđ deniq; toties in equis & quadrigis superbierunt, quod toties opus manuum suarũ adorauerunt,quod certe non iam vnũ,sed duos aureos vitulos à tẽpore Ieroboã coluerunt, quod insuper Baal & cætera portenta deorũ adorauerunt. Ne ergo dimittas eis, cõcedendũ quippe est iustis iudicijs tuis.Quid ergo ô miserabilis domus Iacob quoniã tu nõ vis ascendere in iustum montẽ domini?(Ingredere in petram, abscondere fossa humo,à facie timoris domini,& à gloria maiestatis eius.) Videlicet circundante te terribili Romanorum exercitu. Nempe in hoc me veracem prophetã esse, ipse confirmat dicens: Filiæ Hierusalem no-
Luce 23. lite flere super me, sed super vosipsos flete,& super filios vestros.Quia ecce venient dies in quibus dicent. Beatæ steriles & ventres,quæ non genuerunt,& vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montib. cadite super nos,& collibus,operite nos.Ergo ingredere in petram,abscondere fossa humo,id est,opta tibi scindi petras,& dehiscere terram,vt possis abscondi à facie timoris domini,& à gloria maiestatis eius, quando iam victor,gloria & honore coronatus, quæreret iratus:missis apparitorib. visibilib. atq; inuisibilib.visibilibus quidẽ Romanis,qui occidãt corpora,inuisibilib.aũt.i.malignis spiritibus,qui tollant animas,detrahendas vsq; ad inferni nouissima.(Oculi sublimis hominis humiliati sunt,& incuruabitur altitudo virorum.Exaltabitur aũt dominus solus,in die illa,quia dies domini exercituum super omnem arrogantem, & humiliabitur, &c.)
Ioan.8. Quis.n.iste est sublimis homo, quis iste su-
Ioan.9. perbus,excelsus, arrogãs, nisi tu qui dicis semen Abrahę sumus,nos ex fornicatione nõ sumus nati,vnum patrem habemus Deum, & nos Moysi discipuli sumus?Nempe hęc & his similia dicere in despectũ supradicti mõtis domini magna sublimitas est,mira superbia,mira celsitudo,mira arrogãtia. Humiliabitur ergo omnis eiusmodi arrogans,omnis cedrus Libani sublimis & erecta, id est, omnis sacerdos & populus confidens in illo Li-
Zach. 11. bano,id est,pulchro templo,cui alias dicitur Aperi Libane portas tuas.Humiliabitur igitur,& omnis quercus Basan, & omnis mons excelsus,& omnis collis eleuatus, & omnis turris excelsa,& omnis murus munitus, id est,omnis siue plebeius sit,siue princeps,qui cum per naturam sit homo,magis tamẽ propter superbiam talibus rectè denotatur nominib. Humiliabũtur & omnes naues Thrasis,id est,omnes diuites negociantes in nauibus suis,quia superbientes in diuitijs, egenũ & pauperem crucifixerunt Christum filium Dei.Super hoc enim & super omne,quod visu pulchrum est,erit illa dies domini, illa reuelatio iræ domini,& incuruabitur sublimitas hominum,&c.

Quod ait: Quiescite ab homine cuius spiritus,etc. quòd Christus sit altissimus, & quod resurrexerit veraciter,si spiritus in naribus eius est.

CAPVT XI.

QViescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius.) Quia excelsus reputatus est ipse, ergo inquam sic humiliandi sic incuruandi, quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius. Quis enim ille est, nisi hic quem occidistis,cuius spiritum de naribus eius eiecistis,licet ille quando voluit spiritum de narib. suis emiserit? Ab isto quiescite,nam ecce spiritus eius in narib.eius est. Resurrexit spiritus eius, narib.eius recuperatus est. Ascendit in cælum, & excelsus.i. altissimus reputatus est, nam ecce ad dexteram dei patris sedet.Quiescite, os vestrũ cõtinete,linguam vestram nolite eijcere, nolite blasphemare.Quod si dicitis.Quiescite ab homine,cuius spiritus in narib.eius est.i.nolite credere in eum,qui similiter spirat, vt cęteri homines,contra vestram intentionẽ loquimini infelices,nam si spiritus eius in naribus eius est,resurrexit sicut dictũ est,& inde excelsus reputatus est. Quiescite igitur volẽ *CAP. III.*
tes,alioquin quiescetis nolentes.(Ecce enim dominator dominus Deus exercituum, auferet ab Hierusalem & à Iuda validũ & fortem & omne robur panis,& omne robur aquæ,& fortem & virum bellatorem iudicẽ & prophetam,& hariolũ, & senem principẽ super quinquaginta,& honorabilem vultu, &c.Legent qui volent vestrę calamitatis tragœdiam,& me veracem in omnibus his cõprobabunt esse prophetam.

Quòd ille de quo ait: Apprehendet vir fratrẽ suum domesticum patris sui, Moyses sit. de quo dicitur: Nos discipuli sumus Moysi,& quomodo ille econtrario dicat: Non sum medicus, & non est in domo mea panis,&cæt.

CAPVT XII.

APprehẽdet enim vir fratrem suum,domesticum patris sui,& dicet, Vestimentum tibi est? Princeps esto noster, ruina autẽ hæc sub manu tua. Respondebit in die illa dicens:Non sum medicus, & in domo mea nõ est panis, neq; vestimentum. Nolite me constituere principem populi.) Tanta quippe erit raritas hominum, & maximè omnium penuria rerum, vt qui cibum & vestimentũ habuerit,

habuerit,potens & diues & inclytus esse credatur,miseriamq;ac calamitatem cõmunem sustentare & protegere videatur sua posse potentia.Altius autem quod ad rem magis attinere videtur,vir,id est,Iudaicus populus qui dominum suum crucifigere est ausus,apprehendet fratrem suum, domesticum patris sui,id est,Moysen, non Deum aut dominum,sed fratrem & comparem suum domesticum,non etiam dominum Abrahæ patris
Ioan.9. sui.Illum apprehẽdet,in illo sperabit,sed fru-
Ioan.5. stra id faciet, dicendo, Nos discipuli sumus Moysi.Frustra inquam illum apprehendet, & in illo sperabit. dictum enim est, Est qui accusat vos Moyses,in quo vos speratis. Ille itaq; respondens,non est ita,inquit. Nõ sum medicus,in domo mea non est panis, neque vestimentum. Abite adulatores importuni, nolite adulari mihi,dicendo,nos discipuli sumus Moysi,& crucifigẽdo dominum & magistrum Moysi. Abite ruinosi, non ero princeps vester,ruina vestra non erit sub manu mea.Non ego sum medicus,qui mederi possim ruinæ, qua corruistis exterius, qua corruistis interius.Ille medicus erat, immò est, quem vos blasphemastis , quem vos occidistis malefortes frenetici. Quid dicitis vestimentum tibi est?An quia legislatio mihi credita est?Plane nõ vestimentum, imò neque panis,neq; vestimentum in domo mea est. Vestimentum in domo illius est, cuius digito lex contexta est.Panis in domo illius est, cuius angelorum visio cibus est.Quare sic ille respõdebit, dicetq;, nolite me constituere principem populi? Nimirum propter scelus eiusdem populi.(Ruit enim Hierusalem, & Iudas concidit,quia lingua eorum,& adinuẽtiones eorum contra dominum,vt prouocarẽt oculos maiestatis eius.) Idcirco ruit Hierusalem,& Iudas concidit,quia contra dominum blasphemauerunt atq; dixerunt. Tolle
Ioan.19. tolle,crucifige crucifige talem non habemus regem,nisi Cæsarem,& clementissimũ Deũ furore linguæ suæ ad amaritudinem prouocârunt. (Agnitio vultus eorum, respondebit eis,& peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt,nec absconderunt.)Quid est agnitio vultus eorum,nisi cęcitas mentis eorũ? Reuera illa respondebit,id est,meritò conti git eis.Quare? Quia peccatum suum sicut Sodoma prędicauerũt,nec absconderunt.Quomodo Sodomitæ communi libertate peccãtes,& ne pudorem quidem vllum habentes
Gen.19. in scelere dixerunt ad Loth. Educ foras viros,vt abutamur eis, sic & illi publicè proclamantes, suum prædicauerunt peccatum, nec vllam in blasphemando habuere verecũdiã.Idcirco quomodo illis agnitio vultus eorum respondet, vt percussi cæcitate. à minimo vsq; ad maximum, non possent inuenire ostium,sic istis & agnitio vultus sui respondit,vt velamen malitiæ super cor habẽ-
Ioan.10. tes,eum inuenire non possent,qui dicit, Ego sum ostium.(Væ animæ eorum,quia reddita sunt eis mala.Dicite iusto,quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.) Vos qui auditis & intelligitis hęc laudate iudicium Dei, quoniam mala iuste reddidit eis,iusto faueto, quem illi blasphemauerunt & condemnauerunt iniuste, & dicite,quoniam fecit omnia benè, quoniã fructum adinuentionum suarũ comedet. Hoc dicite iusto, vt & vobis æqua vice faueat iustus,vt quàm diu ille comedet, vos quoq; edatis & bibatis super mensam eius, in regno *Lucæ 22.*
eius.Econtrario.(Væ impio in malum,retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis.) Qui exactores ipsi & mulieres?Exactores propter rapacitatem mulieres propter passiuam & Sodomiticã libidinem.Exactores isti,mulieres istæ,scribę & Pharisęi fuerunt,qui turpis lucri gratia,vt acciperent decimas,& primitias vnde libidines suas explerent, populo persuaserunt vt crucifigerent dei filium.Hoc faciendo nimirum omni gloria populum spoliauerunt, & nudum inter hostes cõstituerunt. Adhuc autem captiuum populum beatum dicunt,pro Christo promittentes Antichristum.Sequitur ergo.(Populemeus,qui te beatum dicũt ipsi te decipiunt,& viam gressuum tuorum dissipant.)Idcirco continuò dicit.

Quod dominus de quo ait: Stat ad iudicandum, Christus Iesus sit,de quo Stephanus: Ecce (inquit) video cælos apertos,&cæt.& quod iudicij eius iam fuerit actus quo decaluatus est vertex filiarum Sion Romanis deuastantibus.

CAPVT XIII.

STat ad iudicandum dominus,& stat ad iudicandos populos. Dominus, qui ascẽdit in cælum,qui sedet ad dexterã Dei, ipse stat ad iudicandũ. Nam hoc & protomartyr Stephanus testatur,cum dicit: Video cælos aper-
Actor.7. tos,& filium hominis stantem à dextris Dei. Cùm hæc diceret,iam ille stabat ad iudicandum,& iudicium imminebat illi cõsilio malignantium. Vnde sequitur adhuc (Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi & principibus eius.)Id est,contra seniores populi sui & principes eius.Quare?(Vos enim(inquit)depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra.) Hinc ergo cõtra vos litem propono,hinc ego iudicium exigo.O seniores populi mei,o principes populi mei. Vos vineã meam depasti estis, vos quod amplius est, rapinam pauperis in domum vestram comportastis. Nonne lex dicit,ingressus vineam proximi tui, comede *Deu.23.*
vuas quantum tibi placuerit,foras autem ne *Matt.21.*
efferas tecum? At vos vineã meam ingressi, ad agricolandũ missos à me seruos meos vt fructus afferrẽt,interfecistis,vt solivineã meam depascerem ini.Parũ hoc fuit,misi ad vos vnicũ filium meũ,egenũ & pauperẽ,& dixistis.Hic est hęres,occidam eũ,& nostra erit hæredi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreditas. Ergo rapina pauperis in domo ve
ſtra, pauperem enim occidiſtis, vt veſtra eſ-
ſet hæreditas. Quare atteritis populum meũ
& facies pauperem commolitis, dicit domi-
nus exercituum, &cæ.) O duri vindemiato-
Mich. 3. res, quo modo vineam meam depaſcimini at
terendo & commoliendo facies pauperum?
Videlicet niſi quid dederint in os veſtrum,
ſanctificatis ſuper eos bellum. Pauperes de-
linquentes publicè arguitis atq; confunditis,
diuitibus autem maiora peccantib. ne quic-
quam quidem facitis. Idcirco pauperem oc-
cidiſtis, vt vineam eius vſurparetis, vt pau-
perum ſpolijs tam atrociter abuteremini. Id
circo iam nunc audite ſententiam domini, ô
mulieres dominantes populi eius, vt ſupra
dixit. Nec. n. pro viris ille vos computare di
gnatur, ſed pro mulierib. quoniam fluitis vo
luptatibus, & propter voluptates explendas,
ſic auarè rapitis, vt nihil ſit intolerabilius.
Audite ergo mulieres dominãtes, mulieres
luxu pariter, & ſanguine fluentes. Et dixit
dominus: (Pro eo, quòd eleuatæ ſunt filiæ
Sion, & ambulauerunt extento collo, & nu-
tibus oculorũ ibant & plaudebant, ambula-
bant, & pedibus ſuis compoſito gradu ince-
debant, decaluabit dominus vertice filiarũ
Sion, & dominus crinem earũ nudabit. &c.)
Quid enim ô auditores, ô totius mundi ſe-
natores, quid impudentius iſtis filiab. Sion,
filiabus, inquam, id eſt, non viris, quod eſſe
debuerant, ſed fluxis mulieribus? Eleuantur
Matth. 23. ſedentes ſuper cathedram Moyſi, & ambu-
lant extento collo, accipiẽtes ſalutationes in
foro, & amantes vocari ab hominib. rabbi,
& nutibus oculorum eunt, & plaudunt ſem-
per geſtientes ad adulterium & inceſtum,
vtpote principes Sodomorum ambulant, &
pedibus ſuis compoſito gradu incedunt, hy
pocritæ dilatantes phylacteria ſua, & magni
ficantes fimbrias, ita vt rectè dicasur eis. Vę
vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui ſimi
les eſtis ſepulcris dealbatis, quæ à foris parẽt
hominib. ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſsi
bus mortuorũ & omni ſpurcitia. Sic & vos à
foris quidem paretis hominibus iuſti, intus
autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Nõ
ne ergo iuſtiſsimè decaluabimus verticem,
& nudabimus crinem talium filiarum, taliũ
mulierc ularum? Quomodo decaluabuntur?
Vt perſpicua ſit omni mundo tinea hypocri
tarum, auferemus eis pulchrũ templum, prę
ſides templi virtutes migrabunt, & nudas
conſtituemus eas inter gladios Romanorũ.
(In die illa auferet dominus ornatũ calciamẽ
torũ, & lunulas, & torques, & monilia, & ar-
millas, & mitras, & diſcriminalia, periſcheli-
des, & murenulas, & olfactoriola, & inaures
& annulos, & gemmas in fronte pendẽtes &
mutatorias, & pallia, linteamina, & arcus, &
ſpecula, & ſyndones, & vittas, & theriſtra.)
Quid enim hæc faciunt, ſuperducta corpori
bus mulierc ularum, niſi quòd tela concupi-
ſcentiæ, viris inijciunt per feneſtras oculorũ?
Sic nimirum qui quid ſcribæ & phariſæi fa-
ciunt circa ſemetipſos, & circa ſplendidum
templi cultũ, ad nihil aliud valet, niſi ad ſub-
uerſionem intuentiũ. Auferet igitur illa do-
minus quæcunque per prædicta mulierum
ornamenta, rectè ſignantur, ne diutius ſcan-
dalum faciant aſpicientib. Nam reuera ſi per
manſiſſent eiuſmodi filiæ Sion cum omni ci
uitatis & templi ornatu, ſcandalum non mi-
nimum fieret multis in Chriſtum credenti-
bus. Proinde decaluatis illis atq; nudatis. (E-
rit (inquit) pro ſuaui odore fœtor, & pro
Zona funiculus, &c.) Quantum enim prius
fama Synagogæ ſuauis erat, tanto & ampli-
us nunc fœtet, vniuerſa terra odorem eius
peſsimum percipiente, pro Zona vel ſingulo
ſacro Aaron potificis magni, longum in capi
te accepit funiculum captiuitatis. Tandem
ita concludit. (Et deſolata in terra ſedebit.)
Scilicet vt quod prius faciebat, iam nullũ ad
appetitum ſui ſynagoga meretrix allicere
poſsit.

*Quod ſeptem mulieres illæ ſint dona ſpiritus ſan-
cti, requieſcentes ſuper vnum Chriſtum.*

CAPVT XIIII. *CA. IIII.*

ET apprehendent ſeptem mulieres virũ
vnum in die illa dicentes: Panem noſtrũ
comedemus, & veſtimentis noſtris operie-
mur, tantummodo inuocetur nomen tuum
ſuper nos, auferopprobrium noſtrum.) Se-
ptem mulieres, ſeptem gratiæ ſpiritus domi-
ni intelliguntur, id eſt, ſpiritus ſapientiæ &
intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis,
ſpiritus ſcientię & pietatis, & ſpiritus timoris
domini. Iſtæ appræhendent virum vnum,
dominum Ieſum Chriſtum, quem multo tẽ
pore deſiderauerant, quia nullum alium po-
tuerunt inuenire, in quo æterna ſtatione re-
quieſcerent. Verũ hic intellectus in parte de
ficit. Quomodo. n. dicant ſeptẽ Dei ſpiritus
panem noſtũ comedemus, & veſtimẽtis no-
ſtris operiemur? Aliter. Et apprehendẽt ſe-
ptem mulieres virũ vnũ, vt ſupra. Quod eſt
dicere. Filię Sion, vt prędictum eſt, mulieres
quæ ſpoliauerunt populũ meũ, & dominatę
ſunt eis, dominũ vineę occiderunt, vt licen-
tius vineã eius depaſcerentur, idcirco decal-
uabuntur, idcirco nudabuntur, & cõſurgent
in iudicio aduerſus eas ſeptem mulieres. i. o-
mnes gentes omniũ eccleſiæ gentium, quarũ
vniuerſitas & in Apocalypſi ſub ſeptenario
numero intelligitur. Surgent, inquam, in iu-
dicio aduerſus iſtam filiorum Sion genera-
tionem malam & adulteram, & condemna-
bunt eam. Quomodo? Apprehẽdendo virũ
vnum, virum nõ alium, quàm iſtum, quem
illæ occiderũt, quem de vinea ſua eiecerunt
foras & interfecerunt. Virum iſtum appre-
hendent in ſanguine ſuo relictum, & eo ma-
gis dilectũ. Panẽ, inquiunt, comedemus, &c.
Ac ſi dicant. Filię meretricis huius, cui tu pa-
nem tuum dediſti, quam tu veſtimentis tuis
operuiſti,

Eſaiæ 11.

Alia expõ.

Luc. 11.

Matth. 12.

Apo. 2. 3. 15

operuiſti, te occiderunt, & adhuc blaſphe-
mare non deſinunt. Veni ad nos, & hoc tan-
tum dignare, vt inuocetur nomen tuum.
Non panem tuum quærimus, noñ à te veſti-
menta exigimus, illa meretrix panem non
habebat, veſtimẽtis indigebat. Nullas enim
terras habebat, in Aegypto ſeruiebat, dæ-
monum & Aegyptiorum libidini ſubiecta
erat. Tu illam redemiſti, tu illam per mag-
nalia liberaſti virtutis tuæ, tu illam manna
cibaſti, tu deinde terram illi, tu regiones gen
tium & labores populorum, vndè panem ſi
bi & veſtimentum acciperet, dediſti. Cũ hęc
feceris, illa te eiecit, illa te occidit. Mala tibi
pro bonis retribuit, nos econtra panem no-
ſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris o-
periemur. Nõ quærimus vt propter nos gen
tes illæ occidantur, quarum terram optimã,
terram lacte & melle manantẽ obtineamus.
Sed quid? Tantummodo inuocetur nomen
tuum ſuper nos, vt dicamur & ſimus vxo-
res tuæ & eccleſiæ tuæ, & hoc modo auſer
opprobrium noſtrum, vt iam non dicamur
Ephe. 2. aut ſimus quod dicebamur & eramus, ſcili-
cet alienæ à conuerſatione Iſrael, & hoſpites
teſtamentorum promiſsionis ſpem non ha-
bentes, & ſine Deo in hoc mundo.

*Quòd extunc omnibus credentibus peccata remittã-
tur gratia ſpiritus ſancti, quemadmodum dicit: Si ab
luerit dominus ſordes filiarum Sion, &c.*

CAPVT XV.

IN die illa erit germen domini in magnifi
centia & gloria, & fructus terrę ſublimis,
& exultatio his qui ſaluati fuerint de Iſrael.)
Erit (inquit) germen domini magnificum &
glorioſum, de illa gratioſa & vniformi copu
la ſeptem mulierum, de vnica fide multarũ
in toto orbe eccleſiarum. Et erit fructus ter
ræ ſublimis, tantæ videlicet homines perfe-
ctionis, vt cùm adhuc pro conditione mor-
talitatis terra ſint, pro magnitudine ſapien-
tiæ ſupernæ cæli ſint, ſitq; iam eorum cõuer
Philip. 3. ſatio in cælis. Et erit exultatio his qui ſaluati
Act. 4. fuerint de Iſrael, exultabunt enim Apoſtoli,
videntes quanta per eos Deus in gentib. ope
ratus eſt. (Et erit, omnis qui relictus fuerit in
Sion, & reſiduus in Hieruſalem, ſanctus vo
cabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita Hieru
ſalem.) Subauditur cum plenitudo gentium
ſubintrauerit, nam tunc demum reliquię ſal
uæ fient. Omnis (inquit) qui ſcriptus eſt in
vita in Hieruſalem, id eſt, quotquot præor-
dinati ſunt ad vitam æternã. Quomodo au-
tem ſanctus vocabitur, aut erit? Ait. (Si ab-
luerit dominus ſordes filiarum Sion, & ſan-
guinem eius lauerit de medio eius, in ſpiritu
iudicij & ſpiritu ardoris.) Hæc nempe vnica
ſignificationis regula eſt, vndè & ſupra di-
xi. Lauamini, mundi eſtote, præmiſſo quod
manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Sanguis
ille non aliter emundari poterit, niſi abluen
te domino in ſpiritu iudicij & ſpiritu ardo-
ris, id eſt, in igne ſpiritus ſancti cum lauacro
aquæ viſibilis. Ille vnus idemq; ſpiritus, ſpi-
ritus iudicij eſt, & ſpiritus ardori. Iudicij, in
quam, id eſt, diſcretionis, quia fidelem ab in
fideli diſcernens, remiſsionem peccatorum
per fidem tribuit. Ardoris autem, quia pur-
gatum à peccatis hominem, deinde boni ze-
li igne accendit. (Et creabit dominus ſuper
omnem locum montis Sion, & vbi inuoca-
tus eſt, nubem per diem, & fumum & ſplen *Exo. 13.*
dorem ignis flammantis in nocte.) Tunc e-
nim reddetur populo felicitas priſtina, quã
aliquando habuere in eremo, præcedẽte eos
domino per diem in columna nubis, & per
noctem in columna ignis, vt nec in proſpe-
ris, nec in aduerſis aliquando turbentur, iu-
xta quod in pſalmo dicitur. Per diem ſol nõ *Pſal. 120.*
vret te, neque luna per noctem. Fumus au-
tem hic, non errorem vel ignorantiam ſigni
ficat, ſequitur enim, & ſplendorem ignis flã-
mantis. Ergo fumus quem creare decebat
Deum, lachrymoſa erit compunctio pecca-
torum pœnitentiam agentium, quam ordi-
ne ſequitur lucidum regni Dei deſiderium.
(Super omnem enim gloriam protectio &
tabernaculum erit in vmbraculum diei ab
æſtu, in ſecuritatem & abſconſionem à turbi
ne & à pluuia.) Qui poſt pœnitentiæ lachry
moſæ fumum creaturam ignis flammantis,
id eſt, ſplẽdidi deſiderij cõſequi meruerit, vt
delectet eum contemplari gaudia patriæ cę-
leſtis, talis promiſsio glorioſa eſt illi. Prote-
ctio, inquit, & tabernaculum erit ſuper om-
nem gloriam. Verè enim qui guſtauit con-
templãdo beatitudinem futuri ſeculi, ſuper
omnem computat gloriam mũdi vacare, &
in ſecreto abſcondi ab æſtu atq; à turbine, &
à pluuia prę ſentis ſeculi, vt cum pſalmiſta di
cere poſsit. Quoniam abſcondit me in taber
naculo ſuo, in die malorum protexit me in *Cant. 5.*
abſcondito tabernaculi ſui. Et in Canticis. *Pſalm. 29.*
Ego dormio, & cor meum vigilat. Nempè *Phuip. 3.*
qui ſic abſcõditus dormit, ſuper omnem re-
gum gloriã glorificatus eſt, cum dicere poſ-
ſit, noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.

*Quod cantico iſto ſecũda perioches ſit paſsionis Chri
ſti, & quod ſecundum illud canticum dominus illam
parabolã dixerit: Homo erat pater familias, qui plan
tauit vineam.*

CAPVT XVI.

CAntabo dilecto meo canticum patrue- *CAP. V.*
lis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dile-
cto meo in cornu filio olei. Et ſepiuit eam,
& cætera.) Canticum hoc, ſecũdæ perioches
initium eſt. Quòd in initio dixerat, filios ge-
nui & exaltaui, ipſi autẽ ſpreuerunt me, hoc
iſtud canticum in parabola vineæ latius oſtẽ
dit. Dicitur aũt per cõtrarium canticum, nã
veraciter idem eſt vę quod item in initio di-
ctum eſt. Væ genti peccatrici. Cantabo (in-
quit) dilecto meo. i. Chriſto veraciter animę
meæ dilecto. Quis enim neſcit, quia tua ani-
ma ô cantor optime deſiderabilẽ Chriſtum
dilexit & diligit? Nempe cãticum ſibi vel ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. V. opus suum cãtatum esse testatur, cùm ex eo sumpta parabola, principib. sacerdotũ & pha-
Matth. 12. risæis dicit: Homo erat paterfamilias, qui plã-tauit vineam, & sepem circundedit ei, & fo-dit in ea torcular, & ædificauit turrim, & lo-cauit eam agricolis, &c. Canticum hoc quo-rum sit væ, distincte insinuat, dicendo. Pa-truelis mei vineæ suæ. Quis enim patruelis prophetæ extitit, nisi agricolæ iam dicti. i. or-do leuiticus & sacerdotalis? Deniq; cum ipse propheta de tribu Iuda extiterit, patruus ei⁹ quodammodo fuit Leui. Patruelis autem ei-us cunctus ordo leuiticus, & sacerdotalis. Porrò vinea facta est dilecto meo. Quænã ista vinea sit, ipse cantor aperit in fine conclusionis. Vi-nea, inquit, domini exercituum, domus Is-rael est. Hæc dilecto meo facta est, acquisi-tione, non auri, neq; argenti, sed multorũ mi-rabilium quæ fecit in terra Aegypti. Vndè
Psalm. 79. & scriptum est. Vineam de Aegypto trãstu-listi. Facta est autem in cornu. i. in eadem po-tentia, qua illam transtulit, quemadmodum & Balaam cũ de eodẽ populo dixisset, Deus
Nume. 24. adduxit eum de Aegypto, continuò subiun-xit: Cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Hæc facta est (vt iam dixi) dilecto meo filio olei. i. filio charitatis Dei. Nam idcirco illi fa-cta est, vt præparatam sibi ille aduẽiens pos-sideret, & per suum sãguinem sanctificaret. Quod & fecit. Omnes enim per suũ sangui-nem de inferno eduxit, quorum pars vinea bona est. Sed & de radice ei⁹ apostolos sum-psit, de quibus vel per quos totus mũdus vi-tibus bonis impletus est. Siue filio olei. i. in loco pingui, quia reuera nihil pinguius terra repromissionis. Et sepiuit eam. i. angelorum præsidio sepsit eam. (Et lapides elegit ex ea.) Id est, idola vel quicquid Dei cultum impe-dire poterat, diligẽti cura persæpe reiecit ab ea. (Et plantauit eam electam.). i. optimam, in fide electorum, Abraham, Isaac, Iacob, be-nè radicatã. (Et ædificauit turrim in medio eius.) Id est, templum in medio regiæ ciuita-tis eius. (Et torcular extruxit in ea.) Id est, al-tare quod ita sacerdotibus commoda repor-tat, quemadmodum agricolis torcular. (Et expectaui (inquit) vt faceret vuas, & fecit la-bruscas.) Id est, vt faceret bona, & fecit ope-ra mala. (Nunc ergo habitatores Hierusalẽ, & viri Iuda, iudicata inter me & vineã mea-am.) Nónne ergo canticum hoc dilecto ani-mę suę cãtauit? Deniq; sic iam dictam in eu-angelio parabolam secundum cantici huius sensum contexuit, vt omninò istud sibi can-tatum velit intelligi, tandemq; percũctatur, & ipse penè eisdẽ verbis. Cùm ergo, inquit, venerit dns vineę, quid faciet agricolis illis? Hoc tantũ interest, quòd istic inter dñm vi-neæ & ipsam vineã, illic aũt inter dominum vineę, & agricolas iudicium postulat. Porrò quid per labruscas hic velit intelligi, illic ma-nifestius aperit, in hæc verba prorumpẽs. Et agricolæ apprehensis seruis eius alium cæci-derunt, alium occiderunt. (Et nunc (inquit) ego ostendam vobis quid faciã vineæ meę.) O habitatores Hierusalẽ, ô viri Iuda, vt iu-dicaretis inter me & vineã meã interrogaui, & quia non vultis respõdere quod scisciter, ego ipse mihi respondebo.) Auferam sepem eius.)i. tollam angelorum auxilia. (Et erit in direptionem. Diruam maceriã eius, & erit in conculcationẽ, & ponã eam desertam. Non putabitur, & nõ fodietur.) Et est sensus. De-struam muros eius. Romano circuncidente exercitu, ita vt in æternum nõ reædificetur. Nec verò sicut sub Babylonijs passa est, ita & sub Romanis patietur. Nam sequitur. (Et nubibus mandabo, ne pluant super eam im-brem.) Siquidem & Hieremias capta iam vr-be prophetauit in populo, & Ezechiel, Da-niel quoq; & tres pueri, vel prophetasse, vel mirabilia signa, etiã in captiuitate feciſse nar-rantur, & postea Aggæus & Zacharias futu-ra dixerunt in consolationẽ populi seruien-tis. Nunc autem eiusmodi nubib. mandabo, ne pluant super eam imbrem. i. vt iam, nec apostolos habeant, nec prophetas quos occi-dant. Vndè & in Leuitico loquitur. Ponam
Leuit. 26. cælum vobis ferreum, & terram eneã. Quare hoc mandabo nubibus meis? (Quia expe-ctaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas.) Quanta enim iniquitas, & quantus clamor, quòd & seruos patrisfamilias occiderunt, &
Luc. 25. videntes filiũ eius, de quo dixerat. Verebun-tur filiũ meũ, crucifige crucifige clamauerũt.

Quomodo huius loci prophetico sensui consonet illa inuectio domini, qua post quam illam parabolã recita-uit, octies væ increpuit scribis et pharisæis, octies enim ille post cãticum istud væ illis pronunciat, cùm dicit: Væ qui coniungitis domum, &c.

CAPVT XVII.

VAe qui coniungitis domũ ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad ter-minum loci, &cæt.) Sexties hoc loco væ spi-ritus sanctus per istum verbi sui ministrum conclamat. Væ qui coniungitis domum ad domum. Væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem. Væ qui trahitis ini-quitatem in funiculis vanitatis. Væ qui di-citis malum bonum & bonum malum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris. Væ qui potentes estis ad bibendum vinũ, & viri for-tes ad miscendam ebrietatem. Duæ væ præ-terea sunt subaudienda in his duabus irę sen-tentijs. Qui dicitis, festinet, citò veniat opus eius vt videamus. Qui iustificatis impiũ pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Planè & hæc omnia de cantico sunt quod di-lecto suo cãtare proposuit, quæ & malis de-cãtat agricolis, id est, interfectorib. eiusdem dilecti scribis & pharisæis. Testificatur hoc ipse

ipse dilectus qui canta ta sibi ab isto prophe-ta totidem væ. i. octo, recãtat, cùm dicit post parabolam quam de vinea proposuit, Vę vo-
Matth. 23. bis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui claudi-tis regnum cælorum ante homines. Væ vo-bis scribæ & pharisæi hypocritę, qui comedi-tis domos viduarum oratione longa orãtes. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam vt faciatis vnũ pro-selytum. Vę vobis duces cæcorum qui dici-tis: Quicunque iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, de-bet. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anetum, & cimi-num, & reliquistis quæ grauiora sunt legis. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & parapsi-dis, intus autem pleni estis rapina & immun-ditia. Vę vobis scribę & pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis quę à fo-ris parent hominib. speciosa, intus verò ple-na sunt ossibus mortuorum, & omni spur-citia. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritę, qui ædificatis sepulchra mortuorum, & or-natis monumenta iustorũ. Nónne ergo can-tor iste canticum eiusmodi cantans, eo tẽdit quo & dilectus eius cui cantauit, qui recan-tando totidem inuehitur sententijs?

Quòd primo væ intolerabilem scribarum & pharisæo rum auaritiam prophet ando percutit: & propter eã-dem ciuitatem fore destruendam prædicit.

CAPVT XVIII.

ET primum quidem væ intolerabilẽ scri-barum & pharisęorum auaritiam percu tit. (Væ (inquit) qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis so-li vos in medio terræ? In auribus meis sunt hæc domini exercituum.) Eiusdem auaritiæ malũ quę pœna consequatur, continuò sub-iungit. (Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ absq; habitatore. Decẽ enim iugera vinearum facient lagunculam vnam. Et triginta modij sementis faciẽt mo-dios tres.) Planè hic propter auaritiam sacer dotum ciuitatem fore destruendam præui-det ac prædicit. Quòd ipsum confirmat dile-ctus sæpedictus, cui cantauit. Nam cum vi-
Luc. 9. dens ciuitatem, fleuisset super illam, dicens: Quia si cognouisses, & tu, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & non relinquent in te lapidem super lapidem, continuò ingressus in templum, cœpit eijce-re vendentes in illo, & ementes dicens illis. Scriptum est, quia domus mea domus ora-tiõis est, vos autem feciſtis illam spelunca latronum. Et notanda dictionis proprietas, vbi per eclipsin maiorẽ vindictę vel iræ quã-titatem acerrime significat. Nisi (inquit) do-mus multæ desertæ fuerint, grandes & pul-chræ absq; habitatore, subauditur, falsũ vo-bis ego præcantaui væ. Quòd autem decem iugera vinearum fecerint lagunculam vnã, & triginta modij semẽtis, modios tres, id est, quod hi qui diuites fuerãt, in obsidione Ro-mana, fame & siti perierunt, infelicis histo-riæ textus satis ostendit.

Quod secũdo væ, eorundẽ ebrietatem redarguit, qua iam ebrij dominum comprehenderunt in illa paschali vespera.

CAPVT XIX.

VAe qui consurgitis mane ad sectãdam ebrietatem, & potãdum vsq; ad vespe-ram, vt vino æstuatis. Cithara & lira & tym-panũ & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus dñi nõ respicitis, nec opera manuum eius consideratis.) Istud væ agricolas eosdẽ ebriositatis nimiæ redarguit. Vsq; ad vespe-ram inquit. Nimirum in spiritu iam præsens aderat, futuro diei quo festiua ebrietate cra-pulati, dñm vineæ, filium Dei comprehẽde-runt, cùm esset vespera paschalis. Væ igitur vobis ebrij, inquit, atq; vomentes crapulati & sordidi, qui vino æstuantes, sobriũ cõpre-hendistis filium Dei. Cithara, & lira, & tym-panum, & tibia, & vinũ in conuiuijs vestris. Hoc ipsum Amos propheta vehementissi-
Amos 6. mè persequens, cùm dixisset. Qui comeditis agnum de grege, & vitulũ de medio armen-ti, qui canitis ad vocem psalterij, decẽtissime ad hos conuersus ait. Sicut Dauid putauerũt se habere vasa cantici bibentes in phyalis vi-num, & optimo vnguento delibuti, nihil pa-tiebantur super contritione Ioseph. Quòd hic dicit: Et opus domini nõ respicitis, & o-pera manuum eius non consideratis, hoc il-le expressit nimis eleganter, & nihil, inqui-ens, patiebantur super contritione Ioseph. Nẽpe contritio Ioseph. i. passio dñi, quę per vẽditionẽ Ioseph solet intelligi, opus est dñi, opus manuum eius, opus nostræ redemptio-nis. Hoc opus domini non respiciebant isti ebrij, nihil enim patiebantur super cõtritio-ne Ioseph, optimo vnguento delibuti. Quã enim verum est, quòd nihil patiebantur su-per cõtritione Ioseph, qui super eum nimio risu, & cachinno mouebantur. Quid igitur? (Propterea captiu⁹ ductus est populus me⁹, quia non habuit scientiã.) Propterea, inquã, quia iã dicti operis domini non habuit scien-tiam, quia cõtritioni Ioseph cõpati nesciuit, captiuus ductus est in omnes gentes. (Et no-biles eius interierunt fame, & multitudo e-ius siti aruit.) Hoc adeo verum est, vt no-bilis fœmina, nomine Maria in illa obsidione filium suũ manducauerit. Sed parua est vin-dicta, nisi sicut per Moysen prædictum est,
Deute. 32. ignis succẽsus ardeat vsq; ad inferni nouissi-ma. Sequitur ergo. (Propterea dilatauit in-fernus animã suã, & aperuit os suum absque vllo termino. Et descẽdent fortes eius, & po-pulus eius, & sublimes, glorioſiq; eius ad eũ, &c.) Econtrariò, mites & humiles bonis dñi abundabunt, vndè & tandẽ infert. (Et pascẽt agni iuxta ordinẽ suum, & deserta in vberta tẽ conuersa, aduenæ comedent.) Quãdo dñs exaltatus fuerit in iudicio, & sanctus in sua

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanctificatus iustitia, vt mali agricolæ male pereãt, tunc qui fuerint de agnorũ numero, non hœdorum, in pratis ecclesiæ pascentur, & quæ à Iudæis deserta sunt, versa in vberta tem comedent aduenæ. i. gentium populus.

De tertio væ quo dicit: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, quia occidendo Christum mensuram patrum suorum impleuerint.

CAPVT XX.

VAE qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculo plaustri peccatum.) Væ istud illi cõsonat quo dominus: Væ, inquit, vobis, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. Et subinde. Itaq; testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensurã patrum vestrorum: Deniq; implete mensuram patrum impiorũ, vt quia patres prophetas occiderunt, filij non degeneres occidant dominum prophetarum, idipsum est quod trahere iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatu. Vę igitur vobis, quia trahetis nihilominus longum quoq; funiculum pœnarum. Nã à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ filiæ Barachię, quem occidistis inter templum & altare, venient omnia super generationem istam.

De quarto væ illorum qui dixerunt. Festinet cito, veniat tempus, &c. videlicet quando dicebãt. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce.

CAPVT XXI.

QVi dicitis, festinet citò, veniat opus ei', vt videamus & appropiet, vt veniat cõsilium sancti Israel, & sciemus illud.) Qui, inquit, dicitis, festinet, vobis væ. Quid enim? Nunquid non multum festinauit, & citò venit opus sancti Israel? Nonne citò resurrexit post tres dies? Nunquid non scitis illud? Nunquid non vobis annunciauerunt custodes monumẽti, qui facto terræmotu magno exterriti, & præ timore angeli de cælo descẽdentis, facti sunt velut mortui? Quid amplius festinare voluistis, dicendo: Si rex Israel est, descẽdat nũc de cruce, & credemus ei? Quid tam cito venire voluistis, opus eius dicẽdo, confidit in Deo, liberet nunc eũ si vult. Imò quàm nequissima festinatio fuit, quòd contumelia & torméto eum interrogare voluistis, si esset filius Dei. Væ ergo vobis.

Matt. 23.

Ibidem 27

De quinto væ, pro eo quod dixerunt malum bonum, videlicet, reseruando Barrabam, & condemnando Christum.

CAPVT XXII.

VAe qui dicitis bonum malum, & malũ bonum, ponẽtes tenebras lucem, & lucẽ tenebras, ponẽtes amarũ dulce, & dulce amarũ.) Vt quid enim tam procaciter peruertitis iudicium? Bonum Dei filium dicitis malum, malum latronem Barrabã dixistis bonum. Tenebras. i. homicidia, & seditiones illius ponitis vobis lucem, huius autem lucẽ, id est, doctrinam & veritatem ponitis tenebras, id est, seductionem. Dicitis enim, quia malus est, & quia commouit populum docens per vniuersam Iudæam. Væ igitur vobis, qui dulce huius velut amarum reiecistis, & amarum Barrabę cõbibistis, vt seditiones eius hæreditate possideatis.

Luc. 23.

De sexto væ, in eos qui sapientes in oculis suis, tulerũt clauem scientiæ illis.

CAPVT XXIII.

VAe qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudẽtes.) Vt quid enim clauem scientiæ tulistis? Ipsi non introistis, & eos qui introibãt, prohibuistis. Clausistis regnum cælorum ante homines, sedentes super cathedrã Moysi, amantes primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Igitur & pro hoc væ vobis.

Matt. 23.

De septimo væ in eos, qui viri fortes sunt ad miscendam ebrietatem.

CAPVT XXIIII.

VAe qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscẽdam ebrietatem.) Potenter bibistis, fortiter ebrietates miscuistis, viri fortes, viri phrenetici. Nã inde est, quòd medicũ verum percussistis. Vinum pessimum, vinum erroris bibistis, & spiritum vertiginis. Hinc est quod Moyses dicit: De vinea Sodomorum vinum eorum & de suburbanis Gomorrhæ. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Et corporaliter ebrij illa vespera, de qua supra dictum est filium Dei comprehẽdistis, & deinceps, vinum doctrinę nequam fortiter, imò pertinaciter miscere non cessatis, ad defensionem vestri homicidij, ad multiplicandum blasphemias in illum quem occidistis, & odiũ eius filijs vestris iugiter propinatis. Væ igitur vobis.

Deuter. 32.

De væ octauo, in eos qui iustificãt impium pro muneribus & iustitiam iusti auferunt.

CAPVT XXV.

VAe vobis qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiã iusti aufertis ab eo. Quare enim iustitiam iusti, qui benedictus venit in nomine domini, ab eo abstulistis, nisi quia munera vobis auri & argẽti nõ attulit, sed pauper & humilis venit? Ecce inquit Zacharias, ppheta, filia Sion, ecce ô filia Hierusalem rex tuus veniet tibi iustus & saluator. Ipse pauper, & ascendens super asinã, & super pullum filium asinæ. Quia non solum iustus, sed & pauper venit, quemadmodum hic dicit, idcirco iustitiã eius ab eo abstulistis. Ecõtrariò, si venerit in nomine suo ille alius dies impius, illum suscipietis, illũ pro muneribus iustificabitis, quasi victoriã omnium gentium protinus adepturi, quasi auream atq; gemmatam Hierusalem interris habituri. Væ igitur vobis.

Quod

Quod propter hæc mala, Romanus exercitus venire debuerit, & quomodo adhuc vltra illam vindictam manus domini extenta sit.

CAPVT XXVI.

PRopter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorũ vt puluis ascendet, &c.) Quæ illis contigisse sub Romano imperio orbis vniuersus audiuit. (In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.) Hæc distinctio illud innuit, quòd dubium est nemini, quia inimicis Dei non nouissima pœna, vel malorum finis est mors corporis, quamlibet horrenda. Quapropter illud quod sequitur de secundo Christi aduentu, quo iudicaturus veniet, nil obstat intelligi.

De eo quod ait: Et ecce festinus veniet, & de die iudicij quando rugiet vt catulus leonum, dicendo his qui à sinistris erunt: Ite maledicti in ignem æternum.

CAPVT XXVII.

ET leuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finib. terræ, & ecce festinus velociter veniet. Non est deficiẽs neque laborans in eo, non dormitabit, neq; dormiet, neque soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamẽti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti.) Nam Iudæis qui illum reiecerant dispertitis, ipse signum crucis suæ, leuabit, inquit, in nationibus, procul, & sibilabit, id est, occulta inspiratione adducet ad eum gentes de finib. terræ, & ecce festinus velociter veniet. Nam & si videatur longum esse quod nondum venit, mora tamen non est in consideratione tanti negotij. Vndè sapiens: Horrendè, inquit, & citò apparebit vobis. Non est deficiens neque laborans in eo, id est, nõ erit sicut prius mortalis, sicut prius infirm', in illo aduentu suo. Non dormitabit neque dormiet, id est, non occultus vt ante, sed manifestus veniet Deus noster. Non soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius, subauditur, vt tunc semel factum est, quando discinctus in cruce pependit, & moriendo rupta est corrigia carnis, qua calciatus venerat Deus. Sed quid? Sagittę eius acutæ, & oẽs arcus eius extenti. Viuidas namque & acutas sententias dabit extento arcu acuti iudicij multis iudicibus arcus singulos tenentibus, id est, auctoritatem iudicandi. Vngulę equorum eius, vt silex, & rota eius, quasi impetus tempestatis.) Equi & currus eius, throni sunt & dominationes, & omnes virtutes cælorum, quę in aduentu eius mouebuntur, & erit tempestas valida in circuitu eius. Equi tales vngulas quasi silices habere dicũtur, quia æterni sunt, & nulla infirmitate lassantur. (Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catulus leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.) Verè rugitus eius vt leonis, quo attonita terra tremet, & euigilantes exilient mortui. Rugiet vt catulus leonum, dicendo: Ite maledicti in ignem æternum. Frẽdet & tenebit prædam & amplexabitur, dextros enim tenebit vt prædam suã, quia pro illis huic leoni propheticæ dictum est. Ad prædam fili mi ascendisti. Non erit qui eruat, certè nõ erit, qui de manu eius rapiat. (Et sonabit super eũ in die illa sicut sonitus maris.) Super eum, inquit, scilicet super diabolum, quem cum magno sonitu videntibus cunctis præcipitabit. (Aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius.) Aspiciemus, inquit. Qui aspiciemus? Nos vtique prophetæ sancti, & patriarchæ magni. Ergo ne talibus quoque ibi erunt tenebræ tribulationis? Erunt plane quando aspiciemus in terram & videbimus hiantem tartarum, erunt, inquã, tenebræ tribulationis tam ingentes, vt si vllo modo mori possimus, solius visionis tribulatio sufficeret ad exanimandos nos nimietate pauorum atq; tremorum. Nam vix iustus saluabitur, ergo nos quoque tenebras tribulationibus aspiciemus, vbi illa belua mirabilis præcipitabitur, & lux quoque, id est, sanctitas nostra horrore obtenebrabitur in caligine eius.

Matth. 25.

Gen. 49.

Sapien. 6.

Luc. 21.

Psalm. 49.

2. Pet. 4.

Quid sit, dominum sedere super solium excelsum, & quæ sint sub eo implentia templum, quid Seraphin, quid facies, quid pedes domini, & quid clamor dicentium: Sanctus, sanctus.

CAPVT XXVIII.

IN anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub eo erant, replebant templum.) Tertia hęc periocha maximè vigilantem intellectorem quærit, quia maximè clausa est propter eos, quos spiritus sanctus notitia veritatis indignos iudicauit, sicut ipsa scriptura patenter innuit. Dicitur enim in primordijs. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis, &c. Et circa finem eiusdem perioches, Liga, inquit, testimonium, signa legem in discipulis meis. Igitur ne quid de fumo illorum patiamur, propter quos visionis huius testimonium, ligatum atque signatum est, spiritus sanctus corda illuminet nostra, luminis sui claritate. Eo duce primum adhibeamus euangelicæ veritatis candelabrum. Euangelista Ioannes cùm dixisset, propterea non poterant credere Iudæi, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit eorum cor, vt nõ videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur & sanem eos, cõtinuò subiunxit. Hæc dicit Esaias, quando vidit gloriam eius & locutus est de eo. Proinde quis dubitet, hic dñi nostri Iesu Christi gloriam prædicari, & prophetã hic de eo loqui? Ego vidi dominũ sedentẽ super solium excelsum & eleuatũ. i. vidi in spiritu, vidi prophetali oculo dominũ omnium Iesum Christum propter

CAP. VI.

Esaiæ.

Ioan. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

passionem mortis, gloria & honore coronatum, super oēs cælos eleuatum, & receptum in paternæ dexteræ cōsessum. Illud verè excelsum est solium, & ab humilitate humana, qua pati dignatus est, longè eleuatum. Cur aūt & nūc præmiserit, in anno quo mortuus
Cap 7. est rex Ozias, & posterius dicat, & factū est in diēb. Achaz, filij Ioathan, filij Oziæ regis Iuda, &c. suo loco prætereundum non erit. Et ea, inquit, quæ sub cælo erant implebant templum. Postquam dns ascendens in cælū, sedit super illud paternæ maiestatis solium excelsum & eleuatū, quę deinde sub eo sunt? Nimirum dona quę dedit hominibus, dona sanctū spiritus, quæ dedit apostolis, & cęteris in se credentibus. Hæc implent templum. i. ædificant & perficiunt ecclesiā Dei, per mūdum vniuersum. (Seraphin stabant super illud.) Seraphin ardentes, siue incendētes interpretantur. Qui ergo sunt Seraphin? nisi apostoli, quos vtiq; ardentes atq; incendentes decimo die post ascensionem eius effecit spi
Act. 2. ritus sanctus? Apparuerunt enim illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, supraq; singulos eorum sedit. Et repleti sunt oēs spiritu sancto. Isti stabāt super templum illud, nam isti patres & iudices ecclesiæ Dei principantur. (Sex alæ vni, & sex alæ alteri.) Senarius numerus plenus atq; perfectus est, quippe qui suis partibus constituitur. Habet enim mediam. i. tria. Secundam. i. duo. Sextam. i. vnū quæ simul aggregatæ, senarium perficiunt. Et senario dierum numero Deus perfecit hunc mundum. Ergo sex alæ singulorū Seraphin, plenam & perfectam significant notitiam veritatis, quam spiritus sanctus apostolos docuit iuxta promissum dicenti. Cū
Ioan.16. autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos oēm veritatē. (Duabus alis velabant faciē eius, & duab. velabant pedes eius.) Facies domini diuinitas Christi est, de qua scriptū
Ioan.1. est. In principio erat verbū, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbū. Pedes domini, humanitas Christi est, de qua itidē scriptum est. Et verbū caro factum est. Vtrunq; velabant. i. vtrunq: prædicabant, & pro tempore
Matt.7. indignis abscondebant, neq; margaritas suas ante porcos mittebant. Duabus alis velabāt. i. vtrunq; prædicabant. Quid enim est, quod totidem alis faciem, quot & pedes velabant, totidemq; volabant, nisi pari intētione, tam diuinitatem quàm humanitatem Christi, & pro tępore siue loco annunciabant? Ad quid enim volabant? Sequitur. (Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius.) Ergo volabant, id est, fidem sanctæ trinitatis hactenus incognitam prædicabant, iuxta regulā dicentis.
Matth.28. Euntes docete oēs gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Hic ter sanctus vnus est dominus, vnus in tribus personis est Deus, pater, & filius, & spiritus sanctus. Hic enim est dominus Deus exercituum, extunc maximè, ex quo Seraphin taliter clamare cœperunt alter ad alterum, id est, cōcordi fide, & mutua collatione scripturarū, extunc enim maximè accreuerunt illi, & multiplicati sunt exercitus credentiū. Vndè & protinus subditur. Plena est omnis terra gloria eius, subauditur, quæ prius tantum in Iudæa cognoscebatur. Nam quod hic super solium excelsum & eleuatum sedere cernitur, deinde & omnis terra gloria eius plena esse dicitur, illud est quod vno versiculo innuit Psalmista. Exaltare, inqui- *Psal.107.*
ens, super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

Quid sit commotio superliminariū, et quid sit fumus implens domum domini, vndè polluta sint labia populi, cuius in medio prophetæ se habitare cōgemiscat, & quid volans ad eum vnus de Seraphin.

CAPVT XXIX.

ET commota sunt superliminaria dom' à voce clamātis, & domus impleta est fumo.) Clamantibus Seraphin, & in tota terra trinitatis mysterium prædicantibus, statim commota sunt superliminaria templi, & omnes illius cardines ceciderunt, impleta saluatoris comminatione dicentis. Relinquetur vobis domus vestra deserta. Aliter. Cómota sunt superliminaria, id est, zelo concitati sunt principes sacerdotū Annas & Caiphas, & omnes qui synagogæ præeminebant. Cō- *Matt. 23.*
mota sunt, inquam, hæc superliminaria, pro audita trinitatis gloria, & iniecerunt manus, vt concluderent ora clamantium Seraphin, id est, vt prohiberent apostolos loqui in nomine domini. Præcipiendo inquiunt, præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce replestis Hierusalē doctrina vestra, & cætera. Commota sunt igitur superliminaria, & domus non iam domini, impleta est fumo inuidiæ, & qua gloria domini omnis terra splenduit, ex eadem in Israel cæcitas cōtigit. Et dixit. (Væ mihi quia tacui, qa vir pollutis labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Et regē dominum exercituū vidi oculis meis.) Hoc
Act. 2. illud est, quod in actibus apostolorum legimus. His auditis cōpuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos apostolos. Quid faciemus viri fratres. Vę ergo, inquit, mihi, quia tacui. Nec verò tantum quia tacui, sed quod peius est, vir pollutis labijs ego sum, quòd in persona eorum rectè dici, facta ipsa consentiunt. Clamauerunt enim, tol
Ioan.19. le tolle, crucifige crucifige. Veraciter ex eo polluta se labia cognouerunt habere, sed seducti fuerant & per ignorantiam tali clamore labia sua polluerant. Sequitur ergo. Et in medio populi polluta labia habentis, ego habito. Multi enim ex eis non per inuidiā clamauerūt, sed multitudinē secuti sunt. (Et volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quē tulerat forcipe de altari, & tetigit os

git os meū, & dixit. Eccè tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatū tuum mundabitur.) Iste vnus de Seraphin, Petrus
Actor. 2. Apostolus extitit, qui gratię pennis aduolās, dixit. Pœnitentiā agite, & baptizetur vnusque vestrū in nomine Iesu Christi, in remissionē peccatorū vestrorū, & accipietis donū spiritus S. In manu eius calculus, inquit, Calculus donum est spiritus S. quo peccata comburuntur, in Christum credentium. Illud in manu erat Seraphin. i. in potestate Pet. Apostoli præ cæteris. Illi nanq; Christus claues re
Matth.16. gni cælorum specialiter tradidit. Quem tulerat forcipe de altari, id est, quē promeruerat à Christo solido tenore fidei. Primus enim dixit. Tu es Christus filius dei viui. Habet igitur primus in manu calculum, id est, sancti spiritus donum, in potestate vel ministerio conferendæ remissionis peccatorum.

Quid sit dicere: Quem mittam, & quis ibit nobis, & quid illud, eccè ego, mitte me, & quòd Stephanus protomartyr sese obtulerit, & secundum sensum præsentis loci, dura illi populo stans in concilio nunciauerit.

CAPVT XXX.

ET audiui vocem Domini dicentis. Quē mittam, & quis ibit nobis? Et dixi. Eccè ego, mitte me. Et dixit: Vade & dices populo huic. Audite audientes, & nolite intellige re, & videte visionem & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis, & aurib. suis audiat, & corde suo intelligat, & cōuertatur, & sanem eum.) Quē, inquit, mittam, & quis ibit nobis? Ac si dicat. Quoniam neminē ex eis, quos mittimus viuere permittunt, & meipsum occiderunt, quem inueniam tantæ fortitudinis, vt mittam eum? Quis ibit vel quis ire audebit nobis, & dicet eis, me, quem occiderunt filium hominis sedere super solium excelsum, & eleuatum, sedere vel stare à dextris dei? Et dixi, eccè ego, mitte me. Et dixit. Vade, & cætera. Suprà diximus, in personam eorum, qui auditis Petri Apostoli dictis compuncti corde dixerunt. Quid faciemus, prophetam dixisse væ mihi, quia tacui, &c. Cuius nunc in persona dicit. Eccè ego, mitte me? Cuius, inquam, nisi protomartyris Stephani, qui gratia & fortitudine plenus ire non timuit? Nempe ille quasi iniussus, vltrò se obtulit,
Actor. 6. & ecce ego, mitte me dixit, nec enim legimus quod per aliquem Apostolorum mandatum accepit, sed quod publicum testimonium perhibens filio Dei, cùm tantum diaconus esset, prodigia & signa fecerit Apostoli-
Actor. 7. cæ virtutis. Nonne iste præsentem, de quo loquimur, legationem euidenter attulit, qui cùm staret in concilio, cùm esset plenus spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & ait. Eccè video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei? Vade, inquit Dominus, dices populo huic. Audite audientes, & nolite intelligere, &c. Nimirum in hanc legationis partem per tulit, qui causas tantæ iræ non tacuit. Dixit enim. Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper spiritui sancto re sistitis, sicut & patres vestri, & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti, cuius nunc vos proditores, & homicidæ fuistis. Planè quod dictum est, aure audietis, & non intelligetis, cōtinuò verum esse constat. Nam vbi dixit. Eccè video cælos apertos, & filium hominis stantē à dextris virtutis dei, acclamantes voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Excæca, inquit, cor populi huius. (Et dixi. Vsquequo domine? Et dixit, Donec desolentur ciuitates absque habitatore, &c.) Et est sensus. Tamdiu non audiet, & non videbit, & excæcatum habebit cor, donec ciuitates Iudææ, Vespasiano, Titoque pugnantibus, penitus subuertantur, in tantum, vt ne nomen quidem pristinum remaneat, & domus, si quæ remanserint sine habitatore sint, & terra redigatur in solitudinē, & vel fuga vel captiuitate in totum orbē Iudaicus populus dispergatur, & nequaquā in Iudęa, vt prius, sed in cūctis gentibus Iudæorū populus multiplicetur. Nam hoc est q; sequitur. (Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur.) Ac si dicat. Quid aūt dico multiplicabitur? Tanta erit infelicitas residui populi, vt ad cōparationem prioris multitudinis vix decima pars remaneat. (Conuertetur (inquit) & erit in ostensionē sicut therebintus & sicut quercus quæ expandit ramos suos. Semen sanctū erit id q; steterit in ea.) Et erit in deprædationem, quā do post annos fermè L. Arrianus venerit, & terram Iudaicam penitus fuerit depredatus, in tantum, vt therebinto & quercui, quæ glā des amiserit comparetur. Denique post extremam vastitatem, etiam leges publicæ pependerunt, & prohibiti sunt Iudæi terram, de qua eiecti fuerat, ingredi. Si quis autem crediderit in Christum, & impletum fuerit illud quod supra legimus, nisi Dominus Sa- *Cap.1. Rom.9.*
baoth reliquisset nobis semen quasi Sodoma essemus, & similes Gomorrhę fuissemus quando iuxta Apostolum reliquiæ saluabuntur, hoc semen sanctum erit, & Apostolorum germine cunctæ Ecclesiæ pullulabunt.

Cur visioni illi, rem in diebus Achaz gestam coniunxerit, & qualiter impleuerit præceptum dicentis in initio visionis. Excæca cor populi huius. Itemq; in fine eiusdem: Liga testimonium signa legem in discipulis meis.

CAPVT XXXI.

ET factum est in diebus Achaz filij Ioathan filij

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VII than filij Oziæ regis Iuda. Ascendit Rasin rex Syriæ & Phacee filius Romeliæ rex Israel in Hierusalem, ad præliandum contra eam, & non potuerunt debellare eam. Et nũciauerunt domui Dauid, dicentes: Requieuit Syria super Ephraim. Et commotum est cor eius & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti.) Narrata visione, quod valdè notandum est, continuè atq; coniunctè longè post actæ rei narrationem subiungit dicendo', & factum est in diebus Achaz. Nec enim memoriæ debet nunc obesse, quod visionem narrare incipiens tempus eius posuit dicendo, in anno quo mortuus est rex Ozias, denique inter Oziam & istum Achaz anni fuêre XVI. quib. regnauit Oziæ filius Ioathan. Quid ergo continuãdo rem tanto post tempore gestam visioni præteritæ coniunctiuncula quoque vsus est,
Cap. 9. dicendo, & factũ est in diebus Achaz? Quid putamus, nisi quia in diebus Achaz tandem fecit id quod sibi tũc præceptũ fuerat? Quid enim præceptum fuerat? Videlicet vt cor populi excæcaret, id est, vt sic visionem eandẽ narraret, vt populus quia nõ merebatur, nõ intelligeret. Nam qui tunc dixerat. Excæca cor populi huius, ipse postmodum dicturus est. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et propheta respondit. Et expectabo dominum qui abscondit faciem suam
Cap. 8. à domo Iacob, & præstolabor eum. Ergo quæcunque hoc loco Iudæis obesse videntur, vt nõ intelligant, imò quęcunq; iuuare putantur impietatem illorum aduersus ea, quæ deinceps de Christo prophetantur, liga mẽta sunt, signacula sunt testimonij prophetici. Imò legis Euangelicæ, quæ per istum prophetam euangelizantur, dicentem. Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Nobis autem in Christo reuelantur per ipsum, qui librum signatum aperuit, & soluit tam hæc, quàm cætera sig nacula eius.

De eo quòd cùm annunciatum esset domui Dauid, quia requieuit Syria super Ephraim, annunciatur cõceptus & partus virginis, & cur vocetur Emanuel, Itemq; Accelera, spolia detrahe, festina prædare.

CAPVT XXXII.

ANnunciauerunt (inquit) domui Dauid, dicẽtes: Requieuit Syria super Ephraim. Et commotum est cor eius, & cætera. Quare commotum est cor Dauid, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti? Videlicet quia sicut subiunctũ est, cõsilium inierat Syria malũ, & Ephraim & filius Romeliæ contra Iudam dicẽtes. Ascendamus ad Iudam, & euellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio eius, filium Tabeel. Idcircò commotum est cor domus Dauid, videlicet ne periret regius honor de domo Dauid. Non stabit, inquit, dominus, & non erit istud, & cætera. Deinde promissio. Si non crediderit is, nõ permanebitis, cõtinuò sequitur. Et adiecit dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz. Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit. Audite ergo domus Dauid. Nũquid parum vobis est, molestos esse hominibus? quia molesti estis Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Eccè virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Ac deinceps. Et dixit Dominus ad me. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis. Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles: Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Et dixit dominus ad me. Voca nomen eius. Accelera, spolia detrahe, festina prædare, quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum. De Iesu Christo Dei filio prophetiam hanc esse veraciter scimus & confitemur. Econtrariò Iudæi, quid ad Christum inquiunt, vestrum tanta post tempora natũ, quòd tunc Rasin regẽ Syriæ interfecit Theglath, Falassar rex Assyriorum, & dissipatũ est eius scilicet Rasin, & Phacee filij Romeliæ consilium magnum? Quid itidẽ ad Christum vestrum, quod regnãte Ezechia, egressus est angelus domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia? Nunquid natus erat? Ad Ezechiam magis qui fecit quod erat bonum coram domino, iuxta omnia quæ fecit Dauid pater eius, vnde & dominus erat cum eo, propter quod à propheta dicitur Emanuel, quod interpretatur nobiscum deus, natus non de virgine, id est, Betula, sed de adolescẽtula, id est, aalma. Dicimus ad hæc. Emanuel noster nõdum quidem in carne venerat, sed nihilominus ante Ezechiã & ante Achaz, imò & ante Abrahã ipse erat. Nec solũ Rasin & Phacee filij Romeliæ consilium magnum dissipatũ, & exercitus Sennacherib per eum vel propter eum percussus est, sed & quicquid vnquam mali euasit, vel boni consecutus est Israel, & patres eius Abrahã, Isaac, & Iacob, opere factum est huius Emanuel. Quis enim, aut quæ res Abraham sanauit, nisi fides huius Emanuel? Ex quo credidit Abrahã deo, sibi dicenti. In semine tuo benedicentur omnes gentes, quicquid boni in semetipso vel in posterum suis adeptus est, huius seminis sui, huius Emanuel nostri fecit vel ꝓmeruit fides. Igitur iã veritatis huius thesauros ingrediamur, dicẽtes. Si nõ crediderit is, nõ permanebitis. Quod est dicere. Nunc quidẽ Rasin regem Siriæ & filiũ Romeliæ, Sennacherib quoque regem Assyriorum ope futuri Emanuel euadetis, & in terra vestra manebitis, sed cùm ille venerit, si non crediderit is, non per-

4. Reg. 19. *4. Reg. 18.* *Gen. 22.*

manebitis, quia Romani venient & tollent vestrum & locum & gentem.

De impietate Achaz, & de eodem Emanuel, & quo sensu rectè accipitur dictum, Butyrum & mel comedet, vt sciat, & cætera. & cur post tanta tempora nasciturus iam promittatur.

CAPVT XXXIII.

ET adiecit Dñs loqui ad Achaz, dicens. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo dominum.) Non humilitatis est, sed superbiæ, quod non vult à Domino Deo signum postulare. Quamquam enim scriptum sit in
Deut. 9. Deuteronomio. Non tentabis Dominum Deum tuum, & hoc contra diabolum Saluator vsus sit testimonio, tamen iussus vt peteret, obedientiæ debuit explere mandatum, præsertim cùm & Gedeon, & Manue signũ
Matth. 4. petierint & acceperint. Sciebat enim rex im-
Iudic. 6.13 pius, quòd si signum peteret, accepturus esset & glorificaretur Deus. Ergo quasi idolorum cultor, qui in omnibus angulis plateарum & in montibus, lociſque nemorosis aras constituerat, & pro leuitis habebat fanaticos, non vult signum petere, quod præceptum est. (Et dixit. Audite ergo domus Dauid. Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & deo meo?) Quis est iste qui dixit. Audite ergo domus Dauid? Nequaquam Deus, qui supra ad Achaz dixerat. Pete tibi signũ à Domino Deo tuo, sed propheta, vt ex consequentibus approbatur, quia molesti estis, & deo meo. Et est sensus. Quia non solùm prophetas persequimini, & eorum dicta cõtemnitis, sed præsentis & iubentis dei sententiæ contraitis, ita vt ei exhibeatis laborem, qui in alio loco ait.
Supra 1. Laborauisustinens, idcircò dominus faciet quæ sequuntur. Et hoc notandum, quod Achaz rege impijssimo nolente signum petere, sermo propheticus ad domum Dauid, hoc est ad tribum regiam conuertitur, de qua supra legimus. Et nunciauerunt hæc domui Dauid, dicentes: Consenserunt Syria & Effraim. (Propter hoc dabit dominus ipse vobis signum. Eccè virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malũ, & eligere bonum.) Propterea, inquit, quia molesti estis, non solùm hominibus, sed etiam Deo meo, prophetas eius occidendo & cultum eius abijciendo, dabit Dominus ipse vobis, ipse, inquam, dominus dabit signum vobis magnum, & dignum se. Nam eccè virgo concipiet, &c. In eo terribile vobis erit illud signũ, quod iste Emanuel de virgine conceptus & natus, butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Quid enim? Ad hoc venit iste Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus, & ad hoc butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum? Ita planè. Nam vos estis principes Sodomorum & populus Gomorrhæ. Idcircò
Gen. 18. nunc loquitur apud se. Clamor Sodomorũ & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatũ eorum aggrauatum est nimis. Descendã & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita: vt sciam. Ergo butyrum & mel comedet, id est, homo factus in omni conuictu & habitu, in omni veritate naturæ humanæ, conuersabitur inter homines, vt non iam per solam sciẽtiam, sed & per experimentum sciat reprobare malum vestrum, malum Sodomiticũ, & eligere bonum, cùm vos secundum furorem Sodomorum circundederitis eum, expetentes ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Hæc passus, deinceps sciet reprobare malum, & eligere bonum, habẽs potestatem facere iudicium, in quo sine dubio reprobabit malũ, & eliget bonũ. (Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.) Quasi quæreres, vt quid propter præsens periculum promittitur nobis Emanuelis tanta post tempora nasciturigniũ? Videlicet quia antequam modo supradicto sciat reprobare malum, & eligere bonum, antequam fiat homo, nunc idem deus apud patrem deum hoc faciet, vt derelinquatur terra quam tu detestaris à duobus regibus suis. (Adducet dominus super te & super populum tuum, & super domum patris tui dies, qui non venerunt à die separationis Ephraim à Iuda cum rege Assyriorum. Cum rege Assyriorum adducet, inquit, Dominus super te dies quos nunquam habuisti.) Vt videlicet superatis decem tribubus ab Assyrijs in Emanuelis præsentia libereris. (Et erit in die illa. Sibilabit dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api quæ est in terra Assur, & cætera.) Muscas autem Aegyptios vocat propter sordes idololatriæ, & imbellem populum, & apem Assur, quia illo tempore potentissimum erat regnum & ad bella promptissimum, vel ob id, quia omnis propè Assyriorum & Persidis regio vsum habebat sagittarum. Legamus Regum & Paralipomenon libros, & inueniemus ab Aegyptijs cæsum sanctum regem Iosiam, & populum Israel potestati Aegyptiæ sub-
4. Reg. 23. 2. Para. 34 4. Reg. 15. 2. Para. 36 iugatum, ita vt regem illis constitueret, & post multum temporis venit Nabuchodonosor cum innumerabili multitudine bellatorum, captaque Hierusalem, & cæteris Iudææ vrbibus dirutis, incendit templum, & habitatores Assyrios posuit in Iudæa.

Quid sit dicendo: Sume tibi librum grandem, qui sint testes, quæ prophetissa, ad quam accesserit, & de filio eius.

CAPVT XXXIIII.

Et dixit

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VIII.

ET dixit dominus ad me. Sume tibi librũ grandem, & scribe in eo stilo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles. Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Et dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suã, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.) Rursus sub alia specie partus describitur virginalis. Non enim obscuritatem literæ, sed claritatem spiritus prudens lector hic recipit. Alioquin si iuxta literam de prophetissæ mulieris conceptione prophetam generasse filium quis recipit, consequenter & Oseæ prophetam verè meretricẽ vxorem habuisse firmabit. Hæc ergo prophetissa ad quam propheta iussus accedit, sancta est Maria, cuius in vtero omnium prophetarũ sanctorum completa est prophetia. Nec enim quod carne concepit, mentẽ ignorare potuit. Ad hanc prophetissam, propheta iste, imò & omnes accesserunt prophetæ sancti, omnium quippe sanctus, & omnium verbum ad vterum eius tendit. Proinde si nihil iudicamus nos scire, nisi Christum Iesum & hunc crucifixum, solum hic & vbique quæramus eũ, quia reuera quicquid aliud senserimus, manifestati sanctæ scripturæ non est condignum: Ait. Et dixit Dominus ad me. Quo coniunctiuncula hæc, & dixit, respicit, nisi ad internos clamores prophetæ, sortem & hæreditatem in illa beata generatione Emanuelis habere desiderantis? Sume tibi librum grandẽ. Ad quid grandem? Quãtum enim est, quod erat scripturus? Accelera, spolia detrahe, festina prædari. Magnum quidem nomen, sed paruo spatiolo potest largissimè conscribi. Quid enim liber iste est grandis, nisi vniuersa pagina sacri verbi dei, quam primus Moyses, & post Moysen scripserunt cæteri? Illum sume, inquit, id est, esto vnus de consecretalibus verbi DEI, vnus citharœdorum, citharizantium in citharis suis, ante thronum dei, vnus de testibus virgineæ conceptionis, vnus de patribus in generatione filij Dei. Et scribe in eo stilo hominis. Accelera, spolia detrahe, festina prædari. Stilo hominis scribe, id est, stilo quo homines scribere consueuerunt, Dei sacramenta comprehende. Vel certè stilo hominis, id est, quantum de deo capere potest fragilitas hominis. Nec enim tu, cùm sis homo, comprehendere potes illud totum, quod est Emanuel. Nam totum filium nemo nouit, nisi pater. Sicut econuerso, nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Accelera, spolia detrahe, festina prædari, id est, non patiaris vltrà diabolum regnare, non patiaris armatũ fortem, sua quæ possidet in pace diutius habere. Et adhibui mihi testes fideles. Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad prophetissam. Certũ habet fidelis intelligẽtia, quia veraciter ad prophetissam illam quam prædiximus accessit Esaias. In illa hora quãdo cũ voce angeli salutantis eam & euangelizantis, quod conciperet & pareret filium, spiritus sanctus in illam superuenit, in illa, inquam, hora, cum omni multitudine verbi dei, scriptura quoque huius plena illi notitia infusa. Statimque cum sermone angeli virgineum conceptum prædicantis, memoriæ eius locutus est, hoc illud esse quod supra dixit. Eccè virgo concipiet & pariet filiũ. Ita ad illam prophetissam hic accessit, testes sibi fideles adhibuit. Quot? Duos, id est, Vriam sacerdotẽ, & Zachariam filium Barachiæ. Claret in omni scriptura eius, in tota amplitudine voluminis eius, quia duos fideles, duos populos fidem Christi habentes, vnum de Iudæis, alterum de Gentibus sibi testes adhibuit. Vrias quod interpretatur lux mea deus, ipse est Iudaicus, apud quem prius lucere dignatus est deus: per Zacha. q̃ interp̃tatur memor dn̄i, nos de gentib. significamur, q̃ eius quidẽ Emanuelis vẽturi notiã nõ habuimus, sed, præteri memorẽ fidẽ habemus. Sed & Barachiæ filij, id est, benedicti domini filij sumus, nec enim antequã ille veniret, quicquam boni habuimus, vt Iudaicus populus, sed ex aduentu eius habemus, cui Psalmista dicit: Benedictus qui venit in nomine domini. Assumus eccè duo testes fideles in veritate rerum comprobantes, quia bonus & optimus cooperator diuinæ generationis, iste ad prophetissam illam accessit, & verum esse confitemur, quicquid de partu beatæ virginis, quicquid de nobis iste prædixit. Quare iam vocabo eam, accelera, spolia detrahe, festina prædari? Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Nunc interim, dum est apud Deum, Deus verbum nondum caro factum, solummodo patrem inuocare scit. Cùm autem (vt supra dixi) virgo cõceperit & pepererit, tunc demum & patrẽ inuocare sciet & matrem. Multum ergo accelerabit, multum festinabit, qui antequam nascatur de matre, antequam patrem hinc, & matrem inde debeat habere, auferat fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ, regem quoque Assyriorum percutiendo de exercitu eius CLXXXV. millia in vna nocte. Planè aliud maius faciet, cùm patrem & matrem inuocare sciet, id est, cùm is qui ante tempora secularia de patre natus est, sub tempore de matre natus fuerit. Tunc enim spirituales hostes, id est, diabolum, & omnes partes eius superabit.

Cap. 7.

Cap. 9.

Psal. 117.

Luc. 10.

Quòd ait: Pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloe, & propter hoc adduci super populum illum regem assyriorum.

CAPVT XXXV.

Et adie-

ET adiecit Dominus loqui ad me, adhuc dicens. Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadũt sub silentio, & assumpsit magis Rasin & filiũ Romeliæ, propter hoc eccè dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorũ, & c.) Per translationem loquitur Siloe fontes Hierusalem & Assyrij fluminis violentissimi, quod omnem terram Israel suis inũdet aquis, & egrediatur ripas aluei, tantoq; feratur impetu, vt postquam decem tribuũ occupauerit terram, ad Iudam perueniat, & transiens, ad collum vsq; pertingat, per quæ vicinam significat captiuitatem. Non enim tunc captus est Iudas, sed cũctis duarum tribuum vrbibus subiugatis, sola remãsit Hierusalem, quæ incredibili Dei misericordia liberata est. Potentiam ergo Assyrij & innumerabilis eius exercitus, quã sublimi inundatione describserat, nunc per aliam ostendit translationem, quòd alis suis, id est, ducibus & infinita multitudine operuerit terrã Emanuelis, hoc est defendentis eam Dei, sed tamen non possederit. Mysticè per aquas Siloe, quod interpretatur missus, quã ille populus contemsit, gratiam baptismi intelligimus, quam populus Iudaicus abiecit. Legimus enim in euangelio, quod cæcum à natiuitate, cuius oculos luto ex saliua sua facto, dominus lauerat, miserit ad aquas Siloe. Quibus cùm cæcus lauisset lutum, cæcitate detersa, clarum oculorum lumen accepit. Quod post signi magnitudinem indicat, non aliter cæcitatem Iudæorum & omnis increduli posse sanari, nisi doctrina aquarum Christi, quæ absque strepitu & clamore verborum leniter fluunt, tenebræ prioris fugentur erroris. Nimirum pro eo, quod populus decẽ tribuum adiecit aquas Siloe, id est, separatus est à Hierusalem & à domo Dauid, adduxit super eos dominus regẽ Assyriorum, quod interpretatur dirigentium: sic pro eo, quod abiecit populus Iudaicus gratiam Dei & fidẽ Christi, adduxit super eum Dominus diabolum regem superborum, & nihilominus exercitum Romanorum, & dupliciter captiuati sunt. Econtrariò sicut iuit rex Assyriorũ per Iudam inundans, & alas suas extendit, implens latitudinẽ terræ, nec præualuit protegente te, ô Emanuel. Sic diabolus per Iudam, id est, contra catholicæ confessionis ecclesiam, multis persecutionibus cõsurrexit, & non præualuit te protegente, ô Emanuel, te defendente, ô nobisc ũ Deus. Dicamus igitur nos, dicamus omnes id quod sequitur inimicis nostris, inimicis Christi persecutoribus nostris Iudæis, paganis, hæreticis. (Congregamini populi, & vincimini. Itẽ: Inite cõsiliũ, & dissipabitur. Loquimini verbũ & nõ fiet.) Itemq;, confortantes alterutrum, dicamus nostris. (Ne dicatis coniuratio.) Id est, ne miremini, quasi noui aliquid acciderit, quoties popul⁹ impius blasphemias irrogat Christo. (Omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est. Et timorem eius ne temeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate. Ipse pauor vester & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis & in petram scandali, duabus domibus Israel in laqueum & in ruinam habitantibus Hierusalem, & offendent ex eis plurimi & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.) Videlicet quia non receperunt Emanuelem, sed factus est eis in lapidem offensionis, & petram scandali. Idcircò conterentur, captiuique ducentur.

Isai. 9.

Quòd ait: Liga testimonium, & qualis secundum sequentia damnatio futura sit: eorum qui non ad legẽ & testimonium, sed ad pseudoprophetas, falsum pro vero, Antichristum pro Christo recipiunt.

CAPVT XXXVI.

LIga testimoniũ, signa legem in discipulis meis.) Ipse qui dixerat superius. Excæca cor populi huius, ipse nunc idipsum suo factũ iudicio commẽdat, dicendo: Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Ac si dicat. Benè feciti, ligando testimonium, signando legem huiusce visionis, in discipulis meis. i. donec veniant discipuli mei, quos dignos faciet fides euangelica, vt aperiã illis sensum, & intelligant scripturas. Protinus ille respondit. (Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.) Ligaui, inquit, & signaui, & quamuis tristitia sit mihi magna pro fratribus meis Israelitis, patienter expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam ab eis & ad gentes transiuit. Expectatus ille tandem cũ plenitudo gentium subintrauerit, reuertẽs ad reliquias Israel dicit. (Eccè ego & pueri quos dedit mihi dominus in signum & in portentum Israelis à domo exercituum, qui habitat in monte Sion.) Pueri quos reuersus ostendit, multitudo gentium est, quę subintrauit in signum, & in portentũ Israelis. Mirabitur enim Israel, cùm de gentibus reuersus ad reliquias eius, tot pueros, immò tantam multitudinem filiorum de ecclesia gentium susceptorũ præsentauerit. Eccè ego inquit. (Et cùm dixerint ad vos, quærite à Phitonibus & à diuinis qui stridٰent incantationib. suis, nũquid nõ populus à deo suo requiret visionẽ pro viuis & mortuis? Ad legẽ magis & ad testimoniũ.) Sensus iste cum illo sermone eius in Euangelio congruit. Et dicent vobis videlicet pseudoapostoli, & Pseudochristi. Eccè hic Christus, aut eccè illic. Nolite ire, neq; sectemini. Nã reuera Pseudoprophetæ quasi Phitones sunt, & quasi diuini, qui stridẽt quasi in incantationib. suis. Nolite, inquã, ire, sed dicite Phitonibus eiusmodi. Nunquid non populus à deo suo requirit visionẽ pro viuis & mortuis? Et est sensus. Si populus dei sumus, nónne sermonẽ eius, siue pro viuis, siue pro mortuis magis quã vos

Cap. VI.

Luc. 14.

Rom. 12.

Luc. 17.

Phitones

Universidad de Deusto
Biblioteca

Phitones aut diuinos attendere debemus? Ergo ad legem magis & ad testimonium sub auditur, quã ad vestram seductionem respicere debemus. Habemus enim legem & testimonium eius cui tanquam lucernæ lucenti, in caliginoso loco attendentes benefacimus. (Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.) Id est, Si nõ sic responderint pseudoprophetis, Antichristi præconibus, in errorem inducẽtur, & lucem æternam non intuebuntur. (Et transibit per eam, & corruet, & esuriet.) Quisquis ita nõ dixerit, per eam subauditur lucẽ trãsibit cæcis oculis, & corruet in laqueum damnationis, & æterna fama esuriet. (Et cùm esurierit, irascetur, maledicet regi suo, & deo suo.) Irascetur planè & rixabitur, nec enim ibi confessionis vel supplicationis locus erit, aut tempus, & maledicet regi suo Antichristo, & deo suo diabolo, quem secutus est deserto deo vero. Non enim saltem in inferno rixarum illis deerit amaritudo. (Et suspiciet sursum, & ad terram intuebitur, & eccè tribulatio, & tenebræ, & dissolutio, angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua.) Et præcedẽtem, sicut & hanc periochen terribili conclusione terminauit. Differenter tamen. Nam illic, aspiciemus in terra, dixit, & eccè tenebræ tribulationis. Hic autem per tertiam personam, suspiciet, inquit, sursum, & ad terram intuebitur, & eccè tribulatio. Nempe illic de seipso simul & omnibus electis loquitur, qui in illo iudicij die, quamlibet iusti nonnullo metu concutientur. Hic autem de solo damnatorum parte, cui & sursum deus iratus, & deorsum tartarus erit apertus. Rectè igitur hic ita terminat. Et non poterit, inquiens, auolare de angustia sua, quod illic non dixerit.

2. Pet. 1.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN ESAIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

Quartam periochen ab eo incipere, quòd ait: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Nepthalim, & cur Euangelista de hoc loco sumens testimonium, partes istas omisit primo tempore, &c.

CAPVT I.

CAP. IX. QVartæ Perioches sensum lucidum, faciemq; pulchram, totus orbis videt, cuius hoc initiũ est.) Primo tempore alleuiata est terra Zabulõ, & terra Nepthalim, & nouissimo aggrauata est via maris, trans Iordanem Galilææ gẽtium.) Primos intelligentiæ aditus Euange-
Matth. 4. lista Matthæus nobis aperit, cùm dicit: Cùm autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaũ, maritimam in finibus Zabulon, & Nepthalim, vt impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam. Terra Zabulon & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ Gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exin de cœpit Iesus prædicare & dicere. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Profectò cùm hæc dicit, visionem siue exortum magnæ lucis, lucidam prædicationem Saluatoris, lucidũ vult intelligi euãgelium regni Dei, quod prima omnium terra Zabulon, & terra Nephthalim ex ore eius audiuit. Nam antequam Ioannes traditus esset, nunquam ille per publicam prædicauit, aut Apostolos elegit, licet discipulos habuerit, coram quibus nõdum tradito Ioanne a-
Ian. 10. quas in vinum conuertit, quòd signorũ eius initium fuit. Sed quid est quod sumptum de isto loco testimonium nõ ad integrum scripsit? Sic enim se habet textus propheticæ lectionis. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthalim & nouissimo aggrauata est via maris, &c. Euangelica autem sic excepit. Terra Zabulon & terra Nephthalim, via maris, &c. Duas omisit, pphetię præcipuas partes, primo tempore alleuiata est, & nouissimo aggrauata est. Quid (inquam) est, quòd testimonium nõ integrum posuit, sed istas partes omisit? Videlicet quia quod hic intelligendum est, primo tempore alleuiata est, & nouissimo aggrauata est, non iam tunc quando prædicare cœpit dominus Iesus adimpletum est. Hoc interim nos intelligere voluit, quia prædicatio Domini Saluatoris quæ primũ in terra Zabulon & terra Nephthalim audita est, visio magnæ lucis est, quæ per hunc prophetam prænunciata est. Nunc ergo per hanc intelligentiæ ianuam ingressi præsentis capituli spatia, quanta eadem iuua mur luce perambulemus.

Quomodo Iudæa primo alleuiata est, nouissimo autẽ aggrauata, quando credendo in Christum magnam cœpit lucem videre populus gentium, & quomodo diabolus violentus exactor superatus sit.

CAPVT II.

PRimo (inquit) tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthalim, & nouissimo

uissimo aggrauata est via maris, trans Iordanem Galilææ gentium. Terram Zabulon, &
Matt. 25. terrã Nepthalim prædictus Euãgelista viam maris appellat, quia secus mare Galilææ sita est, id est, secus lacum Genezareth qui Iordane fluente efficitur, cuius in littore Capharnaũ, & Tyberias, & Bethsaida, & Corozaim steterãt. Hæc terra duarum tribuum, totum significat hic pópulum Israeliticum. Rectè videlicet, quia is qui missus erat ad oues quę
Ibidem 10. perierant domus Israel, quique ante passionem suam dicebat discipulis suis, in viã gentium ne abieritis, primùm in terra illa prædicauit, exinde enim prædicare cœpit. Igitur primo tempore est terra Zabulon, & terra Nepthalim, & nouissimo aggrauata est, id est, præsentis domini Iudæa & prædicationẽ audiuit, & mirabilia vidit, assumpti autem in cælum, verbum repulit, & vitæ æternæ indignam se iudicauit. Primùm illis oportuit loqui, nouissimè ad gẽtes ire vel mittere, quia Iudæa cor suum aggrauauit. Itemque. (Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.) Subaudiendum est, primo tempore Iudaicus qua videlicet luce pro parte electorum alleuiatus est, nouissimo gentilis populus, quando Iudaicus in incredulitate aggrauat' est. (Habitantib. in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.) Mors & vmbra mortis, hoc differunt, quòd mors
Ezech. 18. eorum est, qui cum operibus mortuis ad inferos descendunt, anima enim quę peccauerit ipsa morietur, vmbra autem mortis eorũ est, qui cùm peccent, necdum de ista vita egressi sunt. Possunt enim, si volũt, agere pœnitentiam. (Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.) O lux (inquit) quæ orta es, ambulantibus in tenebris, & habitantib. in regione vmbræ mortis, tu gentem filiorum tuorum multiplicasti, multa quippe ex tunc nata est gens filiorum lucis, sed lætitiam non magnificasti. Quorum lætitiam? Apostolorum, qui primi in terra Zabulon, & Nepthalim videntes te, lucem veram, facti sunt ipsi lux mundi. Eorum lætitiam nequaquam multiplicasti, quia lætitiam, quam habuerunt de illuminatione gentium, magna tristitia permiscuisti, pro excæcatione sui, id est, Iudaici populi. Sed nec ipsius generis quam multiplicasti tu lętitiam magnificasti. Nam hæc sunt verba tua, verba lucis, quæ orta est eis. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Dei. Profectò pœnitentiam agentibus, nondum magnæ lætitiæ tem-
Psalm. 15. pus est. Euntes (inquit Psalmista) ibant & fle-
Matth. 4. bant mittentes semina sua. Sed quid deinde? Venientes autem, ait, venient cum exultatione pòrtãtes manipulos suos. Hoc est, quod continuò sequitur. (Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidũt spolia.) Hæc ergo tam Apostolorum quàm gentis multiplicatę lętitia, sit aliquãtula in spe, magnificabitur autem in re, quando velut messores venient portantes manipulos suos, & tanquam victores diuident spolia, subauditur victi, id est, diaboli. (Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.) Tu enim domine atq; saluator, iugum oneris eius, id est, diaboli, qui prius exultabat in mundo, qui cunctis gentibus imperabat, qui grauissimo iugo seruitutis colla omnium deprimebat, & virgam quę percutiebat vniuersos, & pec cata sibi quasi quoddam tributum reddere cogebat, detraxisti de humeris eorum, & tibi liberatos, seruire fecisti, absque vllo exercitu, absque effusione sanguinis, in abscondita manu, sicut quondam sub Gedeon populo Israeli de Madianitis victoriam præ-
Iudic. 7. buisti. Quomodo enim vestis quæ humano sanguine cruentata est, lauari nõ potest, sed infecta sanguine igne comburitur, vt maculæ fœdi cruoris cum vestimento intereant, sic diaboli violenta prędatio & tumultus ac turbæ, quibus humanum sibi subiecerat genus, gehennæ ignibus deputatæ sunt.

De ortu paruuli vel filij qui illum superauit, & nominibus, siue ordine nominum eius, quorum primum est Emanuel, octauum princeps pacis, & quis zelus domini exercituum fecit hoc.

CAPVT III.

PAruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis nõ erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia amodo & vsque in sempiternum, Zelus domini exercituũ faciet hoc.) Ideo (inquit, diabolus, & omnis violẽta prędatio, qua humanum oppresserat genus, & sanguinem sanguini miscuerat, erit in combustionem, & cibus ignis æterni, quia natus est nobis paruulus, id est, humilis filius Dei, cuius principatus super humerum ipsius erit, ita vt sibimet, cùm sit Deus, proprijs viribus ad tenendum principatum suum sufficere posit, qui & per humilitatem passionis suæ, agens iudicium mundi, & per maiestatem principatus sui, damnet illum in die iudicij. Hic supra, primum dictus est Emanuel, & deinde vocatum est nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari, nunc vocabitur, & alijs nominibus se , id est, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Et vide quam pulcher ordo nominum. Primùm Emanuel. i. nobiscum Deus, pro causa videlicet quæ prima est ordine, quia habitauit in nobis Deus homo factus. Secundũ, accelera, spolia detra-
Luc. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

he, festina prædari, ea videlicet pro causa, qa moriendo fortem armatum diabolum supe rauit, & spolia eius distribuit. Tertium admirabilis, videlicet quia resurrexit à mortuis, & ascendens in cælũ, gloria & honore coronatus, sedet à dextris Dei. Quartum, consiliarius, ex eo scilicet, quod dans paracletũ spiritum sanctum Apostolis suis, consiliũ habuit cum eodem spiritu consilij, de repellendis Iudæis & vocandis Gentibus. Quintum Deus, quia exinde ab omni mundo verè adoratur, vt Deus. Sextũ fortis, quia verè fortis in iudicio, quo expectatur, apparebit. Septimum, pater futuri seculi, quia nimirum peracto iudicio, non iam vt dominus seruorum, sed vt pater filiorum regnabit. Octauum, princeps pacis, quia reuera laudabitur in æternum, & grates habebit vt auctor pacis, qua Deo sumus reconciliati, per mortem eius, qui eramus inimici. Quid miraris? Zelus domini exercituum faciet hoc. Verè & fideliter. Quisnam est iste zelus domini, qui faciet vt talis paruulus nascatur nobis, & tãtus filius detur nobis? Quis (inquam) est iste bonus zelus dñi, nisi bonus spiritus domini? Nempè non virili semine, sed isto spiritu fiet, vt talis paruulus nascatur nobis, vt tãtus filius detur nobis. Sic angelus Gabriel dicit. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. Quare autem presenti loco spiritus sanctus, zelus domini dicitur? Videlicet, quia contra tyrannum regni Dei vsurpatorem zelando fertur, & sua vi vtitur, vt fortior illo fortiar mato sit iste, qui nat⁹ est nobis paruulus, iste qui datus est nobis filius. Idcirco paruulus idem, dæmonia se in spiritu Dei eijcere, profitetur. Itaque misso foras principe mundi, multiplicabitur (inquit) eius imperiũ, & pacis nõ erit finis, &c. Multiplicabitur (inquã) eius imperiũ, vt non Iudæorum tantũ quib. imperauit Dauid, sed omnium imperator sit gentium, amodo & vsq; in sempiternum.

Rom.5.

Luc.1.

Luc.11.

Quod aut: verbum misit dominus in Iacob, & cecidit in Israel, & quomodo hæretici qui significantur per Ephraim dixerunt vel dicant, lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus.

CAPVT IIII.

VErbum misit dominus in Iacob, & cecidit in Israel.) Reuera verbũ hoc verbum bonum, verbum carnem factum, misit dominus in Iacob, voluit enim illud incarnari, & hominem fieri ex Iacob. Quare autem non dictum est in Isaac, aut certè in Abraham, ad quem primum promissio facta est? Videlicet, vt priuilegium vnius ingratissimæ gentis ostẽderet. Nam neq; Abraham vnius gentis, secundum carnem quoq; pater est, neq; Isaac vnius gentis pater est, dictum quippe est vxori eius Rebeccæ. Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex vẽtre tuo diuidentur, scilicet altera ex Iacob, & altera ex Esau. Iacob autem vnius populi pater est, qui est Israel. Ergo verbum misit dominus in Iacob, id est, in illum peculiarem populũ, vt incarnaretur de semine Iacob. Et ô mira ingratitudo, verbum ipsum cecidit in Israel, ita vt conteretur casu istius Israel. Nam in Israel illa eiusdem verbi sententia peruenit. Et qui ciderit super lapidẽ istum, confringetur, super quẽ verò ceciderit, conteret eũ. (Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbia & magnitudine cordis dicentes. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ędificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.) Populus Ephraim, omnes rectè intelliguntur super quos lapis iste cecidit, quos verbum istud terribili casu contriuit, tam Iudæi, quã hæretici. Quare? Videlicet, quia Ephraim cũ hæc prophetia scriberetur, sciſſus erat à domo Dauid, & aureos colebat vitulos, relicto templo domini. Porrò in nomine Ephraim, decem tribus intelliguntur, quia Hieroboã, qui tulerat decẽ sciſſuras, & vitulos illos fabricauerat, de tribu erat Ephraim. Illũ imitantur, quicunq; resiliunt à regno Christi, siue Iudæi siue hæretici. Igitur sciet omnis populus Ephraim, scient omnes qui se scinderunt à regno Christi, quia malum est eis, cecidisse in ipsis verbum istud, quod dominus misit propter superbiam ipsorum, & magnitudinem cordis sui, qua dicunt. Lateres ceciderunt, Sicomoros succiderunt. Per contẽptum, lateres aut sicomoros, quæ ligna vilia sunt, eos appellant Iudæi, qui in Christũ credunt, omnesq; hæretici catholicos, qui suæ sectæ non sunt. Nos (inquiunt) quadro scientiæ lapide ædificemus, nos pro sicomoris illis, cedros quæ imputribiles sunt commutemus, dum insuperabile dogma tenemus. (Et eleuabit dominus hostes Rasin super eum, & inimicos eius in tumultum vertet.) Reuera rasin. i. sapientiam secularem, cuius vtebatur auxilio, eleuauit dominus super eum, in quemcunq; cecidit hoc verbũ, quòd non stat nisi in eo qui diligit Christum. Et inimicos eius in tumultum vertet. Nam in sapientia seculari confidunt aduersarij verbi Dei, fit autem eis econtrario, vt per eandem sapientiam tumultuosa conflictatione destruatur. Etenim aduersus Christum quidẽ concorditer dimicant, sed contra inuicem contrarijs diuisi sectis, impacabilem trahunt discordiã. Vndè postmodũ sic dicitur. (Vnusquisq; carnem brachij sui vorabit. Manasses Ephraim, & Ephraim Manasses, simul ipsi cõtra Iudã.) Deniq; hæc, & cætera, q̃ hoc loco dicuntur, tripliciter intelligenda sunt. Legamus Regum & Paralipomenon volumina, & inueniemus Samariæ inter se bella ciuilia, dum alij pro alijs regibus dimicant, & quomodo suis regib. interfectis, in Iudæ expugnatione concordẽt. Itẽ legamus miserabile Hierosolymorum excidium, & inueniemus,

Gen.25.

niemus, circũfuso Romano exercitu, triplicem intus discordiam, dum aduersum se partes dimicant, & in rebellionem pertinaciter currẽdo Romanorum irã concorditer prouocant, vt irato Deo, nullam hominum mereantur clementiam. Item Ecclesiasticas legamus historias, & inueniemus hæreticorũ aduersus alterum rixas interminabiles, qui tamen, dum seipsos contraria sentiendo dilaniant, concordi tamen malignitatis spiritu, aduersus catholicam debacchantur ecclesiã. Triplici igitur sensu verè dictum est, vnusquisq; carnem brachij sui vorabit. Manasses Ephraim, & Ephraim Manasses, simul ipsi cõtra Iudam. Porrò, quod ait. (Vir fratri suo non parcet, & declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur.) Hunc sensum habet. Vnusquisq; tantæ crudelitatis erit, vt ne charissimo quidem germanitatis nomini parcat, sed dexterã deserens atq; contemnẽs, saturetur in his quæ sinistræ erãt, dũ voluptatũ & maloũ patitur famem, & semper cupit malis peiora sociare.

De Assur cui dicitur væ, et virga furoris mei, et baculus ipse, quod diabolum significet & quomodo hunc ad gentem fallacem mittat dominus, & quod ille cõtra Deum glorietur, sitque æterna damnatione attenuandus.

CAPVT V.

CAP. X. MAlorum omnium incentiuũ, idemq; pœnale flagellũ est diabolus, cui tandem vel contra quem dicitur sub specie Assur. (Væ Assur. Virga furoris mei & baculus ipse in manu eius indignatio mea. Ad gẽtem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponam illum in cõculcationem, quasi lutum platearum.) Nam post aliqua sic infertur. (Et erit in die illa, nõ adijciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super dominum sanctũ Israel. In veritate reliquiæ conuertentur, reliquiæ (inquam) Iacob, ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo.) Ergo Assur iste, est diabolus, cuius captiuitati hic manifestè cõtradicitur. Vbi enim Apostoli procedit auctoritas, cesset omnis alia interpretatio. Esaias (inquit) clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam arena maris, reliquię saluę fient. Et continùò subiungit. Verbum enim cõsummans & abbreuians in ęquitate, quia verbum abbreuiatum faciet dominus super terram. Et reuera si legamus Iosephum, & quanta hominũ in Hierusalem, & in Iudæa fuerit multitudo, quando passus est dominus, intelligimus vix paucos in apostolis & apostolicis viris ex Iudæis esse saluatos. Abbreuiatus atq; perfectus sermo euangelicus est, qui pro cunctis lacinioſ ęlegis ceremonijs, dedit præceptum breuissimũ dilectionis & fidei, vt quod nobis fieri noluerimus, ne fecerimus alteri. Vnde & dominus in euangelio. In his (inquit) duobus mandatis pendet omnis lex & prophetæ. Notandum tandem, quam ordinatè diabolicę tyrannidis, & damnationis eius similitudo præcesserit in isto Assur. Primo nanque tanquam virga furoris domini, & baculus indignationis eius, ad gentem fallacẽ missus est, ad gentem decem tribuum Israel, vitulos aureos, & Baal, & cætera, deorum portenta fallaciter adorantem, & contra illum populum furoris sui mandauit ei dominus vt auferret spolia, & diriperet prædam. Fecit, & prosperatus est. Transtulit enim Israel, posuitq; eos in Ala, & in Abor iuxta fluuium Gozam, in ciuitates Medorum. Dominus miserat eum, domini iudicio venerat, data potestate vt ad suum cuncta faceret libitum. Ipse autem non sic arbitrabatur, & cor eius non ita estimabat, sed applaudebat sibimet, tanquam si glorietur securis contra eũ, qui secat in ea, velut si exaltetur serra contra eum à quo trahitur, quasi si eleuetur virga contra leuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Propter hoc misit dominus Deus in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa arsit, quasi combustio ignis. Regnante Ezechia, factum est sic. Ascendit enim Sennacherib rex Assyriorum, ad vniuersas ciuitates Iuda munitas & cœpit eas. Et hęc (inquit) dicit Ezechię regi Iudæ. Nõ te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam. Nunquid liberauerunt dij gentium singulos quos vastauerunt patres mei? Factum est autem in nocte illa, venit angel⁹ domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque milia. Sic nimirum diabolum, quem nomine quoq; significat Assur (interpretatur enim dirigens, quia semetipsum diabolus dirigit, & in semetipso confidit.) diabolum, inquã, dominus ad gentem fallacem misit, vt quæ in sordib. est fordescat adhuc, imò vt quæ scienter fallit, fallatur adhuc. Illum (inquam) mittit dominus, est enim ille sicut per beatum Iob loquens, testatur ipsi Deo, seruus sempiternus. Ille autem non sic arbitratur, & cor eius non ita æstimat. Nec enim ita seruit, vt Deo conferre velit, non ita veritatis rebelles æterna morte captiuat, vt iustitiam Dei facere intendat. Et nunc interim facit, & prosperatur, omnẽ gentẽ fallacẽ captiuando, quia permittitur. Futurum aũt est, vt meritas excipiat pœnas, quia Iudã quoq; & Hierusalẽ aggredi ausus est, quia catholicæ quoq; confessionis ecclesiã subuertere conatus est, quia cõtra ipsum Deum superbè gloriatus est. Egredietur angelus domini, & castra eius percutiet, egredietur (inquã) veniens ad iudicium angelus magni consilij, ipsumq; & angelos eius in ignem æternum mittet. Nã hoc est, quòd tandẽ per metaphorã sic infert. (Ecce dominator dominus exercituum confringet lagun-

Rom.9.

4. Reg. 19. Esa. 36.

4. Reg. 18. 2. Para. 32

Iob. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

culam in terrore,& excelsi statura succidentur,& sublimes humiliabuntur,& subuertetur condensa saltus ferro,&libanus cum excelsis cadet.) Veruntamen de confractione lagunculæ diuersa diuersorum sententia est. Alij volunt per hanc Christi passionem significari,quod volente Deo & idcirco caro eius morti tradita sit,vt Iudęorum sublimitas destruatur,& excelsi quondam corruant in terram,& libanus cum suis cedris succida
Zacha. 11. tur,de quib.in Zacharia legimus. Aperi libane portas tuas,& comedat ignis cedros tuas. Alij autē volunt hunc locum adhuc dici de Assyrio,quòd illo contrito, omnes in circuitu nationes, quæ ditioni illius subiacebant, succidantur,& humilientur, & saltus dēsissimus subuertatur, per quæ metaphoricos, populum & principes intelligi volunt.Libanum quoq; cum excelsis suis cadere,vt nihil omninò Assyriæ resideat potestati.

Quintæ perioches initium ab eo quod ait: Et egredietur virga de radice Iesse,et quod illa virga virgæ furoris domini Assur,& quòd nulla spiritus sancti gratia Christo flori pulcherrimo defuerit aut desit, aut vnquam defutura sit.

CAPVT VI.

CAP.XI. EA quæ sequuntur,& nos de Christo scripta fatemur,& circuncisio nō diffitetur. Et vtralibet de prædictis lagunculæ sententijs potior sit, quinta hic periocha incipit,& vsq; ad principium visionis vel oneris Babylonis, omnis hæc prophetia de Christo est. (Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus domini,spiritus sapientię & intellectus,spiritus consilij & fortitudinis,spiritus scientiæ & pietatis,& replebit eum spiritus timoris domini.)Virgam de radice Iesse sanctam Mariam virginem intelligimus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem,de qua & supra legimus. Ecce virgo cō
Cap.9. cipiet & pariet filium,& florem, dominū sal
Cant.2. uatorē,qui dicit in cantico canticorum.Ego flos campi,& lilium conuallium. Et quā pulchra oppositio. Supra ostendebatur ille spiritualis Assur, virga furoris domini,& in manu eius baculus indignationis eius. Ecce autem virga gratiæ,virga requiei domini,& in illa flos in quo habitet, super quem requiescat omnis plenitudo diuinitatis. Nota Christianæ fidei celebrisq; hæc descriptio est, septiformis spiritus sancti. De singulis spiritibus,proprium quid breuiter dicendum est, quod verè nihil horū Christo flore pulcherrimo defuerit,aut desit, aut vnquam defuturum sit.Etenim sapiętię spiritus,in eo plenariè requieuit,qui velut iuxta fluenta plenissima residēs,diuinitati sibi insitæ semper intendit,& omnes diaboli tentationes in deserto sapienti responsione cassauit. Spiritus intellectus in eo requieuit,sciuit enim quib.
Mar.1. aperiret mysteria regni Dei,quibusue loqueretur in parabolis, atque sano cordis palato cuncta discernens, nec dęmones admittebat confitentes ipsum esse filium Dei, nec indignis loquebatur mysteria Dei,imò prohibebat sanctum canibus dari, & margaritas ante porcos mitti. Spiritus quoq; consilij in eo *Matt.7.*
requieuit, vndè & abscondebat hæc à sapientibus,& prudentibus,vt reuelaret ea paruulis. Spiritus quoq; fortitudinis in eo requie- *Matt.11.*
uit, cuius sibi conscius, nemo, inquit,potest rapere de manu patris mei. Itē: Ego cognosco oues meas, & nō rapiet eas quisquam de *Ioan.10.*
manu mea.Spiritus scientiæ in eo requieuit, quippe qui de omni scriptura, tempori vel rei congruas proferebat sententias,ita vt mirātes dicerēt eius aduersarij. Quomodo hic *Ioan.7.*
literas scit,cùm non didicerit? Spiritus pietatis in eo requieuit, quippe qui eo semper in- *Luc.19.*
tentus fuit,vt vitam daret mortuis,mitemq; patientiam habens,reddidit bona pro malis. Nam filius hominis(inquit)nō venit animas perdere,sed saluare.Spiritus timoris domini in eo requieuit, videlicet ita vt pro delitijs haberet, cum voluntate patris saturari opprobrijs,dicens per omnia ab initio suæ incarnationis.dicens(inquam)non solum ver- *Luc.22.*
bis,sed & factis. Pater non mea, sed tua volū tas fiat.Igitur spiritus domini, qui hactenus in magna sylua generis humani, requiē non inuenerat, tandē super hunc florem requiescit,in quo æterna statione permanens, nullam alicuius vitij repulsam aliquando pertulit.

Cur de radice Iesse,quā de radice Dauid dicere maluit,& quod omnia quæ de isto flore dicuntur, repugnantia sint dictis Assur arrogantis.

CAPVT VII.

NOn secundum visionem oculorū iudicabit, neq; secūdum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro māsuetis terræ.) Antequam progrediamur,quærendum est,cur propheta hoc loco Iesse maluerit nominare,quā Dauid, dicere de radice Iesse, quàm de radice Dauid,cùm non ad Iesse patrē,sed ad filium huius Dauid, floris huius repromissio facta sit.Dicimus, quod quia Dauid ꝓ maiestate regia persona fuit sublimis, Iesse verò qui & ipse dictus est Isai, ordine vel statu longè humilior fuit,adeò vt nō semel, sed multoties Dauid iā regi ab inimicis subsannando improperaretur, quòd esset filius Isai,porrò aduersus superbiam Assur,id est, diaboli sermo nunc erat, & velut antidotū humilitatem medicinalis gratia promittebat.Rectè igitur regiam præteriuit personā Dauid, egredietur (inquit) virga de radice Iesse,cùm dicere posset de radice Dauid. Omnia quæ de hac virga, vel flore eius dicuntur,repugnantia sunt dictis Assur arrogantis. Dicebat ille,Nunquid non principes mei *sup.10.*
reges sunt? De isto autem spiritus sanctus dicit. Non secundum visionem oculorum iudica-

iudicabit,neq; secundum auditum auriū arguet.Hoc verisimè dictum est.Nunquid enim secundum visionem oculorum dñs noster virgæ virgineæ flos iudicauit, & secundū personā primates quoslibet elegit, quos faceret senatores cæli,quib. daret claues regni sui? Nunquid secundum auditum auriū arguit,vt loquentes assumeret, quos faceret causidicos veritatis,& reprobauit aliquos eo quod essent homines idiotæ, & sine literis? Non vtiq;,sed iudicauit in iustitia pauperes. Qua iustitia? Iustitia fidei, quæ vera & antiqua iustitia est,per quam & Abraham iustificatus est. Nam credidit (inquit scriptura)
Matth. 16. Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.Quomodo vel vbi in hac iustitia iudicauit pauperes? Exempli gratia. Petrus pauper erat,pauper(inquam)Petrus,id est, humilis erat. Hic autem illi interroganti, vos quem me esse dicitis, respondens dixit: Tu
Matth. 16. es Christus filius Dei viui. Hæc fides est,hęc fidei iustitia est. In hac iustitia fidei, statim pauperē iudicauit,& dixit. Beatus es Simon Bar Iona,quia caro & sanguis non reuelauit tibi,sed pater meus qui est in cælis,&c. Vera citer ergo non secundum visionem (inquit) oculorum iudicabit, sed iudicabit in iustitia pauperes. Et continuò subiunxit: Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Hoc manifestissimè factur⁹ est vltimi iudicij die. Dicet
Matt. 25. enim arguendo in ira & in furore, Discedite à me maledicti in ignem ęternū,qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi potum,&c. Hoc veraciter arguere est pro mansuetis, id est, pro minimis quemadmodum dicit. Quamdiu vni de minimis meis non feciſtis,nec mihi feciſtis. Minimi isti,mansueti sunt terræ, quia videlicet & angeli sancti mansueti sunt,sed non mansueti terræ, eo quod in terra nihil vnquam passi sunt indigentiæ. (Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorū interficiet impium.) Ex quo flos iste de virga vel radice Iesse egressus est, iugiter terrā virga oris sui percutit. Vnus enim magister noster ipse est,& discipulatui eius subiectos sermone suo percutit, & à terrenorum amore compescit.Futurum est autem quod subiūgit, & spiritu labiorum suorum interficiet impium,id est,hominem peccati,filiū perdi-
2.Thessa.2. tionis. Nam illum(inquit Apostolus)interficiet domin⁹ Iesus spiritu oris sui. (Et erit iustitia cingulum lumborum eius,& fides cinctorium renum eius.)Quòd dixerat:Et erit iustitia cingulum lumborum eius,hoc repetiuit dicendo,& fides cinctorium renum eius. Nam iustitia Christi,fides Christi est, nō qua ille iustificetur,sed qua nos in illo iustificemur. Necverò ipse indiguit,vt pugnaciter cingulo lumborum aut cinctorio renum vteretur,sed scriptura more suo, sic de capite loquitur, vt confestim ad corpus respiciat, cuius est caput.Est itaq; iustitia cingulū lumborum eius,& fides cinctorium renum eius, quia videlicet nos mēbra eius, qui de luxuria progeniti sumus,magna fide indigemus, vt contra luxuriam fortes esse posimus.

Quòd huiusmodi quæ sequuntur,qualiter extunc vsque hodie in ecclesia Christi impleta sint, & quæ sit scientia domini quæ hæc efficit.

CAPVT VIII.

HAbitabit lupus cum agno,et pardus cū hędo accubabit. Vitulus & leo,& ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.)Notandum quod non dixerit,habitabit agnus cum lupo, & accubabit hœdus cum pardo, sed accubabit pardus cū hœdo, & lupus habitabit cum agno. Hic dicimus, vt nō incidat memoriæ, quia tota hæc lectio oppositam sonat humilitatē superbię Assur. Lupus enim.i.persecutor quilibet,habitabit cum agno. Verbi gratia. Paulus qui primitꝰ persequebatur ecclesiā & lacerabat, de quo dictum est. Beniamin lupus rapax, habitabat cum Anania Christianæ simplicitatis a- *Gen.49.*
gno,à quo baptizatus est, vel cum Petro Apostolo, cui dictum est: Pasce agnos meos. *Ioan.12.*
Et pardus qui prius non mutabat varietates suas,lotus in fonte Christi,accubuit cum hędo,non qui à siniſtris est,sed qui immolatur in pascha domini.Leo quoq; prius ferocissimus,& ouis & vitulus pariter morabuntur. Quotidie cernimus in ecclesia diuites & pauperes,potētes & humiles,reges atq; priuatos pariter cōmorari, & à pueris paruulis, quos apostolos intelligimus,imperitos sermone, sed non sciētia, regi. (Vitulus & vrsus pascētur simul, requiescent catuli eorum, & leo quasi bos paleas comedet.) Cùm enim inter se disciplina dñi fuerint fœderati, de quibus iam dictum est, tunc vitulorum atq; vrsorū catuli simul requiescent. i. familiæ fidem sequentes dominorum, pariter tollētes super se iugum domini,requiem animab.suis inue- *Matth.11.*
nient. Quę aūt sunt paleę,quas leo quasi bos comedet, nisi simplicia verba in scripturis sanctis? Frequenter quippe euenit,vt homines seculi,mystica nescientes,simplici pascātur lectione scripturarum. (Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis:& in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suā mittet.) Infans qui est malicia paruulus,mittet manum suam in foramen aspidis.i.dæmones de obsessis hominum corporibus fugabit.Qui autē ablactatus est, & nequaquā lacte nutritur infantiæ, sed iā solido vescitur cibo,iste in reguli cauernam mittet manum.i.in ipsius Sathanæ habitaculum,& inde extrahet eum.(Non nocebunt, & non occidēt in vniuerso mōte sancto meo.) Hęc omnia quæ prædicta sūt, sic immutata vt recte dicere possis. Hæc est mutatio dexteræ excelsi,nō nocebunt in mōte sancto meo.i. in ecclesia,de qua ipse,Non potest(inquit)ciuitas abscondi supra montem posita. (Quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

repleta est terra sciẽtia dñi, sicut aquæ maris operiẽtes.) Quærebas vndè hoc leonibus, & vrsis, lupis & pardis, ecce causam effectiuam reddidit dicendo, quia repleta est terra scientia domini. Quæ autem est scientia domini, quæ mira hæc efficit, nisi humilitas domini? Nempè ipse cum dixisset leonib. & vrsis, lupis & pardis, tollite iugum meum super vos, continuò subiunxit. Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Tantus magister, *Matth. 5.* hoc solũ se docere profitetur, quia mitis est, & humilis corde. Et huius rei solius, dociles nos cupit mentes habere. Ergo scientia domini, humilitas est domini, sicut econtrariò stultitia Assur. i. diaboli, superbia est diaboli. Hac domini scientia terra repleta est, sicut aquæ maris operientes. Quo modo, vel quali ordine? Sequitur continuò.

Quomodo radix Ieſſe in ſignum populorum, & ſepulchrum eius ſit glorioſum: et quomodo adiecerit manũ ſuam, ad poſſidendum reſiduũ populi ſui, ad congregandum profugos Iſrael.

CAPVT IX.

IN die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignũ populorum, ipſum gẽtes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.) Ex quo radix Ieſſe ſtetit, in ſignum populorum, ex eo repleta est terra scientia domini, ſicut aquæ maris operientes. Quid enim fuit, in ſignum populorum ſtare radicem Ieſſe, niſi filium hominis exaltari à terra, & omnia trahere ad *Ioan.12.* ſe? Ex eo nimirum ſpiritꝰ est datus, poſtquã illa exaltatione Ieſus est glorificatus. Dixit autẽ de illo ſpiritu dato, euangeliſta teſtante. Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flu- *Ioan.7.* mina de ventre eius fluent aquę viuę. Igitur aquæ scientiæ domini, aquę operientes, ſubauditur peccata ſignum illud, diuiſiones gratiarum ſpiritus ſancti, quo inebriatus lupus cum agno, & pardus cum hœdo habitauit, & leo quaſi bos paleas comedit. Ipſum (inquit) gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum. Ecce hodie gentes *Galat.6.* ipſum deprecantur, & in ſepulchro, id est, in morte eius gloriãtur. In quo enim alio ſe gloriari profitẽtur? Mihi (inquit Apoſtolus) abſit gloriari, niſi in cruce domini mei Ieſu Chriſti. Idipſum cum Apoſtolo gentes quoque actu quodã loquuntur, pingentes iugiter ſignum crucis in ſuis frõtibus. Hoc facere glorioſum est & regibus. Quare autẽ magis placeat dictum vel ſcriptum eſſe glorioſum ſepulchrum eius, quam ſignum vel dormitionem eius? Nimirum quia quicunq; bap- *Rom.6.* tizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, cum dixiſſet Apoſtolus, continuò ſubiunxit. Cõſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quo modo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Parũ erat ad gloriã radicis illius, ſi ꝓpter arida ligna tantummodo in crucem exaltaretur, & dormitione mortis ſopiretur, niſi etiã plantata in ſepulchro terræ glorioſa reſloruiſſet reſurrectione. Ita profecto parũ eſſet omnib. in illo ſigno gloriantibus, ſi ſolummodo ſignum illud crucis in frondibus eorum pingeretur, quod facimus, quando quemq; catechizamus, niſi etiã in ſepulchro elemẽtaris aquæ, terna merſione, pro triduana illius ſepultura plantaretur nouus exinde ſurrecturus, & deinceps inter mẽbra noui hominis computandus. Notãdum interea, quod flos idem qui ſupra dicebatur egredi de radice Ieſſe, nunc econuerſo dicitur radix Ieſſe. Quare hoc, niſi quia & ille radix carnis huius, & iſte radix est fidei illius? Iſte de carne illius egreſſus est, ille de ſpiritu huius reſuſcitandus eſt. Sequitur. Et erit in die illa. Adijciet dominus ſecũdo manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Helan, & à Sennaar, & ab Emath, & ab inſulis maris. Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.) Hæc propheta continuè loquitur, poſtquam dixit glorioſum fo- *Ioan.11.* re ſepulchrum eius. Quid ergo aliud nobis prophetatur, quàm quod per Ioannẽ euangelizatur, dum dicit, quia Ieſus moritur⁹ erat pro gente, & non tantum pro gẽte, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi cõgregaret in vnum? Nam ecce leuabit dominus in natiões *Ioan.3.* ſignum populorum, de quo iam dictum est. Verè leuauit atque exaltauit ſicut exaltatus est ſerpens in deſerto, vt omnis qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam. Congregantur profugi Iſrael, colliguntur à quatuor plagis terræ diſperſi Iuda, ipſa nanque congregatione & collectione ſua fiunt Iſrael, fiunt Iuda quælibet gentes, quælibet nationes. Quid porrò est quod ait. Adijciet dominus ſecundo manum ſuam ad poſſidẽdum reſiduum populi ſui? Quid, inquã, niſi quia iam dudũ manum ſuã extendit ad poſſidẽdum, ſed adhuc locus erat? Nẽpè in ma- *Luc.4.* nu forti eduxit filios Iſrael de terra Aegypti, & illos per paſsionẽ ſuam, in domũ ſuam induxit, ſed vidit, quia adhuc locus est, quia nondum electorum numerus cõpletus est. Adiecit ergo ſecundo manum ſuã leuando ſcilicet ſignum illud, non tantũ in Iſrael, ſed & in nationes, vt iã dictum est. Nihilominus & illud vigilanter intuendũ est, quod cũ dixiſſet ad poſſidendũ reſiduũ populi ſui, ſubiecit & dixit, quod relinquetur ab Aſſyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, &c. Quid enim *1. Cor.1.* est eſſe relictũ ab Aſſyrijs & à cęteris gentib. ſiue inſulis maris, niſi cõtemptũ & deſpectũ eſſe ſuperbo mundo huic? Planè illud est qꝺ Apoſt. dicit. Videte enim vocatiõem veſtrã fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnẽ, non multi potentes, nõ multi nobiles, ſed q̃ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia & ignobilia mundi, & cõtemptibilia

ptibilia elegit Deus, & ea quæ nõ ſunt, vt ea q̃ sũt deſtrueret, vt nõ glorietur omnis caro in conſpectu eius. Ergo & in iſto magna humilitatis Chriſti commendatio est, & contra ſuperbiam Aſſur, de quo iam dictum est.

Quomodo per prædicationem hoſtes Iuda perierunt, & eccleſia de cunctis gentib. ſuſcitata ſit, & deſolauerit Dominus linguam maris Aegypti, id est, ſtultam fecerit ſapientiam huius ſeculi.

CAPVT X.

ET auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Iuda peribunt. Ephraim nõ æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit cõtra Ephraim. Et volabunt in humero Philiſtijm per mare ſimul prædabuntur filios orientis. Idumea & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt.) Eo tempore (inquit Eſaias) nequaquam Ephraim & Iudas, qui nunc me prophetante inter ſe hoſtili o- *Ezech.37.* dio diſsident, inimici erunt, ſed iuxta Ezechielis prophetiam duæ virgæ in vnam virgam copulabuntur & iungentur in Chriſti Eccleſia, qui prius fuerant ſeparati, ita vt in gentibus communi deſudent labore, & volent in humero Philiſtijm per mare volucri *Actor.14.* curſu, hoc est primum maritimis prædicent *16.&27.* Paleſtinæ, & per mare pergant feſtinantes ad *Rom.15.* cæteras nationes. Quod de vnius Pauli Apoſtoli intelligamus exemplo, qui per Pamphyliam & Aſiam, & Macedoniam, & Achaiã, & diuerſas inſulas & prouintias ad Italiam quoque, vt ipſe ſcribit, & ad Hiſpaniam, alienigenarum portatus est nauib. Idumæa (inquit) & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt. Hæ gentes eo tẽpore quo Eſaias prophetabat, aduerſariæ erant populo Iudæorum, & idcircò nunc dicit, quod poſtquam ſurrexit radix Ieſſe, vt regnet in gentib. & vexillum crucis ob ſalutem totius orbis fuerit eleuatum, tunc etiã Idumæa & Moab & filij Ammon, omnis, ſcilicet multitudo Arabiæ, dent Apoſtolis manus & in locis idololatriæ Chriſti Eccleſiæ ſuſcitentur. (Et deſolabit dominus linguam maris Aegypti, & leuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & per- *Luc. 8.* cutiet eum in riuis ſeptem, ita vt tranſeant per eum calciati.) Regnante Cæſare Auguſto, quando flos de radice Ieſſe conſcendit, & in vrbe Romana prima deſcriptio facta est, potẽtiſsimũ prius regnum Aegyptiorũ, qꝺ multis durauit ætatibus, Cleopatræ morte deſtructum est, & percuſſus est amnis Aegyptius, in ſeptẽ riuis, vt qui prius vno fluẽs alueo intranſibilis erat, in ſeptem riuos diuiſus atque conciſus, calciatis tranſiretur pedibus. Verùm quantum hoc fuit ad maieſtatẽ vel fortitudinem ſpiritus domini? Ergo & hoc & cætera quæ iam dicta ſunt, quia factu- rus ea promittitur ſpiritus Domini, ſpiritualiter oportet intelligi. Et deſolabit (inquit) Dominus linguam maris Aegypti, id est, ſtul- *1. Cor.1.* tam faciet Dominus (vt Apoſtolus ait) ſapiẽtiam huius ſeculi, & leuabit manum ſuam ſuper flumen, id est, declarabit veritatẽ ſuam ſuper loquacem philoſophorum vanitatem. Et hoc in fortitudine ſpiritus ſui, videlicet, quo miſſo de cælo, vbi aſcendit & ſedit à dextris dei, Apoſtolos ſuos, qui prius erant infirmi, fortes effecit. Nam exinde & aperto ſenſu ſcripturas intellexerunt, & linguis omnibus locuti ſunt. Et ita linguam maris Aegypti deſolauerunt, & omne flumen exicca- *Marc. 16.* uerunt, atque percuſſerunt in ſeptem riuis, *Actor.2.* vt tranſirent calciati in præparatione Euangelij pacis, pedibus pulchris, pedibus ſpecioſis. (Et erit (inquit) via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyrijs, quando aſcendit de terra Aegypti.) Sicut enim illis fugientibus, diuiſit Deus mare rubrum, & merſo Pharaone cum currib. ſuis & equitibus, pertranſierunt cantãtes ſupernæ victoriæ canticum, ſic iſtis fugientibus diabolum, aperiet *Exod. 14.* baptiſmi ſalutaris ſacramentum, merſoque diabolo & omnibus pompis eius pertranſibunt in vitam æternam, cantantes huiuſmodi canticum.

De cantico prophetæ: Confitebor tibi Domine, & cætera, vbi vel in quo iratus fuerit Deus homini, quando furor eius in gratiam conuerſus ſit, quas hauſerimus aquas de fontibus ſaluatoris, quas eius inuentiones notas fieri in populis, & in vniuerſa terra annũciari oportuerit.

CAPVT XI.

CONfitebor tibi Domine quoniam ira- *CAP. XI.* tus es mihi, conuerſus est furor tuus, & cõſolatus es me.) Et dices (inquit) in illa die. Cõfitebor tibi Dñe, &. Hoc verè dixit, & dicit quiſq; noſtrũ in iſto tempore acceptabili, in iſto die ſalutis. Neceſſariò dicit, neceſſariò ſic confitetur quicunque vult ſaluus fieri. Quid enim est, quod iſta depromitur confeſsione, niſi quod oportet nos credere. Iratus es mihi, inquit, ſubauditur in Adã, in quo omnes peccauerunt, & per peccatum ira tua, id est, mors introiuit in mundum, & ita in omnes tam Iudæos quàm Græcos pertranſi- *Rom.3.* uit, teſtante Iudæis Apoſtolo, cũ dicit. Era- *Ibidem.5.* mus enim & nos aliquando natura filij iræ, ſicut & cæteri. Conuerſus est furor tuus & cõſolatus es me. Iuſtè iratus es. Miſericorditer autẽ conuerſus est furor tuus in gratiã, videlicet quãdo virga ſupradicta de radice Ieſſe, egreſſa est, & flos de radice eius aſcendit. in quo enim conſolatus es me, niſi in ſpiritu tuo ſuper illum requieſcente? Nã inde paracletus. i. conſolator dicitur idẽ ſpiritus. Super hoc confitebor tibi, dicamq;. Eccè deus Saluator meus, fiducialiter agam & nõ timebo. Quaſi digitum intendam, neq; à dextris neq; à ſiniſtris claudicans, dicamq;. Eccè iſte flos candidus & rubicundus, qui temporib. Auguſti Cæſaris, de virga virginea, radicis Ieſſe egreſſus est, & ſub Pontio Pilato in lignum crucis exaltatus, ſpinis clauorum laceratus, *Ephe. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. LI. iste, inquam, & non alius deus meus est, saluator meus. Non dicatur mihi, ille vel ille, alius Messias, id est, Christus est, & nondum venit, sed venturus est, nã iste est, & nó alius est. Quisquis alius Christum se esse dicat, nó Deus meus, sed diabolus est, non saluator meus, sed hostis & filius perditionis est, fiducialiter agam, & non timebo, non quod confidam in memetipso, sed quia. (Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem.) Idcircò fiducialiter agam, quia ille fortis fortitudo mea est, de quo supra dictum est, & percutiet terrã virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Non solùm fortitudo, sed & laus, id est, pulchritudo mea est flos iste, decus humani generis, gloria nostræ carnis. Quomodo autem factus est mihi in salutem, nisi hominem assumendo, quod non erat, vt saluaret me per antiquam & intemporalem suæ diuinitatis virtutẽ. (Haurietis aquas in gaudio, de fontibns Saluatoris.) Quicunque ita dixeritis in illa die, quicunq; ita confessi fueritis, propter eiusdem fidei confessionem, haurietis aquas in gaudio, quod nemo tollet à vobis, de fonte. i. de plenitudine Saluatoris. Quas haurietis aquas, nisi spiritus S. dona quam plurima? Nam & hoc ipse in Euangelio clamat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem (inquit) Euangelista dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum (Et dicetis in illa die. Confitemini domino, & inuocate nomen eius.) Hac die vel isto tempore, silẽtium est (ait) propheta, sed in illa die cũ hauseritis de fontibus Saluatoris aquas, loquemini & dicetis, audiente vniuersa terra. Confitemini domino peccata vestra, agite pœnitentiam, & inuocate nomen eius, in quo solo peccata remittuntur. (Notas facite in populis adinuentiones eius.) Videlicet vt omnes populi admirentur. Quales enim vel quantæ sunt adinuentiones eius? Bonæ adinuentiones, miræ adinuentiones, quas nemo adinueniſſet, nisi ipse solus. De illis ipse ad beatum Iob loquitur. An extrahere poteris Leuiathan homo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus eius, & armilla perforabis maxillam eius? Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis illum ansulis tuis &c. Istas in populis notas facite adinuentiones eius, quas profundo consilio adinuenit, vt astutũ diabolũ comprehenderet in astutia eius. (Mementote quoniam excelsum est nomen eius.) Cuius eius? Dei Saluatoris, sedentis ad dexteram maiestatis in excelsis. Dedit enim illi Deus nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiũ, terrestriũ, & infernorũ. Horũ mementote, & hæc nota facite prædicando vbiq;, ipso cooperante, & sermonẽ confirmante sequentib. signis. (Cãtate Dño quoniã magnificè fecit.)

Ioan. 7.

Iob 40.

Philip. 2. Marc. 16.

Cantate (inquit) id est, nó inuiti, sed volentes euangelizate, magnifica quæ fecit. Aquas enim in gaudio hausistis, idcircò euangelium hoc gaudij vestri canticũ vobis sit. (Annunciate hoc in vniuersa terra.) Non in sola Iudæa, sed & in vniuersa terra. (Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.) O Sion, ô specula, ô collocata in sublimibus ecclesia, exulta & lauda, subaudi tur in die illa, quando dices ista, quia magnus in medio tui sanctus Israel, sanctus, inquam, & sanctitatis flos, in quo vt supra dictum est, septiformis spiritus dñi requiescet. Huc vsq; manifesta de Christo ꝓphetia est.

Quòd onera quæ sequuntur, inter quæ onus deserti maris, &c. quæ secundũ ordinẽ numerantur, cuncta per sequi, neque nostræ facultatis, neque præsentis propositi sit.

CAPVT XII.

CA. XIII

SEquuntur onera, de quibus in exordio prophetæ, imò euangelistæ huius dictum est. Onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Aegypti, onus deserti maris, onus Duma, onus in Arabia, onus vallis visionis, onus Tyri, onus iumentorum austri. Et decem quidem sunt, sed in principio nouem numerauimus. quia videlicet onus deserti maris, nó aliud est quã onus Babylonis. Dubium hoc esset, nisi præscripto onus deserti maris, in consequentibus eiusdem capituli legeremus, Babylon dilecta posita est mihi in miraculum. Et iterum. Cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. Et suprà: Ascende Elain, obside Madai. Mare autem propter multitudinem habitantium dicitur. Horum sub nominibus vniuersæ partes nomini Christi, & sanctæ ciuitati eius Hierusalem cælesti, aduersantes condemnantur, sicut in exordio diximus. Quæ videlicet partes, imò scissuræ quasi nouem sunt, decimamque vnius fidei catholicam ecclesiam impugnant, quia multi sunt, & ideò per nouenarium intelligẽdi numerum, cui vnum si addatur, fit vnitas secũda siue decena, id est, denarius. Onus vallis visionis, onus est Hierusalem, quæ & ipsa multis scripturarum locis inter gentes reputatur, quia non parum cælesti Hierusalem aduersata est, quippe quæ & prophetas ad se missos, & ipsum dominum prophetarum occidit. Idcircò nunc dicitur vallis, quia non est ea, de qua scriptum est. Fundamenta eius in montibus sanctis. Vallis autem visionis, quia videntium, id est, prophetarum semina rium fuit. Hæc prosequi, neque nostræ facultatis, neque nostri propositi est. Septem tantummodo periochas distinguere, breuiterque percurrere ꝓposuimus, quibus euangelica fides recapitulando non tam prophetatur, quã euangelizatur. Quinq; ex his transegimus, sextam duce spiritu sancto, iam nũc ingrediemur.

Infra c. 21

Sextam

Sextam periochen ab eo incipi quod ait: Consurge, consurge, induere fortitudinem, & cætera: per quæ datur intelligi, quia propheta sanctus fortiter aduentum Saluatoris desiderabat.

CAPVT XIII.

COnsurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Nũquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati.) Hic iam in propheta spiritus S. pro nobis postulat gemitibus inenarrabilib. vt veniat liberator animarum, sine quo nulli poterat esse salus. Sentiendum nobis istud est, intimo affectu, quia fortiter rugiebat à cordis sui gemitu hic propheta sanctus, quẽ iure Euangelistam dicamus, cùm hæc & cætera quæ sequuntur, loqueretur. Verbi gratia. Et ascendit sicut virgultũ corã eo, & sicut radix de terra sitienti Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Sed iam verba proposita ordine prosequamur. Consurge (inquit) consurge, induere fortitudinem brachium domini. Brachiũ Domini quid est, nisi verbum Domini, nisi vnigenitus filius Dei? Nam verbo Domini omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Consurge ergo (inquit) & hoc ipsum tertio repetit. Ac si dicat. Quid tamdiu te continues in sinu patris ô brachium Domini, ô dextera Domini? Cur te quiescente, tamdiu superabit fortis armatus, princeps mũdi huius? Consurge, & induere fortitudinem, induere pulchram & fortem dilectionem, pulchrã & fortem obedientiæ charitatem. Ita consurge, sicut in diebus antiquis, in generationib. seculorum. Iam quasi respõderet ei brachiũ Domini, quomodo consurrexi ego in dieb. antiquis, continuò subiungit. Nunquid non tu percussisti superbũ, vulnerasti draconẽ, & cætera. Et est sensus. Nunquid non tu percussisti superbum Pharaonem, & vulnerasti typum superbi gestantem, figuram draconis diaboli præferentem? Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, in typum lauacri salutaris, quod nobis de latere profundere proposuisti? Nónne tu es, qui posuisti profundũ maris viã, vt transirent liberati, in typum futuri sacramẽti tui, per quod nobis transeundum foret, vt vocaremur liberati, vt essemus liberati manu mortis. Nũquid non tu hæc bona fecisti, meliora te facturum significans, ô brachiũ Domini? (Et nunc qui redempti sunt à Domino, reuertẽtur & venient in Sion laudãtes, & lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium & lætitiã tenebunt, fugiet dolor & gemitus.) Et nunc (inquit) sic facies, ô brachium Domini, vt fecisti in diebus antiquis, sic consurges vt consurrexisti in diebus antiquis. Te consurgente reuertentur. (& venient in Sion laudãtes. Qui reuertentur, & qui venient? Qui redempti sunt à Domino. Qui redempti sunt à Domino? Nimirum nó omnes filij Adam, sed quotquot prædordinati fuerant, ad vitã æternam, antequam præuaricaretur Adam. Illi reuertẽtur in patriam, quã perdiderunt, venditi in Adam. Ipsa est Sion, ipsa est ciuitas omnium beatorum. Laudãtes reuertentur, laudantes venient, & lætitia sempiterna super capita eorum, id est, in cordibus eorum. Fugiet & dolor & gemitus. Prima hæc abierunt, quod doleant, quod gemant non erit amplius. Gaudium & lætitiã tenebunt, quæ hic nulli gaudentes aut lætantes tenere possunt. Fugitiua nanque lætitia, fugitiuum est huius mundi gaudium.

Esa. 55.

Exod. 24.

Qualem consolationem siue consolatorem promittat Deus, dicendo: Ego, ego ipse consolabor vos, & quam rectè dicat continuò, quis tu, vt timeas ab homine mortali, & cætera. quia mox vt venit consolator spiritus sanctus redarguit, verbi gratia: Petrum vt non timeret à Nerone, qui prius timuerat ab ancilla ostiaria.

CAPVT XIIII.

EGo, ego ipse consolabor vos. Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum, ita arescet & oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos & fundauit terram, & formidasti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat & parauerat ad pendendum? Vbi nunc est furor tribulantis?) &c. Ego (inquit) qui percussi superbum, qui siccaui mare, qui posui profundum maris viam vt verè fatemini. ego (inquam) ipse consolabor vos. Non legatus veniet aut angelus, sed ego ego ipse consolabor vos, consolatione propria qua nemo alius posset consolari vos. Paracletum, id est, consolatorem ego habeo, paracletum spiritum sanctum ego vobis dabo. Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis? & cætera. Nemini dubium, quin hæc dicat paracletus, id est consolator spiritus sanctus in aurem eius, cui datur. Omnes enim quot quot fortes in Christo sumus, ex illo consolatore fortitudinem accepimus. Ipsi Apostolorum principi Petro, spiritus sanctus hęc locutus est. Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis? Imò quis tu, vt timeres à muliercula ab ancilla ostiaria? Certũ quippe est, quia Pet. Apostolus à tali persona timuit, & oblitus est domini factoris sui, negauit illum, quem confessus fuerat esse filiũ hominis, filium Dei viui. Hic autem consolator vbi datus est, sic illum corripuit, vt qui timuerat ostiariæ linguã, iam nó timeret Romani imperij potentiã. Sic & cęteri quiq; pro sua portione cõsolatoris huius virtute robo rati sunt, vt nó timerent eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt.

Matth. 21. Lucæ 36. Matth. 16.

Matth. 10.

Vbi (inquit)

CAP. LII. Vbi(inquit)nunc est furor tribulantis? (Cito veniet gradiens ad aperiendum, & nō interficiet vsque ad internetionem nec deficiet
Matth. 10. panis eius.) Quis veniet ad aperiendum, nisi ille, de quo Apostolus. Veniet(inquit)domi
1. Cor. 4. nus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium? Hoc nempe ad consolationem pertinet eorum, quorum in præsenti supplantatur iudicium, vt beatos se fore credant, cùm oderint eos homines & exprobrauerint & eiecerint nomen eorum tanquam malum. Non interficiet vsque ad internetionē, nec deficiet panis eius,
Luce 6. id est, non mortem peccatoris volet, sed vt conuertatur & viuat, & hoc volens semper panem vitalis doctrinæ apponet pœnitentibus, iustitiam esuriētibus. (Ego(inquit)sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare & intumescunt fluctus eius, dominus exercituum nomē meum. Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexite, vt plantes eos, & fundes terram, & dicas ad Sion. Populus meus es tu.) Dominus Deus qui conturbat mare & intumescunt fluctus eius, vt aduersus seruos suos persecutorum impetus inflet ur, superbiaq; iterum ipso auxiliante conquiescat, apostrophen facit ad filium, quē cito promittit esse vēturum, dicendo: Posui verba mea in ore tuo, id est, mandatum tibi dedi obedienti propter consolandos seruos meos. Et in vmbra manus meæ protexi te, vt cùm obediens factus fueris vsque ad mortem, mortem autem crucis, non
Philip. 2. derelinquaris in inferno, nec videat caro tua corruptionem, vt plantes cælos, id est, in fide corrobores Apostolos, & fundes terrā, scilicet ecclesiam nouam, & dicas ad Sion,
Psal. 2. Populus meus es tu, ex quo postulaui patrē meum, & dedit mihi gentes in hæreditatem, quia videlicet gentes vnde hæreditas mea, inde dicuntur & sunt Sion.

Quomodo testante hac propheta, non fuerit ante vel præter Christum, ex omnibus sanctis vel iustis, qui ecclesiam, quam hic per Hierusalem insinuat, posset resuscitare iacentem sub præuaricatione Adæ.

CAPVT XV.

HOc responso accepto propheta, qui supra dixerat. Consurge, cōsurge, induere fortitudinem brachium Domini, &c. bonum confestim nuncium apportat & lætabūdus clamat. (Eleuare, eleuare, consurge Hierusalem, quæ bibisti de manu domini calicē iræ eius, vsque ad fundum calicem soporis bibisti, & potasti vsque ad fęces. Non est qui suscitet eam ex omnibus filijs quos genuit.) Quænam est ista Hierusalem, cui consolatio tam magnifica declamatur, nisi vniuersa electorum ecclesia, quantacunque ab initio vsque ad finem mundi, secundum præscientiā & prædestinationem Dei colligitur? Iacebat enim prostrata, per culpam primæ præuaricationis, & non erat de omnibus filijs eius quisquam quamlibet iustus, qui vniuersalē eius ruinam suscitare aut restituere esset idoneus, nisi solus iste, qui supra pro consolatore promittitur, vt iam diximus. Ergo ô Hierusalē (inquit) ô vniuersa ecclesia Dei, cuius consolationem ego audiui, eleuare, eleuare, consurge, subauditur de casu, quo in Adam corruisti, quæ in transgressione Euæ bibisti de manu domini calicem iræ eius. Vsque ad fundum calicem soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces. Nihil reliquū fuit amarissimæ potionis. Intus mors animæ, quæ à Deo te separauit, foris mors carnis, quæ animā à corpore diuidit. Hoc dicto, ad nos apostrophen facit, vt diligentes ad intelligendum simus, & dicit. Non est qui suscitet eam ex omnib. filijs quos genuit, & non est qui appræhendat manum eius ex omnibus filijs quos enutriuit. Hic nēpe intellectu fidei opus est, vt sciamus quā necessarius mundo fuerit Christi filij Dei aduentus. Multos filios ista Hierusalem genuit, multos enutriuit. Genuit ante legem, Abrahā, Isaac & Iacob. Enutriuit sub lege, Moysē, Samuel, & Dauid. Sed & isti omnes peccauerunt. Etsi quantulamcunque iustitiam habuerint actualem, originali peccato non caruerunt. Nam omnes (inquit Apostolus, in Adam peccauerunt. Quomodo
Rom. 6. ergo quisquam ex omnibus his appræhenderet manū eius, & suscitaret eam? (Duo sunt (inquit)quæ occurrerunt tibi.) Quæ sunt illa duo? (Vastitas & contritio, & fames & gladius.) Vastitas mortem animæ cōtritio mortem corporis designat. Item fames mortē animę quæ deum cibum angelorum perdiderat, gladius mortem carnis significat, quæ animam à corpore separat. Hæc sunt duo quę occurrerunt tibi, propter culpam primæ prę uaricationis. (Quis contristabitur super te? Quis consolabitur te? Quis, inquam, contristabitur super te, id est. quis pœnitentiam p te suscipiens satisfaciet pro te, cū nemo quālibet iustorum, vel pro solo se queat satisfacere? Quis consolabitur te, subauditur, impetrata reconciliatione, acquisita pace, comparata tibi remissione peccator? ū Filij tui, pi ecti sunt, dormierūt in capite omniū viarū, sicut bestia illaqueata, pleni indignatione dñi, increpatione Dei tui.) Ergo quomodo illaqueata bestia clamare tātum potest, laqueū autem per semetipsam euadere non potest: sic filij tui proiecti, & pro culpa priorum parentum exhæredati, liberatorem tantum fide magna inclamare potuerunt, laqueum autem suorum, multò magis verò alienorum peccatorū soluere non potuerunt. Dormierunt in capite omniū viarum, mortui sunt, quotidie moriuntur pro communi conditione cunctorum viuentium, pleni indignatione Domini, dicentis. Qua die comederitis ex
Gen. 2. eo, morte moriemini, pleni increpatione dei
Ibidem 3. tui superbiā hominis increpantis & dicentis, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Idcircò

Idcircò audi hoc paupercula, & ebria non à vino. (Hæc dicit dominator tuus, Dominus & deus tuus, qui pugnauit p populo suo. Ec cè tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adijciens vt bibas illud vltra.) Idcircò, inquit, quia nemo est ex filijs tuis qui suscitet te, eccè ego ipse dominus deus tuus tuli, id est, sine dubio tol lam calicem illum de manu tua, moriens ipse pro destruenda morte tua, vt nō bibas vltra, vt non moriaris in æternum, semel subla to calice, de duplici morte resuscitata. Hoc audi & crede ô paupercula, non à vino vitæ æternæ, quo inebriari debueras, sed absynthio mortis ebria. Nam hæc dixit dominator tuus, qui olim pugnauit pro populo suo, vt educeret illum de Aegypto, pugnaturus iterum pro populo suo, vt eruat illum ab inferno. (Et ponam(inquit) illud in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ, Incuruare vt transeamus.) Nam re vera pro eo q te humiliauerunt & incurauerunt vt transirent, ampliorem bibituri sunt damnationem diabolus & angeli eius, licet non inuitam, sed volentem te incuruauerunt, & per te transierunt. Hoc est quod subiūgitur. (Et posuisti in terra corpus tuū, & quasi viam transeuntibus.) Et est sensus. Quomodo terra, quia inanimata est, & via quia trita est, non repugnat transeuntibus: sic tu non restitisti malignis spiritibus, animā tuam quærentibus.

Repetitio adhortantis pro consolationis magnitudine, abhinc: Consurge consurge, induere fortitudine tua Sion, & subinde, quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini, vsque: Ego qui loquebar, eccè adsum.

CAPVT XVI.

COnsurge consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem ciuitas sancti, quia non adijciet vltra, vt transeat per te incircuncisus & immundus.) Quia non parua res est, quia nō leuis consolatio promittitur, eccè toties dixi, & toties nunc dico consurge consurge. Et quid consurgendo facias, quid faciendo consurgas? Induere fortitudine tua, induere vestimentis gloriæ tuæ. Quomodo iuuencula nobilis & inclyta, instāte nuptiali die, se præparat, quanta potest fortitudine, quanta potest gloria vestimentorum, vt dignè possit complacere: sic tu quondam captiua, nunc autem libera, præparare in occursum dominatoris tui, sponsi & amatoris tui, vt digno charitatis ornatu spectabilis merearis cubiculum eius introire. Ita consurge, & confidenter age, quia non adijciet vltra diabolus, vt transeat per te incircuncisus corde, immūdus opere. (Excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem, solue vincula colli tui, captiua filia Sion.) De puluere peccatorum excutere, ad benè operandum consurge, regnā do sede, remissionem peccatorum accipiendo & dando, vincula colli tui solue. Quia hæc dicit dominus. Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.) Dictio breuis, sed digna ore Domini. Gratis, inquit, venun
Gen. 3. dati estis. Verè gratis, emptor em diabolus, totum venditionis pretiū defraudauit. Com edite, inquit, & eritis sicut dij. Mendacium locutus est. Non enim de hominibus deos fecit. Ergo gratis, & non solùm gratis, sed & damnosè venundati estis, quia cùm potuisse tis non mori, iam secundum animam mortui, simul etiam secundum carnem mortales facti estis. Et sine argento, inquit, redimemini. Verè sine argento, sed non sine pretio. Nō corruptibilibus auro, & argento, Petrus Apostolus, inquit, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati & incōtaminati Christi, redempti estis. (Quia hæc dicit dominus. In Aegyptū descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi.) Nunquid argen-
Exod. 11. to redemptus inde exiuit? Nónne potius per immolationem agni liberatus est, signatis postibus sanguine eius, & superliminarib. suis? Ita, inquit, & nunc sine argento redimemini, veruntamen non sine pretio, sed pretioso sanguine agni veri Christi filij Dei. Nam mūdus iste Aegyptus est eis quos ad vitam æternam prædestinauit, & huc omnis electorum populus descendit in illis primis parentibus suis. (Et Assur(id est, diabolus) absque vlla causa calumniatus est eum. Et nūc quid mihi est dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis, dominatores eius iniquè agunt, dicit dominus, & iugiter nomen meū blasphematur. Propter hoc sciet populus meus, nomen meum in illa die, quia ego ipse qui loquebar, eccè assum. (Propter hoc, inquit, quia populus meus ablatus est gratis, vt suprà dixi, sed econtrariò, dominatores, id est, magistri eius, Scribæ & Pharisæi iniquè agunt, & insuper per eos vel propter eos iugiter blasphematur nomen meum propter hoc, inquam, per memetipsum sciet populus meus nomen meum, quia ego ipse qui loquebar ad Abrahā, qui loquebar ad Moysen, qui loquebar in prophetis, & Psalmis, eccè adsum. Quid enim mihi est? Quid, inquā, aliud mihi superest? Holocaustum, & pro
Psal. 39. peccato pater meus non postulauit, propter hoc dixi, eccè venio, propter hoc eccè assum.

Quàm pulchri super montes sint pedes hoc bonum annunciantis, qui pedes, & qui montes sint, qui speculatores, & quomodo videant omnes fines terræ Salutare Dei Israel.

CAPVT XVII.

QVàm pulchri super montes pedes annunciātis & prædicantis pacē, annunciā tis bonum, prædicantis salutē, dicentis Sion, regnabit Deus tuus.) Eccè assum dixit, & huic auditori, huic in spiritu sancto videnti

pariter

Universidad de Deusto
Biblioteca

pariter & audiẽti, ſuos veniendo pedes oſtẽ-
CAP. LII. dit. Quos pedes, niſi vias ſuas? Quæ porrò
ſunt viæ eius, niſi miſericordia & veritas?
Scriptum eſt enim. Vniuerſæ viæ domini
Pſal. 24. miſericordia & veritas. Duobus iſtis pedib.
iſte qui nunc dicit, eccè aſſum, in hunc mun-
dum venit, videlicet quemadmodum dicit,
vt qui non vident videant cæci, & qui vidẽt,
fiant. Nam vt qui non vident videant, miſe-
ricordiæ eſt, & qui vident cæci fiant, veritā-
tis eſt. Pes iſte Iudæos contriuit, pes ille gen-
tes ſubleuauit Quam pulchri, inquit, pedes,
quã ſpecioſi pedes. Verè pulchri pedes, nam
Ioan. 15. vtrinque irrepræhenſibilis eſt. Quã pulchri
pedes ſuper montes. Quos ſuper montes, ni-
ſi ſuper Apoſtolos fide excellentes, meritis
eminentes? Iſti montes illos pedes primum
exceperũt, vnus enim ex illis deiectus eſt per
veritatis iudicium, vndecim per miſericor-
diam creuerunt vſque ad cælum. Annunciã
tis, inquit, & prædicantis pacem. Quam pa-
cem, niſi humani generis reconciliationem?
Annunciantis bonum. Quod bonum, niſi
gloriam Dei filiorum? Prædicantis ſalutem.
Quã ſalutem, niſi beatam animarum atque
corporum immortalitatem? Dicentis Sion,
regnabit deus tuus. Quid eſt regnabit, niſi
miſſo foras principe mundi huius, regnum
quod tyrãn⁹ obtinuerat, deus tuus obtinuit?
Ergo pulchri pedes, quia pulchra annuncia-
tio, quia iucunda hæc prædicatio eſt. (Vox
ſpeculatorum tuorum. Leuauerunt vocem,
ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum vi-
debunt, cùm conuerterit dominus Sion.)
O Sion vox ſpeculatorum tuorum audita
eſt, ſpeculatorum, inquam, id eſt, Apoſtolo-
rum, qui tibi pacem illam ſpeculati ſunt, qui
tibi bonum illud prædicauerunt, qui tibi ſa-
lutem illam annunciauerunt. Speculatores
iſti leuauerunt vocem: Verè leuauerunt, nã
Pſal. 18. in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in
fines orbis terræ verba eorum. Simul lauda-
bunt, videlicet idipſum ſentiendo, idipſum
docendo. Quia oculo ad oculum videbunt,
cũ conuerterit dominus Sion. Inde nimirum
præ omnibus beati ſunt, quia oculo ad ocu-
lum videbunt, quemadmodum dicit. Beati
oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim
Luc. 10. vobis quia multi prophetæ & iuſti voluerũt
videre quæ vos videtis, & non viderunt, &
audire quæ auditis & non audierunt. Ergo
certi teſtes erunt, & idcircò non diſpariter,
ſed ſimul laudabunt, non diſſona, ſed conſo-
na prædicabunt. Videbunt, inquã, oculo ad
oculum, cùm conuerterit dominus Sion.
Nam & quando per paſsionem ſuam redi-
mendo conuertit Sion, oculis viderunt, &
poſtquam conuertit Sion, ſpoliato inferno,
rediuiuum oculis viderũt, manibus ſuis pal-
pauerunt. Gaudete & laudate ſimul deſerta
Hieruſalem, quia cõſolatus eſt dominus po-
pulum ſuum, redemit Hieruſalem. Parauit
dominus brachium ſanctum ſuum in oculis
omnium gentium, & videbunt omnes fines
terræ ſalutare Dei noſtri.) O vos deſerta Hie
ruſalem, ó vos gentes quondam deſertæ, nũc
autem Hieruſalem, accipiendo peccatorum
remiſsionem, ſimul gaudete & laudate cum
illa Sion, cum illa eccleſia patriarcharum &
prophetarum, & omnium electorum qui ex
circũciſione ſunt Quia conſolatus eſt domi
nus populum ſuum, dando illi paracletum,
id eſt, conſolatorem ſpiritum ſanctum, rede-
mit Hieruſalem, redemit omnes quos præ-
ſciuit, & prædeſtinauit pertinere ad illam cæ
leſtem Hieruſalem, redemit, inquam, nõ au-
ro vel argento, ſed proprio ſanguine ſuo. Id-
circò vos quoque gaudete & laudate, quia 1. Pet. 1.
præparat brachium ſuum, id eſt, filium ſuũ
in oculis omnium gentium, iuxta prophe-
tiam Iacob dicentis: Et ipſe erit expectatio
gentium. Et videbunt omnes fines terræ ſa-
lutare Dei noſtri. Venient enim ab extremis Gen. 49.
terræ, qui videant gloriam Saluatoris ſui
dei, filijs regni in tenebras exteriores proie-
ctis. Quid enim dominus dicit?

Quid ſit recedere, exire, pollutũ non tangere, vel mun dare ferentes vaſa domini, & vnde ſeruus & vnde ſublimis ſit dominus Chriſtus Ieſus, qui hæc intelligit, & iudicare ſcit, quomodo glorioſus fuerit aſpectus eius, nunc aut è contineant ſuper ipſum reges os ſuũ.

CAPVT XVIII.

REcedite recedite, exite inde, pollutum
nolite tangere, exite de medio eius. Mũ
damini qui fertis vaſa domini, quoniam non
in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis.
Præcedet enim vos dominus, & congregabit
vos deus Iſrael.) Recedite, inquit, ab illa ter-
rena Hieruſalem, recedite à Iudæis blaſpe-
mantibus, quorum in necem Romanus pa-
ratur exercitus, exite inde & pollutum noli-
te tangere, nolite ritum Iudaicum amplius
contingere pollutum Chriſti ſanguine, exi-
te à cunctis eorum cæremonijs, quas odit ani
ma dñi. Hoc modo exite de medio eius, mũ
damini, id eſt, ſpiritu ſancto baptizamini, &
baptizate omnes gentes in nomine patris, &
filij, & ſpiritus ſancti, vt ſint vaſa domini. Marc. 16.
Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fu
ga properabitis, quod videlicet eorum eſt,
qui victi ſunt, ſed tanquam victores exibitis
prædicantes Euangelium, victoriæ Chriſti.
præcedet enim vos dominus, cooperans, &
ſermonem veſtrum confirmans, ſequentib.
ſignis. Et congregabit vos Deus Iſrael, quia
de diſperſione gentium per vos atque vo-
biſcum vnum gregem adducet. Eccè intelli-
get ſeruus meus, exaltabitur & eleuabitur, Philip. 2.
& ſublimis erit valdè.) Seruus meus, idẽ qui
ſuprà dictum brachium meũ, & filius meus,
qui cùm ſit natura filius, ex eo quòd ſemeti-
ipſum exinaniuit, ſeruus eſt meus ſpõtaneus
eccè intelligit, eccè iudicium facere ſcit, qui
quaſi non intelligens iudicatus eſt, & tacuit,
patiens fuit. Iamiam exaltabitur & eleuabi-
tur. Semel de torrente bibit, reſurgendo ex-
altabitur,

altabitur, aſcendendo in cælum eleuabitur,
ſedendo ad dextram patris ſublimis erit val
de. Sicut obſtupuerũt ſuper te multi, ſic in-
glorius erit ſuper viros aſpectus eius, & for-
ma eius inter filios hominum.) Mira locutio
nis forma, mira apoſtropharum velocitas.
De tertia ad ſecundam, de ſecunda protinus
ad tertiam, dictio refugit perſonam. Cùm di
xiſſet, ecce intelligit ſeruus meus, & cætera,
ad ipſum apoſtropham fecit, ſubiungendo,
ſicut obſtupuerunt ſuper te multi. Et reue-
ra benè & amicabiliter ad illum de quo lo-
quebatur, ſe cõuertit, ſed ſubijciendo, ſic in-
glorius erit aſpectus, noluit dicere tuus, ſed
dixit aſpectus eius. Reuerentiã domino pie-
tas exhibuit, quia veraciter non ipſi aſpect⁹
ſuus, ſed hominibus malè videntib. aſpectus
eius inglorius fuit. Benè ergo ad homines,
quaſi parcens ori continuò ſe conuertit, &
quam ad ipſum cęperat, ad auditores dictio-
nem peregit. Et eſt ſenſus. Cùm tu miranda
perpetrares, cæcorum oculos illuminan-
Ioan. 2. do, mortuos reſuſcitando, amplius autem
quod facere infinitus non potuiſſet exerci-
tus, paruo flagello vendentes & ementes eij-
ciẽdo de templo, cùm, inquam, talia faceres,
multi obſtupuerũt ſuper te. Sed ſicut obſtu-
puerunt, quantum obſtupuerunt, ſic ingloi-
rius erit, tantum inglorius, ó auditores erit
ſuper viros aſpectus eius, vel forma eius, ſu-
per viros, inquam. i. præ omnibus viris, quo
rum inglorius vel contemptibilis apud ſu-
perbos aſpectus viſus eſt. Quãdo tam inglo-
Eſaiæ 50. rius erit aſpectus eius? Quando comprehen-
ſus dabit corpus ſuum percutientibus, & ge
nas ſuas vellentibus, & faciem ſuam non a-
uertet ab increpantibus, & conſpuentibus,
quando dabit percutienti maxillam, & his
atq; huiuſmodi opprobrijs ſaturabitur. Ad
quid iſta patietur? Quo fructu ſic inglorius
erit aſpectus eius? Ait: (Iſte aſperget gentes
multas.) Ac ſi dicat. Idcirco iſte erit inglori-
us, vt gentes multæ in remiſsionem peccato
rum aſpergãtur ſanguine eius. (Super ipſum
continebunt reges os ſuum.) Quia quib. nõ
eſt narratum, de eo videbunt; & qui non au
dierunt, contẽplati ſunt. In breui fiet, ad mo
dicum erit inglorius aſpectus eius, & confe-
ſtim tãta erit mutatio eiuſdẽ aſpectus, quòd
ſuper ipſum reges cõtinebunt os ſuum, quẽ
miniſtri pontificum obſcuræ vileſq; perſo-
næ ore procaci conuiciati ſunt, conſpuerũt,
deriſerunt, blaſphemauerunt. Cùm poſt tri-
duum reſurrexit à mortuis, & in cælum aſ-
ſumptus dederit ſpiritum ſanctum, diſcent
quoq; reges hanc diſciplinam, vt os ſuum ſu
per ipſum contineant, non loquantur blaſ-
phemiam, ſed confiteantur eius gloriã, obli-
uiſcantur eius reſpectu faſtum regiamq; ſu-
perbiam, preſſoq; ſub pedib. eius ore, humi-
lem precẽ ſcilicet fundant. Vndè hoc? Videli
cet quia quib. non eſt narratum de eo vide-
bunt, & qui non audierunt cõtemplati ſunt.
Quibus non eſt narratum, vel qui nõ audie-
runt, niſi gentes, quę legem non acceperunt,
quæ prophetas non habuerunt? Ecce ipſę vi
derunt, ecce ipſæ contemplatæ ſunt aſpectũ
eius, non iam deſpectum, ſed decorum, vn-
dè & canũt cum Pſalmiſta. Speciouſus forma Pſal. 44.
præ filijs hominum.

Quomodo id quod dixerat, inglorius erit ſuper viros aſpectus eius, latius quærula voce declamet propheta, ab eo quod ait: Quis credidit auditui noſtro, vſq; ad id. Et cum ſceleratis reputatus eſt.

CAPVT XIX.

QVis credidit auditui noſtro, & brachiũ CA. LIII.
domini cui reuelatum eſt? Et aſcendit
ſicut virgultũ corã eo, & ſicut radix de ter-
ra ſitienti. Non eſt ſpecies ei neq; decor, & vi
dimus eum, & non erat aſpectus, & deſidera
uimus eum deſpectũ, & nouiſsimum viro-
rũ, virum dolorum, & ſcientem infirmitatẽ.
Et quaſi abſcõditus vultus eius & deſpectus,
vndè nec reputauimus eum.) Hoc eſt quod
ſupra dixit, inglorius erit ſuper viros aſpe-
ctus eius. Latius illud de vulnerato corde, e-
miſſa in altum voce, declamat propheta ve-
nerandus, illis merito comparandus, quibus
ille cum iam inglorius eſſet, ita loquebatur.
Mulier cũ parit, triſtitiã habet, quia venit ho Ioan. 16.
ra eius. Et vos igitur nũc quidẽ triſtitiã habe
tis, &c. Verè enim ſicut gemit⁹ mulieris par
turiẽtis, ſic iſtę voces dolorẽ ſonãt animæ cõ
patientis. Quis, inquam, credidit auditui no
ſtro? ſubauditur ex Iudaico populo. Et bra-
chium dñi, cui reuelatum eſt, videlicet dum
in forma contemptibili, humilis filius Dei,
aduerſus ſuperbum diabolum conſurgeret?
Nã cum ſit brachium. i. fortitudo domini, a-
ſpectus eius ſuper viros inglorius fuit, & ſic-
ut aſcendit virgultum, ſiue radix de terra ſi-
tienti, videlicet macro cortice, folioq; decre
pito, quia vim non habet humoris, ſic aſcen
dit coram dño hoc brachiũ ſuũ de terra ma-
ledicta Iudaicę ſiccitatis, nõ habente humo-
rem fidei. Et in oculis quidẽ illorum, quaſi
tale virgultum, vel talis erat radix, cæterùm
in oculis domini, ſimul etiam in oculis om-
nis fidẽ habentis, ſic erat & eſt, tanquã lignũ
quod plantatũ eſt non in terra ſitiẽti, ſed ſe-
cus decurſus aquarum plenitudinis ſpiritus
ſancti de quo & conceptus aſcendit. Non eſt
ſpecies ei neq; decor, videlicet dum conſpu-
tus, & alapis cæſus, alba veſte illuſus, & ſpi-
nis coronatus, tãdemq; cruci affixus, reputa
tur inter ſceleratos. Interim neq; ſpecies di-
uinę virtutis, neq; decor mundiſsimę & ſan
ctæ humilitatis ineſſe videtur illi. Et vidim⁹
eum, & non erat aſpectus. Hæc & cætera ſic
legẽda ſunt, vt humana æſtimatio ſubaudia-
tur. Nam de veritate rei, certiſsimus conti-
nuò ſubiungit propheticus ſpiritus. (Verè
languores noſtros ipſe tulit, & dolores no-
ſtros ipſe portauit. Et nos reputauimus eum
quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & hu-
miliatũ. Ipſe aũt vulneratus eſt propter ini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrę super eum, & liuore eius sanati sumus. Oēs nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viā suā declinauit, & dominus posuit in eo iniquitatem omniū nostrū. Oblatus est, quia ipse voluit, & nō aperuit os suum.) Illa quæ ante hæc dixerat, illa, inquam, sola oculi stultorum viderunt, qui in finibus terræ sunt, qui intus non aspiciunt, quia in capite.i.in corde non sunt. Attamen præ magnitudine doloris, præ immēsitate iustę cōpassionis, sese propheta cum talibus adnumerauit, vidimus inquiens, eum, desiderauimus eum despectū & nouissimū virorū, vndè nec reputauimus eum. Hęc aūt ex iudicio dixit veræ rationis, vel ratæ veritatis, quia verè non suos, sed nostros languores ipse tulit, non suos, sed nostros dolores ipse portauit, non propter suas, sed propter nostras iniquitates ipse vulneratus est, non propter sua, sed propter scelera nostra attritus est. Et nos, inquit, putauimus eum quasi leprosum. Qui nos ita putauimus? Nunquid prophetæ, quorum ego vnus sum? Nō vtiq;, sed nos, infelix Iudaismus concisa circūcisio, dura incircuncisio, de quib. & nos secūdum massam fuimus, sed secūdum fidem exinde discernimur. Putauimus eum quasi leprosum. Imò putarivoluimus quasi leprosum, à Deo lepra percussum & humiliatū, ita vt cōtaminari diceremus oēm qui sequeretur eū, qui crederet in eum, quomodo inquinatur secundum legē, qui tāgit leprosum. Idcirco extra portā eiectum condēnauimus eū, crucifiximus eum, vt consequenter nemo dubi taret, illū à Deo esse maledictū iuxta legē di-
Deuter.11. centē: Maledictus à Deo est, qui pendet in li
Leuit.13. gno. Ibi illum. i. extra portā ciuitatis eiectū
Num.5. deridentes, putauimus nos legē impleſſe, iubentē eijci extra portā leprosum. Quid porrò? Disciplina pacis nostræ super eum. i. recōciliati & pacificati sumus Deo, per illum tam durè disciplinatum, tā atrociter flagellis cæsum, tam crudeliter clauis & lancea vulnerātum. Illo tali liuore corporis eius nos & in corpore & in anima sanati sumus. Nos oēs quasi oues insipientes errauimus, dominus aūt posuit in eo iniquitatē omnium nostrū, vt solus vapularet illud quod nos oēs errando commeruimus. Quomodo vel quo iure vnus portauit iniquitatem omnium? Videlicet quia nos brutæ oues, ille autem rationalis pastor est. Quomodo in statera rationis, vnus pastor centum ouib. pro dignitate rationalitatis, tanto ille nobis omnibus præpōderat pro virtute diuinitatis. Non ergo vlulet lupus murmurando dicens, quia minus rapui & plus exolui. Nam ille vnus quem nil sibi debentem rapuit melior omnib. nobis est, quos reddidit, quasi iustè aliquando possessos pro debito peccati. Benè igitur dominus posuit in eo iniquitatē omnium nostrū, & benè ille prædictum sciens fructum, oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Benè sicut ouis ad occisionē ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, vt nō solum nos sanguine suo redimeret, sed & lanis operiret, vt algentes infidelitate sua veste calefaceret. Quid deinde? (De angustia, inquit, & de iudicio sublatus est.) Solutis enim doloribus
Act.2. inferni susċitauit illū Deus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, & ecce leo est, & fortiter rugit, qui velut agnus corā tōdēte se obmutuit. (Generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viuentium.) Extunc quidem, ex quo de angustia & de iudicio sublatus est, resurgendo à mortuis, vt iam non moriatur, & mors illi vltra
Rom.6. non dominetur, extunc, inquam, prædicatur, quia est filius Dei, & filius virginis. Sed vtramlibet generationem quis enarrabit? Nam vtraq; mirabilis, & vtraque ineffabilis est. Nam ineffabile est, quòd diuina generatione pater in psalmo, Eructauit, inquit, cor
Psal.44. meum verbum bonum, ineffabile itidē est, quòd de carnis generatiōe rectè hic dictum intelligitur, quia abscisus est de terra viuentium. De terra, inquam, non morientiū, siue mortuorum morte peccati, qua oēs in Adā mortui sunt, sed de terra viuentium. i. de terra virginea per sanctum viuificata spiritum, abscisus est. Abscisus, inquā, subauditur, sine manibus, quemadmodū & Daniel. Abscisus
Danie.2. est, inquit, lapis de monte sine manibus, & percussit statuā in pedibus eius. (Propter scelus populi mei percusi eū.) Subauditur, egò Deus pater hunc filium Christum. Vndè Apostolus. Qui etiam proprio filio suo nō pe-
Philip.2. percit, sed pro nobis omnib. tradidit illum. Hæc interlocuto patre, subsequens prophetа, complet sentētiam. (Et dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua, eo quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius, & dominus voluit conterere eum in infirmitate.) Impios, inquam, & diuites, qui extento collo, mouerunt super eum caput, cùm inglorius esset eis aspectus eius, dabit pro sepultura & morte sua, subauditur, in manus Romanorum, & in potestate malignorum spirituum. Iuxta illud Dauidi-
Psal.62. cum. Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Quia non sicut calumniati sunt, malefactor hic erat, sed iniquitatem non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius. Et dominus, inquit, voluit conterere eum in infirmitate. Quæ tandem domine vtilitas erit in illa tali voluntate eius? Sequitur. (Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semē longæuū, & voluntas domini in manu eius dirigetur.) Et est sensus. Si ęterno patri, Adę debitū moriendo soluerit, ætern̄ę regenerationis pater erit, & sicut in Adā oēs moriun-
1. Cor.15. tur, ita & in illo oēs viuificabuntur. Nā hæc est volūtas dāi, quæ in manu eius dirigetur. Videbit semen longæuum nouus hic Adā, quod

quòd æui breuis fecerat esse ille verus Adā. Nam ille fecit, vt in puluerē de quo sumpti sumus omnes reuerteremur, hic faciet vt omnes resurgamus, & longæui.i.iam immortales simus. (Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.) Laborauit, subauditur in morte anima eius, & pro eo videbit illud semen longæuū, & saturabitur charitas eius, quippe cui nostra salus cibus deliciosus. (In scientia sua iustificabit ipse iustus
Rom.5. seruos meos multos.) Hoc est quod Apost. vehementer insistendo commendat in epistola ad Romanos, quia sicut per inobedien tiā vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam, iusti cōstituentur multi. Quæ est enim scientia eius
Hebr.5. nisi obedientia eius? Cùm esset filius Dei, inquit idem Apostolus, didicit ex his quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Ergo in scientia sua.i.in obedię tia sua, inquit Deus pater, iustificabit ipse iustus seruos meos multos. Statimq; subiungit. (Et iniquitates eorū ipse portabit.) Portabit, inquit, sicut pontifex idemque hostia, quia pro iustificandis peccatoribus, oblatus est. (Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia. Pro eo quod tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis reputatus est, & ipse multorum peccata tulit, & pro transgressoribus. exorauit.) Quia, inquit, iniquitatem eorum ipse portauit, ideo dispertiam ei plurimos, vt videlicet per multas mansiones dispertiti, vno fruantur regno, & fortium. i. malignorum spirituum spolia diuidet, qui fortes erant, antequam ipse humanū
Luc.11. corpus assumeret, & forti armato superato, fortior ipse domum eius diriperet. Pro trāsgressoribus, inquit, orauit. Nō solūmodo p
Luc.23. trāsgressoribus orauit dicens: Pater ignosce illis, nescіūt enim quid faciūt, sed tota passio eius oratio pro transgressoribus fuit, qui eramus nos, nam in Adam omnes peccauimus, omnes transgressi sumus. Et pro transgressoribus quidem, sed non pro omnibus orauit, & peccata non omnium, sed multorum peccata tulit. Quòd statim in illis duobus sceleratis, inter quos reputatus est, spectabile est. Alterū reliquit, alterius peccata tulit, eumq; secum in paradysum recepit.

Quòd duo scelerati illi, quorum alter confessus est, alter blasphemus perseuerauit, duorum populorum exemplum fuerint, & idcirco confestim in propheta dici: Lauda sterilis quæ non paris, tanquam latroni pœnitenti & confitenti, de illo autem populo tanquam latrone impœnitente, omnes bestiæ agri, venite ad deuorandum.

CAPVT XX.

EOdem iudicij pondere deinceps duos iti dem sceleratos, scilicet Gentilem & Iudaicum populum distinxit. Ille blasphemus in peccato suo moritur, huius fidei & confessioni paradisus aperitur. Vtrunque hoc sanctus in isto propheta spiritus, post tā euidentem dominicæ passionis declamationē manifestis exprimit vocibus. De primo gentilitatis saluationem subijcit his verbis. (Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudē & hymnum, quæ non pariebas, quoniam multi filij *CA.LIIII* desertæ, magis quàm eius quę habet virum, dicit dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dextram enim, & ad leuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit.) Et post aliqua. (Ecce ego creaui fabrum sufflātem in igne prunas, & proferētem vas in opus suum, & ego creaui interfectorē ad disperdendum. Omne vas quod fictum est, cōtra te non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis.) Per hæc persecutiones designat, quas eadem pro euangelica fide passura erat ecclesia. Nam faber sufflans prunas, diabolus est, omniū malorum artifex, qui flatu suo persecutionum excitat incendia, proferens contra illam vasa iræ, iniquitatem blasphemiam continentia, quæ videlicet ecclesia sine dubio iudicatura est. Continuò subiungit. (Hęc est hęreditas seruorum Dei, & iustitia eorum apud *CAP.LV.* me, dicit dominus. Omnes sitiētes venite ad aquas, & qui non habetis argentum propera te, emite, & comedite. Venite, emite absque argēto, & absq; vlla commutatione, vinum & lac, &c.) Hæc inuitatio publica, manifestè ad eandem ecclesiam de gentibus dirigitur, vt qui prius nō habebant argentū scripturarum, nunc properēt, & solius fidei pretio sibimet emant aquas vt bibant aquas salientes in vitam æternam, emant vinum & bibant si fortes sunt, emant & comedant lac, si parauli sunt. Gentium, inquam, ecclesię cuncta hæc proponuntur. Nam subinde sequitur. (Ecce testem populis dedi eum ducē ac prę ceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis, &c.) Hæc enim & cætera dicuntur tanquā latroni à dextris pœnitēti, & confitenti. i. populo gentili crucifixum pro salute sua Christum humili fide susċipienti vsq; ad illum locum, quo dicitur. Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum. Et notandus ordo promissionum, notāda distinctio consolationum. Postquam dixit. Lauda sterilis quę non paris, decanta laudem & hymnum, videlicet præ magnitudine gaudij, in similitudinem equi ad victoriam hinnientis, quoniam plures filij desertæ, magis quā eius quæ habet virum, & cætera, primo martyrum repromisit coronas. Ecce ego, inquiens, creaui fabrum sufflantē in igne prunas, diabolum significās, qui statim in initijs euangelicæ fidei, sufflando persecutionum excitauit incendia, quibus vtiq; martyrum fides aurea decocta est, & probata. Deinde dicendo, Omnes sitientes venite ad aquas, diuinæ scientiæ multitudinem significat, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

reddita eccleſiæ pace aliquantula multiplicata eſt, multis doctorib. ſtudio haurientibus, & exponentibus ſcripturas. Tandem dicendo: (Et non dicat eunuchus. Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit dominus eunuchis. Si cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus.) Hæc, inquam, dicendo, eccleſiaſticæ caſtitatis pulchritudinem, mira allicit elegãtia, vt delectet nos eſſe eunuchos, id eſt, continentes, caſto etiã virginali propoſito, atq; ita propter regnum cœlorũ caſtremus noſmetipſos. Poſt hæc iam ad ſiniſtrum latronem, id eſt, Iudaicum populum, in blaſphemia perſeuerantem ſermo conuertitur hoc modo. (Omnes beſtiæ agri.) Id eſt, omnes vires Romani imperij. (Venite ad deuorandum) magnum corpus latronis huius incraſſati, impinguati, dilatati, & inde recalcitrantis, id eſt, iugiter blaſphemantis. Miroq́ modo antequam populum ipſum conuincat exponẽdo malorum imminentium cauſas, omnes beſtias ad deuorandum illum inuitat. Nam ad illum loqui poſtmodum ſic incipit. Vos autem accedite huc filij auguratricis, ſemen adulteræ & fornicarię. Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam? Prius, inquam, beſtias agri, vniuerſas ſaltus beſtias inclamat & ad deuorandum inuitat. Et quia culpa maximè ſacerdotum erat, ipſos primùm poſt illã beſtiarũ inuitationem ſermo proheticus accuſat verbis his. (Speculatores eius cæci omnes neſcierunt vniuerſi. Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia, & canes impudẽtiſsimi neſcierunt ſaturitatem. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam. Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſsimum. Venite ſumamus vinũ, & impleamur ebrietate. Et erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò amplius. (Hæc omnia quia ad ſcribas & phariſæos qui turbis perſuaſerunt, vt dominum crucifigerent relata conſtat, & ſenſui manifeſta ſunt, ſequentia ſuperioribus iungenda ſunt.

CA. LVII. (Iuſtus perit, & nemo eſt qui recogitet in corde ſuo, & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat. A facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus. Veniat pax, & requieſcat in cubili ſuo, quia ambulauit in directione ſua. Vos autẽ accedite huc filij auguratricis.) Inter illa quæ ſupra colligendæ gentilitati per conſolationem dicta ſunt, & ea quæ deinceps abiectæ per iudicium dicuntur ſynagogæ, ſic poſitum eſt iſtud. Iuſtus perit, & nemo eſt qui recogitet, vt inculcare & replicare nobis concertet ſpiritus propheticus, illud quod iam diximus, videlicet inter duos latrones iuſtum periſſe dominum Ieſum, ita vt alterum per miſericordiam ſuſciperet, alterum per iudicium abijceret, in typum gentilis & Iudaici populi, quorum itidem alterum per miſericordiã ſuſciperet, alterum per iudicium abijceret. Ita ergo ſuperiorib. hæc præſentia cõtinuantur. Tu ſterilis quę nõ paris lauda, decãta laudẽ & hymnũ, vt dixi, vos aũt accedite huc filij auguratricis, quib. iuſt⁹ perit, & nemo ex vobis eſt, qui recogitet. Nec verò ſolus ille iuſtus perit, ſed & viri miſericordiæ colliguntur, ſcilicet apoſtoli eius, quos de ciuitate in ciuitatẽ perſequimini. Vos, inquam, accedite huc ad diem malum, non ad diem bonum & pacis, de qua iam dixi, veniat pax & requieſcat in cubili ſuo, qua videlicet pace reconciliauit nos Deo & patri ſuo, ſed ad diem belli, vt gladio cadatis, vt deuorent vos beſtię agri, quas paulò ante conuocaui.

Quòd ab illo quo ait: Vos autem accedite huc filij auguratricis vſq; ad id: Omnes eos auferet ventus, tollet aura, commemoratio ſit peccatorum ſuper generationem eandem quæ dominum crucifixit, quòd meritò & viſibiliter Romanis & inuiſibiliter diabolo tradita ſit.

CAPVT XXI.

QVomodo in prima periocha cum aperte vocationem gentium & proiectionẽ pronunciaſſet Iudæorum antiquas reddidit cauſas, dicẽs, peciſti enim populũ tuũ, quia repleti ſunt vt olim, & augures habuerũt vt Philiſtijm, ita & nunc peccata priorum ventura prædicit, ſuper generationem iſtã, quæ dominum crucifixit. (Vos autem, inquit, accedite huc filij auguratricis, ſemen adulteræ & fornicariæ.) Cui⁹ auguratricis, cuius adulteræ ſiue fornicariæ? Nempè ſynagogæ, quę augurata eſt, ſuas ſequendo adinuentiones, quę adulterauit & fornicata eſt, quia Deo relicto, diabolo proſtituta eſt. Synagogam, cuius Iudæi filij ſunt, cœtum dicimus ſcribarum & phariſęorum, ſeniorum, ſacerdotum & ſummorum pontificum. Iſti ſunt ſupradicti ſpeculatores cæci, qui venientẽ, imò preſentem dominum non vident quem pro officio priores videre debent, qui tanquam canes muti, canes impudentiſsimi, ſaturitatem neſciunt, adeò gulę & ſomno dediti, vt latrare non valeant. Huius talis malignæ ſynagogæ filij perditi, accedite huc, & propoſitis reſpondete quæſtionibus. (Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam?) Super quem, inquam, luſiſtis, conſpuendo faciem, & vellendo barbam eius, dilataſtis os, & eieciſtis linguam, dicendo: Vah qui deſtruit tẽplum, & in triduo reſtaurat illud? Nunquid nõ vos filij ſceleſti, ſemẽ mendax. Pater noſter Abrahã eſt, dicitis, vnum patrẽ habemus Deũ, dicitis. Nunquid nõ potius filij diaboli eſtis, filij mendaces, eius qui & mẽdax, & pater eſt mẽdacij? (Qui cõſolamini in dijs, ſubter omne lignũ frõdoſum, immolãtes paruulos in torrẽtibus, ſubter eminentes petras.) Nunquid non hi vos eſtis?

Matth. 27.

Ioan. 8.

eſtis? Nunquid pro conſuetudine hoc ſcelus non habuiſtis? Nunquid ô ſynagoga auguratrix & fornicaria nunc recenti vel prima cõtra me inſaniſti petulantia? (In partibus torrentis pars tua, hæc eſt ſors tua. Et ipſis effudiſti libamẽ, obtuliſti ſacrificium. Nunquid ſuper his non indignabor? Super montẽ excelſum, & ſublimem poſuiſti cubile tuum, & illuc aſcendiſti vt immolares hoſtias. Et poſt oſtium & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum. Talia nempè ſcelera tua, Regũ ac Paralipomenon narrat hiſtoria. Imò & ante Regum hiſtoriam feciſtis eiuſmodi ſacrilegia. Dicit enim Pſalmiſta, Et cõmixti ſunt

Pſal. 105. inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalũ. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentẽ, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarũ, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in ſanguinibus. Hæc omnia venient ſuper te in generatione iſta. Quare? (Quia iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum. Dilataſti cubile tuum, & pepigiſti cum eis fœdus.) Iuxta me, inquit, diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum. Quem adulterum? Olim Baal, nunc autem Barrabam. Baal iuxta me in tẽplo, Barrabam contra me in prętorio. (Dilexiſti ſtratum eorum, manu aperta.) Me autem odiſti & condemnaſti vociferatione publica. Pepigiſti cum eis, me aũt negaſti. Cùm quibus me negato pepigiſti? Olim (vt iam dixi) cum Baal, & cum vitulis aureis, nunc autem cum Barraba, & cum Cæſare. Dixiſti enim. Non hunc, ſed Barrabam. Item: Nõ habemus regem, niſi Cæſarem. (Ornaſti te regio vnguento, & multiplicaſti pigmẽta tua.)

Ioan. 19. Ad modum meretricis, quæ virum mediocrem faſtidit, & diuites adulteros ambit, tu egiſti. Regio te vnguento vnxiſti. Olim idolo. Verbi gratia. Moloch, qui & dicitur Melchoin, quod interpretatur rex eorum, olim te vnxiſti videlicet ſacrificando, nũc autem Cæſari te vnxiſti, ſcilicet adulando. (Miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es vſq; ad inferos.) Olim legatos tuos miſiſti procul ad conuocandos adulteros, deos Babylonios & Aegyptios, nunc autem ad congregandos aduerſũ me Romani imperij miniſtros, & hoc modo humiliata es, vſq; ad inferos, vt ibi copuleris adulteris illis, nõ iam voluptatis lecto, ſed pœnarum gehennæ incẽdio. (In multitudine viæ tuę laboraſti, & non dixiſti quieſcã.) Vna quippe eſt via regia, quã qui ambulat, non laborat, ſed quieſcit & viuit, multæ autem ſunt viæ ſiniſtræ & adulterinæ, quas quia tu ambulaſti, ſemper laboraſti, nunquam quieuiſti. Quid tandem? (Vitã manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti me.) Et eſt ſenſus. Quia rebus omnib. abundaſti, & affluxiſti diuitijs, quas tota manu quęſiſti, idcirco dñm neglexiſti, videlicet vt Sodoma, quæ quia ſaturata eſt panibus, vt Ezechiel dicit, propterea ſuperbiuit. Et nũc *Ezech. 16.* audi. (Pro quo ſolicita timuiſti, qa mẽtita es, & mei nõ es recordata, neq; cogitaſti in corde tuo, quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es. Ego annunciabo iuſtitiã tuam, & opera tua non proderunt tibi. Cũ clamaueris, liberent te cõgregati tui.) Pro quo inquit ſolicita timuiſti, ſubauditur dicendo *Ioan. 15.* ne fortè veniant Romani & tollãt noſtrum & locum & gentem, ego illud adducam tibi. Quare? Quia mentita es, quia falſum tibi timorem cõfinxiſti, quia dolosè illic trepidaſti timore, vbi non erat timor, & mei non es recordata. Nullam quippe mei mentionem feciſti, in illo tempore timoris tui, quem tibi propoſuiſti. Quis enim dixit in illo concilio, contineamus manus noſtras ab iſto homicidio, locus enim & gẽs ſeruari nobis poterit, Dei auxilio? Itaq; mei non es recordata, nec enim timore vero timebas, ſed feſtinans ad homicidium, timorẽ libenter ſimulabas, qui nullus erat. Igitur ergo annũciabo iuſtitiam tuã, ego toto orbi palã oſtẽdam, nequiſimã hypochriſim tuã. Nã hęc eſt iuſtitia tua riſu digna, ironicè iuſtitia, nam veraciter iniuſtitia. Opera tua nõ proderunt tibi. i. multum nocebũt tibi. Cum clamaueris, videlicet circumuallantibus te vndiq; Romanis viribus: liberent te congregati tui, quoſcunq; in malum tibi congregaſti à ſanguine Abel iuſti. Nã congregati tui cultus ſunt idolorũ, effuſiones ſanguinũ, blaſphemię, & clamores aduerſum prophetas, & ipſum prophetarum dñm, quæ omnia cõgregaſti tibi, vſq; ad hãc diẽ in malum tuum. Sed quomodo iſti congregati te liberent? (Oẽs eos auferet ventus, tollet aura.) Ergo dictio hæc hoſtilis irriſio eſt, quia non liberabuntur, ſed gladio cadẽt, & qui ſuperfuerint quaſi vento vel aura tolente, captiui ducentur in oẽs gentes. (Qui autem fiduciã habet mei, hæreditabit terrã, & poſſidebit montẽ ſanctum meum.) Hæc &c. quæ ſequũtur, partim bona pro parte electorum, partim mala pro parte reproborũ, vſq; ad id quod dicitur, Spiritus meus q eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedẽt de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit dominus, amodo & vſq; in æternũ, ſtudio proficiſcendi præterimus. Nec enim totũ prophetæ huius profundum perambulare, ſed præcipua Chriſti quærere teſtimonia propoſuimus. Itaq; nunc iam huius. i. ſextæ perioches finẽ facimus, ſeptimã quæ & vltima eſt, à ſequenti mox capitulo incipiemus.

Septima periocha, qua vniuerſæ eccleſiæ ſub peccato in tenebris iacenti, dicitur propter aduentum ſaluatoris Chriſti, Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen, &c. vſq; ad id, & domum maieſtatis meæ glorificabo.

CAPVT XXII.

SVrge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuũ, & gloria dñi ſuper te orta eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quia ecce tenebræ operient terrã, & caligo populos. Super te aũt orietur dominꝰ, & gloria eius in te videbitur.) Quod nũc dicit, surge illuminare Hierusalem, idipsum est quod supra dixerat, eleuare, cõsurge Hierusalem. Ad vniuersam quippe sanctorum multitudinẽ bonus iste consolationis sermo dirigitur, quæ vna vnius regis ciuitas est, vna & vera Hierusalẽ est. Iacebat illa sub peccato primę prævaricationis prostrata, Deumq; lumen suum pariete interposito inimicitiarum, nõ videbat, donec veniret Christus sol iustitiæ, lux de luce, lumen de lumine, Deus de Deo, filius de patre. Dicit ergo huic Hierusalem. Surge illuminare Hierusalem. Bonum prophetici spiritus imperium, certum & indubitabile est venturi boni præconium. Surge, & illuminare, inquit. i. nunc reuera surges, & illuminaberis. Vndè hoc? Ait: Quia venit lumẽ tuum, & gloria domini super te orta est.

Lumẽ inquam tuum, quo defraudata es dolo serpẽtis in parentib. primis, quibus dixit: *Gen. 3.* Comedite, & aperiẽtur oculi vestri: ecce venit, ecce in vterũ virginis descendit, ecce ponitur in testa carnis vt lucerna tibi sit, qua requiraris, qua illumineris. Ita venit lumẽ tuum, & illo nascẽte, gloria domini super te orta est, quæ à te tenebrosam antiquæ prævaricatiõis ignominiã expurget. Quare ſignãter dico super te? Quia ecce tenebræ operiẽt terrã, & caligo populos. Super te autem orietur dñs, & gloria eius in te videbitur. Idcirco super te, quia populos superfluos, populos qui nõ pertineãt ad te, qui nõ sunt ex fide, & terrã. i. oẽm gentem terrenis inhiantẽ, & cælestia non curantẽ, caligo & tenebræ operient, etenim vt sunt ita caligine & tenebris operti remanebunt. Super te aũt quæ venturi fidẽ habuisti, orietur dñs, & gloria eius in te videbitur. Cum aũt venerit illud lumen tuũ, nõ in abscondito, neq; sub modio, sed super cãdelabrũ ponetur, vt ab omni mundo videatur. Hoc est quod sequitur. (Et ambulabũt gentes in lumine tuo, & reges in splẽdore ortus tui.) Nunc interim antequã oriatur ille *Matt. 5.* dominus, angustijs Iudææ nomen eius continetur, tunc aũt cum velut lucerna super candelabrũ posita fuerit, gentes quæ in profundis erant tenebris, ambulabũt in illo lumine tuo, & reges quoq; supplices oculos attollẽt ad splendorẽ luminis quod ortũ est tibi. Tũc non paucos filios, nec solos habebis Iudæos. Sed quid? (Filij tui de lõgè veniẽt, & filiæ tuę de latere surgẽt.) Filij inquit. i. tuo lumine illuminati, tui luminis baptismate purificati, de longè venient, de longè inquã. i. de omni gente & natione, ab oriente & ab occidente, à meridie & à septentrione. Hactenus nõ ita, sed veniebant tantũ de prope, tantũ de carne Abrahæ. Nec verò tãtum filij, sed & filiæ tuę venient, & quandiu filiæ paruulæ erunt, cibumq; solidũ manducare non poterunt, lac simplicis doctrinæ de latere suo sugãt. (Tũc videbis & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.) Tunc inquam videbis & gaudebis & in modum fluuiorũ aquis subitis inundaberis, & mirabitur & stupebit imò dilatabitur cor tuum dilatatione charitatis, omnes susciẽtis, nullas anguſtias tot filios parturiendo sustinentis. (Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha, &cæt.) Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisq; prouincia appellatur Saba. Cedar autem regio Saracenorum est, qui in scripturis vocantur Ismahelitæ, & Nabaioth vnus est filiorum Ismahel, ex quorum nominib. solitudo appellatur, quę frugum inops, pecorũ plena est. Per familiaria ergo nomina gentium Barbararũ, quæ vicinæ sunt Israeli, totius mundi conuersionẽ intellige prædicari, & hunc esse sensum. Greges camelorum iniquitatum vinculis resoluti, & animas suas effundẽtes deo, operient te Hierusalem muneribus oblatis, & omnes de captiuitate venient & cõuersione, aurum fidei deferentes, & thus sacrificij. Madiã quippe in hoc loco interpretatur iniquitas, Epha resolutus siue effundens, Saba cõuersio vel captiuitas, Cedar tenebræ, Nabaioth prophetię. Igitur dromedarij Madiã & Epha & omnes de Saba venient, omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi (vt iam dictum est) aurum fidei, thus sacrificij defesentes. Et quia propria non sunt salute contenti. (Laudem quoq; domino annunciantes.) Id est, cæteris quoq; salutare Dei prædicantes. (Offerẽtur (inquit) hęc super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo.) Domus maiestatis domini sancta catholicæ fidei ecclesia est, altare aũt eius placabile, ipse Christus est. Nam sicut hoc visibile altare tẽplo manufacto, sic dominus Iesus Christus domini Dei, id est, ecclesiæ præeminet, quæ sumus nos. Igitur super placabili altari meo, id est, in illo in quo sum placatus filio meo Iesu Christo, munera hæc offerẽtur & accepta erunt, & propter illud altare ego domum maiestatis meæ glorificabo, propter Christum *Coloſ. 1.* filium meum, ecclesiam, cuius caput ipse est, ego tanquam maiestatis meæ reclinatorium glorificabo.

Per quorum ministerium fiant ista quæ sunt promissa, significari vel ostendi sub interrogatione mystícè dicendo: Qui sunt isti qui vt nubes volant, &c.

CAPVT XXIII.

QVi sunt isti qui vt nubes volãt, & quasi columbæ ad fenestras suas?) Tanquam si interrogaret illa beata Hierusalẽ, quomodo vel per quos sibi quid audierat, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent, & cætera. Suspiciens quodammodo in cælum propheta, qui sunt ait isti qui vt nubes

nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Mira percunctatio tendens ad hoc, vt auditores habeat quã maximè attentos. Poterat nanque dicere sic, Apostoli saluatoris, lumine tuo Hierusalem, de quo iam dixi illuminati, & facti ipsi lux mundi, ibunt in mũdum vniuersum & verbo prædicationis pariterq; operibus charitatis, filios tuos qui ad te veniant de longè, ex omni gente, & natione generabunt. Sed voluit, quia sic oportebat, rem in tempore suo cognoscendam, discretius abscondere, & abscondendo conuenienti & digno quantum potuit mysterio, cũ percũctione declamatoria significare. Dicit ergo sic. Qui sunt isti qui vt nubes volãt, & quasi columbæ ad fenestras suas? Ad hæc ille qui misit eos, ita respondet. (Me enim insulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè. Argentum *Ioan 15.* eorum, & aurum eorum cum eis nomini domini dei tui, & sancto Israel, quoniam glorificauit te.) Ac si dicat, Apostoli mei sunt, quibus ego dixi: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructũ afferatis, & fructus vester maneat. Ipsi volãt vt nubes, nullo quieti otio, sed impellenti spiritu sancto cunctis gentibus, pluuiam salutaris doctrinæ portantes. Ipsi sunt quasi columbæ simplices, attamen serpentis astutiam vel prudentiam habentes. Columbæ istæ singulæ stant ad fenestras suas, id est, exercent quas acceperint spiritus sancti gratias diuisas, semper prædicando volantes vt nubes, semper contemplando per illas fenestras suas cælum suspicientes, meditando gementes, gemendo meditantes. Ad quid volant? Me enim, inquit, insulæ expectãt, me, inquã, Ecclesiæ futuræ, quæ mundo velut mari, profundo continentur, expectant suam anhelãtes inopiam, nec ego fallor quin nubium istarum gratanter susceptura sint piuuiam. Insulæ, inquã, & naues maris, expectant in principio, videlicet vt sint in caput, & non in caudam, iuxta illud in Psalmo. Veniẽt legati ex *Psal. 67.* Aegypto, præueniet Aethiopia manus eius Deo. Quomodo naues de longè appulsæ, in portu consistunt paratæ, hic qui descendãt in ipsis, & faciant operationem in aquis multis, sic parati erunt auditores nuncijs meis, susceptui illos & opibus suis adiuturi, vt in profundendis gentibus ecclesias construant, prædicando illam quæ super te orta est gloriam domini. Hoc modo adducã filios tuos de longè. Argentum eorum & aurum eorũ cum eis nomini domini dei tui, & sancto Israel, id est, ad honorem nominis domini, & sancti Israel, quia glorificauit te. Videlicet vt supra dictum est, oriendo super te, & ostẽdendo gloriam suam videndam in te. Quod aurum eorum, nisi fides eorum? Quod argẽtum eorum, nisi facunditas sermonis eorũ? Ista veniẽt cũ eis, vt scilicet aurea fide speciosi, & argẽteo sermone nitidi & clari, destrue re valeant cunctũ errorem, vniuersam hæreticam prauitatem ad honorem nominis dñi. (Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabũt tibi.) Peregrini quippe. i. populi nationum, qui prius erant hospites testamẽtorum promissionis spem non habentes, ipsi extruent te in tantũ vt reges quoque eorum ministrent tibi, siue carnaliter ædificando ecclesias, expensis publicis, & aduersus persecutiones gentium atque insidias hæreticorum legum scita proponendo, siue spiritualiter reges spirituales animę imperio, carnẽ subiugando, q̃ veraciter est ministrare tibi, & ædificare muros tuos. *Quòd qui promittebatur præsentia voces q; sint dicentis, Spiritus Domini super me, &c. quæ sit illa vnctio, quæ acceptabilis anni prædicatio, qui lugentes, quæ cõsolatio, & quæ desertorum & ciuitatum, dissipatarũ restauratio.*

CAPVT XXIIII.

HIs huiusmodi promissionibus præmissis adest ipse, qui promittebatur, & dicit. (Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me. Ad annunciãdum mansuetis misit me, vt mederer cõtritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionẽ, vt prædicarem annum placabilem domini, & diem vltionis Deo nostro.) Quomodo in præcedẽti periocha similibus præmissis promissionibus, ipse veritatem promissionum *Cap. 52.* comprobans, propter hoc, ait, sciet populus meus nomen meum in die illa quia ego ipse qui loquebar, eccè assum, sic & in ista post præmissa sui aduentus præconia, velut iam præsens repentè propria voce clamat: Spiritus domini super me, &c. Hoc enim ipse in euangelio prædicare iam incipiens ore gratioso confirmat. Traditus est ei liber Esaiæ prophetę. Et vt reuoluit librũ, inuenit quod voluit, inuenit hunc locum, inuenit hoc scriptum. Cœpit autem dicere ad illos. Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus ve- *Luca 4.* stris. Igitur, inquit, spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me. Ac si dicat. Propter id, quod vnxit dominus me, dixi ego: dixi, inquam, & nunc dico, quia spiritus domini super me. Vbi autẽ vel quando vnxit dominus me? Quando concipiebar, imò vt conciperer in matris vtero dominus vnxit me. Nõ enim mulier virili semine, sed virgo de spiritus sancti vnctione cõcepit me. Illic dominus in regem vnxit me, in regem, inquam, & in sacerdotem quoque illic Dominus vnxit me. Item, in Iordane flumine eodem spiritu designauit me, quo (vt iã dixi) vnxit dñs me. Igitur spiritus domini super me, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris domini. Nõ enim particulariter spiritus domini super me, sed totus spiritus domini super me cum omnib. donis suis: sicut tota & integra venit columba super me, cũ omnibus membris suis. Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. LXI quid ita spiritus domini super me? Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer cõtritis corde. Benè ergo tanquam columba venit super me, quæ vtique auis mansueta est, & pro cantu gemitum solet edere. Mansuetum quippe ad annunciandũ mansuetis misit me: vt mederer gemituosis, & cõtritis corde misit me. Nec enim ꝓpter sanos & superbos, propter malè habentes & contritos cor de medicum misit me, nõ propter iustos, sed propter peccatores, & virum dolorũ, & sciẽtem infirmitatem, virum mitem, & corde humilẽ fecit me. Vt prædicaré captiuis indulgẽtiam, & clãusis apertionem, & annunciarem annum placabilem domini, & idem vltionis
Rom. 5. Deo nostro. Quibus captiuis, vel qua captiuitate captiuis indulgentiã, quibus, vbi clausis prædicarem apertionẽ? Captiuis (inquit) peccati indulgentiam, clausis inferni apertionem. Nam ex quo per vnum hominem peccatum in hunc mundum introiuit, & per peccatum mors, omnes homines captiui peccati, oẽs homines clausi sunt mortis. Sed non omnes captiui indulgentiam, nõ omnes clausi amant apertionẽ? Quid igitur? Vt annunciẽ (inquit) annum placabilem domini, & diem vltionis Deo nostro. Primo annum placabilem domini, deinde diem vltionis. Annus quippe placabilis domini iste est primus aduentus meus, quem annunciabo vobis, dicendo. Spiritus domini super me, propter quod vnxit me semel in vtero virginis, & iterum in aquis Iordanis. Porrò dies vltionis, secundus aduentus meus erit, dies, inquâ vltionis deo nostro super eos, qui non quærunt indulgentiam & apertionem, sed amantes seruitutem peccati, currunt ad clausira mortis, surdis auribus contemnentes vocem post tergum monentis & dicentis. Pœ-
Matth. 4. nitentiam agite, appropinquabit enim regnũ dei. Vt consolarer omnes lugentes, & ponerem fortitudinem, lugente Syon, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.) Nõ inquit, idcircò spiritus domini misit me, vt risoribus huius mundi alluderem, sed vt con-
Psal. 136. solarer omnes lugentes Syon, id est, eis, qui lugẽt, ꝙ ablactati ꝓpter peccatũ, & abiecti à superna matre Syon, dicuntq; cum Psalmista. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Syon, &c. Idcircò, inquam, misit me, vt huiuscemodi lugentes consolarer: vt istis lugentibus ponerem fortitudinem, & darem eis tria hæc. (Coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.) Coronam videlicet gloriæ, pro cinere pœnitentiæ. Oleum gaudij, consolationem spiritus sancti, pro luctu præsentis orbitatis & exilij, pallium laudis, id est gloriam resurrexionis pro spiritu mœroris, pro sacrificio spiritus contribulati, quod vult deus, quod non despicit. Et vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio domini ad glorificandum. Et ædificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas & dissipatas in generationem & generationem. Et stabunt alieni & pascent pecora vestra, & filij peregrinarum, agricolæ & vinitores vestri erunt.) Fortes iustitiæ vocabuntur in Syon, fortes, inquam, iustitiæ, id est, qui non solum facere iustitiam, sed & persecutionẽ pati propter iustitiam parati sint, sanctum habentes fortitudinis spiritum. Vocabũtur, inquit. Et quidem omnium iustitiam diligentium, nomina, in superna Syon, scripta sunt, sed qui pro eadem iustitia persecutionem quoque fortiter sustinent, illic multo maximè nominati Psal. 48.
& inclyti erunt, ex oppositio fortium iniusti tiæ, de qualibus Psalmista dicit, Tabernacula eorũ in progenie & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis. Vocabuntur in ea isti fortes iustitiæ, plantatio domini, ad glo-
Matth. 15. rificandum videlicet ex optato plantationis adulterinæ, de qua rectè dicitur. Omnis plantatio quam non plantauerit pater meus cælestis, eradicabitur. Nam ista plantatio domini Apostoli sunt & Apostolici viri, plantati ad glorificandum deum, vt ipsi quoque gloriam habeãt apud deum. Illa verò plãtatio, propter quam illud dictũ est, Scribæ & Pharisæi erant, qui contumeliæ spinas, & blasphemiæ tribulos protulerunt. Isti ædificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas & dissipatas, illa videlicet ædificatione, vel instauratione de qua vnus illorum dicit, vnus fortium
1. Cor. 3. iustitiæ, vnus plantatorum domini, vnus ædificatorum magnæ ciuitatis. Dei sumus adiutores, dei agricultura estis, dei ædificatio estis. Secundum gratiam quæ data est mihi vt sapiens architectus fundamentum posui, fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.

De Apostolis & Apostolicis viris, prædicatoribus verbi Dei, & qualiter eorũ, quibus sua spiritualia semi-nant, carnalia nunc metere, & in futuro duplicia, id est, anima pariter & corporis bona sperare debeant.

CAPVT XXV.

ET stabunt alieni, & pascẽt pecora vestra, & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes domini, vocabimini ministri Dei nostri dicetur vobis, Fortitudinem gentium cõedetis, & in gloria eorum superbietis.) O fortes iustitiæ, ô plãtatio domini, sancti Apostoli atque Apostolici viri alieni qui non erant de gente vestra, alieni (inquam) filij peregrinorum, id est, gentiles, qui non erant vt vos de carne Abrahæ, stabunt deuota fide, ad vestrum seruitium, vt pascãt pecora vestra, ꝙ vestras comportant vindemias, vt quibus vestra semina stis spiritualia, dignè illorum metatis carnalia. Vos autem tanquam sacerdotes, imò verè sacerdotes dñi, verbo dei vacabitis ocio sancto

sancto ferlati, vt sitis id quod estis, ministri Domini, spiritualia ministrantes, vt carnalia iure ministrentur vobis. Hoc ingenuitatis nomine vocabimini, hoc nobilitatis nomen dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis. Quid isto verius? Videbunt venturi, ad vestrorũ cinerum memoriam fortitudinem, id est, labores gentium comportari, vestroque nomini glorioſorum diademata regũ, in puluere substerni. Ita superbietis videlicet superbia sancta & nobili, dum superbo altiores seculo, superborum omnium colla vera gloria superuadetis. Hoc idcircò, quia nunc mihi dicenti, spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me Dominus, vos annunciationem meam mansueti audistis, & credidistis, relictisque omnibus, secuti estis me, pauperes censu, pauperes spiritu, vnde & odit vos mũdus, & inde vestras quoque animas pro me posituri estis. Verùm non eo tenditis, non illum finem expectatis, vt sicut dixi. Fortitudinem gentium comedatis, & in gloria eorũ superbiatis. Sed quid? (Pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt partẽ suã.) Hoc est, quod speratis, hoc est, pro quo laboratis, duplici confusione, duplici rubore pudefactis & mortis affecti, vt videlicet laudẽt partem suam, vt talem habeant, qualem meritò laudent partem suam, id est, vt habeant vitam æternam, quæ non est alia quam cognoscere deum, & quẽ ille misit Iesum Chri-
Ioan. 17. stum. Hæc enim pars iusti est, & & lætabun-
Psalm. 72. dus, pars mea, inquit, dominus. Hæc vestra erit beatitudo, quod vnde vos duplici rubore confundimini, scilicet & in paupertate viuentes, & angustia morientes, inde sit vt deũ in partem suam habeant gentes, talem suam partem laudantes, talem acquisitionem negociatione auri & argẽti meliorem iudicantes (Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt & lętitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens iudicium & odio habens rapinam in holocaustum. Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorũ
Matth. 19. & germen eorum in medio populorum. Omnes enim qui viderint eos cognoscẽt illos, quia isti sunt semẽ cui benedixit dominus.) Ad nos, quos horum sacerdotum & ministrorum suorum imitatores esse vult, apostropham fecit, vt sciamus quid receperint, quid & nobis si illos imitemur sperandum sit. Propter hoc, inquit, quia reliquerunt omnia, & secuti sunt me, isti fortes iustitiæ ędificatores, siue sacerdotes, & ministri mei. Propter hoc (inquam) in terra sua duplicia possidebnnt, nam quia pauca eademq; transitoria reliquerunt bona corporis, multa eadẽque æterna possidebunt bona animę & corporis, & vtrobiq; lætitia sempiterna erit eis. Quia ego dñs diligens iudiciũ, & odio habẽs rapinã in holocaustũ. Reuera diligens in reddendo, & odio habens rapinã in retinendo debito. Non diligerẽ iudicium, si mercedem retinerem, rapinã haberem in holocaustũ, si oblata non redderẽ. Sed amẽ dico vobis,
Marc. 10. nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ, aut vxorem, aut filios, aut agros propter me, & propter euangeliũ, qui nõ accipiet centies, tantũ nunc in tempore hoc, & in seculo futuro vitã æternã. Igitur de iudicio certi, de retributione securi, malint omnes pij taliũ exemplo confundi confusione vel rubore duplici: quia ego dñs diligens iudiciũ, mihi quoque odiosum est non retribuere illis, quicquid accepero ab illis in holocaustũ. Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriã eis. In veritate (inquam) dabo opus eorũ, vt maneat in veritate fructus vel opus eorum. Quo contra dicitur de opere reproborum. Eccè vos estis de nihilo, & opus Esa. 41.
vestrum ex eo ꝙ non est. Item: Eccè omnes iniusti & vana opera eorũ, ventus & inane simulachra eorum. Et alibi. Confidũt in nihili, & loquuntur vanitatem. Conceperunt laborẽ, & pepererunt iniquitatem. Oua aspidum ruperũt, & telas araneæ texuerunt. Nõ
Esa. 59. sic isti sacerdotes, & ministri mei, sed opus eorum in veritate, opus (inquã) eorum dabo in spiritu veritatis, & fœdus perpetuum feriam eis, vt sint filij Dei, vt maneant in domo in æternum, filij non serui, amici facti ex inimicis per mortẽ meã reconciliati. Et scietur in gentib. semen eorũ, & germen eorum in medio populorum. Semen eorũ. i. verbum prædicationis eorum, scilicet in gentib. cũ enim hi quibus oportuerat prius loqui, repulerint illud, ipsi ad gẽtes cõuertentur Sed & germẽ eorum scietur in medio populorũ, quia cum mortib. affecti, & in sepulchris fuerint conditi, rursus germinabunt, quia de mortuis eorum corporib. viua crebrescent opera virtutum ad roborandã fidem viuẽtium. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti semen, cui benedixit dñs. Reuera soli ꝙ viderint, cognoscent eos, nã qui oculos suos compresserint, ne videant, nõ cognoscẽt eos. Nã videre eos beneuolẽtiæ est attẽtioris atq; docilis animæ est. Itaq; qui viderint, cognoscẽt eos, ex operib. quia isti sunt semen, cui benedixit dominus, & beatificabunt eos, dicẽtes, quibus miro atq; inusitato modo, sanctum benedictionis spiritum dedit dominus.

Quomodo ecclesia Dei delectetur super isto cũ dicit: Gaudens gaudebo in domino, &c. & quid sit vestimẽtum salutis & lætitiæ, quo illam Christus induit, & circundedit & de vnitate corporis Christi & Ecclesiæ.

CAPVT XVI.

GAudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimẽto salutis, & indumẽto lætitiæ circũdedit me. Quasi sponsum decoratũ corona, & quasi sponsam ornatam monilib. suis.

Sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. LXII Sicunt enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.) Aduentus iste, vel præsentia Saluatoris, vnde propheticus hic fermo est osculum illud est, q̃ sponsa desiderans dicebat in Canticis. Osculetur me osculo oris sui. Ecclesia quippe spõsa fidelis nata in patriarchis, subarrata in Moyse & ꝓphetis, illud suspirabat voto cordis festinantissimi, vt veniret ipse dilectus, & assumendo carnem, oscularetur eam osculo oris sui. Hoc facto hilariter nũc delectata dicit. Gaudens gaudebo in domino, &c. Huiusce particeps gaudij dicebat ille amicꝰ egregius spõsi, ille sponsi & sponsæ consecretalis, & mutui conscius amoris. Qui habet sponsam spõsus est. Amicus autem sponsi, qui stat audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.

Cant. 2

Ioan. 3. Hoc ergo gaudium meũ impletum est. Nec verò dubium, quin ille præcursor natiuitatis præcursor quoque factus passionis, ad inferos descenderit, & expectanti illic ecclesiæ, nuncium bonum attulerit. Igitur quia postmodum de passione eius propheta dicturus est. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis

Infra 63. vestibus de Bosra, & paulò ante in persona eiusdem annunciantis & prædicantis, dixit. Spiritus domini super me, eò quòd vnxerit dominus me, rectè & oportunè voces istæ sic accipiuntur, tanquam apud inferos iam in occursum eius exultantis Ecclesiæ. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quæ mihi gaudij causa, quæ exultationis ratio? Quia induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circũdedit me. Nudata fueram in Adam, foliis ficus pudenda contexeram, tunicis pellicijs miserè operta, de paradyso eiecta fuerã. Hic autem dominus, & deus meus, pro foliis ficus vestimento salutis, & pro pruritu libidinis, prima baptismatis, & remissionis peccatorũ stola induit me, & ꝓ pellicia mortalitatis tunica, resurrectionis & immortalitatis stola secũda circũdedit me. Quasi sponsum decoratum corona, & quasi spõsam ornatam monilibus suis. Quasi sponsum, inquam, & quasi sponsam. Vnum quippe sumus corpus, ca-

1. Cor. 12. Rom. 12. put & membra sponsus & sponsa, Christus & Ecclesia. Iã iam in Christo sponso, & capite meo modicũ passo, in æternum fulgebit victoriæ corona, in me sponsa virtutũ & gratiarũ fulgida figẽtur monilia. Sicut eñ terra profert germen suum, & sicut hortus semen suũ germinat, sic dñs deus germinabit iustitiã, & laudem corã vniuersis gentib. Inde ille sponsus, & ego sponsa: quia ille Dñs Deus, &

1. Cor. 3. ego terra, vel hortus eius, quia ille agricola, & ego agricultura eius. Vnus idẽq; quia creator dñs est & deus: & quia homo factus, agricola est meus. Quomodo agricola plantante atq; rigante, & deo incrementũ dante, terra profert germẽ suũ, & hortus semen suũ germinat: sic illo vno & quia homo est, euãgeli zando plantãte atq; rigante, & quia deus est per spiritũ suũ incrementum dante, proferã ego & germinabo iustitiã fidei, & laudẽ dei, non corã vna tantum gente Iudæa, sed corã vniuersis gentib. vt videant opera mea bona, legendo dicta vel acta patriarcharũ, vel Matth. 5. ꝓphetarũ, audiendo vocẽ, & videndo lucem Apostolorum, & videndo atque credendo glorificent patrem, qui in cælis est.

Quomodo dicta sponsæ fidelia confirmet Deus pater, dicendo: Propter Syon non tacebo.

CAPVT XXVII.

PRopter Syon nõ tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum.) Quod dixerat sponsa. sic dominus deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus, confirmat pater sponsi deus, dicendo, non tacebo & non quiescam propter Syon & propter Hierusalem, & cætera. Propter Syon, inquit, & propter Hierusalẽ, cui iuraui in Abraham, cui iuraui in Dauid, ger minare iustitiam & laudẽ coram vniuersis Gen. 22. gentibus. In Abraham, quando per memetipsum iuraui, dicens: Benedicam tibi, & semẽ tuum multiplicabo, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. In Dauid, quemadmodum ille dicit, Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non Psal. 111. frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponã super sedem tuam, quoniã elegit Dominus Syon. Igitur quoniam debitor sum, & gratuito iuramento teneor, propter Syon non tacebo, sed loquar, & propter Hierusalem non quiescam, sed operabor, donec angustijs Iudææ per torcularia passiõis egrediatur vt splẽdor iustus eius, & Saluator eius velut lãpas ad illuminandum gentes accendatur, vt videant gentes, iustum tuum ô Syon, & cuncti reges inclytum tuum ô Hierusalem. (Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.) Nomen (inquam) nouum, id est nomẽ Christianum vocabitur tibi, nomen nouum, id est, nomen amicorum, nomẽ filiorum Dei vocabitur filijs tuis, qui hactenus serui, immò inimici & filij iræ dicebantur ob culpam primæ præuaricationis Adæ patris sui. Quod (inquã) os domini nominauit. Sine dubio nomen æternum est, quodcũque os domini nominauit. Ergo quod os domini nominauit, idem est, ac si diceret, quod tibi nomen in æternum permanebit. (Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.) Apostolus dicit. 2. Cor. 1. Nam gloria vestra sumus, sicut vos nostra in die Domini. Si ergo quilibet nostrum eorum gloria sumus, qui nos prædicando vel instruendo acquisierunt, quanto verius eius gloria sumus, qui & nos & prædicatores nostros acquisiuit per sanguinem suum? Itaque

corona

corona gloriæ in manu domini eris, & diadema regni in manu Dei tui, id est, ei qui te redemit, sic pro gloria erit charitas redemptionis, quomodo corona vel diadema pro gloria est capiti regis emeriti. Quod intimãs idẽ Apostolus dicit. Decebat enim eum propter

Hebr. 1. quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. (Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata.) Hæc tuæ vetustatis erant nomina, & à patre tuo Adã tibi hæreditaria, derelicta, desolata. Non sic vocaberis vltra, nec memor ero horum nominum tuorum per labia mea. (Sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata.) Antequam deleatur parentum tuorum inobediẽtia, nõ potest vocari voluntas mea in ea, sed per obedientiam patris tui hominis Iesu Christi fiet, vt rectè voceris voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. Hoc repetẽs iterum dico. (Quia cõplacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.) Quomodo ter ra tua inhabitabitur? Habitatione sancta, ha-

Matth. 22 bitatione angelica. (Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui.) Illi enim qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neq; ducent vxores, neque enim vltra mori potenunt, æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis. (Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.) Id est, ad similitudinẽ gaudij quo gaudet sponsus super sponsam, ita gaudebit super te Deus tuus, quia plena tibi vo-

Psal. 35. luntate substantialiter infundetur, iuxta illud. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Interim donec earundem veniat tempus nuptiarum, custodieris contra diabolum adulterũ, neq; dormiam sicut dormiui, donec surgerem ad auram post meridiem, post perpetratum corruptoris adulterium serpentis.

Gen. 3. Hoc hoc est, quod sequitur. (Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die & toto nocte perpetuò non tacebunt. Qui reminiscimini domini ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat & donec ponat Hierusalem laudem in terra.) Quinam sunt custodes super muros Hierusalem, qui tota die & tota nocte non tacent, nisi Apostoli & Apostolici viri, rectores atque sacerdotes? qui interim dum adulteria spiritualia cauenda sunt, in regimine sanctæ Ecclesiæ positi sunt, vt neque in prosperis, neq; in aduersis taceant laudare nomen Domini, prædicare pulchritudinem, nobilitatẽ, diuitias atq; fortitudinem spõsi legitimi, modicum expectãdi, citò venturi. Vnde quia non solũ sermone prædicationis, sed & studio iuuare debẽt orationis, ad eosdẽ sermo dirigetur, cũ dicit: O vos, qui reminiscimini domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, ne vacet illi dormire, quemadmodum olim dormiuit tamdiu, donec perficeretur cum natura humana adulterium serpentis diaboli, quod scriptura innuens, dicit. Et cùm audissent vocẽ Domini Dei ambulantis, in paradyso ad auram post meridiem, &c. Primi homines illũ toto meridie dormire passi sunt, quippe quẽ nulla laude, nulla prece inquietauerũt. Vos autem ne detis illi silentium, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in ter- Gen. 3. ram, id est, donec ecclesiam suam ad illum statũ laudabilẽ perducat, vbi iã neq; fur, neque adulter, appropinquare valeat.

Quòd ait: Iurauit Dominus in dextera sua, quòd iuramenti huius sensum, ipse dicat in Euangelio Dominus: Amẽ dico vobis, q.a auferetur à vobis regnũ dei.

CAPVT XXVIII.

IVrauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ. Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni vinum tuum in quo laborasti. Quia qui congregant illud, comedent & laudabunt Dominum, & qui comportant illud, bibẽt in atrijs sanctis meis.) Post mutua sponsi & spõsæ colloquia iam ad passionem, qua sponsa redimitur sermo propheticus aspirat, dicendo: Iurauit Dominus. Quando enim iurauit hæc Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, nisi quando dixit ipse filius Dei, dextera nimirum, & brachium fortitudinis Domini. Amen dico vo Matth. 23 bis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facenti fructus eius. Denique mali & perdendi agricolæ illi, quibus hoc iurauit inimici erant, & filij alieni, comedẽtes triticum, & bibentes vinum, in quo sancta patriarcharum & prophetarum Ecclesia laborauit, & non reddentes fructum vindemiæ in tempore messis. Iurauit (inquam) dominus, quia siciam vltra non erit. Sed quid? Qui congregant illud comedent, & laudabunt dominum, id est, ablatum ab illis regnũ Dei posidebũt gentes, faciẽtes fructus eius, vt prius congregent Domino, & sic comedant, prius comportent, & sic bibant in atrijs eius, in regno eius. (Transite, trãsite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides.) Custodes murorum Hierusalem, id est, Apostoli iubentur transire per portas, ad veritatem Euangelij incedere secundum scripturas, sicque parare viam populo Christiano, planum faciendo iter, & eligendo lapides, vt non sint offendicula siue scandula, quibus offendatur vel cõcidat fides Christiana. Et hoc illi quidẽ fecerunt quantum potuerũt, sed quia minus plana fuisset via, diuinitus prouisa sunt arma Romanorum, vt non remaneret ciuitas sanguinum, nec staret templũ Iudæorum, quo nimirum stante, quasi ad magnos lapides nimium offenderet simplicitas Christianorũ. Et eleuate (inquit) signum ad populos, eccè Dominus auditum fecit ab extremis terræ.)

Neputent

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT LXIII.

Ne putent Iudæi, de se dictũ, præparate viã populo, eleuate (inquit) signum in gentes, & ad populos nationum, vt nequaquam vnius terræ Iudææ ad salutem prouocentur angustiæ, sed auditum fiat in extremis terræ vt passionem creatoris totus mũdus exaudiat. Penè ineffabile est, quid admirationis, quid habet expectationis quod dicitur, eccè dominus auditum fecit ab extremis terræ. Morientibus & desperatis in medio terræ, dicite, dicite, quia dominus auditum fecit ab extremis terræ, ab hominibus humilibus, qui pro eo quod contemptibiles videbantur, quodammodo erant extrema terræ. (Dicite filiæ Syon, eccè Saluator tuus venit, eccè merces eius cum eo, & opus illius coram eo.) Dicite (inquit) & testificamini filiæ Syon, id est, ecclesiæ patriarcharum & prophetarum, cui credẽti potestas datur filiam Dei fieri. Quid dicetis ei? Eccè iste non alius, sed istequi iuxta alium prophetam pauper est, & ascendens super asinum, & super pullum asinæ, Zacha. 9. Saluator tuus est, eccè venit vt redimat te, vt saluet te. Eccè merces ei⁹ cũ quo redimat te, & opus illius coram eo, quo saluet te. Non enim extra, sed intra semetipsum habet redemptionis tuæ pretium, non aliud quam sanguinem suum. Item opus illius quo te redemptam viuificet, non longè, sed coram eo est, statim quippe vt te redemerit pretio sui sanguinis, sanctum tibi spiritum dabit, spiritum vitæ & salutis, quem accipient quoquot saluatorem istum receperint, quotquot in eum crediderint. (Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta.) Eorũ q crediderint vocabulũ erit populus sãctus redẽpti à domino, & hoc nomine Apostoli & Apostolici viri vocabunt eos, tu autem ô mater ciuitatum fidelis Syon, quæ hactenus apud inferos exulabas derelicta & non requisita, amodo vocaberis quæsita & & non derelicta.

Quòd passionem eius admiratione dignam æstimari velit Propheta, dicendo: Quis est iste qui venit de Edom.

CAPVT XXIX.

QVis iste est qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in sto la sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.) Victoriosæ passionis præconia deinceps non repetiturus, nunc excellentius sub admiratione enunciat, adiũcto videlicet gaudio pro triumphali resurrectionis & ascensionis eius gloria. Quis (inquit) iste est qui venit de Edom? Quis iste est qui venit tinctis vestibus de Bosra? Quis est ille formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Edom terrenus, atq; cruentus. Bosra quod est nomen ciuitatis in Moab interpretatur firma atque munita. Porrò terrenus atque cruentus populus Iudaicus erat, firma atque munita Hierusalem fuerat, fortissimis muris antè circũdata, siue infern⁹, in quo clausæ mortuorũ animæ fortissimis custodiis tenebantur. Inde venit iste verè formosus, & iuxta Psalmum quadragesimum quartum. Speciosus forma præ filijs hominum, formosus, inquam, in stola sua, siue tinctis vestibus, id est, candidus & rubicundus, candidus mundissima carnis virginitate, & rubicundus sacrosancta passione, & talis gradiens vsque ad summum cæli, in multitudine fortitudinis suæ. Interrogant igitur occurrentes angeli, & dicunt. Quis est iste, quis est iste, rei nouitate perterriti. Mysterium enim passionis & resurrectionis Christi, cunctis retro generationibus fuerat ignoratum. Respondet ille interrogantibus. (Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.) Ego (inquit) sum qui peccatum non feci, nec inuentus est dolus in ore meo, 1. Pet. 2. siue qui malis mala, & bonis retribuam bona. Ego sum qui propugnare veni aduersus aduersarias potestates, & vinctos de carcere liberare, vt & aduersarij pœnas, & captiui sentiant libertatem. Rursus angeli sciscitã tur & dicunt. (Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantiũ in torculari.) Si (inquiũt) tu es qui loqueris iustitiam, & nullum admisisti peccatum, nónne indumentum tuum, indumentum, inquam, corporis tui sicut de vtero virginali sumptum est candidum, ita permanere debuit? Quare ergo nunc sanguine est rubrum? Quare vestimenta tua sunt sicut calcantiũ in torculari? Nam ambæ manus tuæ, ambo pedes tui sic sunt, quasi clauis confixi fuerint, & vnum latus tuum sic est, quasi lancia vulneratum est. Hæc omnia signa sunt mortis, quasi tu quoque torcular mortis calcaueris, imò in torculari mortis calcatus sis. Nam in torculari quidem, vnde huc similitudo sumpta est, aliud quod calcatur, aliud est ipse qui calcat. In passione autem mortis, vnde hic sermo est, ipse qui calcat & ipse qui calcatur, idem est. Calcauit enim ipse qui semetipsum tradidit pro nobis, calcatus est tanquam botrus qui sub pressura crucis de acino corporis, vinum, id est, spiritum suum emisit. Itẽ torcular calcauit, quia sicut in torculari vinum expressum assumitur relictis acinis, sic in eadem passione sua bonos redimendo assumpsit, malos iudicando reliquit. Respondet ergo percunctantibus. (Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.) Idcircò (inquit) rubrum est vestimẽtum meum, & sic vestimenta mea sunt quasi calcantium in torcula ri, quia reuera torcular calcaui. Calcaui autẽ solus, nullũ quippe habui adiutorem. Neq; enim angelus, aut archangelus, thronus, dominationes, aut vllus omnium cælestium spirituum pro hominib. passus est, sed neq; hominum quempiam habui adiutorem, in tantum vt etiam confidentissimus Petrus timore perterritus fugeret, imò & me negaret. Ita torcular calcaui solus, subauditur in salutẽ supradictæ filiæ Syon, in salutem omnium credentium. Quid de illis qui non credunt? Calcaui eos (inquit) in furore meo, & cõculcaui eos in ira mea. Duplici contritione contriui eos, præsenti furore meo, & futura ira mea condemnaui eos. Præsenti videlicet furore, vt Romanis tollẽtibus suum & locum & gentem perdant. Futura ira, vt vsq; ad inferni nouissima descendant. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia induméta mea inquinaui. Deniq; sãguis meus, hæreditarius sanguis eorum effectus Matth. 27. est, quia dixerunt, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Illic sanguis eorũ aspersus est super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui, quicquid enim ad cultum vel religionẽ mihi facere consueuerãt, holocausta eorum, neomenias & sabbata eorum, & omnes alias festiuitates eorum, extunc odiui, & omnia sanguine polluta iudicans, oculos meos auerti. (Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.) Quis dies vltionis, quis dies vel annus retributionis? Ille nimirum quem iam præuidẽs propter reatum vituli, quem fecerant dixit ad Moysen. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Ille dies vel annus retributionis meæ in corde meo erat, & nunc venit, & quæcunq; deinceps fecerunt patres eorũ, imò & omnis sanguis qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, ecce super generationem istã venit. Quid tandem pro me egi? (Circumspexi & nõ erat auxiliator, q̃siui & nõ fuit qui adiuuaret. Et saluauit mihi brachiũ meũ, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.) Parum dictũ erat, nõ erat auxiliator, & non fuit qui adiuuaret. Notum quippe ex euangelio est, quia non solũ nõ erat auxiliator, & non solũ non fuit qui adiuuaret, cùm ipse altus. i. in crucem eleuatus circumspiceret, sed econtra omnes videntes me deriserũt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput, dicendo: Vah qui Psalm. 21. destruit templum Dei, & in tribus dieb. reẽ- Matth. 27. dificat illud. Saluum fac temetipsum. Dicitur autem hic locutiõis modus, tapinosis, id est, humilitas rei magnæ, non id agente sententia quod ostenditur. Igitur circumspexi, inquit, & non erat auxiliator, quæsiui, & nõ fuit qui adiuuaret, siue iuxta alium prophetam, & sustinui qui simul contristaretur, & Psal. 68. non fuit, & qui consolaretur, & non inueni. Et saluauit mihi brachium meũ, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. In quo saluauit mihi brachium meum, in quo indignatio mea ipsa auxiliata est mihi? In eo videlicet, quòd cùm factus essem homo sine adiutorio inter mortuos liber, solui dolores inferni, nec etiã ab illo me teneri possibile esset. Et quomodo leoni fortissimo rugitus suus auxiliatur, ad conterendas bestiolas minores, sic indignatio mea mihi auxiliata est ad consternendos vniuersos inferni principes. Vndè satis eleganter in spiritu Iacob patriarcha dicit. Catulus leonis Iuda, ad prædã Gen. 49. fili mi ascendisti. Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum? Exinde pœnas exegi de inimicis meis, de homicidis & derisoribus meis Iudæis, vt caderent in ore gladij, & captiui ducerentur in omnes gentes, & ciuitas eorum pariterq; templum detraheretur in terra. Hoc est quod sequitur. (Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos indignatione mea, & detraxi in terram verticem eorum.)

Deploratio Iudaicæ gentis ex persona Prophetæ cum confessione præcedentis mali illorum meriti: et laude iustitiæ domini, super omnibus quæ reddidit nobis dominus, vsq; „Sic faciam propter sermones meos, vt nõ disperdam totum.

CAPVT XXX.

MIserationum domini recordabor laudem domini super omnibus, quę reddidit nobis dominus, & super multitudinẽ bonorum domui Israel, quæ largitus es eis, secundum indulgẽtiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit. Veruntamen populus meus es, filij nõ negantes. Et factus est eis saluator.) Post vltimam dominicæ passiõis recapitulationem propheta sui. i. Iudaici populi abiectionem affectuosissimè deplorat, sed in eodem ploratu suo sapiẽs, vimq; doloris admissa ratione contemperans, lachrymosæ voces orationis vera laude Dei præuenit, ne videlicet propter aduersa sequentia prioribus ingratus existere videatur eius beneficijs. Miserationem (inquit) domini subauditur antiquarum recordabor in ira, quam infert post easdem miseratiões. Ac si dicat. Et licet post tot miserationes iram inferat, nõ tamen mutatus est, nõ mutabilitatis arguendus est. Nã & multitudinem bonorum largitus est domui Israel secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum, & interea dixit, inquam, in Moyse, dixit in prophetis & psalmis. Veruntamen Psal. 104. populus meus est, filij non negantes. Quod erat dicere. Ego quidem Abraham, Isaac & Iacob elegi, & veraciter dictum est, semẽ Abrahæ serui eius, filij Iacob electi eius. Veruntamen non omnes qui ex Israel hi sunt Israelitæ, sed soli non negantes filij reputatur in semine. Hæc dixit & immutabili permanente proposito eis tantum factus est saluator. (In omni tribulatione eorum nõ est tribulatus.) Quorũ in omni tribulatione nõ est tribulatus? Filiorum non negantiũ, filiorum fidelium. Illorum oẽm tribulationem, oẽm miseriam, omne peccatum, & oẽm iniquitatẽ, ipse absq; tribulatione sustinuit non

Universidad de Deusto
Biblioteca

inuitus, sed volũtaria charitate portauit. Nã hoc est quod sequitur. (Et angelus faciei ei⁹ saluauit eos in dilectione sua.) Si enim Apostolus in tribulatione suorum non est tribulatus, sed dilatato corde dixit. Os nostrũ patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatũ est, non angustiamini in nobis, quãto magis angelus faciei domini, angelus magni consilij, cuius facies, fac es est domini, nulla tribulatione est angustiatus? (Saluauit (inquit) eos in dilectione sua, & in indulgẽtia sua ipse redemit eos. Et portauit eos, & leuauit eos cũctis diebus seculi.) Quæ cuncta sunt officia suauissimæ & latissimæ charitatis. (Ipsi autẽ ad iracundiam prouocauerunt & afflixerũt spiritum sancti eius.) Qui nam ipsi? Vtiq; filij negantes, gẽs peccatrix, populus graui iniquitate, semen nequam, filij scelerati. Cuius sancti eius spiritum ad iracundiam prouocauerunt & afflixerunt? Sancti sanctorum, angeli faciei eius quem blasphemauerunt, negauerunt, & interfecerunt. Quid pro hoc? (Et conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos.) Palã omni mundo est, quia debellauit eos, & vicit eos, occidit in ore gladij, & in omnes gẽtes captiuos duxit eos, nõ tanquam pater virga disciplinæ feriens, sed tanquam inimicus, vsq; ad inferni nouissima persequens. (Et recordatus est dierũ seculi, Moysi & populi sui.) Recordat⁹ est dierum seculi, recordatus est Moysi, recordatus est populi sui, in eo videlicet, vt adduceret super eos oẽm sanguinem iustum, qui effusus est super omnem terram à diebus seculi, vt vindictam faceret in eos, quòd totiens exacerbauerunt spiritum Moysi, quòd totiens tumultuando inquietauerant pacem populi sui. Hac præmissa laude & recordatione miserationum domini, tandem luctũ progẽte sua lachrimosum ingreditur tãto vocis clamore & cordis rugitu, vt rectè dicamus, quia in isto spiritus sanctus gemitibus orat inenarrabilibus pro Israel, vt ex eo saltẽ reliquiæ saluentur. (Vbi est, inquit, qui eduxit eos de mari cum pastorib. gregis sui? Vbi est qui posuit in medio ei⁹ spiritũ sancti sui?) Et subinde. (Attende de cælo & vide de habitaculo sancto tuo, & gloriæ tuæ. Vbi est zelus tuus & fortitudo tua? Multitudo viscerum tuorum & miserationũ tuarũ super me continuerũt se. Tu enim pater noster & Abrahã nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu dñe pater noster redemptor noster, à seculo nomen tuum. Quare errare fecisti nos domine de vijs tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? etc.) Taliter lugendi cæcitatem quę contigit in Israel, Deus tandem respondet. (Quęsierunt me, qui antè non interrogabãt, inuenerunt qui nõ quæsierunt me.) Statim filius cuius personæ sunt istæ voces apostrophã facit ad ipsum patrẽ his verbis. (Et dixi, Ecce ego, ecce ego ad gentẽ quę non inuocabat nomen tuũ.) Quare? (Expandi (inquit) manus tota die ad populũ incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas, &c.) Hæc de plenitudine gentium, quę subintratura erat, loquitur aduersus Israel, cui cæcitas cõtigerit. Nec mora reliquias ex eo saluandas fore promittit cum dicit. (Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur, ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter sermones meos, vt nõ disperdam totum. Et reliqua.) Non ignoro, plurima sparsim esse prætermissa, perspicuè ad eandem fidẽ Christi, gentium quoq; vocationẽ pertinẽtia, sed iuxta propositum, septem tantum prophetæ huius oportuit excipere particulas, quibus recapitulata non partim, sed penè ex integro tota cõtinetur fides Christiana, fides euangelica, facie aperta, serie ordinata. Et hic quidẽ finem facere, & ad prophetã alium transire poteramus, sed occurrit vnum quod perpulchrum atq; egregium, quod nullatenus deuotio fidei nos in tactum præterire patitur.

2. Cor. 6.

CA. LXV.

Quòd ait, antequam parturiret peperit, &c. quomodo secundũ hæc quoq; falsum sit, quòd Iudæi, et quidã hæretici dixerũt, ante Mariã nõ extitisse Christũ.

CAPVT XXXI.

ANtequam parturiret peperit, antequã veniret part⁹ eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gẽs simul, quia parturiuit & peperit Syon filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam dicit dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero, ait dñs Deus tuus? Quatuor hæc dicta sunt, quorum vnum nostræ regenerationis gratiam, tria verò vnici verbi Dei genituram, trimodam altissimo & penè ineffabili mysterio nobis insinuant. Nam quod ait, nũquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Syon filios suos, repentinã admiratur generationem credẽtium in Christum, qua post aduentum spiritus sancti, sancta Syon. i. Apostolica ecclesia, magnam Iudæorum atq; gẽtium multitudinem prædicationis verbo & salutari regenerauit baptismo, tanto miraculo, ac si vno die gens tota vno pariatur vtero. Hoc ex prædictis quatuor vnũ est. Cęterorum trium primũ est quòd parturiuit, secundum quòd antequam parturiret peperit, tertium quòd dominus ipse semetipsum qui alios parere faciat, non esse sterilem, sed se quoq; peperisse altissima inuectione asserit. Hęc, vt iam dictum est, tria generationis Christi documẽta magna & mira sunt. Quãdo enim Syon parturiuit & peperit masculum? Nimirũ quando virgo Maria, pars magna sanctæ ciuitatis Syon, pars magna & regalis aula sanctæ ecclesiæ, quæ est specula, in qua nũc speculamur, post in eadem facie ad faciẽ visuri Deum deorum, peperit Christũ filium masculum, filium fortissimum, valentem

CA. LXVI.

lentem ad debellandum fortẽ armatum, qui nullum timens custodiebat atrium suum, tenebat sibi quasi in pace mundum, quando illa beata virgo peperit Christum filium, vtique masculum peperit Syon. Non enim sibi soli, sed toti ecclesiæ, Maria parturiuit Christum. Sed non iam dicat Iudæus, non dicat hæreticus, eundem Christum ex Maria existendi habuisse initium. Nam antequã parturiret, peperit. Antequam parturiret illic, antequam tempus illud ei veniret, vt filium visibilem ex ventre virginis sancta Syon ederet, peperit, & mater eius fidẽ verbi effecta est. Concepit enim corde, & verbum dei peperit ore. Quotiens ad aliquẽ prophetarum siue patriarcharum verbum dei factum est, totiens Syon peperit verbũ domini, non aliud quàm quod beata virgo concepit, & carnem factum peperit. Vndè vnus illorũ hic idem Esaias dicit. A timore tuo domine concepimus & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Nota & celebris animabus sanctis est ista veritas, quòd verè deus amator fideli animæ vt sponsus sponsæ copuletur, atque ex illo per amoris spiritum suscepto semine impregnata, loquẽdo, prophetando, & quod magis est, scientiam Dei scribendo, mater verbi Dei efficiatur. Sic omnis scriptura legalis & prophetica cõdita est, antequam omnis scripturæ vniuersitatem, omne verbum suum Deus in vtero virginis coadunaret. Ipsa virgo prius mente quàm carne concepit, prius ore prophetando quã vẽtre parturiendo peperit. Igitur falsum est, an te Mariam non extitisse Christum. Nam antequam carnem eius parturiret, peperit ore prophetarum, beata Syon vnum eundemq; Christum, vnum idemq; Dei verbum. Nec etiam satis est adhuc. Nam ne fortè suspiceris, quod antequam prophetæ loquerentur, non fuerit hoc verbum domini. Ecce enim ipse Deus dicit. Nunquid ego qui alios pare re facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? Ac si dicat. Nunquid ego qui alijs bonum effari verbum dedi, ipse non prior de corde meo verbum bonum eructaui? Est enim solœcismus per tempora verborum, dum dicit, ipse non pariam, ipse sterilis ero, pro eo vt dicat ipse non peperi, ipse sterilis fui. Porrò alibi recto, id est, præterito vtitur tempore, dicendo: Ex vtero ante luciferum genui te. Verũ tamen nec quia illic ex vtero genui te, dixit, nec quia hic ipse non pariam, aut sterilis ero dicit: Idcirco Deus vterum & vuluam habere putandus est, sed ob significandam expressius suimet atq; filij siue verbi substantialitatem, talibus oportunè vocibus Deus vti dignatus est. Obmutescat igitur omnis impietas, quia quod virgo Maria verbum parturiuit, incarnatum ipsum fide conceptum, dicto & scripto pepererunt prius animæ patriarcharum & prophetarum, ipsum nihilominus peperit ex vtero, id est, ex profunda substantia sua genuit Deus pater, ante omnia secula seculorum. Adeò non Deus recens est, hic Deus noster.

Supra 26

Psal. 109.

FINIS COMMENTARIORVM LIBRI SECVNDI, IN ESAIAM PROPHETAM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN HIEREMIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Quintæ ætatis initium cõputari Hieremiæ vaticiniũ, & in hac ætate sacerdotium Christi figuratũ factis, significatumq; esse dictis propheticis.

CAPVT I.

QVintæ ætatis seculi, crepusculũ Hieremię prophetæ vaticiniũ est, Babylonicam captiuitatẽ, ruinam pariter & incẽdiũ ciuitatis actẽpli sic prẽnunciãs, vt proprijs quoq; oculis cũcta cerneret. Hic iam rectè quæritur, quid eo tempore mundus acceperit, quo tanquam certo limite præfixo iam quinta ætas, post exactã quartam ętatem iure dici vel computari debuerit. Nam de præcedentib. ratio stat, quia videlicet prima ætate ante diluuium, velut infans permissus sibi vacauit ab auditu sermonis Dei. Secunda verò velut puer prima doctrinæ percepit elemẽta in fœdere, quod pepigit Deus cum Noe. Tertia iã velut adolescens repromissionem beati seminis in Abraham, & disciplinam legis accepit in Moyse. Quarta velut iuuenis promissionem regni Christi audiuit in Dauid. Hoc ergo tempore quid amplius audiuit vel accepit, vt rectè computetur quasi quinta ætas pleni ac perfecti viri? Accepit nimirum promissionẽ sacerdotij Christi. Qui enim in Abraham homo, in Dauid rex, in huius temporis prophetis sacerdos promissus est. Sacerdotium eius hic factis præfiguratur, dictis propheticis significatur. Et superiore quidem ætate

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 109. dicitur in eum. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, dictum est ad Hely sacerdotem in typum ruinosi sacerdotij Iudæorum, cui successurum erat fidele Christi & ecclesiæ sacerdotiũ. Ecce dies

1.Reg.1. venient, & præcidã brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. Verùm hic multo plenius, multo sacratius causa pariter & effectus sacerdotij Christi figurantur, & aduentus eius tempora præfiniuntur. Nempè Babylonica gentis vnius captiuitas causam communem significat, pro qua generi humano tantus sacerdos necessarius erat, reuersio autem captiuorũ sub Iesu sacerdote magno, remissio peccatorũ in qua liberamur, duce & liberatore nostro põtifice magno Iesu Christo. Porrò aduentus eius tempora hoc modo præfiniun-

Daniel. 9. tur. Tu autem Daniel animaduerte sermonem, & intellige sermonẽ. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finẽ accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum, &cæ. In extremæ quoq; huius ætatis margine, tota sacerdotis huius promissio perficitur magnificè, dum dicit angelus ad Ioseph virum

Matth.1. Mariæ. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Claret enim ex hoc, quia sacerdos iste Deus est, qui solus

Hebr.9. à peccatis saluare potest. non habẽs quotidie necessitatẽ quemadmodum sacerdotes prio pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo. Sanè istos ætatum terminos auctoritas euangelica fundauit, dicendo in libro

Matt.1. generationis Iesu Christi. Omnes ergo generationes ab Abraham vsq; ad Dauid generationes sunt quatuordecim, & à Dauid vsque ad transmigrationẽ Babylonis generationes quatuordecim. Et à transmigratione Babylonis vsq; ad Christum generationes quatuordecim. Hoc rectè intelligitur dixisse, solius generationis Iesu Christi respectu, qui se-

Gen.22. cũdum eam promissionem, quæ facta est ad Abraham. In semine tuo benedicentur omnes gentes, verus homo est, secundum eam quæ facta est ad Dauid, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, rex vtique est, se-

Matth.1. cundum eam quæ facta est ad Ioseph virum Mariæ. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, nimirum officio sacerdos, potentia Deus est.

Quomodo hæc quinta ætas similis sit cum quinta die creationis mundi, & cur tunc temporis templum pretiosissimum permissum est Babylonico igne conflagrari.

CAPVT II.

IGitur quintę ætatis initium hoc est, spectabilia Dei opera continentis, vt quinta dies creationis mundi, secundum spiritũ cõfilij, qui nimirum à spiritu timoris domini surſum quintus est. Consilij namque diuini est, quòd pulchrum & nobile Dei templum in toto orbe tunc temporis vnum & solum, auro ditissimum, opere mirificum, regione inclytum, regiamq́ ciuitatem Dauid atq; Salomonis, permissum est Babylonico igne conflagrari, spoliari, prophanari, occisorum sanguine compleri. Erudiendus namq; erat mundus eatenus iuuenis luxuriosus, ne putaret quòd habitator cælorum Deus, auro templi manufacti, vel ciuitatum opibus delectetur, & non potius hominum fide & bonis operibus, quibus intus in anima templũ illi pręparatur, quo solo delectetur, vbi adoretur, in quo videri & presens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus vel auro tẽpli manufacti requiratur. Habet quoq; quinta hæc ætas, quintæ diei creationis mundi aliquid simile. Nam sicut tunc non omne leuatum est in aera, quòd ex aquis ortum est genus creaturæ, sic non omnium captiuo- Psal. 136.
rum fuit dicere super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus. Illorum hoc erat dicere, qui recordabantur Sion vbi fuerat nominis domini templum sanctum, vbi licuerat non impediente Babylonico rege adorare vnum & solum verum Deum. Tales nimirum non sub aquis fluminis Babylonici absorpti erant, sed supersedebant similes auiculis, quas aquæ imperio Dei produxerunt, parati ad volandum, mox vt permittẽtis audirent Cyri regis edictum. Cæterùm qui Babylonicis voluptatibus & interdictis ex lege, Babylonicarum vxorum complexibus occupati resederunt, suamq́; captiuitatẽ permissæ libertati præposuerunt, piſciculis simiſes fuerunt, quorum omnis voluptas sub aquis depressa est, & euolare nescierunt. Nũc iam in rem pergendum est.

Quod Hieremias eiusdẽ domini, cuius propheta est, typum gesserit nomine proprio sanctificatione ex vtero, prædicationis officio septies ad Hierusalem facto, cuius ruinæ superstitit ante obsidionem verbum domini ad se factum esse referendo eamq́, ad pœnitentiã, prouocando numero vel ordine determinato.

CAPVT III.

PRimo Hieremias, qđ interpretatur excelsus dominus, eiusdẽ cuius propheta est excelsi domini, in omni ordine prophetiæ suæ typum tenet. Nimirum in typum eius, qui antequã ex vtero virginis homo cõciperetur, apud Deum erat Deus, hic in vtero matris sanctificatur, diciturq́; illi. (Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, & cætera.) Item in typum eiusdem domini nostri qui populo illi prædicauit, & ad pœnitentiam audire nolentes vocans, ciuitatis & templi exterminium prædixit, & quamuis occisus, eidem tamen exterminio superstes extitit, & deinceps Iudæos in cęcitate relinquẽs, gentibus euangelizauit. Iste propheta cõtra Hierusalem vaticinatus est, ad pœnitentiam prouocans ciuitatem auersione contentiosa auersam, venturum prædicens exercitũ Babylonicum, futurumq́; templi & ciuitatis incendium, & quamuis multa passus, eidem tamen incendio superstes extitit, & rege Sedechia capto, oculisq́; priuato, deinceps ipse exteris nationibus prophetauit. Numeremus nunc, quotiens ad istum ante ciuitatis obsidionem verbum domini factum est, & secũdum vices ordinẽ prophetiæ prosequamur sermonis euangelici ordinem, qui præclarus & notissimus est. Primo sic scriptum est. Et

Cap.1. factũ est verbum domini ad me dicens. Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequã exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Deinde secũdo. Et factum est verbum domini ad me dicens. Quid tu vides Hieremia? Et dixi. Virgam vigilantem ego video. Item: Quid tu vides? Et dixi. Ollam succensam ego video, & facies eius à facie aquilonis. Hæc enim duo, pro vno verbo domini rectè habentur, quia videlicet vnum idemq́; verbum & pœnitentiæ disciplinam recipientibus, vigilãs correctionis virga est, & impœnitentibus olla succensa, id est, æternæ damnationis iudicium est. Deinde loco tertio. Et factum est verbũ do-

Cap.3. mini ad me dicens. Vade & clama in auribus Hierusalem dicens. Hęc dicit dominus. Recordatus sum tui miserans adolescentiã tuam, & charitatem desponsationis tuę, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. Et cætera quàm multa, quib. Hierusalem prolixo sermone peccata sua commemorat, eamq́ue ad pœnitentiam inuitat. Post hæc loco quarto. Verbum quod factũ

Cap.7. est à domino ad Hieremiã dicens. Sta in porta domus domini & prædica verbum istud, & dic. Audite verbum domini omnis Iuda, qui ingredimini in portas has, vt adoretis dominum. Hæc dicit dominus exercituum Deus Israel. Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscũ in loco isto. Nolite confidere in verbis mẽdacij dicẽtes: Templum domini, templum domini, templum domini est. Deinde quinto loco. Verbum domini, quod factum est ad Hieremiã à domino dicens: Audite verba pacti huius,

Cap.11. & loquimini ad viros Iuda & habitatores Hierusalem. Et dices ad eos. Hæc dicit dominus Deus Israel. Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius quod præcepi patribus vestris. Et post aliqua. Irritũ fecerunt domus Israel & domus Iuda pactum meum quod pepigi cum patribus eorum. Deinde loco sexto. Quod factum est verbum domi-

Cap.14. ni ad Hieremiam de sermonibus siccitatis. Luxit Iudea, & portę eius corruerunt, & obscuratæ sunt in terra, & clamor Hierusalem ascendit. Maiores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriendum, & non inuenerunt aquam, reportauerũt vasa sua vacua. Post hæc loco septimo. Verbum quod factum est ad Hieremiam, à domino dicens.

Cap.18. Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis. Conuersusq́; fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret. Et factum est verbum domini ad me dicens: Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis domus Israel, ait dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel. Post hæc iam de imminenti excidio ciuitatis illius & templi ferè omnis prophetia est.

Quod dicitur primo ad eum: Priusquam te formarẽ in vtero, noui te, &c. quomodo vnctionem sancti sanctorum, & obedientiam atque glorificationem eius personet.

CAPVT IIII.

VIdeamus nunc ista prophetia talis rursus euangelio Christi quam similis est. Principio quod dicitur, & pro modulo sancti hominis dicitur. (Priusquam te formarẽ in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Et misit dominus manum suam, & tetigit os meũ. Et dixit dominus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas, vt destruas, & dispердas, & dissipes, & ędifices, & plantes, &c.) Totũ hoc & vnctionem sancti sanctorum, & obedientiam atq; glorificationem eiusdem personare perspicuum est. Quis enim est, quem extra illum & præter illum, priusquam in vtero formaretur, Deus pater nouerit, & antequam exiret de vulua, sanctificauerit, prophetam in gentibus dederit? Omnium quippe, & singulorum Adę filiorum vox illa veridica est.

Psalm. 50 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Sed & æquiuocum est sanctificationis nomen. Aliter quippe sanctificatum dicitur, quod peccati contagione non tenetur, qua sanctificatione nemo, nisi per gratiam Christi sanctificatur, aliter quod in vsus vel ministerium sanctitatis à publico & vulgato separatur. Hæc pars sanctificationis tam late patet, vt primogenitum quoq; iumenti sanctum domino vocetur, eò quòd in vsum vel in ius sanctorum altaris ministrorum legaliter segregetur. Item notitia Dei pro qua nunc dicit, priusquam te formarem in vtero, noui te, nihilominus æquiuocatur. Aliter quippe

Matth.1.1 vnigenitum filium suum antequam formaretur in vtero, aliter suorum quemque electorum nouit ille, priusquam formaretur in vtero. Illum enim per coæternam sibi essentiam, nostrum quemque nouit, per constantem atque certissimam præscientiam. Igitur prophetam quidem, antequam forma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

retur in vtero nouit, & antequam exiret de vulua, sanctificauit, ipsum autē cuius hic typum gerit, prophetam & prophetarum dominum, filium suum vnigenitum solum singulariter nouit, & sanctificauit, priusquam formaretur in vtero, priusquam exierit de vulua, factus homo. De eo quod nouerit eum dicit ipse filius. Nemo nouit filium nisi pater. Porro de eo quòd sanctificauerit eū, priusquam de vulua exierit, omnium priorum & rectè credentium, vna fides certa est, quia non de virili semine, sed de spiritu sancto conceptus est, & propheta in gentibus, id est, non Iudæorum tantum, sed ad gentium quoq; saluationem missus est. Ecce (inquit) dedi verba mea in ore tuo, videlicet, quæ tu obediens dicas & loquaris in mundo. Nam hoc est quod ait ipse filius quodā loco. Quia ego à meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar. Ecce constitui te super gentes, & super regna. Te inquā factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis, constituā super gentes & super regna, iuxta quod de te canit Psalmista. Minuisti eū paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. Vt euellas & destruas, euellas, inquam, malè radicata, destruas malè ædificata, qualia sunt maximè scribarum & pharisæorum conciliabula, radicem auaritiæ fixā alte in terram habentia, similia quoque sepulchris mortuorum, quæ foris parent hominibus pulchra, intus autem mortuorum sunt ossibus plena. Istos autem quomodo euellas & destruas? Quando vindices tui Romani veniant, eorumq; & locum & gentem tollant, & deinde cùm in manus materialis gladij traditi fuerint euulsæ à corporibus animæ partes vulpium, id est, malignorū spirituū fiant. Et dispersas & disipes. Non modo ita euellas, vt saltem vno captiuitatis loco simul transponi permittas, sed dispersas in omnes gentes, disipes in semitas, paruasque vicorum aut ciuitatum particulas. Et ędifices & plantes. Quos? Non ipsos, sed pro ipsis alios, videlicet gētes hactenus desertas ædifices, gentes hactenus in testamento Dei locū non habentes in terra viuentiū plantes.

Ioan. 12.

Psalm. 8.

Matth. 23.

De eo quod secunda visione hic ait: primo Virgam vigilantem ego video, secundo autem Ollam succēsam ego video, & quomodo iuxta horum similitudinem primus aduentus Christi virga correctionis sit pœnitentibus. Secundus autem impœnitentibus iudicium sit æternæ damnationis.

CAPVT V.

DEinde illud sciendum, quia sic venit iste sanctus sanctorum, vt primus aduentus eius cunctis eum recipientibus, & ob hoc filijs, Dei factis, paterna sit virga correctionis, secūdus autem aduentus eius impijs & incredulis futurus sit iudicium damnationis. (Dicit ergo. Quid tu vides Hieremia? Et dixi. Virgam vigilantem ego video. Et dixit dominus ad me. Benè vidisti. Quia ego vigilabo super verbum meum vt faciam illud. Quid tu vides? Et dixi. Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie aquilonis.) Planè & tunc quando hæc dicebantur, parabantur mala, vt panderētur super omnes habitatores terræ Iudææ à facie aquilonis, id est, à Babylone, quæ illi terræ ad aquilonem sita est. Nec verò illud dubium, quin illud vnum, idemque captiuitatis malum, alijs virga, alijs olla fuerit succēsa. Nec enim ad quē finem Danieli & socijs eius, ad eundem omnibus prouenit illa captiuitas. Verùm multo præcelsius, multo negociosius, hic excelsus dominus sanctus sanctorum Christ⁹ virgam vigilantem nobis credentibus vidit, ollam succensam à facie aquilonis impijs & cō temptoribus vidit. Vidit, inquam, nobis virgam vigilantem, id est, futuri iudicij, & pœnarum inferni timorem. Quemadmodum Daniel & socij eius cum illis, quibus ob idolatriæ scelera fuerat iratus Deus. Ita & nos omnes cum impijs fideles cum infidelib. vno eodemque captiuitatis loco propter Adę reatum tenemur, & æqualiter omnes morimur, omnes mortales sumus. Verùm pijs atque fidelibus ista captiuitas, ista mortalitas virga est, qua temporaliter ferimur, vt ad humilitatis disciplinam erudiamur, quia per superbiam cecidimus. Idcirco dicit in initio suæ prædicationis. Pœnitētiam agite, appropinquabit enim regnum cęlorum. Cęterùm & actualis pœnitentiæ disciplina, aliàs molesta, aliàs dulcis & spontanea est. De illa quæ molestè imponitur scriptum est. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis nō ambulauerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Molestum quippe est visitari in virga cuiuscunque aduersitatis siue infirmitatis, iuxta quod & alibi scriptum est. Quem enim diligit dominus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Sed hæc ipsa molestia, per patientiam fructuosa disciplina fit, id est, pœnitentiæ fructu non carebit. Porrò spontanea pœnitentia, aliàs vniuersalis, aliàs singularis est. Vniuersalis est, qua peccata nostra cōfitentes, in morte Christi Iesu semel baptizamur. Singularis, qua quisq; nostrum mortificat mēbra sua super terram, sicut dicit Apost. Virgam igitur vigilantem pijs atque fidelibus vidit excelsus dominus, vigilantem inquam, id est, accelerantem, & ad omne opus bonum excitante. Porrò ollam succensam vidit, cum diceret, verbi gratia, per Ioannem, de impœnitentibus. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Itéque per

Matth. 4.

Psalm. 88.

Hebr. 12.

Coloss. 3.

Matth. 3.

que per semetipsum se dicturum testatur: Ite maledicti in ignem ęternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.

Matth. 25.

Quòd tertio Hierusalem peccata sua, vt ad pœnitentiam excitaret, commemorans tandem dicit: Filia populi mei accingere cilicio, luctum vnigeniti fac tibi, simile esse ei, quòd dominus postquam Hierusalem ad pœnitentiam multis deflectere non potuit, tandem fleuit super illam, mala ei ventura denuncians.

CAPVT VI.

CAP. II. TErtio loco quod dicitur. (Et factum est verbum domini ad me dicens. Vade & clama in auribus Hierusalem, dicens. Hæc dicit dominus. Recordatus sum tui, miserās adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.) Hoc, inquā, & cætera quæ sequuntur, Euangelij eiusdem domini nostri sensum vbique personant, videlicet, ex quo Ioanne iam tradito, publicum ipse prædicationis opus ingressus est. Et vide quā vehementer hic sermo veritatem adiuuet euangelij, pro qua decertans Apostolus dicit. Non enim est personarum acceptio apud Deum. Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Item: Non enim est distinctio, subauditur, Iudæi & Græci. Omnes enim peccauerunt & egent gloria dei, iustificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. (Sanctus (inquit) Israel domino primitiæ frugum eius.) Primitiæ frugum eius, inquit. Hoc pro parte credētium, vel benè operantium verum est. Nam & gloria & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primū & Græco. Sed vide quid postmodum sequitur. (Filij quoq; Mempheos, & Thaphneos constuprauerunt te vsque ad verticem.) Ac deinceps. (A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti. Non seruiam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosterneba tis meretrix. Quomodo dicis non sum polluta, post Baalim non ambulaui? Vide vias tuas in cōuallibus scito quid feceris.) Et post aliqua. (Tu autem fornicata es cū amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit dominus, & ego suscipiam te. Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non prostrata sis. In vijs sedebas expectans eos, quasi latro in solitudine, & polluisti terram in fornicationibus & in malitijs tuis. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltē amodò voca me, pater meus, dux virginitatis meæ.) Hoc modo ferè totus propheticus hic sermo protenditur, horrenda peccata cōmemorans, ad pœnitentiam prouocans, tandēq; in luctu & lamentatione finit, cùm dicit (Filia populi mei accingere cilicio. & conspergere cinere. Luctum vnigeniti fac tibi, planctū amarum, quia repentè veniet vastator super vos, &c.) Sic nimirum tota domini prædicatio Hierusalem eandem de peccatis arguit, & ad pœnitentiam vocat, pœnitentiam, inquiens, agite, appropinquabit enim regnum dei, tandemque impœnitentem compatientis affectu ruituram plangit. Nam videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens. Quia si cognouisses & tu. Et quidē in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circūdabunt te & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, &c. Veritatem igitur euangelij contra gloriationem Iudaicam, multum adiuuat hic propheticus sermo, vt non inflētur aduersus eum prædicantem pœnitentiā, vel contra eius Apostolos, nullam distinctionem haberi volentes, Iudæi & Græci, eò q; omnes peccauerint, & idcircò egeant omnes gloria Dei, & neuter saluari aliter posit, vel iustificari, nisi per gloriam dei, nisi per fidem Iesu Christi. Nam cū peccato originali, quo omnes in Adam peccauerunt, eccè multa Iudæorum quoque actualia peccata & nimis magna sunt.

Luc. 19.

Rom. 3.

Rom. 2.

Rom. 3.

Rom. 3.

Quod quarto loco stans in porta domus Domini, dicit inter cætera: Eccè spelunca latronum facta est domus ista, quod eo respicit, quia dominus ingressus in templum, cœpit eijcere, dicens eis illud de Esaia. Domus mea domus orationis vocabitur, subiungens de isto propheta. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

CAPVT VII.

CAP. VI.

CAP. VII

POSTQVAM præcedentem sermonem in luctu finiuit, quarto iam loco sequitur hoc verbum Domini. (Sta in porta domus Domini, & prædica verbum istud, & dic. Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has vt adoretis Dominum, & cætera.) Sic planè Dominus Iesus postquam (vt iam dictum est) videns ciuitatem fleuit super illam, stetit in porta domus domini & prædicauit verbum istud dicens. (Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes templū domini, templum domini, templum domini est.) Ac deinceps. (Et ecce vos confiditis in verbis mendacij, quæ nō pderunt vobis.) Et subinde. (Eccè spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatū est nomen meū in oculis vestris. Ego, ego sum, ego vidi dicit dns. Ite ad locum meum in Sylo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim eis.) Faciam, inquit, domui huic, in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Sylo, & proijciam vos à facie mea. Quomodo hęc dominus noster dixit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XI. Quomodo se in hoc prophetæ loco præfiguratum, & de sua causa prophetatum fuisse ostendit? Videlicet postquam super ciuitatem
Marc.11. *Matth.21.* *Luca 19.* fleuit, continuò ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo, & ementes, dicens illis. Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis illã speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. Tunc nimirum stetit, magna & mira constantia in porta domus domini, magnoque & terribili facto, vetuit eos considere in verbis mendacij, dicendo. Templũ domini, templum domini, templum domini est, proijciens illos à facie sua cum holocaustis ipsorum, quæ nunquam desiderauerat, sicut in hoc ipso propheta testatur, dicens: (Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatum & victimarũ. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens. Audite vocem meam, & ero vobis deus, & vos eritis mihi populus. Et ambulate in omni via, quã mandaui vobis, vt benè sit vobis, &c.) Hoc ipsum actu significabat videlicet, quod tam ipsos, quàm ipsorum sacrificia proiecerit à facie sua, dum facto de funiculis flagello vẽdentes & ementes cunctamque sacerdotum auaritiam eiecerit de templo. Sanè quod dixerit, illos eijciendo, scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum, partim de isto propheta, partim de
Esa. 65. Esaia testimonium sumptum est. In Esaia quippe sic scriptum est. Domus mea domus orationis vocabitur, ait dominus deus. In isto autem. Ergo spelunca latronum est domus ista, in qua inuocatum est nomen meũ. Sequentia verbi vel sermonis huius maximè, illam proiectionem eorum lachrymosa declamatione pronunciant, quæ per iam dictum flagellum significata est, illam, inquã, proiectionem, qua in manus gladij Romanorum traditi, & irrecuperabile ciuitatis, vel tẽpli excidium passi, deinceps dicere potuerũt. (Quare sedemus? Cõuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam, & sileamus ibi, quia do-
CA. VIII. minus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis.)

Quod quinto loco docens in verbo Domini, Audite verba pacti huius, & cætera prosequens conuicit eos ꝙ irritum fecerint pactum domini, vt sciamus quam rationabile, quòd quicquid sacrificant Iudæi, contemnit ecclesia Christi.

CAPVT VIII.

INsistunt adhuc Iudæi proiecti atque captiui, dispersi atque dissipati, & Iudæorũ sacerdotes sanguinei, insistunt, inquam, contentiosè, addendo holocausta sua victimis suis, & comedendo carnes quodammodo, dicentes. Cur nõ hodie sicut heri, & nudiustertius? Cur non hoc tempore holocausta sacrificamus, sicut antiquitus? Nónne in istis est pactum, quod cum patribus nostris pepigit deus? Cur mutabilis esset, pactumque suum irritum faceret deus? Aduersus huiusmodi sacrificantium cõtentionem, eccè loco quinto verbum domini factum ad Hieremiam consequenter de pacto illo loquitur, atq; hic semetipsum noxæ eximit, ac iustificat iustus ac irreprehensibilis dominus deus. (Audite (inquit) verba pacti huius, & loquimini ad viros Iuda, & habitatores Hierusalem. Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius, ꝙ præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea.) Ac deinceps. (Vociferare omnia verba hæc, in ciuitatibus Iuda & foris Hierusalem, dicens. Audite verba pacti huius, & facite illa, quia contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de terra Aegypti vsque ad diem hanc.) Et subinde. (Inuenta est coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Hierusalem. Reuersi sunt ad iniquitates patrum suorũ priores, qui noluerunt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos, vt seruirent illis. Irritum fecerunt domus Israel, & domus Iuda pactum meum, ꝙ patribus eorum, &c. Sine dubio pacti verba quod cum patribus eorum, Abraham, Isaac, & Iacob, & cum Moyse deus pepigit, promissiones fuerunt beati seminis, quod est Christus, promissiones, inquam dei, & ad istas respondens fides eorũdem patrum, per quam & iustificati sunt, & cum ipsa fide opera quoque decem præceptorum, quæ per Moysen in tabulis lapideis digito dei scripta sunt. Porrò holocaustomata & victimæ, verba pacti non fuerunt, sicut paulò suprà legimus deũ comprobasse, sed ob diligentiorẽ pacti eiusdem custodiam quasi quædam claues, & quasi quædam vincula adhibita sunt, non iussa, sed promissa, non quæsita, sed pro tempore admissa. At ille pactum iam dictum, pactum fidei, & bonorum operum irritum fecerunt, eundo post deos alienos, faciẽdo scelera multa in domo dei, sicut sequentia verbi vel prophetiæ præsentis ostendunt, & post omnia, quod omnium pessimum est, Christum occiderũt, in quo stet omne pactum, cuius venturi fide patres iustificati sunt. Quid ergo iã holocaustis victimas addunt & carnes comedunt? Vt quid tam malè diuidunt? Vt quid meliorem pacti partem, id est, fidem, & omnem iustitiam surripuerunt, & partem cõtemptibiliorem, id est, carnes taurorum, fœtidumq; sanguinem hircorũ, deo nolenti, immò repellenti ingerunt? Nónne totũ quod offerunt, irritum fecerunt? Nónne sacrificia eorum, sacrificia sunt Cain, qui quia malè diuisit, idcircò deꝰ ad munera eius nõ respexit? Clamat emim in hoc eodẽ prophetę huius capitulo aduersus istos sanguinis nostri Abel. i. Christi, quẽ occiderunt. In hoc occidẽdo, vt iam dictũ est, maximè pactũ omne irritũ fecerunt.

cerunt. (Tu autem Dñe demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorũ, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quoniam super me cogitauerunt cõsilia. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius nõ memoretur amplius. Tu autẽ domine Sabaoth qui iudicas iuste, & probas renes & corda, videã vltionẽ tuam ex eis, tibi enim reuelaui causam meã.) Obstruatur itaq; omne os impiorũ, quia deꝰ iustus est, ipsi aũt iniusti sunt, & deus iustè respuit eorum holocaustomata, quibus pactũ cõstituisse falso putauerũt, quia nimis iniustè fidem & iustitiam, quibus pactum constitutum est, multis sceleribus, & tandem cruentatis in Christum manibus abiecerunt.

Quod loco sexto sequitur verbum Domini, de sermonibus siccitatis, eo respectu factum rectè intelligi, quod neque gratia prophetalis, neque vlla visitatio illis sit spiritus sancti, vt cùm veniant ad hauriendas scripturarum aquas, reportent vasa vacua.

CAPVT IX.

EX quo sic irritum factum est pactũ, iam nec prophetia, nec vlla omninò spiritualis gratia Iudæis datur, nulla omninò scientia, nulla sapientia, nec quicquam veri intellectus ducibus eorum, principibus eorum, magistris vel sacerdotibus eorum inesse cõprobatur. Hæc vera, & vere magna, nimiumque damnosa siccitas est, quam in Esaia dominus eidem Iudææ comminans, & nubib. inquit, mandabo, ne pluant super eam imbrem. Rectè igitur hoc loco, qui sextus est,
CP. XIIII sequitur quod ad hunc factũ est verbum domini, de sermonibus siccitatis. (Luxit Iudęa & corruerunt portæ eius, & obscuratæ sunt in terra, & clamor Hierusalẽ ascendit. Maiores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriendum, & non inuenerunt aquam, reportauerunt vasa sua vacua. Confusi sunt & afflicti, & operuerunt capita sua, propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terra.) Eccè videmus Iudææ vastitatem, & desolationem videmus, quia non venit in ea pluuia scientiæ vel sapiẽtiæ, quæ omnis fidem secuta ad gentiũ ecclesiam commigra-
Psal. 67. uit, iuxta illud Psalmistæ. Pluuiam voluntariam segregabis deus hæreditati tuæ. Et videmus quia minores veniunt ad obscurissimos senes suos haurire aquam, & non inueniunt, reportantq; vasa animarum suarum vacua. Sed nunquid istud luget Iudæa? Nunquid ꝙ isto clamor Hierusalem ascendit, quomodo mortuo Pharaone ascendit ad dominum, & misit illis nubes suas Moysen & Aaron? *Exod. 5.* Non vtique nunc. Nam lugent quidem, sed non scienter, clamãt quidem, sed eorum brutus & sine sensu clamor est. Nec enim lugent eam quę verè siccitatis causa est, iniquitatem suam, neq; clamant ita vt dicant patrum suorum exemplo, eamus & sacrificemus domino deo nostro. Idcircò ascendit quidem clamor eorum, sed nõ ad dñm. Nam quia rationabilis non est clamor, idcircò sicut hic ipse propheta congemit quodam loco, ille oppo
suit nubem, vt nõ pertranseat oratio. Credẽ
dum sanè est, diebus illis aeream Iudæis acci *Threno 3.*
disse siccitatẽ, sed sicut cætera mala maiorũ signa malorum, sic illa siccitas deterioris fuit siccitatis portentum. (Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. Nam & ceruа in agro peperit, & reliquit, quia nõ erat herba, & onagri steterunt in rupibus, traxerunt vẽtum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia nõ erat herba.) Quare agricolę cõfusi sunt, nisi quia commissæ sibi vineæ dñm & hæredem occiderunt? Quæ vel quales cerua reliquit in agro quod peperit, quia non erat herba, nisi fidelis patriarcharum ecclesia, quæ peperit quidem secundũ carnem, sed reliquit populũ istum, quia nõ est scientia? Videmus hæc, & ꝙ sequitur. Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorũ, quia non erat herba. Onagri atq; onagrorum pulli, hodie Iudæi sunt, nam & de illo populo sic mysticè loquitur & alia scriptura. Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri liberũ se natum putat. Stant isti onagri in rupibus *Iob 11*
superbiæ suæ, maluntque siti & fame perire, quàm domabili ceruice ad præsepia Christi venire, quã humili spiritu ad caulas ouium Christi venire. Trahunt ventũ quasi dracones, calidi nanq; sunt vt dracones, flãma inuidiæ nimium ardẽtes, perinde quomodo dracones in situ ventum trahunt, ad refrigerandum ardorẽ naturæ, sic isti vera siti pereuntes, pro veris scientiæ aquis, inanes fabulas & ventosas ad consolendã inopiã suam trahũt *Sap. 2.*
genealogias. Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba, id est, excæcauit illos malitia eorum, quia nescierunt dei sacramenta. Orat deinde propheta pro populo isto, nunc siti pereunte, vt quandoq; pluuiã de cælo salutarem accipiat, & saluentur ex eo reliquiæ. (Si (inquit) iniquitates nostræ contenderint contra nos, domine libera nos. Quęsumus fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt auersiones nostræ.) Et post aliqua. (Deducant oculi mei lachrymas per diem & noctem, non taceant, &c.) Et illius quidem siccitatis causa fuit, quia sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleretur Hierusalem vsq; ad os, absq; peccatis suis, quib. peccare fecit Iudam, vt faceret malum corã domino. Dicit emim post pauca. (Et dabo eos in furorem vniuersis regnis terræ, propter
Manassen filium Ezechiæ regis Iuda, super *CA. XVII*
omnibus quæ fecit in Hierusalem.) Cæterũ siccitatis huius qua nũc Iudæa commarcuit, causa est vniuersalis sanguinis qui effusus est super terram à constitutione mundi, maximè autem sanguis ipsius dñi, quo omnis salutaris aqua procedit. Propter ꝙ & post aliqua dicit. (Domine omnes qui te derelinquunt, confunden-

CAPVT XVIII.

confundentur, recedentes à te in terra scribẽtur, quoniam dereliquerunt venam aquæ rũ viuentium dominum.) Nam idcircò quia dereliquerunt, imò & occiderũt, confusi sunt, duplici fame confecti sunt, duplici siti aruerunt, duplici perditione corporis & animæ perditi sunt, iuxta imprecationem subsequẽtem. (Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego. Paueant illi, & non paueã ego. Induc super eos diem afflictionis & duplici contritione contere eos.)

Septimo loco per id quod faciebat figulus opus super rotam, & dissipatum est vas quod faciebat è luto manibus suis, conuersusq; fecit vas alterum sicut placuit in oculis eius vt faceret, dissipationem significare rebellium Iudæorum, collectionem gentium: & in omnibus irreprehensibile esse iudicium Dei.

CAPVT X.

IVdicia Dei sunt ista incomprehensibilia, & viæ inuestigabiles, super quibus hominem Deo non respondere, sed humiliter os suum continere oportet. Proinde loco iã septimo quod sequitur verbum domini hoc est. (Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & eccè ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis. Conuersusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius, vt faceret. Et factum est verbũ domini ad me dicens. Nunquid sicut figulus iste, non potero facere vobis domus Israel, ait dominus? Eccè sicut lutũ in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.) Magnum reuerentiæ documentum, magnum & congruum taciturnitatis & continentis linguæ instrumentum. Deus plastes noster est, nos autem lutũ. Nos, inquam, omnes, tam Iudæi quàm Gentes, vna massa, vnum sumus lutum. Non ergo Dei iudicia nos audacter discutiamus, nõ figuli nostri digitos reprehendamus. Monet hoc vehementi increpatione Apostolus vas electionis, placitumque æterni figuli opus: monet, inquam, nos, & mittit huc, vt cũ propheta isto præsens diuinæ potestatis exemplar videamus. Cùm enim abiectionem fratrum suorum Israelitarum congemuisset, quid ergo, inquit, dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit. Miserebor cui misereor, & misericordiã præstabo, cui miserebor. Et subinde. Quid ergo adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid potest figmentum dicere ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? An nõ habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorẽ, aliud verò in contumeliam? Nimirum vt hęc diceret, ipse quoque mente humili in isto propheta descenderat in domum figuli, & viderat quod domus Israel lutum esset æquè vt omne cœnum gentium, & quia non pro debito, sed pro sola gratia Deus figulus omniũ, sumpsit Abraham cùm esset lutum Caldaicum, & ex illo, & ex seminis eius massa lutea fecit quæ voluit vasa misericordiæ, vasa honoris & gratiæ. Quid amplius illi debebat, quàm vniuerso luto generis Adæ? Hoc ille sapiens & humilis, & ideo verè sapiens, quia humilis viderat, & humiliter sentiebat, quia non propter figuli inertiam, sed propter incomprehensibilem iustitiam, rebelle lutum in manu eius dissipatũ fuerat. Idcirco pio quidem affectu gemebat. Veritatem, inquiens, dico, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in spritu sancto, quoniã tristitia mihi est magna & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, & cætera. Sed eandem tristitiam suam discreta & prudenti spe consolabatur, dicens post aliqua. Esaias autem clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorũ Israel tanquam harena maris, reliquiæ saluæ fient. Item: Quia cęcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Nempe & hoc viderat in isto propheta, quia conuersus figulus fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret, dixitque. Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis domus Israel? Cæterùm & nos qui sumus ex gentibus, credẽtes in Christum, vas alterũ ex eodem luto sumus. Cùm enim dixisset idem Apostolus, quòd si volens Deus notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias bonitatis suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, continuò subiunxit. Quos & vocauit non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Oseæ dicit. Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, & erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis filij Dei viuentis. Porrò vt ad spectandam similitudinem figuli reuertamur, dicamus nunc. Quando figulus ille cognouit figmẽtum nostrum, suscipiendo puluerẽ nostrũ, tunc ipse faciebat opus è luto manib. suis super rotam adhibitis digitis suis. i. donis spiritus S. vt perfecta iam in plenitudine temporis, vasa thesauros susciperent misericordiæ & honoris. Sed ausum est infelix lutum blasphemare figuli sui digitos, dicẽdo. Dæmoniũ habet dicẽdo: In Beel zebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Quid igitur? nimirũ iustissimè figulo digitos suos foris contrahente, & cũ tota manu feriente, dissipatum est vas dissipatione valida, templo quoq; perditi populi diruto, & ciuitate euersa. Quã videlicet dissipationẽ concedẽdo propheta dicit post aliqua. (Propter ea da filios eorum in famem, & educ eos in manus gladij. Fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ, & viri earum interficiãtur morte. Iuuenes eorũ confodiantur gladio in prælio,

Rom. 9.

Rom. 9. *Osea 2.*

Rom. 11.

Luca 11. *Ioan. 8.*

prælio audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos repentè latronẽ, quia foderunt foueam vt caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis. Tu aũt domine scis omne consiliũ eorum, aduersum me in mortẽ ne propitieris iniquitati eorũ, à facie tua nõ deleatur. Fiant corruẽtes in cõspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

Quomodo inter mala quæ obsessa ciuitate regi consulenti responsa sunt, confirmetur prophetia, non irritũ fore iuramentum domini, dicentis in Dauid, semen eius in æternũ manebit, dum interea dicit: Eccè dies venient dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum.

CAPVT XI.

CA. XXI. SEptem prophetæ huius membra præcipua tantummodo distinximus, & quasi in vmbra longè præmissa futurum euangelicæ veritatis corpus assimilatum esse perpendimus. Quæ deinceps sequentur, ad istius status temporis, ad illam ciuitatis obsidionem maximè pertinent, atque in primo sermone sic scriptum est. (Interroga pro nobis dominum (inquit rex Sedechias) quia rex Babylonis Nabuchodonosor præliatur aduersum nos) &c. Et mihi quidẽ prosperum, quod ad temporis vel causæ illius subsidium valeret,

CA. XXII. responsum est, sed nihilominus inter mala illa, bona quoque futura sparsim prænunciata sunt. Cùm enim dixisset contra Sedechiã inter cætera. (Scribe virũ istũ sterilem, virũ qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius, vir, qui sedeat super

Psal. 88. solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.) Quasi quæreretur, quid ergo fiet, quo iuramentũ deueniet domini dicentis in Dauid, semel iuraui in sancto meo, si Dauid mẽtiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis subsecutus, hæc de futuro intulit. (Eccè dies venient dicit dominus & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiẽs erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc nomen, quòd vocabunt eum dominus iustus noster.) Isti dies venerunt, & eccè sunt, iam enim suscitauit ex mortuis dominus deus Dauid, germen iustum, & eccè regnat gloria & honore coronatus rex & sapiens est, ita vt stultum eius sapientius sit hominibus, fecitque & adhuc facturus est iudicium & iustitiam in terra. Fecit nanque iudicium mundi per passionem suam, mittendo principem huius mundi foras, facturus est iudicium in nouissimo die veniendo cum nubibus cæli in potestate magna. Fecit iustitiam fidei, iustificando omnem qui ex fide est, peccatorum remissione

Rom. 2. *Ioan. 12.* *Matth. 19.* data, faciet iustitiam, reddendo vnicuique secundum opera sua. Hæc dixit, & deinceps passiones iusti huius, suis passionibus præcurrit, & vt superius iam dictum est, in typũ eius qui mortuus mortem superaturus, temploque diruto atque ciuitate exterminata, gentes erat docturus, iste quoque templo & ciuitate superstes, nec mortuus, quam uis multa passus exteris prophetiam texuit nationibus. Ac nos nec facultatem, nec propositum habentes, vt cuncta prosequamur, plurimum historiæ campum, multamque prophetiæ syluam eius prætermittentes, ad lamentationes eius articulum vertamns.

De lamentationibus, cur singulæ sententiæ singulis alphabeti literis prænotantur, & quòd ipse ordo alphabeti quadruplex sit, idcircò quia ppheta, quadruplex causa lamentandi erat.

CAPVT XII.

LAmentationes prophetæ huius sancti & sapientis veram esse scientiam arbitramur, earumque circa materiam versari rerum, quarum ad cognitionem nos pueri siue infantes sumus, quippe qui non nisi temporalem miseriam, temporaliumque rerum damna deflere nouimus, & si temporalis iucunditas arrideat, captiuitatis nostræ obliuiscimur in qua nati sumus. Pulchrè nobis hoc significatur, in eo quod singulæ istarũ lamentationum sententiolæ, singulis alphabeti literis prænotantur. Quid enim nobis per hoc innuitur, nisi vt humili conscientia paruulos nos esse iudicemus, quatenus istorũ declaratione sermonum illuminari digni habeamur? Scriptum nanque est. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectũ dat paruulis. Igitur ad istud alphabetum quadruplici ordine distinctum, tanquam pueri Abecedarij disponamur, sub istis vocibus contineri non dubitantes scientiam quæ abscondita est sapientibns & prudentibus, vt nec prima nouerint elementa. Lu-

Psal. 118. *Matth. 11.* ctus eius, de quo veraciter dictum est. Beati

Matth. 5. qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Primum hoc intelligentiæ ostium est scire, cur lamentationũ atq; alpheti ordo sit quadruplex. Aperiat nobis clausis Dauid, & videbimus quòd viro huic seria lamentandi causa vel materia sit quadruplex. Prima nanque causa extitit vniuersalis captiuitas humani generis, qua proiecti & dispersi sunt omnes

Esa. 52. filij dei, in primis carnis suæ parentibus, gratis venundati & præiudiciũ passi. Secũda causa hęc erat populi dei captiuitas Babylonica, quã sub oculis suis viderat, pro qua non lamentari durum fuisset & iniquum, præsertim cum Ecclesia Dei, temploque & altari nominis Domini viduata, compelleretur barbarorum venerari portenta deorum. Tertia causa viro sancto erat, propriæ conscientiæ humilitas, qui quãto iustior erat, tanto verius præter cõmunem omnium filiorũ dei captiuitatẽ, pprij statꝰ exiliũ agnoscebat.

Quarta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta erat causa captiuitas ista deterrima qua Iudæos vt nunc accidit, casuros in ore gladij,& captiuos in omnes gentes ducendos fore præuidebat. Nec enim istam absque cõpassionis affectu captiuitatem præscire poterat, quippe quam Dominus ipse præuidens super captiuitatem ipsam miseram veris lachrymis flebat. His præmissis, nunc iam in rem pergendum est.

Luce 18.

Quo sensu vna illa electorum ciuitas rectè dicatur plena populo, domina gentium & princeps prouinciarum, & cur vel quomodo sola sederit, vel sub tributo facta sit. ALEPH, id est, doctrina.

CAPVT XIII.

THREN. CAPVT I.

QVomodo sedet ciuitas sola plena populo, facta est quasi vidua domina gentiũ, princeps prouinciarũ facta est sub tributo.) Aleph doctrina interpretatur, & vt perspicis, primum hoc apud Hebræos elementum est. Quid ergo sub isto continetur? Secundũ illam, quam supradiximus captiuitatem primam atque vniuersalem vigiláter intellige, & tunc demum primum doctrinæ cælestis fundamentũ te appræhendisse confide. Quæ nam est ciuitas plena populo, domina gentium, princeps prouinciarum? Nimirum illa sancta ciuitas Hierusalem mater omniũ nostrũ, cui? ciues atq; populares, siue municipes sumus nos quique credentium. Ista ante constitutionem mundi iam in præscientia siue prædestinatione dei plena erat populo, numerati apud illum erant qui sunt vel futuri sunt ex eius populo sancto, populo electo. Hęc domina gentium & princeps est prouinciarum, quia quantum iumentis humana natura pro dignitate rationis, tantum ipsa gentibus vel prouincijs pro dignitate fidei, pro cognitione vel amore sui creatoris præcellit. Quomodo factum est, vt ista sederet sola, fieret quási vidua, penderet tributa? Nimirũ præuaricando, scilicet peccante homine vno homine primo, nam in illo peccauit, & præiudicium passa est vniuersa posterorum eius multitudo. Ex ea contigit vt sederet sola, sederet quomodo vidua, virum suum Deum non habens ciuitas sancta, sancta per fidem ecclesia de paradyso proiecta, in hoc mundo peregrina exulando, moriendo, malo domino, id est, peccato soluens tributa pœnalia.

Galat. 4.

Rom. 3.

Hoc veraciter initium doctrinæ est, vt credamus & confiteamur, quia omnes in Adam peccauimus, quatenus cõsequenter per Christum iustificemur in quem credimus.

In qua nocte plorans ploranerit, & in quibus maxillis eius lachrymæ eius. BETH, id est, domus.

CAPVT XIIII.

PLorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Non est qui consolet eam ex omnibus charis eius, omnes amici eius spreuerũt eã, & facti sunt ei inimici.) Verè plorãs plorauit in nocte, & ploratũ eius audiuimus, si non dormiuimus in ipsa nocte. Verbi gratia. Cùm in persona eius dicit sanctus Iob. Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Nox illa, diabolus est tenebrarum princeps, simulatè & per mendacẽ transfigurationem dies, verè autem nox. In illa autem nocte homo malè natus, & eius noctis filius factus est, acquiescendo consilijs eius nequam, & de secreta paradysi requie quasi de vulua in istam mortalitatis miseriã proiectus est. In illa nocte, id est, pro illius noctis consideratione, plorans plorauit illa domina gentium, illa princeps prouinciarũ. Sed nunquid omnes qui ex illa ciuitate sancta erant vel sunt, istud plorando plorare nouerunt? Non vtique, imò ploratus iste paucorum, ploratus iste profectorum est. Benè ergo cùm dixisset, plorãs plorauit in nocte, continuò subiunxit, & lachrymæ eius in maxillis eius. Maxillæ quippe huius dominæ, viri excellentes fuére, videlicet patriarchæ & prophetæ, qui velut maxillæ semper patentes in facie, & non vt plerę quæ corporis partes panis contectæ, ipsi quoque pro excellentia gratiæ sibi collatæ, meruerunt in sancta dei ecclesia non latere. In istis autem maxillis dominæ sint lachrymæ eius, isti enim plorauerunt, peregrinos & aduenas se esse confitentes super terram, & videmus quas imitemur lachrymas eorum, vt risum reputemus errorẽ, & gaudio dicamus, quid frustra deciperis. Ita plorãte illa, non est, inquit, qui consoletur eam ex omnibus charis eius, imò omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Oderunt enim hi, qui nunc rident amatores mundi, ploratum eiusmodi, & quamlibet chari siue amici, id est, cognati sint siue propinqui separantur, & longe fugiunt ab ea sensibus contrarijs.

Hebr. 11.

Eccl. 2.

Quòd electorum vniuersitas Iuda sit, & quo migrãs afflictionem vel seruitutem inciderit. GIMEL, id est, plenitudo.

CAPVT XV.

MIgrauit Iuda propter afflictionem & multitudinẽ seruitutis, habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. Omnes persecutores eius appræhẽderunt eam inter angustias.) Iuda confessio interpretatur, quo nomine ciuitas illa rectè significatur, cuius totum opus vel omne officium cõfessio est. Vnde psalmi. cùm dixisset. Illuc enim ascenderunt tribus dñi, testimonium Israel, continuò quasi quæreres, ad quid illuc ascenderunt, vel quid ibi sunt facturi, ad confitendum, inquit, nomini domini. Quo ergo vel vnde migrauit? A luce ad tenebras, à requie ad laborem, à regno ad captiuitatem, à patre ad hostem, à vita ad mortẽ. Quare? Propter afflictionem & multitudinem seruitutis. Mira res. Nunquid afflictionem desiderabat, & multitudinem seruitutis, & ideò migrauit? Non vtiq;

psal. 121.

Matt. 12. Non vtique, sed sufficientiam, & libertatem se sibi acquirere existimauit. Verũ quicquid illud est, quod hoc modo quæsiuit, quod extra Deum inuenit, afflictio est & multitudo seruitutis. Idcirco dominus ipse omnibus dicit. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Et sanctus Iob. Quare, inquit, posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis? Mira & miserabilis deceptio migrantis, quia dum migrat spe diuinitatis, quàm fallax serpens promisit, nihil aliud inuenit quàm afflictionem & multitudinẽ seruitutis, afflictionem videlicet mortalitatis, qua sibimetipsi grauis sit & multitudinẽ seruitutis peccati, tot enim dominis seruit, quot vitijs. Migrauit igitur de magno bono ad magnum malum, & habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. Hoc ad cætera mala pessimum accessit, quòd habitauit inter gentes, vt, verbi gratia, iustus ille, qui habitans inter Sodomitas vtique non inueniebat requiem, sicut de illo scriptum est. Et iustum Loth oppressum à nephandorum iniusta ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat habitans inter eos, qui de die in diẽ animam iustã iniquis operibus cruciabant. Adhuc audi. Persecutores eius apprehẽderunt eam inter angustias. Parũ erat habitãtem inter gentes aspectu iniquorũ operum cruciari, nisi & persecutionib. compelleretur consentire malis. Vndè Psalmista ait congemiscens. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cũ his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Iob. 7.

2. Pet. 2.

psal. 119.

Quæ viæ lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solennitatem: & quæ sit illa solennitas, quæ destructio portarum: vnde gemitus sacerdotum, & squalor virginum.

CAPVT XVI.

DELETH, id est, tabula.

VIæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solennitatem. Omnes portæ eius destructæ. Sacerdotes eius gementes. Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.) principalis quidẽ vna est via Sion Christus, qui dicit. Ego sum via, & ipse vna principalis porta, ipse nihilominus vnus & summus sacerdos est Sion. Veruntamen & omnis qui alijs exemplo eius tam verbo prędicationis, quàm exemplo boni operibus, ad vitam ducatum præbent, viæ Sion & portæ eius atque sacerdotes sunt. Quam ob causam istæ viæ lugent, & istæ portæ destructæ sunt & isti sacerdotes gemunt? Eo, inquit, quòd non sint, qui veniant ad solẽnitatem. Luctus iste vel gemitus magnæ charitatis est, lugere quod nõ sint, qui veniãt, imò perpauci sint, qui veniant ad solemnitatem veritatis & vitæ, quo multos perducere cupiunt, destructionem suimet libenter passuri, si modo ad illam solennitatem per occasionem destructionis eorum multi venirent. Tales in Psalmo dicunt. Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, & nõ fuit multitudo in commutationibus eorum. Et est dictum à similitudine alicuius, qui rem suã vendit, & nullum vel paruum inde pretium accipit. Vendidisti, inquiunt, id est, permisisti occidi populum tuum sine pretio, & si aliquos pro eis recepisti, non fuit multitudo in commutationibus eorum, non multos ac quisisti ad comparationem occisorum, quia fortasis vbi mille interficiebantur, vix duo vel duo conuertebantur. Propter hoc prædictæ lugent vię vel portę Syon, sacerdotes gemunt, virgines eius squalidæ sunt, id est, cœlibem vitam ducentes mundo huic despicabiles sunt, & ipsa idcirco oppressa amaritudine. Sed hæc ipsa amaritudo fructũ parit dulcedinis æternæ. Hic iam quatuor literæ vocibus istis præscriptæ continuandæ sunt. Plenum quippe proprijs sensum interpretationibus perficiunt. Aleph, doctrina. Beth, domus. Gimel, plenitudo. Deleth, tabulæ interpretantur. Porrò domus Dei ecclesia est, & tabulis sacra lex inscripta est. Est igitur sensus. Doctrina Ecclesiæ Dei, plenitudo legis est, charitas est, cuius videlicet charitatis perfectæ lamentatio hæc est.

Psal. 43.

Ioan. 14.

Quomodo hostes in capite facti & inimici locupletati sunt, & paruuli eius in captiuitatem ducti.

CAPVT XVII.

HE, id est, ista.

FActi sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt, quia dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius. Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem à facie tribulantis.) Et hoc ad miseriarum accedit cumulum, quod qui hostes vel inimici sunt ecclesiæ, principantur in hoc mundo, & capita populorũ sunt, locupletantur, & diuites sunt, vnde & valentiores sunt ad persequendum, fortiores ad occidendum Videlicet altior in hoc seculo Cain, quàm Abel, locupletior Esau, quàm Iacob. Ita & in cæteris ferè vsque ad finem seculi. Hoc id circo, quia dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum eius, vt videlicet occidente Cain, persequente Esau, recipiat ipsa in præsenti seculo quod meretur, & non cum illis in futuro puniatur. Sed illud magis dolendum, & pene inconsolabile est, quod nonnunquam fit, vt paruuli eius ducantur in captiuitatem à facie tribulantis, id est, infirmi atque imperfecti filij eius corrumpantur exemplis, decipiantur persuasionibus, terreantur minis, atque ita cedant in prædam aduersarijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De prælatis,& quomodo vel quando arietes absque pascuis abeant sine fortitudine ante faciem subsequentis.

CAPVT XVIII.

V A V, id est, est.

ET egressus est à filia Sion omnis decor eius. Facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.) Hæc pro parte Sion infirmiore dicta, rectè intelliguntur. Nam ea quæ vera, & verè fortis est Sion, intus omnem decorem, intus habet omnem gloriam, iuxta illud. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Cæterùm de illa, quæ pro omni religione in oculis omnium gloriatur, rectè dicas, quia egressus est à filia Sion omnis decor eius. Item & hoc rectè dicas, quia facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis, quotiescunq; prælati sic viuunt, quasi ignorent mandata, quasi non legerint scripturas, absq; fortitudine animæ subditi peccatis, cedentes impellentibus vitijs. *Psal. 44.*

Illud verè lamentabile esse, quod incolatus vel peregrinationis nostræ non recordamur, nisi malis præmentibus. *THREN. CAP. I.*

CAPVT XIX.

Z A I, id est, hæc.

ET recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis omniũ desiderabilium suorum, quę habuerat à diebus antiquis, cũ caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.) Dies afflictionis Hierusalem, dies præsentis vitæ sunt. Nam vita hæc afflictio est, peregrinatio est, captiuitas est. Porrò desiderabilia eius, quæ habuerat à dieb. antiquis, eloquia sunt vel iudicia domini, quæ in diebus antiquis accepit, desiderabilia super aurum & lapidẽ pretiosum multum, dulciora super mel & fauum. Horum desiderabilium acceptioni statim præuaricatio obuenit: fecerunt enim vitulum in Oreb, cum adhuc tabulæ scriberentur in monte Sina, & extunc non cessauerunt præuaricari. Huius afflictionis suę, quã diximus, & præuaricationis, horum desiderabilium suorum, recordata est Hierusalem. Sed quando recordata est? Cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator, cum vacaret hostibus videntibus eã insultare religioni, & deridere sabbata eius. Hoc verè lamentabile est, quòd non aliter huius incolatus sui, & peregrinationis suæ recordari poterat, nisi malis præmeretur, nisi malis conculcaretur ab hostibus, nisi in manus gentium traderetur. Mallem, inquit, vt sponte recordaretur, mallem vt & prosperis abundaret, & nunquam prosperis falleretur vt & transitorijs vteretur, & ęternorũ nunquam obliuisceretur. *Psal. 18.* *Exod. 32.* *Deut. 4.*

Quòd peccato superbiæ præcedente, anima instabilis sit, & de vitio in vitium cadat, & qui sensus horum quatuor elementorum, H E, V A V, Z A I, H E T H

CAPVT XX.

H E T H, id est, vita.

PEccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabant eam, spreuerunt eam, quoniam viderunt ignominiam eius. Ipsa autem gemens & conuersa retrorsum.) Propterea, inquit, stabilis facta est, & de vitio in vitium cadit, quia peccatum peccauit. Non ergo pro ipsa instabilitate sua Deum accuset, etenim non idcirco peccatum peccauit, quia Deus eam instabilis naturæ condidit, sed idcirco instabilis facta est, quia peccatum peccauit. Quod peccatum? Peccatum superbiæ, quæ & de angelis dæmones fecit. Vnde Psalmista, cùm dixisset. Non veniat mihi pes superbiæ, subsecutus adiunxit. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Hoc peccatum vniuersa Hierusalem primitus peccauit in Adam, vndè & sic instabilis facta est, tam vanitate animi, quã mortalitate corporis, vt nunquam restitui posset, nisi per solam Christi gratiam. Deinde & singulariter quæque anima, quæ viriliter stare non meretur, lapsa à priori statu, ita vt qui prius glorificabant eam spernant, versa vice, videntes ignominiam eius, spernant inquam gementẽ & conuersam retrorsum, respiciat semetipsam, & inueniet, quia latens peccatũ superbiæ præcesit, & propter illud instabilis facta sit, ac de vitio in vitium eciderit. Rursus quatuor literas copulemus, H E, V A V, Z A I, H E T H: H E, ista. V A V, &, Z A I, hæc, H E T H, vita, interpretatur. Et est sensus. Ista & hæc vita sunt. Ista, inquam, & quæcũq; huiusmodi sunt perfecta, meditationi & memorię mandata, ad vitã proficiũt. *Psal. 55.*

Quòd verè lamentabile sit, sordes in pedibus habere.

CAPVT XXI.

T H E T, id est, bonum.

SOrdes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui. Depositа est vehementer non habens consolatorem. Vide domine & considera, quoniã facta sum vilis.) Sordes, inquit, eius in pedibus eius. Cuius eius? Dominę gentium inclytę & prouinciarũ principis quæ recordari debuisset finis sui, vt terram sordidam non tangeret pedib. non ambiret terrena affectu cupiditatis, sed corpore hic exulans, mente conuersaretur in cœlis. Non sic fecit, non sic recordata est finis sui, sed deposita est vehementer amando terram, & obliuioni tradendo altitudinem cœli, nõ habens consolatorem, imò non quærens, nec prę oculis habens virũ, qui in cęlo est consolatorẽ, dum vanã in terra quęrit consolationem. Dicat ergo nũc saltẽ cómonita dũ cadit populus eius in manu hostili, dicat inquã, saltem nunc rediẽs ad cor pręuaricatrix, Vide domine & considera, quoniã facta sum vilis.

Qui

Qui sensus sub interpretatione horum elementorũ contineatur, T H E T, I O D, & quod confessio bonũ sit iustitiæ principium.

I O D, id est, principium.

CAPVT XXII.

MAnum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.) Idcirco confiteatur & verè dicat Vide domine & considera, quoniã facta sum vilis, quia misit hostis diabolus manum suam & polluit omnia desiderabilia eius, & quia vidit gentes, id est, vniuersas vitiorum phalanges, ingressas sanctuarium pectoris sui, de quib. præceperas Deus, vt ecclesiam tuam non ingrederentur. Iungamus hæc duo elementa, T H E T H, I O D: T H E T H, bonum, I O D interpretatur principium. Et est sensus. Confessio ista bonum principium est, dũ dicitur. Vide domine & considera, quoniam facta sum vilis, propter causas huiusmodi. Nam iustus in principio accusator est sui. *Psal. 18.*

Quomodo priores sancti dederint pretiosa quæq; pro cibo ad refocillandum animam, id est, nondum rem, sed spem obtinuerint promissionis, quam audierant.

CAPVT XXIII.

C A P H, id est manus.

OMnis populus eius gemens & quærens panem, dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide domine & considera, quoniam facta sum vilis.) Omnis, inquam, populus eius, videlicet ꝓ meliori parte perfectorum, gemens & quærens panem. Nam omnis quidem populus dominę & principis huiusmodi gemẽdi causam habens, & pane indigens, veruntamen non omnis famem suam intelligens, non omnis panem suum quęrere sciens. Quem enim panem, nisi illum, quem propter pomum vetitum perdidit primus parens? Panem verũ, qui est cibus angelorum, hæc domina nõ habebat & idcirco fame populus eius deficiebat, tunc saltem omnis gemens & istum panem quærens, cùm apud inferos famelicus expectaret istum de cælo descensurum panem, daturum vitam mũdo, redditurum dei visionem, inimicitiarum pariete soluto. Interim antequam viuus iste panis descẽderet, deerunt preciosa quæq; ad refocillandam animam. Habuerunt enim preciosam fidem, preciosam Dei dilectionem patres sancti, & patriarchæ magni, & hæc dederunt pro cibo spei, qua suam refocillarent animam, sed nõ refecerunt aut saturauerunt. Beata spe promissionis, quã audierant, animas suas diu sustentauerunt, & inde beati, quod talem habere spem propter suam fidẽ, propter dilectionem & obedientiam suã meruerunt. Vide, inquit, domine, & considera, quoniam facta sum vilis. In quo vilis? In eo quòd propter vilem cibum ligni vetiti viuum panem amisi, & omnis populꝰ meus fame extabuit. *Ioan. 6.*

Quòd ait: Videte si est dolor, &c. & omnem dolorem vanum esse, qui accidit pro qualibet alia re caduca. & hæc duo elemẽta iuncta, C A P H, L A M E C H, quem sensum habeant. CAP. XXIIII.

L A M E C H, id est, cor.

OVos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Quoniam vindemiauit me, vt locutus est dominus in die furoris sui.) Qui, inquit, transitis per viam, qui cognoscitis, qui confitemini, quia peregrini estis & aduenæ super terram, manentem hic ciuitatem non habentes, sed futuram inquirentes, vos omnes attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus, si est causa, pro qua iure quis doleat extra causam, pro qua est dolor meus. Nẽpe omnis dolor, qui non est meus, leuis est, & vanus, cũ sit pro vanis & caducis rebus, sicut econtrario omne gaudium, quod non est meum, vanum est, eo quòd de vanitate pendeat rerum temporalium. Meus enim dolor vnde est? Ex eo quia vindemiauit me, vt locutus est dominus in die furoris sui, dies furoris ille fuit, de quo primis hominibus dixit. Quocunque enim die comederitis ex eo morte moriemini. Comederunt, & dies ille in quo comederunt, dies fuit furoris, qui furor & iustam animabus mortem, & iustam corporibus mortalitatem intulit. Tunc locutus est dominus, quod puluis fuissem, & in puluerem reuersura essem. Sicut tunc locutus est, ita extunc me vindemiauit, & vsq; in finem vindemiare nõ desinit, quotidie de vinea succidẽdo botros meos, quotidie per mortem carnis auferendo filios meos. Iuncta hæc duo elementa. C A P H, id est, manus. L A M E C H, quod interpretatur cor, iuncto sensu manum cordis, id est, opera requirunt eius, quæ in corde est fidei. Alioquin quid fides proderit, cùm sine operibus mortua sit. *Genes. 1.* *Hebr. 13.*

Quòd propter humiliandam animam, mortalem fecerit Deus conditionem corporũ, & ipsam animam multis permittat passionibus affici.

CAPVT XXV.

M E M, id est, expisis.

DE excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me, expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum, posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.) Ignẽ inquit, misit in ossibus meis, de excelso iudicij sui solio, ignem vtiq; lamentabilem, ignẽ non lucentem, sed consumentem, exciccantem, deuorantem. Ignis iste mortalis conditio est, qua virilis iuuentus paulatim desiccata in aridum contrahitur atq; corrugatur senium, tandemq; omni humore consumpto soluitur atq; dissipatur in fauillam & cinerẽ. Attamen hoc igne erudiuit me, vt discerem non superbire, vt scirem incedere demisso capite, vt intelligerem quod Adã noluit intelligere, scilicet me, non deum, sed puluerẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse. Amplius autem vt erudiret me, expandit rete pedibus meis, id est, legem dedit mihi. Quid enim lex, nisi rete expansum pedibus meis? Non quidem lex rete peccati, sed peccatum nō cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatū est in me omnem concupiscentiam. Ergo quando legem mihi dedit, & gratiam distulit, expandit quodammodo rete pedibus meis, atque hoc modo conuertit me retrorsum. Nam cum venisset mandatum, peccatum, quod sine lege mortuum erat, reuixit. Ego autem mortua sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Itaque posuit me desolatam tota die, mœrore confectam, vt mœrens dicam. Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Rom.7.

Rom.7.

Quòd homo faciendo malum seruus sit peccati, et non nisi per gratiam Dei poterit liberari.

CAPVT XXVI.

NVN, id est, æternum.

VIgilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius, conuolutæ sunt, & impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea, dedit mihi dominus in manu, de qua non potero surgere. Iugum enim, inquit, iniquitatū mearum vigilauit. Omnis enim qui facit iniquitatem, seruus est iniquitatis, quodammodo vigilantis, ne seruus effracta compede, per noctem effugere possit. Vult enim interdum effugere seruus peccati, sed eo negligenter volente & sæpè multum dormitante, peccatum non dormit. Iniquitates meæ in manu eius conuolutæ sunt, ad modum retis aut vinculorum, & impositę collo meo, collo hominis, in quo superbia sedit, vnde & libenter audiuit dictum illud. Eritis sicut dij. Pugno & repugnare volo, sed infirmata est virtus mea, quia nondum venit liberatrix gratia. Dedit me dominus in manu, de qua non potero surgere, subauditur, nisi venerit gratia eius liberans me.

Iam.1.

Quòd in nullo patrū vel patriarcharum salus esse potuerit, & quòd ipsi quoq; mortales fuerint: Et quid hæc tria elementa, MEM, NVN, SAMECH, iuncta significent.

CAPVT XXVII.

SAMECH, id est, adiutorium.

ABstulit omnes magnificos meos dominus de medio mei, vocauit aduersum me tempꝰ, vt cōtereret electos meos. Torcular calcauit dominus, virgini filię Iuda.) Magnifici mei, electi mei, patriarchæ fuerunt, magni quidem & iusti & sancti, sed in nullo eorum mihi licuit gloriari: nec enim in aliquo eorum fuit salus. Abstulit eos de medio mei, mortui enim sunt, & nemo ex illis potuit eruere animā suam de manu inferi. Vocauit aduersum me tempus, vt conterat illos electos meos constituendo terminos eorum quos præterire non poterunt, & hoc aduersum me, vt non liceat mihi gloriari in homine. Hoc modo torcular calcauit virgini filię Iuda, id est, mihi filiæ suæ confessionis, quæ virgo esse, id est, nullum præter ipsum creatorem meum aspicere debui. Torcular, inquam, mihi calcauit, vt amaritudine inebriaret me, qui fructus est peccati. Tres iam dictæ coniungantur literæ. MEM, id est, ex ipsis. NVN, quod interpretatur æternum. SAMECH, id est adiutorium. Et est sensus. Ex ipsis æternum adiutorium. Quibus ex ipsis? Videlicet quæ superiorib. quatuor elementis significata sunt, THETH, IOD, CAPH, LAMECH, id est, bono principio confessionis, & manu cordis, per quā intelliguntur opera fidei.

Quod veræ antiquæ ecclesiæ idcirco fuerit plorandum, quia consolator longè factus est.

CAPVT XXVIII.

AIN, id est, fons.

IDcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam, quia longe factus est consolator à me, conuertens animam meam. Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.) Idcirco, inquam, quia de excelso misit dominus ignem in ossibus meis, quia vigilauit iugum iniquitatum mearum, quia abstulit omnes magnificos meos, de medio mei. Amplius autem, quia longè factus est à me, & nondum venit, qui venturus est consolator Christus dominus, qui conuertat animam meam in requiem & libertatem suā, & interim fiunt filij perditi, descendūt enim ad inferos, quoniam inualuit inimicus custodiens atrium suum tanquam fortis armatus, idcirco ego plorans, & idcirco oculus meus deducens aquam lachrymarum.

Luca 10.

Quòd non potuerit Sion expandendo manus suas consolari.

CAPVT XXIX.

PHE, id est, os.

EXpandit Sion manus suas, non est, qui consoletur eam. Mandauit dominus aduersum Iacob in circuitu eius, hostes eius. Facta est Hierusalem quasi polluta menstruis inter eos.) Manus suas, id est, opera legis, & iustitias carnis expandit Sion, sed propter opera illa non est, qui consoletur eam, non enim dominus per illa iustificat eā. Sed quid? Si taliter expansis manibus, se iustificari arbitretur, mandauit dominus hostes eius id est, peccata eius in circuitu eius, & multo plura, immò sine comparatione multa sunt peccata eius, & mille iustificationes eius, quasi si sit polluta menstruis alio quoque propheta testante, cùm dicit. Facti sumus vt immundi omnes nos, quasi pannum menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.

Esaiæ 64.

Quòd

Quòd os domini ad iracundiam prouocauimus, videlicet culpam defendendo in Adamet quid simul istæ tres literæ significent, AIN, PHE, ZADI.

CAPVT XXX.

ZADI, id est, iustitia.

IVstus est dominus, quia os eius ad iracūdiam prouocaui. Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.) Non, inquit, propheta in omnib. his deum accusat Sion, nam iustus est dominus, & rectum iudicium eius, sed accusat semetipsam, quia os domini ad iracundiam prouocauit, subauditur in Adam, in quo & peccauit. Et quomodo os domini ad iracundiam prouocauit? Videlicet quia peccatum suum defendit, etenim peccati defensio iustæ iracundię causa extitit. Audite, inquit, obsecro vniuersi populi, etenim vobis quoq; annunciandum est, vt audiatis, & dolorem meum videbitis, quia virgines meę & iuuenes mei in captiuitatem abierunt, imò & in captiuita te nati sunt. Virginū mearum, iuuenū meorum, id est, omnium ad me pertinētium, paruorum atq; magnorum, infirmorum atque fortium, non hic locus est, nō hoc regnum, sed incolatus & exilium. Hoc vos audite, & ad veram & manentem ciuitatem, ô vniuersi populi simul properate. Iunctę simul tres literæ, AIN, id est fons, PHE, quod interpretatur os, ZADI, id est, iustitia consignificant sensum hunc. Fons oris iustitiæ. Nempè talis lamentatio, talis confessio fons est oris, cui subest vena iustitiæ, veritatem subministrans, vt non Deum accuset, sed se.

Quoties ecclesia sacerdotes sibi constituit, toties deceperunt eam, de his intelligi, qui semetipsos pascūt & quæ sua sunt, quærunt.

CAPVT XXXI.

COPH, id est, vocatio.

VOcaui amicos meos, & ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt, quæsierunt cibum sibi, vt refocillarent animam suam.) Quos, inquis vocaui amicos meos? Sacerdotes meos, senes meos. Quoties sacerdotes mihi cōstitui, quoties senes mihi præfeci, toties amicos meos mihi vocaui, vt viderent dolorem meum, vt consolarentur me, vt lenirent malum meū. At ipsi quoq; deceperunt me, erant enim amici mensæ, quærentes quæ sua essent, non quærentes filiorum meorum salutem. Quotusquisque enim talium fuit amicorum, qui verum redderet amicitiæ fructum? Vix ipse Aaron suum executus est officium, sicut decebat amicum. Fere omnes in vrbe consumpti sunt, id est, in causa mea quasi non essent obmutuerunt, quia quæsierunt sibi cibum, vt refocillarent animam suam, quæsierunt lucrum suum sibi, & iuxta prophetā pastores vocati non gregem, sed semetipsos pascebant.

Ezech.34

Quomodo in illo in quo omnes peccauimus, venter noster conturbatus sit, & cor nostrum subuersum; id est, corpus mortale factum est: & quid duo hæc elementa COPH, RES, iuncta significent.

CAPVT XXXII.

RES, id est, caput.

VIde domine quoniam tribulor, venter meus conturbatus est, subuersum est cor meum, in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interfecit gladius, & domi mors similis est.) Quoniam vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me, tu domine, qui solus laborem & dolorem considerас, vide quoniam tribulor, quoniam venter meus conturbatus est, & cor meum subuersum est, id est, quoniam homo totus duplici morte mortuus est, vēter meus, id est, quod exterius est hominis mortale est, & idcirco iam mortuum, quia certissimè moriturum est. Porrò cor meum, id est, quod interius est hominis, iamdudum mortuum est, videlicet ex quo peccatum admissum est. Ita foris & intus amaritudine plena sum. Quid dixerit venter meus conturbatus est, & cor meum subuersum est, penè exposuit subiungendo, Foris interfecit gladius, & domi mors similis est. Nam foris quasi in ventre interfecit gladius, dum iusta sententia mortis anima à corpore separatur, domi autem, id est, in corde mors similis est, dum sicut separatione animæ corpus moritur, ita separatione Dei anima mortua est. Iungamus duo hæc elemēta, COPH, quod interpretatur vocatio, & RES, quod interpretatur caput, vt vocationem capitis, id est Christi, qui ecclesiæ caput est, intelligamus. Nam quia vocaui, inquit, amicos meos, & ipsi deceperunt me, vocat nūc caput suum Christum, dicendo. Vide domine quoniam tribulor, sperans quod per illū & conturbationē ventris, & subuersionem cordis reparatura sit, id est, quòd tam corporis quàm animæ resurrectione resurrectura sit.

Quomodo inimici, id est, maligni spiritus, in malo generis humani lætati sint, & quomodo è regione lætabitur super illos ecclesia in die iudicij.

THREN: CAP. I.

CAPVT XXXIII.

SIN, id est, dentes.

AVdierunt, quia congemisco, & non est qui consoletur me, omnes inimici mei audierunt malum meū. Lætati sunt, quoniā tu fecisti. Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.) Qui nam inimici mei audierunt malum meum, & lætati sunt? Draco ille magnus, serpēs antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, & angeli eius audierūt, quia ingemisco, & irridentes dicunt, non est qui consoletur eam. Audierunt (inquam) isti inimici mei malum meum, & quasi triumphu ducentes pro victoria lætati sunt, captiuitatē vniuersam, quam in primo homine cœperuntagentes cum insultatione, ante superbię suæ currum. Sed quid? Mihi adduxisti diem

Universidad de Deusto
Biblioteca

consolationis, adduxisti, inquam, nam ita certum est, quasi iam adduxeris, promisisti enim Abrahæ Deus, qui non mentiris, diem consolationis, diem Christi videntibus inimicis meis, qui nunc lætantur, quoniã tu malum meum iusta ira fecisti. Et cum adduxeris diem consolationis, fiẽt similes mei. Quomodo similes mei? Nimirum vt ego versa vice audiam, imò & videam malum eorum in die iræ & reuelationis iusti iudicij tui.

Quomodo vindemiandi sint illa vindemia irrecuperabili, damnatione irreuocabili, habente ecclesia diẽ consolationis, & quid duo elementa nouissima, Sin, Thau, iuncta significent.

CAPVT XXXIIII.

THAV, id est, signa.

INgrediatur omne malum eorum contrà te, & deuindemia eos, sicut deuindemiasti me, propter omnes iniquitates meas. Multi enim gemitus mei, & cor meum gemẽs.) Omne (inquit) malum eorum ingrediatur coram te, & deuindemia eos. Nam ingressus est quidem iam malum eorum coram te, sed nõ omne. Et vindemiasti iam, sed non deuindemiasti eos. Olim quippe malum eorũ, id est, superbia qua super cæteros angelos tumuerunt, dicente principe eorum diabolo, similis ero altissimo, hoc, inquam, malum eorũ coram te, ingressum est, & pro hoc vindemia sti, id est, iudicasti eos: de cælo nanq; proiecisti, & in istum caliginosum aerem deuolui-
Esaiæ 4. sti eos. At verò malum illud alterum, quo me psalma tuum per serpentem deceperunt nondum coram te ingressum est, nondum tuo iudicio requisitum est, quod ex me erat malum coram te ingressum est, etenim tu requisisti, primùm dicens viro Adam. Vbi es? quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? deinde dicendo mulieri, quare hoc fecisti? Ita quod ex me erat malum coram te ingressum est, & pro hoc vindemiasti me primùm dicendo mulieri, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, & in dolore paries filios tuos, deinde tã viro quàm mulieri, quia puluis es, & in pul-
Gen. 3. uerem reuerteris. Non ita tunc, quod ex diabolo erat malum coram te ingressum est, neque enim requisisti, aut pœnam intulisti pro eo, quòd serpentem ingressus hominem decepit. Igitur omne malum eorum omne malum diaboli, & angelorum eius, ingrediatur coram te, in nouissimo magni iudicij die, & qui me iam vindemiasti, tu illos deuindemia vindemia irrecuperabili, damnatione interminabili. Nec enim mirentur solùmodo vindemiari, quòd iam factum est eis, quando de cœlo proiecisti eos, sed & deuindemiari digni sunt, vt tollantur in ignem æternum, & non requirãtur in omnia secula seculorum. Porrò mihi (vt iam ante dixi) adduces diem consolationis. Quare? Quo iudicio? Iudicij misericordiæ, multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens, quæ sunt insignia pœnitentiæ. Duo hæc elementa nouissima SIN, quod interpretatur dentes, & THAV, id est, signum, adinuicem copulemus, vt dicamus sic, dentium signa. Porrò per dentium signa omnis intelligitur sancta scriptura, qa dentib. formatur omnis loquela. Quid hoc ad rem præsentẽ? Videlicet, vt quod perpulchrum est intelligamus ea, quæ sub istis continentur literis duabus illa esse, quæ nobis categorizat omnis scriptura diuinitus inspirata. Quid enim aliud nobis prædicat, nisi post illud malum decepti hominis pro quo lætati sunt omnes inimici, adducendum fuisse ecclesiæ diem consolationis, id est, primum aduentum Christi filij Dei, & post hæc futurũ esse iudicium, quo diabolus & angeli eius, & cum illis omnes impij deuindemiandi sunt, & mittendi in ignem æternum? Hac ergo lamentatione finita, quid sequens causæ habeat breuiter dictum superius, & adhuc dicendum est.

Quòd sequenti alphabeto illius temporis lamenta tio subtexitur, quando Nabuzardan Hierusalem igni succendit, simulq; cum ea domum domini combusit.

CAPVT XXXV.

OMnem quę in sequenti alphabeto sub- *4. Reg. 25.*
texitur lamentationem, super illa intel *Hier. 39.*
ligemus terrena Hierusalem, quam tunc tẽ- *52.*
poris Nabuzardan princeps exercitus seruus regis Babylonis, succẽdit, & combusit igni, simulq; cum ea domum domini, & domum regis, murisque Hierusalem in circuitu destructis, reliquias quoque vulgi transtulit in Babylonem, tantum de pauperibus terræ relinquens vinitores & agricolas. Hoc verè sancto & sapienti viro lamentabile fuit, non solum propter ipsam magnitudinem cædis & incendij, verùm & propter duritiam gentis peccatricis, quia non propter peccata exigua factum est, vt tanta populo suo deus qui natutaliter miserator est & misericors, mala inferret. Ad huius alphabeti lamentationem disponendi sunt omnes, qui hodie quoq; in verbis mendacij confidunt, quem-
Hier. 7. admodum illi quibus lamentator iste prius dicebat. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, templum domini, templum domini, templu domini est. Etenim hodie quo que sunt pleriq; infantes, qui auro vel argento, & marmorum crustis atque pulchris parietibus, templi manufacti, Deum, qui spiritus est, putent delectari, & de semetipsis nõ perpendunt quales sint, vel quod debeant ipsi esse templum sanctum Dei, testante Apostolo, cùm dicit. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Talibus igitur proponatur alphabetum hoc.

Quo

Quo respectu Hierusalem vocauerit scabellum pedum domini, et quomodo illam dominus de cælo in terram proiecerit.

ALEPH.

CAPVT XXXVI.

CAP. II. QVomodo obtexit caligine in furore suo dominus filiam Sion, proiecit in cælo in terram inclytam Israel, & nõ est recordatus scabelli pedum suorum, in die furoris sui.) Scabellum pedum domini, ciuitatẽ Hierusalem nuncupauit, videlicet eo respectu, quo & ciuitatem illam sancta scriptura nominare consueuit, nimirum propter cultum diuinæ religionis, & templum nominis domini, quod iuxta rationem temporis qualicunq; ritu primitus in ea ciuitate celeberrimum fuit. Nam & propter eandẽ causam in omni scriptura sancta typum gerit ecclesiæ Christi, in qua nunc per omnem terram vero ritu inuocatur nomen domini. Et tunc quidem, quia in illa sola ciuitate inuocabatur nomen domini, sola merebatur dici, scabellum pedum domini, nũc aũt quia in omni terra inuocatur nomen domini, & omnis terra plena est ecclesij Christi, rectè omnis terra meretur dici scabellum pedũ domini. Vnde est illud propheticum, id est, de futuro dictum. Cælum mihi sedes est, terra aũt scabel
Esaiæ 66. Matt. 5. lum pedum meorum. Et dominus in Euangelio cùm dixisset neq; per cælum iuraueris, quia thronus Dei est, continuò subiunxit, neque per terram, quia scabellum pedum eius est. Iam quippe res in præsentiarum erat, vt
Psal. 107. fieret quod Psalmista cecinerat. Exaltare (inquiens) super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Nunc vide quàm eleganter, quàm magnifica similitudine tumultum ruentis miserę ciuitatis expressit, dicendo, & nõ est recordatus scabelli pedum suorum in die iræ furoris sui. Quasi regẽ aut quempiã personatum patrem, oculis ostendit, sedentẽ in alta sede, scabellum habentem sub pedib. suis, tanto furore excitatũ, tanta ira commotum, vt pedibus se non tenentib. scabellum suum longè proiecerit, dum nescit, dum præ ira nõ attendit, quantum nociturum hoc sit pendentibus pedib. suis. Quasi hoc impetu, filiam Syon, inquit, & inclytam Israel de cælo in terram, de omni dignitate in omnem ignominiam proiecit, & caligine amentię ruentem inuoluit.

Superbia culpam fuisse, pro qua Hierusalem vel templum præcipitari debuerit.

BETH.

CAPVT XXXVII.

PRæcipitauit dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob, destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram. Polluit regnum & principes eius.) Quod dixerat, proiecit de cælo in terram in clytam Israel hoc iterum repetiuit, dicendo Præcipitauit, nec pepercit. Itemque tertio, Virgines Iuda deiecit in terram. Cunctis vocibus istis qualitatem culpæ designauit, & superbiæ culpam fuisse ostendit, pro qua Hierusalem destructa sit. Et magnum vtique superbiæ malum, pro qua nec virginibus pepercisse, aut vnquam parcere credendus sit.

Quòd ruinæ illius causa fuerit, quia cornu Israel Deus confregit.

GIMEL.

CAPVT XXXVIII.

COnfregit in ira furoris sui omne cornu Israel, auertit retrorsum dextram suam à facie inimici, & succendit in Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.) Amplius hic superbiam vicino vocabulo expresit dicendo. Confregit cornua Israel, superbum quippe cornutum dici vsitatum & frequens est. Hic igitur non immeritò Deus dexterã suam auertit retrorsum, vt non auxiliaretur aut subsistere faceret Israel, ante faciem inimici, non quod facturam suam cõtemneret, sed quòd cornutos esse homines indignè ferret. Quare autem non dixit, & succendit ignem, sed succendit in Iacob quasi ignem flãmæ deuorantis in gyro? Nonne reuera succensus fuit ignis, quo Nabuzardã seruꝰ regis Babylonis ciuitatem & templum combusit? Ergo illud vult intelligi, quòd ciuitas illa vento superbiæ suæ quasi ignem conflando gentium contra se odia concitauerit, & ille fuerit quasi ignis flammæ deuorantis in gyro, quem vt efficientem causam ignis elementaris consecuta sit.

Quòd Deus superbientibus inimicus sit, & idcirco sic dixit: Tetendit arcum suum.

DALETH.

CAPVT XXXIX.

TEtendit arcum suum, quasi inimicus, firmauit dexteram suam, quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat visu *Iacobi. 4.*
in tabernaculo filiæ Syon. Effudit quasi indignationem suam.) Quia superbiæ cornu causa fuit. Deus aũt superbis resistit, idcirco non quasi pater virgam arripuit, sed quasi inimicus arcum suum tetendit, & quasi hostis dexteram suam firmauit, vt videlicet sagittam suam fortiter excussam per cor eius traijceret, vt gladium suum firmiter impactum vsq; ad vitalia deprimeret, vt facere inimici vel hostis est. Non enim, vt sæpè factũ est, tradidit populum suum in manus gentiũ ita vt in terra sua degentes victorum ferrent imperiũ, sed occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Syon, id est, omne quod delectabat, & quo deum putabat delectari lasciua iuuencula Syon. Et effudit quasi ignem indignationem suam, vt sic omnia tolleret indignatus, sicut ignis totam deuorat stipulam.

Quòd nõ dixerit: factus est dominus inimicus, sed velut inimicus: & q̃ nec res nec vocabulũ inimici, in Deum cadat. HE. CAP. XL.

FActus est dominus velut inimicus, prę cipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius, dissipauit omnes munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.) Dominus (inquit) qui dicebat ad Pharaonem, filius primogenitus meus Israel, dixi tibi, dimitte filium meum, ille pater & dominus, factus est quasi inimicus. Notandum diligenter, quia non dixit, factus est inimicus, sed factus est quasi inimicus. Nam inimici nec res nec vocabulum in Deum cadit. Inimicus quippe is est, qui iura violat, qui iusta tollit aut negat, cuius ex parte deficit aut perit fructus amicitiæ, pax. Dominus igitur nō inimicus, sed quasi inimicus factus est, tollendo siue occidendo omne, quod pulchrū erat visu in Syon, præcipitando Israel, præcipitando omnia mœnia eius, dissipando munitiones eius, replendo in filia Iuda humiliatum & humiliatam, vtpote inimicitias gerens, nō aduersus homines, sed aduersus superbiam.

Exod. 4.

Quomodo ciuitatem illam vel templum tentorii domini vocauerit.

VAV.

CAPVT XLI.

ET dissipauit quasi hortum tentorium suum demolitus est tabernaculum suū. Obliuioni tradidit dominus in Syon festiuitatem & sabbathum, & in opprobrium & indignationem furoris sui regem & sacerdotem.) Tentorium siue tabernaculum domini erat templum illud augustissimum, nā in illo quasi in tabernaculo, quod ad horam figi solet, militabat nomini domini fidespere grinantium, manentem hic ciuitatem non habentium, sed futuram inquirentium. Hoc dissipauit quasi hortum, nec pluris fecit sanctum nominis sui locum, quàm vilem hortū holerum. Festiuitatem & sabbathum, quæ vtiq; visu pulchra erant, obliuioni tradidit, regem & sacerdotē in indignationem furoris sui opprobrium tradidit. Hoc deniq; nō prætereundum, quia probrosè sic regē proiecit, vt in oculis eius occisis ipsius filijs, tunc demum oculos eius erueret Rex Babylonis.

Hebr. 13.

4. Reg. 26.

Quid sit, vocem dederunt in domo domini sicut in die solenni.

ZADI.

CAPVT XLII.

REpulit dominus altare suum, maledixit sanctificationi suę, tradidit in manus inimici muros turrium eius, vocem dederunt in domo domini sicut in die soleni.) Quærebas quid superius dixisset, & non est recordatus scabelli pedum suorum, in die furoris sui, ecce aperuit dicendo manifestè, repulit altare suum, maledixit sanctificationi suæ. Porrò magnitudinem doloris, & miseriarum tumultum quàm vehemēter expressit dicendo. Vocem dederunt in domo domini, sicut in die solenni. Ac si diceret. Nunquam altius in gaudio solemnitatis cecinerant, quàm nunc in angustia & dolore suo clamauerunt.

Quomodo tetenderit super illam Syon funiculum temporis captiuitatis septuaginta annorum.

HETH.

CAPVT XLIII.

COgitauit dominus dissipare murum filiæ Syon, tetendit funiculum suum & non auertit manum suam à perditione. Luxitq; antemurale, & murus pariter dissipatus est.) Non casu hæc acciderunt, sed dominus ista cogitauit, dominus cum consilio hęc egit poscēte ratione vtilitatis, illo cogitante, illo negocij summam in libra rationis appendente, placitum fuit vt dissiparetur murus filiæ Sion, vt vanitas eius ex aduersis aliquam caperet instructionem. Et ipse tetēdit super eam funiculum suum lōgitudinis septuaginta annorum, & cogitauit non auertere manum suam à perditione, id est, captiuitatem finire ante consummationem tot annorum, nec ante reædificabitur antemurale & murus, qui pariter dissipatus est.

Quæ portæ eius, et qui vectes quos dominus contriuit, vt prophetæ eius non inuenirent visionē à domino.

THET.

CAPVT XLIIII.

DEfixæ sunt in terra portę eius, perdidit & contriuit vectes eius, regem eius, & principes eius in gentibus, non est lex, & prophetæ eius non inuenerunt visionem à domino.) Portarum quoque altitudo, vectiumq; firmitas inter illa numerantur, quæ visu pulchra erāt, & istæ portæ ciuitatis cū vectibus suis contritis atque perditis in terram defixę sunt, pro causa quam alius propheta congemit, quia cōuersum est retrorsum iudicium & iustitia longè stetit, & quia corruit in platea veritas, & æquitas nō potuit ingredi. Metaphoricōs tamen regem, & principes, Legē & prophetas vult intelligi. Nam quasi quæreres quas portas in terram defixit, quos vectes perdidit & contriuit? Regem, inquit, & principes eius in gentibus non est lex, & prophetæ eius non inuenerunt visionem à domino. Et congrua satis transformatio, quia videlicet vbi non est rex, neque princeps, vbi auctoritate sua no vtitur lex, quæ in gentibus non est, vbi prophetis oracula cœlestia clauduntur, & Dei visiones subtrahuntur, sic est populus, quasi ciuitas patens absq; portis & vectibus.

Esaia 59.

Quomodo sederint in terra & conticuerint senes, & cinere capita sua conspererint virgines.

IOD.

CAPVT XLV.

SEderunt in terra, conticuerunt senes filię Sion conspererunt cinere capita sua. Virgines Hierusalem accincti sunt cilicijs, abiecerunt in terra capita sua virgines Iuda.) Ereti prius senes filiæ Syon, & multa loquentes, nunc præcipitati, & fracto superbiæ cornu mutilati sederunt taciturni in terra, tantū ab illa deturbati, quā habebant confidentia templi domini, quantum à cælo distat terra.

Virgines

Virgines Hierusalem virgines Iuda cinere, quod insigne dolorum est, conspersérunt capita sua, & non habentes sponsos quibus pararentur, abiecerunt capita sua in terra, & ita completum est, quod alius propheta prædixerat. Propter hoc super adolescentulas eius non lætabitur dominus, & pupillorum eius, & viduarum non miserebitur.

Esaia 9.

Quur nunc dicit: Defecerunt præ lachrymis oculi mei, qui antea dixerat: Propterea da filios eorum in famem, &c.

CAPH.

CAPVT XLVI.

DEfecerunt præ lachrymis oculi mei, cō turbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritionem filiæ populi mei, cum deficeret paruulus, & lactēs in plateis oppidi.) Cùm, inquit, deficeret paruulus & lactens, tunc defecerunt præ lachrymis oculi mei, & viscera mea, imò pietatis tumultu cōturbata sunt, & iecur meum, quod sanguinis est fons, in terra effusum est. Quid enim? Nunquid poterat naturalis affectus carnis & sanguinis rationis sequendo iudicium persistere in altitudine zeli? Dicebam antequam hæc fierent, propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij. Fiant vxores eorum absq; liberis & viduæ, & viri earum interficiantur morte. Hæc, inquam, & his similia dicebam, concordando per spiritū iudicio & iustitiæ tuæ. At vbi mala ipsa venerunt, & res oculis exhibita est, vicit pietas, & à supernis iudicijs relapsa in semetipsam vulnerata ruit natura.

Hier. 8.

Quomodo infantes ad vbera pendentes fame cruciati, animas exhalabant.

LAMECH

CAPVT XLVII.

MAtribus suis dixerunt, vbi est triticū & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.) Quomodo interea lachrymas tenerent oculi? Mixta angustiæ simplicitate vel simplicitati angustia, matribus suis tabidis & fame marcescentibus dicebant paruuli, vbi est triticum, vbi est vinum, pro ætate non discernentes vtrum per laborem acquirere, an ex natura sua proferre solerent matres triticum & vinū, & hæc dicentes in ipso ciulatu, quasi vulnerati, imò verè famis aculeo transuerbarati deficiebant, & quod humanitati visu intolerabile erat, in sinu matrum suarum à siccis vberibus decidentes animas suas exhalabant.

Quomodo Hierusalem impœnitentia sua nulli potuerit assimilari, & idcirco dicat quis medebitur tui?

MEM.

CAPVT XLVIII.

CVi comparabo te, vel cui assimilabo te filia Hierusalem? Cui exequabo te & cō solabor te virgo filia Sió? Magna enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?) Nūquid, ait: Niniuitis comparabo te? Non vtiq; nam pœnitentiam egerunt, ad prædicationē Ionæ. Nunquid Tyro aut Sydonijs exæquabo te? Non vtique, nec enim facta & dicta sunt in illis, quæ facta & dicta sunt in te. Si in illis facta fuissent, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Tui ergo quis medebitur? Non profecto ipse, si de cælo venerit, medicorum medicus. Magna est, velut mare contritio tua, & quicunq; accedit ad medendum, persecutionem & ipsius mortis in te patitur naufragium.

Matth. 2. ibid. 11.

Qualiter prophetas mendaces, & ipsam quod eos audierit, increpet.

NVN.

CAPVT XLIX.

PRophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent, viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.) Vbi nunc propheta tuus ille Ananias filius Azur, qui tulit catenam de collo meo, & cōfregit eam, dicens. Hęc dicit dominus. Sic cōfringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium? Et cæteri prophetæ tui vbi sunt, qui dicebant, non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem dabit vobis dominus in loco isto? dicebam ego, falso prophetæ isti vaticinantur visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis, & non audistis me. Ecce res ipsa probat, quia viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam medici tam imperiti, quàm infideles, vt te ad pœnitentiam prouocarent.

Hier. 28.

Illud quoq; ad cumulum miseriarum accessisse, & transeuntes insultando plauserunt super eam.

SAMECH.

CAPVT L.

PLauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt & mouerunt caput suum super filiam Hierusalem. Hæccine est vrbs (dicentes) perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?) Hæccine est? inquiunt. O quanta mutatio rerum. Vrbs perfecti decoris, vniuersæ terræ gaudium, cui de vniuersa terra conuehebatur aurum, cui non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur, quia classes eius ibant per mare deferēntes aurum, tantaque illi erat argenti abundātia, quanta lapidum, hæccine illa est? Hæc dicentes manibus plauserunt, ore sibilauerūt, caput suum super te mouerunt.

3. Reg. 10.

Quam verè insultauerint, cum & post septuagin ta annos, soluta seruitute, ne reædificaretur ciuitas, vehementer obstiterint.

AIN.

CAPVT LI.

APeruerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerūt & fremuerunt dentib. & dixerūt: deuorabimus. En ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus.) Dolenda exprobratio. Lamentabilis insultatio. Nam quid putas, quantum insultauerunt, quam volentibus animis expectatum

1. Esdræ 4.

desolatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lationis tuæ diem viderunt, qui & post septuaginta annos, tam diutino miseriarum tuarum nondum satiati spectaculo, cum soluta esset captiuitas, & exisset sermo vt rædificaretur ciuitas, totis conatibus impedierunt regi Artaxerxi scribentes epistolas, vt mutaret edictum, insuper armis parati ad opus impediendum.

Quomodo illud non tam per Nabuzardan, quã domini iudicio factum sit, qui & per Mosen talia prædixit. PHE.

CAPVT LII.

FEcit dominus quæ cogitauit, compleuit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit & non pepercit, & lætificauit super te inimicum, exaltauit super te cornu hostium tuorum.) Non, inquit, Nabuzardan aut ipse Nabuchodonosor rex Babylonis hæc fecit tibi, sed dominus ipse cogitauit, & ipse fecit. Quid enim? Nunquid notui aliquid cogitauit? Nunquid non hæc tibi facere, id fuit sermonem cõplere quem præceperat à diebus antiquis? Nunquid non antiquitus præcepit Moysi, quia si audire nolueris vocem domini Dei tui, hæc & hæc venient tibi, & ducet dominus te, & regem tuũ quem constitueris super te in gentẽ quam ignoras tu & patres tui, & seruies dijs alienis?

Quid clamauerit cor prophetarum, qui hæc prædixerunt, & auditi non sunt clamantes super muros filiæ Syon.

SADE.

CAPVT LIII.

CLamauit cor eorum ad dominum super muros filiæ Syon. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.) Clamauit cor eorum. Quorum eorum? Nunquid hostium, quorum super te cornu exaltauit, aut inimicorum, quos super te lætificauit? Imò eorum ad quos vel per quos ille sermo domini factus est, quem præceperat à diebus antiquis, & nunc impleuit. Eorum, id est, Moysi & prophetarum cor clamauit ad dominum super muros filiæ Sion, tanquã speculatores dati ad annunciandum, clamauerunt vt auertereris ab impietate tua, & clamando suas saluauerunt animas, tu autem ô filia Syon, quia clamorem illorum non audisti, ecce mortua es in iniquitate tua. Quare autem non dictum est, clamauit os eorũ, sed clamauit cor eorum? Nimirum, quia non negligenter clamauerunt, non more salutantiũ verba dederunt, sed volenti animo toto cordis affectu, profundo charitatis sensu clamauerunt, annunciauerunt, prophetauerũt adiuuare volentes, vt nequaquam dormiẽtem te comprehenderet velociter accurrentis periculi malum. Quare autem non dictum est, clamauit cor eorum ad Syon, sed clamauit ad dominum? Videlicet quia cum clamore annunciationis, quo citare volebãt Sion, oratione quoq; clamabant ad dominum, & de hocipso quod clamassent ad Syon, licet non exauditi, testem sibi faciebant dominum. Dicebant tibi. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem ac noctem, quo restinguere valeas iræ & furoris ignem imminentem, non des requiem tibi, ne tanquam fur te comprehendat ira domini, neque taceat pupilla oculi tui, quia lachrymarum magis, quam labiorum clamorem Altissimus audit.

Quid sit quòd clamauerunt: Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.

CAPVT LIIII.

COnsurge, Lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum domini. Leua ad eum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, & in capite omnium compeditorum.) Consurge, inquam, & arma tua corripe, arma laudum, arma vigiliarum, arma lachrymarum, quòd est effundere sicut aquam cor tuum, & hoc ante conspectum domini, vt fortissimum dominum ordinata fortitudine tenere, & pietate pronum flectere possis. Memento interea, leuare ad eum manus tuas, parum quippe fortitudinis est, in laude, in vigilijs, in lachrymarum effusione, nisi porrigendo eleemosynã & cætera faciendo pietatis opera leues ad deum, leuesq; vsque ad cælum manus tuas pro vita paruulorum tuorum. Hæc tibi clamantes, dicebant.

Quid clamet, dicendo, Vide domine quem vindemiaueris. CAPVT LV.

VIde domine & considera quem vindemiaueris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ? Si occiditur in sanctuario domini sacerdos & propheta.) Hoc illud est, quod clamabat cor eorum pro te ad dominum, clamando & ad te super muros tuos filia Sion. Clamant & adhuc. Vide domine, inquiunt. Quare faciem tuam auertis? Si oculos misericordiæ conuerteris huc, & quod facis ipse videris, ipse visu tuo vulneratus satis pœnarum esse sumptum æstimabis. Ergone comedẽt mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ, & tu qui pius es durare videndo poteris? Si occiditur in sanctuario domini sacerdos & propheta, & tua videndo se cõtinebunt viscera? Hoc & illud id est, famem & gladium, vide, vide, inquam quem populũ, quem locũ vindemiaueris ita, neq; enim populus longinquus, & locus est ignotus, sed gens tua & ciuitas sancta.

Quòd ad misericordiam diuina multò magis quã humana trahatur natura.

CAPVT LVI.

IAcuerunt in terra foris senex & puer, virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio. Interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es.) Hoc vide, quia puer & senex foris in terra iacuerunt. Nonne ipsa humana natura trahitur ad misericordiam

cordiam in his ætatib. puerorum & senum? Ergo vide quomodo iacuerint, quantum percusseris, nec misertus sis. Multò magis enim diuina, quàm humana natura trahitur ad misericordiam, & sine dubio misereberis videndo quid feceris.

Quomodo id quod accidit quasi Deo imputet.

CAPVT LVII.

VOcasti quasi ad diem solennem, qui terrerent de circuitu, & non fuit in die furoris domini, qui effugeret, & relinqueretur quos educaui, & enutriui, inimicus meus cõsumpsit eos.) Hæc omnia vide & considera quid feceris, & videndo mente conuulneratus, sine dubio reliquos considerabis, captiuos tuos reuocabis.

Quòd tertio alphabeto propriam causam prophetalamententur: & cur hic iam singula elementa triplicentur, cum in cæteris simplex sint.

CAPVT LVIII.

POst vniuersalem generis humani, post communem vnius gentis lamentationẽ, tertio demum singularem hoc loco suam captiuitatem propheta lamentatur lamentationibus proprijs. Singularis autem & sua cuiusque captiuitas, est proprij peccati modus, & propriæ tribulationis pondus. Hoc animaduerso, iam & illud, quod quæri poterat citius occurrit, scilicet cur cum cæterarum lamentationum singulis alphabetum simplum, huic soli triplum ascriptum sit. Nam tripla viro huic lamentandi causa extitit. Prima, quòd ipse æquè vt omnes homines in Adam captiuatus est. Secunda, quòd se viuente, se vidente, quamuis hostium grata reseruata, propria combusta, & gens sua captiuata est. Tertia, quod propriã fragilitatem nouerat, proprijs calamitatib. & omnimoda inter suos & à suis affectib. fuerat. Disponamur ergo ad hoc alphabetum dociles pueruli, & ab isto lamẽtatore docti, sciemus singuli de causa tã propria, quam vniuersali, quòd verè lamentabilis sit.

Quæ sit illa paupertas, quæ tenebræ, & quæ sint illæ manus, de quibus dicit.

ALEPH.

CAPVT LIX.

CA. IIII. EGo vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Aleph. Me minauit, & adduxit in tenebras, & nõ in lucem. Aleph. Tantum in me vertit & conuertit manum suam tota die.) Ego, inquit, vir videns paupertatem meam. Non dixit, ego vir pauper: parum enim dixisset. Nam verè omnis homo pauper est. Omnis homo in primo parente pauper est, gloria sua spoliatus, gloria Dei denudatus est. Sed non omnis homo videt, nõ omnis homo intelligit hanc ipsam paupertatem suã. Igitur quod satis est, quodque imitabile foret, dicere maluit. Ego vir videns paupertatem meam, videns, inquam, in virga indignationis eius, id est, ad videndum pœna corruptionis & mortalitatis com monitus, qua percussi sumus omnes homines, vt moriamur, & quia percussi sumus omnes infirmamur, & tandem puluis in puluerem reuertimur. Aleph. Me minauit & adduxit in tenebras & non in lucem. Hoc mihi malum alterum ad communem paupertatẽ accessit, quòd minauit me, & non in lucem, sed in tenebras adduxit, vt videre gentis meę tenebras, tenebras miseriarum densas, & cõuolutas, super quibus congemiscens, dixit supra. Quomodo obtexit caligine in furore suo, Dominus filiam Syon, & cæt. ALEPH. Tantum in me vertit, & conuertit manum suam tota die. Quid, inquit, dicam de mea causa propria, de propriæ conscientiæ miseria? Cæteri viuunt, cæteri quos video homines sunt, & quicquid de illis sit, tantũ de me scio, quia manum suam in me vertit, & manum suam non ad horam, sed tota die in me conuertit. Quot in anima mea peccati vulnera, tot manus eius in me sunt vulnera. Quot menti & corpori meo aduersa, tot in me sæuiunt manus eius flagella.

Quomodo se in Adam mortalem factum, in exustione Hierusalem felle cibatum, in proprijs culpis deploret obtenebratum.

BETH.

CAPVT LX.

VEtustam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit ossa mea.) Propter ve- *Rom. 7.*
terem Adam, vetustam fecit pellem, vetustã fecit carnem meam. In quo pellem meam vetustam fecit? In conditione mortalitatis. In quo carnem meam vetustam fecit? In concupiscentia, & passione desiderij. In quo contriuit ossa mea. In eo quod non, quod volo, bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio. Ossea in me ratio est, & ossea, id est, bona voluntas, vnde condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Sed hæc eadem ossa mea contriuit, pugnaci lege peccati, quæ est in membris meis iustè superducta BETH. (Aedificauit in gyro meo, & circumdedit me felle & labore.) Propter illam vetustatem & contritionem omni humano generi superductam, ædificauit ædificium calamitatis in gyro meo, in populo meo famẽ & gladium & ignem conuocauit, & stare fecit in circuitu meo. Et circundedit me felle & labore, felle amaritudinis & tristitiæ in mente, labore carceris & inædiæ in carne. Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu, persequimini & persequamur eum. Cæsum etiam in carcerem miserunt me, in lacum in quo nõ erat aqua proiecerunt me, vt morerer ibi fame. BETH. (In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.) Præterea in tenebrosis propriæ conscientiæ collocauit me, certum enim de propria salute non sinit me esse vt me arbitrer cõprehendisse, semperq; suspectus sum in timore iudicij superuenturi, vt non magis præsumam de salute, quàm præsumere *Hier 20: Hier. 37.*

possunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

possunt mortui sempiterni, quos propria conscientia reatus quotidiè morti sempiternæ addicit. Nullo enim iustior sum, nisi per gratiam Dei, nisi per gratuitam misericordiam vocantis & iustificantis quos vult.

Quòd in Adam in inimicitias Dei ruens, in præsentibus malis ciuitatis desolatus, & in proprijs passionibus, quasi sagittis percussus sit.

GIMEL.

CAPVT LXI.

CIrcumædificauit aduersum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meã.) Quid aduersum me circumædificauit? Vtiq; parietem inimicitiarum propter Adam æmulum suæ diuinitatis, sumus enim secundum illum ego & patres mei naturã filij iræ sicut & cæteri. Non egrediar parietem istum aggrauauit enim compedem meam, nec nisi in Deo meo transgrediar murum. GIMEL. (Sedet cum clamauero & rogauero, excludet orationem meam.) Non solùm illud cõmune habeo, quòd doleam, sed & hic dolor est recens, dum video gentis meæ captiuitatem, pro qua clamare quidem & rogare possum, sed cum clamauero non exaudiet, donec impleatur numerus septuaginta annorũ vsque ad illum terminum exclusit orationẽ meam. GIMEL. (Concluſit vias meas, lapidibus quadris semitas meas subuertit.) Præter illa quæ extrinsecus sunt, domi vias meas concluſit, in conscientia propria semitas meas subuertit. Volo in terra positus corpore conuersari, in cœlis mente, cupio gustatam Domini saturitatem plenius apprehendere. At ille admissis tentationibus, permissis cogitationũ fluctibus, circumuallauit me, immò vt me potius accusem, peccata propria quasi quadros lapides peccatrici obduxit conscientiæ, atque hoc modo vias meas concluſit, semitas meas subuertit, vt in contemplandam eius gloriam currere non possim.

Quomodo homini præuaricatori Deus factus est vrsus insidians, quomodo idcirco semitas eius subuertit pronas in malum.

DALETH.

CAPVT LXII.

VRsus insidians factus est mihi, Leo in absconditis.) Mira doloris acerbitas, mira lamentationis asperitas. Quisnam vrsus insidians, quisnam leo in absconditis tibi factus est? Deus fortissimus spirituum, deus cognitor omnium, quomodo vrsus tibi aut leo factus est? vbi vel quando insidiatus est? In paradiso, vbi mecum, id est, cũ patre meo Adam loquebatur serpens vbi Euam mittebat ad Adam diabolus, qui ingressus fuerat serpentem. Tacuit dum ille loqueretur, siluit dum homo illi assentiretur, peractoque sacrilegio, iratus velut vrsus ex insidijs, velut leo prodijt de absconditis & dixit, Adam vbi es? &cæt. Nonne quasi insidias eius scriptura innuit per similitudinem meridianæ dormitionis? Ait enim. Et cùm audisset vocem domini dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem. Ergone iniustè egit, qui quasi toto meridie dormiens tacuit, & peracto crimine quasi tunc primùm euigilans de absconditis suis ad interrogandum processit? Non vtique. nam antè præmonuerat, dicens: Quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini. DALETH. (Semitas meas subuertit & cõfregit me, posuit me desolatam.) Propter illud vniuersale malum ecce hodie, meas, id est, gentis meæ semitas subuertit, semitas prauas, semitas in malum pronas, & in manu regis Babylonis, confregit me ferro, fame, & igne. Posuit me desolatam, videlicet septuaginta annorum captiuitate. Desolatam cùm dicit in persona Hierusalem, præsens captiuitatis malum euidenter plangit. DALETH. (Tetendit arcum suũ & posuit me quasi signũ ad sagittam.) Hoc de propria persona loquitur, hoc de propria conscientia gemit. Nam & foris corporaliter ita passionib. expositus fuerat, vt rectè quasi signum ad sagittam positum se esse gemat, & intus in anima, quamuis iustus esset, multum erat, quod tentationum sagittis patebat. Vnde Psalmista. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, &c.

Genes. 3.

Genes. 2.

Psal. 34.

Quomodo in Adam sagittis libidinum conuulneratus, in prophetando imminentem captiuitatem à populo suo derisus, carceribus, & inedia amaricatus sit.

HE.

CAPVT LXIII.

MIsit in renibus meis filias Pharetræ suæ.) Certum catholicæ fidei tenet auctoritas, quia nisi admissa fuisset præuaricationis culpa, non fuisset carni hominis carnalis inuecta bestialis voluptas. Ita conditus homo fuerat, vt spiritus carni dominaretur, si tamen spiritus ipse dominatori Deo permaneret subditus, & proinde homo ad generandum nó libidine, sed ratione duceretur. Sed enim spiritus Deo subditus esse renuit, idcirco carni subditus est. Atque ita homo cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Dicat ergo in persona generis humani. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, id est, concupiscentiæ passionib. exposuit me, per ineuitabiles sententias iustitiæ suæ. HE. (Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.) Videlicet dum dico, hæc dicit dominus, venient Chaldæi, veniet Nabuchodonosor rex Babylonis, deriserunt me cantantes contra me tota die veritatem prophetiæ, quasi verba deridentes insaniæ, erroris atque amentiæ. HE. (Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.) Ipsis quidem ad publici mali cumulum profecit risisse cùm malefecerint, & cantasse in rebus pessimis, sed & me repleuit amaritudinibus plagarum & carceris atq; inediæ, & inebriauit me absynthio timoris & doloris atque tristitiæ.

Psal. 48.

Quomodo in morsu primi hominis dentes suos perdiderit in obsidione ciuitatis, dum loqueretur pro illa in conspectu domini, anima eius repulsa sit, in propria conscientia de meritis suis timuerit.

VAV.

CAPVT LXIIII.

ET confregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.) Notum est, quia dentes hominis propter peccatum Deus confregit, mouentur enim & excidunt senibus curuis & aridis. Et si quidem in aliquo firmiores vsq; ad terminum vitæ consistunt, vt in Mose de quo scriptũ est quia dẽtes illius sunt moti, attamen in sepulchro confringuntur, vbi putredo ossa quoque consumpserit. Sed nunquid sic Deus solos hominis dentes confregit? Nonne & omnes artus & ossa omnia confregit, & in puluerem redegit? Quare ergo de solis dentib dixit? Nimirum quia dentibus homo primũ peccatum perpetrauit, dũ ligni vetiti fructum momordit. Igitur dentes meos, inquit, ad numerum confregit, & cinere me cibauit, quia propter morsum, genus humanũ morte confregit, & in cinerẽ redire iusit. VAV. (Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum.) Præter illud vniuersale malũ, ecce in præsentiarũ ciuitate obsessa inter famem & gladiũ pereuntib. & periclitantib filijs populi mei, dũ starem in conspectu eius, vt loquerer pro eis bona, repulsa est anima mea, nó exaudita est oratio mea. Multa patribus nostris præstitit bona, sed præ multitudine malorum præsentium oblitus sum bonorum præteritorũ. VAV. (Et dixi. Perijt finis meus, & spes mea à domino,) Ad illa mala communia metus mihi additur iudicij & iustitiæ dei, quia videlicet si absque misericordia iudicer, perijt finis meus, & spes mea à domino. Hoc ego dixi Psalmistę consentiens dicenti. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Deu. 34.

THREN. CAP. III.

Psal. 142.

Quomodo Deum rogat recordari primæ transgressionis, et quid pœnarum inde prouenerit, et quòd ex eo speret sibi futura bona, quia præsentia mala recipit.

ZADI.

CAPVT LXV.

REcordare paupertatis & transgressionis meæ, absinthij & fellis.) Postquam iratus es (inquit) peccanti homini, misericordiæ recordare, quia pro peccato vnius hominis multum est pœnarum, multum paupertatis & absynthij & fellis. Paupertas mortalitatis & absynthij & fellis. Paupertas mortalitas corporis est. Absynthium & fel mors animę est. Horum si recordatus fueris, multum pœnarum sumptum esse misericordia æstimabit. Quod sciens alius dicit. Vtinam appẽderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas in statera. Quasi harena maris hæc grauior apparebit. ZADI. (Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.) Malorum quæ vidi, malorum ciuitatis & populi, famis, gladij atque ignis memoria memor ero, ita vt nulla memoriam hanc deleat consolatio, & continuò dolore continua tristitiæ pœna tabescet in me anima mea. ZADI. (Hoc recolens in corde meo.) Subauditur afflictione diuina cruciabor, & idcirco consolationem sperabo in illa cælesti patria, quia recipio mala in vita mea.

Quòd gratuletur, non æquè hominem vt diabolũ, propter peccatum suum derelictum, & quod posi noctem Babylonicæ captiuitatis, mane libertatis futurum sit.

TETH.

CAPVT LXVI.

MIsericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.) Cùm inquit, & angelus & homo peccauerint, angelus qui factus est diabolus, & complices eius angeli consumpti sunt, nec enim requirendi sunt in æternum, & omnes ab illis miserationes domini defecerunt, nunquàm enim Deus miserebitur illorum. Non ita nos homines consumpti sumus, sed nobis Deus in ira misericordiæ suæ recordabitur. Grates ergo misericordiæ domini, quia circa nos misericordia iudicium superexaltauit. TETH. (Nouę diluculo, multa est fides tua.) Non, inquam, defecerunt miserationes eius, sed quasi diluculo nouæ consurgent post exactam tenebrarum præsentium noctem. Quam ob causam? Multa est fides tua, ideſt, multi sunt quorum fides meretur, vt post istam caliginem qua obtecta es in furore domini ô filia Syon, nouarum tibi miserationum diluculum consurgat. Teth. (Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum.) Nunc, inquit, ad me redeo, ad quem factum est verbum Domini, dicens: Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij & filiæ in loco isto, &cęt. Hęc audiens anima, dixit, pars mea dominus, propterea expectabo eum, id est, alij qui volunt solliciti sint, & turbentur erga plurima, mihi est vnum necessarium, propterea vnum expectabo dominum, reiecta solicitudine terrenorum, quæ multa sunt.

Hiere. 16.

Quomodo qui seueritatem exercendo in Adam iustus sit & bonus, sperantibus in eum, & quomodo captiuis Babyloniæ bonum sit, non murmurare, sed expectare salutare Domini cum silentio.

TETH.

CAPVT LXII.

BOnus est Dominus sperantibus in eum animæ quærenti eum.) Ne desperes ô tu aliquis reputans seuerum nimis esse dominum, eo quòd tam vehementer primis hominibus fuerit iratus propter causam exiguam aut vilem, id est, propter vetiti ligni non grande pomum, quia bonus dominus sperantibus in eum, & sperando confitentibus reatum suum, quod illi primi homines

Universidad de Deusto
Biblioteca

non fecerunt, bonus, inquam, Dominus animæ quærenti eum, quem non quæſierunt illi, quinimò fugientes faciem eius in medio ligni paradyſi ſeſe abſconderunt. Quid porrò illis eſt, qui ſperant in eum, qui non quærũt, ſed fugiunt eum. Nónne & illis eſt bonus? Imò iuſtus. Et quidem ſi iuſtus eſt, & bonus, veruntamen aliud ſecundum quod bonus, aliud operatur ſecundum quod eſt iuſtus. Nam bonus & iuſtus hoc differunt, quòd miſericordia & iudicium. Bonus quippe ſperãtes in ſe & quærentes ſe, per miſericordiã ſaluat, iuſtus deſperantes, & ſe fugientes per iudicium damnat. Spera ergo in domino, & fac bonitatem, quia bonus dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. TETH. (Bonum eſt cum ſilentio præſtolari ſalutare Domini.) O vos captiui, qui & iuxta præſentem hiſtoriam per annos ſeptuaginta ſuper flumina Babylonis ſedebitis & flebitis, dum recordabimini Syon, quia bonum eſt cum ſilentio expectare ſalutare Domini. Nolite murmurare, quod poſt illam vniuerſalẽ generis humani captiuitatem, iſta quoque vobis captiuitas acceſſerit, ſed cum ſilentio & humilitate ſalutare Domini Chriſtum Deũ, præſtolamini, qui antequam in carne veniat Babylonica captiuitate vos abſoluet, & cùm in carne venerit, totius mundi huius captiuitatem in libertatem gloriæ filiorum Dei cõuertet. TETH. (Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.) Quod vniuerſaliter de omni genere hominum, in hoc mundo peregrinantium, quod communiter dico de præſenti captiuitate noſtræ Syon, hoc & ſingulariter dixerim de vnoquoque virorum, quia bonum eſt ei cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, id eſt, cum ſeſe in omnibus humiliauerit, non reprehendendo Dei iudicia. Cùm in multis alijs, tum maximè in iſtis conciſionibus ſingulæ ſententiæ proprijs præſcriptionibus ipſa voce congruunt. Nam TETH interpretatur bonũ, & ſingulæ ſententiæ id prædicant, quòd verè ſit bonum.

Genes. 3.

Pſal. 36.

Quomodo diuerſus ſit à primo homine is, qui ſedet ſolitarius, & leuat ſe ſuper ſe, & quomodo in illa captiuitate ſit tacendum, ſi fortè ſit ſpes, vt reducatur quæ in Babylonem ducta eſt.

IOD.

CAPVT LXVIII.

SEdebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit ſe ſuper ſe.) Talis vtique ad nouum pertinebit hominem, non ad illum veterem, qui noluit ſolitarius ſedere & tacere, conſilium ineundo cum illo ſuſurratore, deceptore, antiquo ſerpente. Nunquid enim ille ſolitarius aut taciturnus ſedit & leuauit ſe ſuper ſe, ad Deum, qui ſuper ſe erat tota ſuſpenſus mente? Non vtique, nam econtra ad ſuſurrium beſtiolę reptantis ſuper terram, inclinauit ſe. IOD. (Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.) Non in cælo, ſed in puluere ponet os ſuum, audiens dicentem ſibi magiſtrum bonum. Diſcedite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Hoc faciendo expectabit humiliter ſi fortè ſit ſpes. Dicet enim. Quis ſcit, ſi cõuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Nimirùm hic ego ſum. Ponam in puluere os meum, dicendo: Iuſtus es domine & rectum iudicium tuum, ſi fortè ſit ſpes, ſi fortè reducatur captiuitas, eruta velut torris de igne, quę nunc in Babylonem ducta eſt. IOD. (Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.) Se, inquam, percutienti dabit maxillam, non percutienti gentem ſuam, proprijs, non alienis ſaturabitur opprobrijs. Nam hic laudabilis patientia, illic reprehenſibilis eſt mentis duritia. Faciet hoc modo quicunque portauit iugum ab adoleſcentia ſua. Quis autem hominum iugum paratior homine illo portauit, qui cùm in forma Dei eſſet, non arbitratus eſt rapinam, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens in ſimilitudine factus eſt hominum. & habitu inuentus vt homo? Humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ille ergo ſingularis patientiæ, dabit percutienti ſe maxillam, immò & iuxta prophetam alium, dabit corpus ſuũ percutientibus, & genas ſuas vellentib. faciem ſuam non auertet ab increpantibus & conſpuentibus, & eiuſmodi ſaturabitur opprobrijs, nec enim inuitus, ſed prę nimia dilectione noſtri, ſic illa ſuſcipiet tanquam panem ſaturitatis. Singuli quoque noſtrũm perſecutionem pro iuſtitia patientes, demus percutienti maxillam, & ſaturemur opprobrijs, vi delicet libenter accipiendo mala præſentia, vt futuris ſaturemur bonis.

Philip. 2.

Eſaiæ 50.

Quomodo qui Adam de Paradyſo emiſit non repellet in ſempiternum, ſed iterum miſeretur & reducet de Babylonica captiuitate, & qui quemque humiliat non ex toto abijcit, ſed contra, quem corripit, diligit, & quem flagellat recipit.

CAPH.

CAPVT LXIX.

QVia non repellet in ſempiternum Dominus.) Dixi ſupra, quia bonus eſt dominus ſperantibus in eum, & quo reſpectu dixerim ſi quæras, ecce nunc dico, quia non repellet in ſempiternum. Repulit ad tempus dicendo, Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum, videte ne fortè ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, ſed nõ repellet in ſempiterum. Adhuc requiret pſalma ſuum, & omnia trahet ad ſeipſum. Gladium repellentem, gladium flã meum, quem poſuit ante paradyſum quandoq; verſabit, & dabit nobis edere de ligno vitæ gratis. CAPH. (Quia ſi abiecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.) Dixi, & verum dixi, bonum eſſe

Genes. 3.

num eſſe præſtolari cum ſilentio ſalutare domini, quia & ſi abiecit, & ſi altare ſuum repulit, etiam miſerebitur, vt ſoluta captiuitate Hieruſalem reædificetur, templum reſtituatur. CAPH. (Non enim humiliauit ex toto corde ſuo, & abiecit filios hominis.) Dixi, inquam, & verum dixi, bonum eſſe viro cũ portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, nam & ſi ſingulos filiorum hominis humiliauit, quorum primus in numero ego ſum, ex toto corde ſuo non humiliauit, non totum ex ira prodijt, quod humiliauit vel abiecit, ſed vtiliter laboribus nos erudit, ſicut ſcriptum eſt. Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit.

Hebr. 12.

Threno. CAP. III.

Quomodo iuſtum cum impio conterere, iudicium viri declinare, hominem in iudicio peruertere Domimus ignoret. LAMED.

CAPVT LXX.

ET conteret ſub pedibus meis omnes vinctos terræ. LAMED. Vt declinaret iudicium viri in cõſpectu vultus altiſsimi. LAMED. Vt peruerteret hominem in iudicio ſuo Dominus ignorauit.) Idcircò dixi Dominus bonus eſt, quia hęc, & hæc facere ignorauit. O laudabilis ignorantia, ô pura ſimplicitas, & ſimplex diuinitatis puritas, omnes vinctos terræ ſub pedibus ſuis indiſcretè cõterere. Verbi gratia. Cain & Abel, Iacob, & Eſau ignorauit, & alios per gratiam ſaluare, alios per iuſtitiã conterere nouit. Declinare iudicium viri ignorauit inconſpectu vultus altiſsimi, & tres pueros in camino ignis illæſos conſeruare ſapiens iudex nouit. Peruertere hominem, id eſt, de recto peruerſum facere iudicio ſuo ignorauit, & de peruerſo rectum & iuſtum facere nouit.

Dani. 3.

Quàm reprehenſibile ſit, ſi dicat quis fieri aliquid, Domino non iubente. Si dicat ex ore altiſſimi nec bona, nec mala egredi, murmurãs pro peccatis imputando fatali neceſsitati.

CAPVT LXXI.

QVis eſt iſte qui dixit, vt fieret Domino non iubente? MEM. Ex ore altiſsimi non egredientur nec bona nec mala. MEM. Quid murmurauit homo, viuens vir pro peccatis ſuis?) Cùm Dominus tam bonus ſit, quis eſt iſte ponens fortunę menſã & dicens: hoc vel illud fiet Domino non iubente? Cũ enim dicit, caſu vel fortuitu hæc vel illa cõtingere, aut certè ſtellis aſcribit cauſas mortis vel vitæ humanæ, putatque horum quippiam fieri Domino non iubente, quis eſt iſte? Denique, nullus eſt, omninò quaſi non ſit ignorandus. Cùm dicit, ex ore altiſsimi non egredientur nec bona nec mala, ſed caſu geruntur omnia, quis illum ſcire dignetur, quis notum habere debeat? Nullius quippe ſenſus aut rationis eſt, putare quod altiſsimus non curet humana, pro eo maximè, quod hoc tempore templum tam pulchrũ deſtructum eſt, & deſerta facta eſt tanti nominis ciuitas. Præterea quid murmurauit homo, quid murmurauit viuens vir pro peccatis ſuis, dicendo, cogi ſe ad peccatum neceſsitate fatali.

Quòd potius redeundum ſit ad cordis diſcretum: & cum bonis operibus facienda confeſsio peccatorum. NVN.

CAPVT LXXII.

SCrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad dominum.) Anathematizemus peſsimam hanc deſperatoris ſectam, potiusque vias noſtras, id eſt, ſanctas ſcrutemur ſcripturas, & credentes illis teſtantibus quod Deo cura ſit de nobis, quæram⁹ & reuertamur ad Dominum, quia ſicut ſuprà dixi, bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quęrenti illum. NVN. (Leuemus corda noſtra cum manibus ad dominum in cælum.) Non, inquam, deſperemus, ſed leuemus corda cum manibus, id eſt, fidem habeamus cum bonis operibus. Ita fiet vt ex ore altiſsimi, ex ore domini qui eſt in cælis, poſt mala noſtra quæ commeruimus bona eius egrediantur, conuertatq; captiuitatẽ Syon, & nos ſimus ſicut conſolati, & de bonis oris eius gaudio os noſtrũ repleatur. NVN. (Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcircò tu inexorabilis es.) Non dicamus ſinguli. Fatum me conſtringit, neceſsitas quæ in ſtellis fixa eſt me compulit, non enim creatura Dei mala eſt, ſed nos iniquè egimus, noſtrũ quiſque peccati dominũ collo ſuo ſpontè adduxit. Atque hoc modo te Deus ad iracundiam prouocauimus, idcircò tu inexorabilis es, ne ſtatim liberares liberari volentes, & aduerſus peccatum pugnantes.

Quomodo in primo homine Deus humanum genus percuſſerit, & in manum inimicorum traditos non exaudierit. SAMECH.

CAPVT LXXIII.

OPeruiſti in furore, & percuſsiſti nos, occidiſti, nec pepercisti. Non ita eſt, vt dixit iſte nescio quis, ex ore altiſsimi non egrediuntur nec bona nec mala, ſed egreſſa ſunt ex ore tuo iudicia iuſta, & pro cauſa vel ratione certa, tu in furore propter peccatum Adæ operuiſti, & percuſsiſti nos, occidiſti nec pepercisti, id eſt, pariete inimicitiarum oppoſito & in anima morte iuſta & in corpore mortalitatis pœna percuſsiſti nos. Ita occidiſti, nec pepercisti. SAMECH. (Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio.) Eccè & in afflictione præſenti nubem peccatorum noſtrorum tibi oppoſuiſti, ſcelerum noſtrorũ denſitatẽ coram facie tua poſuiſti, & idcircò fame vel gladio pereuntiũ, poſt ignem quoque Babylonium in captiuitatem migrantium, clamorem vel orationem, non exaudiſti. SAMECH. (Eradicationem & abiectionem

Hiere. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctionem posuisti me in medio populorum.) Præter illa vniuersalia vel cõmunia mala illud mihi accesit, ꝙ me, cui dixeras. Priusquã te formare in vtero nouite, & antequã exires de vulua sanctificaui te, posuisti in medio populorum velut eradicationem, & abiectionem, velut vitiosum aut venenatum gramen, quod ne ipsam terram corrumpat, eradicatur & abijcitur. Ita me homines oderunt, exprobrauerunt, & eiecerunt nomen meum tanquam malum.

Quòd electis nunquam ab initio inimici defuerint, & quod prophetũ ipsa prophetia tribulationũ causa fuerit. PHE.

CAPVT LXXIIII.

APeruerunt super nos ὀs suum omnes inimici.) Ab initio seculi inimici nobis fuerunt diabolus & angeli eius inuisibiles: Cain & omnes sequaces eius inimici visibiles. Omnes vndique super nos os suum aperuerunt, sæpe nos expugnauerunt, sæpe supra dorsum nostrum fabricauerunt. PHE. (Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio.) Hoc est præsentis quoq; temporis lamentabile malum, quod dum vaticinamur, hæc dicit Dominus, & hæc verba mandauit dominus, & hæc ait dominus. Dabo Sedechiam regem Iuda & seruos eius, & populum eius in manu regis Babylonis propter huiusmodi vaticinationẽ formidamus, illaqueamur, cædimur, & in neruum mittimur, atq; omnib. malis conterimur. PHE. (Diuisiones aquarũ adduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.) Igitur mala vndique, mala foris & intus. Foris formido & laqueus, & contritio pro vaticinatione, intus dolor & gemitus pro vaticinationis effectu & veritate, pro filiæ populi mei contritione. *Hier. 21.*

Quòd vniuersalem generis humani ruinam, in quam per Adam incidit, & præsentẽ gentis suæ captiuitatẽ & propriam fleuerit fragilitatem. AIN.

CAPVT LXXV.

OCulus meus afflictus est, nec tacuit, eò quòd non esset requies.) Oculus meus oculus interioris hominis, oculus cordis, qui ad videndum deum creatus est, videns dolorem suum afflictus est, nec tacuit, grandem quippe habet vocem, & disertam linguam rationis. Quare afflictus est? Eò quòd non esset requies, eò quòd propter culpam primæ præuaricationis ad laborem natus esset. AIN. (Donec respiceret & videret dominus de cælis.) Nõ tacuit idem oculus meus, donec dominus de cælis respiceret & videret, cuius respectus & visus & antiquæ captiuitatis solutio, & præsentium captiuorum qui in Babylonem ducti sunt, consolatio est. AIN. (Oculus meus deprædatus est animam meam in cũctis filiabus vrbis meę.) Hoc maximè euidens proprij doloris lamentum est. Nam quis oculus meus, nisi oculus concupiscẽtiæ deprædatus est animam meã? Subdendo quippe in cunctis filiabus vrbis meæ, satis expressit oculum concupiscentiæ, oculum vagum, oculum captiuum, & captiuatorem infelicis animæ. Nam cùm quinq; sint fenestræ nostræ, per quas mors ingreditur, id est, quinque sensus corporis per quos mors in animam intus tanquam fur aut prædo ingreditur, omnium ad eiusdem mortis opus visus efficacissimus est. Notãdum, duas hic literas, PHE & AIN, ordine præposteras esse. Prius nempe Ain, posterius Phe in ordine alphabeti esse debuit. Nec verò abre factum est. Nam Ain fons interpretatur siue oculus, & idcircò huic elemento magis congruit oculus meus afflictus est, oculus meus deprædatus est animam meam.

Quòd primum hominem diabolus quasi auem venatione cœperit, & quòd præterea intus in mente multos tentationum fluctus pertulerit. ZADI.

CAPVT LXXVI.

VEnatione cœperunt me quasi auem inimici mei gratis.) Inimici mei, diabolus & angeli eius gratis odientes me, in vno homine me & omne hominum genus cœperunt venatione, decipula ligni concupiscentiæ. ZADI. (Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.) Præter illam vniuersalem mundi captiuitatem lapsa est in lacum vita mea, summiserunt enim in funibus me in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, & descendi in cœnum, & quantum in ipsis erat posuerunt lapidem super me, præfinito consilio, vt morerer ibi fame. ZADI. (Inundauerunt aquæ super caput meum, dixi, perij.) Præter illa quæ foris passus sum, intus in mente inundauerũt aquæ & fluctus tentationum. & penè à spe decidens, dixi, perij, iuxta quod loquitur & alius, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Hier. 38.* *Rom. 7.*

Quomodo non desperans inuocauerit, & quomodo orare non desinat pro his qui ducti erãt captiui, & qualem consolationem diuino responso accepit. COPH.

CAPVT LXXVII.

INuocaui nomen tuum Domine de lacu nouissimo.) Verè nõ desperãtis, sed inter spem & metum pugnantis est, dixisse, perij, & tamen inuocare nomen Domini. Sanè lacus nouissimus peccatum originale est, quia quisquis illo tenetur, sine dubio à Deo separatus est, nec incerta damnatione cõcluditur. Illo tam iste qui hæc loquitur, quam oẽs homines ante aduentũ Christi tenebantur, & idcircò de lacu nouissimo nomen dñi se inuocare rectè profitetur. COPH. (Vocem meam audisti, ne auertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus.) Audisti inq;, sed iam audisse se, non statim exaudisse est. Nam

Nam per omnia penetrantem scientiam audisti, vt per gratiam exaudias orandus es, esto exorabilis altissime conditor, depressæ ac penè sepultæ nostræ captiuitatis. COPH. (Appropinquasti in die, quãdo inuocaui te, dixisti, ne timeas.) Tuum quippe est appropinquare pro re, pro vniuersa quantitate calamitatis & miseriæ, propter ꝙ & alius: Iuxta, inquit, Dominus his qui tribulato sunt corde. Dixisti profunda vulneratus compassione, dixisti, inquã, ne timeas quæ paternæ vel maternæ dulcedinis vox est consolatoria. *Psal. 33.*

Quomodo iudicium postulet, qui mala quæ pertulit se cõmeruisse conscius non est. RESCH. *Threno. Cap. III.*

CAPVT LXXVIII.

IVdicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitę meę.) Iudicasti planè clemẽti iudicatione causam animæ meæ, quæ iudicatio, redemptio est vitæ meæ. Vnde Psalmista. Iudica me Deus, & discerne causam meam, de gente non sancta. RESCH. (Vidisti Domine iniquitatem aduersum me, iudica iudicium meum.) Vidisti oculis, quibus omnia vides, nec insinuatione tibi opus est, vidisti & scis iniquitatem aduersum me, illorum, pro quibus steti in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bona. Iudica ergo iudicium meum, nec sine fructu perire patiaris laborẽ meum. RESCH. (Vidisti furorem omnem, vniuersas cogitationes eorũ aduersum me.) Vt iam non tantum de exterioribus loquar pressuris, omnem furorem contra quos postulo iudicium, vniuersas cogitationes visibilium & inuisibilium, inimicorum meorũ aduersum me tu vidisti, quia tu solus laborem & dolorem consideras, vt Psalmista dicit. Iudica ergo iudicium meum, discerne causam meam. *Psal. 47.*

Aduersus eos qui malis student, & hostes sunt innocentiæ. SCHIN.

CAPVT LXXIX.

AVdisti opprobria eorum Domine, omnes cogitationes eorum in malum aduersum me.) Ex quo sanguis Abel iusti primam vocem clamoris ad te de terra emisit, continuata generationis nequam aduersus generationem electorum tuorum opprobria tua audisti, nec opus est, vt quis doceat te, qui omnia scis. SCHIN. Labia insurgentium, & cogitationes eorum audisti aduersum me tota die.) Non solùm labia quæ homo potuit audire, sed & cogitationes eorum audisti, immo & vidisti domine, iuxta illud. Homo videt in facie, Deus autem in corde. Tota die insurrexerunt, tota, inquam, die, id est, non ad horam, sed perseueranter cogitauerũt & locuti sunt aduersum me. SCHIN. (Sessionem eorum, & resurrectionem eorũ vide. Ego sum psalmus eorum.) Vide, inquam, spectaculo dignam sessionem, & resurrectionem eorum, quàm diuersa, quàm dissimilis sit sessioni piorum, resurrectioni iustorum. Nam pij vel iusti benè sedent, vt benè resurgant, id est, humiliantur vt exaltentur, iuxta illud. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris, isti autẽ nequissima sessione se summittunt in hypocrisi, vt decipiant, & cùm id effecerint resurgunt atrociter, & tanquã pro victoria in rebus pessimis exultãt. Nã cũ ita resurrexerint, ego sum psalmus eorũ. Vnde dicit caput omnium nostrũ. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. *1. Reg. 16.* *Psal. 136.* *Psal. 68.*

Quòd non imprecando, sed concedendo dicit: Redde eis vicem. THAV.

CAPVT LXXX.

REdde eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum.) Non imprecantis animo, sed concedentis dico redde, sciens cõstantiam iustitiæ tuæ, de qua & Psalmista. Quia tu reddes, inquit, vnicuique iuxta opera sua. THAV. (Dabis eis scutum cordis laborem tuum.) Prima hæc erit redditio, vt obscures & claudas cordis eorum oculos, ne cognoscant te, quem cognoscere merces piorum est. Laborabis ipse, qui ad laborem misisti nos, laborabis, inquam, vsque ad mortem in peccatis eorum, & hoc erit eis scutum cordis, vt non credant in te, pro eo quòd te adeò laborasse audierunt. THAV. (Persequeris in furore, & conteres eos sub cælis Domine.) Secunda hæc erit redditio, qua persequeris, & conteres eos æterna contritione in nouissimo magni iudicij Die. *Psal. 61.* *Matth. 16.*

Quomodo omnium illorum qui prophetas & iustos persecuti sunt, crudelissimi ac perditissimi fuerint Iudæi, qui Christum occiderunt, & quomodo propter hoc obscurati & dispersi sunt.

CAPVT LXXXI.

HOrum omnium qui prophetas & sanctos omnes persecuti sunt, & incolatus eorum quo in hoc mundo peregrinantur, dolorem continuum persequendo auxerunt, eorum, inquam, omnium crudelissimi atque perditissimi Iudæi extiterunt, qui peregrinantem in hoc mundo Dei filium pauperem & dolentem persecuti sunt, & percussum à patre obedientissimæ charitatis vulnere, nequissima morte percusserunt, quemadmodum ipse per prophetam iustam quærelam depromens, quoniam quẽ tu percussisti, inquit, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Damnationem illorum nouissimè hic lamẽtator per iustitiam concesserat, dicens. Redde eis vicem Domine, iuxta opera manuum suarum, dabis eis scutũ cordis laborẽ tuum, persequeris in furore, & conteres eos sub cælis Domine, nũc iam per naturalẽ pietatis affectum deplorat, sic incipiens. ALEPH. (Quomodo obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omniũ platearum.) Dolẽtis *Psal. 68.* *Cap. IIII.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pariter & admirantis est dicere, quomodo obscuratum est aurum, quomodo mutatus est color optimus. Aurum coloris optimi, Iudæi erant, ex quibus salus est. Vnde Apostolus. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autẽ charissimi propter patres. Quomodo aurũ hoc, mutato colore, obscuratũ est? Quomodo cęcitas cõtigit in illis? Quomodo obscurati sunt oculi eorũ, ne videant? Adhuc autem cũ fuissent lapides sanctuarij, & ex illis ędificari cœpta fuisset domus Domini, quomodo dispersi sunt in capite omnium platearũ? Perdiderunt quippe suum & locum & gentem, & proiecti spiritualiter foras de sanctuario Domini, ita vt sint dispersi in capite omnium platearum, id est, principes vagãtium, vel terrena quærentium, & cupidissimi omnium cupidorum, corporaliter quoque in omnes gentes dispersi sunt, & captiui in singulis ciuitatibus, paruas plateas ad habitandum sibi locauerunt.

Rom. 11.

Quomodo Iudæi primò inclyti, & quo auro fuerint amicti, & quomodo nunc vasa testea sunt. BETH.

CAPVT LXXXII.

FIlij Syon inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuũ figuli.) Inclyti, inquã, filij Syon, & amicti auro primo erant. Quomodo, vel quam inclyti? Multum inclyti, quemadmodum Apostolus dicit. Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sęcula. Multum ergo inclyti. Quomodo amicti auro primo? Nimirum quia primùm credita sunt illis eloquia dei. Denique aurum primum lex & prophetæ sunt, quo videlicet auro tantum exterius amicti erant, nõ enim in dilectione cordis, sed in ostentatione oris illud habuerunt. Eccè ergo reputati sunt, vt vasa testea opus manuum figuli, confracti virga ferrea regis à Deo patre cõstituti, quia noluerunt eundem audire prædicantem prę ceptum Domini.

Rom. 9.

Rom. 3.

Psalm. 8.

De crudelitate Lamiæ, id est, gentis illius in comparatione Lamia, quia filios suos occidit, dicendo: Sanguis eius super nos & super, &c. GIMEL.

CAPVT LXXXIII.

SED & Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos. Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.) Lamia monstrum animalis est, à laniando dictum. Attamen naturalem ergo fœtus suos habet affectum. Idcircò nunc ait. Sed & Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos. Et est sensus. Omnes naturæ animãtium omnium iumentorum, & reptilium, & bestiarum terræ, sed & Lamiæ, quæ non tam bestiæ, quàm monstra sunt, naturalem erga fœtus suos habẽt affectum. At verò filia populi mei nimium crudelis, ne saltem mammam nudauit infelicissimis catulis suis. Cui ergo poterit comparari? Vnum est animal struthio, quod in similitudinem auis pennas habet, non tamen altius leuatur à terra, tantæ, tamque obliuiosæ crudelitatis, vt proiecta in puluere oua sua derelinquat. Huic similis est filia populi mei, speciem quidẽ virtutis habens, sed virtutẽ volãdi in altũ nõ habens. crudeli animo plebeculam simplicem, quam ad æternam debuerat fouere salutem, in puluere perditionis obliuiscens. Parum pro similitudine dictum est, sed non erat aliud monstrum siue animal, quod totius crudelitatis eius similitudinem exhiberet. Neq; enim filia populi mei posteros suos, vt struthio oua sua solummodo derelinquit, sed insuper & occidit, dicendo. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. DALETH. (Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.) PHE. (Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.) Hęc tam corporaliter, quàm spiritualiter miseris acciderunt Iudæis, quibus nondum natis, vt antè dictum est, hæreditarius à crudeli matre sua synagoga derelictus est sanguis Christi. Legamus excidium miserę Hierusalem, & videbimus parum hic dictum esse pro magnitudine famis & sitis. Porrò spiritualiter ex tunc vsque hodie lingua lactentis adhæret palato eius in siti, & non est qui panem frangat petentibus paruulis, nimiam quippe habent famem & sitim audiendi verbũ Dei, non quod desiderent verbum dei, sed quia malunt interire, quàm frangere sibimet panem scripturarum, vt viuant ex medulla intelligentiæ spiritualis. Olim vescebantur voluptuosè, & nutriebantur in croceis, vtpotè filij regni, & propter fidem patrum charissimi, nunc autem intereunt in vijs malignis spiritibus oppositi, dum amplexantur stercora, id est, fidunt in carnalibus cæremonijs, quas & Apostolus detrimentum facit, & arbitratur vt stercora.

Lamiæ quid sint.

Struthio.

Matth. 17.

Quomodo maior effecta est iniquitas populi illius, peccato Sodomorum, & quomodo dictum sit. Et non ceperunt in ea manus. VAV.

CAPVT LXXXIIII.

ET maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus.) Planè maior effecta est, maior culpa, maior pœna. Nam iniquitas Sodomorũ quousq; progessa est? Et non ceperunt in ea, inquit, manus. Legimus quod in ea, dum apud iustum Loth hospitaretur Dominus, vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul, & dixerũt. Educ viros huc, vt

Gen. 19.

huc, vt cognoscamus eos. Magna iniquitas, sed non ceperunt in ea manus, id est, non vsque ad effectum operis progressum. est scelus. Iniquitas autẽ populi ciuitatis meæ quousque progressa est? Cum hospitaretur in ea & pascha celebrasset Dominus, vallauerunt eum, exeũtes cum gladijs & fustibus & cepe runt in ea manus, videlicet eum, quem in Sodoma nõ ceperunt manus, ceperunt inquam comprehenderunt, illuserunt, flagellauerũt, occiderunt. Ergo maior populi mei iniquitas peccato Sodomorum, & ideirco maior & pœna. Nam Sodoma subuersa est in momento sine manibus, populus autem meus diu cruciatus, tandem subuersus est, tam suis quàm Romanorum manibus.

Matt. 26.

Quomodo Nazarei gentis illius candidiores niue, nitidiores lacte, & cætera fuerint, & quorum facies modò denigrata sit.

ZAIN.

CAPVT LXXXV.

CAndidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo Sapphyro pulchriores. CHETH. (Denigrata est super carbones facies eorum, & nõ sunt cogniti in plateis, adhęsit cutis eorũ ossibus, aruit & facta est quasi lignum.) Verè ergo mutatus est color optimus. Quanti enim, quàm pulchri fuerunt, populi huius Nazaræi? Nazaræi, id est, sancti eius, fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Samuel & Dauid, & cęteri omnes sancti, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt promissiones. Isti Nazaræi candidiores niue, nitidiores lacte fuerunt. In niue sola est candoris pulchritudo, in lacte cum nitore est & saporis dulcedõ. Parum ergo erat fuisse candidiores niue, nisi fuissent & nitidiores lacte, id est, parum fuisset, propria sibimet munditia candidos fuisse, nisi venientibus ad se per sermonem suum gustum prębuissent dulcedinis æternæ. Sed & cùm candidi & nitidi essent, passionibus superadditis quendam purpureum traxerunt ruborem. Nam ludibria, & verbera experti sunt, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Ergo rubicundiores ebore antiquo quod videlicet os casti animalis est, & cùm fuerit candidum, maiorem ex rubore pulchritudinem habet. Tandem sapphyro pulchriores id est, cælestibus mansionibus non indecentes. Nam sapphyrus cæli sereni speciem habet, & ipsa specie benè cælestes designat mãsiones. Nunc autẽ denigrata est super carbonem facies eorum. Quorum eorum? videlicet filiorum, qui de Nazaræis patribus cum nati fuerint, & ipsi per fidem Nazaræi esse debuerunt. Super carbones, inquam, denigrati sunt, id est, omni gratia perdita, qua quondam viuebant, extincti & obscura mẽtis cæcitate denigrati sunt. Et non sunt, inquit, cogniti in plateis. Quis enim eos dignetur cognoscere, quòd semen Abrahæ sint? Dicitur in plateis, cantatur eis in triuijs, semen Chanaã & nõ Iuda, pater tuus Amorræus, & mater tua Cethęa. Adhæsit cutis eorum ossib. i. dediti sunt carnis sensib. Cutis enim, id est, exterior religio, quæ candere vt nix, nitere debuerat vt lac, aruit & facta est, quasi lignum perdita venustate fructuum, delapsa pulchritudine foliorum. TETH. (Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame, quoniam isti extabuerunt, consumpti à sterilitate terræ.

Hebr. 11.

Ezech. 16.

De horrenda Iudaicæ obsidionis fame, vbi manus, inquit, mulierum misericordium coxerunt filios suos.

IOD.

CAPVT LXXXVI.

MAnus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritionem filij populi mei.) Planè & absque cunctatione melius, id est, leuius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame. Non modo, quia compendiosius mortẽ perpessi sunt, verum quia plurimam adaugendorum scelerum necessitatẽ euaserunt. Quãtum enim fuit, quòd dum paulatim fame extabescunt, inter ipsos diræ cõsumptionis moras manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, & facti sunt cibus earum? Hoc enim fecisse legitur mulier quædã Maria nomine, genere & facultate nobilis, quæ cum reliqua multitudine Hierosolymis reperta, communem cum omnibus obsidionis casum ferebat. Dolenda verò & lamentationi congruens ironia, qua mulieres eiusmodi præ fame in insanimam atrociter conuersas misericordes appellat. CAPH. (Compleuit dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem in Syon, & deuorauit fundamenta eius.) Vbi hæc secundum furorem suum dominus locutus est? In Moyse, inter multas & horrendas maledictiones, quas vtiq; prophetica veritate comminatus est. Homo, inquit, delicatus vita & luxuriosus valdè inuidebit fratri suo, & vxori, quæ cubat in sinu suo, ne det ei de carnibus filiorum suorum quas comedet, eo quòd nihil habeat aliud in obsidione & penuria, qua vastauerint te inimici tui, intra omnes portas tuas, &c.

Deut. 28.

Quomodo non crediderint prædicemi, quòd hæc mala uentura essent eis, & Apostolis eius clamauerunt, recedite, recedite, abite: & illi ad gentes conuersi sunt.

LAMETH.

CAPVT LXXXVII.

NOn crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis inimicus per portas Hierusalẽ. MEM.) Propter peccata prophetarũ eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderũt in medio eius sanguinẽ iustorũ. NVN. (Erraverũt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine.

Psalm. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cumque non possent intrare, tenuerunt lacinias suas.) Reges terræ & principes, qui astiterunt & conuenerunt aduersus dominum, *Psalm.2.* & aduersus Christum eius, imò & habitatores vrbis, non crediderunt, quòd propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum, ingrederetur hostis inimicus per portas Hierusalem. Nõ, inquam, crediderunt, cùm audirent sibi præ- *Matt. 23.* dicentẽ. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templũ & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Item: Cùm *Luc. 19.* illum fleuisse super ciuitatem audissent, & dixisse, quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & cætera. non crediderunt. Parum est non crediderunt, insuper, & ipsum occidernnt, & occidendo mensuram patrum suorum impleuerunt. Idcirco errauerunt cæci in plateis, ita vt exemplo *Gen. 19.* Sodomorum, non possint inuenire ostium, quia polluti sunt sanguine eius, qui dicit. Ego sum ostium. Cumque non possent, sub- *Ioan. 10.* auditur, tenere eum, tenuerunt lacinias suas, id est, cum veram non apprehenderint iustitiam, inanes cæremonias, vanas & pannosas sectati sunt carnis iustitias. SAMECH. (Recedite polluti clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere. Iurgati quippe sunt, & commoti dixerunt, inter gentes non addet vltra vt habitet in eis.) Idcirco cæci in plateis sanguine polluti errauerunt, quia postquam prophetarum & ipsius Prophetarum Domini sanguinem fuderunt, clamauerunt prophetis, sapientibus, & scribis, quos misit *Matth. 23.* ad eos, clamauerunt, inquam, persequendo de ciuitate in ciuitatem, & iurgati sunt, atque commoti seditiones excitando in Apostolos CHRISTI, & dixerunt. Recedite polluti, *Act. 13.* recedite, abite, nolite tangere, nolite loqui nobis in isto nomine. Hoc dixerunt inter gentes, & hęc dicendo fecerunt, vt abirẽt ad gentes, & dicerẽt eis. Vobis quidẽ primũ oportebat loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Er- *Matth. 23.* go non addet, inquit, vltra, vt habitet in eis, ita vt recedens dicat. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Quomodo facies domini diuiserit eos in ipsa obsidione præ intestina discordia, quia Barrabam seditionis auctorem elegerant sibi, Christum crucifigentes, quem tandem reliquiæ Israel cognoscentes, dicent: Lubricauerũt vestigia nostra, spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris.

PHE.

CAPVT LXXXVIII.

FAcies domini diuisit eos, non addet vt respiciat eos. Facies sacerdotum non erubuerunt neque senum miserti sunt.) Propter hæc facies domini, facies irata, qualis iuxta Psalmistam est vultus domini super facien- *Psalm. 35.* tes mala, diuisit, eos diuisit, inquam, multiplici diuisione aduersum semetipsos. Antequam ingrederetur hostis Romanus per portas Hierusalẽ, cũ adhuc clausi essent, triplici (vt Iosephus refert) semetipsos intus bello dilacerabant, & illam legenti miserabilem tragœdiam satis claret, quàm verè hic dictũ sit, facies sacerdotum non erubuerunt, neq; senum miserti sunt. Non, inquit, addet, subauditur Deus, vt respiciat eos, sed proprijs seditionibus diuisos interire permittet eos. Et meritò, quia data sibi optione, Barrabam seditionis auctorem dimitti sibi petierunt, regem autem suum pacificum occiderunt.

AIN. (Cum adhuc subsisteremus defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cùm respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat. ZADI. Lubricauerunt vestigia nostra, in itinere platearum nostrarum, appropinquauit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.) Dicãt hoc saltem reliquiæ Israel, dicant vt conuertantur & saluentur. Quid mirum, si postquam occidendo Christo domino cecidimus, ita facies Domini diuisit nos? Nempe & cùm adhuc subsisteremus, antequam in morte eius ruinam nostram perpetrassemus, defecerunt multoties à domino Deo nostro, oculi nostri conuersi ad auxilium nostrum vanum, respicientes attẽti ad gentem, quæ saluare non poterat, verbi gratia, sperantes in Aegypto, in equis & equitibus fiduciam habentes, Baal quoque & vitulos pro Deo colentes. Hoc modo lubricauerunt vestigia nostra, & claudicauimus in duas partes, in itinere platearum nostrarum, id est, in idololatria licentiosa, & plena scelerum. Plateæ nanque latæ viæ sunt, & vagum atque licentiosum designant idololatriæ ritum. Idcirco appropinquauit finis noster, idcirco cõpleti sunt dies nostri, & iustus est dominus, qui hæc fecit nobis. COPH. (Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cęli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.) Venit inquã & citò venit finis noster, nec in tempora longa factum est istud. Velociores enim fuerũt persecutores nostri aquilis cæli. Qui enim fuerunt persecutores nostri, nisi peccata nostra? Porrò de velocitate peccati persequentis loquitur Deus ad Cain. Nónne si benè e- *Gen. 4.* geris, recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Igitur persecutores, id est, peccata nostra velociores fuerunt aquilis cœli, quia vbi peracta sunt, statim in foribus affuerũt, vt nullũ vsquam pateret effugium. Super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Idcirco Psalmi- *Psal. 74.* sta dicit. Quia neq; ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis mõtibus, subauditur patet locus effugij, quoniam Deus iudex est. Me-

tẽst. Metaphoricõs per montes superbiam peccantium, per desertũ desertionem à Deo *Matt. 22.* significat, iuxta quod ipse. Ecce, inquit, relinquetur vobis domus vestra deserta. Resch. Spiritus oris nostri Christus Dominꝰ captus est in peccatis nostris, cui diximus. In vmbra tua viuemus in gentibus.) Quæ tandem velocium persecutorum nostrorum, quæ peccatorum nostrorum velociter nos persequẽtium summa est? Nimirùm mors Christi domini, quia captus est in peccatis nostris, quia scelere nostro ad mortem ductus est, & eum cui diximus, antequam veniret, in vmbra tua viuemus in gentibus, id est, in gratia tua saluabimur, & ab omni gente non sancta discernemur, hæc enim & huiusmodi de illo in scripturis legebamus, eum, inquam in peccatis nostris cepimus & in mortem tradidimus. Hoc facto nosipsos occidimus, nam spiritus oris nostri ipse CHRISTVS Dominus. Spiritus, inquam, sine quo nusquam vita est, nusquam salus, & sine quo mortuum ac sine anima est, quicquid ore nostro ex lege, aut prophetis legimus, vel scire nos arbitramur.

Quomodo lamentationes omnes, consolationis bona spe concludat, dicendo cum ironia, Gaude & lætare filia Edom, completa est, &c. per Edom omnes terrenos, qui persecutionem inferunt, per Syon omnes electos, qui persecutionem sustinent significans.

SCHIN.

CAPVT LXXXIX.

GAude & lætare filia Edom, quę habitas in terra Hus. Ad te quoque peruenit calix, inebriaberis atq; nudaberis. THAV. Completa est iniquitas tua filia Syon, non addet vltra, vt transmigret te. Visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.) Lamentationum conclusio bona, consolationis spe lamẽtatorem recreat, tum de imminente, & certissima hostium vindicta, tum de sanctæ Syon, quæ captiua fuerat, visitatione & liberatione ęterna. Gaude inquit, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus. Nomine Edom, quod interpretatur terrenus siue sanguineus, vniuersos hostes cælestis Hierusalem, quia verè terreni sunt, significat. Sic psalmista, cum eodem *Psal. 136.* quo & iste spiritu lamentando dixisset: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur Syon, & cætera. Hostes eiusdem Syon hoc eodem significãs nomine, dixit ad dominum. Memor esto domine filiorum Edom in die Hierusalem. Qui dicunt, exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea. Gaude, inquit, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, id est, quæ terrenum habes fundamentum, quæ hic recipis consolationem tuam. Hus quippe consolator interpretatur. Gratis ironia. Vnde enim gaudeas, & læteris filia Edom? Quia ad te quoque perueniet calix iræ Dei, quo inebriaberis, & nudaberis. Bibes enim fel sempiternæ amaritudinis, & æterna confusione ignominiosa eris. Tua autem iniquitas completa est ô filia Syon, id est, pœna vel captiuitas tua temporalis est, non addet vltra, vt transmigret te finita hac præsentis seculi trãsmigratione, vel captiuitate. Visitauit iniquitatem tuam, scilicet Deus, ô filia Edom, discooperuit peccata tua. Repetitio, confirmatio damnationis & confusionis Edom. Hic quidem propheta hostes supernæ Hierusalem, semel & iterum designat per Edom, cũ si solam attenderet historiam, potius nominare debuisset Babylonem. Psalmista verò primo quidem per Edom significat eosdem hostes Hierusalem, dicendo. Memor esto domine filiorum Edom, deinde autem per Babylonem, dicendo.

Beatus qui retribuet tibi
retributionem
tuam.

FINIS LIBRI COMMENTARIORVM
IN HIEREMIAM PROPHETAM.

RVPER-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN EZECHIELEM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

Quomodo in afflictione ciuitatis, sanctis Prophetis increbuerunt consolatoriæ visiones futuri regni Dei.

CAPVT I.

HAC mundi ętate quinta, quam præcedenti volumine sumus ingressi, sanctis in Babylone captiuis, prophetice crebrescunt visiones regni Dei, quarũ claritas sic illud citius affuturũ denũciat, quomodo albescente aurora solẽ in proximo adesse nemo qui ambigat. Nec enim solis iam, vt ante, verbis spiritus sanctus in aurem loquitur prophetarum sed & quasdam imagines quibus oculos videntium familiarius instruat, digito dei, qui est ipse, præpingit. V. g. Vbi ante captiuitatem istam visus est filius hominis veniens in nubibus cæli, vt daretur ei regnum & honor, & omnis populus tribus & linguæ seruirent ei. O venerabilis ordo regni Dei, ô rationabilis & opportuna consolatio regis dei. Non venit hoc regnum cum festinatione, quemadmodum regnum huius mundi, de quo rectissimè dictum sit. Hæreditas ad quã festinatur in principio, in nouissimis suis benedictione carebit. Festinauit Cain terræ amb itor ædificare ciuitatem, & vocare nomen eius ex nomine filij sui Enoch, occiso Abel fratre suo. Extunc à filijs huius seculi festinatum est ad regnandum, vsque dum venit diluuium, & perdidit omnes. Post hoc surrexit Nemroth potens in terra, & robustus venator coram domino, & hic festinus regnauit. Fuit autem principium regni eius hæc ipsa, de quam nunc loquimur, Babylon. In ista regnabatur, & iugum ferreum regis eius Nabuchodonosor posuerat nunc dominus super collum cunctarum gentium. Porrò regnum Dei veniebat interim, cùm dilatione, & ciues eius propter spem illius de terra, & de cognatione sua egrediebantur, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Nunc maximè confortato regno mundi peregrinabãtur, & hospites erant, imò & captiui ciues regni Dei, & dicebant præsenti captiuitatis loco commoniti. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Syon. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra, &c.

Pſalm. 20.

Hier. 2°. Hebr. 11.

Pſalm. 133

Quòd Ezechiel propheta difficilis sit, & quòd prima visione rectè quari debeat, quomodo quatuor animalia vnum animal sint.

CAPVT II.

IGitur reuelationes regni Dei debita cum veneratione susципientes, ad prophetam Ezechiel accedamus, cuius difficultatem (vt ait beatus Hieronymus) Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerij, id est tricesimum annum impleuerit, nec principia libri Geneseos nec Canticum Canticorum, nec huius voluminis exordium, & finẽ legere permittitur, vt ad perfectam scientiam & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat. Idem dicit: De hac visione prolixius diximus quia & obscura est, & à multis variè exponitur. Sed & beatus Papa Gregorius secundum dulcedinem gratiæ sibi collatæ, plenissimè dixit, de prophetia præscripti, id est, tricesimi anni vsquè ad illum locum. Et tu fume tibi sartaginem ferream, & pones eum murum ferreum inter te & inter ciuitatem. Cùm ergo de hac visione tanti viri dixerint & ante ipsos à multis variè exposita sit, & vt fatentur ipsi, multũ habeat obscuritatis, nos quid faciemus? Tenemur quippe nostri voluptate propositi, vt ne in isto quidem propheta tam arduo, tamq; difficili tædeat nos immorari, quærendo testimonia gloriæ Christi filij Dei. Fateamur enim aliquid non paruum de obscuro superesse, quòd adhuc studiosius elucidandum sit. Quid est illud? Nimirum similitudo quatuor animalium. In quo hęc similitudo quicquam ad huc obscuritatis aut difficultatis habet? In eo videlicet, quòd & quatuor animalia dicuntur, & animal vnum. Nam sic in prophetia anni sexti post multa legimus. Ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar. Cumq; ambularent Cherubin, ibant & pariter rotæ iuxta ea. Ac deinceps. Ipsũ est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chobar. Et intellexi, quia Cherubin essent. Quatuor per quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni, & similitudo manus hominis sub alis eorum, & similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos viderã, iuxta fluuium Chobar. Igitur animalia ipsa, quę & quatuor sunt, & vnũ duce spiritu sancto, quærere cupimus, nihil metuentes, quòd in visione à multis propter suimet

Ezech. 4.

Ezech. 10.

suimet obscuritatem variè exposita, varietatem seu multitudinem expositionum auxerimus. Nam ipsum animal quod quærimus, cùm inuentum fuerit, tale ac tantum est, vt solo nomine, vel auctoritate sua paruitatem nostram si opus sit, ab omnium qui hæc visuri sunt contemptu vel indignatione defendere possit.

De ipso propheta quomodo eiusdem cuius visionem vidit typum gesserit filij Dei, quid ventus turbinis, & quid nubes magna, & quid inuoluens ignis, & cætera quæ adiecta sunt, quid sint.

CAPVT III.

CAP. I. ET vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius. Et de medio eius quasi species electri. i. de medio ignis, & ex medio eorũ similitudo quatuor animalium. Et hic aspectus eorũ, similitudo hominis in eis, & quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, & pedes eorũ pedes recti, & planta eorũ quasi planta pedis vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.) Videns iste, qui in propria vel prima persona nũc dicit, & vidi, præmisit secundum tertiã personam de semetipso loquens, & facta est super eum ibi manus domini. Ad idem & ante hoc per primam personã dixit. Aperti sunt cœli & vidi visiones Dei. Itaq; veritatẽ seruat cõiunctam humilitati, vt pro humilitate dicat, facta est super eũ manus domini, & pro necessaria rei veritate dicat, & vidi visiões dei. Porrò cùm dicit, visiones Dei, pulchrè & rectè subintelleximus filij, de Deo Dei, quia nihil melius occurrere potest intellectui, quàm ad propriã visiones istas pertinere personã filij Dei, quem & nomine significat. Ezechiel nãque interpretatur fortitudo Dei. Porrò Buzi contemptus siue spretus interpretatur. Et

Pſalm. 119. rectè dei filius per Ezechiel filiũ Buzi sacerdotem designatur, quia cũ sit fortitudo Dei, sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech, secundũ carnem filius est populi contemptibilis, populi Iudaici ex eo contempti, quòd eundem filiũ suũ contempsit. Itaq; visiones istæ dei, reuelationes sunt aduentus Christi filij dei, qui rectissimè in isto propheta, alibi vnũ animal dicitur, alibi quatuor animalia, videlicet, ppter quatuor necessaria nobis euangelij sui sacramenta, quæ postmodũ singula proprijs specieb. agnoscenda sunt. Visuro autem aduentũ huius filij dei pulchrè & causa præostenditur, propter quam illum nobis aduenire necessarium fuit. Et ecce, inquit, ventus turbinis veniebat ab aquilone, &c. Ventus turbinis ab aquilone venit, quando frigidus à charitate dei, diabolus flauit, & turbine tentationis genus humanũ in primis parentib. à beatitudinis statu deiecit. Tũc venit & nubes magna. i. eiusdem generis humani cæcitas, qua conuolutus homo, & inimic' deo factus, à visiõe faciei eius exciderat. Post hæc & ignis inuoluens. i. damnatio post hãc vitam peccatores excipiens, & sempiterno horrore cõuoluens. Attamẽ in circuitu eius splendor, inquit, quia videlicet in ipsa ira iustẽ illata, diuinitas splendere non desijt, creaturam suã prosequens, multisq; monitis & si *1. Tim. 2.* ignis reuocans ad cognitionẽ sui. Propter hęc vtiq; mediatorẽ dei & hominum, Deũ & hominem Iesum Christũ aduenire nobis necessarium fuit. Sequitur ergo. De medio aũt eius quasi species electri. i. de medio ignis. Et e *Electrum.* ctrum pretiosissimũ, ex auro argentoq; confectum, vna eademq; persona iã dicti mediatoris dei & hominũ, in quo preciosa diuinitas vt aurũ, nostra verò humanitas mundissima in illo velut argentũ est. Talis species electri de medio ignis, quia nimirũ propter nos damnatus & mortuus, mediator dei & homi num, talis ab inferis victor ascẽdit. Et ex medio eorũ, scilicet venti, vel turbinis, nubes & ignis, & splendoris in circuitu micantis, similitudo quatuor animaliũ. O visor visionum Dei, si vt ipse post multa dicturus es, vnũ est animal, quomodo quatuor numeras? Ait. Et hic aspectus eorũ. Similitudo hominis in eis. Et quatuor facies vni, & quatuor pennę vni. Ac si dicat. Vnius quidẽ erat similitudo hominis, Iesu Christi filij dei, similitudo, inquã & nondũ res, nondũ. n. natura erat filius hominis, sed huic vni quatuor facies, & huic vni quatuor pennę quas vtiq; facies, & pennas visionem dei speranti nescire nõ licet. Quæ porrò illę sunt? Prima est incarnatio vel nati uitas eiusdẽ hominis Iesu Christi filij dei. Secunda passio. Tertia resurrectio. Quarta ascensio, vel sessio ad dextram patris. Facies istas non vidisse nobis nõ licet, sicut apostolicum catholicę confessionis symbolũ docet. Credo, inquit, in Deũ patrem omnipotentẽ, creatorẽ cęli & terrę. Sequitur continuò. Et in Iesum Christũ filium eius vnicum dominum nostrum. Hoc est vnum animal, hic est vnus homo, de quo nunc dicit, similitudo hominis in eis. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Hæc est facies prima. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad infera. Hæc est secunda facies. Tertia die resurrexit à mortuis. Hæc est facies tertia. Ascendit in cælum, sedet ad dextram dei patris omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Hęc est facies quarta. Tot facies & totidem pennæ huic vni. Verùm quæ facies, eædem & pennæ. Sed facies, quia per fidem cognosci possunt, & cognitu necessarię sunt, pennæ autem, quia ratione humana cõprehendi non possunt. Pedes eorum, pedes recti, quia videlicet processus eorum iustitia sunt Dei, & ad iustitiam valent omni credenti. Quid enim rectius aut iustius, quam obedientem fuisse Christum patri in omnibus his? Idcirco continuò subiungit: Et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.

Vitulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vitulus ex præcepto legis solebat pro pecca
to offerri multitudinis, siue sacerdotis &
multitudinis simul. Ergo planta pedis eorũ,
vt plãta pedis vituli, id est, finalis vtilitas eo-
rum, remissio est peccatorum totius mundi.
Et scintillæ quasi aspectus æris candẽtis. Re
colamus quia redemptor noster incarnatus
& passus, postquam resurrexit, & in cælum
ascendit, magnifica hominibus dona scintil-
lauit, quando factus est repẽte de cælo sonus
tanquam aduenientis spiritus vehementis,
& repleuit totam domum vbi erant sedẽ-
tes Apostoli, & apparuerunt illis dispartitæ
Act. 2. linguæ tanquam ignis. Hæc, inquam, recola-
mus, & sciemus quid dixerit, & scintillæ qua
si aspectus æris candẽtis. Nã dona illa scintil-
lę fuerunt quasi aspectus æris candẽtis, vtpo
te cũ feruore charitatis igneæ, longe audibi-
lẽ reddẽtia tinnitũ euangelicę prædicationis.

*Quid facies sit & pennas per quatuor partes habe-
re, ipsasq; inuicem iunctas esse, & quid quod ait, non
reuertebantur cum incederent.*

CAPVT IIII.

ET manus hominis sub pennis eorum, in
quatuor partibus. Et facies & pennas
per quatuor partes habebant, iunctæq; erant
pennę eorum alterius ad alterum. Non re-
uertebantur cũ incederent, sed vnumquod-
que ante faciem suam gradiebatur.) Facies
eorum nunc ex parte cognoscimus, pennas
eorum per spem sequimur, speramus enim,
quia quod nunc per speculum in ænigmate
videmus, tandem facie ad faciem visuri su-
mus. Manus enim per familiaritatem chari-
tatis contingimus, quibus & trahimur, vti
per fidem & spem eadem charitate opificẽ,
post facies & pennas curramus. Sub pennis,
inquit, manus hominis in quatuor partibus,
quia nimirum in iam dictis quatuor euange
lij sacramentis, altitudinẽ consilij diuini per
fidem aspicere nõ possemus, nisi inclinata ad
nos charitas, familiari nobis tactu blandire-
tur. Et iunctæ erãt pennæ eorum alterius ad
alterum, quia videlicet sic sibi coniuncta il-
la, & consociata sunt, vt nihil prosit fidem al
terius habere, nisi credas & alterum. Verbi
gratia. Quid prodest credere Christum pro
salute generis humani passum, nisi credas &
de incorrupta virgine natum? Non reuerte-
bantur ait cùm incederent, sed vnumquod-
que ante faciem suam gradiebatur. Verum
est, & sana fide credendum, quia postquam
semel incesserunt, non reuertentur amplius,
neq; enim fiet, quòd impijssima hæresis deli
rare ausa est, vt iterum Christus nascatur, ite
rumq; patiatur, iterum resurgat, iterumq; in
cælum ascendat, sed sicut apostolus ait, Chri
Rom. 6. stus resurgens ex mortuis, iam non moritur
mors illi vltra nõ dominabitur. Quod enim
mortuus est, peccato mortuus est semel, quę
aũt viuit, viuit deo. Item: Neq; vt sæpe offe-
rat semetipsum, quemadmodũ pontifex in-
trat in sancta per singulos ànnos in sanguine
alieno, alioquin oportebat eum frequenter
pati ab origine mundi. Nunc aũt semel in cõ
summationẽ seculorum, ad destructionem Hebr. 9.
peccati per hostiam suam apparuit, & quem-
admodum statutum est hominib. semel mo-
ri, post hoc aũt iudicium, sic & Christus se-
mel oblatus est, ad multorum exhaurienda
peccata, secundo sine peccato apparebit, ex-
pectantib. se in salutem per fidem. Igitur v-
numquodque coram facie sua gradiebatur,
& non reuertebantur, quia nimirum singu-
la eorum, quæ diximus facta sunt semel, &
non iterabuntur.

*Quid sit in vno Christo facies hominis, facies leonis
facies vituli facies aquilæ volantis, cur facies leonis à
dextris, cur facies vituli à sinistris, & cur facies aqui
le desuper.* CAP. V.

SImilitudo autẽ vultus eorum, facies ho-
minis, & facies leonis, à dextris ipsorum
quatuor, facies autem bouis à sinistris ipso-
rum quatuor, & facies aquilę desuper ipsorũ
quatuor. Et facies eorum, & pennæ eorũ ex-
tentæ desuper.) Hoc est quod paulò ante di-
ximus, quia cùm credidimus propter quod
& locuti sumus, Iesum Christum filium Dei
vnicum de spiritu sancto conceptum, & ex
Maria virgine natum, faciem vtiq; veri in-
tuemur hominis, non in phantasmate, sed in
veritate carnis absq; peccato concepti & na-
ti. Cùm autem itidem passum sub Pontio Pi
lato, crucifixum, mortuum, & sepultum, ad
infernum descendisse credentes confitemur
pro culdubio faciem vituli contemplamur,
vituli immaculati, qualem non litera, sed in
spiritu legis intelligimus, dicente domino ad
Moysen. Si sacerdos qui vnctus est, peccaue
rit, delinquere faciens populum, offeret pro Leuit. 4.
peccato suo vitulum immaculatum domi-
no, &c. de quibus suo loco plenius pro posse
diximus. Cùm nihilominus credimus, & cõ
fitemur, quia tertia die resurrexit à mortuis,
nimirum cum tremula fide, & fideli tremo-
re faciem sumpsimus leonis fortissimi, de
quo patriarcha Iacob. Catulus leonis Iuda,
ad prędam fili mi ascendisti. Requiescens ac- Genes. 4.
cubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis susci ta-
bit eum? Ad summum, cùm credimus & cõ-
fitemur, quia ascendit in cælum, sedet ad de-
xteram Dei patris omnipotentis, inde ven-
turus est iudicare viuos & mortuos, ecce i-
sta est nobis facies aquilæ, quam nubes sus-
pit ab oculis humanis, quemadmodum ipse
dixit. & nemo ascendit in cælum, nisi qui de-
scendit de cælo, filius hominis, qui est in Ioan. 3.
cœlo. Notandum interea, quòd faciem
leonis à dextris, faciem autem bouis intue-
tur à sinistris ipsorum quatuor, id est, vnius
mediatoris Dei & hominum, in quem di-
cuntur ista quatuor. Nam per dexteram feli
citas, per sinistram designari solet aduersi-
tas. Facies ergo leonis à dextris, quia nimirũ
magna illi est felicitas resurrectionis, facies
autẽ bouis à sinistris, quia dura & laboriosa
fuit illi

fuit illi humilitas passiõis, quemadmodum
Matth. 26. dicebat: Tristis est anima mea vsq; ad mor-
tem, & spiritus quidẽ promptus est, caro aũt
infirma. Porrò quod facies aquilæ desuper
sit, quia in cælũ ascendit, gaudentes videm⁹,
Hebr. 2. quemadmodum dicit Apost. Videmus do-
minum Iesum propter passionẽ mortis, glo-
ria & honore coronatum, &c. Sed & quod
inde venturus iudicare viuos & mortuos, fa
ciem aquilæ respicit, quæ vt Physici perhi-
bẽt, pullos suos iudicare solet. Singulos quip
pe radijs solis obijcit, & eum qui libero aspe-
ctu solem intuetur, vt propriũ genus agno-
scit, eum autem qui reuerberatis & palpanti
bus oculis solem non sustinet, velut adulte-
rinam sui generis maculam damnat atq; ab-
ijcit. Sic nimirum iste qui ascendit in cęlum,
cũ inde venerit iudicare viuos & mortuos,
singulos & oẽs nos examinabit, adductos an
te terribile illud tribunal suę vel paternę ma
iestatis, & quem gloria diuinitatis pro con-
scientia reuerberauerit, tradet igni inextin-
guibili, quem autem illa suo intuitu dignũ
iudicabit, componet in illum glorioſum &
felicem cœtum filiorum Dei.

*Cur in Apocalypsi non idem animalium ordo, et quo
respiciens Ioannes, illic post faciem leonis, hic autem
quo intendens propheta prius posuerit faciem homi-
nis, & quo sensu iste quatuor pennas vni, hic autẽ sin
gula animalia senas alas habere dixerit.*

CAPVT VI.

HIc iam rectè quęritur, cur in Apocaly-
psi istorum quatuor animalium non
idẽ ordo sit? Sic enim scriptura illa dicit. Et
Apoc. 4. animal primum simile leoni. Et secundũ a-
animal simile vitulo. Et tertium animal ha-
bens faciem quasi hominis. Et quartum ani
mal simile aquilæ volanti. Hoc ergo quæri-
tur, quid sibi velit ordo tã diuersus. Primo-
que dicimus, quia nihil contrarium resonat
in eo quod dicit, primum, secundum, & ter-
tium animal. Nam hic propheta huiusmodi
nomini nihil apposuit, sed hoc tantum, simi
litudo, inquit, vultus eorum facies hominis,
& facies leonis à dextris, &c. Attamen quo-
niam prius similitudinem posuit hominis,
esto vt idem valeat, ac si dicat, prima facies
hominis, & secunda facies leonis, aut vituli.
Vterq; ordo ratus, neq; alter alteri contrari-
us est, diuerso tamen respectu. Ille videlicet
veteris instrumenti, hic autem noui. Ille cõ-
sideratione scripturæ veteris, hic autem rei
gerendæ respectu ordinem suum tenuit. Et-
enim vnus idemq; mediator Dei & hominũ
in scriptura legislatoris Moysi, prius leo, q̃
homo dictus est. Prius, inquã, leo, & inde vi-
tulus, deinde homo, deinde aquila, per Moy
Gene. 49. sen dicitur. Nam apud illum in lib. Gen. Ia-
cob patriarcha dicit. Catulus leonis Iuda, ad
prædam fili mi ascendisti. Requiescens accu
buisti vt leo, & quasi leæna. In libro autem
Leuit. 9. Leuitici, per vitulum sine dubio figuratur,
qui pro peccato iubetur immolari, & extra
castra efferri, atq; incẽdi. In Deuteronomio Deut. 18.
promittitur homo in veritate carnis, & om-
nis naturæ hominis, dum idem Moyses di-
cit. Prophetam de gente tua, & de fratribus
tuis, sicut me suscitabit tibi dominus Deus
tuus, ipsum audies vt petisti à domino Deo
tuo in Oreb. Nam qui causas petitionis vera
citer attendit, in libro Exodi, planè intelligit
illud dictum, & hoc promissum, quòd Deus
homo fieret, cui posset homo loqui. Tandẽ
in Cantico Deuteronomij aquilæ assimila- Deu. 32.
tur, cùm dicitur. Sicut aquila prouocans ad
volandum pullos suos, & super eos volitans
expandit alas suas, & assumpsit eos, atq; por-
tauit in humeris suis. Quod ita rectè intelli-
gitur, vt dum dicit. Nemo ascẽdit in cælum, Ioan. 3.
nisi qui descendit de cęlo, filius hominis qui
est in cælo, subaudiamus, expedire nobis, vt
sicut aquila prouocans ad volandum pullos
suos, & super eos volitãs, sic ille faciat nobis,
& quo ascendere non possumus, portet nos
in humeris suis, portet nos super alas suæ di
uinitatis. Igitur & ille qui dixit, animal pri-
mum simile leoni, verũ dixit, quia si res prę-
nunciata fuerat, & iste qui primam posuit fa
ciem hominis, rectè nihilominus fecit, quia
sic res adimplenda erat. Et si ritè perpendas,
pulchra est cõtentio, quasi duorum hominũ
honore se inuicẽ præuenientium, dum & il-
le de nouo testamento sacrum seruat ordi-
nẽ scripturæ veteris, & hic de veteri testamẽ
to sacrosanctũ obseruat effectũ, ordinemq;
euangelicæ nouitatis. Sed & illud quæritur,
quomodo hic dicat, quatuor facies vni, &
quatuor pennæ vni, ille autem & quatuor a-
nimalia singula eorum habebant alas senas.
Ad quod breuiter dicendũ, quia singulæ fa-
cies, singulas & eodẽ sensu senas habent alas,
quia videlicet in singulis sacramẽtis Christi
filij Dei, vna eademq; excellentia, vnus vola
tus vnus spiritus, vna diuinitas est, vnũ ver-
bum, per quod in sex diebus omnia facta sunt.

*Quòd rectè sancta ecclesia, non nisi quatuor euange
listas recipere voluerit, & quæ facies cui euangelistæ
maximè congruit.* CAPVT VII.

IGitur vt superius quęrendum proposui-
mus inuenisse nos arbitramur, quia & ani
mal vnum, & quatuor animalia sunt. i. vnus
Christus, & quatuor principalia Christi sa-
cramenta sunt, quorũ facies nulli licet igno-
rare Christianorum, licet cõprehendere nõ
possit volatum. Vndè verè laudabilis, & ve-
neratione digna sanctæ ecclesiæ studiositas,
atq; diligẽtia, quæ plures hoc numero habe-
re noluit euãgelistas. Siquidẽ & prẽter istos,
multi euãgelia scripserunt, sicut & Lucas te-
statur dicens. Quandoquidem multi conati
sunt ordinare narrationem, quæ in nobis cõ
pletæ sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis,
quia ab initio ipsi viderunt, & ministri fue-
runt, visum est, & mihi assecuto à principio
omnia, diligẽter ex ordine tibi scribere opti-
me Theophile, vt cognoscas eorum verbo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum de quibus eruditus es veritatem. Benè ergo ne tãtæ maiestatis materiam turba scriptorum suo.i. humano sensu scribentium, vilem redderet, atq; multitudine dictorũ sue rerum mẽtes atq; aures humani generis vsq; ad fastidium implendo oneraret, terminum posuit magistra discretio, sedentes in ecclesia spiritus sancti, sufficere iudicans, quadrigam euangelistarum, cursuro per mundum verbo euangelij Christi Dei & hominis, sacerdõtis & regis. Istos enim non hominis ordinatio, sed Dei vocatio præparauit, & quasi in speculis gratiæ, quatuor facies huius prophe ticæ veritatis in eis expresit. Deniq; in Matthæo facies hominis, in Marco facies leonis, in Luca facies vituli, in Ioãne facies agnoscitur aquilæ volantis. Hoc penè cunctis notũ est, licet de Matthẽo & Marco diuersa dixerint magni doctores. Alijs in Matthæo faciẽ hominis, & in Marco faciem leonis, atq; alijs econtra in Matthæo faciem leonis, & in Marco susципientibus faciem hominis. Nec verò soli euangelistæ, sed & quiq; fidelium singuli pro modulo suo facies istas imitari possũt, sectando cum fide, prudẽtiam, temperantiã, fortitudinem, iustitiam. Christianum quippe prudentem esse. i. hominis Christi faciem habere, temperantem esse, crucifigendo carnem suam cum vitijs & concupiscentijs, id planè est faciem vituli habere, fortem esse in aduersis, id est, faciem leonis, iustitiam tenere, id est, faciem habere aquilæ volantis.

Quomodo facies & pennæ animalium desuper extentæ sint, quæ duæ pennæ et quomodo iungi, quomodo corpora eorum tegere, & ipsa animalia quomodo vbi erat spiritus impetus, illuc isse vel ire, et non reuerti dicamur. CAPVT VIII.

ET facies eorum, & pẽnæ eorum extentæ desuper. Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.) Facies animalium, & pennæ eorum desuper extẽtæ sunt, quia neq; de terra sunt, neq; de terra loquuntur, sed de sursum sunt, & sursum tendunt, sursum vocant rationalis hominis animum, vt contemnat quicquid in imo est, dicatq;, nostra aũt cõuersatio in cælis est. Porrò duæ pennæ singulorum quæ coniungun tur, & duæ quæ tegunt corpora eorũ, eędem sunt, oẽs scripturæ altisonæ diuum testamẽtorum euangelicæ fidei testimonium perhibentium, oẽs istæ iunguntur & concorditer sonant ad aperiendum fidelibus. Iunguntur nihilominus ad tegẽdum & claudendum infidelibus, quẽadmodum dicit Apost. Quòd si etiam opertum est euangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum, in quib. Deꝰ huius seculi excęcauit mentes infidelium, vt nõ fulgeat illuminatio euãgelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. (Et vnumquodq; eorum corã facie sua ambulabat. Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.) Et supra dixit, quia non reuertebantur cum incederẽt, sed vnumquodq; ante faciẽ suam gradiebatur. Possemus arbitrari, quòd tantum pro firmamento rei repetitio facta sit, nisi quia interpositũ est, quòd non otiosum existimamus, vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebãtur. Quandam vtiq;, id quod dicitur, gradientiũ sonat acrimoniam, pugnantium constantiã, vincentium triumphalem gloriam. Quis enim nesciat, quia sacramenta euangelij per mundum gradi cœperunt duce sancto spiritu, & illuc tantum gradi potuerunt euangelij præcones, vbi erat spiritus impetus? Alioqui nisi fortissimo ferrẽtur spiritus impetu, tanta fuerunt obstacula contradicentium, vt inaniter gr'aderentur, & ambulantia in vacuum reuerterentur. Sed dicit ipse homo & Deus, sacerdos & rex, suis quadrigis, suis animalibus. Cùm autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite *Matth. 10.* soliciti esse qualiter aut quid respõdeatis aut *Mar. 13.* quid dicatis. Spiritus enim sanctus, docebit *Luca 12.* vos in illa hora, quæ oporteat dicere. Item: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus sanctus Igitur vbi erat spiritus impetus, illuc gradiebantur, & non reuertebantur, cũ ambularent. i. duce ac principe belli sancto spiritu sine victoriæ effectu non reuertebãtur, cùm aduersus principem mundi diabolum dimicarent. Nempe hoc est quod per alium prophetam de verbo suo loquẽs Deus, non reuertetur, inquit, ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Esaiæ 55.*

Quomodo aspectus animaliũ quasi carbonũ ignis ardentiũ aspectus sit: & quis ille ignis: & quòd de igne fulgur egrediens erat. CAPVT IX.

ET similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.) Bona similitudo animalium, bonum vtrobiq; habens effectum, hinc cõburens quasi aspectus carbonum ardentium, illinc illuminãs, quasi aspectus lampadarũ. Nihil verius, nihil Christianæ fidei certius atque constantius. Quid enim consequimur, tendendo in aspectus huiusmodi animaliũ? Quid accipimꝰ credẽdo in vnum Iesum Christum Dei filium de spiritu sancto ex Maria virgine conceptũ & natum, deinde passum, crucifixum, mortuum ac sepultum, deinde à mortuis tertia die propria virtute susцitatum, deinde super cælos eleuatum vsq; ad paternæ maiestatis consessum? Quid, inquam, vultus istos aspicientes, ista credentes & confitentes consequimur vel accipimus? Nimirum geminum spiritus sancti donum, quorum alterum & primum remisio est peccatorum, alterum & secundum diuersarum est distributio gratiarum. Primò namq; vultuum istorũ intuitu. i. prima Christi confessione, dum baptizamur remissionem peccatorũ accipimus, & illic

Philip. 3.

2. Cor. 4.

illic aspectus animaliũ sic nobis est, quasi carbonũ ignis ardẽtium, cõburuntur enim atq; consumuntur illic omnes sordes præcedentium delictorum. Deinde secũdo vultuum eorundem intuitu, cùm impositionem manuũ accipimꝰ, diuisiua singulis gratia tribuitur, prout vult spiritus sanctus, atq; illic nobis sunt quasi aspectus lampadarũ. Lucet enim proximus quisq; nostrũ in gratia quã ac *1. Cor. 12.* cepit, alius in fide, alius in sermone sapiẽtiæ vel sciẽtię, alius in operatione virtutũ. Bona igitur & operosa similitudo aspectus animaliũ. Quid porrò, vel quomodo erat, imò quę est hęc visio discurrens in medio quatuor animaliũ splẽdor ignis, & de igne fulgur egrediens? Profectò splẽdor serenã lucis pulchritudinẽ, fulgur egrediens molestum affert timorẽ. Ergo splendor ignis lucida est serenitas charitatis, fulgur egrediens scueritas est timoris Dei. Et ordine quidẽ vel actu prior est amor, posterior verò timor. Igitur quia ex vno eodemq; animaliũ istorũ contuitu & ignis splẽdet charitatis, & pœnalis egreditur *1. Ioan. 4.* fulgur timoris, quem perfecta charitas foras mittit, rectè dictũ est, hæc erat visio discurrens in medio quatuor animaliũ? Nã quãdiu in hoc mortali corpore sumus, singulis nostru visio talis discurrit, dum anima, Dei & supernæ glorię contẽplatrix, nunc amore dilatatur, nũc timore constringitur ex vno eodemq; igne cæleſtis desiderij. Nã etsi multũ in charitate profecit, quæ perfecta seruilẽ timorẽ foras mittit, attamen illo timore nõ carẽt, de quo scriptum est. Timor domini sanctus permanẽs in seculũ seculi. Hic timor diligentẽ, etiam reuerentẽ, & religiosum facit, non iã quidem seruientẽ in timore, attamen exultantẽ cum tremore, quia quãuis diligat & diligendo exultet, nemo tamẽ scit vtrum amore an odio dignus sit. Et siquidem scit, *Rom. 8.* iuxta illud. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, non tamen scire præsumit, sed sciens quodãmodo nescit, & nesciens aliquo modo scit.

Psalm. 18. Eccl. 9.

Quando animalia reuertantur in similitudinem fulguris coruscantis, cũ supra dictum sit, quia non reuertebantur. CAPVT X.

ET animalia ibant, & reuertebantur in similitudine fulguris coruscantis.) Reuertebantur, inquit. At idem supra semel atque iterum dixit, quia non reuertebantur. Num idem affirmat quod negauit? Non vtiq;, sed diuersi sunt modi reuersionis. De duob. modis qui non reuertũtur, supra diximus, nũc dicere oportebat, quo nam modo, vel quib. modis reuertantur. Primò fidelium neminẽ latet, quòd animalia hæc tunc reuersura sint in similitudinem fulguris coruscantis, quãdo cum potestate magna & maiestate veniet iudicare mundum, quemadmodũ dicit. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Tunc, inquam, hæc animalia reuertentur, tunc enim ad conuincendum impios, & lætificãdum pios, palam omnibus fiet, quam verè vnus idemq; mediator Dei & hominũ Christus, homo, & vitulus, & leo, & aquila *1. Tim. 2.* sit, id est, quàm verè cum Deus esset, carnem assumpserit, & pro omni mundo passus sit, & resurrexerit, atque in cælum ascenderit. Deinde sciẽdum, quia cum baptizamur, vel baptizamus in nomine Christi Iesu. Itemq; cum sacrosanctum corporis ac sanguinis eius mysterium in sancto altari celebramus, hæc animalia sine dubio præsentia inuisibili ad nos reuertuntur. Nam de reuersione illorum, secundum baptismi sacramentum Apostolus loquitur. Omnes quicunq; in Chri *Rom. 6.* sto Iesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Cõsepulti enim sumus cũ illo per baptismũ in mortẽ, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Porrò de reuersione secundum corporis & sanguinis eius sacramentum, idem dicit. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabi- *1. Cor. 11.* tis, donec veniat. Igitur & reuertuntur animalia hæc, reuersione quidem vel præsentia inuisibili, sed actu vel sacramento visibili, vnde dicit. Ecce ego vobiscum sum omnib. *Matth. 18.* diebus, vsq; ad consummationem seculi.

Quid sit rota vna apparens iuxta animalia, quæ eius quatuor facies, quid sit, quod dictum est, quasi visio maris, quomodo vna similitudo ipsarũ quatuor, quomodo rota in medio rotæ.

CAPVT XI.

CVmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram, iuxta animalia, habens quatuor facies, & aspectus rotarum & opus earum, quasi visio maris. Et vna similitudo ipsarum quatuor & aspectus earũ, & opera quasi si sit rota in medio rotæ.) Rota vna hoc loco est omnis sancta veteris instrumenti scriptura, de qua veraciter iuxta Psalmistam dicere liceat. Vox tonitrui tui *Psalm. 76.* in rota. Nam reuera exinde Deus tonat, cõtestans omni mundo, nec latere sinit, quanta sit quatuor animalium auctoritas. Ergo cũ aspicerem, inquit, animalia, apparuit rota vna super terrã iuxta animalia. Nihil verius. Nam verisimè aspicientibus nobis hæc animalia, id est, fideliter credẽtibus, ea quæ iam diximus quatuor euangelicæ fidei sacramẽta, apparet atq; intelligibilis fit sancta legis & prophetarum scriptura, tota in modum rotæ perfecta, veluti si cuipiam rei obscurę, clarissimum candelabrum admoueas. Quanto enim propius legem & prophetas intellige re volens, facies istas, facies Christi adhibueris, tanto pulchriorem, tantoque perfectiorem rotam istam considerãdo admiraberis, & admirando gaudebis. Et econtrario, quãto negligentius vel tardius animalia hæc aspexeris, tanto segniorem & tanto magis sine sensu vitali, rotã istam suspicaberis. Proinde

Luca 11. Matt. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inde Iudęi, quia hęc animalia non aſpiciunt, rotam iſtam quaſi mortuam & ignobilẽ ſibi reddunt, non quia ſic eſt, ſed quia non niſi in Chriſto ſecundum animalia hæc videri vel inueniri poteſt, vita, quæ in illa eſt. Vndè Apoſtolus. Vſq; in hodiernum enim diem id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet nõ reuelatum, quoniam in Chriſto euacuatur. Ita nimirũ cum hic dicit, cumq; aſpicerem animalia, apparuit rota vna, idem eſt, ac ſi dicat, niſi aſpicerem animalia, nõ apparuiſſet mihi rota illa. Apparuit autem ſuper terram iuxta animalia, tanquam diceret. Non aſpiciet me aliquis, niſi aſpiciat hæc animalia, non apparebo cuiquam, niſi cui apparuerint hęc animalia. Quare autem additum eſt, ſuper terram, niſi quia prius latuerant, & adhuc vbi hæc animalia non aſpiciuntur, latent ſubtus terrã, ſubtus terrenitatem Iudaicam? Vel ſuper terram, ſubauditur omnem nunc apparet rota, quæ prius ne curreret, in ſola coercebatur Iudęa, fitq; q̃ dixit Pſalmiſta. Exaltare ſuper cęlos Deus, & ſuper oẽm terram gloria tua. Habens, inquit, quatuor facies. Quæ animalium, imò vnius animalis, vt ſuperius dictum eſt, ipſæ & non aliæ ſunt vnius rotæ quatuor facies. Non quidẽ hic ipſarũ in rota exprimit proprietates facierũ, ſed eędẽ ipſę ſunt. Omnis enim ſcriptura ſancta, ſcriptura vetus, tam legalis quã prophetica, quatuor iſtis faciebus, ſcilicet hominis, vituli, leonis, atq; aquilę volãtis eſt diſtincta, quia quicquid ad docendũ, ad inſtruendum, ad erudiendum oẽm hominẽ vtile ſonat, eo tendit, eo ſpectat, vt mediatorẽ Dei & hominum, Ieſum Chriſtũ vere hominẽ, vere paſſum & mortuũ, vere reſurrexiſſe à mortuis, vere aſcendiſſe in cælũ, ſecundũ euangelij fidẽ teſtetur atq; defendat. Et aſpectus, ait rotarũ, & opus earũ quaſi viſio maris. Quæ putas vel qualis eſt viſio maris? Vtiq; inexpertis, & corde pauidis tremenda eſt, & deſperabilis, expertis aũt & animo conſtantibus, adeo tolerabilis, vt non dubitent fragili ligno cõmittere ſe ad vincendã altitudinẽ fluctuũ, violentiamq; abyſi vehemẽtis. Tunc ſi flauerit aura placida, velociter atq; delectabiliter optatã deferuntur in patriam, ſi aũt ventum ſequantur contrariũ, & ſydera errãtia, non peruenĩũt ad portum, ſed in fluctib. res pariter amittunt & vitã. Talis nimirum rotarum, ſiue rotę quatuor facies habentis viſio eſt. Inertib. & veram fidei virtutem non habẽtibus, tremẽda & inacceſsibilis eſt, ſtudioſis aũt & bonam ſpem habentibus, adeò tractabilis, vt non dubitẽt ſe nauiculæ eccleſiæ, & arbori crucis committere, ad tranſmeandam altitudinẽ dictorum & ſenſuũ, qui multiplices ſunt in lege, & prophetis & pſalmis. Tunc ſi aſpirauerit gratia ſpiritus ſancti, iſto quaſi delectabili nauigio currunt in illã cæleſtẽ patriam, ſi aũt ſpiritum erroris & vanitatem ſectentur hæreticã, peius in hoc profundo pereunt, quã ſi paupertatem propriã confitentes, nunquã nauigandi ſumpſiſſent audaciã. Et vna, inquit, ſimilitudo ipſarum quatuor. Verè vna ſimilitudo, nã ſi quis in vna facie errauerit, nunquã in cæteris veritatis notitiã tenebit. Verbi gratia. Qui illud nõ benè perſpexerit, qđ facies leonis in eo ſit, quod reſurrexit à mortuis, iuxta quod rota iſta loco illo teſtatur, catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum, nunquã faciem aquilę volãtis in eo perſpiciet, quòd in cælum aſcẽdit, vbi nos iuxta teſtimonium rotę huius, nos inquam pullos ſuos portare poſsit in humeris ſuis. Sic & qui faciẽ hominis non perſpicit, in eo vt credat quod Deus & homo ſit, nõ eſt illi vndè ſciat, quod paſſione ſua mundũ redimere potuerit. Sic vna eſt ſimilitudo ipſarũ quatuor, vt nimirũ qui in vna facie fallitur, conſequẽter fallatur & in omnibus. Et aſpectus earum & opa quaſi ſi ſit rota in medio rotæ. Hoc pingendo potius, quã ſcribendo, hoc agẽdo melius, quã colloquendo oſtenditur, videlicet quomodo rota in medio rotæ, quaſi per centrũ ducatur, & quantũ alterius cõtinet, tanta ſui parte ab altera cõtineatur. Cæterũ iuxta ſenſum ſpiritualẽ vel myſticũ, rota eſt in medio rotæ. i. ſenſus ſpiritualis in medio literæ. Cum enim vtrunq;, ſcilicet veritatẽ hiſtorię & intelligentiam ſuſcipiamus allegoriæ, rotam veraciter habemus in medio rotæ.

2. Cor. 3.

Pſal. 107.

1. Tim. 2.

Quomodo per quatuor partes euntes eant, quomodo vel quibus aſpectus ſit horribilis, & quomodo totum corpus ſit plenum oculis.

CAPVT XII.

PEr quatuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur cum ambularent. Statura quoq; erat in rotis, & altitudo, & horribilis aſpectus, & totũ corpus plenum oculis in circuitu ipſarum quatuor.) Quomodo inquã fieri potuerit, vel poſsit, vt rotę corporales aut viſibiles per quatuor partes eũtes eant, & non reuertantur cum ambulauerint præſertim cum aſpectus earum & opera ſic ſint, quaſi ſi ſit rota in medio rotæ, videat qui poteſt. Cæterùm quia viſio eſt, intelligi poteſt, quòd ſimul omnes & eædẽ in diuerſas quatuor partes abirent, & non reuertereꝰ tur cũ ambularent. In re quę ſignificabatur, non dubiũ eſt, quomodo factũ ſit aut fiat, qa videlicet ſancta ſcriptura ſæpedictas habens quatuor facies, per quatuor facies ſuas eũdo iuit. i. quadrafidum continens ſenſum incarnationis, paſsionis, reſurrectionis, & aſcẽſionis Chriſti filij Dei, quatuor mundi partes occupauit. Quod non reuertebantur cum ambularent, ita intelligendũ, vt ſupra. Quomodo autem, vel quibus ſtatura, & altitudo rotarum vel aſpectus earum eſt, aut erat horribilis? Nimirum malè videntibus, & inuidentibus Iudæis eſt horribilis, eo quòd animalia hęc, iuxta quę cõſtiterunt rotę iſtæ, nõ

nõ aſpexerint & aſpicere noluerint. Idcirco altitudo vel aſpectus rotarum horribilis eſt illis, maximè quia totũ corpus illarum plenum eſt oculis. Sic illis quondam cornutus, id eſt, radioſus Moyſes ex conſortio ſermonis Dei, fuit horribilis, cum eis potius dulcis eſſe debuiſſet atque venerabilis, & timebant prope accedere. Quod faciei ſplendidæ radijs in Moyſe, hoc tam multis oculis ſignificatur in corpore rotarũ in hac viſione. Quicquid loquitur Moyſes remoto velamine ſplendidum eſt, quicquid ſanctæ ſcripturæ rota continet, credentib. in Chriſtum altum & luminoſum eſt. Verùm Iudæis Chriſtum non recipientibus, & de illo ſcripturas loqui non conſentientibus, quicquid exinde illis ingeritur, quo magis altum, eo magis horribile, & quo magis luminoſum, eo magis intolerabile. Fugiunt vt quõdam Moyſen fugerunt, & lippientibus oculis velamen perfidiæ pertinaciter obſtringunt.

Quomodo cum ambulantibus rotæ ambulent, & cum eleuatis eleuentur, & quomodo ſpiritũ ſequantur, vel ſpiritus vitæ in illis ſit.

CAPVT XIII.

CVmque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota iuxta ea, & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ. Quocunq; ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter leuabantur ſequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.) Animalia ambulare, eſt euangeliũ Chriſti de loco ad locum, de gente in gentẽ tranſire, ipſaque de terra eleuari eſt, ſublimiter intelligi, quia ſcriptum eſt. De Sion exibit lex, & verbũ domini de Hieruſalẽ. Deniq; quando in nomine Chriſti pœnitentiã & remiſſionẽ peccatorũ prædicari cœptũ eſt ab Hieruſalẽ, extunc animalia hęc ambulare cęperũt, extúc de terra eleuata. i. ſublimiter intellecta ſunt, & toti mũdo in tãta veneratiõe habita, vt non minus hominis aut vituli faciẽ mundus adoret, iuxta præſcriptam ratiõem, quã hominis ac vituli creatorem Deum patrem, non inquam, minus leonis aut aquilæ volantis, quàm totius mundi creatricem Trinitatem. Ita ambulantibus, & ita eleuatis animalibus, pariter & rotæ ambulant, & pariter eleuantur, quia videlicet quocunque pergit euangelium Chriſti, lex & prophetæ comitantur, neutrum quippe ſine altero cuiquã ſuſcipere conceditur, & quãtumlibet vilem habeat corticem literæ, lex æquali cum euangelio maieſtate honoratur & glorificatur in vno eodemq; ſpiritu. Quare? Spiritus enim vitæ erat in rotis. Ac ſi dicat. Nam extrinſecus quidẽ hiſpida legis litera occidit, ſed ſpiritus viuificans intus eſt ſuauis & dulcis. Verum ergo eſt, quia quocunq; ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter leuabantur ſequentes eum. Quod eſt dicere. Apud quẽcunque eſt ſpiritus ſanctus, apud illum aperiente ſenſum ad intelligendum ſcripturas ſpiritu ſancto, ſcripturę ipſę in magno honore habentur, in magna æqui vt euangelium Chriſti maieſtate adoratur & ſuſcipitur. Quis enim dignè ſuſcipiens illud de verbo Dei dictum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, non ſtatim intelligens, eadem veneratione ſuſcipiat illud de pſalmo. Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mã dauit & creata ſunt. Itemque illud de Moyſe. Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux, dixit Deus, fiat hoc vel illud, & factum eſt ita? Ergo cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant, & cum eleuatis à terra pariter eleuabãtur, & rotæ ſequentes ea, quia ſpiritus vitæ erat in rotis. Proinde nõ putent Iudęi, quòd cum animalia hæc abire, & ad gentes ire fecerunt, lex & prophetæ apud illos remanſerint, vel quòd cum hæc animalia foris ſtent extra ſynagogam ipſorum, lex & prophetæ intus ſint, quia ſi verus eſt hic propheta ipſorum, cum euntibus abierunt, & cum foris ſtantibus animalibus noſtris rotæ iſtæ de ſynagoga illa egreſſæ ſtãt foris, ſtant, inquã, foris ſpiritus vitæ, qui eſt in rotis, & intra ſynagogam abdita ſola eſt litera, quæ occidit.

Iohan. 1.

Pſal. 148.

Gene. 1.

Quid ſit ſuper capita animalium ſimilitudo firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis, & quid ſub firmamento pennæ extentæ alterius ad alterum, & quomodo vnumquodq; velet corpus ſuum.

CAPVT XIIII.

ET ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis, & extenti ſuper capita eorũ deſuper. Sub firmamento autem pennæ eorum rectè alterius ad alterum. Vnumquodq; duabus alis velabat corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur.) Similitudo firmamenti ſuper capita animalium, regnum immortalitatis eſt, pro mercede paratum euangelizantibus, & ſuſcipientibus Chriſti euangelium. Hoc firmamentũ quaſi aſpectus eſt cryſtalli horribilis, videlicet quia cryſtallum forte quidem nimis eſt, ſed ex aqua ſolidatur, rectè per cryſtallum regnum illud intelligitur, vbi & angelica natura ex mutabili immutabilis facta, & ita ſolidata eſt, vt iam ſolui vel in viciũ labi non poſsit, pro eo quòd apoſtatis ſpontè labẽtibus angelis, pars illa lapſum humiliter cauit, & cum ſuperbientibus pedem mouere noluit. Et humana quoq; natura itidem remuneranda eſt, vt poſt reſurrectionẽ ſolidata, iam vltra neq; mori neque peccare poſsit. Quod cryſtallum horribile, & extenſum ſuper capita animaliũ dicitur, quia illæ poteſtates angelicæ, quæ omnipotẽtis Dei conſpectui aſsiſtunt, nobis adhuc in hac corruptione poſitis, terribiles atque pauendæ ſunt. Vndè Daniel, cum quaſdam regni illius vidiſſet imagines, horruit, inquit, ſpiritus meus. Ego Daniel territus ſum nimis, & viſiones capitis mei conturbauerunt me. Sub hoc firmamento ait pennæ eorum rectè alterius ad alterum, veruntamẽ

Esaiæ 1.

Daniel. 7.

CAP. I. vnumquodq; duab. alis velabat corpus suũ.
Nam quãdiu in hoc mortali corpore sumus, vbi quidem gratiarum cælestium sese nobis ælæ aperiunt, quicquid illud est, rectum & rationabile sonat in toto euãgelio sanctorum animalium, summaq; concordia alterius ad alterum. Nam sibi benè consonant, & benè conueniunt, Christum non hominem tantum, sed & verũ esse Deũ, atq; idcirco dignè hominẽ vnũ potuisse passione sua totum redimere mundum. Idcirco nihilominus, quia Deus est, potuisse resurgere à mortuis, & ascendere in cælum. Verùm hæc ipsa nunc ex parte nobis velantur, neq; ad plenum ea cognoscere possumus, quemadmodum dicit Apost. Ex parte enim cognoscim⁹, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Amplius autem infidelibus totum velatur, quorum, vt superius dictum est, quia infideles sunt, mentes excæcauit Deus. Igitur sub firmamento pennæ eorum rectè quidem alterius ad alterum, sed vnumquodq; duabus alis velabat corpus suum, quia quamdiu in hac mortalitate viuitur, ipsum quod credimus non parua nobis ex parte absconditur. Et alterum inquit similiter velabatur. Similiter inquam, nam pro quanta parte cuique nostrum absconditum est vnumquodlibet eorũ quæ credidimus, pro tãta parte & alterũ velatur, nec maiore quispiã mensura mysteriũ sacrosanctæ incarnatiõis, quã passiõis aut resurrectionis cõprehenderemereretur.

1. Cor. 13.

Quid sit audire sonum alarum, quasi sonum aquarũ multarum, & in quo quasi sonum sublimis Dei, quid sonus castrorum, & quid sit stantibus eis, dimitti pennas eorum.

CAPVT XV.

ET audiebam sonum alarum, quasi sonũ aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Cum ambularent quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum. Cumque starent, dimittebantur pennæ eorum. Nam cum fieret vox supra firmamentum quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.) Vbi factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, repleuit totam domum vbi erant sedentes apostoli, illic extunc audiri cœpit sonus alarum animalium cælestium, ita vt facta hac voce conueniret multitudo, quæ & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Tunc inquam cœpit audiri sonus alarum sicut sonus aquarum multarum. Multę siquidem gratię cælestes, multa charismatum tunc dona confluxerunt, multa viuæ aquæ flumina de ventre credentium fluere cœperunt, multis sermonibus, multis loquelis, & omnium gentium linguis, completumq; est illud. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Item: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Igitur audiebam, inquit, sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quem videlicet sonum maiorem faciebat motus aquarum aliarum, motus aquarũ repugnantium, secundum alterius quoque psalmi testimonium. Eleuauerunt, inquit, flumina domine, eleuauerunt flumina vocem suam, eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus. Cuius enim hoc, nisi mirabilis domini miraculum fuit? Fuerãt enim homines idiotæ & sine literis, quibus nunc datum est os & sapientia, cui non poterant resistere, & cõtradicere omnes aduersarij sui. Propterea cũ dixisset, quasi sonum aquarum multarum, continuò subiunxit. Quasi sonum sublimis Dei. Hoc & ipsi fatentur cum dicunt, vt sub limitas sit virtutis Dei, & nõ ex nobis. Nam reuera neque ab homine, neque per hominem talem sonum, siue tantas voces acceperunt, sed per reuelationem Iesu Christi, vtique sublimis Dei sedentis sublimi solio ad dexteram patris. Cum (inquit) ambularent quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum.) Cum ambularent, id est, prædicarent. Nam ad sonum prædicationis sonus econtrario fiebat cõtradictionis, iuxta quod ante dictum est. Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum, & hinc erat quasi sonus multitudinis atque castrorum. Et cum starent dimittebantur pennæ eorum. Cum starent, id est, cum non prędicarent. Stabant enim aliquando prohibente ne ambularent Deo, vetante spiritu sancto, iuxta illud in actib. Apostolorũ. Transeuntes autem Phrygiam & Galaciæ regionem vetiti sunt à spiritu sancto loqui verbũ in Asia. Cum venissent autem in Misiam, tẽtabant ire in Bithiniam, & non permisit eos spiritus Iesu. Igitur cum fieret vox super firmamentũ, cũ audirent sublimis Dei, vel spiritus sancti prohibentis imperiũ, quod imminebat capiti eorum, cui subiecti erant, & parati ad obediendũ, stabant. i. non prædicabãt & tunc dimittebãtur pennę eorum, nec erat vt sonus multitudinis atq; castrorũ, quia nõ erat contradictio, aut bellũ, nisi ad eum, qui ex parte ipsorum erat prædicationis sonum.

Psal. 45. *Psal. 18.* *Psal. 92.* *Luc. 21.* *2. Cor. 4.* *Actor. 16.*

Quid sit similitudo throni super firmamentũ, & quid sit aspectus hominis super thronum sedentis.

CAPVT XVI.

ET super firmamentum quod erat immi nens capiti eorum quasi aspectus lapidis sapphyri similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectũ ignis intrinsecus eius per circuitum à lumbis eius & desuper, & à lumbis eius vsque ad dorsum vidi quasi speciem ignis

ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc erat visio similitudinis gloriæ dñi, id est, dignam & congruam præferens similitudinẽ eius, quæ nũc est gloriæ domini, gloriæ filij Dei, eius quidẽ filij hominis gloria & honore coronati, & constituti super opera manuum patris.

Actor. 1. *Psal. 119.* *Hebr. 12.* *Gen. 9.*

Quorum in hoc propheta typum gesserit, quòd ait: Et vidi & cecidi in faciem meam, & cætera. & quomodo ad gentes apostatrices missus sit.

CAPVT XVII.

ET vidi, & cecidi in faciem meam. Et audiui vocem loquẽtis, & dicit ad me fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecũ. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est, & statuit me supra pedes meos.) Post reuelatam euangelij Christi gloriam, quæ deinceps consecuta sint, vel consequantur, prophetica visio demonstrare hinc incipit, clauso quidem sermone, sed tali sermonis vel reuelationis ordine, vt collata cum rebus deinde gestis, prope quasi historica narratio sit. Propheta ipse postquam euangelij figuras siue imagines tã mirabiles peruidit, iam nunc prædicatores eiusdem Euangelij, id est, Apostolorum vel discipulorum Christi typum gerit. Et vidi (inquit) & cecidi in faciem meam. Non statim vt vidit similitudinem quatuor animalium, vel cætera quæ consecuta sunt, cecidit in faciem suam, sed postquam vidit similitudinem throni, & desuper, similitudinem quasi aspect⁹ hominis, cecidi ait, in faciem meam. Sic nimirum Apostoli non statim vt Christum dominum cœperunt sequi, & videre gloriam euangelij eius, ita cognouerunt eum, vel ita crediderunt vt adorarent eum, sed postquã resurrexit à mortuis, & in cælum ascendit, adorauerunt, & adorandum illum esse prædicauerunt. Et audiui (ait) vocẽ loquentis, & ait ad me. Fili hominis sta super pedes tuos. Dicendo fili hominis, ammonebat eũ propriæ conditionis, ne nesciret, q⁹ cælesti admissus esset visioni, gratiæ magis esse quam meriti. Et Apostolis vtique quodãmodo dictũ est, state super pedes vestros, & reuera ingressus est in eos spiritus, & statuit eos super pedes suos, quando qui prius erãt infirmi & timidi, induti sunt virtute ex alto, confirmati spiritu sancto, ita vt (verbi gratia) Petrus qui Christũ dũm & magistrũ suum, confiteri timuerat corã vna ancilla ostiaria, iam cõfiteri nõ dubitaret in plena synagoga, imò corã vniuersa Roma mũdi domina, tot fascibus, tot potestatibus, totq; gladijs armata. (Et audiui loquentem ad me & dicentem. Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me. Patres eorum præuaricati sunt pactum meum, vsq; ad diem hanc, & filij dura facie & indomabili corde sunt.) Quid aliud dictum putamus Apostolis, nisi vt confirmati spiritu sancto irent ad filios Israel non iam dei populũ, sed plurali numero gentes, gentes apostatrices,

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. IIII. quæ à domino receſſerunt, gentibus quibuslibet deteriores, quorum patres præuaricati fuerint pactum domini vſque ad diem illũ,
Actor. 7. & ipſi malorum patrum filij peſsimi, dura facie & indominabili corde erãt? Neq; eñ tunc temporis ſine auctoritate ſcripturæ diceret illis Stephanus protomartyr. Dura ceruice & incircunciſis cordibus & auribus, vos ſem per ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, & vos. (Et dices ad eos. Hæc dicit dominus deus. Si fortè vel ipſi audiant, & ſi fortè quieſcant, quia domus exaſperãs eſt. Et ſciẽt quia propheta fuerit in medio eorum.) Non ignorabat Dominus Deus, quòd nec ipſi audirent, neque quieſcerent, ſicut nec patres eo
Actor. 13. Deut. 18. rum audierant, aut quieũerant, ſed illis oportebat primùm loqui verbũ Dei, vt eſſent inexcuſabiles, ſcire nolẽtes, q̃ propheta ille, de quo prædixerat Moyſes, fuerit in medio eorum.

Quid ſit librum coram illo expandi, qui erat inuolutus & ſcriptus intus & foris, & quid in eo ſcriptas eſſe lamentationes & carmen, & væ.

CAPVT XVIII.

APeri os tuum, & comede quæcunque ego do tibi. Et vidi, & eccè manus miſſa ad me in qua erat inuolutus liber. Et expãdit illũ coram me, qui erat ſcriptus intus & foris. Et ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen & væ.) Liber iſte inuolutus ipſe
Apoc. 5. eſt qui in Apocalyp. memoratur ſeptẽ ſigillis ſignatus. Intus & foris ſcriptus eſt, intus videlicet, per allegoriam, foris per hiſtoriã. Intus per ſpiritualem intellectum, foris per ſenſum literæ ſimplicem. Hic deniq; liber, omnis ſanctuarij ſcriptura eſt. Hunc manus miſſa coram Apoſtolis expandit, quando de
Lucæ 24. xtra patris filius dei, ſcripturarum illis intelligentiam dedit, ſicut ait Lucas, quia tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Lamẽtationes in hoc libro ſcriptæ ſunt, & carmen, & væ. Prius lamẽtationes, deinde carmen, quia qui ſeminant in lachrymis, in
Pſal. 125. gaudio metent, qui aũt nunc lamẽtari, id eſt, pœnitentiã agere nolunt, illis væ, quia mittẽtur in ignem æternum. Quid aliud totus liber, quid, inquam, aliud omnis ſacra ſcriptura cõtinet? Et rectè dicitur, aperi os tuum & comede quæcunque ego do tibi, qui a nimirum oportet vt ad comedendum verbũ dei
Pſal. 80. cibum, pia auiditate ſummiſsi diſponamur, iuxta quod in pſalmo dicitur. Dilata os tuũ, & implebo illlud. Comedere quippe eſt ſcripturam intelligere, q̃ dei donum eſt, ꝓpter quod dicit, & comede quæcunque ego do tibi. Ergo noſtrum quidem eſt os aperire, id eſt, ſcripturæ intellectum quærere, dei autẽ implere, id eſt, verum ſcripturæ ſenſum aperire. Hunc librum, niſi manus miſſa expan-
CAP. III. diſſet, hodie non legeremus, id eſt, ſanctam ſcripturã, niſi Chriſtus dei filius in ſemetipſo opere adimpleſſet, nõ intelligeremus. (Et comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.) Qui expertus eſt, ipſe nouit, quã verè dulcis ſit ſcripturarũ cibus. i. ſenſus ſpiri- Pſal. 118
tualis. Propter quod dicit. Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauũ ori meo. (Et dixit ad me. Fili hominis vade ad domũ Iſrael, & loquẽris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, quorum non poſsis audire ſermones. Et ſi ad illos mittere ris, ipſi audirent te. Domus autem Iſrael noluit audire te, quia nolũt audire me.) Quàm verè hæc dicta ſint effectꝰ ꝓbauit. Si (inquit) ad populos multos profundi ſermonis, & ignotæ linguæ mittereris, ipſi audirent te q̃ & factum eſt. Domus autem Iſrael noluit audire te. Quod & factũ eſt. Nos enim popu li multi, profundi ſermonis: Græci & Latini, miſſos ad nos audiuimus Apoſtolos Chriſti, domus autem Iſrael eos audire noluit.

Manifeſta tranſcurrimus, imò & quædam tranſilimus, quia videlicet iam oſtio patente ſi ſemper ad Apoſtolica reſpicias tempora, ferè nihil eſt q̃ greſſus intelligẽtiæ retardet.

Quomodo Apoſtoli Chriſti, quos vt ſpiritus iſte aſſumpſerit, audierint poſt ſe vocem commotionis magnæ, benedicta gloria domini de loco ſancto ſuo.

CAPVT XIX.

ET aſſumpſit me ſpiritus, & audiui poſt me vocem commotionis magnæ, benedicta gloria domini de loco ſancto ſuo. Et vocem alarum animalium, percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum ſequentium animalia, & vocem commotionis magnæ. Hoc dicere primùm vtique Apoſtolico cõgruit ordini. Et aſſumpſit me (inquit) ſpiritus, ſubauditur in opus vel miniſterium ſuum. Sic enim dicit in Actibus Apoſtolorũ Actor. 13.
idem ſpiritus ſanctus. Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus quo aſſumpſi eos. Quid autem eſt, quòd aſſumente ſe ſpiritu, audiui (inquit) poſt me vocem commotio- Lucæ 15.
nis magnæ, benedicta gloria domini de loco ſancto ſuo? Nimirum cũ hinc plura rectè & vtiliter dicantur, illud cum auctoritate ſcripturæ fidenter dicamus, quia omni habenti dabitur, id eſt, euangelizanti cuiq; quantũ ac cepit gratiæ, ſcientię vel ſapiẽtiæ, magis ac magis augebitur. Ergo aſſumpſit me ſpiritus, & audiui poſt me vocẽ commotionis magnæ, & vocẽ alarum animaliũ percutientium alteram ad alterã, & vocem rotarum ſequẽtium animalia, idẽ eſt ac ſi dicat. Vbi ad imperium ſancti ſpiritus, obedienter euangelij miniſterium ingreſſus ſum, creditumque mihi talentum cæpit expendere, magis ac magis ſenſu ditеſcere, atq; aures audiẽdi cœpi habere, & interno auditu audire vocem cõmotionis magnæ, vocẽ & lamentationẽ ſupernæ patriæ totiuſq; angelicę curiæ, & in cælis cõuerſari, ſuſpenſa mente, cùm adhuc in terris peregrinarer corpore, & intelligere præclarius euãgeliorũ alas ſacramentorum adinuicem percutien-

percutientium, id eſt, conſona veritatis teſtimonia reddentium, intelligere nihilominus vocem rotarum, ſequentiũ animalia, id eſt, legis & prophetarum teſtimonia, Chriſti euãgelio conſonantia. Hæc omnia poſt me au-
Ioan. 13. diui. i. de præterito recollegi. Verbi gratia.
Matth. 15. Petrus coram ſe nõ audiebat, præſentis qnip-
Ioan. 16. pe domini facta vel dicta non intelligebat. Propterea dictum eſt illi. Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea. Et alibi tam Petro, quàm cæteris. Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Nec mirum. Erant enim homines idiotæ & ſine literis. At vbi eum, ſcilicet, Petrum aſſumſit ſpiritus promiſſus, ab eodem domino dicente, cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, præteritum Chriſti euangelium, ſenſu & intellectu recollegit, præteritas quo que prophetarum voces intus audiuit, foris enunciauit, dixit enim. Viri Iudæi & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi, no ſicut vos æſtimatis hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia.
Actor. 2. Sed hoc eſt quod dictum eſt, per prophetam
Iohel. 1. Iohel. Et erit in nouiſsimis diebus dicit dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, & cæt. Et ſubinde. Dauid enim dicit in eum. Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lętatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Igitur qui ante me, ne ſaltem alarum animaliũ vocem audire potui, iam aſſumptus à ſpiritu, non ſolùm animalium, ſed & rotarum animalia ſequentium vocem poſt me audiui magna cõmotione, id eſt, qui cũ in præſenti haberem deum, ne ſaltem incarnationis eius cauſam, paſsionis vtilitatem, reſurrectionis veritatem, aſcẽſionis gloriam intelligere potui. Iam miſſo de cælis ſpiritu ſancto, nõ ſolùm hæc, ſed & legis & prophetarum arcana de præterito valui percipere, magna interim auditus certitudine. Et quaſi quæreres, qualem vocem audierit, vel ne dubitares vtrũ articulatam, an inarticulatam vocem audierit, in illa magnitudine cõmotionis, pulchrè ait Benedicta gloria domini de loco ſancto ſuo, non quod ſola, ſed quod prima hæc vox laudis in commotiõe animalium audita ſit. Nam vbi prima facies hominis alam ſuam mouit, id eſt, vbi primùm deus homo factus
Lucæ 2. in carne apparuit, audita eſt benè hæc eadem angelicę laudis vox. Gloria in excelſis Deo. Proinde ſi quæras, de quo loco ſancto ſuo benedicta ſit gloria domini, eccè locus eius in excelſum ſoliũ paternæ maieſtatis, cuius ad dexterã conſedit glorioſus victor, quod præoptantes ſimul & prænunciantes, dicebant: Gloria in excelſis Deo.

Quomodo Apoſtoli accepto ſpiritu ſancto amari & indignantes facti ſint, & ad quem aceruum nouarum frugum venerint, ſederint, & mœrentes manſerint.

CAPVT XX.

SPiritus quoque leuauit me, & aſſumpſit me, & abij amarus, in indignatione ſpiritus mei. Manus enim domini erat mecum cõfortans me.) Benè & competẽter. Parũ quippe fuerat ſanctis Apoſtolis per aſſumptio-
Actor. 2. nem ſpiritus vocem audiſſe poſt ſe, id eſt, facta præterita, & antiquas ſcripturas intelleXiſſe, niſi per eundem ſpiritum leuati, & cõpetenti fiducia ſublimes facti, auderent amari indignanteſque incedere ſpirituali indignatione & ſeuera amaritudine, qualem vtique indignationem ſiue amaritudinem, ſpiritus ſanctus ſeſe illis conferre ſignificans, apparere voluit in igne. Nam apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Proinde quaſi quæreres quomodo amarus, vel quali indignatione, addit continuò. Manus enim domini erat mecum cõfortans me. Ergo fortitudo zeli, qua fortes facti ſunt Apoſtoli, ipſa eſt amaritudo dulcedini vitiorum contraria, ipſa eſt indignatio quæ pro cauſa dei, quamlibet altos homines diſpicere non dubitat. Et veni ad tranſmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, & ſedi vbi illi ſedebant, manſi diebus ſeptem mœrens in medio eorũ.) Miro modo prophetica hæc ſcriptura, tempus quoque inſinuat, quo Chriſti Apoſtolos virtute armatos, ad prædicandũ miſit ſpiritus ſancti gratia, dicendo. Et veni ad tranſmigrationem, ad aceruum nouarũ frugum. Quo enim anni tempore ſint acerui nouarum frugum in terris illis, teſtantur duo panes primitiarum, qui in ſolennitate Pentecoſtes, ex lege iubebantur offerri. Ergo non ab read aceruum nouarum frugum ſe veniſſe dicit, ſpiritualiter pro ratione temporis nouas fruges eos appellãs, qui per prædicationem Apoſtolorum ad Chriſtum colleCti ſunt, ipſa die aduentus ſpiritus ſancti. Spiritualiter, inquam, ipſos tranſmigrationẽ ipſos aceruum appellat nouarum frugum, ipſos habitari dicit iuxta fluuium Chobar. Tranſmigrationem, quia nimirum creden- Coloſ. 2
do in Chriſtum, captiuos ſe eſſe confitebantur, & tranſmigratos in Adam ab illa ſuper- Rom. 6.
na Hieruſalẽ. Aceruum nouarũ frugũ, quia conſepulti grano frumenti Chriſto per baptiſmum in mortem, deinceps in nouitate vitæ ambulare cœperũt. Iuxta fluuiũ Chobar, q̃ noſtra lingua graue ſonat, habitabãt, quia quotquot ſupernæ Hieruſalem veraciter meminerunt, gratuitatem miſeræ mortalitatis triſtes præ oculis habebant & flebant, iuxta illud Dauidicum. Super flumina Babylo
Pſal. 136. nis illic ſedimus & fleuimus, dum recordare mur tui Sion. Sedi, inquit, vbi illi ſedebãt, & manſi ſeptem diebus mœrens in medio eorũ. Et Apoſtoli vtiq; in medio prædictorum mœrẽtes ſederũt, mœrentes, inquã, nõ modo

quod in

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. IIII quod in mundi huius Babylone captiui essent, verũ & q̃ nimiũ paucos ex cognatis suis Iudæis ad memoriam supernæ Hierusalem reuocare possent, insuper & multas persecutiones ab eis illatas sustinerent. Septem dies quibus in medio eorum sedisse dicitur, post hæc egressurus in campum ad imperium domini, totum significant tempus, quo Iudæã nõ reliquerũt Apostoli, scilicet ferè bis septẽ annos, vsque ad quartum Claudij annũ, quo Paulus & Barnabas à spiritu sancto ad prædicandum gentibus sunt missi, & Petrus Romam ingressus est.

Quanta sit euangelizandi necessitas eis, quibus dispẽsatio credita est, secundum id quod ait: Speculatorem dedi te domui Israel, & quod per hæc subuersio prænũcietur Hierosolymorum, quæ subsecuta est passionem domini, & prædicationem Apostolorum.

CAPVT XXI.

CVm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annũciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, nõ annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via pessima, & viuat, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.) Magna & formidabilis necessitas speculatorum eiusmodi, quam sciens vnus illorum Paulus, dicit: Nam si euangelizauero, non est mihi gloria. Necessitas enim incumbit mihi. Væ enim mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Magna itidem, & iusta damnatio Iudææ, quæ speculatorum vigilantiã clamantem, quantum potuit, audire noluit, sed & persecuta est, & lõgè à se repulit. Sequitur enim. (Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.) Liberationẽ huiusmodi quomodo agnoscerẽt, vel qualiter assererent Apostoli, dominus ipse in Euãgelio sic prædocuit. Et quicunque non receperint vos, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis. Hoc fecisse illos, Apostolicorum Actuum scriptura non tacuit, quando Iudæorum seditionibus defessi, transierunt ad gentes bona conscientia liberati. De quo illorum transitu sequitur hic. (Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me. Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum. Et surgens egressus sum in campũ.) Mysticè quippe campus latitudo est gentium. Ibi, inquit, loquar tecum, subauditur, cum multò maiore fructu audientium. (Ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quã videram iuxta fluuium Chobar.) Et est sensus. In campo, in latitudine gentium, non minus quàm in Ecclesia eorum, qui ex Iudæis crediderunt, Euangelij gloria claruit in omni gratia, in prodigijs, virtutibus, & signis, primo extunc vbi loquẽte Petro ad eos, qui de gentibus veniebant, cecidit spiritus sanctus super eos, qui audiebãt verbum, & erãt loquentes linguis, & magnificantes Deum. Vnde Petrus. Si ergo eandem gratiam Deus dedit illis, sicut & nobis qui credimus in dominum nostrum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum. Et alibi: Et qui nouit corda deus testimonium perhibuit, dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Igitur quæ iuxta fluuium Chobar, eadem deinde in campo stetit gloria Domini, quia sicut & Paulus ait. Non est distinctio Iudæi & Græci, & per indebitam gratiam, primùm Iudæo, deinde Græco eadem se exhibuit gloria Domini, vt iustificaret vtrunque per fidem Iesu Christi. (Et cecidi in faciem meam, & ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos.) Cur hoc in campo vt suprà iuxta fluuium Chobar de propheta agitur, nisi vt specialiter designetur, quia etiam electis gentium, dandus esset spiritus sanctus, qui eos quos assumeret, prius à superbię suæ statu dejceret, & postmodũ super pedes suos, id est, super bona opera sua solidaret? Et nũc quidẽ Israelitico populo ablata, in altitudinem gẽtium gloria Domini sparsa est, sed & in fine mundi ad illos reuertetur, sicut scriptum est. Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israel saluus fieret. Sequitur ergo. (Et locutus est mihi, & dixit ad me. Ingredere & includere in medio domus tuæ.) Includi in medio domus suæ præcipitur, quia Antichristi tempore ab eis gentibus, quæ in infidelitate remanserint conuersa plebs Iudæorũ dura, persecutionibus angustatur. Vnde subditur adhuc. (Et tu fili hominis, eccè data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorũ, & linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.) Propheta in domo sua vincula suscipit, & ligatur, quia in extremis cum Iudæa crediderit, grauissimas Antichristi persecutiones patietur. Et in medio eorum non egredietur, quia ad corda prauorum prædicatio non peruenit, dum tacet lingua bonorum ligata tribulationibus.

1. Cor. 9.

Matth. 10. Mar. 6. Luca 9.

Act. 8. 10.

Actor. 11.

Actor. 15.

Rom. 20. Galat. 2.

Rom. 11.

De ciuitatis obsidione, quomodo portentum eius fuerit, quòd dormire iussus est propheta super latus suum sinistrum, & portare iniquitates domus Israel trecentos & nonaginta dies, & dormire in latus suum dextrum, & portare iniquitates domus Iuda quadraginta diebus.

CAPVT XXII.

ET tu fili hominis sume tibi laterem, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & cætera.)

tera.) Iuxta rerum gerendarum ordinem, sensumque propheticum eorum quæ tunc gerenda, nunc autem gesta sunt, hoc prophetiæ capitulum & loco iungendum est, vbi paulò antè dixit: Et surgens egressus sum in campum, & eccè gloria Domini stabat quasi gloria quam videram iuxta fluuium Chobar. Postquam enim repulsa à Iudæis ad gentes exiuit gloria Domini notum omni mundo illud miseræ ciuitatis Hierusalem excidium successit, quòd non dubitamus hic propheticè præmonstrari. Sequitur enim: (Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo, numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitates eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Israel. Et cùm cõpleueris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.) Cùm dixisset, dormies super latus tuum dextrum secundo, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, tunc demum subiunxit. Diem pro anno dedi tibi. Notandum, quod non itidem cùm dixisset, ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos nonaginta dies, & portabis iniquitatẽ domus Israel, nõ, inquam, itidem subiunxit, diem pro anno dedi tibi. Hæc dicimus, vt longissimã, & q̃ longè ante hanc prophetiam cœpta est, annorum prolixitatem euadamus, & ad id quo tendimus secundum certum rerum gestarum euentum liberius accedamus. Nam à Phacee rege Israel, sub quo Salmanasar Israelitici populi vastauit millia multa, vsque ad quadragesimum annum Assueri, supputamus quidem annos trecentos nonaginta, quando vniuersa Iudaici populi persecutio est mitigata, sed hæc supputatio cæteræque expositiones, quas alij atque alij super hoc loco sentserunt, scrupulosæ sunt, atque rei de qua nũc agitur, minus, vt arbitramur, conueniunt. Igitur quia nec litera præsens nos cogit suscipere vtrobique, id est, tam in sinistri, quàm in dextri lateris dormitione, diem pro anno dari, iam nunc ad illud, de quo suprà cœpimus, extremum Hierosolymorum excidiũ accedamus, & historiæ veritate pespecta, videbimus quã rectè in signum eius, vinctus cõstrictus propheta sit, & sic dormire iussus.

4. Reg. 18. 2. Par. 29.

Deut. 32.

Matth. 27. Luca 24. Ioan. 19.

De misera obsidione Hierusalem, facta à passione Christi anno quadragesimo primo sub Tito & Vespasiano imperatoribus.

CAPVT XXIII.

ANno primo delati imperij Vespasiano, qui erat à passione domini nostri Iesu Christi, quadragesimus primus. Titus pater ni executor electus triumphi cum electa manu Hierololymã dirigitur, post tres annos susceptæ expeditionis, nam hic erat annus quartus. Pater quippe Vespasianus vt victis post commemorat filius Titus, cùm potuisset im, puisus in imperatos se infundere, Galilæam circuibat, lõginqua exurebat, vt vos, inquit, deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Virtutem ostendit, & cum vniuersos teneret, Aegyptum petijt, vt inducias respiscendi daret. Insolentiores vos nostra fecit absentia, quia nos occupatos putastis, &c. Quarto itaque expeditionis, primo (vt iam dictum est) imperij Vespasiani anno, repletis intra paucos dies ordinibus militarium numerorum, de quibus lecta manus missa fuerat in Italiam, ventum est ad vrbem, quę ferebatur latronum armis premi, & factionum stipamine circumueniri, quippe cui tertius tyrannus Eleazarus accesserat, occupatis templi interioribus, & circuitu omni, supra fores quoq; inuestibuli ipsius fronte armis constitutis. Simon verò, quem sibi tyrãnum populus introduxerat, superiora vrbis tenebat, inferiora quoque populo ipsius replebantur. Inter tres medius erat Ioannes, inferior Eleazaro, superior Simone, instructior tamen cæteris subsidijs machinarum, & omni genere telorum, bellum æquabat. Instabat autem paschalis celebritas, & quem admodum Moyses tanto tempore ante cecinerat, foris vastabat eos gladius, & intus pauor, & vbi primum forense prælium commissum est, & paulisper quieuit, internum successit. Nanque paschalis (vt iam dictum est) interuentu celebritatis, subornatis plerisque, Ioannes quasi obseruationis gratia templum adiret, quippe cùm ipsi factionum viri nunc se cohortati fuissent inuicem, vt in vnũ conspirantibus studijs patriam defensarent, ne corũ discordia incruẽtã Romanis victoriã daret, ita tanquã socijs data ingredien di copia dolũ patrauit. Ingressi em specie ciuili, sed interius armati, reiectis exuuijs, gladios attollũt, loricato pectore, & pręliari accincti munimine. His malorũ habitis initijs, totus exactus est annus miserabilis, palãque fuit miseris, tunc Barrabã seditionis auctorẽ viuere, Iesum aũt pacis principẽ sibi mortuũ esse. Hostis extra murũ pacẽ offerebat, seditionis auctores intra murũ pręliabãtur. Cogebat fames egredi, quib. beneficiũ erat ferro perire, ieiunij cõparatione. Furebat intus Simõ, furebat Ioãnes, insidiabãtur singulis p ministros suos. Si quis fugere tentaret, tractus per humũ discerpebatur. Eorũ quoq; q abierant proximi trucidabãtur, aut cruci affixa plerorumq; cadauera, suis qui elapsi fuerant ostentabantur. Eo vsque fames grassata est, vt mulier quædã Maria nomine, de locupletissimis regionibus Pereæ, infantulum quẽ genuerat, gladio occisum, atq; igni appositũ, pietatis genitalis vsu obliterato comederet. Quid multa? Reuertẽtis anni mẽse quinto, decima mensis, templũ, cuius iamdudum nuda fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. IIII. nuda facies remãserat, exustum est, quo die quòdam Babylonijs ingruentibus fuerat incensum. Verùm ante hoc muris dirutis patuerat excessus clausis ad Romanos cõfugiẽdi, tanta inedia confectis, vt appositis cibis, plerique cùm quid absorbuissent mollioris alimoniæ, intercluſis iam faucium meatibus strangularentur. Quis igitur non videat historiam tam atrocis tragœdiæ, cum numero conuenire dierum huius propheticæ dormitionis in siniſtro latere? Nempe & ſi paulò plures videantur miſeræ obſidionis, quã trecenti nonaginta dies, vſque ad id, quo clauſis ad Romanos confugiendi facultas facta eſt, quòd tamen probare difficilè eſt, attamen ad laborem prophetæ pro tota parte anni ſecũdi, quatulacunque fuerit, ſufficiunt viginti quinque dies. Nunc ad ipſa prophetiæ verba reuertamur.

Quomodo paſsio & carceres euangelij prædicatorum eorundem abiectio quoque præſignata ſit in propheta iſto: & quàm peſsima quamq; horrenda fames obſeſſorum præſignetur, in eiuſmodi pane, quem propheta ſibi coquere in ſtercore, & comedere iubetur.

CAPVT XXIIII.

POſtquam gloria domini in campũ exijt, quo ſignificabatur Euangelica prædicatio, ad gẽtes exitura, relictis Iudæis, loquitur ſpiritus ad prophetam. Ingredere, & includere in medio domus tuæ, & tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciã palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Hoc portento Euangelij prædicatores à domeſticis & contribulibus ſuis vincula & carceres paſſuri, & ob hoc ora ſua illis clauſuri ſignificantur, donec circa finem ſeculi iterum illis prædicatio reddatur, & ſaltem reliquiæ ex illis conuertantur. Sequitur enim. (Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dicit ad eos. Hæc dicit Dominus Deus. Qui audit audiat, & qui quieſcit quieſcat, quia domus exaſperãs eſt.) Ait autem Dominus eis, qui prophetas occiderãt, & Apoſtolos ſicut per prædicta vincula ſignificatur, perſecuturi erant. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachię, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. (Sequitur ergo. Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eũ coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionẽ, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis cõtra eam caſtra, & pones arietes in gyro. Hæc eſt Romanorum obſidio, quã præuidens Dominus, flebat ſuper eam, dicens: Quia ſi cognouiſſes, & tu. Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eum murum ferreum inter te & inter ciuitatem, & obſirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obſidionem, & circundabis eam. Signum eſt domui Iſrael. Hæc eſt ira Dei, de qua idem qui ſuprà Dominus dicit. Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. Sartago quippe ferrea, quæ & murus ferreus cẽliſtis iræ nimietatem ſignificat, cuius ſeueritatem excurrere non poſsit miſericordia, vt ad clauſos vel obſeſſos perueniat. Et vt ſciat propheta, quanta obſidionis futura ſit mora, & tu, inquit, dormies ſuper latus tuum ſiniſtrum, & pones iniquitates domus Iſrael ſuper eo numero dierum, quibus dormies ſuper illud, & aſſumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorũ numero dierum trecentos nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Iſrael. Annos ait, videlicet plus quã vnum, minus tamen quam duos. Item vt ſciat, quãtum temporis à perpetrato ſacrilegio dominicæ mortis, vſque ad eandem obſidionem futurum ſit, & cùm, inquit, compleueris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecũdo, & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Denique à paſsione Domini vſque ad obſidionẽ ciuitatis, quæ (vt ſuprà dictum eſt) cœpta eſt quarto anno expeditionis, quadraginta anni fuerunt. Benè ergo, quia nimium & importabile fuiſſet prophetæ, tanto tempore dormire ſuper latus vnũ, diem, ait, pro anno dedi tibi. Tum ne ignoret, quam peſsima, quã horrenda in ipſa obſidione futura ſit famis rabies. Et tu (inquit) ſume tibi frumentum, & hordeum, & fabã, & lentem, & milium, & vitiam, & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum quibus dormies ſuper latus vnum, trecentis nonaginta dieb. comedes illud. Cibus autem tuus quo veſceris, erit in pondere viginti ſtateres in die. A tempore vſque ad tempus comedes illud, & aquam in menſura bibes, ſextam partem hin, à tempore vſque ad tempus bibes illud, & quaſi ſubcinericium panem hordeaceum comedes illud, & ſtercore quod egredietur de homine, operies illud in oculis eorum. Et dixit Dominus. Sic comedent filij Iſrael panem ſuum pollutum inter gentes, ad quas eijciam eos.) Inter gentes, id eſt, Romanos obſidentes, ad quas eijciam eos ait, cùm præualens ſubegerit illos fames. Et benè pollutum panem dixit: Quid enim pane illo pollutius, quem vt comederẽt parricidiali ſanguine polluebant? Inſidiabantur inuicem, quis cui raperet. Vbi alimenti ſuſpicio, ibi bellum inter domeſticos, pugnabatur pro cibo, necabantur chariſsimi, diſcutiebantur defuncti, ne quis inter amictus eorum cibus lateret. Simulare ſe aliqui mortuos exiſtimabantur, ne viuentes aliquid alimenti habere ſuſpicarentur. Sed ne viuentes quidem aut vitæ fungi munere, aut mortem ſimulare poterant, verùm aperto ore, ſicut rabidi canes, aurarum captantes ſpiramina, huc atq; illuc circunferebantur. Inſidiabantur iumentis aluum purgantibus, & vetuſta rimabantur boum ſtercora, vt quòd viſu erat horribile, hoc fieret eſca eſuriẽtibus. Recẽtè igitur operies, inquit, illud ſtercore, qd egreditur de homine, quia cibum ſuum polluere habebant homines mutuo ſanguine, licet prophetę hoc exhorreſcenti moderatius cõceſſum ſit, vt ſimum boum acciperet pro ſtercoribus humanis. Notãdum ſanè, quòd de quadraginta dierum dormitionis in dextro latere panibus omninò taceat, quia videlicet per iã dictos quadraginta annos Iudæi propter ſcelera ſua non ſanguine aut fame vapulauerunt, quinimò luxurijs cumulauerunt, ſicut teſtatur fremebundo ſpiritu, loquens illis Iacobus apoſtolus. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient nobis. Et poſt pauca. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxurijs enutriſtis corda veſtra. In die occiſionis adduxiſtis, occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis.

Iacob. 5.

Quomodo Iudæi reliqui tanquã pili capitis aut barbæ, gladio acutiſsimo abraſi ſint, Hieroſolyma à trib. tyrannis crudeliſsimis funditus deſtructa.

CAPVT XXV.

CAP. V. ET tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, radentem pilos, & aſſumes eum, & duces per caput tuum & barbam tuam. Et aſſumes tibi ſtateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis, iuxta completiõem dierum obſidionis. Et aſſumes tibi tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius. Tertiam verò aliam diſperges in ventum & gladium nudabo poſt eos. Et ſumes inde paruum numerum, & ligabis eos in ſummitate pallij tui, & ex eis rurſum tolles, & proijcies in medio ignis, & combures igni. Ex eis egredietur ignis in omnem domum Iſrael.) Miſeriarum prædictæ obſidionis, vel excidij Hieroſolymorum recapitulatio hæc & breuis complexio eſt. Sume, inquit, tibi gladiũ acutum, radentem pilos. Gladius acutus radens pilos, ſeuera ſcelerum vltrix ſententia eſt, ſuperfluos exterminatura Iudæos. Sicut enim pili capitis aut barbæ corpori adhærent, ſed corporis partes aut membra non ſunt, ſic Iudęi, de quibus vel contra quos ſermo eſt, Deo patrũ ſuorum nomine quidem vel profeſsione adhęrebãt, ſed nullo veritatis timore vel amoris affectu ad eũ pertinebant. Vndè eſt illud.

Eſaiæ 29. Mat. 15.

Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorum longè eſt à me. Aſſumes, inquit, eum & duces per caput tuũ & per barbã tuam, atq; diuides eos in ſtatera ponderis, vt videlicet cadant in ore gladij, & captiui ducantur in omnes gentes, prout ſe habent menſurę, vel pondera peccati. Nam tertiam partem igni combures in medio ciuitatis, iuxta completionem dierum obſidionis. Iſti ſunt, quos trium latronum Ioannis, Simonis, atque Eleazari gladius diſcors intra ciuitatem trucidauit, ſimulque fames indefeſſa plebium populatrix, tanta multitudine, vt cùm ſepeliri nequirent, de muro defunctorum reliquiæ in profunda præcipitia deijcerentur. Deniq; aſpiciens Titus præruptos ſpecus cadauerum ſaniem dilaceratis viſceribus innatantem, altè ingemuit, & manus ad cælum eleuans, teſtatur haudquaquam illud ſibi aſſeribendum, qui voluiſſet veniam dare ſi deditio procederet, expectaſſe ſe, vt pacem rogarent, paratum ſe vt incolumes ſeruaret, ſi bellum depoſuiſſent. Et ſumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius. Iſti ſunt quos foris conſertis prælijs Romanus mucro concidit. Tertiam verò aliam diſperges in ventum. Iſti ſunt qui venditi & captiui in omnes gentes abducti ſunt. Plurimi venales, ſed pauci emptores, quia & Romani habere in ſeruitutem Iudæos dedignabantur. Et gladium, inquit, nudabo poſt eos. Iſti ſunt qui Tito procedente, & per ſingulas vrbes pompam celebrante victoriæ, perimebantur in harena, quicunque pergebant, ac dilacerati à beſtijs pendebant merita rebellionis. Et ſumes inde paruum numerum, & ligabis eos in ſummitate pallij tui. Iſti ſunt qui vitæ reſeruati, vitam hactenus agũt ſub iugo ligatam extrema ſeruitute, conditione vectigali. Sed nunquid iſti vindictam euadunt ſanguinis Chriſti? Non vtique, nam quia increduli ſunt, & in incredulitate permanent, ex eis, inquit, rurſum tolles, & proijcies in medio ignis, & combures eos igni. Et ex eis, inquam, nõ omnes, nam aliqui ex eis conuertentur, & in nouiſsimo reliquiæ ſaluabuntur, quos ignis gehennæ non ſuſcipiet. Ex eis egredietur ignis in domum Iſrael, nam reuera ex eis tempore Antichriſti cõflabitur perſecutio in omnes, qui veraciter erunt domus Iſrael.

Mala omnia quæ Hieroſolymis acciderunt, maximè pro culpa acciduſſe ſacerdotum, ſcribarum, et phariſæorum, & ergo conſequenter nunc dici: Hæc dicit dominus montibus & vallibus: Ecce ego inducam ſuper vos gladium.

CAPVT XXVI.

CAP. VI. ET factus eſt ſermo domini ad me dicẽs: Fili hominis pone faciem tuam ad montes Iſrael, & prophetabis ad eos, & dices: Montes Iſrael audite verbum domini. Hæc dicit dominus Deus montibus, & collibus, rupibus, & vallibus. Ecce ego inducam ſuper vos gladium, & diſperdam excelſa veſtra, & demoliar aras veſtras, & confringentur ſimulachra veſtra, & deijciam interfectos veſtros ante idola veſtra, &c.) Malorũ omnium quæ hic dicta ſunt, maximè principes ſacerdotum & ſcribas ac phariſæos cauſa premit. Idcirco & dominus poſtquam fleuit ſuper ciuitatẽ & hæc omnia mala illi ventura prædixit, continuò ingreſſus in templum cœpit eijcere vendentes in illo & emẽ

Luc. 19.

Matth. 23

Luc. 19.

Mat. 24 Mar. 13. Luc. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes, corripiens sacerdotes, eo quòd de domo orationis feciſſent ſpeluncam latronum, & hic ſermo propheticus per metaphoram ſub nomine montiũ, & collium, rupium, & vallium, contra eoſdem ſacerdotes inuehitur. Tres erant ordines orbi eminentes, ſacerdotum, ſcribarum, & phariſæorum, alij quidẽ omnes æſtimatione propria vel gradib. ſuis, vt mõtes, & colles, atq; rupes, ſed reuera per hypocriſin, atq; profundam voracitatem, cuncti imæ valles, omnes auaritiæ ſentinam trahentes, ſicut & dominus in euangelio ſemel & iterum, imò ſexies aut ſepties acri inuectione improperat illis vt dignum eſt. Vę vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui mẽtham & anetum decimatis, relinquẽtes quæ grauiora ſunt legis, væ vobis hypocritæ qui hæc & illa facitis. Et benè ad ignominiam illorum non ait: Ecce ego diſperdam templũ meũ propter vos & altare, & ſancta ſanctorum, quibus veſtra inhianter incubat auaritia, ſed, diſperdam, inquit, excelſa veſtra, & demoliar aras veſtras, & cõfringentur ſimulachra veſtra, & deijciam interfectos veſtros ante idola veſtra, nomine excelſorum, ſimulachrorum, ſiue idolorum, ſuum infamans templum propter illos, & altare ſuum, quia nõ tam ipſe in illo templo ſuo colebatur ab eis, quàm turpe lucrum, vel turpis lucri Deus Mammon. Attamen & propter excelſa vetera ſimulachra ſiue idola, quæ patres eorum coluerunt, & propter quæ ſanguinem prophetarum fuderunt; mala omnia ſuper generationem illam venerunt, idcirco quia dominum prophetarum occidendo, & apoſtolos eius perſequẽdo, menſuram patrum ſuorum impleuerunt.

Matt. 23.

De horrore & magnitudine diei iudicij, in quo maiora cunctis præteritis malis recipient impij, & hoc eſſe quod dixit, finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ.

CAPVT XXVII.

CA. VII. ET factus eſt ſermo domini ad me dicẽs: Et tu fili hominis, hæc dicit dominꝰ Deus terræ Iſrael. Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ, nunc finis ſuper te, & emittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & nõ parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor, ſed vias tuas ponam ſuper te, & abominatiões tuæ in medio tui erunt, & ſcietis quia ego dominus. Hæc dicit dominus Deus. Afflictio vna, afflictio ecce venit, finis venit, venit finis, euigilauit aduerſum te, ecce venit, venit contritio ſuper te, qui habitas in terra. Venit tempus, prope eſt dies occiſionis, & non gloriæ montium.) Et ſi illis quibus tunc temporis Babylonica captiuitas imminebat, quaſi digito videbatur oſtendi finis ille, & illa afflictio, & dies ille occiſionis, nobis tamen qui adhuc iſta legimus, finis ille, & ille dies afflictionis, dies occiſionis ſine dubio declamatur, qui non iam vt tunc ſuper vnam gẽtem, ſed ſuper quatuor plagas terræ, & ſuper omnem qui habitat in terra, venturus eſt, verè finis, verè dies afflictionis, verè dies occiſionis, cuius magnitudini exprimendæ, nec iſta præſens, nec vlla cuiuſquam declamatio ſufficit. Nam vt cœptum iam compleamus ordinem, illa eſt dies vniuerſalis iudicij, quod verè tempus erit occiſionis, & non gloriæ montium, id eſt, ſuperborum, ſicut & propheta alius cum de prædicta tantum Babylonica captiuitate dicere videretur, ſimili declamatione de illo nouiſſimo die dicebat. Iuxta eſt dies domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis, & c. Etenim quia euangelicæ fidei finis hic eſt, vt is qui propter nos homo factus & paſſus eſt, reſurrexit, & in cælum aſcẽdit, inde ad iudicandos viuos & mortuos vẽturus eſſe credatur, rectè ſicut in initio prophetiæ huius anni qui erat quintus annus tranſmigrationis per quatuor facies animalium quadrifidum Chriſti intelligimus euangelium, ſic in fine, id eſt, ab hoc loco, vſq; ad id quod dicit poſtmodum, ſecundum viã eorum faciam eis, & ſecundum iudicia eorũ iudicabo eos, futurum illud denunciari intelligimus vniuerſale iudicium. Et non dicat malus ſeruus in corde ſuo, in tempora lõga fiet iſtud, vel moram facit dominus meus venire, & hac preſumptione ſecurior factus, incipiat percutere ſeruos ſuos, manducare autem & bibere cum ebrijs. Nam reuera, & ſi illud non crediderit, quòd illud iudicium tam prope ſit, vt digito poſſit oſtendi dicendo, ecce finis, ecce afflictio, ecce dies occiſionis, ecce venit finis, nunc venit finis, vel iuxta illum alium, iuxta eſt dies domini, iuxta & velox nimis, at ſaltẽ illud diſſimulare non poteſt, quoniam propria vel ſingulari morte cito moriturus, & in illa iam ſecundum animam iudicandus ſit. Veniet dominus ſerui illius, in die qua non ſperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis.

Sopho. 1.

Luc. 12.

De viſione anni ſexti, quòd ad eadem pertineat ſacramenta Chriſti filij Dei, quòd videlicet, per quatuor abominantium incrementa cauſæ redduntur, cur dominus Iudæos reliquerit & in campum gentium exierit.

CAPVT XXVIII.

CA. VIII. POſt vnius, id eſt, quinti anni tranſmigrationis prophetiam, ſequentis quoque, id eſt, ſexti non prætereundã arbitramur, quia nimirum vſque ad id quod ait, & ſpiritus leuauit me, adduxitque in Chaldeam, ad trãſmigrationem in viſione ſpiritus Dei, & ſublata eſt à me viſio quam videram, ad idem myſterium Chriſti, ad eadem ſpectat ſacramenta euangelij Chriſti filij Dei. (Et factum eſt in anno ſexto, in ſexto menſe, in quinta menſis, ego ſedebam in domo mea, & ſenes Iuda ſedebant coram me, & cecidit ibi ſuper me manus domini Dei. Et vidi, & ecce ſimilitudo quaſi aſpectus ignis, ab aſpectu lumborum eius, & deorſum ignis, & à lumbis eius, & ſurſum quaſi aſpectus ſplendoris, vt viſio electri. Et emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter terram & cælum, & adduxit me in Hieruſalem in viſiõe Dei, iuxta oſtiũ interius, quod reſpiciebat ad aquilonem vbi erat ſtatutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Iſrael, ſecundum viſionem quam videram in campo.) Quinto anno tranſmigrationis Iechoniæ, quarto menſe, quinta menſis, ſuperiorem viſionem factam ad prophetam legimus, hæc autem quam nunc exponere volumus, ſexto anno eiuſdem regis, ſexto menſe, quinta menſis facta memoratur. Ex quo perſpicuum eſt, poſt annũ & duos menſes hæc facta, quæ ſcripta ſunt, & vel intermiſſam per annum & duos menſes prophetiam, vel per totos quatuordecim menſes geſta, quæ ſuperior ſermo contexuit. (Et dixit ad me. Fili hominis, leua oculos tuos ad viã aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam aquilonis, & ecce ab aquilonari parte altaris idolum zeli in ipſo introitu, & cætera.) Quatuor abominationum incremẽta, quæ prophetę in hac viſione oſtẽduntur, diligenter cõſideranda ſunt. Nam quaſi cauſas iuſtitiæ quæreres, cur ſecundũ præcedentis anni prophetiam gloria domini, relictis Iudæis in campum gentium exierit, atque ipſi Iudæi poſtmodum obſeſſi & fame perditi, ceciderint in ore gladij, atq; in omnes gentes captiui ducti ſint, ecce altius repetit, & quatuor abominationes gentis gradatim in peius proficientes, oſtendens, deinde ſub eadem penè imagine gentis eiuſdẽ deſtructionem repræſentat atque confirmat, incipiendo ſic. Appropinquauerunt viſitationes vrbis. Et deinceps. Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubin. Rota vna iuxta Cherub

CAP. IX.

CAP. X.

vnum, & rota alia iuxta Cherub alterum. Et aſpectus earũ ſimilitudo vna quatuor quaſi ſi ſit rota in medio terræ, & cætera. De eo cuius ſimilitudo quaſi aſpectus ignis ab aſpectu lumborum eius, & deorſum ignis, & à lumbis eius & ſurſum, quaſi aſpectus ſplendoris, vt viſio electri, iam ſuperius dictum eſt, nec dubium, quin ipſe ſit Chriſtus filius Dei, idemq́ue filius hominis in quo & ſimilitudo eſt electri ex auro argentoque compoſiti, qui & in fine iudicaturus eſt ſeculum per ignem, quod ſignificatur quaſi per finales partes corporis igneas, dum dicitur, ab aſpectu lumborũ eius, & deorſum ignis. Abominatio prima hæc eſt. (Et leuaui oculos meos ad viam aquilonis, & ecce ab aquilonari parte altaris idolum zeli, in ipſo introitu. Adhuc conuerſus ait. Videbis abominationes maiores.) Abominationes maiores iſtæ ſunt. (Cùm perfodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete, in circuitu per totũ, & ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Iechonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas, & vnuſquiſq; habebat thuribulum in manu ſua, & vapor nebulæ de thure conſurgebat.) Maiores abominationes iſtæ ſunt, quia videlicet illic ſolummodo idolum zeli in ipſo introitu, hic autem non ſolum idola, ſed & ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael ſtabãt, & Iechonias in medio eorum, & vnoquoq; eorum habente thuribulum in manu ſua vapor de thure conſurgebat. (Adhuc, inquit cõuerſus, videbis abominationes maiores.) Quæ ſunt illæ maiores? (Introduxit me per oſtium domus domini, quod reſpiciebat ad aquilonẽ, & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.) Iuxta gentilem fabulam in menſe Iulio Amaſius Veneris & pulcherrimus iuuenis occiſus, & deinceps reuixiſſe narratur. Vndè eundem menſem Iuliũ eodem nomine appellabant, & anniuerſariam ei ſolennitatem celebrabant, in qua plangebatur à mulieribus quaſi mortuus, & poſtea quaſi reuiuiſcẽs canebatur atq; laudabatur. Maiores abominationes iſtæ ſunt, quia videlicet illic viri ſtabant, hic autem mulieres etiam ſedebant. Pluris quippe in abominationibus ſediſſe, quàm ſtetiſſe. i. maioris noxæ eſt peccatum in vſum traxiſſe, quàm peccatum perpetraſſe. Sed de his poſtmodũ. (Adhuc, inquit conuerſus, videbis abominationes maiores.) Quæ ſunt iſtæ abominationes maiores? (Et introduxit me in atrium domus domini interius, & ecce in oſtio templi domini, inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra tẽplum domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum ſolis. Et ecce ait applicant ramũ ad nares ſuas.) Adorare ad ortum ſolis, qui vtiq; creatura eſt, id nimirum errare eſt, dorſum autem habere contra templum domini, & ramum applicare ad nares ſuas, id planè eſt redarguentem dominum contẽnere, ac ſibimet in malis ſuis complacere.

Quòd per quatuor incremẽta hæc, idem debeat intelligi quod per propheticũ ſenſum ſuper tribus ſcelerib. Damaſci, Gazæ, Tyri, & cæterorũ, & ſuper quatuor non conuertam eum.

Amos 1.

CAPVT XXIX.

INcrementa hæc peccati diligentius conſideraturi, prophetæ alterius recordemur, per quem loquitur Deus. Super tribus ſceleribus Damaſci, Gazæ, Tyri, ſiue Edom aut filiorum Ammon, vel certè Moab, aut Iſrael, quorum ſeptenario numero gentes omnes ſignificantur, ſuper tribus, inquam, ſceleribus cuiuſlibet eorum, & ſuper quatuor non cõuertam eum. Primum ſcelus eſt, malum in deſiderio habere. Secundum, opere perpetraſſe. Tertium, in conſuetudine habe

Universidad de Deusto
Biblioteca

re. Quartum, opera mala defendere, & in ipsis sibimet cõplacere. Primũ horũ significat idolũ zeli, in ipso introitu ab aquilonari parte. Quid enim est idolũ zeli in ipso introitu habere, nisi malũ desideriũ, quod est introitus peruersitatis in oculis dñi versare? Idcirco dicit. Auferte malũ cogitationũ vestrarũ ab oculis meis. Quid autẽ cuiq; ante idolum cũ thuribulo in manu sua habito stare, ita vt vapor nebulæ de thure consurgat, nisi præmeditatũ scelus opere perpetrare, ita vt peccati effectus vsq; ad exteriores sensus erumpat? Quid deinde est, mulieres in planctu Adonidis sedere, nisi effœminatas animas in cõsuetudine peccati computruisse? Tria hæc primus psalterij versiculus breuiter cõplexus est, Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum. i. qui malum non cõcepit desiderium, quod erat intus habere zeli idolũ, ab aquilonari parte. i. à diaboli suggestione. Et in via peccatorum non stetit. i. ad effectũ peccati non peruenit, quod erat ante idolũ stare, & de thuribulo in manu vaporẽ nebulæ producere. Et benè istud perfosso pariete deprehendi dicitur, quia quisquis malũ quodlibet occultum in corde versat, verbi gratia. Fraternum odium, mox vt pulsatus fuerit manu increpationis, per apertũ linguę ostiũ vaporẽ ignis sublatentis protinus emittit. Et in cathedra pestilentiæ non sedit. i. qui malę cõsuetudinis putore proximos nõ corripit, quod erat mulieres sedere, & Adonidẽ plangere, quia profectò velut mulieres illecebrosis gestibus, & plangentes canunt, & canendo plangunt, plangunt inquã Adonidẽ mortuũ, & canunt quasi rediuiuũ, & amissis mœrent, & recuperatis voluptatib. gaudent, ad subuersionẽ audientium. Hæc tria respiciẽs prædictus propheta, & dicens super trib. sceleribus, quasi repressit se, quia videlicet, fieri potest, & nõnunquam factum est, vt eum qui vsq; ad malam consuetudinẽ peruenit, dñs conuerteret. Vndè in euangelio suo, nõ tantum puellã in domo mortuã iacentem, & adolescentẽ, qui iam efferebatur ad tumulũ, sed & quatriduanum, iamq; fœtentẽ suscitauit Lazarum. Itaq; cum dixisset Amos propheta, super trib. sceleribus, non voluit statim dictionẽ perficere, dicendo, non conuertã eũ, quia quãuis rarius, constat tamen dñm conuertere, vel conuertisse eum qui eiusmodi est, & ita dicere maluit, & super quatuor non conuertã eũ. Quartũ quippe scelus est, secundũ hunc locũ adorãdo solem, dorsum habere contra templum dñi, & ramum applicare narib. suis. i. in ipsa consuetudine peccati superbiæ contemnere vocem reuocantis domini, atq; procaci defensione vti, & interea lętari in malefactis, & quasi ad suauem ramusculi odorẽ, exultare in reb. pessimis. Istud quoq; de vitiosa radice primi parentis cõtraxerunt cunctę propagines humani generis. Nam ille postquã & occultã in corde diuinitatis ambitionem concepit, & vetitũ lignũ momordit, & à facie domini se abscondit, quarto quoq; scelere ceruicẽ erexit, dicẽdo, mulier quã dedisti mihi sociã, dedit mihi, & comedi. Nunc iam ad gẽtem ipsam, vel vrbem, contra quam primum hic sermo est, reuertamur, & hæc quatuor peccati eius incremẽta numeremus, propter quæ iustè proiecta sit in Saluatoris aduentu.

Esaiæ 1.

Psal. 3.

Gen. 2.

Quid fuerit, populo illi habere idolum zeli: quid cum thuribulo stare coram idolis, quid à mulieribus sedentibus plangi Adonidem, & quid adorare ad ortum solis applicando ramum ad nares.

CAPVT XXX.

ET leuaui oculos meos ad viã aquilonis, & ecce ab aquilonari parte altaris idolũ zeli in ipso introitu.) Oculos leuare, est superiora tempora memoria repetere, videlicet exitum filiorum Israel de Aegypto, quãdo ingressi sunt, & mare trãsierunt in manu forti, & brachio extento. Nunquid nõ idolum zeli erat in ipso introitu, quãdo primùm ad cultum Dei patrũ ipsorũ intromittebantur? Planè Aegyptũ mente secum ferebant, Aegyptum & idola Aegypti non mutato animo secũ portabant, sed non etiã actu prodebant? Ventũ est ad abominationes maiores, vbi fossus paries. i. occasio data est, murmurauerunt, & post Aegyptũ, atq; ollas carniũ Aegypti eiulauerũt, & caput vituli secundũ monstruosum ritũ Aegypti fecerunt & adorauerunt. Ergo illic tantum idolum zeli hic autem coram idolis stantes viri cũ thuribulis & fumo thuris. i. illic quidem cum ab Aegypto exirent, idololatria male imbuto animo cubabat, hic autem opere prorupit manifesto. Ex eo ventum est & ad maiores abominationes, id est, ad mulieres sedentes, & Adonidem plangentes, versa quippe est in consuetudinem huiusmodi sordium ingluies, sicut scriptum est in libro prophetarũ. Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempha, figuras quas fecistis vobis, adorare eas. Ventũ est vsq; ad mulieres sedentes. i. eò vsq; vt propter huiusmodi scelera sacrilegij, sessione, id est, consuetudine inueterata prophetas domini gens effœminata trucidaret, quod prima fecit mulier Iezabel, & post illam filia eius Athalia. Iezabel in Samaria, Athalia insaniuit in Hierusalem. Illa Baal superduxit in Israel, & prophetas domini occidit, ista in Hierusalem, itidem Baal introduxit in templum domini, & reges occidit, regium inquã semen omne occidit, ne superesset q regnaret de domo Dauid. Nouissimum atq; pessimũ omniũ genti illi supererat, vt facies ad oriẽtem, dorsa autem verteret cotra templum domini, quod & fecit: Christum enim Dei filium verum & sanctum diuinitatis templum contempsit. Parũ est, quòd dorso contra illud verso, veri

Exo. 12. 14

Exod. 32.

Amos 5.

Act. 7.

3. Reg. 19. 2.

Ioan. 5.

Luc. 7.

Ioan. 11.

tatis

tatis oracula inde procedentia respuit, insuper & soluere ausa est manib. aut linguis sacrilegis, facies enim habebant ad orientem, & adorabant ad ortum solis. i. claritatem ambiebãt, & lucem præsentis seculi cum desperatione futuri. Idcirco dicebat eis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo est Deo non quæritis? In tanto scelere ramum quoq; applicabant ad nares suas, id est, complacebant sibimet, quasi lege adimpleta, cuius de fructu cum non ederent, sola pompaticè tractabant suáue odorantia verborũ folia. Propter hæc venit super generationem illam, omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à constitutione mundi, hoc est quod sequitur.

Matt. 23.

Quod propter hæc clamatum sit: Appropinquauerũt visitationes vrbis, qui sex viri venientes, & quid vas interius vniuscuiusq; in manu eius, & quis vir in medio eorum vestitus lineis, & quid atramentariũ scriptoris ad renes eius.

CAPVT XXXI.

CA. IX. ET clamauit in aurib. meis voce magna, dicẽs. Appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem, & vniuscuiusq; vas interitus in manu eius. Vir quoq; vnus in medio eorum vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius.) Visitationes vrbis appropinquauerunt, illæ videlicet, quas propter abominationes prædictas, abominationes vituli, quem primum fecerunt, comminans dominus, ego autem, inquit, in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Et vnusquisque vas interfectionis habebat in manu sua, quia videlicet in illa generatiõe mala & adultera, præter peccata patrum vnusquisque & propria habebat peccata in manu sua, siue in vase, id est, in conscientia propria, quibus vtiq; implebant mensuram patrum suorum, maximè persequendo Christum & apostolos, vel sapientes eius, ex quibus occiderunt, lapidauerunt, crucifixerunt, flagellauerunt, & de ciuitate in ciuitatẽ persecuti sunt. Qui enim sex viri, qui veniebant cum singulis vasis in manu sua, nisi sex ætates mundi, quarũ à sanguine Abel iusti, omnia super generationem illam refundenda erant peccata? Porro vir vnus in medio eorum vestitus lineis & atramentariũ scriptoris ad renes eius Christus est Dei filius, qui carnis nostræ vestitus lineis, venit in hunc mundum, ad hoc vt electos suos iam dictæ vltioni excipiendos cõscriberet in libro viuentium. Cuius rei signũ illud fuit, quòd protinus nascituro illo exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Et ingressi sunt, inquit, & steterunt iuxta altare æreum.) Steterunt, inquam parati ad præceptum peragendum hi vt mandatum misericordiæ, illi vt sententiam perficerent iustitiæ. Sanè altare æreum foris erat extra velum, nam altare aureum intra velum erat, cum mensa & propiciatorio, & arca testamenti, & duobus Cherubin, quod dicebatur sancta sanctorum. Hoc altare extrinsecus præsentis ecclesię, illud intrinsecus supernæ vel cælestis erat signum. Hic stetit extrinsecus vir ille, nam in illud intrinsecus per suum sanguinem habebat introire (Et gloria domini assumpta est de Cherubin, quę erat super eum ad limen domus. Et vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.) Gloria domini tunc ad limen domus assumpta est, & virum istum vocauit, quando ad Iordanem cum baptizaretur manifestis indicijs testificata est gloria patris, descẽdente super eum spiritu in specie colũbæ, simulq; delapsa voce huiusmodi: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Tunc inquam, virum istum vocauit atque ad euangelizandum pauperibus misit. Nam hactenus non euangelizauerat, sed extunc euangelizare cœpit & sacerdotio suo fungi, cuius erat signum id quod hic vestitus videbatur lineis.

Matt. 3.

Luc. 9.

Quid sit signare Thau super frontes virorum gementium, & quid sit percuti omnes qui hoc signo nõ sunt signati, & à sanctuario domini incipi.

CAPVT XXXII.

ET dixit dominus ad eum. Trãsi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Thau super frontes virorum gemẽtium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit. Audite me. Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite. Non parcat oculus vester, & non misereamini senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite, vsq; ad internecionem. Omnes autem super quos videritis Thau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite.) Antiquis Hebræorum literis, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau litera, crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur. Notandum ergo quod dicitur. Transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Nam hoc est quod dominus noster ex hoc mundo transiturus ad patrem, & signum crucis suæ scripturus in frontibus nostris, non atramẽto, sed sanguine suo & spiritu sancto, primùm prædicare cœpit dicens. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, quia videlicet, non quibuslibet, sed gementibus & dolentib. super malis pristinis, id est, pœnitentiam agentib. inscribitur hoc signum. Nõ enim aliter, nisi abrenũciemus diabolo & põpis eius, baptizamur in remissionẽ peccato-

Luc. 2.

Matth. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum, quod est accipere crucis Christi signaculum. Signum hoc tã mortuis electis, quã viuis, vir iste sacrauit passione sua, sed & vsque hodie, quamuis in cælo sedeat, & corporaliter sit absens quantoscunq; signationis huius habeat ministros, hic est, qui signat, nã hic est qui baptizat. Transite, inquit, per ciuitatem sequentes eum, & percutite, subauditur, omnem super quem non videritis signũ Thau. Omnem autem super quem illud videritis, ne occidatis. Sic quondam in Aegypto præcipiebatur filijs Israel. Fasciculũ hyssopi tingite sãguine, & aspergite ex eo super liminare, & vtrunq; postem, transibit enim dñs percutiẽs Aegyptios. Cumq; viderit sanguinem in superliminari & in vtroq; poste, transcendet ostium, & non sinet percussorẽ ingredi, & percutere. Nulla hic distinctio Israelitæ & Aegyptij, nisi in postibus & superliminaribus domorũ sanguis agni, nulla itidem distinctio hic iusti & peccatoris, nisi in frontib. signũ Thau, signum crucis Christi filij Dei. Et à sãctuario meo incipite, inquit. Quare? Videlicet, quia existimat populus, cuius sanctuarium meum est, quòd non indigeat signaculo crucis, signaculo iustitię Dei, quippe qui iustitiam suã statuere vult, & ideo iustitiæ Dei non est subiectus. Ne ergo arbitretur, non necessariam sibi esse iustitiam fidei, & signaculum crucis Christi, vel ad se non pertinere prophetiam huius percussionis, effundite vasa hæc omnia super generationẽ istã, quotquot impleta sunt, à sanguine Abel iusti, & effundentes atq; percutientes à sanctuario meo incipite, vt non relinquatur lapis super lapidem in isto pulchro templo, in ista magna ciuitate contaminate domum, implete atria interfectis, & egredimini.

Exo. 12.

Rom. 10.

Matt. 23.

Quid sit virum qui indutus erat lineis dicere, feci sicut præcepisti, & quid quod dicitur ei, ingredere in medium rotarum, & imple manum tuam prunis ignis, & effunde super ciuitatem.

CAPVT XXXIII.

CAP. X. ET ecce vir qui indutus erat lineis, qui habebat atramentariũ in dorso suo, respõdit verbum, dicens. Feci sicut præcepisti mihi. Et vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubin, quasi lapis Sapphyrus, quasi species similitudinis solij apparuit super ea. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, & ait. Ingredere in medio rotarũ, quæ sunt subtus Cherubin, & imple manum tuã prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effundes super ciuitatẽ. Feci, inquit, sicut præcepisti mihi. Ac si diceret. Obediens tibi factus sum vsq; ad mortẽ, mortem aũt crucis, & ita faciẽdo signaui super frontes, signum sanctificaui quo signentur frontes gementium ac dolentium, pœnitentiam agentium, & peccatorum remissionem quærentiũ. De cætero supereſt mihi obedientiæ meritum, vt des mihi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine meo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Nam hoc est quod in persona eius psalm. dicit. Paratũ cor meũ Deus, paratum cor meũ, subauditur, ad tibi obediẽdũ, iã quod supereſt fiat, vt à mortuis resurgã, & tunc demum cãtabo, & psallã in gloria mea. At ille Deus, videlicet pater, protinus respondẽs, exurge, inquit, gloria mea, exurge psalteriũ & cithara. Et ille. Exurgã ait diluculo. Et subinde pater Deus ad filium Deum. Exaltare super cælos Deus, & super oẽm terrã gloria tua. De illa exaltatione hic dictum est. Et vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubin, quasi lapis sapphyrus, quasi species similitudinis solij apparuit super ea. Nam & in præcedenti visione dictum est. Solũ hoc ex lapide sapphyro, in firmamento, quod erat super caput Cherubin, siue vt illic scriptum est, quod erat imminens capiti animaliũ, cõsessus dexteræ patris, de quo & Dauid in spiritu dicit. Dixit dñs domino meo, &c. & hic in eodẽ spiritu refert eundẽ patrẽ dixisse sic. Ingredere in medio rotarũ, quæ sunt subtus Cherubin, & imple manũ tuã prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effundes super ciuitatẽ. Et enim vbi Christ⁹ Dei filius resurrexit à mortuis, & ascendens in cælum, sedet à dextris Dei, eadẽ resurrectione, eodẽ ascẽsu, vel sessione sua ingressus est in medio rotarum, videlicet ad illuminanda vel aperienda, quæ prius clausa erant arcana scripturarũ, quas superiꝰ dictũ est significari per similitudinẽ rotarũ, quę & subtus Cherubin esse dicuntur, quia nimirum cuncta in illa respiciunt animalia cælestia, de quibus plenius illic diximus. Quid autẽ est, quod illic ingresso dicitur, imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effunde super ciuitatem, nisi accipe potestatẽ iudicium facere, quia filius hominis es, iudicare peccatricem ciuitatẽ, imò & omne seculum per ignẽ, qui ignis est inter Cherubin, id est, prædicatur sparsim in scripturis inter illa quæ scripta sunt, de animalibus illis sæpe dictis.

Philip. 2.

Psalm. 130.

Act. 1.

Quid sit viro ingrediente Cherubin stare à dextris, & atrium interius nube, exterius autem impleri splẽdore gloriæ, & quid sit Cherub extendisse manum ad ignem, & dedisse viro qui erat indutus lineis.

CAPVT XXXIIII.

INgressusq; est in conspectu meo, Cherubin autem stabant à dextris domus, cum ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius, & eleuata est gloria domini desuper Cherubin, ad limen domus, & repleta est domus nube, & atrium repletum est splẽdore gloriæ domini, & sonitus alarum Cherubin audiebatur vsq; ad atriũ exteriꝰ, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.) Benè in conspectu meo dixit, nam videntib. apostolis, eleuatus est, & nubes susceptt eũ ab oculis eorum. Benè nihilominus, Cherubin stabant à dextris domus, cum ingrederetur, nã quæcunque scripta sunt vel erant, secundũ

animalia, quæ prædiximus, testimonium palam reddere cœperunt gloriæ eius, cùm fuisset ãssumptus. Et nubes, inquit, impleuit atrium intus, id est, Iudaicus qui erat intus & hactenus Deo propinquus, per infidelitatẽ obscuratus est populus. Et eleuata est gloria Domini desuper Cherubin ad limẽ domus, illa videlicet gloria domini, de qua Psalmista. Exaltare, inquit, super cælos deus, & super omnem terram gloria tua, palam omnibus innotuit secundum veritatem scriptura rum, Apostolis prædicantibus. Et repleta est domus nube, subauditur gloria domini ad limen domus eleuante se, primi enim sacerdotes & ordo Leuiticus, primi, inquam, scribæ pharisæi, quorum erat ministerium do mus, & percussi sunt cæcitate, gloria resurrectionis foris apparente. Et atrium repletũ splendore gloriæ domini, plurimi nanq; de populo crediderunt in initio prædicationis euangelicæ spiritu sancto illuminante. Et sonitus al arum Cherubin audiebatur vsq; ad atrium exterius, peruenit enim citius sonus Apostolorum prædicantium ad nos gentes, qui foris eramus. Qualis erat ille sonitus? Quasi vox dei omnipotentis loquentis. Verè. Non enim ipsi erant qui loquebantur, sed spiritus sanctus, nec ipsi homines, de suo loquebantur, sed loquebatur in eis Christus, & cooperabatur deus pater hominibus, qui fuerant prius idiotæ, & sine literis, sermonem illorum confirmans sequentibus signis. (Et extendit Cherub manũ de medio Cherubin ad ignem, qui erat inter Cherubin, & sumpsit, & dedit in manu eius, qui indutus erat lineis. Qui accipiens, egressus est.) Accepto igne vir ille ad quid egressus sit, quid fecit, vel quid fucturus sit, quis nescit? Postmodũ quippe ciuitas illa conflagrata est igne hostili, & seculum omne tandem per ignem iudicabit. Quomodo autem manum extendisse Cherub, & huic viro ignem dedisse dicitur. Et quis est iste Cherub? Nimirum qui per virum ipsum designatur, & per Cherub vnus idemque deus & homo Christus. Ipse inquã Cherub, ex eo quod erat sapientia Dei, quia Cherub plenitudo scientiæ interpretatur, ꝙ esse affectabat ille princeps Tyri ignominio sus, propter quod & propheta iste contra illũ cũ im,perio & ironia loquitur. Tu Cherub extentus & protegens. Ipse nihilominus vir, quia cũ deus esset, homo factus est. Itaq; vnus idemq; dat atque accipit, quia ex eo ꝙ deus est, inferiori naturæ hominis dedit, ex eo quod homo est, à superiore diuinitate accepit. Inde Psalmista. Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Siue accepisti dona in hominibus iuxta Hebraicam veritatem dicas', siue dedit dona hominib. iuxta Apostolum, & septuaginta, predicta discretione fide dirigitur intelligentia. (Et apparuit in Cherubin simi litudo manus hominis subtus pennas eorũ. Et vidi, & eccè quatuor rotæ iuxta Cherubin, rota vna iuxta Cherub vnum, & rota alia iuxta Cherub alterum. Species autem rotarũ erat quasi visio lapidis Chrysolithi. Et aspectus earũ similitudo vna quatuor, quasi sit rota in medio rotæ.) Et post pauca. (Ipsum est animal quod videram iuxta fluuiũ Chobar.) Ac deinceps. (Ipsum est animal ꝙ vidi subter deũ Israel, iuxta fluuiũ Chobar. Et intellexi quia Cherubin essent quatuor, ꝙ quatuor vultus vni, & per quatuor alæ vni, & similitudo manꝰ hominis, sub alis eorũ, &c.) Horũ superius necessariò meminimus, vbi oportebat dinoscere, quomodo animalia hæc & quatuor sint, & vnum. Idcircò hæc præsenti loco prætergredimur, præsertim quia prolixior cursu, & proficiendi studio semel dicta declinare compellimur. Sanè illud obseruandum, quod prius species rotarum fuerit quasi visio maris, nunc autẽ quasi visio lapidis Chrysoliti, siue carbunculi, vt pœnarum per ignem, qui à Cherub traditur, similitudo monstretur.

Psal. 107.

Matt. 16.

Ezech. 28.

Psal. 67.

Cùm dicit: Et sublata est à me visio quam videram, subaudiendum est, illius viri, & subintelligendum vsque ad vicesimum & quintum annum transmigrationis, quo eãdem viri speciem vidit.

CAPVT XXXV.

VIsionis præsentis narrationem prophe ta sic terminare curauit. (Et spiritus leuauit me, adduxitque in Chaldæam, ad transmigrationem in visionem in visione in spiritu Dei, & sublata est à me visio, quam videram.) Sublatam à se visionem gloriæ domini, cùm dicit, subaudire licet, vsque ad vicesimum quintum annum transmigrationis. Quã enim isto & superiore anno visionem vidit, scilicet speciem viri glorioſi & desiderabilis, & similitudinem cælestium animalium, quæ visio erat similitudinis gloriæ domini, deinceps vidisse nõ legitur vsq; ad vicesimũ quintũ annum transmigrationis, quãdo dicit. Facta est super me manus domini, & eccè vir cuius erat aspectus quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius. Item: Et vidi visionẽ secundũ speciẽ quam videram, quando venit vt disperderet ciuitatem, & species secundum aspectũ quẽ videram iuxta fluuium Chobar. Hæc visio sicut & duæ quas prælibauimus, scilicet quinti & sexti transmigrationis anni, de propria persona, & euangelica gloria est Christi filij dei, quæ aũt interpositæ sunt alarum, aut certè appendentiũ prophetiæ, sunt rerum. Verbi gratia. Postquam sublata est à me visio quam videram, quæ vtiq; visio de reb. erat longo post tempore futuris, statim de proximo, id est, de instante Babylonica captiuitate subiungit. (Tu ergo fili hominis fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per viam coram eis.) Ac deinceps. (Super ducẽ onus istud, qui in Hierusalẽ. Extendam retemeum super illum, & capietur in sagena

CAP. XI.

Cap. xl.

Cap. xliij.

Cap. xvj.

mea, & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibi que morietur.) Ducem quippe Sedechiam
4. Reg. 25 significat, cuius facies velanda erat, vt cæcus terram Babylonicam non videret. Igitur & nos hic præsentis voluminis finem faciamus, & à repetita iam tertio gloria domini, id est, à visione vicesimi quinti anni, libri sequentis exordium sumamus.

FINIS COMMENTARIORVM LIBRI PRIMI,
IN EZECHIELEM PROPHETAM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN EZECHIELEM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

De visione vltima, quòd quam maximè clausa sit, & idcirco quã maximè opus sit illam ad candelabrum, quod est Christus, admoueri, vt ex parte aliqua possit cognosci.

CAPVT I.

Ezech. 1. QVoniam cælestia, de quibus supra loquebamur, animalia sequi cupimus, & de illis scriptum est. Vnumquodque eorum coram facie sua gradiebatur, nos quoque pro modulo nostro coram facie nostro gradiamur, id est, propositi nostri intentionem memoriter teneamus, vt visionẽ quã maximè clausam, ne dicam obscuram, aliquanta ex parte videre atque cognoscere valeamus. Est autẽ nostra in hoc opere intentio, sicut in initio proposuimus, gloriam sanctæ trinitatis, fidem Christi, & gloriam quærere regni eius. Quid isto candelabro lucidius? Aut quo in lumine alio lumen istud videre poterimus, nisi in isto de quo sine dubio scripturæ loquuntur? Accedamus igitur ppius, & ad lumẽ eius vo lumen visionis huius expediamus, quia reuera quanto vicinius, quanto attentius ad ipsam eius propriã personã exaspexerimus, tanto amplius scripturæ huius, quæ clausa est, sensus nobis aperietur.

Quod hæc visio altius quã priores contingat gloriam vel diuinitatem Christi: & quæ sit ciuitas cuius in ædificium vir ille prophetam introduxit.

CAPVT II.

CAP. I. IN vicesimo & quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mẽsis, quarto decimo anno, postquam percussa est ciuitas, in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc in visionibus Dei. Adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad austrum. Et introduxit me illuc, & eccè vir vnus, cuius aspectus quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius. Stabat autẽ in porta.) Duobus prophetiæ suæ prioribus annis, magnam quidem iste semel & iterum viderat gloriam, siue similitudinem gloriæ domini, faciem hominis, faciem leonis, faciẽ vituli, & faciem aquilæ volantis, & deinde quasi aspectum lapidis sapphyri, similitudinem, throni super similitudinem throni, similtudinem quasi aspectum hominis. Sed nunquid hoc totum, & non amplius est Christus filius dei? Nunquid nihil supereſt de illo scire, aut credere, præter illa quæ per facies istas signãtur, videlicet quod de virgine homo natus, & passus sit, resurrexerit, & in cælum ascenderit, & de illa sede paternæ maiestatis ad iudicandos viuos & mortuos venturus sit? Nónne & illud maximè necessarium ad salutem nostram fidei Ioan. 5. regula exigit, vt credamus & sciamus quia deus erat, & omnia p ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil? Benè igitur propheta, postquam illa quæ supra dicta sunt vidit, adducitur per manum domini in terrã Israel, & dimittitur super mõtem excelsum nimis, in illam nimirum terram, & in illum montẽ nimis excelsum, vbi in in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ, vt videat, quia omnia per ipsum facta sunt, & quia antequam verbum caro fieret, omnes de plenitudine eius acceperunt idipsũ quo impleti sunt. Illic erat quasi ædificiũ ciuitatis vergentis ad austrũ ciuitatis Hierusalem, de qua Psalmus. Hierusalẽ, inquit, Psal. 121. quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Aedificatur enim adhuc ex hominibus, ædificata dudum ex beatis spiritibus, quorum omnis societas frigidum aquilonem, id est, superbum detestatur diabolũ, humiliter ad austrum, id est, ad sanctum vergit spiritum, amando & laudando creatorẽ suum. Et introduxit me, inquit illuc, subauditur in spiritu: vt contemplarer opus, quod à principio operatus est Deus, qui in fine seculorum homo fieri dignatus est. Nam de illo protinus sequitur. Et eccè vir, cuius erat aspectus quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius.

Cur aspectus

Cur aspectu viri quasi species æris, & cur funiculus & calamus mensuræ in manu eius sit.

CAPVT III.

ECcè, inquit, vir. Vir nõ quidẽ iam ex essẽtia, sed præscientia, & ordinatione præfixa, deus autem & tunc & nunc æterna atque incommutabili essentia. Cuius erat aspectus quasi species æris, ipse est enim sonorũ verbum patris, cuius hodie tantus in omnẽ terram sonus exiuit, vt rectè per speciem æris, quod metallum valdè sonorum est, præsignari debuerit. Et funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius. Funiculus architectorum siue semẽtariorũ, calamus autem scriptorum est. Et benè hoc vtrunq; in manu erat, imò est in manu huius verbi, scilicet, nam ipse est architectus & fabricator mundi, & ipse idem antequã fieret vir, sanctam scripturam legalem atque propheticam condidit. Et benè funiculus tantũmodo funiculus, calamus autẽ calamus mensuræ dicitur. Etenim fabricam mundi, cuius opificij signum erat funiculus, solus per semetipsum condidit, cuius rei vel structuræ potentiam non ad mensuram accepit, sanctã autem scripturam per homines edidit, quib. vtique nõ omnibus omnia, sed singulis quã voluit ad mensuram dedit. Stabat autem in porta. Verè stabat, & adhuc stat in porta, qa verè nullus, vel ad veram facturæ mũdi noticiã, vel ad sanam sacræ scripturæ intelligẽtiam, nisi per ipsum intrat. Nec verò tantum modo in porta stat, sed & ipse porta est. porta, inquam, & portarius, ostium & ostiarius ipse est. Porta nimirum siue ostium, eò quòd homo, portarius siue ostiarius, eò quòd deus est. Ego, inquit, sum ostiũ, per me si quis introierit, saluabitur. Et nihilominus de semet ipso dicit. Huic ostiarius aperit & oues vocẽ eius audiunt.

Ioan. 10. *Quàm oportunè illi cui alta ostensurus est, dicat: Fili hominis, & quod ei qui videt expediet vt annunciet.*

CAPVT IIII.

ET locutus est ad me idem vir. Fili hominis, vide oculis & auribus tuis audi, pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia vt ostendantur tibi adductus es huc. Annũcia omnia quę tu vides domui Israel.) Fili hominis, inquit. Oportuna commemoratio infirmitatis. tanquam diceret. O vidẽs, magnitudine reuelationum ne extollaris vbi visiones dei vides, quia filius hominis vermis es. Hoc non te prætereat, istud tene memoriter. Ita humiliato capite, vide oculis Ephes. 4. tuis, & auribus tuis audi, oculis cordis, auribus interioris hominis, & pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, neque sis eorum, quorum cor auersum ita intelligere nolint. Hoc enim competit, vt beneuolo cor de adsis, neque sis ingratus, quia vt ostendantur tibi adductus es huc, vt occurras cum omnibus sanctis in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non sis paruulus, quemadmodum illi qui Messiam audientes esse venturum, putant, vel putatu Rom. 10. ri sunt, quod homo tantum sit, quod non sit idem Deus, antequam homo aut vir. Et quia sicut corde creditur ad iustitiam, ita & ore confessio fit ad salutem. Annuncia omnia quæ tu vides domui Israel. Quamuis annunciatio hæc, nunc interim pro tempore & re clausa esse debeat, quia videlicet dom⁹ Israel nunc si nudo sermone annuncies, ea portare neque vult, neque potest, tamen annuncia quæ tu vides, non tantum præsenti, imò non tam præsenti, quàm ei quæ futura est, non tam carnali, quã spirituali domui Israel. Primùm tibijpsi, iam nunc in præsentiarum, quod hoc licet absconditum, confessionis aurum contuleris in thesauros veritatis, deinde proderit & futuræ domui Israel, videnti & cognoscenti ex parte, & nihilominus veneranti quod videre aut cognoscere non potest, donec veniente eo quod perfectum est, euacuetur quod ex parte est.

Cur cùm vtrunque in manu viri sit, & funiculus & calamus, de funiculo coram propheta agatur nihil, & quòd per calamum sex cubitorum & palmi septiformis gratia spiritus sancti intelligatur, & quid sit murus forinsecus per circuitũ domus.

CAPVT V.

ET eccè murus forinsecus in circuitu domus vndique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum & palmi, & mensus est latitudinem ædificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno.) Notandum in primis, quod cum vtrumque, scilicet calamus & funiculus lineus, & calamus mẽsuræ in manu viri sit, de funiculo tacetur, nihilque cum illo demonstratur, & totum in oculis prophetæ, cum calamo mensuræ agitur. Cur hoc? Videlicet, quia non ad hoc propheta vel quisquam alius adducitur, vt discat qualiter mundi fabricam fecerit DEVS, quod per architectonicum funiculum intelligitur, sed ad hoc tantum, vt videat quid inde scriptura loquatur quæ per calamum exprimitur, & credat, quia secundum testimonium eius, per verbum suũ, cælum & terram, & omnia quę in in eis sunt, fecit vnus & solus Deus, per verbum, inquam, suum, quod & caro factum est, cuius (inquit Euangelista) gloriam vidimus. Quis autem est calamus iste in manu viri, nisi ille de quo pater in Dauid Lingua mea, inquit, calamus scribę, velociter scribẽtis? Quis, inq, Ioan. 1. est calamus iste mẽsuræ sex cubitorũ & pal- Psal. 44. mi, nisi gratia septiformis spirit⁹ S. ? Etenim calami huius cubitus vnus timor, cubitus vnus pietas, cubitus vnus fortitudo, cubitus vnus con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XL. vnus consiliũ, cubitus vnus intellectus, palmus autem sapientia est. Siquidem cætera tẽporaliter operantium quędã arma vel instrumenta sunt, sapientia verò quiescentiũ merces, quæ in illa vita permanẽs feliciter palmũ adimplet. Igitur murus forinsecus in circuitu domus vndique & in manu viri calamus mensuræ, quia videlicet, antequam vir iste calami, id est, spiritus S. mensuras prophetis suis manu sua distribueret, latebat omnes homines, quid in secreta atque ineffabili domo apud deum esset, sed & nunc vltra nihil scire possumus, nisi quod per mentem & os illorum, calamo suo, id est, spiritu sancto differere dignatus est. Et mensus est, inquit, latitudinem ædificij calamo vno, altitudinem quoq; calamo vno, latitudo ædificij scriptę est literalis, altitudo autẽ sensus eiusdem est spiritualis. Vtrunq; mensus est calamo vno, quia nimirum vtrunq; nobis traditum est ab vno eodemque auctore spiritu sancto.

Quid porta orientalis ad quam venit vir, & quid per gradus ascendentes, & quid per thalamum debeat intelligi.

CAPVT VI.

ET venit ad portam quæ respiciebat viã orientalem, & ascendit per gradus eius, & mensus est limẽ portæ calamo vno, id est, limen vnũ calamo vno in latitudinẽ. Et thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum. Et inter thalamos quinque cubitos, & limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus calamo vno, & mensus vestibulum portæ intrinsecus calamo vno.) Porta quę viam orientalem respicit, prima est origo seculi. Ad illam vtiq; portam venit hic vir, iam enim, iamdudum, inquam, erat in sinu patris. Deniq; ipse est & erit sapientia dei, quæ in parabolis dicit. Dominus possedit me Prou. 8. initio viarum suarum, antequã terra fieret. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singuos dies, & cæt. Et ascendit, inquit, per gradus eius. Per gradus, inquam, ad portam viæ orientalis ascendit, gradatim quippe, & per quosdam ascensus opera sua disposuit. Verbi gratia. Prius terram inanimatam, deinde animatas arbores, deinde animata & sensibilia animantia terræ, deinde animatum sensibilem & rationalem hominẽ creauit. Et mensus est limen portæ calamo vno latitudinem, id est, limen vnum, calamo vno in latitudinem. Limen portæ introitus ædificij est. Quapropter & per limen, totius operis dispositio rectè intelligenda est, de qua Euangelista. Quod factum est in ipso vi Ioan. 1. ta erat, inquit. Mensus est itaque limen portæ, siue latitudineim liminis calamo vno, id est, proposuit amplificare opera sua in vno spiritu, videlicet secundum amplitudinem magnificentiamque eius, vt quia ille septiformis est, faceret sex pulcherrimi operis facies, & die septimo opus suũ complens, ab omni opere requiesceret. Requies illa, thalami nomine statim designata est. Et thalamum, inquit, calamo vno in longum, & vno calamo in latum. Quadra erat thalami positio, qua Psal. 18. requiei domini plena æternitas, & æterna significatur plenitudo in vno dimẽsa calamo id est, spiritu S. perfecta, qui verus est amor. Et inter thalamos quinque cubitos. Ibi reuera creator creaturæ tanquam sponsus sponsæ, in thalamo vero copulatur coniugio, & hæc in scripturis sanctis vsitata quidem est similitudo, sed quinque cubiti sunt inter thalamos, id est, totis quinque sensibus illi disparantur thalami, ab istis quos solos nouit homo. Etenim thalami illius voluptatem, quin que sensuum carnis nullus percipit, testante Esa. 64. scriptura, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, sed nec in cor hominis ascendit, quæ 1. Cor. 2. Deus in illo thalamo diligentibus se præparauit. Quòd autem & vnus thalamus, & plures rectè dicantur thalami, postmodum non præteribimus. Et lumen portę iuxta vestibulum portæ intrinsecus calamo vno, & mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo vno. Ordo verborum est. Et limen portæ mensus est, iuxta quantitatem vestibuli, qp erat intrinsecus, scilicet calamo vno, etenim mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo vno, dum limen quod modò describitur iuxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, dicente propheta. Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus calamo vno, & mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo vno, apertè osteditur, quia limen quod prius descriptum est extrinsecus fuit. Porrò limen exterius, litera, limen verò interi⁹ in scriptura sacra, allegoria est, quia enim per literam ad allegoriam tendimus, quasi à limine quod est exterius, ad hoc quod est interius venimus. Et benè vtrunq; calamo vno mensuratur, quia videlicet vtriusque tam literæ, quàm allegoriæ veritas, eodem auctore spiritu commendatur. Vel certè, quia, vt supra diximus, testante Euangelista. Quod factum est in ipso vita erat, & Ioan. 1. illic limen interius, & hic vestibulum intrinsecus rectè accipimus, vt hic & illic, quod in ipso vita erat intelligamus, & tunc demum quod factum est cum scripturę ordine, iuxta propositionem nostram prosequamur. Sequitur enim.

Quid sit quòd prius cum mensura calami metiebatur, & deinde omnis per cubitos mensura peragatur, & quod vestibulum portæ VIII. cubitorum esse, & in fronte duos habere cubitos describatur.

CAPVT VII.

ET mẽsus est vestibulũ portę octo cubitorum, & frontẽ eius duobus cubitis, vestibulum autem portæ erat intrinsecus. Porrò Thalami portæ ad viam orientalẽ, tres hinc & tres inde, mensura vna trium, & mensura vna frontium, ex vtraque parte.) Notandum quippe quod hiciam de calamo ad cubitos ratio mensuræ conuertitur & dũ atriũ exterius,

exterius, dum atrium interius, cũ ternis vnũquodque portis, templum quoque & gazophylacia vir ille permetitur, nulla calami mentio fit, sed omnis per cubitos mensura peragitur. Proinde non ad reticendum, quia quod hactenus dicebatur, secundum id valeat intelligi, quòd in ipso vita erat, & quod deinceps sermo narrare ingreditur, secundũ id debeat accipi, quod factum est, eodem ordine, quo scriptura prosecuta est, sic incipiẽs. In principio creauit deus cælum & terram. Gen. 1. Quid enim est, quod cùm dixisset, & mensus est vestibulum portæ intrinsecus calamo vno, id est, sex cubitis & palmo, continuò subiunxit, & mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, vestibulum autem portæ erat intrinsecus? Quid, inquã est, quod vnum idemque intrinsecus vestibulum, vno calamo permensum, continuò octo cubitorum, nisi quia vbi creaturæ opus immutabiliter vita erat, ibi quoque finis eius præfixus est, vt post mutabilem cursum perficeretur in octaua? Septenarius quippe numerus, qui est in calamo longo sex cubitis & palmo, insolubilis est, vnde & apud philosophos mas dicitur, octonarius aũt fœmina, qa solubilis est, & vsque ad vltimam vnitatem in æquas partes secatur. Idcircò per illum immutabilis vita quæ secundum Euangelistam in verbo erat, in isto autem mutabilis creaturæ cursus intelligitur creaturæ rationalis, quæ (vt iam dictum est) perficitur in mundi ætate octaua. His igitur præmissis secundum id quod (vt sæpe dictum est) in ipso vita erat, nunc demum exterius quod factum est creaturæ opus ingredimur, ad laudem & gloriã huius viri glorioſi, & mensoris fidelissimi, qui vt passim in omnibus scripturis, ita quàm maximè & in hac visione testificatur, quod ipse sit antiquus mundi architectus, in quo fie-
Psal. 86. ri homo est dignatus, quiq; vt Psalmus quoque confitetur, de glorioſa ciuitate dei, cuius fundamẽta sunt in montib. sanctis & homo natus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus.

Quid sint thalami tres hinc, & tres inde, & quomodo mensura vna trium, & in quo mensura vna sit angelorum & hominum electorum.

CAPVT VIII.

ET mensus est frontem eius duobus cubitis.) Portæ thalami quoque ad viam oriẽtalem tres hinc & tres inde. Mẽsura vna triũ, & mensura vna frontium ex vtraq; parte. Frons vestibuli initium & prima est dictio scripturę, qua describitur primũ factura mũdi. Mensura frontis huius duo cubiti sunt. Ait enim. In principio creauit Deus cælum & terrã. Vnus est cubitus cæli. i. omnium invisibilium. Vnus itidem cubitus terrę, id est, omnium visibilium. Magna quidem ista vel illa creatura, sed considerata magnitudine huius viri immensi, vix cubitus meretur dici, qui iuxta prophetam alium, palmo cælos ponderauit, & molem terræ tribus digitis appendit. Quare autem sex erãt thalami tres Gen. 1. hinc & tres inde ad viam orientalẽ, nisi quia bis ternis diebus operatus est mundi opifex, & tunc demum ingressus est in suam requiẽ? Etenim vna quidẽ est eius requies, sed quia sex operis sui explicuit species vnus artifex, rectè sex thalami sunt, & vna nihilominus designatur requies. Dicendo autem hinc & inde, breuiter distinxit thalamos cæli & ter- Psal. 40. ræ, thalamos angelicæ & humanæ creaturæ. Angelica quippe creatura, eo ipso quod terrenum corpus non habet, comparatione hominis quasi cælum est, sed nihilominus, tam humana, quàm angelica creatura creatoris dignatione beatæ requiei thalamis admissa est. Mensura, inquit, vna trium. Non dixit mensura vna omnium, id est, sex thalamorũ, Matth. 22. licet & hoc quadam ex parte sit verum, nam & homines electi sic erunt sicut angeli Dei, & in Apocalypsi legimus, mensura ho- Apoca. 21. minis quæ est angeli, sed dixit, mensura vna trium, videlicet hinc trium, & inde trium. Hinc angelorum, præter quos nihil rationale creatum est primis tribus diebus, quibus fabrica mundi explicata est. Inde hominum, præter quos itidem nihil rationale creatum est cæteris tribus diebus, quibus eadem fabrica mundi mobilibus creaturis per ornata est. Mensura igitur hinc vna trium, cùm dictum est. Fiat lux, & facta est lux, & Gen. 1. vidit deus lucem qp esset bona, nam hæc est Ibidem 2. angelica creatura. Mensura rursus vna triũ, cùm dictum est, formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, quæ vna & cõmunis humanæ creaturæ mẽsura est. Porrò & mensura vna frontium ex vtraque parte, nam ex imagine & similitudine dei relucet creatura, vtraq; in fronte. i. in mente. Licet hinc. i. ex nostra parte scriptum legamus. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã, tamen & ex alia parte idẽ sentiẽdum est, licet non eadem monstretur dictione. Nam cũ dicitur. Fiat lux, breuius quidẽ, sed nõ minus in angelica creatura imaginis & similitudinis dei claritas exprimitur. Deniq; & econuerso, factus & perfectus homo ad imaginem & similitudinẽ dei, id est, propter id qp rationalis & diuinæ bonitatis est imitatrix, insignis habetur creatura vtraque.

Quid sit latitudo portæ decem cubitorum, & longitudo tredecim. CAPVT IX.

ET mensus est latitudinẽ liminis portę decem cubitorum, & longitudinem portæ tredecim cubitorum.) Porta hæc non eadem quæ supra, non à prædicto ædificio, sed ecõtrariò, & ad medium thalamorum patens intelligenda est. Hæc porta, illa lex vel conditio est, qua obseruata ingredimur in illam æternorum thalamorum Dei requiem. Ingredimur enim (inquit Apostolus) in requiẽ qui credidimus, quẽadmodũ dixit. Si introibunt in requiem meam. Item: Qui enim ingressus

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XL. ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit à laboribus suis, sicut requieuit deus ab operibus suis. Et longitudinem, inquit, portæ tredecim cubitorum. Hoc loco longitudo portæ altitudo dicitur, sicut nos, quem altum videmus, longæ staturæ dicimus. Nã longitudo portæ dici in transuersum non potest, cuius latitudo per decem cubitos demõstratur. Grandis porta, & pro modulo hominis, si ad corpusculũ spectes, lata satis, & spatiosa. Ait autem Dominus. Quam angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitã, & pauci sunt qui inueniunt eam. Verùm alia quædã est grositudo siue vastitas, cui reuerahęc talis porta decem cubitis lata, & tredecim longa, nimis angusta & arcta sit. Hæc est vastitas cupiditatum, hęc est grositudo diuitiarum. Nam idem dicit. Facilius est camelum per foramen acus transire, quã diuitem intrare in regnum Dei. Etenim latitudo decẽ cubitorum, decem legis præcepta sunt. Et cũ vnum eorum sit, non concupisces, quomodo per hanc portam intrare posset, qui latitudine eius tanto vastior est, quanto pluries circum se aggrauauit cupiditas? Et hæc quidem latitudo prioris populi fuerit, qui decẽ præcepta legis accepit, nam nostra ex euangelio est tredecim cubitorũ lõgitudo, quib. super eadẽ præcepta fides datur sanctę trinitatis, à quibus sic exigitur vnũ & solum Deum confiteri, vt certam faciamus distinctionem personarum, patris, & filij, & spiritus sancti.

Matth. 19.

Quid ante thalamos margo cubiti vnius, & quid thalami, sex cubitorũ, & latitudo à tecto vsque ad tectũ viginti quinque cubitorum.

CAPVT X.

ET marginem ante thalamos cubiti vni⁹, & cubitus vnus finis vtrinque. Thalami aũt sex cubitorum erant hinc & inde.) Marginem ante thalamos intelligimus proeminẽtiam tecti vltra parietem eminẽtis. Hic erat cubiti vnius, quo nimirum cubito, mediator Dei & hominum Christus, intelligitur, quasi vltra thalamorum parietes prominẽs, dum foris humanæ formæ, quã suscepit, electis omnibus angelis siue hominibus beatam semper præsentat visionem. Intus in interiore homine illa est voluptas, quæ per thalamos intelligitur, quia diuinitas amãti creaturæ ineffabiliter copulatur, verùm & præter hoc foris in loco semper apparet, & prẽsto est ille desiderabilis filij hominis aspect⁹, in quem cùm desiderent angeli prospicere, sine dubio & homines eadem semper exhilarãtur visione semper desiderata, semper prẽsente, amantes sine defectu, deficientes sine passione. Thalami sex cubitorum erant hinc & inde, subauditur, & palmi vnius, ꝙ supra dictum est, sed idcircò repetiuit, vt cõtinuò subiungeret. (Et mensus est portã à tecto thalami vsque ad tectum eius, latitudinem viginti & quinque cubitorum, ostium contra ostium.) Hic numerus ex quinario numero per semetipsum multiplicato conficitur. Et quia quinque carnis sensibus præditi sumus, eorum similitudinem numerus iste ex quinario in semetipsũ ducto quadratus significat, qui & si minus spirituales sunt, in bono tamen opere exterius per prouectũ multiplicantur. Ne ergo dubitemus, solũmodũ spirituales aut virginei propositi homines in illam requiem ingredi & requiescere cum Deo requiescente ab operibus suis. Latitudinem, inquit, à tecto thalami vsque ad tectum eius, mensus est vigintiquinque cubitorum. Penè & huic simile in Canticis legimus, vbi cùm dictum esset. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argẽteas, reclinatorium aureũ, ascensum purpureum, continuò subiunxit. Media charitate cõstrauit propter filias Hierusalem. Quod ait, ostium contra ostiũ, subauditur thalamorũ, hinc trium & inde triũ, mutuam concordiam & patientia semper in laude dei corda simul & ora significat angelorum & hominum.

Cant. 3.

Quomodo fecerit frontes per sexaginta cubitos, & ante faciẽ portæ quinquaginta cubitos, quid fenestra obliqua, & quid palmarum pictura per circuitum.

CAPVT XI.

ET fecit frontes per sexaginta cubitos, & à fronte atrij portæ vndique per circuitum. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat vsque ad faciem vestibuli interioris quinquaginta cũbitos.) Spacij sub diuo, cuius latitudo viginti quinque cubitorum erat, longitudinem per sexaginta cubitos mensus est. Hoc erat spatium atrij inter frontes atrij supradicti. Verùm quia vestibulũ portæ interioris, occurrens portæ octo cubitos occupauerat, & præterea duos in fronte sua cubitos habebat in lateribus quidem sexaginta cubitos admittebat, sed coram facie sua, vel coram facie portæ atrij de sexaginta cubitis, quinquaginta, id est, decem minus, effecerat. Hoc est quod cùm dixisset, fecit frontes per sexaginta cubitos, continuò subiunxit. Et ante faciem portæ quæ pertingebat vsque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos. Porrò per sexaginta cubitos, qui numerus ex senario numero, denario quoque perficitur, sexies nanque decem, siue decies sex, sexaginta fiunt, per sexaginta, inquam, cubitos ingredientium opera, per quinquaginta verò misericordiæ occurrentis significatur gratia. Nam hic numerus ex lege sacratus est, dum quinquagesimo anno ad possessorem suum post venditionẽ omnis possessio redire iubetur, vnde & idẽ remissionis annus, Iubileus, id est, dimittens dicitur. Planè vtroque indigemus, quicunq; in illos thalamos, in illam domini requiem, in qua requieuit prior ille ab operibus suis, ingredi cupimus. Quis enim angelorum aut hominum per sola merita sua illuc ingrederetur, nisi per gratiam fuisset assumptus? Aut

Leuit. 25.

quanta sunt opera cuiusque nostrum, vt in eandem cum deo requiem ingrediamur, per solum iustitiæ debitum? De portis atrij, quæ erant vndique per circuitum, dicemus postmodum. (Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum quæ erãt intra portã, vndique per circuitum. Similiter autem erãt & in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, & ante frontes pictura palmarum cælata.) Fenestrę obliquę quasi sagittæ dicuntur, eò quòd instar sagittarum angustum in ædes lumen intromittant, & intrinsecus dilatẽtur. Porrò si thalami sunt illa de qua loquimur requies dei, & deus lux est, hoc fenestrę istæ à nostris differunt, quod nostræ à foris lumen accipiunt, istæ ab intus foras mittũt. Palmarum quoque nobis cælatura vel pictura monstratur, vt de mundo victoriam possidentes, digni efficiamur post laborẽ pugnę cum palma virtutum in illã requiẽ introire.

Feneſtræ obliquæ.

Quid sit atrium exterius, de quo ait: Et eduxit me ad atrium exterius, &c. quid per triginta gazophylacia, quid per portas, siue longitudinem intelligamus centum cubitorum.

CAPVT XII.

ET eduxit me ad atrium exterius, & eccè gazophylacia & pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum. Triginta gazophylacia in circuitu pauimenti. Et pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris, vsq; ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos, ad orientem & ad aquilonem.) Post ædificij prioris, & thalamorum dimensionẽ, propheta ad atrium exterius educitur, quia videlicet sanctam ingressi scripturam, post explicitam mundi fabricam, & postquam Deum ab operibus suis requieuisse legimus, in subsequentem rerum historiam proficiscimur, quæ extra requiei illius secretum gestæ sunt vel geruntur. Incipit autem sic. Tulit ergo Dominus Deus hominem & posuit in paradyso voluptatis, &c. Omnis hæc historia quasi atrium exterius est vsque ad Abraham, ab Abraham autem, ad quem primum repromissus est Christus, de semine eius nasciturus, atrium est interius vsque ad templi veri positionem, quod hæc prophetia post illud atrium permetitur, id est, vsque ad eiusdem Christi incarnationem, quo in templo suo Deus homo humano generi est repropitiatus. Igitur eduxit me, inquit, ad atrium exterius, & eccè gazophylacia, & pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum, id est, postquam fecit me intelligere quomodo per acto opere suo die septimo requieuit Deus, aperuit mihi sensum vt intelligerem ea quæ subsequenter legũtur, & eccè apparuit litera ditissima, & valdè operosa, quia spiritualis intelligentiæ gaza, & quasi lapidis marmorei varietas in ea continetur. Gazophylacia, inquit, triginta in circuitu pauimenti. Tricenus gazophylaciorum numerus, coniugij castitatem significat, quam in primis hominibus constituit, & dedicauit Deus. Quanticũque post illam coniunctionem casti, & Deo digni coniuges in illa scriptura leguntur, gazophylacia fuerunt vel sunt, sensuum spiritualium gazam plurimumque seruantia sacramentorum Christi aurum. Verbi gratia, Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, &c. Hoc verè magnum gazophylacium verissimæ gazæ seruatoriũ. Nam sacramentũ magnum hoc est, quod seruat hæc litera. Ego autem, inquit Apostolus, dico in Christo & in ecclesia. Et quomodo super terram varium & pulchrum sternitur ex marmore pauimentum, sic & in isto & in cæteris super vilem literaturam spiritualis intelligentiæ conspicit ornamentum quisquis oculos habet ad videndum. Et pauimẽtum, inquit, in frõte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. Reuera secundum longitudinem portarum, nam prout temporib. suis à supradicto Dei templo, id est, ab incarnatione Christi longè aberant sancti patres, qui verbi Dei vel venturi Christi portæ nobis extiterunt, mystica illorum coniugia siue facta, interpretatione veneranda sunt. Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris vsque ad frontem atrij interioris, intrinsecus centum cubitos ad orientem & ad aquilonem. Mensura centum cubitorum, remuneratio est bonorum æternorum, cuius plenitudinem in Euangelio quoque Dominus significans. Centuplum (inquit) accipiet, & vitam æternam possidebit, id est, pro temporalibus æterna recipiet, quæ remuneratio tam lucrosa, ac si paruo numero centenarius numerus comparetur. Tantam latitudinem à facie mensus est portæ inferioris, id est, à primo Adam qui secundum tempus à sæpe dicto templo Dei longissime abfuit. Primo enim huic præceptum positum est huiusmodi. Ex omni ligno paradysi comede, de ligno autẽ sciẽtiæ boni & mali ne comedas. Quod profectò præceptum si custodisset, centum retributionis quasi cubitos recepisset, nam pro ligno vno sibi interdicto lignum vitæ quandoque comederet, & tam corpore, quàm anima immortalis esset, quandoque absque morte corporis ad beatam immortalitatem, & immortalem angelorum beatitudinem transiret. Et mẽsus est, inquit, ad orientem & ad aquilonem, id est, remunerationem promisit omnibus benè merentibus siue in prosperitate pacis, siue inter aduersitatem tentationis.

Gen. 2.

Gen. 15.

Gen. 2.

Quid sit porta respiciens viam aquilonis, quid mensura quinquaginta cubitorũ in longitudinẽ, & xxv. in latitudinem, quid fenestræ, quid vestibulũ, & quid ascensus septem graduum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIII.

POrtam quoque quę respiciebat viam aquilonis, atrij exterioris mensus est, & mensus est à porta vsque ad portam in via australi, tam in longitudine quàm in latitudine & thalamos eius tres hinc, tres inde, & frontem eius, & vestibulum eius, secundum mensuram portę prioris quinquaginta cubitorũ, longitudinem eius, & latitudinem xxv. cubitorum.)Post portam orientalem, qua prospera & bona solent enunciari, venitur ad portam, quę respicit viam aquilonis, qua nõ dubium est aduersa significari, quia videlicet post lectionem creatoris mundi, & eius, quæ primo homini apposita fuerat felicitatis, historia sequitur miseriarum & magnę infelicitatis. Homo deceptus à diabolo, de paradyso eiectus est, spiritu mortuus, & carne mortalis, atque vniuersæ posteritati suæ, comportans hæreditatem eiusdem geminæ mortis, & deinde multiplicatis hominib. cor-
Genes.6. ruptaq; omni carne, tunc ille mundus diluuio inundatus perijt. Verùm nec ibi mensoris huius diligentissimi diligentia vel beneuolentia cessauit, sed secundum mensuram portæ prioris mensus est, tam in longitudine quàm in latitudine, &c. id est, locutus est hominibus, manifestauit illis opera sua, quãuis pro modulo suo secundum exemplum eius bene operarentur, vt & ipsi in thalamos eius requiei ingredi mererentur. Quinquaginta cubitorum mensus est longitudinem, atq; latitudinem vigintiquinq; cubitorum, proposuit enim illis remissionis spem, quam possent adipisci per fidei longitudinẽ, & per charitatis bonis quinq; sensuum operibus exercitate latitudinem. Mensus est, inquam à porta viæ aquilonis, vsq; ad portam in via australi. id est, ita vt & malis in prædicto diluuio mala redderet pro meritis, & bonis bona reseruaret, quatenus de semine illorum repararetur orbis. Eorum thalami erant secreta conscientiæ bonæ, tres hinc, & tres inde, tres, inquam, hinc, id est, ex præsenti, in fide, spe & charitate, inde autem, id est, ex futuro in beata trinitatis visione, (Fenestræ autẽ eius & vestibulum & sculpturæ secundum mensuram portæ, quæ respiciebat ad orientem, & septem graduum erat ascensus eius, & vestibulum ante eam. Et porta atrij interioris contra portam aquilonis & orientalẽ, & mensus est à porta vsq; ad portam centum cubitos.) Per fenestras & vestibulum, quod erat secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientalem, hoc subtiliter indicatur, quòd in introitu virtutum positi, & in auctorem respicientes, cuius erat opus creatio mundi, & requies in regno immortalitatis, ad visionem eius essent peruenturi. Porrò septem graduum, per quos erat ascensus eius primus est timor, secũdus pietas, tertius scientia, quartus fortitudo, quintus consiliũ, sextus intellectus, septimus sapientia. Eosdẽ gradus Esaias in ipso capite nostro enume- *Esaiæ 11.*
rans, descendendo magis, quã ascẽdendo numerauit, dicendo spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris domini. Et rectè, quia de cœlestibus adima loquebatur, cœpit magis à sapiẽtia, & descendit ad timorem. Hic autem quia de terrenis hominibus sermo est, qui de deorsum ad superna tendunt, ijdem gradus ascendendo nihilomi nus rectè numerantur, quia cum scriptũ sit. Initium sapientiæ timor domini, constat pro culdubio, quia à timore ad sapientiam ascen- *Eccles.1.*
ditur, non autem à sapientia ad timorem reditur. Perfectam quippe habet sapientia charitatem. De centum cubitis, vel de numeri huius sacramento, supra dictum est.

Quid si vis australis siue porta respiciens ad austrum, & quod pro ratione temporum prima atrij exterioris porta orientalis, secunda aquilonaris, tertia dicta sit australis.

CAPVT XIIII.

ET eduxit me ad viam australem, & ecce porta, quæ respiciebat ad austrũ. Et mensus est frontem eius & vestibulum eius, iuxta mensuras superiores, & fenestras eius, & vestibula in circuitu, &c.)vt supra. Post portam aquilonarem exitur ad viam vel portã australem, qua bona significantur, quia post, præcedentis ætatis aduersitatem, & impiorũ perditionem hominum, statim prospera nobis occurrunt, scripturæ ordinem prosequẽtibus, cum (V.g.) ad Noe loquitur Deus. Ec- *Genes.9.*
ce ego statuam pactum meum vobiscum & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quàm in iumentis & pecudibus terræ, cunctisq; quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestijs terræ, statuam pactum meũ vobiscum, & nequaquam interficietur vltra omnis caro aquis diluuij, neq; erit deinceps diluuium dissipans terrã, &c. De cunctis portæ huius mensuris, & de gradibus, quibus ad eam ascenditur, idem sentiendum, nam eadẽ cuncta sunt quæ superius. Et hic quidem dimensionem atrij vel portarum atrij exterioris finis est. Et notandum, in dimensionibus hic esse portarum ordinem, vt prima orientalis, secunda aquilonaris, tertia australis sit, videlicet pro ratione, vel ordine temporum aut rerum, quas hactenus scriptura memorauit. Non ita se ordo habet portarum atrij interioris, sed quo illic nomine vltima erit, id est australis, illo hic prima est, cùm dicitur.

Quòd alio ordine prima interioris atrij porta australis dicitur, secunda orientalis, tertia aquilonaris, et quid significent, & quòd in vestibulo aquilonaris portæ XVI. mensæ quatuor maiores & duodecim minores sint.

CAPVT XV.

ET introduxit me in atrium interius ad portam australem, & mensus est portam iuxta

Septem gradus.

iuxta mensuras superiores, thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius eiusdem mensuris, &c. Quæ prima ponitur porta huius atrij interioris, australis dicitur, quę secũda orientalis, quę verò tertia aquilonaris. Et hoc nimirum iuxta rationem vel ordinem temporum aut rerum, quæ gestę sunt. Nam hoc interius atriũ, illa est series patrum, quã cõtinet Liber generationis Iesu Christi apud
Matth.1. Matthæum. Isti sunt patres, ex quibus Christus secundum carnem verum Dei templũ, templum non manu factum. Australis porta illic est Abraham, oriẽtalis Dauid, aquilonaris transmigratio Babylonis. In hoc vno temporum ratio deficit, quod tamen rerum qualitas exigit, quòd prima (vt iam dictum
Gen.15.& 22. est) australis, secunda dicitur oriẽtalis. Nam secundum, quod Abraham tempore prior fuit, & ad hunc primum promissio facta est beati seminis, quod est Christus, porta hæc, quæ prima ponitur, orientalis rectè dici debuisse videretur. Verùm etsi Dauid tempore posterior fuit, & ad hũc posterius promis-
Psal.119. sio facta est Dei, dicentis: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, est tamen altera non parua pars dignitatis, propter quam hic potius porta dici meretur oriẽtalis. Cuius enim æquè vt Abraham, promissionem accipere meruit, eius mysteria pectore sacro & ore prophetico cecinit Christi filij Dei. Hoc Abraham non fecit. Iste super omnes docentes se prudens, & super senes intelligẽs primus in omni generatione Iesu Christi sacramenta eius, sacramenta natiuitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis quoq;, & regni eius, miranda elegantia decãtauit, & verbis pene nudis, in quantum ratio temporis permisit, aut hominum, quales tunc erant, duritia ferre potuit, pręeunte auctoritate regali, vt quicquam eloqui auderet de regno Dei, & iudicio futuro, de virtutibus futuri seculi, de qualibus Moyses nihil nisi per figuras & ęnigmata scripsit. Rectè igitur dicatur hic porta oriẽtalis, duplici gratia, pater Christi filij Dei, altera, quia & ipse repromissionẽ accepit, altera, quia nascitur post multa tempora fideli corde sacramenta cõcepit, & ore sacro ædidit. Hæc si ritè perpendamus, amplius eo delectabimur, quòd euãgelista Mat-
Matth.1. thæus hunc & ante & post Abrahã in illa generatione nominauit, prius dicendo. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, & post dicendo. Iesse autem genuit Dauid. Aquilonaris porta, vt hic tertia scriberetur, id quoque rerum ordo vel qualitas poposcit, quia videlicet, iuxta quod Hieremias prædixerat ab aquilone pandetur omne malum super habitatores terræ, tota aquilonaris, id est, nimium aduersa erat trãsmigratio Babylonis. Inde autem eadẽ transmigratio porta debuit dici, quia nimirũ tunc gratia prophetica profusior populo Dei, siue atrio templi Dei sese infudit, prophetantibus Hieremia, & hoc ipso Ezechiele, Daniele, Aggæo, Zacharia, & Malachia. Sed & cæteri omnes prophetæ ferè in omnibus, quæ loquuntur circa illã Babylonis captiuitatem versantur, non quod illam tantummodo peccatori comminẽtur populo, sed quòd illa typus fuerit captiuitatis, qua vniuersaliter omnes homines in huius mundi Babylone sub spirituali Nabuchodonosor exulamus, vndè nõ nisi per pœnitentiam, quam omnes prophetæ concordi ter prædicant, & per Christi gratiam liberandi sumus. Vndè rectè in vestibulo portæ huius aquilonaris mensæ hinc & inde numero sedecim visuntur, quæ sunt scripturæ XVI. prophetarum, quorum alij ante, alij post ipsam captiuitatem, alij sub eadem captiuitate prophetauerunt, quorum fidei vel testimonijs, quia totum innititur, quod Deo dignum offerimus, rectè dictũ est, super quas immolabant, & super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum & victima. (Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad aquilonẽ, & facies eorũ contra viã australẽ, vna ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viã aquilonis.) Cantores huius atrij lex & prophetæ sunt. i. omnis scriptura veteris testamẽti libri xxiiij. quos sub numero viginti quatuor seniorũ *Apoc.4.* Apocalypsis Ioann. inducit, adorantes agnũ, & coronas suas, prostratis vultibus offerentes, stantibus coram quatuor animalibus oculatis ante & retro, id est, & in præteritum & in futurum respicientibus, & indefessa voce clamantibus. Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Horum profectò cãtorum gazophylacia extra portam inferiorem, id est, merces omnis extra præsentem vitam reposita est, & facies eorum, facies inquam vna, id est, intentio consona contra viam australem, ex latere portæ orientalis, tendit enim in veram plenitudinem lucis, in aduentum veri orientis Christi filij Dei, quę vidélicet porta respiciebat ad viam aquilonis, vt reuocaret eos, quos abduxerat aquilo diabolus, & aberrare fecerat ab oriente veri & æterni solis. Illud tamen prætereundum nõ est, quòd singula portarum huius, id est, interioris atrij vestibula ad atrium exterius respicere dicũtur, vt videlicet eorum, qui ante legem & eorum, qui sub lege fuerunt sancti & iusti vna fuisse fides, vna expectatio, vel spes intelligatur.

Quid sit mystice, quòd portarũ interioris atrij ascensus numero graduum differunt scilicet, quod illic septẽ hic octo gradus sint. CAP. XVI.

NEc illud prætereundum, q̃ portarũ huius interioris atrij, & portarũ exterioris atrij ascensus numero graduũ differunt. Nam ad illas septẽ graduũ erat ascensus, ad istas octo gradib. ascẽdebatur. Deniq; ante Abrahã, quem primã & australẽ huius atrij por-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam fuisse diximus, nulla octauę mentio est, qua resurrectio significatur, sed in septima finis erat, qua ab operibus suis requieuit deus.
Genes. 2. Ad Abraham primum octauę mentio fuit,
Gene. 17. dicente Deo. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Per circuncisionem infantis fides seminis eius, quod est Christus, signabatur, per octauum diem resurrectio, quæ octaua mundi ætate per eundem Christum donãda erat, præfigurabatur. Sed & in euangelio primum eo ipso Abrahã fidem resurrectionis astruit ipse Christus, dum dicit Saducæis resurrectionem non credentibus. De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est, Deo dicente vobis. Ego sum Deus
Matt. 22. Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non
Exod. 3. est Deus mortuorum, sed viuentium. Et de
Hebr. 11. illo Apostolus dixit. Quia fide obtulit Isaac cùm tentaretur, & vnigenitũ offerebat, qui susceperat repromissiões, ad quem dictũ est.
Gen. 21. Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrãs quia & à mortuis susciture potens est Deus. Igitur vbi secundum scripturas augmẽtum fidei reperitur, rectè ascensionis quoque gradus augentur, & post septem in octauum ascensus perficitur, ob significandum eorum profectum, qui ita crediderunt, vel sperauerunt introire in requiem Dei, & sabbatizare cum illo ab operibus suis, vt etiam crederẽt vel expectarent resurrectionem carnis celebrandam octaua ætate mundi, in cuius fidei signum circuncisionem susceperunt octauę diei.

De gazophylacio sacerdotum, qui excubant in custodijs templi, & gazophylacio sacerdotum, qui excubant ad ministerium altaris, & cur sic dictum sit: Isti sunt filij Sadoch, et quid sit altare ante faciem templi.

CAPVT XVII.

ET dixit ad me. Hoc est gazophylacium, quod respiciebat viam meridianam sacerdotum, qui excubant in custodijs templi. Porrò gazophylacium, quod respicit ad viã aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ministerium altaris.) Notandum quòd sacerdotes, quibus custodiæ templi delegatæ sunt, habitant in gazophylacio, quod respicit ad viam meridianam, in qua lux plenissima est: hi autem qui excubant ad ministerium altaris, in quo offeruntur victimę pro peccato, in gazophylacio sunt, quod respicit viam aquilonis eos, qui ab aquilone veniunt, & offerunt victimas pro peccatis suis, susciperẽ & saluare cupiẽtes. Nimirum vtrinq; gazophylacium, vna sancta scriptura est, in qua thesaurus noster est, si verè simus diuites, si in literę theca aurum spiritus, & sacramentorum Christi precioso nouimus possidere lapides. Hoc tale gazophylacium tam ad meridiem quàm ad aquilonem patet, quia nimirum si scripturã attendas maximè propheticam, diuitias salutis non minus Iudæorum quàm gentium possidet. Qui aũt sunt hi sacerdotes? Ait. (Isti sunt filij Sadoch, qui acce-
dunt de filijs Leui ad dominũ vt ministrent ei. Sadoch iustus interpretatur. Porrò iustitię principiũ fides est, per q̃ & ante circũcisionẽ Abraham iustificatus est. Credidit enim Abraham Deo, & reputatũ est ei ad iustitiam. Benè ergo non dixit, isti sunt filij Abrahæ aut filij Israel, aut certè filij Leui, sed isti sunt filij Sadoch. Non enim omnes, qui ex Israel,
Gen. 15. hi sunt Israelitę, neq; quia semen sunt Abrahę, oẽs filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine igitur isti quorũ gazophylacia hæc sunt, qui iure excubent in custodijs templi, vel ad ministeriũ altaris, isti inquam sunt filij Sadoch, filij iusti Dei, vel Christi filij Dei, & inde veraciter Abrahę filij, quia filij iustitiæ. (Et mẽsus est atriũ longitudine centum cubitorũ, & latitudine centum cubitorũ.) Hic eodẽ sẽ-
Gen. 21. su, quo & in exteriore atrio centũ cubiti intelligẽdi sunt. Nã fideles carnis Christi patres quorum ex carne, quia templũ corporis eius constructum est, idcirco illos atriũ interius esse dicimus, pro peregrinatione, qua in terra aliena propter promissionem peregrinati sunt centuplũ acceperunt. Etenim iuxta apostolum aspicientes in remunerationẽ nequa
Hebr. 11. quam expectatione sua frustrati sunt. Et altare ante faciẽ templi. Altare ante faciem templi fides eorundẽ patrum extitit, quæ digna occursione constructionẽ eiusdem templi, id est, incarnationis Christi prœuenit, quę statim in hoc propheta mysticis designatur mensuris, incipiendo sic.

De gloria Dei, quòd ipsa eadem per mysteriũ templi, quæ & in primis visionibus per quatuor facies, hominis, leonis, vituli, & aquilæ prefigurata sit.

CAPVT XVIII.

ET introduxit me in vestibulum templi, & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde, & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.) Quæ hactenus dicta aut significata sunt, spiritus propheticus duorum annorum, quibus hic propheta vaticinari cæpit, visionibus superposuit, & cuius illic humanitatem glorioſam expresit, per quatuor facies, hominis, leonis, vituli, atq; aquilę volantis, eius hic sempiternam diuinitatem, & eadem humanitate longè antiquiorem miris multumque arcanis modis significauit. Nunc demum quam illic semel & iterum viderat gloriam, hic iam tertio replicat sufficientibus testimonijs assertionem fidei suę roborans, quòd is, qui homo in terris apparuit, qui passus est, qui resurrexit, & in cœlum ascendit, ipse sit, qui cum patre omnia creauit. Ait enim post aliqua. Et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem, & ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat à ma-
Infr 41. 6. iestate eius. Et vidi visionem secundum spe-
ciem

ciem quam videram quando venit vt disperderet ciuitatem, & species secundum aspectum, quem videram iuxta fluuium Chobar, & cecidi super faciem meam. Igitur gau-
Ioan. 1. dentes, & tam cũ isto propheta, quam cũ dilecto Euangelista confitentes, quia vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis, sequamur quantis possumus, quo symmysten suum ducit iste venerabilis vir.

Quid vestibulum hinc quinque & inde quinque cubitorum, & quid porta latitudinem habens trium hinc & trium inde cubitorum, quid columnæ in frontibus, vna hinc, & altera inde.

CAPVT XIX.

ET introduxit me (inquit) in vestibulum templi.) Introduci in vestibulum templi, catechizari est verbo fidei, addiscere causas necessarias aduentus Christi filij Dei, cur sibimet Deus humani corporis templum ædificauerit, propter quos, vtrũ propter quosdam; an absque distinctione personarũ propter omnes homines aduenerit. Hiciam vide quid ille fecerit. Mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde, & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde. Decem cubiti quorum quinque hinc & quinq; inde, me diam habent portam, tribus hinc & tribus inde latam cubitis, decalogus est legis, quæ nihil ad perfectum adduxit, & idcirco necessarium fuit, vt porta iustitiæ Christus in medium eius se offerret, & quasi vtraq; manu defectum suppleret legis infirmę, legis impo-
Hebr. 7. tentis. Hinc Apostolus ait: Nam quod impos-
Rom. 8. sibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Igitur vt iustificatio legis impleretur, porta iustitiæ Christus aduenit, & quasi qui nos dextra leuaque sustentans, cubitos decem præceptorum legẽ aliquid posse effecit. Vndè hæc potentia vel facultas illi homini? Videlicet, quia non homo tantum, sed Deus ipse est, quia qui sex diebus omnia fecit, ipse est, alioqui nec ipse posset. Ait ergo Quia latitudinem portæ tribus cubitis hinc, & tribus inde mẽsus est, qui siunt cubiti sex, cuius nimirũ latitudinis scriptura testis est, quia sex diebus (vt iam dictum est) dixit Deus fiat, & factum est quicquid vsquam creaturarum est. Si dixit & factum est, per verbũ
Rom. 3. vtiq; factum est. Christus autem Dei verbũ
Matth. 9. est. Idcirco potuit, idcirco legem imperfectã ad perfectum adduxit. Et hic nõ propter Iudæorum tantum, sed & propter gentium salutem venit, imò non iustos, sed peccatores vocare venit. Sequitur ergo. (Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem vndecim cubitorum.) Hic numerus, scilicet viginti, in decenario limite binarius est. Ergo longitudo vestibuli cubitorum vi-
ginti, extensionem significat gratiæ Christi, cuius aduentus non vsque ad Iudæos tantũ, sed & vsque ad saluandas gentes pertingit. Porrò vndenarius numerus peccatorum typus est. Omne enim peccatum vndenarium, quia cum quis peruersa ait, præcepta decalogi transit. Magna ergo si ad mysterium spectes latitudo vestibuli, magna enim & ampla gratia iusti dei, quę vniuersum mundum sub peccati onere curuum intra sinus suos recipit. (Et octo gradibus ascendebatur ad eam.) De octo gradib. iam supra dictum est, nec repetere oportet, nisi fortè ex euangelio gradus eosdem suscipiamus, alijs nominibus vt dicamus octo beatitudines. Quarum prima, beati pauperes spiritu, octaua est, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniã ipsorum est regnum cælorum. (Et columnæ erant in frontibus, vna hinc & altera inde.) Columnæ in frontib. duæ sunt, *Matth. 9.*
vna hinc, quæ vocatur misericordia, altera inde, cui nomen iudicium. Hinc misericordiæ, illinc iudicij columna stat. Primo nanque aduentu suo Christus dominus misericors venit ad redimendum, secundo veniet ad iudicandum. Hæc omnis est introductio in vestibulum templi, quia videlicet hæc omnia credere & confiteri oportet eum, qui templum ingredi, id est, corpori Christi per baptismum cupit vniri.

De eo quòd ait: Et introduxit me in templum. Et quid sit latitudinis frontium sex cubiti hinc & sex inde, & quid latitudinis portæ quinq; hinc & quinque inde.

CAPVT XX.

ET introduxit me in templum, & mensus est frõtes sex cubitos latitudinis hinc, & *CA. XLI.*
sex cubitos latitudinis inde. Latitudo tabernaculi, & latitudo portę decẽ cubitorũ erat, & latera portę quinq; cubitis hinc, & quinq; cubitis inde.) Post vestibuli stationem in ipsum templum introduci est, data confessione baptizati in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Nam ex eo quisque sic in illud templum dominici corporis ingressus est, vt & Christum induerit, testante Apostolo, cũ *Gal. 3.*
dicit. Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sex, inquit, cubitos hinc latitudinis, & sex cubitos latitudinis inde. Hæc est latitudo confessionis, quam debet scire quisquis hoc templum ingredi meruit. Sex cubitos quo dierum numero creaturæ multitudinem creator vnus explicuit, sex inquam, cubitos hinc Apostolus confitetur, *Coloss. 1.*
cùm dicit. Quia in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Sex itidem inde cubitos confitetur cũ protinus subiungit. Et ipse caput ecclesię, qui est principiũ primogenitus ex mortuis, vt sit in omnib. ipse primatũ tenẽs, quia in ipso cõplacuit omnẽ plenitudinẽ

habitare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

habitare,& per eum reconciliare omnia,in ipſum pacificans per ſanguiné crucis,ſiue quę in cælis,ſiue quæ in terris ſunt. Iſtæ ſunt frõtes templi,iſte pulcher aſpectus, magnumq; & luminoſum ſpectaculum in oculis animæ conſitentis. Sed hæc ipſa pulchritudo confeſſionis opera requirit. Sequitur ergo. (Latitudo portæ decem cubitorũ erat,& latera portæ quinq; cubitis hinc, & quinq; cubitis inde.) Tabernaculũ interiorẽ domũ dicit. Per cuius circuitum latera. i. tabulæ bis triginta tria erant, vt ſequens ſermo deſcribit. Porrò latitudo portæ introitus eiuſdem tabernaculi erat,patens decem cubitis,& latera habens, quinis hinc inde cubitis,qui ſimul ſunt viginti cubiti,quæ erat latitudo tabernaculi. Nam continuò ſubiungit. (Et menſus eſt longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.)Igitur latitudo portę decem cubitorum poſt ea, quæ prædicta ſunt bonorum eſt inceſſuſoperum,per latitudinem charitatis currentium, de qua totum pendere conſtat legis decalogum. Fides enim per dilectionem operatur, & idcirco ſenis frontium cubitis,ſtatim huiuſce latitudinis porta coram panditur.

Gal. 5.

De diſpoſitione oraculi,& quid ſit in fronte porta menſura duorum cubitorum.

CAP. XXI.

ET introgreſſus intrinſecus, menſus eſt in fronte portæ duos cubitos, & portam ſex cubitorum,& latitudinem portę ſeptem cubitorum. Et menſus eſt longitudinem eius viginti cubitorum , & latitudinem viginti cubitorum,ante faciem templi. Et dixit ad me. Hoc eſt ſanctum ſanctorum.) Oraculum ſiue ſanctum ſanctorum in templo Deus eſt in Chriſto. Vndè dicit Apoſtolus. Deus erat in Chriſto,mundũ reconcilians ſibi. Oraculum aũt & præforib. oraculi templum,ſicut nõ duo templa, ſed vnũ templũ, ſic hominẽ,& in homine deũ,nõ duos Chriſtos,ſed vnum confitemur Chriſtũ. De vocibus ſiue reſponſis huius oraculi,& de diſpoſitione verbi incarnati, illud ſacri corporis templũ inhabitantis,non ſolũ Apoſtoli, ſed & ipſe Chriſtus iugiter ſecundũ hominẽ pepẽdit, vt nihil à ſemetipſo faceret, aut iudicaret,ita vt (V.g.)gentem ſuã, vel ciuitatẽ Hieruſalem ruituram flere poſſet, flendo tamen non liberaret. Oraculũ illud, quantæ longitudinis, tantæ & latitudinis, tantæ nihilominus erat & altitudinis,quia videlicet Chriſti domini noſtri diuinitas,quantæ antiquitatis quæ per longitudinẽ, quantę maieſtatis,quæ per altitudinem,tantæ omnino charitatis eſt quæ intelligitur per latitudinem. Porrò longitudo templi quadraginta cubitorum, qui numerus ſemper in labore poſitus eſt,labores ſignificat vitæ præſentis, quos in corpore ſuo dominicus homo longanimiter pertulit. Totum hoc breuiter in fronte portæ deſignant cubiti duo, dum confitemur, quod vnus,idemq́ue CHRISTVS Deus & homo ſit, quæ ſumma eſt catholicæ confeſſionis.

2.Cor.5.

Luca 19.

Quid ſignificent latera bis triginta tria, & quid quòd erat lateris longitudo ſex cubitorum, latitudo quatuor cubitorum, & quid quòd latera hæc parietẽ templi non attingebant.

CAPVT XXII.

ET menſus eſt parietem domus ſex cubitorum,& latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus. Latera autem latus ad latus bis trigintatria, & erant eminentia quæ egrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, vt cõtinerent,& non attingerent parietẽ templi.) Latera bis trigintatria,dicendo,cum ſexaginta ſex dicere potuerit,amplius placet intellectui, quia videlicet trigintatribus annis templum dominici corporis, & in illo templo ſuo deus maieſtatis filius dei patris ſuſtinuit in hoc mundo peregrinari. Idcirco rectè diſtinguuntur latera bis trigintatria, quia nimirũ per tot annos obediẽtiæ patri ſeruiuit, vtraq; diuina ſcilicet & humana Chriſti natura(Erat autem lateris longitudo ſex cubitorum,& latitudo quatuor cubitorũ.) Illo, id eſt, ſenario numero perfectio diuinorum operum, quæ operabatur mirabiliter, quem admodum dicit. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, iſto autem,id eſt, quaternario quatuor ſignificantur elementa huius mundi,ſub quibus ſeruiuit exinanitus in forma ſerui,in ſimilitudine hominũ factus, & habitu inuentus vt homo. Latera hęc non attingebant parietem templi, quia videlicet non permanſuros aſſumpſit labores vitę præſentis,ſed temporales,quos omninò amoueret gloria reſurrectionis, teſtante Apoſtolo, cùm dicit. Nunc autem ſemel in conſumma tionem ſeculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit, & quemadmodum ſtatutum eſt hominib. ſemel mori, poſt hoc autem iudiciũ, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt,ad multorum exhaurienda peccata, ſecundo apparebit ſine peccato expectantib. ſe per ſalutem in fide.

Ioan 15.

Philip. 2.

Hebr. 9.

Quid ſit myſticè in hoc templo triſtega,id eſt, tria cœnacula,quid ſit per oſtium aſcendere ad ſuperiora & medium,& quid ſit illud oſtium.

CAPVT XXIII.

ET platea erat in rotundum aſcẽdens ſurſum per cochleam,& in cœnaculum templi deferebat per gyrum, idcirco latius erat templum in ſuperioribus,& ſic de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora in medium.) Quod dixit, ad ſuperiora in medium, idem eſt ac ſi dicat, in medium & ſuperius cœnaculum. Triſtega enim erant, de quibus & in templo Salomonis iuxta myſterium diximus,& nunc dicimus,quia in hoc diuinitatis templo, in hoc DEO vel homine Chriſto tria tabulata ſunt, & neceſſe eſt, vt quiſquis

3.Reg.6.

quis in Chriſto manere deſiderat, in quolibet eorum fideliter conſiſtat. Quæ nam ſunt tabulata hæc? Profectò tres benè viuendi diſtinctiones. Tres credentium in Chriſtum ordines, quod & ipſe myſticè diſcernens. Duo,inquit,in agro,duę molentes in vnum, duo in lecto, vnus aſſumetur & vnus relinquetur. Itidem, iſti ſunt ordines,quos in iſto propheta ſub nominib. intelligimus, Iob, Noe,Daniel, & cætera, vt ibi legere potes. Dicamus & aliud. Cùm de hac, quam in terris agis vita, ad requiem ſpiritus in futuro peruenerimus,quaſi ad ſuperiorem gradum domus tẽdim⁹,& vbi carne ſoluti, ad requié ſpiritus aſcenderimus,carnis etiam noſtræ receptionem in die reſurrectionis quaſi ſuprem cœnaculi expectamus aſcenſum. Quòd autem platea erat in rotundum aſcendens ſurſum per cochleam & in cœnaculum templi,deferebat per gyrum,& idcirco latius erat templum in ſuperioribus, & ſic de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora,& in medium. Puto perſpicuum eſſe lectori,ſemper anguſtiora eſſe quæ deorſum ſunt, paulatim que dum ad ſumma contendimus,latiorem nobis aperiri viam, & impleri quod ſcriptũ eſt. In tribulatione dilataſti mihi. Per rotundum autem & cochleam aſcendimus templi cœnaculum. Quæ figura inter omnia ſchemata à philoſophis quoque huius ſeculi pulchrior approbatur, dum & cælum,& ſol,& luna,& aſtra cætera,& punctũ terræ, in corporibus quoque humanis oculi quaſi altera ſydera, & figura capitis quod omniũ ſenſum receptaculum eſt, teretesque digiti, fœmora, & brachia hanc præferunt rotunditatem. (Et oſtium,inquit,lateris ad orientẽ.) Et de hoc oſtio in deſcriptione templi Salomonis ſcriptum eſt. Oſtium lateris medij in pariete erat domus dexteræ,& per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum,& à medio in tertium. De hoc ita diximus. Oſtium lateris templi vulnus eſt in latere lanceato dominici corporis, præter quod non eſt aditus,nõ eſt oſtium vel ianua,qua intret quis, vt in quouis ordine coram Deo ſtare poſsit. Nam ex illo latere, cũ lancea percuſſum eſſet,ſanguis & aqua profluxit,quo ſacramento deletum eſt peccatũ mundi, in quo & baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, dicente Apoſtolo. Quia quic ũq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Ergo vnum eſt oſtium, vnum baptiſma, per q̃ in introitu in illud dei templum, quo cùm admiſſus fuerit, tum demum aſcendere licet, vel à primo in medium, vel à medio in tertium,prout delectauerit quenque aſcenſus virtutum,vel celſitudo meritorum. Aliqua quæ planiora ſunt percurrimus,vt difficilioribus atque vtilioribus immoremur.

Matth.24.

Ezech.14.

Pſal. 4.

3.Reg.6.

Ioan. 9.
Rom.6.
Ephe. 4.

Quomodo in domo erant laquearia prima poſt triginta cubitos,ſecunda poſt ſexaginta, tertia poſt C. & XX. & quomodo myſtice intelligendum ſit. Et vidi in domo altitudinem per circuitum,& cætera.

CAPVT XXIIII.

ET vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera, ad menſuram calami ſex cubitorum ſpacio. Et latitudinem per parietem lateris forinſecus quinque cubitorum,& interior domus in laterib. domus.) Latera iſta eiuſmodi intelligenda ſunt, de qualibus ſcriptura libri Regum in deſcriptione templi Salomonis dicit. Texit quoq; domum laquearibus cedrinis. Porrò laquearia ſunt tabulata quæ ſuppoſita trabibus affigũtur clauis, decoremque picturæ ſuæ ſolent aſpectantibus præmonſtrare mirandũ. Terna autem erant in templo laquearia,prima videlicet poſt triginta cubitos à pauimẽto,ſecunda poſt cubitos ſexaginta cõtra ſummitatem porticuum, tertia poſt cubitos centum viginti in ſummitate totius domus. Nõ enim in Paleſtina, ſicut nec in Aegypto culmina in tectis habentur, ſed plana potius tecta domorum,ad ſedendum videlicet, vel deambulandum apta conſtruuntur. Vnde dicit in Euangelio Dominus. Et quod in aure auditis,prædicabitur in tectis. Cæterùm ſpiritualiter, & nos templum hoc per fidem ingreſsi,videmus altitudinem per circuitum fundata latera, ad menſuram calami ſex cubitorum ſpacio,& latitudinem per parietem lateris forinſecus quinque cubitorum. Quę ſunt hæc in altitudine, & per circuitum latera,niſi alta & perfecta quæ in templo illo dominici hominis recondita ſunt intelligentiæ ſpiritualis arcana? Vnde benè ad menſuram calami ſex cubitorum dicuntur fundata, quia iuxta menſuram, quam vnicuique prophetarum ſiue Apoſtolorum diuiſit Deus, firmiter & ſtabili fide ſunt omnia cõſcripta. Porrò forinſecus latitudo quinque cubitorum, qui numerus carnalib. propter quinq; corporis ſenſus magis cõpetit, literalis ſiue hiſtoria ſcripturarũ eſt mediocritas, quę ardua cæleſtiũ myſteria ſpectare non valentib. per diſcretionem eſt proponenda. Interior domus,in laterib. domus, de quibus ſuprà diximus, Euangelica propriè doctrina eſt, quam & præcipuè in hoc templo altitudinem videmus ad menſurã calami ſex cubitorũ, itemq́; ad menſurã quinq; cubitorum, vt ſicut iam dictum eſt,& magis perfecti, qui per ſenariũ & mediocres qui per quinarium diſcernendi ſignificantur, numerum habeant quo vtiliter leuent internorum aciem oculorum. (Et inter Gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus vndiq;.) Subauditur vidi. Gazophylacia hæc theſauros omnes ſapientiæ & ſcientiæ, qui in hoc templo, id eſt,in Chriſto ſunt abſconditi, latitudo autem inter hæc cubitorum viginti, qui numerus binarius eſt in decenis ſuperexcellentiorem viam ſignificat geminæ charitatis, Dei & proximi, ſine qua nihil cætera chariſmata prodeſſe Apoſtolus aſſerit.

3.Reg.6.

Luca 19.

1.Cor. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. LXI. *Ex eo quòd templum humani corporis Deus maiestatis sibimet condiderit, quis nobis fructus accesserit, secundum id quod ait: Et ædificium quod erat separatum, & cætera.*

CAPVT XXV.

Colloss. 1. EX eo quòd secundum propheticam visionem, Deus maiestatis, templum sibimet humani corporis condidit, quis nobis fructus accessit? Quis nisi, quod Apostolus ait, in ipso complacuit omnem plenitudinẽ habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cælis sunt? Sequitur ergo. (Et ædificium quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare latitudinis LXX. cubitorum. Paries autem ædificij quinque cubitorum latitudinis per circuitum, & longitudo eius XC. cubitorũ, & mẽsus est domũ longitudine C. cubitorum, & quod separatum erat ædificium, & paries eius longitudinis C. cubitorum.) Et ædificium, inquit, quod erat separatum. Quod illud ædificium? Nimirum beata sanctorum societas angelorum, quos inter & nos grandis erat separatio, grãde disidium. Idcircò dicitur, ædificium erat separatum. Et continuò subiungitur. Versumque ad viam respicientẽ ad mare. Via respiciens ad mare, Deus noster Christus erat, quippe qui & per prophetas suos prænunciabat, quod in plenitudine temporis dignaretur ad nos descẽdere, & in nostro mari naufragium mortis, atque in exemplum Ionæ triduanam sepulturam subire. Ad hanc viam versum illud ædificium separatum, eius nanque gratiam expectabat sanctorum charitas angelorum à nobis separatorum, expectabat, inquam, quã do pacificaret, & coniungeret nos cum illis per sanguinem suum. Illud ædificium LXX. latitudinis cubitos habebat, qui numerus in decenis septenarius est, & idcircò in limite latiori latissimam charitatis requiem, latitudo ista significat. qua iam tunc & sine nobis in Deo suo societas angelica requiescebat. Attamen plurimum perfectioni vel institutioni deerat, quia videlicet ouis centesima perierat, dragma decima perdita fuerat. Ait ergo. Paries autem ædificij quinque cubitorum latitudinis per circuitum, & longitudo eius nonaginta cubitorum. Quinarius qui secundæ vnitatis, id est, denarij medietas est, nondum plenam, nondum perfectam multiformis sapientiæ Dei notitiam significat. Nam sciebant quidem iam beati angeli, quãtæ Deus esset potentiæ, sed nondum experimento didicerant, quantæ idem esset clemẽtiæ. Istud perdiscere habebant per ammirabile opus reparationis nostræ. Vnde dicit Apostolus. Et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis, in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat principibus & potestatibus, in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Ergo paries quasi semiplenus, id est, quinque cubitorum erat, ad integrum, quod per secundã vnitatem, id est, per denarium, intelligitur, nondum peruenerat. Sed & longitudo eius nonaginta cubitorum erat, & ad centum nõ peruenerat. Numerus quippe cẽtesima oue perdita, diminutus erat. Sed quid fecit ille? mensus est domum longitudine cubitorum & quod separatum erat ædificium, & parietes eius longitudinis cẽtum cubitorum. (La titudo autem ante faciem domus, & eius q̃ erat separatum contra orientem, centum cubitorum.) Dimensio ista quadra est. Et est sensus. Ouem centesimam ad ouile repor tauit, & ouium suarum numerum ad integrum suppleuit, & sicut centenarius numerus quadratus est, decies enim decem, centũ efficiunt, ita suum ouile magna quondam parte mutilatum, totum reformauit, atque repleuit, quasi per quadrum.

Luca 15.

De eo quod ait: Et mensus est longitudinem ædificij, & cætera, quid per ea significetur.

CAPVT XXVI.

ET mensus est longitudinem ædificij contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum, & hecthecas ex vtraque parte centũ cubitorum, & templum interius, & vestibula atrij, limina & fenestras obliquas, & hecthecas in circuitu per tres partes, contra vniuscuiusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu. A terra autem, vsque ad fenestras, & fenestræ clausę super ostia, & vsque ad domum interiorem, & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus & forinsecus ad mensuras & fabrefacta Cherubin & palmæ, & palma inter Cherubin & Cherub.) Vbi prædictum templum ædificatum, imò & Iudaica impietate solutum, diuina in triduo potentia resuscitatum est, continuò quod separatum erat ædificium perfectum, & de nonaginta in centum cubitos prouectum est, id est, beata societas angelorum dragmæ decimæ quæ perdita fuerat, & ouis centesimæ quæ perierat, inuentione redintegrata est. Omnes quippe qui Christi gratiam expectauerant electi ab origine mũdi, tunc apertis eiusdem ædificij portis introierunt, & pro inuentione ouis, quam pastor pius proprijs reportabat humeris, totũ illud exhilaratum ouile ouium cælestium, gaudiumque fuit commune amicorum congratulantium. Sed erat adhuc locus, nec enim totus ex illis qui aduentum huius gratię præcesserant, completus erat præfinitus ab initio electorum numerus. Ergo mensus est, inquit, longitudinem ædificij ad dorsum. Quid est ad dorsum, nisi post discessum sutũ? Denique postquam discesit venerabilis iste vir, mensus est longitudinem centum cubitorum, longitudinem ædificij contra faciem eius, quod erat separatum, id est, postquam

Luca 15.

Ephes. 2.

Ephes. 4.

postquam in cælum ascendit, dedit dona hominibus plena largitate, quasi cẽtenaria perfectione, propter eos qui adhuc erant inimici non credendo, vel non cognoscendo Christum filium Dei. Vestibula atrij, limina, fenestræ obliquæ, & hecthecæ, id est, eminentia ex vtraque parte, diuersa significant ministeria sanctorum Apostolorum, prophetarum, Euangelistarum, doctorum, atq; pastorum, quos posuit, vel dedit ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, id est, ecclesiæ, quæ & ipsa est templum Dei, quod & hic dicitur templum interius, quod ad dorsum, id est, post ascensum suum (vt iam diximus) mensus est hic sæpedictus vir. Hecthecas autem Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia, siue mœnia ab eo qui primus inuenit. Cælata erant omnia vel fabrefacta, à pauimento vsque ad fenestras, & fenestræ clausæ, &c. Nihil enim absque ratione & mensura, in dei templo à deo factũ est, à pauimento vsque ad fenestras, id est, ab infimo electo vsque ad prædicatores clarissimos, per quos domui Dei veritatis insulsit claritas. Quid autem est, quòd clausæ quoque fenestræ, cælatæ dicuntur, aut fabre factæ? Nimirum illud quod hodie per totum mundum mirando gaudemus, & gaudendo miramur, quia postquam morte interueniente, clausa sunt ora beatorum Apostolorum Christi, per quos velut fenestras, illuminatus est mũdus, dum adhuc paterẽt, adhuc & vocis officio, scilicet in prædicatione fungerentur, postquã clausæ sunt illæ fenestræ, pulchrius atque splendidius celatæ atque fabricatæ sunt, cęlatura virtutum, fabricatura miraculorum. Ibi Cherubin & palmæ, id est, quã in scriptis eorũ quotidie scrutamur multitudo scientiæ, & quas in gestis eorum veneramur, non incruentæ martyrij victoriæ. Ibi facies hominis iuxta palmam ex hac parte, & facies leonis iuxta palmam ex alia parte, tota enim eorum doctrina hæc duo nobis cathegorizat, quia qui primo aduentu suo venit nobis vt homo mansuetus, in multitudine misericordiæ, secundo aduẽtu venturus est tanquam leo terribilis in magna iudicij fortitudine.

Quòd ait: Hæc est mensura coram Domino, videlicet altare ligneum, significans crucis mysterium, & corporis ac sanguinis sacramentum, & quid altitudo eius trium cubitorum, quid significet longitudo eius duorum cubitorum.

CAPVT XXVII.

ALtaris lignei trium cubitorum altitudo est, & longitudo eius duorum cubitorum, & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei. Et locutus est ad me. Hæc est mensa coram domino.) Nimirum & hoc ad dorsum vir ille mensus est. Altare quippe ligneum, mysterium crucis, mysterium & sacramentum passionis Christi est. Cùm venisset hora eius, vt transiret ex hoc mundo ad patrem, in ipso transitu respiciens ad dorsum, id est, ad nos, qui creditu ri eramus, post eundem ipsum transitum, mensus est altare ligneum, id est, iam dictum crucis vel passionis suæ sacramentum, substantiam panis & vini accipiens in manibus suis dicensque post benedictionem. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Altaris huius altitudo trium cubitorum, longitudo duorum cubitorum est. Altitudo trium cubitorum fides est sanctæ trinitatis, sine qua nusquam est altare Dei. Longitudo duorum cubitorum extentio geminæ dilectionis, Dei & proximi, sine qua nihil dignũ deo potest offerri, qua plurimũ indiget quisquis ad hoc altare hostiam viuam sacrificaturus accedit. Anguli eius, longitudo eius, & parietes eius lignei, totum quippe altaris Christi sacramentum de ligno constant viuifice crucis, quia totius sacrificij summa est passio eius, qui pro omni mundo semetipsum super liguum crucis sacrificauit, & hæc est, inquit, mensa coram Domino, subauditur, sola & vnica, nam Iudaici mensa sacrificij, iam non est coram domino. Ne offeratis, inquit, vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Item: Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? subauditur, non. Sed quid? Immola Deo sacrificium laudis, & multa his similia.

Ioan. 13.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luce 22.
1. Cor. 15.
Matth. 22
Esa. 1.

Quid in templo vel sanctuario duo ostia, & quid ex vtraque parte bina significent ostiola.

CAPVT XXVIII.

ET duo ostia erant in templo, & in sanctuario. Et in duobus ostijs ex vtraque parte bina erant ostiola, quæ in se inuicem plicabantur, bina enim ostia erant ex vtraq; parte ostiorum.) Duo templi & sanctuarij ostia, duo sunt testamenta, quorum & ædituus est ipse, cuius est templũ, sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. In his duobus ostijs ex vtraque parte bina sunt ostiola, quæ in se inuicem plicantur, quod iuxta literam perspicuum est. Solent enim in maioribus triclinijs bina sibi hærere ostia atque cõiungi, vt maior introitus nequaquam duobus & ingẽtib. sed & quatuor claudatur minorib. vel aperiatur forib. iuxta sensum spiritualẽ bina erant ex vtraq; parte ostiola quæ in se inuicẽ plicabantur, vt & in historia spiritus habeas intelligentiam, & tropologia historiæ veritatem. Quorum vtrunque altero indiget, & si vnum defuerit, perfecta caret scientia. (Et cęlata erant in ipsis ostijs templi Cherubin & scripturæ palmarum, sicut & in parietibus quoq; expressa erant. Quam ob rem erant grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus.) Cęlata, inquit, erãt in ipsis ostijs Cherubin & sculpturæ palmarũ.

Apoc. 3.

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid enim sacra vtriusque sacramenti scriptura, nisi scientiæ multitudinem, & victoriæ continet insignia? Ex illa Deum cognoscimus, quem scire summæ est vertex scientiæ, ex illa sumimus arma, quibus vtendo nõ aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, feliciter cũ palma iustitiæ queamus ad coronam victoriæ peruenire. Vnde & grossiora, inquit, ligna erant in uestibulo portæ forinsecus, vt & firmitatem haberent, & celaturam possent recipere. Pulchreque iuxta intelligentiam spiritualem firmiora & cælata sunt ostia, vt & firmitatem habeant & pulchritudinem, ne quis ad sancta sanctorum similis Oziæ posset irrumpere, & sibi sacerdotiũ vendicare.

Ephe. 6.

Quòd ecclesia gentium nihil minus habuerit, & q̃ Iudæi & Græci Deus nullam distinctionem fecerit. Et hoc rectè intelligi in eo quod ait: In facie longitudinis centum cubitos ostij, & cætera.

CAPVT XXIX.

CA. LXII ET eduxit me in atrium exterius per viã educentem ad aquilonem, & induxit me in Gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad aquilonem. In facie longitudinis centum cubitos ostij aquilonis, & latitudinis quinquaginta cubitos contra viginti cubitos atrij interioris, & contra pauimentum stratũ lapide atrij exterioris, vbi erat porticus iuncta porticui triplici.) Has maximè partes ille vir ad dorsum mensus est. Hæc est enim ecclesia de gentibus, cuius hic mensuræ describuntur, quæ sub aquilone iacens frigida,

Matth. 9. Luc. 8.

nullum caloris aut luminis diuini acceperat beneficium. Postquam vir ille, qui in cælum ascendit, quasi ad dorsum eius accessit, cuius faciem, id est, præsentiam in carne non vidit, & credendo in illum iam assumptum Euangelicæ gratiæ mensuras centenas, & quinquagenas accepit, sicut in typum eius mulier illa quæ fluxum sanguinis patiebatur, accedẽs retro, & tangens fimbriam vestimenti, per fidem suam saluari meruit. Eduxit me, inquit, in atrium exterius, per viam ducentẽ ad aquilonem, tunc videlicet, quando Iudæis, qui quasi in meridie erant, repellentibus & blasphemãtibus, vsi sunt Apostoli auctoritate spiritus sancti, vt dicerent. Vobis quidẽ oportebat primùm loqui verbũ Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternę vitæ, eccè cõuertimur ad gẽtes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in salutem gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Sic nimirum prę cipiendo Dominus induxit prophetam, in-

Actor. 13 Esa. 49.

Rom. 3.

duxit Apostolorum chorum in Gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium, & contra ædem vergentem ad aquilonem, aperuit enim illis veritatis thesaurum, vt ex scripturis intelligerent vocationem gentium, quod non Iudæorum tantum esset Deus, sed & gentium, à quibus eatenus illud sæpe dictum cæleste ædificium erat separatum. In facie longitudinis centum cubitos mensus est ostij aquilonis, & latitudinis quinquaginta cubitos. Quid enim Ecclesia gentium minus habuit, vel quam Iudæi & Græci distinctionem Deus fecit? Latitudo quinquaginta cubitorum, largissima est remissio peccatorum, pro qua decertans Apostolus, quod ex fide sit, non ex operibus legis, illud maximum in testimonium adduxit, quod Abraham non ex circuncisione, sed ante circuncisionem per fidem iustificatus sit. Longitudo centum cubitorum plena & perfecta est remuneratio futurorũ Græco non minus, quàm Iudæo reposita, iuxta eundem Apostolũ. Gloria eñ, inq̃t, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudęo primùm & Græco. Vbi erat, inquit, porticus iuncta porticui triplici. Porticui triplici, id est, laquearea terna habẽti. Nam & post modum subdit. (Tristega enim erant, & nõ habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum.) Assertio est fidei gentium, & ammiratio facilitatis eorum, quia veloces fuerunt ad credẽdum. Porticus erat iuncta porticui triplici, etenim tristega erant, & cùm columnas non habebant, sicut erant columnæ atriorum, id est, auditus vel sensus eorũ, citò admixtus est Apostolicæ fidei, & confessionem velociter suscepit sanctæ & indiuiduæ trinitatis, & tamen patriarchas aut ꝓphetas non habuerunt, quæ fuerunt columnæ Iudęorum.

Rom. 2.

De mensuris quingentorum calamorum, per circuitum, vel ad quatuor mundi partes, quomodo scientiam scripturarum significent, post reconciliationem generis humani, per Christum in quatuor mundi partes diffusam.

CAPVT XXX.

CVmq; complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viã portæ quę respiciebat ad viam orientalẽ, & mẽsus est eam vndiq; per circuitũ. Mensus est autẽ contra ventũ orientalem in calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ percircuitũ. Et mensus est contra ventũ a quilonarem, quingentos calamos in calamo mẽsuræ per gyrũ. Et ad ventum australẽ mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. Et ad ventum occidentalem mẽsus est quingentos calamos in calamo mensuræ. Per quatuor ventos mensus est murũ eius.) Quia prophetam, imò prophetæ ductorem mirabilem virum, & sapientem architectum quantum potuimus in hac visione secuti, & illud, quòd per ipsum omnia facta sunt, & illud, ꝙ per ipsum omnia instaurata sunt beneuola fide confessi sumus, ꝙ ad nostri maximè operis pertinebat propositũ, deinceps

deinceps plura omittentes propter compendium, illa tãtum de hac ipsa visione sumem⁹ quæ potiora sunt. Primò dicendum iuxta literalem descriptionem, quia hic murus simul duo millia calamos habebat. Sin autem calamus sex cubitorum erat, & palmi qui sexta pars cubiti est, perspicuum est, murum exteriorem per circuitum habuisse calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia trecentos triginta & tres, & trientem de duobus millibus. Prudens lector & diligens legat librum Iesu filij Naue, & inueniet quomodo in suburbanis hæc mensura tenetur. Cæterùm, vt ad mysticum reuertamur

Psal. 75.

sensum, quid post diuisiones templi atriorũ siue ædificiorum, tanta significat multiplicitas calamorum, nisi illam quæ post incarnationem Christi, per ipsum facta est reconciliationem generis humani, & quæ per quatuor partes mundi diffusa est scientiam scripturarum? Etenim prius tantum in Iudæa notus erat deus, & illic sacra scriptura quæ per calamum intelligitur in angusto detinebatur. Nunc autem ex quo Christus in cælũ ascendit, ecclesia eius in orientem, septentrionem, meridiem, & occidentem, quasi quingentis dilatata est calamis, id est, multiplicẽ habet scientiam Dei, & ex paucis legis & prophetarum & Euangelicorum libris, tractando atq; commentando armaria sua mundus impleuit. Quod autem hæc multiplicitas, duodecim millia cum trecentis triginta tribus effecit, & insuper trientẽ de duobus millibus, illud continet sacramentum, vt singulis Apostolis millenus numerus deputetur, & tamen ad mensuram plenitudinis Christi, & perfecti nemo veniat, nisi iungantur ei trecenti & triginta tres cubiti, per quos sanctæ & indiuiduæ trinitatis mysteriũ demonstratur. Præterea quingẽtesimus numerus, q vicenus est quinquagenario, ꝙ ad remissionem pertineat omniũ peccatorũ, nõ solum vetus scriptura, sed & saluatoris in euãgelio

Luc. 7.

verba demõstrant, dicẽtis: Duo debitores erant cuidã fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentib. illis vnde redderent, donauit vtrisque. Et murus diuidit inter sanctuarium, & vulgi locũ. Ex quo intelligimus, omnem supra templi descriptionem sacerdotum qui sunt filij Sadoch ministerijs delegatam, hunc eñ numerũ q tanto spatio dilatetur, & vniuersa circumeat, separare sanctuariũ & vulgi locum.

Quòd ait: Vidi visiones secundum speciem quam vi deram, quando venit vt disperderet, &c.

CAPVT XXXI.

CAPVT XLIII. ET duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem, & eccè gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & vox erat ei quasi vox aquarum multarũ, & terra splendebat à maiestate eius. Et vidi visionem secundum speciem quam viderã, quãdo venit vt disperderet ciuitatẽ, & speciesecundũ aspectum quem videram iuxta fluuiũ Chobar, & cecidit super faciẽ meã.) Ordo tamen fidei necessarius hic perfectus est, dum post cunctas diuisiones superiora longè repetens, & vidi, inquit, visionem secundum speciem quam videram quando venit vt disperderet ciuitatem, & species secundum aspectum quem videram iuxta fluuiũ Chobar, subauditur anno quinto. Itemq́ue, anno sexto transmigrationis regis Ioachim. Quinam ille aspectus, vel quæ illæ species fuerunt? Nimirum aspectus hominis, aspectus leonis, aspectus vituli, aspectus aquilæ volantis. Aspectibus vel speciebus illis vera humanitas, vera passio, resurrectio quoque

Rom. 10.

& ascensio significabatur Christi filij Dei, quæ omnia corde credere ad iustitiam, & ore confiteri oportet ad salutem. Sed hæc quidem Euangelica doctrina est, & familiarius paruulis quasi lactis alimonia dulcis auditu, & salubris animæ gustu est. Veruntamen ad

Ioan. 1.

perfectionem fidei necdum satis est, nisi post lactis populum proficiendo ad solidum perueniat cibum, vt credat & confiteatur, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & deus erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt, & isto illud posterius esse, quod prius capere potuit, scilicet quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & secundum illas facies hominis, vituli, leonis, atque aquilæ volantis, videndam nobis gloriam suam præbuit. Rectè igitur prioribꝰ ꝓphetiæ suæ annis, illud accepit vel scripsit, ꝙ commodius capere possunt paruuli, & tandem in hac extrema visione pro exercitatione perfectiores habẽs sensus accepit, vel perfectos habentib. sensus scripsit, quod antea facies illa Christus dei filius fuerit, & tunc demum cadit super faciem suam, videlicet perfecta adoratione verus adorator adorãs in spiritu & veritate.

De eo quod ait: Et conuertit me ad viam portæ sanctuarij, &c. quòd per hæc in isto quoque virginalem partum visio prophetica designet.

CAPVT XXXII.

VEruntamen quantumuis fodiendo in altum de occulto visionis huius thesauro necdũ cuncta protulimus quæcunq; de Christo deo & domino nostro credere vel confiteri Christiana veritate compellimur. Necdum enim illud vsquam consulta litera nobis respondit, quod permaximè splendet in omni pulchritudine catholicæ confessionis, quod illa facies hominis quam sæpe dixit, de virgine matre concepta & ædita sit. Sequamur ergo & iuxta vestigia sanctorum patrum, qui hæc loca scrutati sunt, nos quoque scrutantes audiamus atq; intelligentes gaudeamus inuenisse nos, quod non fuerit oblitus iste propheta sanctus confiteri sicut à spiritu sancto doctus erat, venerandũ virginalis vteri partum. Ait post aliqua.

(Et con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XLIIII.

(Et conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa. Et dixit dominus ad me. Porta hæc clausa erit, nō aperietur, & vir nō transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram domino, per viam vestibuli portæ ingredietur, & per viam eius egredietur.) Hæc profectò cùm dicit, congrua sub imagine doctū se asserit, quod homo ille qui deus erat per vterum virginis in hunc mundum introierit. Conuertit me, inquit, ad viam portæ sanctuarij exterioris. Porta sanctuarij quę est nisi virgo, per quam primo patuit ianua sanctuarij exterioris, sanctuarij cælestis, quod erat extra nos, extra q̄ eramus nos? Porrò via portæ huius series est generatio-
Matth. 1. nis, quæ in Euangelio texitur ab Abraham vsque ad Ioseph virum ipsius, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Hæc porta respiciens ad orientem, & verum in semet ipsa suscipiens iustitiæ solem, quod veraciter credimus & confitemur, erat clausa. Nec enim vt conciperet aut pareret, vir illam aperuerat. Et dixit dominus ad me. Porta hæc clausa erit, subauditur, quod nunc est. Clausa est dum concipit, dum pariet nihilominus clausa erit. Nō aperietur, & vir non transibit per eā. Clausa ante partum, clausa erit & post partum. Ex eo enim tempore quo angelus loquebatur. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod autem nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et quando natus est, virgo permansit æterna, ad confundendos eos, qui arbitrantur, eam post natiuitatem Saluatoris habuisse de Ioseph filios, ex occasione fratrum eius, qui vocantur in Euangelio. Pulchrè cùm dixisset: Et vir non transibit per eam, continuò subiunxit. Quoniam do-
Luc. 1. minus Deus Israel ingressus est per eam. Ac si diceret. Non mireris quod vir non transibit per eam, & tamen pariet filium, quoniā filius quem pariet, dominus Deus est Israel. Si is quē parit homo tantum, & non deus esset, necesse erat vt ante partum, imò & ante conceptum vir per eam transiret, nunc autē dominus Deus Israel est, qui aliunde veniēs ingressus in hunc mundum per eam, & idcircò non mirum, quòd talis filius portam clausam, id est, matrem suam seruare potuit incorruptam. Eritque clausa principi, id est, ad opus vel ad honorem principis. Princeps iste magni principatus, qui est in forma dei, ipse
Philip. 2. sedebit in ea, ipse semetipsum humiliabit formam serui accipiens, vt comedat panem coram domino, id est, vt obediat deo patri suo, quod est illi panem comedere, testante ipso, cùm dicit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Per viam vestibuli portæ in-
Ioan. 4. gredietur, & per viam eius egredietur. Notanda diligenter distinctio ingressus atq; egressus principis huius. Denique nos omnes, qui portis apertis, id est, membris corruptis nascimur, per quam viam traducē inserente ingredimur, per ipsam & egredimur, vnde & ignobiles, nimiumque plebei sumus. Iste autem princeps nobilis per viā, inquit, vestibuli portæ ingredietur, id est, per fidem credulæ virginis concipietur, vt per viam nō iam vestibuli portæ, sed per viā eius egredietur, id est, per integra virginalia vera de carne caro, verus de matre homo nascetur.

Quomodo legitima quædam ad correctionem præuaricatorum legis edicat auctoritate Domini, hæc & hæc dicentis emissa, & pro ipso numero septenario spiritualis intelligenda sit legislatio.

CAPVT XXXIII.

POst hæc iam legitima quædam sequuntur, ad correctionē præuaricatorum legis, & de quibus sermo sic incipit. (Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus, & vidi, & eccè impleuit gloria Domini domum Domini, & cecidi in faciē meam. Et dixit ad me dñs Fili hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de vniuersis cæremonijs domus domini, & de cūctis legibus eius, & pones cor tuum in vijs tēpli, per omnes exitus sanctuarij.) Hoc modo ingressus, nouam legislationem, quasi obliterata iam lege Moysi superducit, septies emissa auctoritate dicentis domini dei. Hæc Cap. 45.
dicit Dominus Deus. Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel, eò quòd inducitis filios alienos incircuncisos corde, & incircūcisos carne, vt sint in sanctuario meo. Hæc dicit Dominus Deus. Omnis alienigena incircuncisus corde, & incircuncisus carne non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel. Hæc dicit Dominus Deus. Sufficiat vobis principes Israel. Iniquitatem & rapinas intermittite, iudicium & iustitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait dominus: Hæc dicit Dominus Deus. In primo mense in vna mensis, sumes vitulum de
Cap. 46. armento immaculatum, & expiabis sanctuarium. Hæc dicit Dominus Deus. Porta atrij interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit, die autem sabbati aperietur, sed & in die Calendarum aperietur. Hæc dicit Dominus Deus. Si dederit princeps domum alicui de filijs suis, hæreditas eius filiorum suorum erit, possidebunt
Cap. 47. eam hæreditarie. Hæc dicit Dominus Deus. Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel, quia Ioseph duplicem funiculum habet. Ista legentes, & diuinæ auctoritatis vices interpositas dinumerantes, quærimus quid ista sibi velint, statimque respondet iste numerus, legem spiritua-
Deut. 18. lem hic proponi spiritualibus, eò quòd septem sint gratiæ spiritus sancti. Simul ad memoriam reducimus illud legislatoris Moysi dictum.

dictum. Prophetā de gente tua, & de fratrib. tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, sicut me (dixit) tanquā diceret: Sicut ego homo sum tibi carnali populo Israel legislator vetus, sic ille verus homo erit spirituali populo legislator nouus. Igitur dum quærimus, quid hæc in isto propheta legislatio sibi vult, omnia nobis respōdēt, quia princeps ille qui iuxta præcedentia lectionis per clausam portam egreditur, legem affert meliorem pro suo principatu, legem nouam, legem vitę ac spiritus, quæ totū hominē liberare posit à lege peccati ac mortis. Proinde illud quoq; nequaquā à mysterio vacare aduertimus, quòd in initio propheta dicit, & adduxit me per viam portæ aquilonis. Denique iste vir, iste nouus legislator iuxta patriarchę Iacob vaticinium, expe-
Gen. 49. ctatio est gentium, quæ ad aquilonem versæ erant, id est, ad diabolum, qui per frigidū de signatur aquilonē, quē per longos & vetustos errores secutæ fuerāt, & ipse Iudæis repellentibus legē huius viri recepturæ erant.

De aquis egredientibus & descendentibus à latere dextro, quod significent dona procedentia de non manufacto templo corporis Christi.

CAPVT XXXIIII.

NOtandum deinde, quia septimo edicto terra diuiditur, dicendo. (Hic est terminus in quo possidebitis terram.) Præmissa vel præeunte terræ & aquarum sanitate, vt rectè in hac distributione terram viuentiū debeamus intelligere, sanitas terrę vndè processerit hoc modo propheta describit (Et cō uertit me ad portā domus, & ecce aquæ ingrediebantur subter limen domus ad orientem. Facies enim domus respiciebat ad oriētem, aquæ autem descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ aquilonis, & conuertit me ad viam foras portam exteriorem viam quæ respiciebat ad oriētem, & ecce aquæ redundātes à latero dextro, cùm egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus mille cubitos, & transduxit me per aquam vsq; ad talos. Rursusq; mensus est mille, & transduxit me per aquā vsq; ad genua. Et mensus est mille, & transduxit me per aquam vsque renes. Et mēsus est mille torrentem, quē non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundę torrentis, qui non potest trāsuadari. Et dixit ad me. Certè vidisti fili hominis. Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis. Cumq; me conuertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis, ex vtraque parte. Et ait ad me. Aquilæ istę quę egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare & exibunt, & sanabuntur aquæ.) Si ritè attendimus, mundus iste mare mortuum erat. Ad quid autem latus templi dominici, templi non manufacti lancea perIoan. 19. foratum est, & ex illo vulnere aqua cum sanguine cucurrit, nisi tolleretur mors huius mundi, quo sanarentur aquæ generis humani? Nec verò solummodo de corpore siue latere visibili aqua profluxit visibilis pro causa patrandæ sanitatis, sed & de diuinitate inuisibili inuisibilis aqua processit, aqua sapiētiæ salutaris, aqua, id est, gratia spiritus sancti. Idcirco rectissimè dictum sit, ecce aquę redundātes, à latere dextro, à latere diuino. Porrò illud cautè & diligenter discernendū est, quia prius dixit, aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris, & deinde, ecce aquæ redundātes à latere dextro. Cùm enim templum istud templum Dei proprium sit, in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, quo- Coloss. 2.
modo vel vndè descendebant illuc aquæ istæ quæ sunt dona spiritus sancti? Ergo nec iste sermo nos obliuiscī patitur, quia Deus & homo est vnus, idemq; Christus, & in ipso natura hominis accepit, quod in Christo nihilominus dare poterat natura Dei. Nunc videamus quo ordine, vel quanto gratię inundantis incremēto nostras aquas mortuas aqua ista viua sanauit. Prius tamen non nos prætereat, quia cùm dixisset, aquæ autē descendebant in latus templi dextrum ad meridiē altaris, vt deinde diceret, & ecce aquæ redundantes à latere dextro, interposuit dicēs, & eduxit me per viam portæ aquilonis. Quid est enim, quòd ad videndam redundationem aquarum viuentium propheta educitur, per viam portæ aquilonis frigidi, nisi quòd in nationes effundenda erat gratia spiritus sancti? Nunc reuertamur ad proposita.

Quid significet quòd aqua mensione prima ad talos: secunda, vsque ad genua, tertia, vsq; ad renes pertingit: quarta autem, transiri nequit: & quid sit omnes aquas sanari, & pisces magnos multiplicari, & cur sit nomen ciuitatis, dominus ibidem.

CAPVT XXXV.

ET mensus est mille cubitos, & transduxit me per aquā vsq; ad talos. Mille mensoris huius cubiti plenitudinem significant gratiæ largitoris, qui prima mēsione omnia tulit peccata mundi, per quam prophetam vsq; ad talos transduxit. Nam per talos aqua tinctos primæ mēsionis, extinctio significatur peccati originalis, quia pro illo Deus ad serpentem pro muliere dixit. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Gen. 2.
Etenim maximè pro peccato originali insidiabatur diabolus serpēs antiquus calcaneo mulieris & seminis eius, id est, extremo fini eius, intantum, vt ad ipsum Christum Dei filium venire auderet insidiator, nihil tamen nociturus, sicut ipse testatur. Venit enim Ioan. 14.
princeps mundi huius, & in me non habet quicquā. Rursum mensus est mille, & transduxit me per aquam vsque ad genua. Per talos soli apostoli, de quibus propheta. Quàm Esaiæ 52.
pulchri, inquit, super montes pedes euangelizantis pacem. Per genua vniuersi significā-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur adoratores eiusdē Christi filij Dei. Vsq; ad hæc genua secundæ mensionis aqua peruenit, quando cùm dixisset: Accipite spiritū
Ioan. 20. sanctum, continuò subiunxit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nā de omnibus qui Christo genu curuant, dixit: Tertio mensus est mille, & trāsduxit me, inquit, per aquam vsq; ad renes. Tunc nimirum tertio mensus est, & suos, quorum hic prophe-ta typum gerit, per aquā vsq; ad renes trāsduxit, quando iam sedens à dextris Dei, spiritum sanctum misit illis, qui eatenus carnales & infirmos virtute induit, fortitudine accinxit. Quarto mensurus est, & torrentem faciet, quem, inquit propheta, nō potui pertransire, scilicet in resurrectione, nam nec oculus videre nec auris potuit audire, sed nec
Esaiæ 63. 1. Cor. 2. in cor hominis æstimatio eius potuit ascendere. Tunc ad plenum aquæ nostræ sanatæ erunt, & omnis anima quocunq; venerit hic torrens viuet, eruntq; pisces multi satis, omnes videlicet electi, quos in captura piscium
Ioan. 21. CLIII. post resurrectionem suam dominus
1. Cor. 15. significauit. Veruntamen non amnes aquæ sanabuntur. Nam & Apostolus loquitur, Omnes quidē resurgemus, sed non omnes immutabimur. Rectè ergo & hic sequitur. (In littoribus autem eius & in paluſtribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur.) Littora maris huius, atq; paluſtria, dura sunt hominum corda, dura, inquam, velut littorea saxa, per incredulitatis duritiam. Itemq; paluſtria, id est, cœnosa per cōcretam omnium vitiorum fœtulentiam. Hæc, inquam, non sanabuntur, quia in salinas dabuntur, id est, etsi resurgant, non resurgent in incorruptionis sanitatem, sed ad æternam resurgēt mortis passionem. (Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraq; parte omne lignū pomiferum per singulos menses afferēs primitiua.) Hæc & cætera, quia penè eadem in Apocalypsi leguntur, & nos ad alia tendentes Apoc. 22. breuitati studere cupimus, iam hic finem huius lectionis facimus, virum glorioſum magnæ ciuitatis, & templi sui mēsorem, siue architectum, atq; principem exoratum esse cupientes, vt prædiorum ciuitatis huiusce quę per quingenta & quatuor milia vndiq; mensus est, aliquam nobis tribuat portionem. Sine dubio centupla illic reposita sunt sanctis, hic sua quęlibet pro illo principe relinquentibus. Constat autem, quia dum terrena relinquuntur, quinq; corporis sensus suis voluptatibus orbantur. Rectè igitur quingenta milia discriminantur, vt secundum numerum sensuum, qui hic pro spe futurorum refrenantur, ipsa remuneratio cētenaria quinquies multiplicetur. Super omnem autem beatitudinem illud amplectēdum est, quòd sic tandem concluditur. (Et nomen ciuitatis ex illa die, dominus ibidem.) Quia videlicet quod nunc cognoscimus ex parte, quòd nūc videmus per speculum in ænigmate, tūc cognoscemus, sicut & cogniti sumus, tunc videbimus facie ad faciē, videbimus sicuti est, videbimus Deum deorum in Sion.

CAPVT XLVIII. 1. Cor. 13.

FINIS COMMENTARIORVM LIBRI SECVNDI
IN EZECHIELEM PROPHETAM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN DANIELEM PROPHETAM COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

De visionibus Danielis, quomodo regnum Dei peregrinantibus sub iugo Babylonis, ciuibus suis pro consolatione septiformiter ostensum sit.

CAPVT I.



Periente Christo, cui in hoc opere mysteria quærimus, iā nunc Danielis volumen introspicimus, & quamuis susceptū cursum maturi? finire optemus, hanc tamen scripturæ partem intactam prætirire non sustinemus. Grandi enim intus spectaculo detinemur. Quod est illud spectaculum? Imaginaria regni Dei contra regnum diaboli Monomachia, peregrinantibus captiuis sub iugo Babylonico, pro consolatione ciuibus regni Dei septiformiter ostensa. Prima est forma, Dan. 2. 3. & 4. qua statuam magnam atque terribilem nimis, lapis vnicus de monte promicans, sine manibus confringit atque comminuit. Secunda, qua missos à rege tres pueros in fornacem ardentem non tangit neq; contristat ignis, & aspectus quarti similitudo est filij Dei. Tertia, qua rex magnus atq; robustus, magnæ Babylonis suæ quam ædificasset mirator, voce de cælo ruente dementatus, eiectus est ex hominibus, & fœnum vt bos comedit, atque ab hoc experimento confiteri compulsus est, quia altissimus in sempiternum viuit, & regnum eius in generationem & generationem, & non est qui resistat manui

nui eius, & dicāt ei, quare feciſti? Quarta, qua Babylonis ipsum regnum à rege Deo victū est, datumque Mœdis & Persis, interfecto Balthasar Chaldæo, cui & Darius Mœdus succesſit. Quinta, orator Dei calumnioſos rogatores regis hominis mortalis vicit, & misit, inquit, Deus meus angelum suum, & concluſit ora leonum, & nō nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me. Quòd pronuncians rex. Deus, inquit, Danielis, ipse est Deus viuens & æternus in sęcula, & regnum eius non diſsipabitur, & potestas eius vsq; in æternū. Sexta, qua cū pugnantib. quatuor ventis cæli, & quatuor bestijs ascendentib. de mari, post illas tandē cū nubib. cęli, quasi filius hominis venit, & vsq; ad antiquū dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ ipsi seruient. Septima, qua deſtruendum esse peccati regnum, superueniente regno iustitiæ Dei, manifestius edoceretur oraculo huiusce modi. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt cōsummetur pręuaricatio, & finē accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorū. Hic ergo pauliſper immoremur, & quanquam nota replicantes, laudem & gloriam regis Christi, sine fastidio prædicemus.

De Nabuchodonoſor, quòd ciuitatem Hierusalem semel & iterum oppugnando atque captiuando typū gesserit diaboli inimici ecclesiæ Christi.

CAPVT II.

IN primis Babylonis regem, multarū gentium victorem & dominum, tutam aut quietam pro victorijs habere gloriam, præsagia futurorum, & præsentia quoque mala sinūt. Tenet autem typum diaboli, in eo videlicet, quòd ciuitatem Hierusalem semel & iterum oppugnando conculcauit, atque captiuum ex ea duxit populum Dei. Semel, inquam, quando (vt hic scriptum est) regnante Ioachim anno tertio regni eius obsedit eam, regemque Ioachim transtulit, partemq; 4. Reg. 24. vasorum domus domini asportauit, quæ & intulit in domo Dei sui, omnesque viros fortes & bellatores captiuos duxit, suffecto rege Sedechia qui patruus erat Ioachim. Item 4. Reg. 25. rum autem, quando rebellante eodem Sedechia anno IX. regni eius, venit ipse & omnis exercitus eius in Hierusalem, & interrupta est ciuitas, comprehenditque Sedechiam & oculos eius effodit, vinxitq; eum catenis, & adduxit in Babylonem. Hierusalem quoq; deſtruxit, & domum domini succendit Nabuzardan princeps exercitus seruus eius, & reliquam partem populi transtulit in Babylonem, & omnia vasa reliqua, in quibus domino miniſtrabant. Vtrobiq; (vt iam dictū est) typum diaboli tenet iste rex Babylonis. Sic namque diabolus ciuitatem sanctam, viEsaiæ 14. uentis Dei Hierusalem cæleſtem semel & iterum oppugnauit. Semel quando aduersus altiſsimum superbiendo, socios superbię suę angelos dęmones factos, secum in confuſionem traxit. Iterum, quando primum hominem deceptum cum omni genere eius, in iGene. 2. stam confuſionis regionem, imo duplicem corporis & animæ captiuitatē deduxit. Vnde notandum, quòd iste Nabuchodonoſor 4. Reg. 24. prima transmigratione, tantummodo partē 4. Reg. 25. populi, partemq; vasorum transtulit, secunda vero, & reliquam partem populi, & reſidua vasa tulit, sed & muros Hierusalem deſtruxit, & domum domini igne succendit. Sic deniq; prima irruptione supernæ ciuitatis Hierusalem partem, id est, quoſdam angelos perdidit, secunda verò non quoſdam, sed omnes homines, quorū multitudo pro parte electorum, sancta Hierusalem, omnes inquam, in vno parente perdidit, & gehenna li peccati incendio cōflagrauit. Rectè igitur carnalis Nabuchodonoſor nequitiam quaſi pro victoria gloriam ducat, viſiones videt regni alterius, regni Dei, quo superueniente non modo Babylonem suam, sed & totum mundum interiturum esse non ignoret. Sic etenim spiritualis Nabuchodonoſor diabolus, supernę vaſtator Hierusalem, nunquam de regno suo, de regno peccati & mortis i a securis extitit, quin ſalutem quodammodo somniaret, quod scire nolebat, ſcripturis atteſtantibus, quandoque surrecturum fore contra se regnum, sed dicit in Euangelio suo rex magnus & ſtabilimentum regni Dei. Cū Luca 11. fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quę posſidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet. In pace, inquit, sunt ea quæ posſidet. Sic nimirum & iſte typum gerens, vt iam diximus, eiusdem fortis, vano tumore dixit, cum iam audisset expoſitum quod contra se clamaret sanctus & vigil. Nonne hæc est Babylon quam ego ædificaui in do- Daniel. 4. mum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Itaq; non idcirco de illo dixit, in pace sunt ea quæ posſidet, quòd vnquam verè secur? esse potuerit, sed quòd tumidus esset latro, tumore furioſo, pacem quæ non erat falſo sibimet arrogauit.

Quæ vel qualia desiderando Daniel, vir desideriorū dici meruerit, proponēs in corde suo ne polluereturde mensa regis.

CAPVT III.

PORro nunc nobis in memoriam veniat, hunc sanctum Danielem cæleſti testimonio virum desideriorum esse dictum. Qualium enim desideriorum erat vir, nisi qualia conijcere possumus, ex reuelationibus huiusmodi? Dicamus ergo, quia cū vnus Deus, vnum sit sanctorum desiderium, duo propter illud eis desideranda sunt: alterum, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

auferatur peccati regnum, quod iam factum est, & fit per primum Christi aduentum, alterum, vt inimicis Dei tota insultationis tollatur vox quod faciendum est per secundũ Christi aduentum. Horum desideriorum flammam sancto huic sine dubio tempora illa multum adauxerant. Amabat enim Deum, & necesse erat, vt pro illo quem amabat æmularetur contra illud inimicum regno eius, peccati regnum, contra inimicos regni eius peccatores homines, vt diceret illud Da uidicum. Vsquequo peccatores domine, vs-
Psalm. 93. quequo peccatores gloriabuntur? & his similia. Videbat se exulẽ, natum in hoc mundo, propter originale peccatum, audiebat propter actualia peccata captiuato Dei populo dicere gẽtes. Vbi est Deus eorũ? Hinc tyrannidem diaboli, illinc superbiam aspiciebat hominis vermis. Nimirum vtrorumq; oderat amicitiam, quia veram solius Dei desiderabat gloriam. Opportunas itaq; pro re & tempore consolationis assecutus est, iuxta præparationes, quibus cor suum præpa-
Psalm. 9. rabat, dicente Psalmista. Desiderium pauperum exaudiuit dominus, præparationes cordis eorum audiuit auris tua. Præparationes huius luctuosas, scriptura hæc statim primo
CAP. I. loco indicat. (Proposuit autẽ Daniel in corde suo, ne polluereturde mensa regis, neq; de vino potus eius, & rogauit Eunuchorũ præpositum, ne contaminaretur.) Ac deinceps. (Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientiam. Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Vnde quia vir desideriorum eiusmodi erat, & viriliter desiderabat iudiciũ Dei, diuino illum constat præsagio sic meruisse nuncupari. Daniel quippe interpretatur, iudicium Dei.

Quòd prouidentia Dei factum sit, vt non ipse Daniel sed Nabuchodonosor somnium auerit mysterium regni Dei, & cur non sit mirandum, quòd impio Deus secreta sua reuelauit.

CAPVT IIII.

CAP. II. ET notanda diligenter studiosa consolatoris Dei prouidentia. Nabuchodonosor (inquit scriptura) somnium vidit, & conterritus est spiritus eius, & somnium fugit ab eo. Præcepit ergo rex vt conuocarentur harioli & magi & malefici & Chaldæi, vt indicarent regi somnia sua, &c. Non Daniel ipse somnium vidit, sed quod Daniel interpretaretur, Nabuchodonosor vidit, & visũ memoria tenere non potuit. Quo enim tendebat Deus, qui nõ superbis, sed humilibus,
Psal. 105. imò non inimicis, sed amicis suis secreta sua reuelare cõsueuit? Nimirum vt tunc quoq; captiuos suos daret in misericordias, in conspectu eius, qui ceperat eos. Quod & factum est. Nam per occasionem reuelationum, primus ille rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna ei dedit, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos Babylonis sapientes. Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago. Ipse autem Daniel erat in foribus regis. Nec mirandum propter hoc regem impium ad ea cælestibus admissum fuisse mysterijs, vt diceret. Ecce ego video vi- *Cap. 3.*
ros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei, cum & propter hoc ipsum Cyri regis Persarum victorias vaticinari spiritus sanctus non dedignatus sit. *Esa. 44.*
Qui dico Cyro: pastor meus es, & omnem *Ibid. 45.*
meam voluntatem complebis. Qui dico Hierusalem, ædificaberis, & templo fundaberis. Hæc dicit dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante facies eius gentes, & dorsa regum vertam. Ac deinceps. Et vocaui te in nomine *Deut. 32.*
meo, assimilaui te, & non cognouisti me. Ego dominus, & non est amplius. Extra me non est Deus. Accinxi te, & non cognouisti me. Igitur quia captiuitas illa nõ ita vt nunc Iudæis ira consummata, de qua Moyses in cantico. Ignis, inquit, succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, sed paternæ correptiõis virga erat, nec istud prætereundum est in laudib. clementię Dei, quòd dum corripit, dum flagellat & percutit, pariter clementiæ suæ ianuas aperit, in tantum, vt pro beneuolẽtia sua captiuis suis paranda, reges barbaros, homines ethnicos, alios secretorum suorum reuelationib. admittebat, alios antequam nati sint, tuba illustret prophetica, futuras illis promittendo atq; pronunciando victorias.

Quòd quærebatur Daniel vt periret cum socijs suis. Et de cantico: Supe. flumina Babylonis illic sedimus, &c. quod in persona illorum Dauid cecinit.

CAPVT V.

ET egressa sententia, sapientes interficiebantur. Quærebaturque Daniel & socij eius vt perirẽt.) O dura interrogatio. Idcir *Psal. 136.*
co Psalmista dudum spiritu prophetico in persona illorum atque similium dicebat. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Syon. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Quare illic fleuimus? Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerũt nos verba cãtionum, & qui abduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Syon. Quomodo canticum domini cantabimus in terra aliena? Nimirum Danieli & socijs eius primum pro tali causa fletus iste & conquestio tam dolenda competebat. Denique sacramentum visionis, quam Nabuchodonosor viderat, verbum cantionis erat, hymnus de canticis Syon erat, canticum domini erat. At illi in terra aliena erant, non modo quòd in illa Babylone captiui, sed & quòd in hoc mundo

mundo exules erãt, à superna matre sua Hierusalem captiuati in Adam. Quomodo ergo, inquiunt, cantabimus canticum domini in terra aliena? O rex, canticum quod interrogas, sacramentum visionis quod exquiris interrogatione dura, hoc inquam & cætera cælorum secreta ac beatorum archangelorum cantica cantare vel scire hic non possumus, nisi paucissimi nostrum prophetę, quibus Deus reuelat, non meritis ipsorum, sed sua gratia. (Cum ergo rem indicasset Arioth Danieli, Daniel ingressus rogauit regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandã regi.) Etiã si non quæreretur occidẽdus ipse & socij eius, tum quia vir desideriorum (vt supra iam diximus) gloriã Dei desiderabat, planè præsens negotium non negligendum duceret, quo deus glorificari poterat. Dixerãt enim regi suo Chaldæi. Sermo enim quẽ tu rex queris, grauis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio. Sed etenim ô serui, nõ deorum, sed dæmonum, quorum nulla est de sacramentis cælestibus cum hominibus collatio, non reperietur quisquam qui indicet sermonem hunc, excepto vno, & vero Deo, cu
2. Cor. 6. ius cum hominibus pijs cõuersatio est fami-
Luc. 26. liaris, quemadmodum dicit, quoniam inhabitabo in illis & inambulabo. Igitur nõ modo, ne periret cum ceteris sapientibus Babylonis, verùm etiam vt res proficeret ad laudem Dei. (Ingressus in domum suam Daniel Ananiæ, Misaeli, & Azarię socijs suis indicauit negotium, vt quærerent misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto. Tunc Danieli per visionem nocte mysterium reuelatum est, & Daniel benedixit deo cæli, &c.) Bene & in tempore tunc reuelatum est. Iamdudum sic reuelare proposuerat, sed differendo, tempus & locum expectabat. Captiuos quippe suos, in ira misericordię memor, iam commendare atq; honestare intẽdebat. Siluit ergo, donec egressa sententia, sapientes interficerentur, vt res tanto gratior veniret, quãto maiore in periculo subueniret.
Psalm. 136. Et vt ad supra memorati quæstionem psalmi redeamus, quo dicitur ab istis pro dura interrogatione flentibus, quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena, prius rex ipse, atq; omne Babylonis regnum commotum est, ipsaque commotione quasi concurrentibus vniuersis populis & gentib. cõmune adiutorium paratum est, quatenus dum inciperent cantores isti, datum sibi per misericordiam in terra aliena cantare canticum domini, starent ad audiendum, nõ modo attenti atque beneuoli, verùm & audito res desiderãtissimi, collaudatores atq; admiratores reuerentia pleni. Aliter sic factum fuisset, si vltronea nimis cantatione propheticus spiritus salicibus illis cãtasset, nimirum margaritas canticorum Syon, torua bruta-
que porcorum immunditia conculcassent.

De interpretatione somnij quod viderat Nabuchodonosor, & de successione regnorum, & quòd Christus secundum illud somnium lapis comminuit omne regnum.

CAPVT VI.

TV rex cogitare cœpisti in stratu tuo, qd esset futurum post hæc, & qui reuelat mysteria, ostẽdit tibi quę ventura sunt, &c.) Verum, inquit, est somnium. Ecce videmus quia verum est somnium, & fidelis interpretatio eius, quia secundum hæc per partum incorruptæ virginis suscitabit deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius populo alteri non dabitur, cõminuit, & consumit vniuersa regna hæc, regnum Babyloniorum aureum, quod erat ditissimum, regnum Persarum, & Mœdorum argenteum, id est, minus opulentum, regnum Macedonum æreum, id est, multa eloquẽtia sonorum, regnum Romanorum ferreum, id est, fortissimum, quod comminuit & domat omnia ferrum. Vniuersa, inquam regna hęc comminuit hoc regnum, & ipsum stabit in æternum futurum de quo loquimur. Nam quomodo apostol⁹ cum præ- *Hebr. 2.*
misisset illud Dauidicum. Omnia subiecisti *Psalm. 8.*
sub pedibus eius, futurum ait de quo loquimur, nondum enim videmus illi omnia subiecta, eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus dominum Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ita & hic præmisso, quod constantissimum est, quia lapis abcisus de monte sine manibus, id est Christus sine virili cõplexu de virgine natus, factus est mons magnus, postquam percussit statuam regnorũ mundi huius. Dicamus quia futurum est, quamuis iam ex parte factum sit id de quo loquimur. Nondum enim comminuta atq; consumpta videmus vniuersa regna, cum autem qui illa per primum aduentum suum comminuit, videmus lapidem impleuisse orbem terrarum. Comminuet autem omnia atque consumet vsque ad summum per secundum aduentum, & regnum eius stabit in æternum.

Quòd martyrum Christi præfiguratio fuerit in eo, quòd tres missi sunt in caminum ignis, et species quarti, inquit, similis filio Dei, & quòd ille hoc videns & Deum benedicens, regnum huius mundi qui ad Christum conuersi sunt typum gesserit.

CAPVT VII.

NAbuchodonosor rex fecit statuam aureã altitudine cubitorum sexaginta, *CAP. III.*
latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Duram prouinciæ Babylonis. Itaq; Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.) Præcedenti reuelatione satis de-

monstratum fuerat, quia sapientia & fortitudo domini sunt, & ipse mutat tempora & ætates, transfert regnum atque constituit, & vniuersa hæc vno lapide, id est, solida Christi filij sui virtute comminuit atque consumit. Verum ipsa comminutio siue consumptio qualia vel quanta per martyrum bella facta sit, fiat atque facienda sic vsq; in finem seculi, quis illic quæsiuit aut intellexit? Sequitur ergo ordine recto, & verè mystico in hac visione miranda martyrum Christi præfiguratio, quorum reuera fides lapis est. Christus enim in ipsis est, & in ipsis Christum pugnare nemo qui dubitet. Quo enim modo ve nerabilius illorum certamen præfigurari potuit per agendum aduersus regnum mundi, aduersus regnum diaboli? Nabuchodonosor inquit, Rex, fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex. Nimirum hæc est idololatria bruta, quã erexit Rex Babylonis, rex spurcissimus Nero, Romani dedecus imperij, quæ videlicet
1. Petr. 5. Roma, Babylon erat altera, testante Petro Apostolo cum dicit. Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Erexit inquã, non quod antea idololatria non fuerit, sed quia rebellans lapidi, qui (vt supra dictum est) regna mundi percusserat, eandem idololatriam altius erexit, & edicta primus propo suit, scribens magistratibus, iudicibus, ducibus, tyrannis, & præfectis, omnibusque regnorum principibus, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, vt coniurarent ad defensionem erroris antiqui, contra nouam doctrinam fidei Christianæ. Altitudo cubitorum sexaginta, latitudo cubitorum sex. Senarius hic in singulari, ille in deceno limite vniuersitatem significat creaturæ, quia senario numero dierum vniuersa creata sunt. Et signanter hoc vtrobique numero statuã suam ille distendit, in quo nesciente illo
Rom. 11. significabatur, quod apostolus dicit. Et seruierunt creaturæ potius quam creatori. Quid multa? Sidrach, Misach, & Abdenago Deos non colentes regis Babylonij, & statuam nõ adorantes quam erexit, colligati missi sunt in medium camini ignis ardentis. (Et ambulabant in medio flammæ laudantes dominum, & dicentes hymnum domino. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit properè, & ait optimatibus suis. Nónne tres viros misimus in medio ignis? Ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.) Sidrach de corus meus. Misach, qui risus. Abdenago, seruiens taceo interpretatur. Item Anania gratia domini. Azarias adiutorium domini, Misael, quæ salus Dei interpretatur. Tres isti tã numero quam nominibus, tam causa quàm passionibus vniuersos significant milites atque bellatores regni dei, confessores trinitatis decoros, ridentes, & seruiẽdo tacentes, id est, vita innocuos, spe gaudentes, in tribulatione patientes, in quibus gratia domini, cũ quibus in ipsis passionibus adiutorium domini, quorum est salus domini, ipse Christus pro quo & passi sunt, de quo iste mirando intellectu, & species, inquit, quarti similis filio Dei. Ipse nanq; & in alio propheta dicit, martyrum suorum vnicæ charitati. Noli timere,
Rom. 12. quia redemi te & vocaui te nomine tuo, meus es tu. Cum pertransieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma
Esaiæ 43. non ardebit in te, quia ego dominus Deus tuus sanctus Israel, saluator tuus. Sed idem videlicet Nabuchodonosor benedictus, inquit, Deus eorum, qui misit angelum suum & eruit seruos suos. Ergóne priorem sententiam infirmat aut destruit angelum vocando illum, de quo prædixerat, & species quarti similis filio Dei? Non vtique. Nam idem, qui natura est filius Dei, officio factus est nobis angelus domini, angelus magni consilij. (Cõ templabantur (inquit) viros istos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & saraballa eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.)
Sapien. 3. Hæc omnia de martyrib. nostris, de testibus
Lucæ 21. Christi filij Dei veraciter prædicemus, quia quamdiu incorrupta atq; inuicta perstitit in illis fides Christi, nulla fuit in eos potestas pœnarum aut mortis, nihil eis nocitum est, & quamlibet visi sint oculis insipientiũ mori, non sunt mortui, nam deo suo viuunt, qui dixit, & capillus de capite vestro nõ peribit. Benedictus deus eorũ, Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, ait Nabuchodonosor, idẽ ipse, qui in ignem miserat illos, quia misit angelum suum, & eruit seruos suos. (A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcunq; locuta fuerit blasphemiam contra deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur.) Ecce hodie sic dicit, sic prædicat ipsum Romanum imperium, quod Christi martyres interfecit. Mirabilis verè & in malis Deus, quibus sic vtiliter nouit in bono vti. Iste malus sibi, & inutilis, ecce quã bona, q̃ vtilia toti mundo præsagia cecinit, & de eodem quidem foramine dulcem pariter & amaram, dulcem inquam nobis, & amarã sibi aquam emisit, paulo ante cadens in faciẽ suã, & adorans Deum Danielis, dicensq;. Verè Deus vester, Deus deorũ est, & dominus regum, & cęt. quasi pocula fundens dulcedinis, postmodum dicens cultorib eiusdem Dei & domini, amara hæc. (Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?) Nunc autem iterum dulcia. (A me ergo positum est hoc decretum, &c.) In qua dulcedine itidem perseueraturus non erat. Typum quippe (vt iam dictum est) præferebat regni huius mundi, quod vnum idemq; per alias quidem regalis

fastigij personas, dulcia præconia, per alias autem amaras ructare habebat blasphemias cõtra maiestatem regni Dei. Proinde sequamur ordinem, visuri quali tandem imagine perficienda signetur hic victoria eiusdem regni Dei.

Quòd Nabuchodonosor ex hominibus eiectus est, & fœnum vt bos comedit, & quod in hoc præfiguratum sit, quod apostolus ait: Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi per euangelium Christi, & de victoria regni Dei, cuius potestatem ille recepto sensu confessus est.

CAPVT VIII.

CAP. IIII. EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo. Sõnium vidi quod perterruit me, & cogitationes meæ in stratu meo, & visiões capitis mei conturbauerunt me. Et per me positum est decretum, vt introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & vt solutionem somnij indicarent mihi, &cæt.) Ecce tertio victa est, congrediens cum fortitudine Dei, superba infirmitas hominis regis. Dixit enim, imò respondit videlicet ad interpretationem somnij quam audierat contra se, arbor magna & fortis succidenda, ramis præcisis, & excussis denudanda folijs. Respõdit inquam & ait. (Nonne hæc est Babylon magna quam ego ędificaui domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?) Tanquam diceret. Et quis ille vigil & sanctus, cuius ad imperium siue clamorem, sic & sic ab hominibus eijci posim, ego robustus & fortis, ego gloriosus & decorus ædificator magnæ Babylonis? Itaque semel & iterum victus iamdudum & ingloriosus confessor victoriæ cælestis hæc dicendo, tertia iam vice ceruicem erexit. Sed enim continuò durum nimis esse persentit, contra stimulum calcitrare, bos petulcus & indomabilis. (Cum enim adhuc esset sermo in ore regis (inquit scriptura) vox de cælo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonosor rex. Regnũ transit à te, &cæt. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor. Ex hominibus eiectus est, & fœnum vt bos comedit.) Hoc igitur quærimus, quam & ista res partem significet victoriæ, regis Dei victorię regni Christi filij Dei, statimque illud occurrit quod apostolus dicit. Nonne stultam
1. Cor. 1. fecit Deus sapiẽtiam huius mundi? Item. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Pulchram nimirum & propriam reprobandæ sapientiæ huius mundi imaginem, tanta, tam magni, tamque superbi regis, dementatio prætulit in eo maximè quod fœnum vt bos comedit. Nam & de illo ingente stulto, cuius iste typus est
Iob 40. ad beatum Iob dominus dicit. Ecce Behemoth quem feci tibi, fœnum quasi bos comedit. Quid nam est fœnum bouis huius pabulum, nisi multitudo carnalium, mane virentium, cito florentium, & cito nihilominus flore perdito arescentium? Omnis enim caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquã
Esaiæ 40. flos fœni. Ortus est sol, & exiccatum est fœnum, & flos eius decidit. Ergo descendente sancto & vigil ad clamorem eius, ex hominibus eiectus Nabuchodonosor, fœnum vt bos comedit, quia descendente in hunc mũdum virtute & sapiẽtia Dei Christo, ad prædicationem eius stulta facta est sapientia hu-
1. Cor. 1. ius mundi, sapientia principum huius seculi, & eiecta ex hominibus diuinam rationem recipientibus, solummodo fœnum, id est, homines superfluos, & super numerum pululãtes ex carnis vitio deuorare potuit. Sed sequitur post hæc. (Igitur post finem dierũ ego Nabuchodonosor oculos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, &cætera.) Num ergo consequens est, vt existimauerunt nonnulli, quos cum sapientes se esse putarent, verè stultos ecclesia Dei comprobauit, quod Behemoth ille iam dictus os suum brutumque pectus resipiscendo vel pœnitendo aperire debeat, in laudes & benedictiones altissimi? Non vtique. Paratus est enim illi & angelis
Matth. 25. eius ignis æternus, sicut habet veritas euangelij. Potest autem longe sanius intelligi, salua & permanente eadem veritate Christi, quòd magna pars corporis eius, id est, multi
1. Cor. 3. sapientium seculi, quales stultos fecit sapientia Dei, resipuerunt & quotidie resipiscunt vsque in finem seculi, iuxta quod & de eodẽ Behemoth ad supra dictum beatum Iob dominus per alias similitudines dicit. Concident eum amici, & diuident illum negotiato
Iob 40. res. Et continuò. Nunquid implebis ait sagenam pelle eius, aut gurgustium piscium capite eius? Subauditur enim, vt ego, qui vocans piscatores homines, & faciens eos fieri
Matt. 4. piscatores hominum, sagenam meam primùm pelle eius impleo, extremos atque infimos colligendo, & postmodum prudentes mihi aduersarios subdendo, quasi gurgustium piscium capite eius impleo. Hæc pro intentione nostra dixisse sit satis, videlicet vt in isto Babylonis rege tertia vice iam victo significatam intelligeremus perfectam victoriam regis cæli confitente ipso, cum iam tertia confessione dicit. (Quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem, & omnes habitatores terrę apud eum in nihilum redacti sunt.

De euersione Babylonis quæ facta est à Mœdis et Persis, quomodo per illam significetur futura in die iudicij destructio totius ciuitatis diaboli.

CAPVT IX.

FVturum autem est, vt tota destruatur ciuitas diaboli, & sub cælo pereat, quæ ciuitati Dei viuentis ab initio aduersata est, & vsq; in finẽ seculi aduersari nõ desinit. Sequitur ergo pulchro satis, quia mystico ordine

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. IIII. illa quæ à Mœdis & Persis facta est euersio
CAP. V. Babylonis eius, quæ cum Rege suo Hierusalem illam destruit terrenam, in qua inuocatum est nomen Dei viuentis, & populum ēius captiuauit. (Balthasar rex fecit grande cō uiuium optimatibus suis mille, & vnusquisque secūdum suam ętatem bibebat.) &c. Ibi maximè propositi vel intensionis nostræ figimus oculum, vbi (Apparuerunt (inquit) digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & rex respiciebat articulos manus scribentis. Tūc regis facies commutata est, & cogitationes eius perturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.) Quid enim manus illa innuit? Nimirum qui per lapidem de monte sine manib. in primo, qui proprio nomine suo in secundo, quiq; nomine vigilis & sancti in tertio, idem ipse filius Dei Christus per manum scribentem designatur capitulo quarto. Manus enim, id est, dextera patris, se metipsam exercet ad iudicandam impietatē Babylonis spiritualis: ad destruendum inimicum sibi regnum mundi, scribens imò scripta iam dudum habens, quęcunque mala Babylon ista sanctis eius intulit. Et notandum, quòd in medio conuiuij manus illa in nocte apparuit, & iam temulentorum regis, & optimatum eius securitatem visione horribili fortiter conterruit. Sic enim repentina & im
Matt. 24. prouisa dies illa securis, & contemptoribus
Luca 17. Dei, superueniet ipso attestante, cùm dicit. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in
Gen. 27. diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsq; in diem qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Igitur cum Balthasar rex grande conuiuium fecisset, & vnusquisque secundum suam biberet ętatem, cum biberet ipse, & optimates eius, vxores & concubinæ eius, cum biberent vinum & laudauerunt deos suos, aureos, & argenteos æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos, in eadem hora apparuerūt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis scribentis inquam peccatū, iudiciumque & iram secundum peccata superbiæ Babylonis, quia secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur, & Babylon ciuitas diaboli, ciuitas confusionis, sanguine sanctorum ebria meretrix, eadem eius reuelatione indicabitur. Et illius quidem Babylonis regnum numeratum atque completum, appensum in statera, atque diuisum, datum est hominibus Mœdis & Persis, huius autem Babylonis regnum nihilominus per homicidia singula, cæteraque scelera dinumeratum, atque in statera iusta appensum, ac terribili sententia diuisum, dabitur nō hominibus, sed dæmonibus, non Mœdis aut Persis, sed malignis spiritib. Non Dario, sed diabolo & angelis eius. Hoc præuidens Esaias, dicit. Descende, sede in puluere, virgo filia Babylonis, sede in terra. Non est solium Esaiæ 47.
filiæ Chaldęorum, id est, fortium, scilicet malignorum spirituum, quorum rectè dicitur filia, quia ferocem illorum superbiam est imitata. Ac deinceps: Et nunc audi hæc delica Ibidem.
ta & habitans confidēter, quæ dicis in corde tuo. Ego sum, & pręter me nō est ampli⁹. Nō sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi hæc duo subitò in die vna, sterilitas & viduitas, & cæter. In Apocalypsi quo- Apoc. 18.
que ipse qui hic per manum scribentem figuratus est, ipse inquam angelus qui descendit de cælo habens potestatem magnam, cuius à gloria terra illuminata est, exclamat in forti voce, dicēs. Cecidit cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dęmoniorū, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundę, quia de ira fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terrę cū illa fornicati sunt.

De occiso Balthasar, & dato regno eius Mœdis, & Persis, quomodo per illam inuidiam quam pertulit Daniel, maior illi gloria creuerit.

CAPVT X.

EAdē nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, & Darius Mœdus succesit in regnum, annos natus sexaginta duos.) Hoc modo impleta est veritas vaticinij, quo dudum regi Nabuchodonosor ita prędixit. Tu Danie. 2.
ergo es caput aureum, & post te consurget regnum aliud minus te. Illo vaticinio iam suturi regni, beneuolentiam captiuis spiritus gratiæ propheticæ comparauit, amplius aūt isto quo nuperrimè, id est, eadem nocte dixit, diuisum est regnum tuum, & datum est Mœdis & Persis. His præeuntibus prophetalis præconij meritis, Daniel in consolationē captiuorum nouo imperio charus acceptusque esse potuit. Hoc subsequens protinus ser CAP. VI.
mo euidenter ostendit. (Placuit (inquit) Dario, & constituit supra regnum satrapas centum viginti, & super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustinerēt molestiam.) Verum quo regi sapienti complacuit eodem splendore suo vir splendidus satrapas exusit. Omnes in inuidiam sui virtus emerita concitauit.) Quærebant (inquit) occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere regis, nullamq; causam & suspicionē reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inuenirentur in eo, &c.) Plana cunctis & patēte rei ammirabilis historia literali, Christi domini & regis, in isto quoq; prēcone eius speculamur gloriā, vt dignū est. Nam passus quidē inuidiā est propter temporalem terrenorū principū gratiā gloriosam, sed ad gloriā eandē peruenerat propter veri Dei gloriā per acceptā spiritus prophetici gratiam. Ergo passionis Christi veritatē victoriæ Christi figuram in passione huius contēplemur, in victoria huius prædicemus.

Quo

Quomodo in eo quod in lacum missus est per inuidiā principum, et illæsus fuit, passionem et victoriā Christi, quem per inuidiam occiderunt Iudæi, significarit.

CAPVT XI.

PRincipes & satrapæ quærebant occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere regis.) Daniel cuius hoc ipsum nomē interpretatur iudicium Dei, typum hoc loco pręfert Christi filij Dei, cuius nimirum est iudicium Dei, quia pater illi iudiciū omne dedit. Quis
Ioan. 5. nesciat quòd sæpenimium occasionem illi quæsierunt principes, sacerdotes, & seniores Iudæorum, vt inuenirent illi ex latere regis? Regē quippe habebāt Cęsarē, & ad inuidiā il
Ioan. 19. lius dicebāt. Nō habemus regē nisi Cæsarē.
Luca 23. Quærebant, inquā, occasionē illi ex latere regis, si quo modo dicere possent, regem se fecit, prohibuit censum dari Cæsari. Sed nullam, inquit, causam & suspitionem reperire potuerūt, eo quòd fidelis esset, & omnis culpa & suspitio non inueniretur in eo. Verè fi-
Matth. 22. delis erat & verax, & iustitia pugnabat atq; iudicabat. Dicebat enim. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Attamen pręualuerunt, sententiamq; extorserūt principes isti ab inuito rege suo, vt mitteretur Daniel in lacum leonum. Et hoc idcirco propter illam occasionē, quia Daniel orabat Deum suum, quia nō attendebat calumniosum quod erat subreptum regi Persarū atq; Mœdorum decretum, quia cum redderet quæ erant regis regi, nihilominus Deo curabat reddere quæ erāt Dei. Sic planè prin
Matth. 27. cipes sacerdotum persuasis turbis tumultuo
Mar. 15. sa vociferatione, Romanis legibus damnationem domini nostri Iesu Christi extorserunt, non quòd omnino excusabilem fuisse illum arbitremur Romani imperij ministrū prædem Pilatum, tanquam verè contra voluntatem suam coactus fuerit, quem potius cogi voluisse non dubitamus, vt nullam ipse posthac pro iniustè damnato homine criminationem pateretur. Verùm quocunque ministro, qualicunq; seruiente animo, Romani potestatem imperij quo voluerunt inflexerunt, & innocentem Christum Dei filiū miserunt in lacum leonum, id est, interemerunt, vt descenderet in infernum. Sed Deus
Esaiæ 63. meus (inquit) misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me.) Imò huic saluauit brachium suum, quemadmodum dicit. Et saluauit mihi brachiū meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Adeo saluauit illi brachium suum, cōcludens ora leonum spiritualium, vt susciteret eum à mortuis, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Hoc autem rex vehementer gauisus est.
Act. 2. Quandoq; enim audiuit, audiuit hoc, inquā, patienter Romanum imperium, & aduertit prudenter, quòd Deus Iesum à mortuis suscitasset, & imperatoribus ipsis credentibus Romanus orbis vehementer gauisus est. Et præcepit (inquit) Danielem educi de lacu.) Mutauit leges, conuertit edicta Romani imperij maiestas, & eum qui cum descendentibus in lacum ęstimatus fuerat dominum Iesum Christum, prædicari præcepit, quòd de lacu mortis esset eductus, quòd resurrexis-
Rom. 6. set Deus & homo semel mortuus, iam vltra in æternum immortalis Christus, hoc præsenti edicto satis euidēter præsignatur. (Pax (inquit Darius) vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum vt in vniuerso imperio & regno meo tremiscant & paueant Deum Danielis. Ipse enim est Deus viuens & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsq; in æternum.) Qui accusauerunt Danielem, ipsi in lacum leonum missi, repentè consumpti sunt, quia reuera qui Christum in morte cōclusserunt, & vitam eius in lacum mortis deduxerunt, ipsi pro hoc in mortē deuenerunt, ipsi ad inferos descenderunt, cōpleto Psalmistę vatici
Psalm. 21. nio, dicentis: Foderunt ante faciē meā foueā, & inciderunt in eā. Item: Lacum aperuit &
Psalm. 7. effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.

De pugna quatuor ventorum cæli, & de eo quod antiquus dierū sedit, & quod filius hominis venit in nubibus cæli, & de iudicio mundi. CAPVT XII.

CAP. VII. ANno primo Balthasar regis Babylonis, Daniel somnium vidit. Visio autem capitis eius in cubili suo, & somnium scribens breui sermone comprehendit, summatimq; perstringens, ait. Videbā in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestię grandes ascēdebant de mari diuersæ inter se.) Magnum & euidens hac visione Christi filij Dei eiusdemq; filij hominis testimonium, magnum & amplum huiusce reuelationis spectaculum, quo libentius nihil aspiciant simplices oculi credentium, nihil dulcius audiant beneuolæ aures diligentium Deum patrem antiquissimum, & Dei patris filium, hominem quidem nouum, sed Deum nihilominus antiquum. Quatuor, inquit, venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebāt. Quid bestiæ significauerint, vnus de assistentibus satis exposuit (Hæ (inquit) bestiæ magnæ quatuor, quatuor regna consurgent de terra.) Sed quare venti & quare bestiæ? Nimirum venti propter vanitatem, bestiæ propter ferocitatem. Vanitas
Eccl. 1. vanitatum (inquit Ecclesiastes) & omnia vanitas. Mare magnum est hoc seculum. Quatuor venti ergo cæli in hoc mari magno pugnauerūt, quia quatuor regna seculi huius, status sui breuitatem non considerantes, in vanum flauerunt, regnum Babyloniorum propter superbiam & luxuriam, alas habēti, leænæ assimilatum, regnum Persarū & Mœdorum vrso, propter ferocitatē, regnū Grecorum pardo, propter leuē sectarum varietatē, regnum Romanorum terribili atq; mirabili

Universidad de Deusto
Biblioteca

rabili bestiæ dentes ferreos habenti propter insuperabilem fortitudinem comparatum. Quid aliud hæc regna bestialia, quàm venti fuerunt? Venti, inquã, & venti cæli fuerunt, non tamen cælum possederunt, quòd per superbiã contingere se putauerunt, sed ne mare quidẽ diu tenere potuerunt, quòd ad horam turbauerunt atque pertransierunt. Illis ergo cum ventosa vanitate sua præterlapsis. (Aspiciebã (inquit) donec throni positi sint, & antiquus dierum sedit.) Nimirum hæc erat dulcis imago regni Dei, quod expectabat (vt superius iam dictum est) is ipse qui hæc vidit, ciuis cæli, peregrinus huius seculi, captiuus illius Babylonis, vndè & ardentior erat desiderator regni Dei, ita vt vir desideriorum mereretur vocari, & pro consolatione animæ suæ tantas tamque mirificas videre visiones eiusdem regni Dei. Quid enim dulcius, quid ad consolationem cõmodius, vt videret, optare, inquam, potuit? Antiquus ait dierum sedit. At ille olim in genere humano sedem nõ habebat, quia per præuaricationem primi hominis, regnum peccati & mortis in hunc mundum introierat. Ergo sedit, id est, contra regni sui persuasorem diabolum iudicium constituit. Sequitur enim. (Iudiciũ sedit & libri aperti sunt.) Hoc quidem de iudicio futuro intelligitur, quia de vltimo regni diabolici rege Antichristo sic præmissum est. (Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornubus primis euulsa sunt à facie eius, & ecce oculi quasi oculi hominis erãt in cornu isto, & os loquẽs ingẽtia.) Sed subinde sequitur. (Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatẽ & honorem & regnum, & omnis populus, tribus ac linguæ ipsi seruient.) Hoc primo certè in aduentu factum esse, certum tenet Christiana fides. Filius hominis iam vsq; ad antiquũ dierum peruenit, iam in conspectu eius obtulimus eum, quicunq; propter peccata nostra oblatum esse credimus, & confitemur eum, & quotidie in sancto altari oblationis eius sacrum celebramus mysterium. Iam dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Iã enim propter passiõem mortis, gloria & honore coronauit eum, & cõstituit eum super opera manuum suarum. Nam hoc est quod cùm surrexisset à mortuis, dicebat. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et tunc omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruiunt, baptizati in nomine patris & filij & spiritus sancti, secundũ eius imperiũ. Quid enim si qui adhuc seruituti eius cõtradicunt? Profectò seruitutẽ debent, & ab ipso pœnã recipient, propter seruilẽ suum timorẽ, propter suã ceruicosam rebellionẽ. Sede, inquit, à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Et subinde. Dominare in medio inimicorum tuorum. Igitur quod dictum est. Aspiciebã donec throni positi sũt, & antiquus dierum sedit, itemq; iudiciũ sedit, & libri aperti sunt, maiestatem quidem personat iudicij futuri, & aduentus secundi, veruntamen ita vt primi quoque aduentus nonnulla consideratio fit, quo idem iudiciũ cœpit agi, testante ipso iudice, cũ dicit. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Proinde ad laudẽ dei, ad gloriam regni Dei, quòd nunc intra nos est, referre libet hæc ad primum aduentum Christi filij Dei, vt videlicet primo aduentu cœptum fateamur, quod in secundo cõsummandum est.

Hebr. 2.
Matth. 28.
Psalm. 119.
Ioan. 12.

Quid sint throni positi, quis thronus eius, flãma ignis & rotæ eius, ignis accensus, quid fluuius igneus egrediens à facie eius, quid iudicium sedens.

CAPVT XIII.

ASpiciebam (inquit) donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Aspiciebam, inquã, desiderans atq; suspirans desiderio, atq; suspirio, quòd erat commune omnium iustorum, non ignorantium se à regno Dei excidisse in Adam, & expectãtium vt in nobis recuperaret ipse regni sui gloriam. Quòd & ita factum est. Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Thronus vnus & plures throni, vna ecclesia est & plures sancti, quorum in cordibus ille antiquus dierum sedit, Deus quippe recens in illis nõ fuit. Thronus eius Abraham, thronus eius Dauid, thronus eius singuli sancti, quorum in cordibus ille per fidem sedit, thronis eisdem positis, id est, longa expectatione in occursum regni eius præparatis. Qualis ille sedit? (Vestimentum eius quasi nix cãdidum, & capilli capitis eius quasi lana munda.) Gloriosa hæc regni eius insignia sunt. Nix quippe remissionem peccatorum, lana nuditatis nostræ operimentum significat. Inde Psalmista. Lauabis me, & super niuẽ dealbabor. Item: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius. (Licet ignis iræ & flamma hic intelligi possit vindictæ futurę, tamen quoniã fluuius igneus dulciori dignior est adhuc intellectu, maximè quia sic dictũ est, egrediebatur à facie eius. Quid enim non dulce, nõ amabile egreditur aut procedit à facie eius? Ergo fluuius igneus non iniuria, non coacta sententia, dicimus quod ipse sit spiritus sanctus, de quo Psalmista, Fluminis, inquit, impetus lætificat ciuitatem Dei. Et in Esaia idẽ spiritus sanctus. Ecce ego declino in eos vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloriæ gentium. Hic sine dubio fluuius egrediebatur à facie eius, vndè procedẽs dicitur hic spiritus sanctus. Igneus aũt est & rapidus, quia

Psalm. 50.
Psalm. 31.
Psalm. 45.
Esaiæ 66.

mentes igneas reddit, & linguas disertas atque viuidas efficit, quòd & testatus est, & ab effectu comprobauit, quando super discipulos apparuit tanquam ignis, & cœperunt loqui varijs linguis. Linguis rapidis, ita vt filẽtium illis nulla posset indicere potestas seculi. Extunc thronus eius, id est, ecclesia eius flamma ignis, & rotæ euangeliorum eius ignis accensus. (Milia milium ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebãt ei.) Hoc & de angelicis spiritibus rectè valet intelligi, quorũ infinita nobis milia ministrãt, vel assistunt ei. Verũ quia de genere humano negotium est, cuius sibi milia Deus in regnum dignatione sua acquisiuit, sic iuuat cõtinuari. Fluuio igneo rapidoq; egrediente à facie eius, milia miliũ ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebant ei, id est, dato spiritu sancto, qui ab ipso procedit, innumerabiles homines, qui prius non erant eius, per aquam & per eũdem renati spiritũ distributis ordinib. seruire cœperunt maiestati eius, alij per actiuam ministrantes ei, alij per contemplatiuam vitã assistentes ei. Plures autem in actiua ministrant, pauciores in contemplatiua assistunt ei. Benè ergo indefinita quantitate dictum est, milia miliũ ministrabant ei, definita verò, & decies milies cẽtena milia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Hoc vtriusq; iudicij quasi cõfinium est. i. recta vtrunq; iudicium significatione contingit. Etenim iudicium iam sedit, sicut prædictũ est, vt princeps huius mũdi eijceretur foras, sedebit adhuc, vt idem princeps cum angelis suis, idem, inquam, tanquam caput cum omni corpore suo meritas recipiat pœnas. Vndè sequitur. (Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur. Et vidi, quoniã interfecta esset bestia, & periisset corpus eius, & traditum esset igni ad cõburendum, &c.) Item libri iam aperti sunt, aperiente agno librum magnum, septem sigillis signatum, aperiente illo discipulis suis sensum vt intelligerent scripturas. Aperti, inquam, sunt libri, per primum iudicium, ita tamen, vt qui non videbant viderent, & qui videbant cæci fierent, aperiendi autẽ sunt libri, libri conscientiarum, vt iudicentur singuli ex his quæ ibi scripta sunt.

Apoc. 5.
Ioan. 12.
Luca 24.
Ioan 9.
Ioan. 5.

De venẽte filio hominis, quomodo vsq; ad antiquum dierum peruenit, et dedit ei potestatem et honorem et regnum.

CAPVT XIIII.

MAnifestè quidẽ hactenus cõscriptum est iudicium diuinum, sed non dictũ est, qualem per manum siue personam sit agitandum. Non enim iudicabit per semetipsum ille antiquus dierum, quia pater nõ iudicat quenquã. Et si throni huic positi sunt, non consequitur, vt sedeat ad iudicandũ, vt cùm vestimento niueo siue candido & capite cano ad proferendã sententiam visibiliter atque localiter sessurus expectetur iste antiquus dierum. Itaq; nõdum dictum est, quæ vel qualis factura sit iudicium personæ. Sed quid sequitur. (Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorẽ, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ nõ auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.) Igitur quod in euangelio suo prædicat ipse filius hominis, pater nõ iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, hæc prophetica visio lucido satis definit testimonio. Quæ autem causa vel ratio est, vt iudicium faciat hic potius filius hominis quã pater, nisi quia filius hominis est? Sic & ipse cum dixisset, & potestatem dedit ei, iudicium facere, continuò quasi quæreres quo iure, quo ordine iustitiæ filius iudicet magis quàm pater, quia, inquit, filius hominis est. Ac si diceret. Quia persona filij se operosius impendit ad reparationẽ mundi, in tantũ, vt fieret filius hominis, sola quippe hæc persona incarnata & passa est pro salute mundi, rectè ergo potestatem habet iudicium faciẽdi, vt sola iudicet persona, quæ sola redemit, id est, vt in iudicio sola spectetur persona filij, secundum formam visibilem, formam serui, in qua semetipsam sola exinaniuit. Quoniam ad alia properamus, & hæc cæteraque à patribus doctissimis pertractata sunt, iam ad septimum prophetæ huius accedamus præconium, quo regni Dei quod expectabat edicere meruit, tẽpus quoque præfinitum.

Ioan. 5.

Quomodo supputentur septuaginta hebdomades, de quibus dicitur ad prophetam, septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum vt consummetur præuaricatio, & cætera, & vngatur sanctus sanctorum.

CAPVT XV.

IN anno primo Darij filij Assueri de semine Mędorum, qui imperauit super regnũ Chaldæorum (cùm inquit Daniel) loquerer & orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, vt prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei, at me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini, & docuit me, & locutus est mihi, dixitque Daniel, nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populũ tuum, & super vrbem sanctam tuã, vt consummetur prœuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorũ. Scito ergo,

& ani-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& animaduerte ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Hierusalem vsq; ad Christum ducem hebdomades septuaginta computa, hoc est annos duodenorum mensium lunarium, ccccxc. qui sunt anni solares, cccclxxv. Siquidem Persæ à præfato vigesimo anno regis Artaxersis vsq; ad mortẽ Darij, regnauerunt annis cxvj. & hinc Macedones vsq; ad interitum Cleopatræ annis trecentis. Inde Romani vsq; ad septimũ decimum Tyberij Cæsaris annum, monarchiam tenuerunt annis quinquagintanouẽ, qui sunt simul (vt diximus) anni cccclxxv. & continentur circulis decemnouenalib. xxv. Dies nouies enim viceni & quini fiunt cccclxxv. Et quia singulis circulis emboliſmi septem accrescunt, multiplica viginti quinque per septem clxxv. qui sunt emboliſmi menses cccclxxv. annorũ. Si ergo vis scire, quot annos lunares facere possint, partire cẽtum septuagintaquinq; per duodecim. Duodecies deni & quaterni, clxviij. Quatuordecim ergo annos faciunt & remanent menses septem. Hos iunge ad supra scriptos cccclxxv. vt fiunt simul cccclxxxix. Adde & menses superfluos septem, partemq; octauidecimi anni imperij Tyberij Cæsaris quo dominus passus est, & inuenies à tẽpore præfinito ad eius vsque passionem, hebdomades septuaginta abbreuiatas, hoc est, annos lunares ccccxc. Ad eius verò baptiſmum quãdo vnctus est sanctus sanctorum descendente super eum spiritu sancto sicut columba, non solum hebdomades septẽ & sexaginta duas fuisse completas, sed & partem iam septuagesimæ hebdomadis inchoatam. (Et post hebdomades (inquit) septuaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.) Non statim post sexaginta duas hebdomades, sed in fine septuagesimæ occisus est Christus, quam ideo quãtum cõijcere possumus, segregauit à cæteris, quia de hac erat plura relaturus. Nam & Christus in illa crucifixus est, à populo perfido, non modo in passione, verùm continuò ex quo à Ioanne prędicari cœpit, negatus est. Quòd autem sequitur. (Et ciuitatem, & sanctuariũ dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta delatio.) Non ad septuaginta hebdomades pertinet. Prædictum enim fuerat, quòd ipsę hebdomades ad Christi vsque ducatum pertingerent. Sed scriptura prędicto aduentu & passione ipsius, quid etiam post hanc populo qui eum recipere nollet, esset euenturum ostendit. Ducem enim venturum, Titum dicit, qui quadragesimo anno dominicæ passionis ita cum populo Romano ciuitatem & sanctuarium dissipabit, vt non remaneret lapis super lapidem. Verùm his per anticipationem prælibatis, mox ad exponendũ hebdomadæ quam omiserat redijt euentũ. (Cõfirmabit autem pactum multis hebdomas vna.) Hoc est ipsa nouissima, in qua vel Ioãnes baptista, vel dominus & apostoli prædicando multos ad fidem cõuerterunt. (Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificiũ) Dimidiũ hebdomadis hui⁹ septuagesimę quintusdecimus annus Tyberij Cæsaris erat, quãdo inchoato Christi baptiſmate, hostiarum purificatio fidelibus paulatim vilescere cœpit. Item quod sequitur. (Et in templo erit abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.) ad sequentia tempora respicit.

Luc.19.

De oratione Danielis, quomodo secundum illam responsum ei sit, cùm videatur orasse pro soluenda illa quæ tunc fuit captiuitate Babylonica, & quasi econtrariò maior enuncietur ei futura Iudæorũ vastitas.

CAPVT XVI.

HVius prophetiæ veritatem, & historia veterum & nostrorũ hodieq; temporum testatur euentus. Verùm si solam literã spectes, nunquid huiuscemodi responsa Danielis oratio flagitabat? Dixerat enim. (Ego Daniel intellexi in libris numerum annorũ, de quo factus est sermo domini ad Hieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni.) Ac deinde orans (Auertatur (inquit) obsecro ira tua & furor tuus à ciuitate tua Hierusalem & mõte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum Hierusalẽ & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nũc autem exaudi domine Deus noster orationem serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum quod desertum est. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum.) Ita si solam literam spectes, nihil inuenis præter illã septuaginta annorum Babylonicam captiuitatem, nihil præter ciuitatis & templi manufacti cineres quod deploret aut recuperari desideret. Verùm si ita erat, si hoc tantum in votis habebat, nunquid opportunam pro re consolationem accepit? Nonne potius cõtraria votis audiuit? Non enim dictum est illi, ædificabitur Hierusalem, & templum renouabitur atq; omnis cultus ceremoniarũ, sed quod his valdè contrarium est, occidetur, inquit Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio, & deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & vsq; ad consummationẽ & finẽ perseuerabit desolatio. Igitur cum dicit. Ego Daniel intellexi in libris numerum annorũ, de quo factus est sermo domini ad Hieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni, vigilanti lectori illud se spiritu ꝓphetico intellexisse insinuat, quod hodie reuelata facie videt Christi ecclesia, scilicet captiuitatem illam, vnius populi Iudaici fuisse imaginem alterius magnæ captiuitatis, quæ vno peccante Adam, vniuerso generi humano accidit, & illos septuaginta captiuitatis annos, tempus omne significasse, quo populus Dei peregrinatur in hoc seculo. Quid enim magnum erat intellexisse, quod palam omnibus verba sonabant Hieremiæ prophetæ? Ergo cum dicit orans, exaudi domine Deus noster orationem serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, &cæt. cùm, inquam, hæc dicit, sub istis vocibus res maiores intendit, & sic illam captiuitatem solui optat, vt pro maiore solicitus sit, leniter laturus illud maius tẽpli vel ciuitatis excidium, defectum quoque hostiæ & sacrificij, perpetuamq; desolationẽ templi abominabilis, dummodo fiat, quod erat necessarium, vt scilicet, consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & vngatur sanctus sanctorum.

Hier. 25. 29. Eusebius. Zach.1. Zach.7.

De septuaginta annis captiuitatis, quando teste scriptura sacra cõpleti fuerint, & quomodo de illis Iosephus sibimet contraria scripserit.

CAPVT XVII.

PORrò cum captiuitas illa Iudaici populi, captiuitatem significet peccati, quæ vniuerso (vt dictum est) generi humano accidit, consequenter eiusdem relaxatio captiuitatis saluationem significat mundi, & vt secundum verba scripturæ huius loquamur, typus fuit consummandæ præuaricationis, finiendi peccati, delendæ iniquitatis, adducẽdæ iustitiæ sempiternæ, implendę visionis & prophetiæ, vngendi sancti sanctorum, qui & ipse templum verum, templum non manufactum, rex & fundator ciuitatis, in qua dignaretur homo nasci. Itaque de ipsa captiuitatis relaxatione, templique reædificatione, pauca dicturi, iuxta nostri tenorem propositi, dicamus primò iuxta literam de ipsis septuaginta annis, Cùm cœperint (inquit Hieremias) impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locũ istum, ait dominus. Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad implendum sermonem domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ, suscitauit dominus spiritum Cyri regis Persarum, & transduxit vocem in vniuerso regno suo, etiam per scripturam dicens. Hęc dicit Cyrus rex Persarum. Omnia regna terræ dedit mihi dominus Deus cęli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hierusalem, quæ est in Iudæa, &cæt. Impedientibus autem Samaritis intermissum est opus vsque ad annum Darij secundum. Illo anno septuagesimus captiuitatis Hierusalem annus impletus est, vt vult Eusebius, testem adhibens Zachariam prophetam, apud quem secundo anno Darij loquitur angelus. Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est. Item quarto Darij anno, dicit idem propheta. Cũ ieiunaretis, & plangeretis post hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Sexto Darij anno templi ædificatio completur, die tertia, mensis Adar, qui est quadragesimus sextus annus, ex quo eius fundamenta sub Cyro iacta sunt. Vndè in Euangelio dicunt Iudæi. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc. Cœperunt autem ædificare anno secundo Darij, mense sexto, die vicesima quarta, & anno sexto, vt dictũ est mense duodecimo, die tertia compleuerunt. Ex quo apparet opus templi, & antea non parua ex parte peractum. Consentit hic Iosephus in antiquitatum libro, scribens tẽplum & Hierusalem, & omnem Iudæam septuaginta annis permansisse desolatam. Qui rursus numerando reges Babylonis, si tamẽ ipse sic scripsit, & nõ codex fallit mendosus, conferens annos ab euersa Hierusalem vsq; ad euersionem regni Chaldæorum colligit. Scribit enim post Nabuchodonosor, qui teste scriptura sacra, vigintiquinque post euersam Hierusalem vixit annos. Euilmerodach filium eius regnasse annis octodecim, post quem Egesar filium eius XL. & huic successisse Iasordach mensibus nouem, atque hoc defuncto ad Balthasar, qui Naboon nuncupatus est, transisse imperium, eiusque anno decimo septimo à Cyro & Dario regibus captam esse Babyloniam. Hic Darius Danielem prophetam assumens ad se, in Mediam duxit, & omni eum honore celebrauit. Fiũt autem anni centum, superadditis mensibus nouem secundum Iosephum, si tamen (vt dictum est) ipse sic scripsit, & non mendosus codex fallit. Tradũt Hebręi, vt beatus Hieronymus ait, huiuscemodi fabulam. Post septuagesimum annum, quo Hieremias captiuitatẽ populi Iudęorũ dixerat esse soluendã, de quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur, irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium fecit grande conuiuium, insultans quodammodo spei Iudæorũ, & vasis

Hier.29.

1. Esdræ.1.

Aggæi.II.

2. Esdr.1.

2. Esdr.4.

Hie.11.29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

templi Dei. Sed ſtatim vltio conſecuta eſt. Nunc ad incepta redeamus.

De Cyro rege, quomodo ſecundum vaticinium Eſaiæ prophetæ Chriſto aſſimilatus fuerit, maximè, quia populum Dei liberauerit, & in patriam remiſerit.

CAPVT XVIII.

IVxta myſticos ſenſus Cyrus Rex dominum ſaluatorem & nomine deſignat & factis. Hoc non ex noſtra coniectura, ſed
Eſaiæ 45. ex manifeſtis Eſaiæ verbis dicimus, quibus
Ibidem. ex perſona domini dicebat. Aſſimilauit te, & non cognouiſti me. Aſſimilauit nanq; eum Deus filio ſuo, quamuis ipſe Deum ſe aſſimilanté minimè cognouerit. Sed dicis. In quo
Pſalm. 2. Hebr. 1 eum aſſimilauit? Primum in eo, quòd Chriſtum ſuum illum cognominare dignatus eſt, ita dicẽdo. Hæc dicit dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, &c. Deinde q̃ eum Cyrum, quod interpretatur hæres, multò antequam naſceretur, vocandum eſſe diſpoſuit. Hoc. n. vocabulũ rectè congruit illi, cui dicit idem Deus pater. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. De quo & apoſtolus ait. Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. De quo etiam in carne apparente inimici perſe-
Matt. 21. Marc. 12. quentes dicebant Hic eſt hæres. Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Aſſimilauit ergo Cyrum dominus Deus vnigenito ſuo, Deo & domino noſtro Ieſu Chriſto, quia ſicut ille deſtructo Chaldæorum regno populum Dei liberauit, ac in patriam remiſit, templumq; quod erat incenſum in Hieroſolymis reædificari præcepit, & hoc ipſum edictum etiam per literas manifeſtare curauit, vt implerentur verba Hieremiæ prophetæ, quibus hoc futurum eſſe prædixerit, ita
1. Theſſ. 2. mediator dei & hominum, deſtructo per orbem diaboli regno electos ſuos, qui erant diſperſi ab eius tyrannide reuocatos in ſuam congregat ciuitatem cęleſtem veram Hieruſalem. i. pacis viſionem, & hoc ipſum per literas manifeſtat, ſanctas videlicet in mundũ vniuerſum mittendo ſcripturas, quib. fidem ſui nominis ac ſpem ſalutis, cunctis, qui ad regnum ſuum pertinent hoc eſt, electis omnibus prędicat. Nihilominus quod in ſcriptura
1. Eſdræ 1. ſua dixit idem Cyrus. Omnia regna terræ dedit mihi dominus Deus cęli, veraciter ſoli cõuenit maieſtati eius, qui dixit. Data eſt mihi
Matth. 28. omnis poteſtas in cælo & in terra. Cæterùm minus verùm videtur ſonare, quod ille omnia ſibi regna terræ à Deo tradita dicit, niſi fortè intelligendum. quòd eo tempore quo hæc ſcripſit, nullum ſui regnum aduerſariũ habuerit, vel certè victo, deſtructo, atq; exhauſto tam robuſto, tamq; antiquo Chaldæorum imperio, nullu ſuo regno in toto orbe reſiſtere poſſe crediderit. Credendũ eſt autẽ maximè, ex illa Eſaiæ prophetia, hunc Cyrũ regem dilexiſſe filios Iſrael, eoſq; de captiuitate exemptos domum remiſiſſe, ac templũ reædificare iuſſiſſe domini Dei eorum. Audierat quippe, tam Eſaiam quàm Hieremiã *Eſa. 45.* prophetam eorum per ſpiritum dei de regno *Eſa. 44.* ſuo & Babyloniorũ deſtructione fuiſſe prælocutum. Nam & ſpiritualiter ipſum genus expugnationis quo Babyloniã cepit expreſſerant ijdem prophetę. Quorum Eſaias. Qui
Hier. 51. dico, inquit, profundo, deſolare, & flumina tua arefaciam. Porrò Hieremias, murus, inquit, Babylonis ille latiſsimus ſuffoſsione ſuffoditur, & portæ eius excelſę igni comburentur. Narrant enim hiſtoriæ, quia diuiſo atque exinanito per plurimos riuos flumine Euphrate, qui per medium Babylonis influebat, per arefactum ac deſolatum eius profundum vrbem hoſtis intrauerit. Non ignoramus, quæ de hac ciuitatis vel templi ædificatione in libro continentur Ezræ & Neemiæ, cuncta ſpiritualibus plena myſterijs eſſe, ſed nos propoſiti itineris longitudine deuocamur, ne diu multum locis ſingulis immoremur. Pauca ergo cõtingemus ſecundum prę conia Aggæi & Zacharię prophetarũ, qui illo tempore magno ſpiritu prophetauerunt.
1. Eſdr. 4. Magni quippe ſpiritus iſti prophetę fuerunt vt aduerſus tanti regis edictum & Samaritanos, gentesq; cunctas per circuitum ædificationem templi domini impedientes, iuberẽt templum extrui, ſicut ſcriptum eſt. Itaq; exemplum edicti regis Artaxerſis lectũ eſt coram Reum beeltheem & Samſai ſcriba & cõſiliarijs eorum, & abierunt feſtini in Hieruſalem ad Iudæos, & prohibuerunt eos in brachio & robore. Tunc intermiſſum eſt opus domus Dei in Hieruſalem, & non fiebat vſque ad annum ſecundum Darij regis Perſarum. Prophetauerunt autem Aggæus propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes
1. Eſdr. 5. ad Iudæos qui erant in Iudæa & Hieruſalẽ, in nomine Dei Iſrael. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Hieruſalem, & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos.

De prophetia Aggæi prophetæ, qui tempore illo quo cum reædificaretur templum gloriam ſpiritualis domus domini prophetauerit, & deſideratũ cunctis gentibus venturum prænunciauerit.

CAPVT XIX.

PRimus eorum Aggæus, dicit. (Et tunc confortare Zorobabel, dicit dominus, & *Aggæi II.* confortare Ieſu fili Ioſedech ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit dominus exercituum, & facite quoniã ego vobiſcum ſum dicit dominus exercituum. Verbum q̃ pepigi vobiſcum cũ egrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtrum. Nolite timere, quia hæc dicit dominus exercituum. Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare & aridum & mouebo omnes gẽtes, & deſideratus veniet cunctis gentibus & implebo

implebo domum iſtam gloria, dicit dominus exercituum. Meum eſt argẽtum, & meũ eſt aurum dicit dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ, plus quàm primæ, dicit dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem, dicit dominus exercituum. (Vel hoc ſolum quod dixit, & veniet deſideratus cunctis gentib. auditorẽ percellere poteſt, vt dormitantes oculos aperiat atq; de terra in cęlum ſubleuet, nec putet de domo illa inanimata & lapidea dictũ, & implebo domum iſtã gloria, & magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ plus quàm primæ. Primo itaq; ſacramentum cerne trinitatis. Ego inquit ſum vobiſcum, & ſpiritus meus, & verbum in quo poſui teſtamentum cũ egrederemini de Aegypto. Quod autem dicit, in medio veſtrum iuxta illud ſentiẽdum,
Ioan. 1. quod in euangelio ſcriptum eſt. Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, qui poſt me venit. Hæc ergo dicit dominus exercituum ad vos, qui videtis domum priorem ſic eſſe quaſi non ſit. Moui cœlum, quando de cælo
Exod. 20. audita eſt vox mea. Vos enim vidiſtis, quod de cælo locutus ſim vobis. Moui terrã, quando priori populo tradidi teſtamentum meũ, & in auditorio meo caligo, turbo, tenebræq; cernebantur. Moui mare rubrũ, quando viã prębui populo tranſeunti. Moui aridam ſcilicet vel Aegyptum, per plagas cultu Dei vacuans, vel ſolitudinem per quam quadraginta annis populus circuiuit. Hæc adhuc ſemel mouebo. Tempore quippe paſsionis dominicæ fugiente ſole, cælum motum eſt, & tenebræ factę ſunt vſque in horam nonam ſuper omnem terram. Verè enim poſtquam venit ille deſideratus cunctis gentibus, motæ ſunt omnes gentes, & impleta eſt gloria domus domini, & quanto dominus diſtat à ſeruo, tanto domus iſta melior eſt cui præeſt dominus, domo priore cui præfuit ſeruus. Illuſtrior quippe fit eccleſia, quam quõdam fuerat ſynagoga. Veruntamen propius adhuc inhærere libet ſenſui quem ſupra tenere incepimus. Diximus enim prioris domus deſcriptionem, id eſt, Babylonicam captiuitatem, & ciuitas Hieruſalem deſtructa, & templum igne ſuccenſum eſt, typum vniuerſalis fuiſſe captiuitatis, qua in Adam vniuerſitas captiua eſt generis humani, à rege Babylonis, à principe huius mundi, à diabolo rege confuſionis. Dicamus ergo, immò dicentem audiamus dominum ſuper hoc. Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ plus quam primæ. Quod vt fiat, veniet inquit deſideratus cunctis gentibus. Nimirum ecce videmus, ecce credimus, & confitemur humanam naturã per huius deſiderati aduentum ſupra primæ originis reparatã eſſe dignitatem. Si domus domini, quæ ſumus nos, igne diabolicæ confuſionis exuſta nõ fuiſſet in Adam, deus dei filius noſtram non ſuſcepiſſet naturam, gloria & honore propter paſsionem mortis coronandum. Si deus noſtram. i. humanam, nõ ſuſcepiſſet naturam, eadem natura noſtra ſupra dignitatem non aſcendiſſet angelicam. Nunc autem tanto omnem caro noſtra ſuperexceſsit creaturam, vt ſanctæ trinitatis cõfitentes gloriam, hominem, humanam in altitudine admirantes ſuſcipiamus naturam, Dei nanq; & hominis vtranq; in vna filij perſona confitemur & adoramus ſubſtantiam. Igitur magna eſt gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quam primæ, maior quippe multo nunc eſt beatitudo congregationis noſtrę qui tanto duce, tam glorioſo congregamur principe, quàm ſi nunquam nos in primo parente conflagraſſet diabolicę flammæ inuidia. Iuxta hunc ſenſum quo pertinuit dicere, *Aggæi 2.* meum eſt argẽtum, & meum eſt aurum? Ad hoc vt reſpondeamus, quærimus primo, q̃d argentum, quod vel quale dei ſit aurũ? Hinc iam Pſalmiſtam prædicantem audimus. Elo *Pſal. 18.* quia domini, eloquia caſta, argentum igne e- *Pſal. 11.* xaminatum. Item: Iudicia domini vera iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurũ, & lapidẽ precioſum multũ. Ergo diuitias ſuas exponere volens, quib. glorioſam faceret domum ſuã, meum eſt inquit aurum, & meũ eſt argentum, dona ſua ſignificans, quę datu rus erat hominib. quemadmodũ de eodem deſiderato ſcriptura loquitur. Aſcendens in *Pſal. 67.* altum captiuam duxit captiuitatẽ, dedit do- *Epheſ. 4.* na hominib. Et iam quidem venit iſte deſideratus, ſed primo aduentu eius nõ adeo cõmota ſunt cælum & terra & mare & arida, neq; apparuit adhuc, aut impleta eſt magna domus eius gloria. Nunc (inquit Ioannes) fi- *1. Ioan. 3.* lij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Sed neque deſideratus adhuc erat cũctis gentib. quippe à quibus neſciebatur. Igitur quod præmiſerat, quoniam ego vobiſcũ ſum, verbum quod pepigi vobiſcum, cum egrederemini de terra Aegypti, & ſpiritus meus erit in medio veſtrum, quibus verbis (vt iam diximus) breuiter expreſſum eſt ſacramentum trinitatis, ad primum ſpectat aduẽtum huius deſiderati, per quem factum eſt, vt ſpiritualiter egrederemur de terra Aegypti, baptizati in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Hoc animaduerſo, iam quæſtione non indiget, quod ſequitur, quia veraciter adhuc vnum modicum eſt, & ego inquit cõmouebo cælum, & terram & mare, & aridã, illa videlicet commotione, quæ in euangelio his verbis exprimitur. Et erunt ſigna in ſole *Luca 21.* & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentiũ, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus, præ timore & expectatione quę ſuperueniẽt vniuerſo orbi. Nã virtutes cælorum mouebuntur. Itaq; qui primo venit occultus, ſecundo aduenit aduentu manifeſtus, motis cęlo & terra, & mari, & arida, & mortis cunctis gentibus, quemad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum ibidem continuò dicitur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. Veniet inquam iam tunc desideratis cunctis gentib. id est, fidelibus suis electis,& congregatis,ex omnibus gentibus. Tunc apparebit istius dominus gloria, quæ hic promittitur, & de qua illic continuò sequitur. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

De prophetia Zachariæ sub eodem tempore, quo modo dicat: Et ostendit mihi dominus Iesum sacerdotem,&c.& quomodo pro Iesu Christo Deus pater increpauerit sathan.

CAPVT XX.

Zach. III. POst hunc videlicet Aggæum paulò iunior, id est, duobus mensibus tardius prophetare incipiens, Zacharias filius Barachiæ secundum nomen suum memor domini, & secundum nomen paternum benedictus domini,dum & ipse cum Aggæo, quod interpretatur festiuitas magna ipe & fide in dominum, ciuitatem Hierusalem extrui persuadet, vel rege prohibente, vel gentibus, hoc modo memor est domini Iesu sacerdotis magni. (Et ostendit mihi dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo domini, & sathan stabat à dextris eius,& aduersaretur ei. Et dixit dominus ad sathan. Increpet dominus in te sathan, & increpet dominus in te, qui elegit Hierusalem, &c.) Quomodo Hebræi locum illum ediſſerant, non magni pendentes, quoniam omnis Iudæorũ sensus caro est, qui soli literæ carnaliter inhæret. Iesum hic proprio nomine designatum intelligimus, id est saluatorem nostrum. Ipse est enim, quem antequam veniret, multi iusti & prophetæ, quorum hic Zacharias vnus est, videre desiderauerunt,& non viderunt.

Luca 10. Attamen aliqua sub imagine vidisse, immò præuidisse multum fuit. Ergo lętabundus hic dicit. Et ostẽdit mihi Iesum sacerdotem magnum videlicet prophetica ostensione, quomodo sanctis prophetis peccata sua vel populi lugentibus pro consolatione magna solitus est illum Deus ostendere. Non sufficerat dixisse sacerdotem, nisi addidisset magnũ quia videlicet non de pluribus sacerdotibus, qui morte prohibentur permanere, sed super omnes est sempiternum habens sacerdotium, eo quod manet in æternum, ad quem

Psal.109. dictum est. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Stantem quoque dixit, i stabili gradu consistentem, imò vultui Dei pro nobis assistẽtem & paratum illi ad obediendum vsq; ad mortem coram angelo domini. i. secundum beneplacitũ verbi plena diuinitate corporaliter in se inhabitantis, quod est angelus magni consilij, non quod aliter & aliter sit, aut duas personas re-

Ioan.14. cipiamus in filio, sed quod idem atque vnus Christus Iesus, vt deus susceptæ humanitati imperet atq; vt homo diuinitati verbi sibimet vniti obtemperet. Et sathan stabat à dextris eius vt aduersaretur ei, subauditur, sed

Philip.2. non prævalut. Venit enim, inquit, princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Eo vsq; venit & stetit, atq; aduersatus est ei, donec faceret eum interimi, sed hoc totum est à dextris eius. i. ad profectum glorię eius. Nam proter hoc Deus, & sathan increpauit, & illum exaltauit, dando illi nomen, quod est super omne nomen. Increpauit inquam illum vnus deus pater & filius & spiritus sanctus. Qua propter sic pulchrè dictum est. Et dixit dominus ad sathan. Dominus de domino dixit,& vtiq; pro domino sacerdote magno dixit. Quid autem increpãdo sathan pro domino filio fecit dominus pater, dominus spiritus sanctus? Eiecit illum foras, iuxta il-

Ioan.12. lud. Nunc iudicium est mundi, nũc princeps huius mundi eijcietur foras. Increpãdo quippe illum dominus, qui elegit Hierusalẽ, per passionem Christi eiecit eum foras tanquam hostem, imò latronẽ de regno suo, tanquam adulterũ de cubiculo suo. Hierusalẽ quippe intellectualis illa ciuitas dei & sponsa est, quã sathan velut latro deprædatus fuerat, velut adulter in primo homine per serpentem cõmaculauerat. (Nunquid ait non iste est torris erutus ex igne?) Tanquam diceret sathan. Quo iure dominus me increpet? Quo iure so-

Act.2. ras eijciat? Impurissime sathan, nunquid non iste ad quem venire, cui aduersari ausus es, mortuus cum peccatum non fecisset, ad inferna descendit,& velut si torris eruatur ex igne, ita semetipsum excussit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat illum ab eo teneri.

Quomodo Iesu indutus erat vestibus sordidis, non suis sordibus, sed alienis, & quomodo ablata sunt ab eo vestimenta sordida, & cidaris munda super caput eius posita.

CAPVT XXI.

ET Iesus erat indutus vestib. sordidis, & stabat ante faciem angeli. Qui respondit & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens. Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum. Ecce abstuli à te iniquitatem tuã, & induite mutatorijs. Et dixit. Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundã super caput eius, & induerunt eum mutatorijs.) Quomodo hic Iesus erat indutis sordidis vestibus? Eo nimirum modo, iuxta quem & alius propheta loquitur. Et ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Nõ est ei species neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspe- Esa.53. ctus, & considerauimus eum despectũ & nouissimum virorum, virum dolorum, & sciẽtem infirmitatem. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum, & cætera. Talis itaq;, id est, sordidis indutus vestibus, stabat Iesus ante faciem angeli, scilicet in agonia

passionis.

Luce 22. passionis, vbi angelum vsitato vocabulo accipimus, nihil impedit, imò & magis placet, iuxta veritatem euangelij. Cùm enim factus in agonia prolixius oraret, & fieret sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrẽtis in terrã, quod erat sine dubio indutũ est sordidis vestimẽtis infirmitatis, apparuit illi angelus de cælo confortans eum. Nec mirum. Nam mi-

Psal.8. nuisti eum (inquit Psalmista) paulò minꝰ ab

Philip.7. angelis, videlicet in eo, quòd semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Sed auferte inquit vestimẽta sordida ab eo. Dixerat hoc angelus in persona Dei, subiungens etiam, ponite cidarim mundam super caput eius. Dicamus autem nos, quia iam factum est, quia per passionem mortis vestimenta sordida Iesus sacerdos magnus deposuit, id est, conditionem mortalitatis exuit cum peccatis & iniquitatibus omnium nostrum, quas in se susceptt, resurgendo autem à mortuis indutus est mutatorijs, & posita est cidaris munda super caput eius. Vndè & cum Psal-

Psal.8. mista canimus. Gloria & honore coronasti

Rom.6. eum. Et cũ Apostolo Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur.

De eo quod dicitur: Ecce ego adducam seruum meum orientem,&c.

CAPVT XXII.

CAeterùm & quotidie sordida magni sacerdotis huius vestimenta tolluntur,& ipse mutatorijs induitur, quotiescunq; corporis eius quod est ecclesia, peccata lauantur superductis iustitiæ operibus, iuxta hanc verò rationem quod ille caput, & ecclesia corpus, ille inquam caput, & nos mẽbra sumus, quod hactenus de hoc sacerdote magno dicebatur de capite intellexerimus, quæ post

Zach.3. hæc dicuntur de corpore intelligamus. (Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui te cum habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt.) Et post aliqua. (Et educet lapidem primarium, & exequabit gratiam gratiæ eius.) Audi, inquit, Iesu sacerdos magne, imò audi ecclesia, corpus Iesu sacerdotis magni, genus regale & sacerdotale, & audiant amici, qui habitant coram te, id est, apostoli & prophetæ verè amici, parati videlicet propter te animas ponere, & idcirco habitantes coram te, vt pugnent moriendo, moriantur pro te pugnando, vndè & viri portendentes, id est, magnorum exemplorum auctores, vel magni futurorum præcones sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum orientem, id est, Christũ filium meum, seruum meum secundum susceptam serui formam orientem, id est, Christum secundum sempiternæ diuinitatis lumen. Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu super lapidem vnum septem oculi sunt. Ni-

Zach.4. mirum inde dixi orientem, quia septem oculis totum illuminat orbem. Nam ipse qui seruus propter assumptam hominis naturam ipse oriens propter septiformem diuinitatis plenitudinem corporaliter in se habitantem ipse lapis propter mysterij causam præsentẽ id est, propter ciuitatis vel templi cœlestis ędificationem, cuius in typum ciuitas illa ædificari incipiebat, cum istam propheta videret visionem. Quæ cum ita sint, perspicuum est, cur deinde dicat. & educet lapidem primarium. Et enim nos quotquot superędificamur lapides viui dicimur, hic autem non solum lapis viuus, sed lapis quoque dicitur primarius, ob causam hanc, quia septem oculis est perlucidus, & qui homo fieret vt nobis in fundamento supponeretur, idem in principio erat Deus. Sequitur autem. (Exæquabit gratiam gratiæ eius.) Num ergo æquales illi erimus? Non vtique, quia nos adoptiui, ipse autem naturalis Dei filius. Nec sic dictum est, & exæquabit gratiam naturæ eius, sed ex æquabit gratiam gratiæ eius, vt ex Israel credentes, & gentium populus æqualem gratiã, & par accipiant munus. Nam isti sunt parietes, quos in se vno coniũgit hic lapis angularis, lapis primarius.

De candelabro, de quo idem: Ecce inquit candelabrum aureum totum, & cætera. lucernæ eius super illud, quod sit Christus, & quid sint duæ oliuæ, vna à dextris, & vna à sinistris eius.

CAPVT XXIII.

ET dixit ad me. Quid tu vides? Et dixi. CA. IIII.
Vidi, & ecce candelabrum aureum totũ, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput illius, & duę oliuę super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.) Qui paulò antè per lapidem septem oculorum, ipse nunc per candelabrum figuratur aureum, totum septem lucernarum, scilicet Christus, qui septem spiritibus lucens, vniuersam illuminat Ecclesię suę domum. De isto candelabro plenius in Exodo diximus, vbi cũ totidẽ lucernis suis Exod. 25. à domino per Moysen fieri imperatur. Idcirco nunc ad alia properantes, duas tantũ oliuas, quę sunt super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius, agnoscere cupimus. Has quippe alij Moysen & Heliam, qui cum domino loquebantur in monte, id est, legem & prophetas, passionẽ eius concorditer prędicantes, alij legem & euangelium interpretantur, vt in dextera euangelium sit, in sinistra lex. Ergo non longè quidem ab hoc sensu progredientes, manifestius tamen oliuam vtranque discernere cupimus, quibus hinc & inde stantibus tantũ tãque lucidũ candelabrum, siue candelabri lampas, ritè condecoretur. Apostolus de isto candelabro, id est, CHRISTO ad Collossenses scribens, i- Coloss. 1.
ta loquitur. Qui est imago DEI inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Quisquis hęc de illo fideliter sentit, profectò oliuam uberem stantem intuetur à dextris candelabri siue lampadis, quia veraciter propter bonitatem suam Deus pater per verbũ suum bonum hæc omnia creauit. Sequitur Coloss. 1. Apost. continuò & dicit. Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit ipse in omnibus primatum tenẽs, quia in ipso complacuit omnẽ plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipso pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt. Quisquis itidem hæc de illo non ingrata fide sapit, nimirum oliuam speciosam à siniſtris prospicit, à siniſtris inquam, quia peracta sunt hæc in aduersitate tribulationis propter beneuolentiam charitatis, qua patri obediens miseriæ nostræ condescendit. Coram tanto tantæ claritatis candelabro quomodo subsisteret mons magnus, id est, princeps tenebrarum? Increpatur ergo repentina inuectione, vt trãsferat & mittat se in mare. Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum? Zorobabel quippe & ipse Christũ significat, ducem magnum, ortum secundũ carnem in hac Babylone. Nam & ille sic dictus est, eo quòd ortus fuisset in Babylone.

Quòd ait: Exulta satis filia Syon, Ecce rex tuus veniet tibi iustus.

CAPVT XXIIII.

CAP. IX. EXulta satis filia Syon, iubila filia Hierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & diſsipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus. Et potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsq; ad fines terræ. Tu quoq; in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.) Quod Danieli ostensum est Daniel. 7. post aurum & argentum, æs quoque & ferrum, itemque post quatuor bestias grandes ascendentes de mari, quę sunt quatuor regna mundi, ipsum post eadem regna superbi huius seculi, iste quoq; prædicat regnum dei, regnum humilitatis Christi. Supra namq; di Zach. 6. xerat. Et conuersus sum & leuaui oculos meos & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi & in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij fortes. Deniq; hæc erant illa quatuor regna mundi egredientia quasi de medio duorum montiũ, qui erant ærei i. insuperabilia atq; fortissima, & quæ vt putabatur nulla possent vetustate consumi. In quadriga prima equi rufi erant cruenti & sanguinarij, & Babylonica captiuitate & crudelitate terribiles. In quadriga secunda equi nigri, regnum Medorum atq; Persarum, quod bigæ sedens & egrediens per Assueri regis edictum mortem omnium Iudæorum tristi nũcio præferebat. In quadriga tertia, equi albi Macedones, sub quorum rege Antiocho Machabeorum victoriam legimus. In quadriga quarta equi varij fortes, scimus enim Romanorum reges alios in gẽtem Iudæam esse clementes, vt Caium Cæsarem Augustum, & Claudium, alios persecutores atq; terribiles, vt Caium Caligulam, Neronem, Vespasianum, & Adrianum. Nunc autem annunciãs regnum dei cum dixisset, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, continuò subiunxit. Ipse pauper & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ. Tanquam diceret. Hi in curribus, & hi in equis, hic autem in no Psal. 19. mine domini benedictus veniet nobis. Nam & cum iuxta literalem huius prophetiæ sensum, sedens super pullum asinæ ingrediens veniret in ciuitatem Hierusalem regnum acceperus, id est per passionem suam ad seipsũ omnia tracturus, turbę conclamabant illi. O sanna, benedictus qui venit in nomine domi Matt. 21. ni, benedictum regnum quod venit patris nostri Dauid. Cuius regni effectus vel officium in quo sit, subdendo manifestat. Tu quoq; in sanguine testamẽti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Quod ita intelligitur. In sanguine passionis tuæ eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Protinus ad ipsos gratulabũdus per apostrophen dicit. (Conuertemini ad munitiones vincti spei.) Et est sensus. Qui nunc vincti estis, qui solutionem vinculorũ in Christi speratis aduentu, conuertemini ad munitionem, quam non aliam debemus accipere, nisi habitationem paradysi, in quam primus cum domino latro ingressus est.

Quid sit domus Dauid, & quæ Hierusalem, de qua dicit: Et effundam super domum Dauid, &c.

CAPVT XXV.

ET effundam super domum Dauid, & su CA. XII.
per habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt. Et plangẽt eum quasi vnigenitum, & dolebunt super eũ, vt doleri solet in morte primogeniti.) Ac deinceps. (In illa die erit CA. XIII.
fons patens domus Dauid, & habitantib. Hierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.) Hic spiritus gratiæ, & hic fons domus Dauid, ille spiritus & illa aqua est, de qua scripturarum omnium sacrarum saluator noster in euangelio loquitur. Amen amẽ Ioan. 3. dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Porrò Hierusalem, super quam effundi-

tur hic spiritus, ipsa est menstruata, cuius in ablutionem patens factus est iste fons do- Ioan. 19.
mus Dauid, id est, latus lãcea apertum est filij dei filij Dauid, vnde hæc aqua lauacri salutaris, cum sacro fluxit sanguine nostræ redẽptionis. Et ne solam illam quæ de gentibus est ecclesiam, quis putet menstruatam debere intelligi propter idololatriæ sordes, quib. polluta fuit vnus ex illis prioris populi ele- Esa. 64.
ctis Esaias propheta sanctus dicit. Et facti sumus vt immundi nos omnes, quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Igitur vniuersa ecclesia, à primo vsque ad vltimum electum, ipsa est Hierusalem, adhuc eo tempore quando prophetæ ista loquebãtur, menstruata, id est, peccati originalis sanguine polluta, non aliter sancto sanctorum deo ciuitas aut regnum futura, nisi effunderet dominus super illam spiritum gratiæ, & precum, id est, spiritum remissionis peccatorum, nisi in ablutionẽ eius patens fieret fons domus Dauid, id est, nisi fuso de latere crucifixi Saluatoris sanguine cum aqua conditũ fuisset baptismi salutare sacramentum. Et quidem prius est ad fontis visibile sacramentum accedere, & tunc demum accipere spiritum in remissionem peccatorum, sed quia spiritus idem ablutionis eiusdem arbiter est, & tota de illo fontis visibilis vtilitas pendet rectè prius dictum est, effundam spiritum gratiæ & precum, & deinde erit fons patens domus Dauid. Non ergo nouum aliquid dixit ipse verus Dauid, sed cum veridicis huius & cæterarum scripturarum testimonijs locutus est, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Porrò quia Hierusalem illa terrena, spiritum vel fontem istum non erat receptura. Idcircò (in die illa (inquit) magnus erit planctus in Hierusalem,) & cæt. Planctus ille inceptus obsidione Romana vsque in finem Deut. 32.
perseuerat, quem admodum Moyses in cantico. Ignis, inquit, succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Et notandum, imò mirabile quod ita dixit, & plangent eum quasi vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Quid enim? O Iudæi, Christus dei filius vobis non complacuit, quia talis erat, quia taliter venit, quia sic & sic operatus est, quia sic & sic locutus est. Nullo modo vobis complacuit, animo vestro non conuenit, alium vultis, alium expectatis. At ille, scilicet deus pater, qui istum misit filium, alterũ non habet. Iste filius primogenitus atque vnigenitus illi est. Alterum, inquam, non habet, primus illi & nouissimus est, aliũ nõ mittet. Quid ergo facietis desolati? Nimirum vt ait ipse. (Tũc aspicietis ad eũ quẽ cõfixistis.) Vt, inq ait, nunc spiritus eius graui veritate vera grauitate? Plãgetis super eũ quasi super vnigenitũ, & dolebitis super eum vt doleri solet in morte primogeniti.) Quia vobis mortuus est hic primogenit⁹, quia vobis vos occidistis vnigenitũ, post hac saluatorem neque hũc habituri, neq; aliũ quia hic solus est, hic primogenitus, hic vnigenitus est.

De prophetia qua dictum est: Ecce ego mitto angelum meum, & cætera, quod & hic à templo sumpta parabola de nouo templo, & nouo Christi sacerdotio vaticinetur.

CAPVT XXVI.

POst Zachariam Malachias vltimus in or Mala. III.
dine XII. prophetarum, quem ipsum Hebræi Ezdram sacerdotem fuisse autumant, ita dicit. (Eccè ego mittã angelũ meũ, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templũ suum dominator quẽ vos quæritis, & angelus testaméti quem vos vultis. Eccè venit dicit dominus. Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt domino offerentes sacrificia in iustitia, &c.) Et hic à templo quod tunc reædificabatur, parabola de nouo templo & nouo Christi sacerdotio vaticinatur. Nam de illius templi reprobandis cultibus paulò antè hæc sic loquitur. Eccè ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultũ vestrum stercus solennitatum vestrarum. Item: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, & vos polluistis illud. Ergo eccè venit, siue & statim veniet ad templum suum, id esse intelligimus, veniet ad ecclesiam suam ad sanctum spiritus sancti sanctuarium, incorruptæ virginis vterum, vt exinde sibi ædificaret templum verum, iuxta quod & alia scriptura dicit. Sapientia ædificauit sibi domum. Et ipse in euangelio dominator dominus, & hic ipse angelus testamenti. Soluite, inquit, templũ hoc, & post triduũ excitabo illud, dicens de tẽplo corporis sui. Hoc ita factum est, & iam venit. Cæ- Prou. 9.
terùm ô Iudæi qui dicitis, vltimo tempore Ioan. 2.
venturus est, nondum venit, quomodo vos rerum exitus non docet veritatem? Quod enim templum suum dominator inueniet? Nam vsque ad fundamenta destructum est. Aut si ab alio extruendum est antequã Christus aduenìat quid Christus eorum amplius facturus est, cũ ab alio restituta sint omnia? Igitur iã venit dominator dñs quẽ vos quæritis, & angelus testaméti, quẽ vos vultis, sed nõ talis qualẽ quæritis, non talis venit qualẽ vultis. Quæritis enim dominatorem vrbiũ, & terreni sceptrigerum imperij, largitorem Mala. III.
auri & argenti, qui per mille annorum seculorum satisfaciat cupiditatibus vestris & luxurijs. At ille nõ talis est, neque ad hoc venire debuit, sed ad hoc vt quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum sederet conflans

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mundaret argentum,& purgaret filios Leui,quod iam fecit, & facere non delinit vsq; ad finem seculi. Sedet enim à dextris dei, de cætero iam igneus & immortalis dominus iudicij, nec mora, postquam illuc ascendit, misit ignem suum, misit velut ignem spiritũ sanctum,& emundauit atque purgauit filios Leui,id est, Apostolos suos successores legitimos sacerdotij sui, & colauit eos quasi aurum, videlicet liquefactos amore suo, quo ineffabiliter inflãmati sunt, ita vt veraciter quisque illorum dicere posset. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.Extũc placet & placebit deo sacrificiũ Iuda & Hierusalem,id est,confessionis & pacis quod est corpus & sanguis Christi filij sui, de quo & Psalmista,reprobatis carnibus taurorum & sanguine hircorum, immola, inquit, deo sacrificium laudis. Ita placet hoc sacrificiũ sicut dies seculi,& sicut anni antiqui,id est,sicut sancti angeli, qui immortalitatis seculi dies lucidi sunt,& anni æterni. Nam per hoc singulare sacrificiũ fit, vt simus æquales angelis dei. De secundo aduentu continuò subiungit. Et accedã ad vos in iudicio,& ero testis velox maleficis & adulteris,& periuris.

Cant. 5.

Psal.49.

Quòd hæc de templo manufacto valeant vtiliter intelligi,ad quod tulerunt eum,sicut scriptum est in lege Domini,quia omne masculinũ adaperiens vuluã, & cætera,& quia sacerdotium erat primogenitorũ antiquitus,& quia hic est primogenitus.

CAPVT XXVII.

VAlet nihilominus, & in rem plurimũ confert. vt cùm dicit, & statim veniet ad templum suum, templum intelligamus manufactum, & recordemur in Euangelio secundum Lucam sic esse scriptum. Et post quam completi sunt dies purgationis Marię secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem vt sisterent eum Domino,sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinũ adaperiens vuluam,sanctum domino vocabitur. Itemque illud nos non prętereat, quod cũ eiusdem præcepto legis omne primogenitum legis redimeretur quinque siclis argenti, iste primogenitus virginis redemptus non est, sed tantummodo dederunt hostiam secundum quod dictum est in lege Domini,par turturum,aut duos pullos columbarum, quæ non erat redemptio primogeniti,sed oblatio pro ea,quæ peperit,vt emũdaretur à profluuio sanguinis,nõ quia peperisset primogenitũ, sed simpliciter quia peperisset siue masculum siue fœminam. Cur hæc dicimus? Videlicet quia sacerdotium antiquitus primogenitorum erat, & hæc erant primogenita, quæ pro edulio lenticulæ vendidit Esau fratri suo Iacob. Verùm quia per principes tribus Leui, videlicet Moysen & Aaron facta est quantula salus, vt educerentur filij Israel de illa terra Agypti, de illa domo seruitutis, & verum nondum erat sacrificium. Idcircò legislator,imò legis auctor & dator deus, non magnoperè de illo carnali sacrificio curauit, vt seruaret iure suo primogenitis,donec veniret ille verum habens sacrificium filius Dei,primogenitus,idemque vnigenitus virginis. Quod sentiens diuinus Euangelista cùm dixisset, & peperit filium suum, continuò addidit primogenitum,vt subaudiat prudens lector vel auditor,illum esse cuius esset sacerdotiũ, quique amoto vicario Leuiticæ tribus sacerdotio,non redemptus assisteret deo patri offerens semetipsum, iam ex eo sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Igitur veniet,inquit, ad templum suum, id est, recipiet sacerdotium suum, oblatus deo & patri suo, sanctus sanctorũ, sacerdotiũ sacerdos,& purgabit filios Leui,id est, nouos faciet sacerdotes, non per sortem, sed per fidem,non secundum carnem Leui,sed secundum gratiam spiritus sancti. Nam ne quis putaret reprobato sacerdotio reprobari etiam personam Leui paulò antè dixit. Et scietis quia misi ad vos mandatũ istud, vt esset mãdatum meum cum Leui,dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis,& dedi ei timorem, & timuit me,& à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & æquitate ambulauit mecum,& multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam,& legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Itaque ille quidem in posteris suis pro tempore functus est honore sacerdotij,nũc verò hic dominator dominus & angelus testamenti veniens ad templum suum, posteros eius pontifices & pharisæos, facto flagello iratus & rigidus eiecit,sacerdotes alios igne spiritus sancti quasi aurum & quasi argentum cõflaturus atq; purgaturus sibi. Quare Ait. Vos autem recessistis de via & scandalizastis plurimos in lege,irritum fecistis pactum Leui, & cætera. Non ignorat anima fidelis & eruditæ pietatis,quod sequitur. Si affigit homo deũ quia vos confixistis me in decimis & primitiuis, & vos me cõfigistis gens tota,illud esse,quod propter auaritiam suam hunc dominatorem Dominum & angelum testamenti crucifixerunt pontifices & pharisæi. Idcò dixit,in decimis & in primitiuis vos me configitis. Testatur & hoc ipse in psalmo, cùm dicit. Quoniam zelus domus tuæ comedit me. Quod est dicere. Quoniam pro domo tua zelatus sum,eijciendo vendentes & ementes, dicendo, scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum, idcircò hæc omnia passus sum,quorum hæc summa est,quia cõfixerunt me.

Exod. 13. Num.8.

Luca 2.

Psal. 106.

Cap.2.

Psal.68.

Ioan.2.

Quòd dum

Quod dum ad finem properamus,non omnibus prophetis insistere potuimus, vt singulorum confessionis donaria,quæ ad templum Dei non manufactum detulerunt,inspiceremus.

CAPVT XXVIII.

HActenus sanctum patriarcharum atq; prophetarũ chorum consecuti, ad tẽplũ deuenimus,quo sãctus sanctorum Christus sacerdos summus candida pietatis stola redimitus, non per sanguinem hircorũ aut vitulorum,sed per proprium sanguinẽ Deo patri astitit,p reconciliandis hominibus,& intuiti sumus, quod quisque illorum pio studio ac feruenti desiderio & deuotione,suum propriæ confessionis & pulchritudinis obtuleritaurum, festinando partem habere in sacrificio eius, secundum Psalmum XCV. qui intitulatur sic. Quando domus ædificabatur post captiuitatem, canticum Dauid. Etenim illic scriptum est. Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius. Et scimus,quia domus quæ ædificabatur post captiuitatem domus spei nostræ,domus est sapientiæ,quam illa sibi ædificauit,domus carnis vel corporis quam sibi assumpsit de virgine verbum Dei, in qua corporaliter inhabitaret plenitudo diuinitatis,post captiuitatem,qua captiui facti sumus in Adam, cuius in typum domus illa manufacta ædificabatur post captiuitatem Babylonicam. Huc vsque venerabilem antiquorum cœtum sanctorum secuti sumus,& contemplati sumus quid confessionis & pulchritudinis,quid sanctimonię & magnificętię quisq; obtulerit,& si non totum perspeximus, gaudendum tamen nobis,quod velut in nocte fulslustri,in qua clarus nondum intuitus est, beatæ illorum visione admisi sumus. Verum illud ad modum nostram exiguitatem contristat, q̃ dum properamus, non omnium singulos licuit cognoscere vultus, vel donaria confessionis ponderare, quæ à singulis offeruntur. Præteriuimus enim nouem ex illis, scilicet, Oseæ,Iohel, Amos, & Abdiam, & Ionam, Micheam,Naum,Abacuc,& Sophoniam,& sanctum Iob, qui non quidem de eadem linea ortus est feminis Abraham, sed ad eãdem per omnia cum istis contendit regis & sacerdotis Christi testificandam gloriam. Omnes ergo in hoc placatos nobis esse optemus,dum illorum fidem aut dignitatem nõ negligendam fuisse duximus,sed multitudinis nimiæ fastidio vitando, imò nostram fatendo inertiam, fessi ad residẽdum, quasi ad cornu altaris declinauimus,finẽ iam quintæ ætatis huius facientes, & ad cursum sextę inopem animũ parua recreatione reparantes.

Hebr.9.

Psal. 93.

FINIS LIB. COMMENTARIORVM, IN DANIELEM PROPHETAM.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE TRINITATE ET OPERIBVS EIVS, IN VOLVMEN IIII. EVANGELISTARVM COMMENTARIORVM

LIBER VNVS.

De sexta mundi ætate, qua cunctis præmissis præconibus,venit ipse qui loquebatur rex & sacerdos.

CAPVT I.

SEXTA mundi ætate Christus Dei filius de virgine nascitur, cunctisque iam dudũ præmissis præconibus, tandem adest ipse qui loquebatur. Ex eo iam tempore, eccè regnum dei intra nos est,rex enim ante nos graditur, rex,inquam, & sacerdos ante nos & pro nobis ingreditur, qui & in psalmo loquitur. Ego aũt constitutus sum rex ab eo super Syõ montem sanctum eius, prædicans præceptũ eius Regnũ ergo extunc & sacerdotes dño deo nostro facti sumus. Tãto nobilitatis honore iste cũ sit os ex ossib. nostris, & caro de carne nostra, nostrã antiquam ignobilitatẽ consolatur. Serui quippe omnes eramus,qui oẽs de seruo nati fuimus.i. de Adam,qui peccatũ fecit,& idcircò peccati seruus fuit. Hic autem nobilis est,nobiliter de virgine matre creatus,nobilius de deo patre natus. Digna ergo imperare persona generi humano data est,quando(vt iam dictum est) Christus dei filius de virgine natus est.

Luca 17. Psalm. 2.

2. Pet. 2. Rom.8.

Quomodo sexta hæc ætas sexto primæ creationis seculi diei correspondeat.

CAPVT II.

REspondet itaq; sexta hæc ætas seculi,sexto diei creationis secundum spiritum intellectus, qui sextus est rursum à spiritu timoris dñi. Illic nanque habes. Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostrã, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, vniuersæque creaturæ, omnique reptili q̃ mouetur in terra. Hic autem habes factum hominem, qui ipse imago est dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso cõdita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia &

Gen.1.

Colloss. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

visibilia & inuisibilia. Ille talis factus est, qui piscibus maris, cæterisq; animantibus præest dignitate rationis, hic talis natus est, qui hominibus præmineret maiestate diuinitatis, vel primatu intelligentiæ spiritualis. Vtrobiq; sextus (vt iam dictum est) à timore spiritus intellectus operatur, dum & ille per intellectū excellens cæteris animantibus vocabula imponit, & hic ad intelligendum scripturas sensum hominibus aperit, quorum nomina in cælo scripsit. Ille celsus & erectus statura præ cunctis generibus animantium, hic speciosus forma præ filijs hominum. Ille colonus paradysi, hic dominus, imò & plantator paradysi. Verùm de huiusmodi dicendum in tertia parte huius operis, quā tertiæ personæ sāctę trinitatis. spiritui S. nostra propositio dedicauit. Nunc quod ad præsentem locum attinet prosequamur, id est, regnum regis huius secūdum Euangelica præcouia prædicemus.

Psal. 44.

Quanta regis huius nobilitatis sit secundū initia quatuor Euangeliorum eiusdem Iesu Christi filij Dei.

CAPVT III.

Matth. 1. Marc. 1. Luca 1. Ian. 1.

PRimus Euangelista Matthæus dicit. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Post hunc Marcus sic incipit. Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei. Deinde in Luca. Gabriel angelus Mariæ percūctanti quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, respondens ait: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Deinde Ioannes altius repetens, dicit: In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, & Deus erat verbū. Hoc erat in principio apud deū. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. His perspectis intus fides quæ vultus ingenuos probare atq; à plebeis discernere nouit, magnificam sui regis ingenuitatem agnoscit, creditque & confitetur non ingratis laudibus, quod solus iste humano generi sit homo nobilis quem solum regnare deceat, cuius profiteri seruitutem omni homini, vera & vnica sit libertas. Qualis enim est secundum hæc quæ præscripta sunt huius regis nostri facies? Nimirum cum sic dicitur. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, probat auditus fidei quia verus homo est, quippe qui de hominis Dauid atq; Abrahæ semine natus est. At illi non valdè erant nobiles, quippe qui in iniquitatibus concepti sunt, & eorum quē que sua in peccatis conceperat mater. Quod ergo illorum ignobile erat, qualiter excellit generatio huius Iesu Christi, singulariter nobilis & incli ti? Nimirum concipiente illum matre sua, non de semine viri, sed de operatione spiritus sancti, quod in Luca fides eadem audiuit, dicente angelo. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ergo lōgè nobilior iste filius Dauid, filius Abrahæ, quā omnes patres sui, etiam secundum formam serui. Nunquā enim seruiuit, nō saltem in massa seruus fuit, quia non saltem in Adam peccatum fecit, in quo (vt ait Apostolus) omnes peccauerunt. Cæteri Marcus & Ioannes altius personant, id quod ista nobilitate hominis nobilius est. Marcus dicendo, initium Euāgelij Iesu Christi filij dei, illam eius nobilitatem confessus est, quæ non ex matre, sed ex patre, non ex carne, sed ex diuinitate est. Attamen minus diminuit aduersus seruiles blasphemias hæreticæ ignobilitatis. Nam & multi dicuntur & leguntur filij Dei, siue homines, siue angeli, filij, inquam, dei sed gratia adoptionis, nō proprietate naturæ. Quod perpendens Ioannes, litem omnem diremit diffiniendo, hunc filium dei qualis sit, quam dissimiles natura sunt illi omnes quicunque nominantur & sunt filij dei. Nam in principio, inquit, erat verbum, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Eccè hic est vultus ingenuus regis nostri, filius hominis sine peccato, filius dei natura, non dono.

Rom. 1.

Luca 1.

De generatione Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahā, quòd maximè spiritualis sit, vnde & cōtigit illa linea Ioseph, qui non eum secundum carnem genuit, & posteritas Hiezabel vsque ad quartam generationem eradicata est, qua præcones veri Dei prophetas occidit.

CAPVT IIII.

APeriat nunc nobis ipse librum suæ generationis, vt videre queamus, qualis vel qua ratione generatio ipsa conscripta sit, vel cur liber generationis dici debuerit. In Genesi legimus. Hic liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominem, ad imaginem dei fecit illum, masculum & fœminam creauit eos. Et benedixit illis, vocauitque nomen eorum, Adam in die qua creati sunt. Hic liber, inquit, generationis Adā, liber terrenus, liber generationis terrenæ, liber generationis in terra scriptæ, iuxta illud. Recedentes à te in terra scribentur. Recesserat m̄ homo à Deo, & recedendo meruerat in terra scribi, dicente Deo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hic autem homo Iesus Christus rex nobilis, rex magnus, homo cælestis, homo nouus, idcircò natus, idcircò rex datus est, vt prouinciales suos in libro vitæ conscriberet, vt ciuiū suorum nomina in curia cælesti notificaret. Igitur hic est liber generationis electæ, generatiōis Christianæ in cælo cōscriptę, cui libro lōgè diuersus est ille liber generationis Adā. Nam in illo cōfusa est generatio filiorum hominum, & filiorum dei, quia videntes filij dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt

Gen. 5.

Hier. 17.

Gen. 3.

Gen. 6.

acceperūt sibi vxores ex omnib. quas elegerūt. Hic autē liber simplicē admittit generationem filiorum Dei, fratrum & cohæredū Iesu Christi. Alioquin quæ ratio est, vt generationis linea contingat Ioseph, qui Iesum Christum non genuit? Aut qua ratione tres istos de medio generationis huius eliminauit, Ahaziam, Ioas, & Amasiam? Itaq; Euangelista diuinus, quod dignitatem euangelicā condecuit, generationem carnis Iesu Christi minus curauit, quæ paucorum erat, nec eisdem ad salutem sola sufficiebat, sed ad generationem gratiæ intendit, quæ multorum est vel esse potest, & eis ad salutem sola sufficere valet. Quod sua commendans auctoritate, ipse cuius est hic liber generationis, cū dixisset ad eum quædam mulier, extollens vocem de turba, beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, vt corrigeret imperfectæ scientiæ cōfessionem, dixit. Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei & custodiūt illud. Hoc fecit beatus venter qui te Christe portauit, credidit enim verbo Dei, credidit angelo euangelizanti omnipotentiam Dei, deditque credulitatis suæ responsum festiuum, fiat, inquiens, mihi secundum verbum tuum. Idcircò beata est, & hæc beatitudinis eius principalis causa est. Hoc Abraham fecit, qui cùm vxorem haberet sterilem, credidit Deo dicenti. Atque in semine tuo benedicentur omnes gentes, & in hac fide sperās & de promissa mercede securus, perpetuam peregrinationem ingressus est. Idcircò beatus & ipse testimonio laudis euangelicæ, qua hic in capite libri sic scriptum est, Iesu Christi filij Abraham. Hoc Hiezabel non fecit, quinimò præcones huius generationis prophetas Domini interfecit. Idcircò beata nequaquam est, quinimò posteritas eius vsque ad quartam generationem, de isto generationis Iesu Christi libro est eradicata. Nam & ipsi posteri eius iam dicti Ahazias, Ioas, Amasias, secundum exemplū eius prophetas domini occiderunt, aut prophetare prohibuerunt.

Luca 11.

Gen. 15.

Quare iunior Dauid, Abrahæ præpositus sit, dicendo: filij Dauid, filij Abrahæ, & quomodo idem Dauid prius verbi Dei quod Christus est, quàm carnis Christi, pater esse meruit. CAPVT V.

QVare autem iunior Dauid patri Abrahæ præpositus est in libro generationis huius, dicēdo, filij Dauid, filij Abraham? Nimirum hoc Euangelista pro sua fecit intentione, nam si diligenter aduertas, dum regnum Christi euangelizat, plusquam cæteri Euangelistæ, regalia regis huius conscribit insignia, quod non tacebit nostri quoq; studij posibilitas. Dauid autem rex fuerat, & regalis ad eum promissio facta est dicendo. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Deinde regni Christi filij sui mysteria factis præsignauerat, dictis cecinerat. De factis eius mysticis vel passionibus figuratiuis, suo loco pro posse diximus, dicta eius omnis ecclesia concinit, & concinendo regnū Christi confitetur. Verbi gratia. In illo rege Dauid, rex iste Christus loquitur. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius, prædicās præceptum eius. Item, in eodem de isto filio suo rege nostro persona patris loquitur. Eructauit cor meū verbum bonum, dico ego opera mea regi. Et ad ipsum regem. Accingere, inquit, gladio tuo super fœmur tuū potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Et subinde Populi sub te cadent in corda inimicorum regis, sedes tua Deus in seculum seculi. Virga directionis, virga regni tui, & cætera vsq; ad finem psalmi. Sed & ipse propheta de isto ad patrē dicit. Deus iudicium tuū regi da, & iustitiam tuam filio regis Quid multa? Cuncta quæ locutus est domino, vel cecinit, mysteria sunt regis huius Christi filij Dei, filij tui, vt rectè beatificet animam eius, mulier quæ vsq; hodie vocem extollit de vniuersa Iudæorum, paganorum, atq; hæreticorū turba, scilicet catholica ecclesia, dicatq;. Beata anima regis Dauid, quæ audiuit verbum Dei, & custodiuit illud, quæ admissa castæ dei patris copulæ, verbum bonum de corde vel ore eius suscepit, priusq; verbi quod est Christus, quā carnis Christi pater esse meruit. Rectè igitur hic Euangelista regni dei, regem regis patrē, in libro generationis præposuit patri, quem scriptura solummodo seminis, id est, hominis, enunciat patrem, dicens, Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.

Psal. 131.

Psal. 2.

Psal. 44.

Psal. 71.

Quòd in eadem generatione tres isti, Abraham, Dauid, & Ioseph, magis insignes sint, & qp ad istos per incrementa ternaria promissio Christi facta sit.

CAPVT VI.

NOminatus deinde loco vel ordine suo dum dicitur. Iesse aūt genuit Dauid regē, tertio tandē repetitur in Ioseph, nominatione insigni, cōpellatione angelici præconij Ioseph fili Dauid, noli timere. Verū hæc nominatio magnifica propria sit beati Ioseph, qui spōsus custosq; esse beati virginis, & nati ex ea regi filij dei, filij Dauid, optimo nomine pater dici meruit. Eccè em̄ in hoc generationis libro tres isti sūt patres insignes Iesu Christi, hominis regis, & dei, & secundū hęc tria ternariū esse aduertimus incrementū promissionis Christi, quæ ad ipsos spiritualiter facta est, scilicet Abrahā, Dauid, & Ioseph. Denique homo tantum intelligitur in promissione quæ ad Abraham hoc modo facta est. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Iam autem Rex ea promissione pronunciatur, quæ facta est ad Dauid. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Porrò beato Ioseph promittitur tanquam Deus, dum ei dicitur. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suū à peccatis eorū.

Matth. 1.

Gen. 21. Psal. 131. Matth. 1.

Nam quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam quia saluare à peccatis Dei est, neq; hoc nisi solus Deus potest, dum dicit, ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum, idem atque æquipollens est, ac si dixisset, ipse enim Deus est, & idcircò vocabis eum Iesum, id est saluatorem.

Quomodo tres magi secundum eadem incrementa, myrrham, aurum, & thus obtulerint.

CAPVT VII.

MIro autem modo, miro & venerando gratiæ dono, cunctos fidei huius thesauros quos sparsim thesaurizauerant prædicti patres Iesu Christi, simul gentilibus refudit ortus vel aduentus eiusdem regis, sicut continuò narrat hoc modo hic Euangelista regni Dei. Cũ ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, eccè magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Denique gentiles isti simul hominem, regem, & Deum Iesum esse confessi sunt verbis, testati sunt muneribus, dicendo enim, vbi est qui natus est, hominẽ, dicendo, rex Iudæorum, regem, dicendo vidimus stellam eius, Deum esse confessi sunt. Item, apertis vasis suis, offerẽtes ei munera. auro, regem. thure, Deum. myrrha, hominẽ mortalem esse testati sunt. Hoc, inquam, mirãdo simul & venerãdo gratiæ dono gentilibus vna inspiratione collatum est, quod ternario (vt prædictum est) promissionis incremento, Iudaici populi patribus fuerat præparatum, totiusque fidei Christianæ summam, tam voce, quàm muneribus de bono cordis sui thesauro protulerunt.

De turbatione Herodis, qua turbatus est ipse & omnis Hierosolyma cum illo.

CAPVT VIII.

Matth. 2. AVdiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cũ eo. Turbatio Herodis & Hierosolymæ de profundo prodijt erroris infiniti, de cæcitate mentis, & tenebris ignorantiæ inexcusabilis, quia eiusmodi ignorantia, scilicet ignorare regnũ Dei, regnum regis huius, quid vel quale sit, peccatum est, imò pœna peccati, quemadmo-
Sapiẽtiæ 2. dum Sapientia dicit. Hæc cogitauerunt & erauerunt, excæcauit enim illos malitia ipsorum, & nescierunt sacramenta Dei. Hic error, hęc ignorãtia, à capite descendens, id est, à senioribus, qui videbantur regere populũ, simplices atque idiotas non malitiosè inuoluerit, ita vt Apostoli quoque qui magistrũ suum Dominum Iesum Christum regem Iudæorum, ex lege & prophetis promissum ad uenisse credebant & gaudebant, nimium carnaliter de regno eius sentiendo errarent, nõ malitiosè, vt iam dictum est, sed simpliciter, donec glorificato eodẽ Iesu, & accepto eius spiritu, scirent quia regnum eius de hoc mũdo non est. Porrò Scribarum & Pharisæorũ qui legem & prophetas lectitabant ignorantia, malitiosa erat & damnabilis cęcitas, quia futurum Messiã, id est, Christum legentes, non regnum iustitiæ, sed regnum peccati & cupiditatis intelligere volebant, aut poterãt, & interim sub specie religionis cupiditatib. suis studebant. Propterea vehementer illos percutit hæc sententia huius regis. Væ autẽ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines, non enim vos intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Igitur cæli regi nato, rex terræ Matth. 23.
Herodes turbatus est, vtpotè cęcus, & pœnalem habens ignorãtiam regni eius, quasi illo rege foret ipse regno deturbandus, quippe qui non erat sceptriger de tribu Iuda, aut dux de fœmore eius. Audierat enim scriptũ illud propheticum. Non auferetur sceptrũ Gen. 49.
de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est.

Quomodo vanè timuerit Herodes, dicente propheta: Et tu Bethleem terra Iuda, &c. cùm in eodem prophe ta prædicetur, regnum Christi potentia cælesti nullo terreno regno nociturum.

CAPVT IX.

ET congregans omnes principes sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab Matth. 2.
eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt Mich. 5.
ei. In Bethleem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux qui regat populũ meũ Israel. Quia Christum (vt iam dictum est) audierat nasciturum, nec auferẽdum esse sceptrum de Iuda, & ducem de fœmore eius, donec ille veniret, se autem rege, sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius ablatus erat, quippe qui ex patre Idumæo & ex matre erat Arabica, igitur illud sciscitabatur, vbi Christus nasceretur, insidias machinaturus. Et verum quidem Scribæ, & principes sacerdotum de scriptura prophetica protulere iudicium. Sed nunquid solum hoc per prophetam illum fuerat dictum, Christũ regem in Bethleem nasciturum? Nónne per prophetam eundem dixerat spiritus sanctus, regis huius ortum, nihil Herodi, immò nihil cuiquam mortalium esse nociturum? Nempe
antequam locum expressisset natiuitatis eius Mich. 4.
prædicere curauit, & miram innocentiam regni eius. Dixerat enim. Et in nouissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice mõtium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabũt gentes multæ. Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones. Nõ sumet gens aduersus gentem gladium, & nõ discẽt vltra belligerare, &c. Ergo cæco cæci malè ducatum præbebant, ideoque ambo in foueam cadebant, dum suscitaretur Herodes, vbi Christus nasceretur, nescius scisciteri, quale foret regnum eius, & illi ostendentes locum natiuitatis non viderent in eadem scriptura pacem & innocentiam regni eius.

Quid

Quid enim verius eo quod dixit, non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discẽt vltra belligerare? Gens quippe regis huius, gens conuersa ad regem istum, gens tota par uulorum est, nequaquam sumptura gladiũ, aut belligeratura contra Herodis vel Romani imperij gentem, sed gente aduersa ferente se gladio, semper & in ipsa morte prædicatura pacem. Quomodo paruuli quos continuò tu ô funeste Herodes occidisti, non se defenderunt, non te repercusserunt, sic vniuersa regis huius gens, dum occiditur, gladium non leuabit, non contra gentem homici-
Mich. 4. dam tui similem belligerabit. Nec verò contrarium huic est, id quod subinde regis huius ciuitati Syon consolator spiritus per eundem prophetam dicit. Surge & tritura filia Syon, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminuam populos multos, & interficies domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum domino vniuersæ terræ. Longe aliud cornu, & interfectio dissimilis. Cornu istud non contra homines, sed contra diabolum erigitur, interfectio hæc non hominum sed vitiorũ est. Cornu istud de cœlo datum est, dicente suis rege
Act. 10. isto. Vos autem sedete in ciuitate, quo adus-
Luc. 24. que induamini virtute ex alto, interfectio hæc est, de qua Petro dictum est. Surge Petre occide & manduca. Igitur ô Herodes latro, filiorum tuorum occisor, illic trepidasti timore, vbi non erat timor.

De eo quod in Oseæ dictum est. Ex Aegypto vocaui filium meum, quàm verè ad Christum pertinuerit, & quàm impiè Iulianus Euangelistam simplicitati gẽtium quasi illudentem calumniatus sit.

CAPVT X.

Matth. 2. QVi consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptũ,
Oseæ 11. & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur, quod dictum est à domino per prophetam, dicentem. Ex Aegypto vocaui filium meum. Propheta per quem hoc dictũ est, Osee est. Porrò textus siue locus vndè hoc breuiter sumptũ est testimoniũ, sic se habet. Sicut mane transijt, pertrãsijt rex Israel, quia puer Israel, & dilexi eũ, & ex Aegypto vocaui filium meũ. Igitur præeunte, imò exigente auctoritate huius Euangelistæ, veraciter dicamus, quia rex Israel, qui pertransijt sicut mane, transit rex alienigena Herodes, puer autem Israel saluator est, tunc tempo-
Matth. 3. ris infantulus, & puer quem dilexit pater, & dixit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Rex inquam, Israel illius temporis Herodes erat alienigena sicut mane transiturus, id est, temporalis citò periturus. Itaque dum dicit angelus Ioseph. surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi donec dicam tibi, scilicet vsque ad obitum Herodis, quoniam tunc, id est post obitum Herodis adimpletum est quod dictum erat à domino per prophetam dicentem, ex Aegypto vocaui filiũ meũ hæc quoq; dicta prophetica, quæ circa testimonium hoc textus continet eiusdem angeli sint, dicatque. Sicut mane transijt, pertransijt rex Israel, quia puer Israel, & dilexi eum dicit dominus, vt sit sensus. Iste rex Israel, qui querebat puerũ ad perdẽdũ eũ, eccè mortuus est & moriendo pertransijt, sicut mane transijt. Cito namq; transit mane, verũtamen iterum reuertitur hic autem non reuertetur amplius. Ergo sicut mane transit, sic iste trãsiuit, immò quia iam vltra non rediturus est sicut mane redit, iste pertransijt, quia puer meus Israel iste est, quem quærebat ad perdẽdum eum, & dilexi eum. Nam & iuxta alium prophetam. Ecce puer meus, suscipiam eum electus meus, cõplacuit sibi illo anima mea. Sic olim faciebant reges Israel. Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum. Baalim im- Esaiæ 43.
molabant, & simulachris sacrificabant, sub- Oseæ 11.
auditur, prophetas occidentes ob defensionem simulachrorum, quemadmodum nunc quærebant occidere puerum dominum prophetarum, abeuntes à facie regis sui Herodis vocantis eos ad occidendũ tot infantes propter eum. Quodque sequitur, & ego quasi nutricius Ephraim, portabã eos in brachijs meis, & nescierunt quòd curarem eos, subauditur, ita & nunc. Nam quemadmodum tunc cum peccassent, & fecissent sibi vitulos dedi locum pœnitentiæ, & ignorauerunt, q̃ curarem eos, vt obducto vulnere idololatriæ, pristinam reciperent sanitatem, ita & nunc, cum ad hoc venissem clemens pastor, vt morbidam ouem, quę errauerat, humeris meis portarem, ipsi ignorauerunt, quòd curarem eos, imò scire aut intelligere noluerũt quòd venissem ad saluandum eos. Quid deinde? Non reuertetur in terram Aegypti, & Assur, ipse rex eius, quoniam noluerunt conuerti. Et cœpit gladius in ciuitatibus eius, & consumet electos eius, & comedet capita eorum, & populus meus pendebit ad reditũ meum. Iugum autem imponetur ei simul, quod non auferetur. Omninò ita & nunc. Quemadmodum enim tunc, quia noluerũt conuerti, cœpit gladius in ciuitatibus eorum & impositum est eis ab Assur captiuitatis iugum, ita & nunc multò amplius, quia noluerunt conuerti, ceciderunt in ore gladij, & in omnes gentes captiui ducti sunt. Cætera vt prosequamur, prẽsens nõ admittit locũ. Hoc tantum animaduertisse cõtenti simus, quòd impiè Iulianus Augustus in volumine quod aduersum Christianos euomuit, hunc euangelistam calumniatus est, dicẽs eum, id quod de Israel scriptum est, ad Christum transtulisse, vt simplicitati eorum, qui de gentib. crediderant, illuderet. Nam verè hic nemini illusit, sed veritatis testis oculos fidei habentibus, amplum subobscuræ prophetiæ locum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

breui versiculo fideliter illustrauit.

Quàm rectè Euangelista dicturus, Ex Aegypto vocaui filium meum, præmiserit. Sicut mane transijt, pertransijt rex Israel, quod latius dici potest de omni regno mundi, quia mane surrexit & cito transijt.

CAPVT XI.

NVnc reuertamur ad rē, nam de regno regis huius loquebamur, cui & præsens volumen dedicauimus, pro cuius regis ortu rex Herodes turbatus, scisitatus est locum natiuitatis eius. De hoc ergo regno sermonē repetentibus, illud admodum placere debet, quòd de primo aduersario eius dictum est. Sicut mane transijt, pertransijt rex Israel. Dicamus latius ad gloriam & laudē regni Dei, quia sicut mane transijt, pertransijt regnum huius mundi. Mane quippe surrexit, mane, id est, festinanter extructum est à filijs huius seculi, quorum primus erat Cain, qui occiso fratre, festinauit ædificare ciuitatem, & appellare eam ex nomine filij sui primogeniti. Extunc in posterum per successiones suas contentiosè regnauerunt principes illius generationis omnes matutini, omnes festini, & ecce tempore illo, de quo loquimur, regnum illorum fortissimum erat, velut bestia terribilis & fortis nimis, dentes ferreos habens, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus conculcans. Iam comederat atque comminuerat, iam sub pedibus eius cōminutus mundus iacebat, cùm in isto rege humili, de virgine nato, regnum Dei quasi vespere silenter surrexit, id est, circa finem seculi. Omnes alterius generationis filij persecutionem passi à generatione Cain, quasi tota die laborantes, pondusque diei & æstus portantes, expectauerant hoc vespertinum regnum DEI manentem hic ciuitatem non habentes, sed futuram inquirentes, & confitentes, quod peregrini & hospites sunt super terram. Hos atque illos distinguens spiritus regis huius in Psalmo dicit. Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Cū dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas domini, filij merces fructus ventris. Rex ipse per omnia sic egit. Ante lucem surgere, quia vanum erat, noluit, sed postquam sedit, humiliatus vsque ad mortem, mortem autem crucis, postquam manducauit panem doloris in passionis tolerantia faciendo voluntatem patris, quam facere cibus erat illi, tunc demum in luce surrexit, tunc demum in gloriam suam intrauit. Ante lucem, inquam, surgere noluit, imò cùm cognouisset, quia venturi erant, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem solus ipse. Igitur non solus rex ipse Herodes, sed & omne regnum huius mundi, sicut mane transijt, pertransijt, iuxta illud. Hęreditas ad quā festinatur in principio, in nouissimis benedictione carebit, regnū aūt Dei, qđ per patientiam construitur, in æternum permanebit.

Daniel. 7.

Hebr. 11. 13

Psal. 126.

Ioan. 4.
Ioan. 6.
Prouer. 20.

Quòd frustra timuerunt reges terræ, quia non dixit Ioannes, arma corripite cōtra reges, propter Christum, sed pœnitentiam agite, &c.

CAPVT XII.

IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, &cæt. Fruſtra nimirum reges terræ timuerunt, sine causa, turbati sunt. Ecce enim qualis magister militum, qualis signifer regis huius, qualis primæ legionis primicerius, pilis camelorum vestitus, & zona pellicia præcinctus. Non dicit, arma corripite, appropinquabit enim regnum Iudæorū, sed pœnitentiamagite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Non dicit filij regum, & patriarcharum demonstro vobis animosa sumere bella, sed dicit, progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Non dicit, nolite Cæsari censum dare, sed dicit, facite fructus dignos pœnitentiæ. Non dicit, iam iugum imperatorum contritum est, sed dicit, iam enim securis ad radices arborum posita est. Non dicit, oliueta Iudaica seruabuntur, & Romana pomeria succidentur, sed, absque distinctione hortorum aut nemorum, omnis, inquit, arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Nunc cæteris omissis, præsentis negocij maximè est differere hoc vnum, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnū cœlorum. Quid est regnum cœlorum? Regnum sanctorum, siue eorum, qui in cœlis regnabunt. Nam sancti quorum in cœlis est regnum, ipsi quoque cœli dicuntur & sunt, iuxta illud. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, non sunt loquelæ neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum. Istorum cęlorum hactenus longè erat regnum, quippe qui nec dum habebāt regem suū, sed expectabant promissum. Iuxta fidem (inquit Apostolus) defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Ergo prius longe erat, sed nunc inquit, appropinquabit regnum cœlorum. Quando vel quomodo appropinquabit? Quando rex iste à terra exaltatus fuerit, eadē ipsa exaltatione sua destruet regnū peccati & mortis, q̄ (vt idē Apost. ait) regnauit ab Adam vsq; ad Moysen, nō q̄ per legē Moysi regnū illud destructū fuerit, sed qđ à Mose peccatū audita contradictione cōtra se cōscripte legis, quasi tyrannus irritatus amplius in subiectos homines grassari cœperit. Destruet, inquā, rex iste exaltatus à terra regnū peccati, & oīa trahet ad seipsū, resurgensq; à mortuis intrabit in gloriā suā, regni cęlorū rex. Igitur pœnitētiā, inquit, agite, quia pœnitentiā agentiū est emundari à peccati seruitute, exaltati regis sanguine

Psal. 18.

Hebr. 11.

Matt. 3.

sanguine, & in regnum cęlorum introire. Et ne velitis dicere patrem habemus Abraham quia non est hoc regnum habentiū patrē Abraham sed agentiū pœnitentiā. Imò non in carne gloriātes, sed pœnitentiā agentes vera citer dicere possunt, Patrem habemus Abraham. Nam hoc est, q̄ sequitur. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus, de lapidib. istis suscitare filios Abrahæ, subauditur, si modo sciant aut velint pœnitentiam agere. Et enim lapides lapidū cultores gentiles erāt.

Quæ causa fuerit, vt qui peccatum non fecerat, ad baptismum veniret Ioannis, qui in pœnitentiam baptizauit.

CAPVT XIII.

Matt 3. Ioan. 1.

TVnc venit Iesus à Galilæa in Iordanē ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respōdens autem Iesus dixit ei. Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiā. Túc dimisit eum. Certum tenet tota regalis Christianæ fidei curia quia rex iste liber homo erat quia peccatū nō fecerat, ac pinde peccati seruus nō erat, atq; idcirco nō egebat pœnitētia. Ioannes aut in pœnitentiā baptizabat. Ego quidem, inquit, vos baptizo in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Quamobrem igitur ad susciplendum tale Baptismum veniebat? Nimirum quia causa postulabat, quia iustitiæ ratio flagitabat. Erat autem duplex causa. Prima, vt pro omnibus pœnitentiam ipse agendam susciperet, quod & fecit continuò vt baptizatus est. ieiunauit enim XL. diebus & XL. noctibus, & deinde incessanter afflictus est tentationibus, persecutionibus, contumelijs, obprobrijs, flagellis, & tormento vltimæ mortis. Secunda, hæc causa erat, vt nemini ęstimare liceret se iustum esse & idcirco pœnitentia vel baptismo non indigere, vt nemo detrectaret, quasi iustus suscipere baptisma domini, cùm dominus ipse susceplsset baptisma serui. Nam quisquis ita putaret, miles regis huius dici vel esse non posset, regnum cælorum non introiret.

Cur in primo aduentu suo rex iste spiritum sicut columbam viderit, secundo autem in igne reuelandus sit: & quod rex iste secundo vnctus fuerit, & de eo, q̄ dictum est: In te mihi complacui.

CAP. XIIII.

Matt. 3. Marc. 1. Lucæ 3. Ioan. 1. 1. Cor. 3. Psal. 49.

BAptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei descendentem, sicut colūbam, & venientem super se. Ecce vox de cælis, dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi compla ui. Quare in primo aduentu suo vidit rex iste spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se? Nimirum quia veniebat tunc nobis in mansuetudine, in multitudine misericordiæ, quia veniebat in spiritu pietatis, peccatores non condemnare, sed ad pœnitentiam inuitare. Secundò cùm venerit, non tunc super eum columba apparebit, sed in igne reuelabitur, ignis in conspectu eius ardebit. Hoc iam secundo Rex noster Deus noster in homine assumpto oleo lætitię vnctus est. Semel namque vnctus iam fuerat in vtero virginis, quippe qui conceptus est, non ex semine viri, sed ex operatione Spiritus Sancti. Ergo secundo hic sanctus in baptismo vnctus est, prę participibus suis, id est, præ omnibus sanctis, quos sui participes fecit, vt quod est ipse per naturam, sint per gratiam scilicet filij Dei. Sed de hoc alias. Nunc instantia prosequamur. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quando vel quomodo in isto mihi complacui? Tunc vtique, quando in isto principio cœlum & terram creaui, quando in isto omnia feci, tunc, inquam, in eo mihi complacui, testante scriptura, cum dicit. Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem quòd esset bona. Dixit Deus, fiat hoc vel illud, factumque est ita, & vidit Deus quòd esset bonum. Itemque: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Sic in isto mihi complacui, meo ipse iudicio comprobatus, quòd operarius & architectus essem bonus & vtilis. Hæc idcirco pater opportunè dixerit, ne dubitet auditor beneuolus, hunc filium dilectum illud esse verbum, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Sed & tunc in isto bonus Deus sibi complacere veraciter potuit, quando eum, qui Deus erat propter charitatem suā hominem fieri, & pro hominibus pati voluit. Nullum enim vnquam opus bonitatis laude dignius fecit.

Gen. 1.

Ioan. 1.

De tribus tentationibus, quibus rex iste victor vicit, cum cæteri omnes serui fuerint peccati, & idcirco accedentes angeli ministrabant ei.

CAPVT XV.

TVnc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt. Tunc accedens tentator, dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, & cætera. Quia filius iste rex erat, regis autem legitimi officium est, prima fronte contra hostem congredi, ac dubio militi in semetipso præbere exempla virtutis, vt cum ita gesserit, tunc demum maiori cum auctoritate exercitum cohortari possit. Rectè ergo continuò docturus, primùm tentationes nostras in semetipsum admisit, & vicit, atque vincendo milites suos vincere voluit. Quare autem triplicem fraudulenti hostis tentationem perferre voluit? Singulas consideremus, cuius generis vnaquæque sit intueamur, iamque se ostendet altitudo ra-

Matt 4. Marc. 1. Lucæ 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis in humilitate tentationis. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Tentatio hęc nimis antiqua est, nam ipsa gula est, per quã primus homo tentatus atque illectus est, Nõ
Deut. 4. inquit, in pane solo viuit homo, sed in omni verbo, quod prædit de ore Dei. Sic planè tunc respondere debuerat homo rationalis. Non in omni vel solo paradysi ligno viuit homo, sed in præcepto, quod à Deo propositum est illi bene custodito. Non sic dixit, magisque ad morsum, quàm ad huiusmodi responsum os suum aperuit. Idcirco ille seruus factus est eius, à quo & superatus est, hic autem legem intendens regalem liber proce
Psal. 90. debat, cui dicebatur in Psalmo. Intende pro-
Psal. 77. spere, procede, & regna. Si, inquit, filius Dei
1. Cor. 1. es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim, quia
Exod. 17. angelis suis Deus mandauit de te, &cæ.) Tentatio hæc Iudaicæ curiositatis est. Nam Iudæi signa petunt. Et illi quidem tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas ani
Deut. 6. mabus suis, & male locuti sunt de Deo, dixerunt. Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? & cætera. dixeruntque. Est ne Deus in nobis, an non? Hic autem datum homini acceptans præceptum, scriptum est inquit. Non tentabis dominum Deum tuum. Hæc, inquit, omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tentatio hæc Paganæ dementiæ est. Pagani quippe vel gentes propter regna mundi & gloriam eorum, diabolum in simulachris adorauerunt, & vt foris exaltarẽtur, intus ceciderunt. Hic autem stans in gradu suo, poplite recto, & inflexibili regiæ liberta
Deu. 6. tis collo, scriptum est, inquit, subauditur homini. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Igitur ô speciosissime forma præ filijs hominum, te solum regnare decet, regnumque obtinere Iudæorum pariter & gentium, quia tentatus per omnia pro similitudine vicisti, & absque peccato supergressus es tentationes Iudęorum & gentium, qui
Psa. 23. 52 bus vniuersaliter in Adam, quibus particulariter in semetipsis tentati & omnes victi sunt præter vnum, sicut scriptum est. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et quia victori regi seruitus debetur à suis lætantibus ministris, tunc, inquit euangelista, reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

De prædicatione domini & regis nostri, quam tradito Ioanne incœpit, & de testimonio prophetico, vbi inter cætera dictum est, Multiplicabitur eius imperiũ, & pacis non erit finis.

CAPVT XVI.

Matt. 4. CVm autem audisset Iesus, quod Ioãnes traditus esset, secessit in Galilæam, & cætera vsque, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni. Tanquam ad regalia properans insignia, vnum hic Euangelistã, eundemque primum Euangelij annũ prætermisit, de quo Ioannes plurima scribit. Et rectè ab eo hic incipit, quòd Ioannes traditus est, nam extunc publice rex & dominus iste sua potestate vtens prædicare cœpit,
Matt. 7. erat enim, inquit, docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisæi. Nec verò solum ad impletum esse credimus, quod hic de propheta testimoniũ
Esa. 9. sumpsit. Terra Zabulon, & terra Nepthalim & cætera, vsque lux orta est eis, sed & reliqua eiusdem capituli prophetici, quę propter prolixitatem supprimens, tanquam ostio patefacto, reliquit intelligenda hic scriba magni regis, vt scias hunc esse, de quo scriptum
Ibidem. est illic, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia amodo, & vsque in sempiternum. Pœnitẽtiam, inquit, agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Iuxta prophetæ præscriptum testimonium agebat, vt multiplicaretur eius imperium, quod est regnum cœlorum, peccatores ad pœnitentiam inuitans, & deinde Simonem Petrum, & Andream fratrem eius, cæterosque Apostolos vocans. Nam si quæras, qualiter multiplicandum foret eius imperium, faciam vos, ait, fieri piscatores hominum. Deniq; sic factum est. Pauci qui tunc regem suum secuti sunt, facti sunt piscatores hominum, & extunc multiplicabitur imperiũ Christi regis magni multitudine gentium, sublatis aduersarijs & inimica morte, pax erit, & pacis non erit finis.

Quòd Iesus vocatis turbis docuit discipulos suos, quales esse debeant, qui militent regno Dei.

CAPVT XVII.

VIdens autem turbas, ascendit in mon-*Matth. 5.* tem. Et cum sedisset, accesserunt ad eũ discipuli eius. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, & cætera. Lo-*Hebr. 1.* quatur nunc nobis rex, & dominus noster leges regni sui, iam non montis exigui, sed ipsius ascensor cœli, sedens non in vertice mõtis terreni, sed ad dexteram maiestatis in excelsis, aperiens pro imperij maiestate nõ sensualiter os suum, sed inuisibiliter thesaurum suum, in quo diuitiæ salutis, id est, sapientia & scientia repositæ sunt. Gloriam quippe regni eius & potentiam loqui gestiens, secundum Euangelistam hunc, qui de illo penè cũcta regalia loquitur, huc vsque properauimus, vbi videns turbas ascendit in montem, & aperuit regale os suum vt ipse loqueretur ore suo rex, qui loquebatur prius, per suorum ora præconum. Loquebatur, inquam, dignas apertione oris sui sententias, & docebat qui vel quales esse debeant, qui militent regno Dei, quo belli ordine, vel qualib. armis promerendũ sit, vt sempiterna stipendia percipiant illius regni. Putabant enim carnales filij

les filij regni, qui audierant illud repromissũ fuisse patribus suis, quod tempore illo Messia imperante diuites sibi forent, atque opulenti, vacaretque superbire in diuitijs, putabant reges & principes terreni imperij audito nomine huius regis qualis fuerat Herodes, quod sanguinem suum fundere, sibique vrbes, & vectigalia præripere haberent milites regni Dei.

Qvales leges & qualia edicta sint huius regis regni Dei, vt non sit cur timere debeat propter eum Herodes & cæteri reges mundi, cum sic prænunciat regni sui militibus: Beati pauperes spiritu, &c.

CAPVT XVIII.

BEati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cælorum. O amabile regnũ Dei, ô pia & venerabilis conditio, proposita quærentibus regnum Dei. Beati, inquit, pau-
Matth. 8. peres spiritu, beati habentes spiritum timo-
Luca 6. ris domini, quia tametsi diuites in hoc seculo sunt, vt fuit Abraham, tametsi regali purpura vestiti incedant, & crebros de hostib. triumphos ducant, vt fecit Dauid, corde contrito, & humiliato ambulant spiritu, cognoscentes se esse pauperes spiritualibus bonis, mendicantes iugiter, & supplici gemitu stipẽ postulantes, ab vno & solo diuite rege regni Dei. Hoc peruersus ille angelus in cælo non fecit, arbitrans semetipsum sufficere sibi, & cecidit angelus, & factus est diabolus. Hoc primus ille generis nostri pater Adam in paradyso non fecit, arbitrans proprijs semeti-
Esaiæ 14. psum diuitijs adornare posse ad similitudinẽ Dei, & idcirco à paradyso excidit, & in infernum cecidit. Miseri ergo superbi omnes tumido spiritu, beati autem pauperes spiritu, quia sic mendicando grandem eleemosynã, id est, regnum cælorum, de manu regis, consequentur. Nam hoc est, quod de isto rege, de isto filio regis, vel de iudicio eius Psalmista dicit. Iudicabit pauperes populi, & saluos
Psal. 71. faciet filios pauperum. Item: Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Paupertatis imperandæ ipse, vt regem decet, exemplar est. Nam de illo in prophe-
Zach. 9. ta tale insigne est. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ. itemque pro illo contra Iudam siue Iudaicũ populum conquestio est hæc. Et persecutus est hominem inopem, & mendicum & com-
Psal. 108. punctũ corde, mortificare. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Mites, id est, spiritum pietatis habentes, mansueti atq; tractabiles, non opera sua defendentes, sed veritati confitentes peccata sua. Isti beati, quoniã possidebunt terram, quam pro contrario spiritu perdidit immitis atq; intractabilis Adã. Manum quippe Dei pertractantis atq; dicentis, quare hoc fecisti, spinosus ericius immiti
Ioan. 3. responso exasperauit, dum dixit mulier, serpens decepit me comedi, dum dixit vir, mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi & comedi. Immites isti ita se defenderunt, & id circo miseri, quia terram viuentium perdiderunt. Beati autem mites, qui neq; iudicia vel
Gen. 3. mandata Dei reprehendunt, neque semetipsos defendunt, quoniam ipsi possidebunt terram, non istam terram mortuorũ atq; morientium, quam reges immites armis cruentis sibi subijciunt, & tamen eam possidere non possunt, sed terram viuentium, in qua est lignum vitæ, quę reuera fluit lacte & melle. Nihilominus quod hic prædicat militib. exemplo suo persuadet alibi rex ipse, dum veraciter dicit. Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Beati qui lugent, quoniam
Matt. 11. ipsi consolabuntur. Beati, inquam, isti, qui tantum à spiritu scientiæ profecerunt, vt sciant tempus istud, tempus esse lugentiũ; vt sciant lugere mortuos suos, id est, semetipsos, quia in Adam omnes mortui sunt, & ex eo non est domus in qua non sit mortuus, cum vniuersali originalis peccati morte, trahente vnoquoque actualis etiam peccati mortiferum proprium. Qui in hac scientia lugent, id est, pœnitentiam agunt, nimirum beati sunt, quoniam ipsi consolabuntur: ipsi enim sunt, quibus promittitur & datur paracletus, id est, consolator, spiritus sanctus, annuncians illis, quia caussa huiusmodi luctus destructa est mors illis in vno homine, in isto rege suo CHRISTO domino Iesu, qui & in isto
Esa. 9. loco hæc dicit, & alibi loquitur. Spiritus do-
Luc. 4. mini super me, eo, quod vnxerit dominus me. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem vt consolarer omnes lugentes, & ponerem fortitudinem lugentibus Syon, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Nimirum nec partis huius exemplo rex ipse defuit: antequam enim hæc diceret, prior luxit suisque dedit militibus exempla lugendi, videlicet, vbi peccati nostri mortem lugendo quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Isti fortes sunt, & idcirco beati, habent enim sanctum fortitudinis spiritum, dum in prędicto luctu suo, fide & spe confortati sitiunt & aduide fructus dignos pœnitentiæ faciunt. Beati, inquam, quia saturabuntur & satiabuntur, videlicet eo ipso, quod esuriunt & sitiunt, id est, iustificabuntur per vnum iustum regem suum, IESVM CHRISTVM. Huius quoque virtutis, id est, esuriendi & sitiendi iustitiam, id se qui docet, exemplum actu præbuit rex, dicendo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam, quod vtique esuriens ac sitiẽs dixit, quemadmodum quo-
Matth. 3. dam loco testatur, dicens. Meus cibus est,
Ioan. 4. vt faciam voluntatem patris mei. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur. Verè & iustè beati agentes, cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritu consilij, vt peccantibus in se cum nocere possint misericorditer indulgeant, propter conuentionem illam, quam inter Deum & homines rex ipse constituit, vt dicant. Dimitte nobis debita nostra, sicut & *Matt.6. Luc.11.* nos dimittimus debitoribus nostris. Beati inquam, isti, quoniam non repugnante iustitia ipsi misericordiâ cõsequentur, vt quę peccauerunt in Deum, dimittat illis deus. Econtrario non beati immisericordes, quoniam ipsi misericordiam non consequentur, quod maximè ex illa Euangelica regis iustitiæ parabola comprobatur, qui voluit rationem po- *Matt.18.* nere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta. Sic enim iustissimè concluditur. Sic & pater meus faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Planè rex iste hac vicissitudine non indiguit, quippe qui peccatum non fecit, quod dimitteretur illi, attamen fecit, *Luca 23.* quod docuit. Dixit enim. Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. Atque ita factum est. Dimissum est enim eis, qui credidere runt. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt. Mundo corde ille est, quem emũdauit puritas dilectionis ex operibus misericordiæ, vt habeat simplicem & absq; odio cordis oculum, vt sit mundus ab omni cupiditatis puluere, ab omni furoris perturbatione. Sed ecce legimus sanctum Moysen nimia commiseratione pro populo dominum deũ *Exod.32.* suum orasse, cum dixisset. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleã eos, faciamq; te in gentem magnam. Adeo cor ab omni cupiditate vel ambitione mundum possidebat, vt non curaret promissionẽ hanc faciamque te in gentem magnam, sed stabat in confractione cordis in conspectu eius, vt auerteret iram eius. Hic tamen cum tam mũdi cordis sibimet conscius diceret. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi *Exod. 33.* faciem tuam. Non inquit, dominus, poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & viuet. Quid ergo dicemus? Nimirũ quia & Moyses mundo corde erat, & tamen nihilominus sententia veritatis vera est. Nõ enim dixit, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vident, aut viderunt, sed quoniam ipsi Deum videbunt, subauditur postmodũ, soluto pariete inimicitiarum qubus interiacentibus, ex quo primus homo per peccatũ contra se hostilem Dei iram constituit, neq; Moyses, neque hominum quisquam Deum vidit vnquam. *Ioan. 1.* Et huius visionis Dei facultatem penes semetipsum esse testatur ipse rex, qui hæc loquitur, videlicet quod visionem Dei conferat quibus vult, cum alibi dicit. *Matth. 11.* Et nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, per speculum in ænigmate dando spiritum intellectus mundis corde, vt intelligant scripturas, quæ vtiq; clara sunt specula visionis diuinæ. Beati pacifici, quoniam filij dei vocabũtur. Pacifici sunt, qui primo quidem & præcipuo studio inter se & deum, inter omnes, quoad possint, homines deumque pacem exquirunt, secundo autem inter hominem & hominem lites dirimere, charitatisq; concordiam nectere satagunt. Beati nimirum isti, quoniam filij dei vocabuntur, filij, inquam, non quidem natura, sed gratia, fratres & cohæredes vnigeniti filij principis pacis, qui inter deum & homines per suum sanguinem inimicitias soluit, pacem reformauit. Isti in septimo, spiritu sapientiæ iam sabbatizare incipiunt, adhuc positi in isto mortali corpore, suntque (vt iam dictum est) filij Dei, filij sapientiæ. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Iam prioris meriti fuerat hoc primum, beati enim, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quid ergo amplius in octauo dum dicitur, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum? Nam magnum quidem est pauperem spiritu esse, & cæteros assequi gradus iustitię, maximum autem & optimum propter eam iustitiam persecutionem sustinere. Quomodo ergo inferioris & summi meriti, id est, primi & octaui vna eademque est merces? Sed aduertamus omnia, quæ hactenus, id est, à primo vsque ad septimum gradum disposita sunt communia esse merita vel præmia cunctorum regis huius exercituum, id est, angelorum & hominum, hoc autem scilicet persecutionem pati propter iustitiam proprium esse hominum, qui vtique ex anima & corpore consistunt. Igitur beati tam angeli, quàm homines pauperes spiritu, mites lugentes, siue condolentes, iustitiam esurientes & sitientes, misericordes siue commiserantes, mundi corde, pacifici, quoniam ipsorum est regnum cælorum, in quo terram viuentium possidebunt, consolabuntur & saturabuntur, & misericordiam consecuti deum videbunt, & filij Dei vocabuntur, beati præterea homines, qui soli in corporibus suis persecutionem passi propter iustitiam, regnum cælorum quod iam cum beatis angelis possidẽt secundum animam in octaua, id est, in resurrectione possidebunt, etiam secundum corpus. Parum autem fuerat dixisse, qui perse- *2. Tim.3.* cutionem patiuntur propter iustitiam, quia videlicet hodie paucorum hominum istud est, nisi forte quia confirmare licet, quod omnes qui piè volunt viuere in Christo, etsi extrinsecus pacem habeant, intus tamen à vitijs spiritualibus siue carnalibus infestationẽ patiuntur, propter iustitiam pietatis eiusdem. Cum igitur dixisset, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum, subsecutus, beati, inquit, estis cum maledixerint vobis, &

bis, & cætera. Hoc dicto sine dubio nos quoque extremos contigit, quos hodie quoque in synagogis suis sub nomine Nazareorum maledicunt Iudæi. Sanè cum omnium quæ hactenus dixit rex noster, exempla in semetipso præbuerit, tunc verò huius patientiæ, id est, persecutionis, propter iustitiam sustinendæ, tale tantumq; exemplum dedit, vt nesciri non possit, imò obliuisci nefarium atq; impium sit. Passus quippe est persecutionem propter iustitiam vsq; ad mortem, mortem autem crucis, & idcircò ipsius est regnũ *Philip.2.* cælorum. Nam propter hoc deus illum exaltauit, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorũ. Quid igitur ô reges terræ & principes audito nomine regis Christi, vel regni eius, turbati estis malè soliciti? Securi estote quia milites regis, vel municipes regni huius lege prohibentur esse vt vos, superbi, immites, risores, iustitiæ tœdium patientes, immisericordes, immundi, inquieti, sed omninò tales, vt iniuriam pati, quàm facere, peregrinari quã regnare, occidi malint, quàm occidere.

De sequentibus sermonis eius quomodo nulli blandiatur, siue aduletur, dura prædicando & aspera: Intrate per angustam portam, & quòd hoc exemplo cuncti adiutores regni Dei non debeant ita delectari numero discipulorum, vt non prædicent eis dura, per quæ itur ad Deum.

CAPVT XIX.

POst hæc magnis ac legitimis, idemque in magna curia totius aures audiendi habẽtis ecclesiæ, orator facundus sermonem di- *Matth. 5.* gnum se hoc modo ingreditur. Vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi, &c. Primatibus vel primis officialibus suis, id est, Apostolis rex regni Dei hæc loquitur, breui similitudine, magnã satis exprimens distantiam ipsorum à ducibus terræ, vel principibus, cunctisque regno terreno militantibus, quia videlicet nõ sunt vt illi, qui bellis atque discordijs insistant, sed mundum insulsum, & habentem ignorantiam Dei cælestis doctrinæ sale condiant, atque in docendo beneuolentiam mereantur audientium bona verba dicturi, bonorum nihilominus operũ lucem proferant. Sed quid sibi vult hæc tanta tamque vehemens regiæ auctoritatis seueritas, tanta districtione formidabiles prouincialibus suis iam in exordio regni sui proponens sententias? Nolite, inquit, putare, quia veni soluere legem aut prophetas. Non veni soluere, sed adimplere. Et subinde. Audistis, quia dictum est antiquis. Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Post hæc, & cætera huiusmodi, quæ nimirum angusta sunt, & quãto angustiora, tanto perfectiora legalibus præceptis, ita dicit. Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spacioſa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta *Matth. 7.* via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam? Quid, inquam, hoc sibi vult, q̃ rex iste sapiens in exordio regni sui, imò nõdum sedens in solio regni tam dura tamque aspera prædicit? Nunquid adhuc ignorabat illud, quod postmodum de eximio milite suo loquens cùm dixisset. Quid existis in de- *Matth. 11.* sertũ videre hominẽ mollib. vestitum, continuò subiunxit, eccè qui mollib. vestiuntur, in domibus regum sunt? imò & illud iam dudum nouerat, quam ob causam regnum Israel à domo Dauid scissum fuisset, videlicet quia dixerat nouus rex. Minimus digitus meus grosior est dorso patris mei, & nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Quo audito populus, quę, inquit, nobis pars *3. Reg. 12.* in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai? Redi in tabernacula tua Israel. Nunc vide domum tuam Dauid. Et abijt Israel in tabernacula sua. Super filios autem Israel quicunq; habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit domus Dauid. Hoc, inquam, factum nouerat, sibique simile euenturum erat. Si enim in adulterio simul & homicidio Dauid, sacrum inuenerunt sancti patres exemplar cælestis mysterij, cur non in stultitia regis pueri reperisse nos iuuet altitudinis similitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei? Cõstat quippe certa & vera patrum eorundem attestatione, quia quod à domo Dauid scissum est regnum Israel, tribus autem Iuda adhæsit regi suo, simile vel par est ei quod accidit vero Dauid Christo, quando à fide eius multitudo seditiosa per multas atque multiloquas hæreses scissa est, sola aũt verè cõfessionis ecclesia fabricantibus illis vitulos mẽdacij veritatem tenens adhæsit regi suo, & templo dei sui. itaque quod nunc ait rex iste, rex nouus nondum per passionem mortis gloria & honore coronatus, audistis quia dictum est antiquis. Ego autem dico vobis, *Matth. 5.* & in omnibus angustam ostendit esse viam regni sui, magis quam hactenus fuerit, penè idem est, ac si dicat. Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Pater quippe Deus pro nus ad sanguinem hominibus graue iugum imposuit, dicendo. Non occides, graue iugũ petulcis atque luxuriosis, dicẽdo. Non mœ- *Exod. 20. Deut. 5.* chaberis, graue iugum iurantibus, dicendo. *Leuit. 19.* Non peierabis, graue iugum iracũdis, ac pro *Exod. 21.* priæ vindictæ auidis, dicendo. Oculum pro *Deut. 19.* oculo, dentem pro dente. Hic autem filius eiusdẽ Dei super iugum illorum, addidit dicendo. Omnis qui irascitur, reus erit, omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est, non iuretis omninò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit sermo vester, est est, non non, &, ego autē dico vobis, non resistere malo. Quid igitur hoc sibi vult, nisi quia rex iste Deus est, & iudicij Dominus, & quod regno terreno solet obesse, hoc cælesti prodest regno eius? Denique reges terræ ab hominibus fiunt, tributis que egent, & vectigalibus hominum suæ anhelanti inopiæ subueniunt reges egeni & inopes, huic autem cælesti Domino & regi veraciter dicit sapiens terræ rex. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Proinde homines terreni vt reges fiant, & *Psal.15.* in domibus regum sint, mollibus vestiantur, id est, placentia loquantur, nā rex iste q veraciter dicit hominib. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, rex, inquā, iste vnus & *Ioan.15.* solus, non ab hominibus, neq; per homines factus, nemini blanditur, sed sūt stimuli, & quasi claui in altū defixi, ita recta sūt verba eius, vt iudicet & probet eos qui regno suo digni habeantur. Hoc itidē eius exemplo faciendum est cunctis regni eius adiutoribus vt videlicet nemini adulentur delectati numero discipulorum, sed prædicent illis dura & aspera, per quæ itur ad Deum. Nec verò quicquam in hoc est quod vereatur aut vereri debeat prudens magister militum. Nam si is, qui venit reuera deum quærere, & regno dei veraciter militare cupit, nulla terretur austeritate legis militaris, sciens quia rex qui dura hæc proposuit dicit in fine sermonis. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & fecit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt n domū illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram. Qui *Philip 2.* hæc non attendunt, iuxta quod Apostolus *Matth. 7.* ait: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ *Mich. 1.* Iesu Christi, similes sunt Scribis & Pharisęis, quos Euangelista continuò denotat, cùm dicit. Erat enim docens eos sicut potestatē habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Potestate nanque se priuant, qui cū quippiam ab aliquo accipiunt, illū censent militē bonum, qui autem non dederint aliquid in ore eorū, sanctificāt super eos bellum. Hoc rex iste nō faciebat, idcircò sic dictum est, erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi, id est, non sua quærendo, contemptibilem faciebat docendi auctoritatem, quemadmodum illi.

Quomodo veraciter dictum sit: Erat enim docens eos sicut potestatem habens, secundum signa quæ fecerat.

CAPVT XX.

Matth. 6. AMplius autem. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi, subauditur, siue boni siue mali. Fuerunt enim in illis scribæ boni, videlicet, quorum Moyses & Esdras erant optimi. Fuerunt & boni Pharisæi, scilicet Aaron, & filij eius, immò quotquot erant sacerdolis aut Leuitici generis. Nam Pharisæi clerici dicuntur illius populi. De optimis sumamus comparationem. Non sicut Moyses & Aaron erat iste docens, sed sicut potestatem habens. Verbi gratia. Dixitq; Dominus ad Moysen. Quid clamas ad me? Loquere filijs Israel vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam, & extende manum tuā *Exod. 14.* super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio maris per siccum. Sic & in cæteris quæcūq; fecit nō penes se potestatem habebat, quippe qui homo & non deus erat, & idcircò necessariò ad deum potestatem habentem clamabat. Hic autem sicut potestatem habens cūcta peragebat, quippe qui non homo tantum, sed Deus & homo erat. Consideremus ergo eius opera, quomodo sicut potestatem habens illa faciebat. Descendente illo de monte cùm sequerentur eū turbæ multæ, eccè, inquit, leprosus veniens *Matth. 8.* adorauit eum, dicens. Domine, si vis, potes *Marc. 1.* me mundare. Non dixit, si clames ad deum, *Luca 5.* potes emundationē mihi obtinere, sed quod magnæ fidei est, si vis ait, potes me mundare. At ille veraciter potestatem habens, vt eandem potestatem gestu quoque corporis significaret, extendens manum tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Deinde accedens Centurio, potestatem illum habere, vt habebat verè, egregia fide confessus est. Tantùm, inquit, dic verbo, & sanabitur puer meus. Nā & ego homo sum sub potestate habens sub me milites Et dico huic, vade & vadit, & alio, veni & venit. & seruo meo, fac hoc & facit. Denique hac proposita similitudine vir admirandæ fidei, hoc voluit subintelligi, vt diceret. Tu homo qui & Deus es passiones omnes & vniuersas infirmitates habes potestati tui & iudicijs tuis militātes, & dicis huic, vade & vadit. dicis, inquam, huic spiritui infirmitatis, recede & recedit. dicis item alio, cum causa & ratio postulat, veni & venit, vt scilicet flagelletur, quem flagellari volueris, tu qui malis seruitijs nosti benè vti. Itaque potestatem confessus est, & responsum accepit, sicut potestatem habentis pro merito suæ fidei, vade, & sicut credidisti fiat tibi: Sic & cætera quæcunque faciebat, sicut potestatem habens operabatur, & non sicut Scribæ & Pharisæi, immò non sicut summi principes Moyses & Aaron, quibus vt aliqua facerent clamore & oratione opus erat, & idcircò rectè admirabantur turbæ super doctrina eius.

Quòd illud ad potestatem regiam pertinuerit, vt alijs quoque potestatem daret eijciendi immundos spiritus, & curandi omnem infirmitatem, & quorum signa, antiquorum sanctorum, an Apostolorum potiora fuerint.

CAPVT XXI.

Quia de

Matth. 10. QVia de potestate loqui cœpimus, & potestatem regiam domini nostri agnoscere debemus, quod maximè ad hanc rem attinet non prætereamus. Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorū nomina hæc sunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, qui tradidit eum. Ecce potestatem habens verè regiā potestatē habēs iure diuinā. Nec verò solummodo potestatem habens, sed potestatem hominibus dare potens. Quid amplius, inquam, hominibus contulit Deus, in forma *Exod. 7.* Dei, quā nunc deus in forma hominis, dominus in forma serui? Conferamus nunc potestatem quam dedit Moysi Deus in forma dei, potestati quam dedit hic Apostolis deus in forma serui. In quo fuit illa potestas, quā Moysi potens iste dederat? In proijciendo virgam coram Pharaone, vt draco fieret, & virgas maleficorum deuoraret, in educendo ranas & cynifes, cynomiam, quoque, & mortem in omne pecus Aegyptiorum, in spargēdo fauillam in cælo, vt fierent vlcera in homines, in extendendo manus in cælum, vt dominus ignem & grandinem plueret, & vt super omnes fines Aegypti locusta veniret, & vt per triduum in tota terra Aegypti tenebræ fierent, & vt percussis à Domino primogenitis Aegyptiorum eleuaret virgā super mare, quo diuiso populus transiret. Magna quidem magnæ potestatis opera sunt hæc, veruntamen prudenter considerandū, quia non adeò vicina salutī humanæ potestas illa operata est. Nam extra ipsam hominis substantiam cuncta peracta sunt. Hic autem & ipse potestatis dominus circa ipsam hominis substantiam operatur, & ipsi quib. potestatem largitur, videlicet potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & vt curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Vbi maior clementiæ gratia, ibi sine dubio maior venerandæ potestatis dignitas. Hæc opera potestatis simul & gratię sunt, & viciniora humanæ saluti, & idcirco rectè reseruata sunt aduentui Saluatoris, *4. Reg. 4.* cuius & propria potestas est, & per quem gratia facta est. Prophetarū tamen nobilissimi Helias & Helisæus quædam huiusmodi opera fecerunt. Nam Helias mortuum resuscitauit, Helisæus quoq; & mortuo vitā reddidit, & leproso lauacrum quo mundaretur ostendit. Verū hæc ita facta sunt, vt vitæ & salutis per potentē hunc perficiendæ sacramēta prę signarent, sicut ipse in Euangelio insinuat, dicens: In veritate dico vobis, multæ viduæ e- *Luca 4.* rant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarū missus est Helias, nisi in Sareptha Sidoniæ ad mulierē viduā. Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo prophetа, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Sirus.

Quomodo iuxta prophetiam dicentem: Audi serue meus Iacob & Israel, quem elegi, & catera. Iste verus Iacob & verus Israel, & quia iste duodecim filios carnaliter, hic duodecim Apostolos spiritualiter genuit, quibus hanc potestatem dedit.

CAPVT XXII.

QVibus primis potestatem hanc potens iste dedit duodecim Apostoli sunt, de *Marc. 3.* quibus & Marcus, Et fecit, inquit, vt essent XII. cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis potestatem curādi infirmitates, & eijciendi dæmonia. Et hoc valdè delectat, quod hic homo cælestis verus Iacob & spiritualis Israel in primordio suæ gentis vel generationis XII. spirituales filios genuit, illū Iacob siue Israel in typum sui præcessisse cō probans, qui carnales filios XII. patriarchas patres & principes futuræ gētis carnaliter genuit. Hic est em veraciter ille Iacob & ille Is- *Esa. 44.* rael, cui in Esaia dicebat pater. Et nunc audi serue meus Iacob & Israel, quē elegi. Effundam enim aquas super sitientē, & fluenta super aridā. Effundā spiritum meū super semē tuum, & benedictionem meam super stirpē tuam, &c. Quid enim verius si ad istum respicias, quid, inquā, verius aut certius eo quod ait, effundam spiritum meum super semen tuum & benedictionem meam super stirpem tuam? Effudit enim super hoc semen, & super hanc primitiuam stirpem eius spiritum sanctum suum, & in eodem spiritu benedictionem suam, quando apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditq; super singulos eorum, & cœperunt loqui varijs linguis prout spiritus sanctus dabat elo- *Act. 2.* qui illis. Quid enim deinde? Et germinabūt, *Esa. 44.* inquit, inter herbas quasi salices iuxta prætluentes aquas. Iste dicet. Domini ego sum, & ille vocabitur in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino, & in nomine dei Israel assimilabitur. Hoc ita verum est, vt assertione nostra non indigeat, imò vt nesciri non liceat, quia post effusum sanctum benedictionis spiritum, continuò qui pauci fuerant, germinauerunt quasi salices, id est, multiplicati sunt velociter cōuocando atq; conuertendo omnes gentes, & iste atque iste pro modulo quisque suo professus est, quid es- *Gen. 33.* set, aut quid posset, secundum gratiam quam *Esa. 8.* pro voluntate distribuentis Domini ac dei *Hebr. 2.* consecutus est. Igitur vt ille Iacob siue Israel duodecim filios, sic verus iste Iacob & verus Israel spiritualiter initium suæ gentis duodecim genuit Apostolos Et ille de suis carnalibus, paruuli sunt, ait, quos donauit mihi de, & iste de

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ille de suis spiritualibus. Ecce, inquit, ego & pueri quos mihi dedit Deus.

Cur inter tales filios ac principes regni Dei, Iudam quoque qui ad illud regnum non pertinebat, ipse omnia sciens admiserit.

CAPVT XXIII.

SEd inter regis filios & regni Dei principes, quid ille Iudas, qui regis eiusdem proditor, & filiorū regis proditor futurus erat? Neque enim ignorans illum rex elegit, quippe qui alio loco dicit. Ego scio quos elegerim. Vt quid ergo talem elegit, & huic tali potestatem cum cæteris dedit: Ac si iam interrogassemus eum, ipse respondit. Vt adimpleatur scriptura, qui manducat meum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Sed nunquid talem nō elegisset, nisi hoc scriptura prædixisset? Imò nisi talem electurus fuisset, scriptura hoc non dixisset. Verbo verò electionis hic non absurdè vtimur, cùm ipse dicat. Nōne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Quare igitur malum sciens inter bonos admisit? Nimirum vt prior ipse faceret, quod postmodum in parabolis, quas primas locuturus est nobis, esse faciendum docet. Cùm enim parabolam seminantis, quam primam dixerat, expositisset, continuò hanc aliam proposuit, dicens. Simile factum est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt, & cæt. Nimirum paterfamilias seminis boni seminator, qui hæc dicit, ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum, sinite vtraque crescere vsq; ad messem, ipse est rex regni cælorum, id est, præsentis ecclesiæ, vel congregationis sanctorum, in qua bono semini zizania, id est, filijs regni filij nequam, quos inimicus diabolus superseminauit, vsque ad messem, id est, vsque ad cōsummationē seculi permixti sunt. Illos tolerari iubet, cùm dicit: Sinite vtraque crescere vsq; ad messem cùm sæpissimè citiùs efflorescant, & sublimius crescant, ita vt sumos honores in ecclesiasticis gradibus apprehēdant, eò quod nihil noceat bonis permixtio malorum, quos pro tempore inuiti sustinent, quia corrigere non possunt. Igitur qui præceptorus erat, rectè & vt præceptorem decebat, prior ipse fecit, admittens Iudam in illo sanctorum numero, quibus potestatem dabat eijciendi spiritus immundos, & curandi omnem languorem, omnemque infirmitatem, vt scias, dona Dei peruenire ad illos, qui cum fide accipiunt, etiam si talis sit is per quem accipiunt qualis fuit & Iudas. Sciendū tamen, quia postquam, vt Lucas scribit, intrauit in eum Sathanas, & abijt, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum eum traderet illis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare, & spopondit, iam nec in eijciendis spiritibus immundis, nec in languoribus aut infirmitatibus curandis illa potestate Apostolica vsus est, quippe qui sequenti die inter cœnandū per buccellam intinctam proditor designatus continuò exiuit, & antequam eum quem tradiderat in crucem suspenderent Iudæi, laqueo se ipse suspēdit. Nec verò tam segnis patientiæ, veros Christi Apostolos fuisse arbitremur, vt postquā ille designat' est, si nō exisset, cōmunicare illi potuissent, vt prius. Hæc idcirco dicimus, vt zizania, quæ inimicus homo semini bono superseminauit, non absque discretione rerum vel temporum toleranda esse, vel communionem illorum nihil obesse putemus. Cùm adhuc esset Iudas occultus fur, idque solus sciret Deus Christus, nihil bonis Apostolis oberat, quod eius communione vel potestate Apostolica commiscebatur. At vbi deterrima eius iniquitas actu prodijt, vt cum inimicis Domini & magistri sui pactum iniret proditionis & homicidij, vbi hoc hominibus notum fecit homo Christus, nunquid rationi placet, sine culpa potuisse fieri, vt deinceps ille diabolo aliqua homines fideles cōmunione commiscerentur? Sic nimirum quandiu quilibet filij nequam quantalibet regno Christi scandala faciant ita agunt, vt tamē sub nomine Christiano tegātur, solusq; quales sint nouerit deus, tolerandi sunt. At vbi manifesto conuictos actu nominauerit ex nomine quo digni sūt, Christus, qui in ecclesia loquitur, iam nec ratio nec veritatis regula patitur, vt cū huiusmodi vel cibum sumamus.

Luca 22.

Matth. 27

1. Cor. 5.

Dominicus regni Dei qui dicebāt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, quibus ait: Omne regnum diuisum contra se, desolabitur.

CAPVT XXIIII.

PRima potestas regis huius erat in eijciendis dæmonibus, hoc modo inuidiæ flamma perustos mouit inimicos eius. Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant. Nunquid hic est filius Dauid? Pharisæi autem audientes, dixerunt. Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Quærimus & scire cupimus, isti inimici regni Dei, quales apud se intus fuerint, qui foris tales apparuerunt, qui tantum, tamque horridum blasphemiæ putorem, per apertas oris & linguę portas efflauerunt, contra conscientiam propriam, contra veritatem debacchantes, sibi non incognitam. Sciebant enim, quod dæmonia Dominus eiecerit in digito Dei, sciebant, inquam, eadem ratione duce, qua & magi coram Pharaone scire potuerunt & dicere, digitus dei est hic. Quærimus ergo. Et vnde scire poterimus? Ait. Omne regnum diuisum contra se, desolabitur. Et omnis ciuitas vel domus diuisa

Matth. 12.

Exod. 8.

diuisa contra se, non stabit. Et si Sathanas Sathanam eijcit, aduersus se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius? Validū quippe argumentum, & quo vehemētius, verius, atque constantius apud oratores seculi siue dialecticos nullum est. Sed quid illo confici tur? Hoc nimirum, quòd non posit stare regnum Sathanæ. Sic enim concluſit. Quomodo ergo stabit regnum eius? Ergo ne istud in quæstione erat, vtrum staret regnum eius? Nunquid hoc affirmauerant isti aduersarij regni Dei? Si non affirmauerant, frustra negat. Frustra, quod absit, contra illos tam validè argumentatur sapiens rex regni Dei. Compellimur igitur dicere, illos aduersarios eius tam pessimos, tamque peruersos fuisse, vt in auribus eius, & si non vocis strepitu, certæ cogitationis clamore dicerent, stare regnum Sathanæ. Sed rem tā grandē vnde poterimus probare? Parum quippe cuipiam videatur vt dicamus. Nisi istud in cordibus eorum affimaret Sathan ipse qui eis dominabatur. non econtrario, sic dominus noster argumentaretur. Ergo ad sanctæ & veridicæ scripturæ auctoritatem cōfugiamus. In Esaia loquitur spiritus sanctus, nimirum iamdudum audiens blasphemias, quas ab istis illusoribus erat accepturus. Propter hoc audite verbū domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Hierusalem. Dixistis enim. Percussimus fœdus cum morte & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Idcircò hæc dicit Dominus Deus. Eccè ego mittam in fundamētis Sion lapidēlapidē probatum, angularē, pretiosum in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Et ponam iudicium in pondere, & iustitiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquę inundabūt. Et delebitur fœdus vestrū cū morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundās cū transierit, eritis ei in conculcationē. Quādocunq; pertransierit, tollet vos. Tali propheticæ veritatis præeunte testimonio dicere non dubitamus, eos tam fuisse perditos, vt apud Deū omni spe durata, sese ad diabolum diuertissent, & per arcana maleficiorū commercia pactum cum illo pepigissent, facturi quicquid tali domino placuisset, vsque ad ipsam regis magni dei interfectionem, dū modo templi diuitias & consuetas populi rapinas non perderent. Nam hoc est, quod & in quadam dicitur parabola. Occidamus eū, & nostra erit hęreditas. Cùm aūt tā deterrimè mendacium posuissent spem suā, & mendacio protegi sperarent, multum contra eandem spem suam faciebant, cùm dicerent. In Beelzebub principe dæmoniorū eijcit dæmonia. Hæc enim dicendo fatebantur, quia dæmonib. nulla est fides, nulla cōcordia, nullus pacti tenor, nulla iurati fœderis custodia. Opportune igitur Iesus sciens cogitationes eorum, omne, inquit, regnum diuisum contra se, desolabitur, &c. Sciens, inquit, cogitationes eorum. Quas cogitationes eorum? Non vtiq; quod dixerunt, in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Nam hęc erant dicta. Sed sciens cogitationes eorum, & audiens dicta eorum, cogitationes, inquā, sciens, quibus Sathanæ regnum stare sperabant, vnde & fœdus cū morte percusserant, & cum inferno pactum fecerāt, & audiens dicta eorum, quibus ijdem Sathanæ regnum fatebantur esse diuisum, vt conuinceret eos ex ore ipsorum, quod decepti ac perditi in mendacio spem suam posuissent, talem facere dignatus syllogismum. Omne regnum diuisum contra se, desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Et si Sathanas Sathanam eijcit, aduersus se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius? Et continuò. Et si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Nam filij quoq; eorum Apostoli potestate (vt supra dictum est) sibi tradita iam dæmonia de obsessis corporibus eijcere poterant vel cœperant. Futurum autem erat, vt & de animabus gentium eijcerent atque de templis, aris, & simulachris, abigerent, eisdem aduersarijs videntibus atque inuidentibus, & dicere non valentibus, quod hoc facerent in Beelzebub, eò quòd Beelzebub contra semetipsum facere non posset id, in quo maximè regnum suum destrueretur, scilicet idolorum cultus. Quid ergo, inquit, tunc dicetis. Nihil quidem habebitis quod dicatis, & nihilominus tamē psequemini. Quid deinde? Ideò ipsi iudices erunt vestri. Sedebunt enim super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel, quia videlicet cùm fecerint quod primum facere oportebit, id est, primum vobis verbum Dei locuti sint, vos non credetis. Idcircò vos iudicaturi, iamque iudicantes conuertentur ad gentes. Si autem ego in spiritu DEI eijcio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum DEI. Ac si diceret: Si ora vestra blasphemijs fluentia, continueritis, mentemque & linguam correxeritis, vt dicatis quod dignum, quod verum est, quia in spiritu DEI eijcio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum DEI, vt liberati à seruitute peccati, sedes & domus efficiamini regni Dei. Sed vos non per ignorantiam, sed per inuidiam, non per errorem, sed veritatis odium loquimini sic. Ideò dico vobis, omne verbum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemiæ non remittentur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Denique verbum ille contra spiritum dicit, qui verita-

Esa. 28.

Matth. 21.

Matth. 19.

Matth. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui veritatem sciens ex scripturis,quæ vtiq; verba sunt spiritus sancti, veritatem eandē in iniustitia vel mēdacio detinet,præ furore inuidiæ vel odij rotans verba aliena contra cōscientiā cordis sui. Huic nimirum non remittetur,neque in hoc seculo, neque in futuro,non quod vllum peccatum verè pœnitētib. remisibile sit,sed quod talis ad humilitatem veræ pœnitentiæ nunquam aspirare dignus sit iudice Deo, iudicāte ipso,in quem peccauit,spiritu sancto.

De primatu Petri Apostoli inter illos principes regni Dei, & q̄ cùm adhuc nescìret quale foret ipsum regnum Dei,cùm diceret: Absit à te Domine, non erit tibi ita,ipsius regni Dei potestatem acceperit.

CAPVT XXV.

PRædicti XII. Apostoli potestatem(vt dictum est) acceperant,vt spiritus immundos eijcerent, & omnem languorem,omnēq̄ infirmitatem euangelizando regnū dei curarent,omnes equidem, sed inter omnes vnus per primogenitam fidem Petrus hoc promeruerat. Primus hic dixit: Tu es Christus filius Dei viui, vt claues eiusdem regni Dei acciperet, dicente sibi rege ipso, collaudatore probatæ fidei. Beatus es Simon Bar Iona,quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Et ego dico tibi,quia tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et portæ inferi nō præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Pars iuris cælestis,& senatoriæ dignitatis quæ subiecta est his verbis. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, cæterisque Apostolis communiter contradita est. Dixit enim alibi. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erūt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram,erunt soluta & in cælo. Itemq̄ & alibi. Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis,& quorum retinueritis, retenta sunt. Itaque potestas quidem communis omnium,sed vnum & singulare, vnius est Petri priuilegium, cui prius & singulariter dictum est,tibi dabo claues regni cælorū. Potestatem,inquam, regni Dei acceperunt,sed eiusdem regni scientiam non habebant,quale foret hoc regnum, qua via,vel quali ordine in illud esset ascendendum, tam princeps Petrus,quàm cæteri ignorabant. Vnde cùm diceret rex ipse,quòd oporteret eū ire Hierosolymam,& multa pati à senioribus &scribis & principibus sacerdotum, & occidi,& die tertia resurgere, quod erat profectò in regnum introire, assumens eum Petrus cœpit increpare illum,dicens. Absit à te Domine,non erit tibi hoc. Statimq̄ audire meruit. Vade post me Sathana,scandalum es mihi,quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominū. Simpliciter nimis Sathanas, id est, aduersarius erat, nimiumq̄ simplici volūtate communi bono contraibat. De cæteris autem Iacobus & Ioannes filij Zebedæi mul tum eadem errantes ignorantia, magister,in quiunt, volumus vt quodcunq; petierimus facias nobis. At ille dixit eis. Quid vultis vt faciam vobis? Et dixerūt. Da nobis,vt vnus ad dextram tuam,& alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Itaque qui ad hoc vocati erant, vt vniuerso mundo prædicarent regni Dei gloriam, quàm rudes, quàm indocti, quàm paruuli,& infantes erant. Idcircò rex ipse,idemq̄ magister paruulorum erudītor fieri dignatus est, ita vt propter hoc ipsum quod paruuli erant,quibus lacte,& nō solido cibo opus erat, in parabolis loquebatur ad eos, quatenus per notarum similitudines rerum ad incognita regni cælestis mysteria paulatim nos introduceret.

De parabolis eiusdem regis introductorijs,ad cognoscenda mysteria regni Dei,& de eo quod ait: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis,subiungens:quia videntes non vident,& audientes non audiunt.

CAPVT XXVI.

ET quod maximè in Euangelistæ huius dispositione delectabile est, quot erant Apostoli,totidem,id est,duodecim erant introductæ parabolæ. Prima est parabola seminantis, qui dum seminat, quædam(inquit) ceciderunt secus viam,& venerunt volucres & comederunt ea. Et reliqua. Sanè quod in illa vel pro illa parabola dicit eis. Vobis datū est nosse mysterium regni dei,illis autem nō est datum,vel vt apud Lucam manifestius. Cæteris autem, inquit,in parabolis,vt videntes nō videant,& audientes non intelligant, non de illo tempore, quo hæc dicebantur, sentiendum est, sed de illo quo venturus erat spiritus sanctus,& docturus eos omnem veritatem. Quo nimirum intendens ipse,cōtinuò passurus dicit ipsis. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora,cùm iam non in prouerbijs loquar vobis. Secunda parabola est hominis,qui seminauit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines,venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici,& abijt. Tertia est, quam proposuit,dicens. Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit,maius est omnibus oleribus,& fit arbor,ita vt volucres cęli veniāt & habitent in ramis eius. Quarta hæc est. Simile est regnū cælorum fermento, quod acceptum mulier in farinæ satis tribus donec fermentaretur totum. Quinta. Simile regnum cælorū thesauro abscondito in agro,quem qui inuenit homo,abscondit. Sexta. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Septima. Simile est regnū cælorū sagenę missę in mari,& ex omni genere pisciū congreganti. Octaua. Simile est regnū cælorum regi, qui voluit rationem ponere cum ser-

Matth. 16. Marc 8. Luc. 9.

Matth. 18. Ioan. 20.

Matth. 16. Luc. 18.

Matth. 13. Luc. 8.

Ioan. 16.

Matth. 18.

cum seruis. Et cum cœpisset rationē ponere, oblatus ei est vnus,qui debebat decem milia talenta. Nona. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias,qui exijt primo mane, conducere operarios in vineam suam. Decima. Simile est regnum cælorum homini regi,qui fecit nuptias filio suo. Nam duas in hoc numero prætermittimus, quas non tam discipulis suis, quàm principibus sacerdotū, locutus est inimicis suis: quarum vna hæc est. Homo quidam habebat duos filios,& accedens ad primum dixit. Fili, vade hodie operare in vinea mea. Alia: Homo erat paterfamilias,qui plantauit vineam,& sepem circundedit ei,& fodit in ea torcular,&c. Vnde cima est. Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus,quæ accipientes lampades suas,exierunt obuiā sponso & sponsæ. Duodecima. Homo quidam peregrè proficiscēs, vocauit seruos suos,& tradidit illis bona sua Et vni dedit quinq; talenta,alij aūt duo alij verò vnū. In his parabolis introducendi studio loquebatur illis,aliquādo solis aliquando simul astantibus, &audiētibus turbis. Planè q̄ in prima dixit. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum,siue regni Dei,illis autem non est datum, vel cæteris autem in parabolis,sicut supra dicere cœperamus,tunc adimpletum est,quando principes isti accepto spiritu sancto,spiritu veritatis, omne cœperunt nosse mysterium regni Dei,quod occultum erat in lege & prophetis, nos autem populares vel plebei,quibus tanta nō collata est gratia,cœpimus præeunte fide,ex parabolis istis Euangelicis eadem paulatim percipere mysteria regni Dei. Sed quid est quod subiungit ideo in parabolis loquor eis,vt adimpleatur in eis prophetia Esaiæ prophetę,dicentis: Auditu audietis,& non intelligetis, & videntes videbitis,& non videbitis? Num idcirco loquebatur in parabolis,vt illi de quibus hoc prophetatum fuerat non perciperent mysteria regni Dei? Hoc nempè vt intelligamus,ipse literę textus vel ordo compellit. Dixerant enim discipuli stantibus in littore turbis. Quare in parabolis loqueris illis? Cui nimirum percunctationi,ne dicam intentioni, siue voluntati,quia vera necdum via tendere sciebant ad manifestationem regni Dei, percunctationi,inquam,satisfacere hoc erat, vt manifestè & non in parabolis, sed actu ipso,& potentia spectanda,cunctis iam se ostēderet regem esse regni dei. At ille tali ordine processurus erat rex regni dei,vt intus admitterētur humiles illuminati,superbis relictis foris,vt errarent cæci in plateis. Cùm igitur dixisset,vobis datum est nosse mysterium regni Dei, terribiliter pro re & tempore subiunxit,quia videntes non vident, & audientes non audiunt.

De virtutibus eius siue miraculis, quòd talia sint, vt ex illis manifestentur potestas simul & misericordia regis Dei.

Matth. 20. Matt. 22. Matth. 21. Luc. 4. Matt 23. Luc. 8. Esaiæ 9.

CAPVT XXVII.

VIrtutum opera parabolis prædictis ad idem regni Dei consignificantia sic Euangelista iste contexuit,vt in omnibus & regalis potestas,& misericors gratia, diligenter expectantibus appareat. Sunt autem numero decem & octo, quæ certis & locis & personis ædita sunt. Primum est vbi descendente illo de monte, & sequentibus turbis, & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine si vis potes me mundare. Et extendens manum,tetigit eum, dicens: Volo,mundare. Secundum, vbi Centurioni dicenti. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum,sed tantùm dic verbo,& sanabitur puer meus,miratus fidem eius, cum regali imperio dixit. Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Tertium,vbi tetigit manum socrus Petri,& dimisit eam febris,& surrexit,& ministrabat eis. Quartum,vbi facto motu magno in mari,surgens qui dormiebat rex cœli terræ, & maris,imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Quintum, vbi dæmonibus rogantibus eundem regem potestatem habentem, ac dicentibus, Si eijcias nos, mitte nos in gregem porcorum, tales non longa vel familiari responsione dignatus est,ait. Ite. Sextum, vbi paralyticum videns in lecto iacentem & fidem offerentium cum dixisset,cōfide fili, remittuntur tibi peccata tua,& pro hoc quidam de scribis murmurarent,dicentes: Hic blasphemat,vt sciatis,inquit,quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico. Surge,tolle lectum tuum,& vade in domum tuam. Septimum, vbi mulier,quę sanguinis fluxum patiebatnr duodecim annis,accesit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. At ille conuersus, & videns eam solito cum imperio dixit. Confide filia, fides tua te saluam fecit. Octauum, vbi dominator vitæ & mortis,recedite,inquit,non est enim mortua puella,sed dormit. Et ciecta turba,tenuit manum eius,& surrexit. Nonum, vbi clamantibus duobus cæcis,miserere nostri fili Dauid,confessionem approbans regij nominis,secundum fidem vestrā,inquit, fiat vobis. Decimum, vbi obtulerunt ei hominem mutum dæmonem habentem,& eiecto dæmonio,locutus est mutus. Vndecimū vbi dominus sabbathi conuictis aduersarijs, quod liceat sabbathis benefacere,ait homini manum habenti aridam. Extende manum tuam. Et extendit. Duodecimum, vbi oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus,& curauit eum ita vt loqueretur & videret,& pro hoc inuidentibus atque blasphemantibus pharisęis,ius suum defendit,quòd ipse esset rex regni Dei,qui fortem armatum alligare venerit,ipsi autem serui eiusdem tyranni in ruina regni eius diuisi forent inuoluendi. Tertiumdecimum, vbi quinque millia virorum,exceptis mulieribus & paruulis de quin-

Matth. 8. Ibidem. Ibid. Ibidem. Ibid. Ibid. Matth. 9. Ibid. Ibid. Matt. 12. Ibid. Ibid. Matt. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de quinque panibus hordeaceis saciauit & duobus piscibus, propter quod & iuxta aliũ Euangelistam, rapere volebant eum, & facere regem sibi. Quartumdecimum, vbi discipulis periclitantibus in medio mari, quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, & Petro dicenti. Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas, ipse ait, veni. Quintumdecimum, vbi cùm dixisset mulieri Chananææ, rex & nobilium filiorum pater ingenuus, non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus, illa respondit. Etiam domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, seueritatem imperij vel iudicij sui mox in clementiam conuertit, ô mulier, inquiens, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Sextumdecimum, vbi miseratus turbam, eo quòd non haberent, quod manducarent, & si dimitteret eos ieiunos, deficerent in via, saturauit de septem panibus & paucis pisciculis IIII. millia hominum, extra mulieres & paruulos. Septimumdecimum, vbi Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius ducit in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias cum eo loquentes, in quo præsignauit illam, quæ nunc est regni sui gloriam, contestantibus Moysi & Helia, id est, lege & prophetis, quia rex ipse est iam immortalitatis carne regnãs semper in splendore diuinitatis. Octauum decimum, vbi homini prouoluto genibus ante eum, & dicenti. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur, respondẽs ait: O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum, vsquequò patiar vos? Afferte illum ad me. Et increpauit illum, & exiuit ab eo dæmonium. Et hoc, inquit, genus non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium, quod tamen eiecerat ipse potestatem habens non per orationem, neq; per ieiuniũ. Post potentis misericordiæ suæ, siue misericordis potentiæ magna hæc opera, per quæ cunctis regno suo seruientibus maiora intus bona spiritualiter præsignabat, vnum ponitur opus terribile, quo eiusdem regni sui hostibus magnitudinem significauit, eius quæ nunc est, illis iræ, & vindictæ. Intrauit inquit in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit. Denique hoc non leuiter attendendum est, in potentia regis, quòd cum vno flagello de funiculis, homo tunc vilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, hoc fecit, quod infinitus non potuisset facere exercitus. Tumultus ille quo sic perturbati, funiculus ille quo de templo sic eiecti sunt, tẽpestatem illam præsignauit, qua de regno Dei proiecti sunt, longis peccatorum suorũ funibus circundati à sanguine Abel iusti, locum quoque & gentem tollentibus Romanis, cuius rei tumultum totus orbis audiuit.

Marc. 6.
Matth. 15.
Marc. 6.
Matth 15.
Matth. 17.
Matth. 17.
Matth. 21.
Ioan. 2.

Qualiter in fine tollenda sint omnia scandala de regno Dei, & quod non vanè pater Augustinus velit intelligi Matthæum in leonis facie.

CAPVT XXVIII.

NEmo ferè qui nesciat, nemo prorsus qui nescire debeat, cuncta hæc cęteraq; quotidiana eius facta & dicta, sicut à patrib. sanctis sunt exposita, regni dei, id est, ecclesię præsentis continere mysteria, quòd videlicet regnum vsque ad finem seculi, ex bonis, malisque permixtum secundum edictum, pariterque exemplum regis eruditur & perficitur in omni patientia. Tandem qualiter de hoc regno tollenda sunt omnia scandala, quod per multiplices apud hunc Euangelistam significabatur parabolas, terribiliter hęc nouissima ante passionem prolocutio regis indicat. Cùm autem, inquit, venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cũ eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicẽ, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris, & cætera. Iã sæpè dictum, & sæpè dicendum est, quia cuncta ferè sicut locutus est hic euangelista, vt vbique spectanda nobis proponatur tam vocibus quam sensibus regni cælorum maiestas regia persona regalis domini nostri Iesu Christi potestas. Hoc animaduerso, pater Augustinus, vbi euangelicæ quatuor facies spectandæ proponuntur tam in Apostolo, quã in propheta, non vanè arbitratur, aut intelligi vult, quòd facies leonis sit Matthæus, facies autem hominis Marcus. licet alij plures econuerso tradiderint, quòd in homine Matthæus, in leone Marcus sit agnoscendus. Nos huius ætatis sextę finem faciẽtes de septima breuiter quid loquamur, vt iuxta propositũ ad laudandã, atq; adorandam sancti spiritus gratiam, quandoque lassi perueniamus.

Matth. 25.

Aug. lib. de consen. euang. li. 1. ca. 6. Super Ioan. tract. 36. di.

De septima ætate mundi, quod veraciter sabbathum dicatur & sit, id est, requies, & quid sit illa.

CAPVT XXIX.

SEptima mundi ætas, nõ pro tempore, vel temporum ordine ætas dicitur, aut septima nuncupatur. Neq; enim quomodo quinta quartæ, quomodo sexta quintæ, sic illa huic sextæ temporaliter succedit, sed coniuncta velut ex latere, vsq; ad finem seculi, vsq; ad vniuersalis diem resurrectionis, cum ea currit. Est autem alterius seculi secretum, in quo electorum animæ depositis corporibus felici sabbatismo, cum deo requiescunt, quecunque per sex ætates mundi, diuersis meritis operum, differentes quidem mansiones, sed eandem requiem ingredi meruerunt. Ipsa sabbathum, id est, requies dicitur & est, quia nihil illic operantur, sed operum suorum mercede recepta, quieto deinceps otio feriantur. In huius sabbathismi typum legale illud sabbathum circuncisioni datum fuisse rectè intelligitur, vt quicquid de illo carnali sabbatho litera legis loquitur, de isto spiritualiter intelligat homo rationalis, in spiritu legis peritus, in veritate literatus. Exempli gratia. Memento, inquit dominus, vt diem sabbathi sanctifices. Hoc præceptum in decalogo, tabulis digito Dei inscriptis, quartum est. Quod tunc demum veraciter sic intelligis, vt scribẽtis Dei digito dignum sit, vt sanctificare diem sabbathi id esse sentias, ac si dictum esset. Memento vt quicquid boni operaris, non pro qualibet transitoria, & vana re sed pro æterna facias remuneratione. Igitur præsentis vitæ tempus operandi quod bonũ est, rationem vel opportunitatem habet, illius autem seculi cuncta lõgiturnitas quiescentium est, fixamq; & immutabilem sabbathi legem possidet. In illam requiem deus prior ingressus est, quod & scriptura testatur, cum dicit. Compleuitq; Deus die septimo opus suũ q̃ fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Apostolus autẽ, Qui enim, inquit, ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, &c.

Exod. 29.
Gen. 2.
Hebr. 4.

Quod reuera Christus post passionis laborem in illa sabbatiz. auerit, & resurgens ex mortuis, iam in octauam introierit. CAPVT XXX.

AMplius autem post passionis, & mortis laborem, in illo sabbato suo, requieuit deus. Deus enim erat in Christo, & quia propter personæ vnitatem congruè deus laborasse dicitur, vbi laborauit, & vsque ad mortem fatigatus est Christus, pulchrè requieuisse Deus dicitur, vbi exempta corpori per crucem sabbatizauit anima, de qua nunquã recessit semel assumpta verbum Deus. Tũc ergo Deus in sabbatho suo requieuit, ab operibus suis, quando Deus & homo Christus, & secundum animam in secreto diuinitatis, & secundum corpus in sepulchro terræ requieuit. Delectat valdè illa Dei dispositio, sex diebus operantis in sudore passionis, & septimo deposita carne, requiescentis. Nam sicut euangelica fideliter narrat historia, primo dierum, id est, die dominica in ciuitatem Hierusalem passurus introiuit, secundo & tertio mitis agnus inter lanistas crudelissimos, iuges insidias pertulit, quarto à discipulo suo traditus est, quinto testamentum scribens filijs, hæreditatem corporis & sanguinis sui delegauit, sexto moriendo suum omne opus, acri cum labore consummauit, septimo in sepulchro requieuit, & in illa ætate quam dicimus septimam, vsque ad primam sabbathi cum beatis spiritibus sabbatizauit: deinde resurgendo à mortuis, iam in octaua est, id est, in gloria immortalitatis & incorruptionis. Maximè ergo illo respicientes dicamus cum Apostolo, quia qui ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis deus. Etenim illo labore suo, & illa requie sua, requiem nobis acquisiuit Deus, & dominus noster Iesus Christus, vt deposita carne, mox in septima requiescamus, donec resurrectione carnis celebrata, iam in octaua regnemus.

Hebr. 4.

Quòd ad hunc sabbatismum nos inuitet, dicendo Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

CAPVT XXXI.

HAec itaq; septima ętas, septimum respicit diem creationis mundi, sabbathum id est, requiem domini, septimum à spiritu timoris domini, spiritum possidens sapientię, quæ ipsa requies est filijs suis. Ad hanc omni auiditate festinant filij sapientiæ, & cum adhuc pro conditione mortalitatis hic laborẽt, illuc mente transpositi properant, quãta possunt ex parte requiescere. Inuitat enim eos iugiter mater sapientiæ, cum dicit. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Cùm autem hæc dicit clamitando foris, in plateis dando vocem, intus nihilominus Spiritu sancto docet, intus in corde persuadet, vt tœdium patientes curarum & solicitudinũ huius seculi, dulcedine delectentur sanctæ contemplationis. Veniunt ergo ad scholam sapientiæ, iuxta & illud consilium quod offert in psalmo eiusdem sapientiæ spiritus, dicendo. Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. In qua schola quanto quisque melius atq; efficacius studuit, tanto vicinior atq; apparatior factus est huic septimæ, id est requiei, & cum à scholis egreditur, quanto exercitatior est in verbo Dei, tanto honorabilior assistit ante faciem regis, & in illo æterno choro beatorum gradum altiorem ordinante illo sortitur, testante propheta, cum dicit. Qui autem docti fuerint, fulgebũt qua si splendor in firmamento, & qui ad iustitiã erudierint plurimos, quasi stellę in perpetuas æternitates. Proinde veraciter quidem beata actiua, sed beatior vita contemplatiua, domini quoque testimonio, qui illa non improbata istam collaudat. Maria, inquiens,

optimam partem elegit, quæ
non auferetur
ab eâ.

Matth. 11.
Psal. 45.
Danie. 2.
Luc. 10.

FINIS SECVNDAE PARTIS LIBRI HVIVS, DE sancta trinitate, & operibus, respicientes opera filij secundæ personæ trinitatis eiusdem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI LIBER PRIMVS.

De gemina resurrectione mortuorum, quarum altera nunc resurgimus in anima accipiendo Spiritum sanctum, altera viuificabuntur & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem in nobis eundem Spiritum sanctum.

CAPVT I.

Psal.103. OMnipotentis iram simul & gratiam psalmista breui laude confitens, auertente, inquit te faciem turbabuntur auferes spiritum eorũ, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Quod enim memoriter tenendum, & suppliciter confitendum est, propter peccatum vnius hominis, auertit deus faciem suam & turbati sumus, abstulit spiritum nostrum & defecimus, & in puluerem nostrum reuertimur. Et hic dupliciter iræ vindicta geminæ mortis pœna intelligenda est. Nam quo die comederunt ex ligno vetito, auertit Deus faciem suam, & præuaricatores turbati, id est, in anima mortui sunt, & præter illam mortem offerente illo spiritum eorum & dicente homini, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quod itidẽ fideliter est credendum, & cum omni gratiarum actione recolendum est, propter iustitiam vnius hominis Iesu Christi, emisit deus spiritum suum, & creati sumus, & faciem terræ renouauit. Et hic duplicis gratiæ indulgentia geminæ gloria vitę vel viuificationis agnoscenda est. Nam qua die vel hora credit homo in Christum, & baptismi eius percipit sacramẽtum, emittit deus spiritum suum & creatur, vt omni vetustate peccati abolita, iam noua secundum animam creatura sit, & præter hoc facies terræ, id est, terrenum corpus, quod inueterauit & mortuum est propter peccatũ, renouabitur in nouissimo die resurrectionis. Hæc duplex ratio recreationis animarum, & renouationis corporum, hæc gemina resurrectio mortuorum, nunc nobis ruminanda atque tractanda est, in laudem & gloriam eiusdem spiritus sancti, dei & domini nostri, cuius emissio per Christũ nostras iam animas viuere fecit, & corpora viuificabit. Nam corpus quidem, inquit, Apostolus, mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem. Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum à mortuis, cõuiuificauit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

Genes.3.

Roma.8.

Quòd nouus homo Christus primum ac præcipuũ opus sit sancti spiritus, & idcirco sermonis de operibus eiusdem spiritus sancti principium à conceptione illius hominis rectè debuerit inchoari.

CAPVT II.

VErum speculandæ huius gratiæ via recta, legitimusque ordo, tunc demum nobis seruabitur, si gratiæ principem, & largitorem, Dei & hominum mediatorem, hominem Iesum Christum prius cognouerimus. Ipse est secundum hominem, primum ac præcipuum Spiritus sancti opus, quo pulchrius aut preciosius nihil vnquã fecit deus, aut iste Dei spiritus. Nouus hic homo, noua hæc creatura est. Fortè dicis. Si Christus noua creatura, si vt Apostolo. ait. Et nos in Christo noua sumus creatura, quomodo verum dixit scriptura, quia requieuit siue cessauit deus die septimo ab omni opere suo quod patrarat? Quomodo cessauerat, si hanc nouã creaturam facturus erat? Ad hæc inquã primo sciendum, quia persona quam scriptura illa veterem narrat condidisse creaturam, deus pater est. Persona inquam, quæ dixit, & dicendo fecit, pater est verbi, quo cæli firmati sunt, pater est generans verbum, per quo omnia facta sunt. De ipsa nihilominus persona sẽtire litera postulat, quod requieuerit & cessauerit. Num ergo quia deus pater cessauerit consequitur, quod spiritus eius cessauerit? Non vtique, nam etsi cessauit pater, cuius erat proprium condere rerum naturam, non cessauit spiritus sanctus, cuius est opus proprium meliorare naturam. Sic rectè distinguamus patrem deum & spiritum sanctum deum, vt pater cõdiderit, spiritus sanctus reformauerit quam voluit creaturam, & vtraque persona per tertiam siue mediam id est, per filium. Sed pater per filium deum tãtum, spiritus sanctus per filium iam hominem factum. Nam sicut nulla creatura facta est, nisi per filium deum, sic nulla reformata est, nisi per eundem filium deum hominem factum. Itaq;, vt dicere cœperamus, nouus homo Iesus Christus, primum ac præcipuũ spiritus sancti est opus, quippe qui de spiritu sancto conceptus est. Igitur vt magnum & euidens habeamus ostium sermonis de creatore spiritu sancto renouante faciem terræ, ab illa eius emissione sumemus principiũ, de qua angelus ad Mariam. Spiritus ait, sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum

1.Tim.2. 1.Ioan.2.

2.Cor.6. Galat.6.

Psalm.32.

Luc.1.

sanctum, vocabitur filius Dei. Et hoc quidẽ faciemus, si prius breuiter faciem eiusdẽ sancti spiritus in confessione veræ fidei præuenire meruerimus.

Quod spiritus sanctus patri & filio consubstantialis Deus ac dominus sit, & quod hæc propria persona sit amor Dei, quem qui non habet angelus, est diabolus: qui non habet homo, cum angelo non habente damnatur.

CAPVT III.

SPiritum sanctum credimus & cõfitemur, verum esse Deum & dominum, patri & filio consubstantialem & coæternum, id est, per omnia secundum substantiam, quod patrem & filium. non eundem in persona quẽ patrem & filium. Nam sicut alia patris, & alia filij, sic nihilominus alia est persona spiritus sancti, diuinitas autem & gloria atque maiestas quæ pater & filij, eadem nihilominus est spiritus sancti. Et vt persona filij, & huius spiritus sancti proprietates, alijs quoque discernamus vocabulis, sicut filium verbum patris dicimus siue rationem, non vtique verbum affectiuum, neque affectatam rationem, sed substantiale verbum, & rationem sempiterne & substantialiter viuentem, sic spiritũ sanctum dicimus patris, & filij charitatem, siue amorem, non vtique accidentalem charitatem, neque aduentitium amorem, sed substantialem charitatem, & æternæ constantiæ amorem. Qui amor quanti sit momẽti, imò quantæ sit maiestatis, vt aliquatenus speculari mereamur, conferamus nunc in eodem genere vel specie creaturam eius participem, creaturæ quæ eius particeps non est. Certè si de angelica specie duos conferas, alter diabolus, alter fortè sanctus Gabriel, aut gloriosus Michael est. Si de humano genere, verbi gratia, de apostolico sumas ordine, alter beatus Petrus Apostolus, alter Iudas diabolus est. Attamen hoc solum interest, quod hic homo, vel hic angelus, huius amoris est particeps, ille autem homo, vel ille angelus non est eius particeps. Vterque ex maiestate verbi per quod factus est, hoc habet, vt sit rationalis, hoc solo, vt dictum est, differunt, quòd hic habet, & ille non habet communionem huius amoris. Claret itaq; etiam in isto proprietas operationis spiritus sancti, quia videlicet per verbum patris esse sumpsit, per spiritum verò sanctum, benè esse sumit creatura rationalis.

Quod procedens sit spiritus sanctus, & quod filius quidem à deo processisse, hic autem à Deo procedere rectè dicatur.

CAPVT IIII.

Psalm.103. HIc Deus, hic spiritus sanctus, aliàs quidem mitti, vel emitti, vt supra memini mus, emitte spiritum tuum & crabuntur, aliàs autem procedere dicitur. Parum erat ad maiestatem vel gloriam eius, quòd mitti dicebatur, nisi & procedere diceretur. Etenim sæpius persona inferior mitti dicitur, & potest non suavoluntate venire vel ire qui mititur. At verò spiritus sanctus in persona sua dominus, mittente se non minor est, & sua gratia cùm mitteretur, venire dignatus est. Rectè igitur procedere, vel procedens dicitur, vt ipso verbo dominantis personæ dignitas pariter & voluntas indicetur. Procedere autem vel procedentem hunc esse, non quilibet auctor, non angelus aut propheta, sed ipse ore proprio deus & dominus noster Iesus Christus primus dixit. Cùm venerit, inquit, paracletus quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit. Et notandum, quod de seipso loquens præterito huius verbi tempore vsus est, ego enim, inquiens, ex deo processi & veni. Itemque alibi. Exiui à patre, & veni in mundum, de isto autem non præterito, sed præsenti tempore dixit, qui à patre procedit. Et enim aliter ipse à deo processit, nascendo videlicet ante secula, de secreta substantia patris, vt conderet mundum, quod semel factum est, siue assumendo carnem, vt qui inuisibilis erat, visibilis fieret, quod itidem semel factum est. Aliter spiritus iste procedit, cum subiectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit, quoties viuificat ea, quæ mortua erant, & replet ea, quæ vacua fuerant. Amplius autem atq; abundantius in illa beata vita, quam speramus, de diuina maiestate æterna processione procedit, quomodo calor de substantia ignis, quia vt iam dictũ est, ipse amor est, imò & torrens voluptatis, qui illic nunquã deficit

Ioan.15. Ioan.8. Ioan.16.

Quòd filius à patre solo processit nascendo, spiritus autem sanctus à patre procedat, & filio: & quod in enunciando nonnihil distantiæ sit, cum filius aliàs absolute pater, aliàs pater meus dicit.

CAPVT V.

SEd & in hoc differt, quia filius de solo patre processit, videlicet nascendo, vt iam dictum est, hic autem spiritus de patre filioque procedit. Nec enim quia sic dixit filius dei, spiritus veritatis, qui à patre procedit, consequitur, quòd non ab ipso etiam procedat filio, cum & hoc præmiserit ipse, quem ego mittam vobis à patre. Longe melius est, quod intelligi voluit, sic distinguẽdo, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit. Sciendum quippe quòd in nomine patris, aliàs quidem vna de tribus personis, aliàs autem sine distinctione personarum, Deus siue diuinitas debeat intelligi. Discretionis huius vis, si euangelica ritè verba perpendas, in promptu est. Nam aliàs absolutè patrem, aliàs cum possessiuo pronomine patrem meum, pater meus, patris mei dicit ipse filius Dei. Vbi sic patrem nominat procul dubio distinctionem facit personarũ, patris & filij, & quæ illic de semetipso loquitur, longè superexcellunt formam serui. Ex empli gratia. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Itẽ: Ego veni in nomine patris mei. Et alibi. Ascendo ad patrẽ meum & pa-

Ioan.15. Ioan.5. Ibidem. Ioan.20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& patrem vestrum. Vbi autem absolutè dicit pater, non vnam personam, sed simul patris & filij & spiritus sancti, vnam vult intelligi diuinitatem, & quæ illic de semetipso loquitur humiliora sunt, & formam serui non
Ioan.14. supereminent. V.g. Venit enim princeps mũdi huius, & in me non habet quicquam, sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.
Matth.11. Item: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ. Hoc animaduerso nullum mouet scrupulum, imò fidei confert plurimum, quòd ita dixerit. Cum venerit paracletus, &c. Quid
Ioan.15. enim est, quod cum dixisset, quem ego mittam vobis, addidit à patre, nisi vt intelligas quia quod spiritum sanctum mittit dei filius non est ex humanę naturę paupertate, sed ex diuinæ sufficientia naturæ? Et quid est, quod à patre meo procedit, dixit, nisi quia non ab vna tantum persona, sed absq; personarum distinctione à diuina maiestate spiritus sanctus procedit?

De processione spiritus sancti, quia non de patre solo processerit, sed de patre & filio procedit.

CAPVT VI.

IGitur filius de solo patre generatiõe processit inenarrabili, hic autem spiritus sanctus, de patre & filio processione procedit nihilominus ineffabili. Habemus tamen in hac nostræ peregrinationis paupertate, quasdã primitias intelligentię vndè sciamus, eum nõ tantum de patre, sed & de filio procedere. Ecce enim scripturam sanctam legimus. Quid autem scripturam sanctam nisi verbum Dei esse credimus? Plane multa sunt verba digesta calamo prophetarum, sed vnum est Dei verbum vniuersitas scripturarum, verbum, inquam, vnum quod velut semen de legitimo viro suo Deo fideles animæ concepe-
runt, & ore facundo parientes, signis quibusdam, id est, literis, vt nobis cognoscendum transmitterent, tradiderunt. Cum igitur scripturam sanctam legimus, verbum dei tractamus, filiũ dei per speculũ & in ænigmate prę oculis habemus. Et reuera, si beneuoli lectores sumus, si beneuoli auditores lectioni assistimus, legendo vel audiẽdo accendimur, legendo vel audiendo ad amorem dei proficimur. Nónne ergo de scriptura sancta nobis amor dei processit? Quid autem est amor dei nisi vt supra iã diximus, spiritus Dei? Procedit donum ex patre, vt per scripturam intellectã cognoscamus filiũ patris, procedit nobis amor ex intelligentia scripturæ, vt amemus patrem filij, & diligamus filium patris. Nonne ergo iam nobis etiam hoc modo spiritus sanctus ex patre filioq; processit? Igitur quoniam dum viuimus, solem illum in sua claritate fulgentem videre non possumus, saltem ex isto speculo colligere licet, quia de patre & filio procedit hic spiritus sanctus. His pro tempore & re, de adoranda maiestate spiritus sancti breuiter dictis, iã nũc in cõsideratione pulchri operis ei⁹ ipso duce pergẽdũ est

Quòd sacrarium huius spiritus sancti Beata Maria dei patris sponsa fuerit, & ex ipsa fructus omnis extiterit, propter quem antiquæ ecclesiæ virũ se fuisse deus pater asserit.

CAPVT VII.

PRimoque sciendum, beatam virginẽ Mariam templum & sacrarium huius Dei, & domini nostri spiritus sancti, sponsam esse vel fuisse Dei patris, atq; in ea completam esse causam, cur synagogam, id est, ecclesiam prioris populi, idem Deus pater se adamasse, atque in coniugium assumpsisse, tam multis
Ezech.16. testetur scripturę locis. Verbi gratia, cum in Ezechiele dicit. Quando nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pãnis. Non pepercit oculus meus super te, vt facerem tibi vnum de his misertus tui, sed proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die qua nata es. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sangui-
ne tuo, & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo, viue. Dixi, inquam, tibi cum esses in sanguine tuo, viue, multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem. Vbera tua intumuerunt, & plus tuus germinauit, & eras nuda & confusione plena. Et transiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium. Et expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait dominus Deus. Et facta es mihi, & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacinthino, & cinxi te byssino, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem super os tuum, & circulum aurib. tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro, & argento, & vestita es byssо, & polymito, & multis coloribus. Hæc vtique dicendo, virum se factum profitetur sygogæ, quam de Aegypto eduxerit, conculcatã in sanguine peccati, & fanatici erroris, quo seruierat dijs Aegyptijs atque in monte Sina, cum ea pactũ ingressus sit, & legalis scripturæ ornamenta dederit. Nam quòd pactũ inibi cum illa ingressus sit, claret, hoc modo narrante scriptura. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait. Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum. Multa eiusmodi sunt in scripturis propheticis, multis in locis, vbi virum siue maritum ecclesiæ siue synagogæ sese Deus
Exod.24. esse asseruit. Nunquid lætabunda aut ludicra leuitate, & non cum certæ rei pondere, hæc loquebatur, omnis sapientiæ pater Deus, cuius est amor magnus & immensus, hic Deus hic spiritus sanctus? Absit hoc. Actu quippe vir esse intẽdebat rationalis creaturæ humanæ, id est, filium sibi ex ea generare, quod & facere

facere iam incipiebat, cum hæc & hæc diceret, cum Moysen & prophetas mitteret. Electas nimirum, & probatæ fidei de illa gente animas, vir Deus complexibus suis, complexib. castis spiritualiter Deus spiritus sanctus admittebat, & in impetu hui⁹ amoris sui, huius spiritus sancti, semẽ suum de secretis suis, verbum suum de profundo cordis sui incutiebat illis. Susceptum in anima fideli verbum veritatis, ora sibi prophetantia sumpta voce corpora laxabat, fidemque ab auditoribus exigebat. Vndè & apud Esaiam tales
Esaia 26. animę dicunt. A timore tuo domine concepimus, & peperimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Rem veritatis non extenuet suspitio affectatæ similitudinis. Nam reuera quæcunq; sancta, & veridica scriptura nobis, de amore Dei, vel amante Deo loquitur, tam vera, tamq; constantia sunt, vt potius hæc nostra carnalia de quibus similitudines ducuntur, illis constantis veritatis quædam quasi vmbræ vel transitoriæ imagines sint. Verùm quia nobis qui de terra sumus, prius ista terrena in notitiam venerũt, idcirco istæ res, illę autem rerum similitudines ęstimantur, reuera autem illę res, istę verò rerum similitudines sunt, quę & illis permanentibus transeunt.

De beatitudine virginis Mariæ, et cur anterior ecclesia Dei patris, posterior filij Dei sponsa rectè intelligi ac dici debeat.

CAPVT VIII.

IGitur, vt iam dicere cęperamus, beata virgo Maria sponsa Dei patris erat, & causam pro qua gentis illius ecclesiam ille suam in scripturis coniugem dicebat, in ea perficere, id est, verbum suum quod modo iam dicto per corda & ora prophetarum vocale fecerat, per huius beatę virginis vterum carnem fieri ante omnia secula proposuerat. Hoc fa-
Ioan.1. cto futurum erat, vt ipsum verbum caro factum, ipse Deus Dei filius, homo factus, spõsus vocaretur & esset, atque ad susciendas conscriptiones coniugij eius, omnis ecclesia non relicto patre (quem solum prius virum suum vocare consueuerat) conueniret. Sic autem beata virgo prioris ecclesię pars optima, Dei patris sponsa esse meruit, vt exẽplar quoque fuerit iunioris ecclesiæ sponsæ filij Dei filij sui. Spiritus enim sanctus qui in vtero vel de vtero eius incarnatiõem operatus est vnigeniti filij Dei, ipse de vtero vel per vterum ecclesiæ, per viuificum lauacrũ gratiæ suæ multorum operaturus erat regenerationem filiorum Dei. Vndè nobis suo loco plenius dicendum erit. Nec verò ab re ita distinguimus, vt prȩcedentem ecclesiam patris, sequentis filij sponsam esse dixerimus. Nam quem virum non cognouerat, eius cõiunx synagoga dici vel esse non poterat. Cõstat autem, quia Dei filium illius temporis ecclesia nõ cognoscebat: nam excepto quòd pauciſsimis per prophetiæ spiritum reuelabatur, de cætero Deus absconditus erat. Ergo quia in publico conuentu, in solenni religionis illius cultu nõ apparebat, neq; adhuc rex Deus huic filio suo nuptias fecerat, nondum actu Dei filius spõsus aut maritus erat. Pater autem Deus quem solum & eundem vix synagoga nouerat, vir eius erat, & vt ꝓ viro legitimo haberetur vehementi zelo exi-
gebat. Verbi gratia. Saltem, inquit, amodo Hier.3.
voca me vir meus, dux virginitatis meæ tu es. Et multa his similia. Igitur iste vir erat. Tota autem talis viri vtilitas, totus fructus, Gala.4.
omnis affectus, totus amor, tota virtus, ac generandi vis, quomodo vbi venit plenitudo temporis in iam dictã virginem se contulerit, ipsa quę experta est melius nouit, nos aũt audiuimus tantum verba æternæ mandata memoriæ, verba Gabrielis archangeli dicentis.

De conceptu beatæ Mariæ virginis per hunc amorẽ, id est, spiritum sanctum, dicente angelo, Lucæ 1. Spiritus sanctus superuenıet in te, &c.

CAPVT IX.

SPiritus sãctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod Lucæ 1.
nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Verba, inquam, hęc nos audiuimus tantum, illa autẽ & prior audiuit, & auditu credens, cõtinuò quod audierat experiri meruit. Vbi enim benè credula mentem suam & os suũ aperuit, vt diceret. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum, mox iuxta dictum angeli hic spiritus sanctus superueniens in eam, per apertas fidei ianuas sese infudit. Quo autem sese infudit? Nimirum prius in sacrarium pudici pectoris, deinde in templum sacri & incorrupti vteri, in domum pectoris, vt prophetissam faceret, in vterum, vt matrem faceret. Nã hæc est prophetissa, de qua gratulabundus loquitur propheta sãctus Esaias. Et accesi ad pro- Esaiæ 8.
phetissam, & concepit & peperit filium. Nũ autem istum solum ad hãc prophetissam accesisse putamus, aut quomodo accedere potuerit miramur? Imò sanctos omnes prophetas, primumq; Moysen ad hanc prophetissam accesisse non dubitamus. Omnes omnì nò ad illam conuenerunt, omnium enim & singulorum diuisiuæ gratiæ, & particulares prophetiæ, in istam prophetissam simul conuenerunt, simul spiritu sancto superuenientę concurrerunt. Et beatum se Esaias, imò beatos se omnes prophetæ sancti, non immerito crediderunt, quòd hoc modo ad istam prophetissam accessuros se esse nouerunt, quòd ad istud Dei templũ, ad istud spiritus sancti sacrarium quippiam verbi boni sese afferre cognouerunt. Neq; enim hæc beata virgo particularem vt singuli illorum verbi gratiã, sed vniuersã isto spiritu sancto superueniẽte susciepit ex eo verbi Dei substantiã, & prophetissa singularis facta est, plenã spiritus sãcti gratiã suscipiẽs, totũ dei verbũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

deum verum prius mente quam ventre susci-
piens. Hoc dignè nuntius ille perpendens,
talem, tamque inauditam cunctis seculis præ-
miserat salutationem. Aue gratia plena, do-
minus tecum, benedicta tu in mulieribus.
Ad exponendā eius gratiæ magnitudinem
parum fuerat dixsse, Spiritus sanctus super-
ueniet in te, nisi addidisset, & virtus altissimi
obumbrabit tibi. Miro videlicet atque in-
effabili modo, vt fortitudinē sustinere pos-
set conceptus sui, virtus altissimi obumbra-
uit ei, virtus, inquam, altissimi, id est, idem
ipse spiritus sanctus, spiritus amoris obum-
brauit ei. Quid enim puella fragilis, non mo
do sexu, sed & conditione mortalitatis susce
pit aut concepit, nisi validum verbū deum,
validam substantiam verbi, de optima sub-
stantia patris dei, quem tremunt angeli? Ete-
nim vel aspectum eius, nulla valet ferre crea
tura, nisi hoc spiritu amoris præuenta sit,
testante scriptura cùm dicit. Sicut fluit cera
Psalm. 47. à facie ignis, sic pereant peccatores à facie
dei. Hæc autem virgo non vtcunq; aspectui
eius præsentabatur, sed de secretis paternis
totum se inserebat illi verbum dei, verbum
deus. Opportunè igitur obumbrabit illi vir
tus altissimi, virtus miraculorum potens,
fœmineam substantiam deo verbo conci-
liare valens.

*Quod non ita superuenerit spiritus sanctus, vt pro se-
mine sit, nec ipse qui conceptus est dici debeat spiritus
sancti filius.*

CAPVT X.

IDeoque ait, & quod nascetur ex te san-
ctum, vocabitur filius dei. Quia spiritus
sanctus superueniet in te, & virtus altissimi
obumbrabit tibi atque hoc modo fiet istud
quod concipies & paries filium, quæ virum
non cognoscis, ideo sanctum quod nascetur
ex te, vocabitur filius dei. Num ergo voca-
bitur aut erit filius spiritus sancti? Non vti-
que. Neque enim spiritus sanctus ita super-
ueniet in te, vt pro semine sit, aut de substan
tia sit eius caro verbi, aut filij quem conci-
pis. Concipies enim de sancto quidem spiri-
tu, sed non generante sancto spiritu. Con-
ceptus iste spiritus sancti non generatio, sed
operatio est. Caro de carne virginis, non de
ipsa erit substantia sancti spiritus. Et no-
tandum, quòd non dixerit sanctum voca-
bitur aut erit, neque erit dixit, sed voca-
bitur filius dei quod nascetur ex te. Quod
enim virgo concepit iamdudum erat. Et an-
tiqua essentia sanctū erat, filius dei erat. Re-
stabat hoc solum, vt vocaretur quod erat, &
ipsa vocatione dum vocatur filius dei, mani
festaretur nomen dei, quod nondum notū
erat, non quo dicitur deus, sed quo pater fi-
lij vocatur. Vocabitur, inquam, filius dei,
quod iam est, non adoptione gratiæ, sed pro
prietate naturæ. Item & illud notandum,
quòd non dixit, qui nascetur ex te sanctus,
sed quod nascetur ex te sanctū. Etenim mul
ti quidem sancti, vel sanctificati dicuntur,
vnum autem est sanctum, id est, sanctitas
qua sancti omnes sanctificantur. Hoc san-
ctum est iste sanctus sanctorum, quem non
in delicto præuaricationis Adæ conceptum
vel natum sanctitas accidens sanctificauit,
sed essentialiter sanctum, virgo incorrupta
de spiritu sancto concepit. Sic igitur melius
atque præstantius dictum est, vt dici debuit,
quod enim nascetur ex te sanctum vocabi-
tur filius dei. Sed nec illud vacat, quod voca-
buli positionem archangelus variauit. Nam
paulo ante, & vocabis nomen eius Iesum,
hic autem, & vocabitur, inquit, filius Dei. Il *Lucæ 1.*
lic vocabis, hic autem vocabitur, dixit. Ni- *Matth. 2.*
hilominus & ad beatum Ioseph, & vocabis,
ait, nomen eius Iesum. Etenim nomine Ie-
sū, quo plures æquiuocabantur, liberè ab i-
psa vel ab Ioseph vocari potuit, filius autem
Dei siue filius altissimi, vt vocaretur, reser-
uandum erat Euangelicæ prædicationi. Vo
cabitur ergo, id est, inuocabitur ab omni se-
culo hoc nomine quod est filius Dei, filius al
tissimi. Ecce hæc est illa noua creatura, ille
nouus homo, de quo Apostolus. Primus, *1. Cor. 13.*
ait, homo de terra, terrenus, secūdus homo
de cœlo, cœlestis. Item: Factus est primus ho
mo Adam, in animam viuentem, nouissi-
mus verò, in spiritum viuificantem. Proin-
de iam ad superiora reuertamur, & in laudē
Dei patris, qui primum illum per omnipo-
tentiam plasmauit, in laudem spiritus sancti,
qui nouissimum istum pulchris digitis cōpo
suit, duos homines istos conferentes noua &
vetera de thesauro eius proferamus.

*De plasmatione primi hominis terreni, et conceptione
secundi huius cælestis, quanto ista conceptio illa for-
matione dignior atque perfectior sit.*

CAPVT XI.

FAciamus hominem, ait pater, ad imagi- *Gene. 1.*
nem & similitudinem nostram, & præsit
piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs,
vniuersæque creaturæ, omniq; reptili, quod *Ibidem.*
mouetur in terra. Subinde sequitur, & dicit
scriptura. Formauit igitur dominus homi-
nē de limo terrę, & inspirauit in faciē eius spi
raculum vitę, & factus est homo in animam
viuentem. Hominem illum terrenum cum
isto cælesti homine conferentes, hoc primū
in factura illius abesse perspicimus, quod ter
ram ipsam, cuius de limo formaret eum, nō
benedixit Deus. Ecce autē in ista cælestis ho
minis factura noua, dicit archangelus, imò *Lucæ 1.*
qui in archangelo loquitur spiritus sanctus.
Benedicta tu in mulieribus. Et psalmista per *Psalm. 84.*
propheticā huc adductus gratiam succinit,
& dicit: Benedixisti domine terrā tuā. Am-
plius autē & in hoc terra ista præpollet, quia
terra domini est. Nō enim illic dixit scriptu-
ra, Formauit igitur Deus hominem de li-
mo terræ suæ, sed tantum de limo terræ:
hic au-

hic autem non tantum benedixisti domine
terram, sed benedixisti, ait, domine terram
tuā, &c. Qualis enim illa, & qualis terra ista?
Terra illa nullo modo seminis dei perceptibilis, vt pote irrationabilis, insensibilis, inanimata, immobilis. Terra autem ista anima ta, sensibilis, rationalis, & quod optimū est fidelis, & propter fidem spiritus sancti, & semi-
nis dei perceptibilis. Non ergo melior aut sapiētior est artifex spiritus sanctus, quā deus pater, licet iste nouus Adam, qui de spiritus sancti operatione conceptus est, melior atq; dignior illo sit vetere Adam, quem fecit pater, sed melior terra, melior & diuinæ rationi vicinior, à spiritu sancto materia sumpta est. Præterea nō eadē hic atq; illic vtriusque figuli intentio. Illic nempe, intentio patris erat condere naturam, hic intentio spiritus sancti facere gratiam. Igitur vt dicere cœpimus. Faciamus, ait pater, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Alio iam loco diximus, quia manifestè trinitas loquitur, dicendo, faciamus. Veruntamē proprium erat opus patris, facere, proprium opus filij, redimere, propriū spiritus sancti opus, illuminare, & ad similitudinem dei ho minem producere. Faciamus ergo ait homi nem. Dixit hoc, & continuò fecit hominem, veruntamen non vt proposuerat, dicendo. Faciamus hominem ad imaginem & simili-
tudinem nostram, sic subiuncta quoque nar ratio explicat hominis facturam. Ait enim. Et creauit deus hominē ad imaginem suam, ad imaginem dei creauit illum. Non dixit. Et creauit deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, non dixit, ad imaginē & similitudinem dei creauit illum, sed tan-
tum ad imaginem suam creauit, ad imaginē dei creauit. Non ergo sic omnino, vt propo-
suerat deus facere hominem, narrat eadem scriptura factum esse hominem. Et rectè at-
que prouidè, nam illa vice, illo tempore nō peruenit homo vsq; ad illam perfectionem. Factus est ad imaginē dei quia factus est ra-
tionalis, non peruenit ad similitudinem dei, quia non imitatus est donum dei. Sed nun-
quid vitium eius, propter quod à similitudi ne dei longiùs recesit, antiquum dei consi-
lium vel propositum euacuare debuit? Me-
mor igitur hic spiritus sanctus illius propo-
siti, ecce venit ad partem suam operandam, ad facturam hominis perficiendam, vt per-
duceret hominem ad similitudinem dei, ad
quam non peruenit homo, nisi participatio-
ne eius, id est, spiritus sancti. Venit, inquam,
2. Cor. 4. ipsa similitudo, venit imago dei inuisibilis, & in illa beata virgine obuiauerunt sibi, in il
la domo pudici pectoris se osculatæ sunt. Nā imago dei, vt Apostolus ait, ipse est filius dei similitudo autem vtriusq; hic est, vnus spi-
ritus patris & filij. Quapropter & illud no-
tandum, quòd non dictum sit, faciamus ho-
minem ad similitudinem & imaginem no-
stram, sed ad imaginem & similitudinem
nostram. Filius quippe, sicut non est filius
patris, & spiritus sancti, sed solius patris, sic
nō est imago patris, & spiritus sancti, sed tan-
tum patris, & idcirco non rectè sic præposte
rarem ad similitudinem & imaginē nostrā,
ad imaginem inquam, nostram, id est, patris
& spiritus sancti. Spiritus verò sanctus, sicut
est spiritus patris, & filij sic & similitudo est
patris & filij, & idcirco rectè sic dictū con-
firmamus, ad imaginem & similitudinem
nostram, similitudinem, inquam, nostram,
id est, patris & filij. Cōuenerunt igitur in hea
tam virginem similitudo atque imago dei *Psal. 84.*
inuisibilis, & sicut in psalmo canimus. Mi-
sericordia & veritas obuiauerunt sibi, iusti-
tia & pax osculatæ sunt. Veritas quippe &
iustitia secundum scripturarum auctorita-
tē, vera sunt nomina huius imaginis, id est,
filij dei. Misericordia & pax pia sunt voca-
bula, huius similitudinis, id est, spiritus san-
cti. Itaque quod dictum est, Misericordia &
veritas obuiauerunt sibi, hoc repetitum est,
dicendo. Iustitia & pax osculatæ sunt. Di-
cendo deinde, veritas de terra orta est, & iu-
stitia de cœlo prospexit, remouit impietatē
blasphemiæ dicentis, quia Iesus ex Maria ini
tiū sumpsit. Etenim vnus, idemq; dei filius,
secundū carnē quidem de terra ort est, sed
secundū diuinitatē prius de cælo prospexit.

*De consideratione operis huius spiritus sancti, cum
testimonio prophetico, quod pater deus dicit: Eructa-
uit cor meum verbum bonum, &c.*

CAPVT XII.

QVomodo autem conuenerunt in illud
sacrariū hic spiritus sanctus, & ille filij
dei, nisi mittente patre, quemadmodum di- *Psal. 44.*
cit in Dauid. Eructauit cor meum verbum
bonū, dico ego opera mea regi. Lingua mea *Gen. 1.*
calamus scribæ, velociter scribentis? Neque
enim tantummodo intelligendum est de
creatione mundi, vbi pater verbum bonum
eructabat creando quippiam, & dicendo, fi-
at, præsertim cum in isto confestim addat.
Speciosus forma præ filijs hominum, diffu-
sa est gratia in labijs tuis, &c. Ergo hic quo-
que, imò hic maximè in vterum virginis,
verbum bonū cor patris eructauit, & dixit
ipse opera sua regi. Quomodo? Lingua, in-
quit, mea, id est, spiritus meus, reuera cala-
mus scribæ velociter scribētis, verbum me-
um, verbum bonū, naturæ humanæ veloci-
ter inscripsit, & sic dixi opa mea regi, vt assū
ptum hominē nihil lateret, omniū quecunq;
feci, vt sciret facere omnia quæcunq; ego fa-
cere sciui. Igitur qui dixit olim, faciamus ho
minē ad imaginē & similitudinē nostrā, eius
spiritus hic facit hominem nouum, quem
veraciter ipsam confiteamur esse imaginem
in quo plenariam non dubitemus inesse dei
similitudinem. Et illic quidem dixit, & præ-
sit piscibus maris, & volatilibus cœli, & be-
stijs, vniuersæque creaturæ, omniq; repti-
li, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

li, quod mouetur in terra, hic autem dicit. Populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua DEVS in seculum seculi, virga directiõis virga regni tui. Ergo illum præesse iussit piscibus volucribus & bestijs, videlicet dignitate rationis, istum autem populis, scilicet auctoritate diuinæ maiestatis. Cum enim dixisset, populi sub te cadent in corda inimicorum regis, licet hoc idem sit populi, qui inimici fuerãt, te adorabunt, vera adoratione cordis, tamen ne quid deesset, saltem in proprietate vocis, continuò subiũxit. Sedes tua Deus in seculum seculi. Deum vtiq; hũc appellauit, qui tanto & multo amplius præesse debeat populis, quàm ille piscibus, volucribus, & bestijs.

Quod dictum est: Masculum & fœminam creauit eos: hic autem, ipse tanquam sponsus procedẽs de thalamo suo, quomodo illis, & quomodo illa benedixerit.

CAPVT XIII.

Gen. 1. ETillic dictum est. Masculum & fœminã creauit eos, benedixitq; illis Deus & ait. Crescite & multiplicam n Masculũ, inquit, & fœminam creauit eos. Multo hic honorificentius cùm dixisset, dico ego opera mea regi, speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, postmodum ei nuptias præparans, astitit, ait, regina à dextris. Veruntamen adhuc secretius in ipso virginei ventris hospitio scire debemus quiddam factum longè pulchrius, lõgè dulcius, eò quòd illic factum, dictumq; est masculum & fœminam creauit eos. Scriptũ est enim alibi & de isto. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Quo e enim Psalm. 18. sponsus iste de thalamo suo, nisi de sacro intemeratæ virginis vtero processit? Scire ergo debem de Deo & homine Christo, quia sanctus hic spiritus non quidem masculum & fœminam creauit eos, sed in vno vnius, eiusdemque personæ Christo, creatam hominis naturam coniunxit increato Dei verbo. Et benedixit eis, & ait: Nimirũ & hunc Deum & hominem Deus benedixit, oleo benedictionis vnxit, imò & in labijs eius omPsalm. 44. nimodæ gratiam benedictiõis diffudit, quẽadmodum dicit. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternũ. Et subinde. Vnxit te ô deus, deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Præ consortib. inquam, tuis. Non enim quẽadmodum consortes tui, qui postquam in delictis, vel peccatis concepti sunt, deinde per gratiam miseratoris diuisiua singuli percipiunt dona benedictionis, non, inquã, sic tu, sed in ipsa conceptione plenitudinem possides totius benedictionis, vt de tua plenitudine accipiant omnes cõsortes, vel participes tui. Et ad quid illis benedixit? Ad hoc nimirum, vt crescerent & multiplicarentur. Sic enim dixit. Crescite & multiplicamini. Et illa quidem bene dictio, quantum quidem ex Deo, irrita fieri non potuit, quantum autem ex homine, penè irrita facta est, ita vt melius nobis esset, si non fuissemus nati, si non creuissent homines, & nõ fuissent multiplicati nisi subueniisset, benedictionem repetendo auctor benedictionis. Huic autem ad quid Deus benedixit? Ad quid illum vnxit oleo lætitię præ participibus suis? Nimirum, vt & ipse crescerет, & multiplicaretur, crescеret in persona sua, quia erat minutus paulo minus ab angelis, Hebr. 1. proficeretque vsque ad dexteram maiesPsalm. 1. tatis in excelsis, & omnia subijcerẽtur illi, multiplicaretur in filijs suis, imò fratribus suis & cohæredibus, filijs Dei, filijs adoptionis. Ad hoc benedixit huic benedictione regali, benedictione sacerdotali. Omnes quippe, qui eius benedictione creuerunt & multiplicati sunt, reges sunt, sacerdotes sunt, vndè & gra Apoc. 5. tias agẽtes dicunt. Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. In istis ratum veraciter permanet illud, quod subiungitur benedictionis edictum. Et replete terrã & subijcite eam. Subijciunt enim terrenitatem suam, & dominãtur bestijs, id est, bestialibus suis, subditorumque sibi hominum vitijs.

Quod homo vterque & primus ille & secundus iste formatus sit de limo terræ, & quid magis in isto nõ solum venerabile, sed & mirabile, & quod causa nõ sit, cur verbum vel hic spiritus sanctus vterum fœmineũ debeat horrere.

CAPVT XIIII.

FOrmauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ, & factus est homo, subauditur ille primus, in animam viuentẽ, iste verò nouissimus in spiritum viuificantem. Hoc nimirum tam de isto nouissimo, quàm de illo primo veraciter prædicatur, quòd tam iustum, quàm illum formauit dominus deus de limo terræ. Cæterùm in omni multitudine filiorum hominum nõ fuit, nec est, nec erit, de quo idipsum eodem modo veraciter prædicari possit. Nam omnes quidem homines formantur de limo terræ, sed longè alio modo alio ordine, id est non nouo opere, sed vsu naturæ. Ambos istos formauit dominus Deus de limo terræ, sed illum quidem dominus de limo terræ insensibilis & inanimatæ, istum autẽ spiritus sanctus de limo terræ, sed animatæ, id est, de humore carnis virgineæ sua formauit operatione. Et illum quidem absque patre & matre, istum autem de matre sine patre. Vtraque formatio mirabilis. Veruntamen contra argumentatores hæreticæ temeritatis dicentes, quomodo de virgine homo formari vel nasci potuit, nec tamen dicentes, quomodo de limo terræ primus homo formari potuit, istam quidem mirabilem sed illam dicere non dubitamus mirabiliorem. Mirabilius quippe est, de terra inanimata hominem fieri, quàm de carne fœminæ, licet virginea, hominem concipi aut nasci.

Ergo

Ergo ista quidẽ formatio venerabilior, sed illa mirabilior. Cæterùm, si ad magnitudinẽ dignationis respicias, nihil mirabilius inter omnia quę facta sunt, siue in cœlo, siue in terra, quã id, quod deus dignatus est cõcipi vel nasci de fœmina. Nec enim adeò miramur, quod omnipotens virgini conceptum vel partum dare potuit, mirari autẽ multò maximè simul & venerari debemus, quia tantus hoc voluit, quia fœmineum deus Dei filius, Deus dei spiritus vterum non horruit. Non horruit, inquam, verbum dei, verbum deus, quin fœmineæ carnis humori, quasi coagulum se cõmiscеret, non horruit spiritus dei, spiritus deus, quin admotis omnibus digitis suis, corporis humani vasculum de illa substantia studiosus figulus perficeret. Attamen si ad rationem attendas, quæ causa erat, vt creaturam suam horreret diuinitas? Tu enim quisquis tale quid perhorrescis, perpende ipsum horrorem tuum, vtrum ex sensu, an ex ratione sit. Differt enim vtrum ex sensu, an ex ratione sit horror, à quo quipiã patiaris. Denique in multis sensus magis horrescit id, quod rationis iudicio præcellit. Verbi gratia. Serpentem magis quàm lapidẽ tangere perhorrescis. Sed rursus iudicio serpentem lapidi præferre non dubitabis, videlicet eò quòd lapis insensibile & inanimatũ, serpens autem animatum & sensibile corpus sit. At verò deus nullis sensibus fungitur, Deus dei filius, non sensu, sed ratione agit, imò ipse sempiterna ratio est. Sed si ritè perpendas, horror tuus quem super fœminea natura pateris, magis ex sensu, quàm ex ratione descendit. Igitur nihil erat propter q creaturam suam, id est, naturam fœmineam abhorreret dei filius, præsertim quam illi præparasset, quamq; ab omni corruptione immunem conseruaret hic sanctus dei spiritus, qui, vt iam dictũ est, totus in ratione est, & nullis subiacet sensibus impassibilis deus.

Quod dictum est: Speciosus forma præ filijs hominũ, & quòd primus homo tantum formatus, hic autem & forma & formatus rectè dicatur.

CAPVT XV.

TAndem formatum istum ab illo formato discernimus, nõ tantum in eo, quod istum spiritus sanctus de virgnea carne, illum autem formauit Dominus Deus de limo terræ, verum & ipsa formationis dictione. Dicimus nanque, quia formatus ille, formatus tantum, hic autem formatus, & ipsa forma est. Quod vt manifestius fiat, diffinitè oportet dici, quid sit formatum, & quid solummodo forma. Formatum id quod constat ex materia simul & forma, simpliciter verò forma, dicitur forma carẽs materia. Tale autem nihil est, præter vnum Deum. Solus quippe ille est forma carens materia. Neque enim ex vlla consistit materia, quippe qui creatus vel factus non est, vnde & nullis accidẽtibus subiacet, & incommutabilis est. Cætera formata sunt, id est, ex materia, formaque consistunt, vt verbi gratia, statua. Consistit enim ex materia fortè ærea vel lapidea, & forma, quamcunq; artifex voluit, scilicet hominis, equi, aut cæterorum cuiuslibet generis. Sed nec ipsum æs simpliciter forma est, consistit enim ex materia sua, id est, terra. Terra quoque formata est, & non simpliciter forma. Dicitur enim terra, quod sit grauis & sicca. Hoc ergo formatum & forma differt, quod forma simplex solus deus est, qui formatus non est, formata verò cætera, quorum sine dubio potissimum homo est. Nemini quippe dubium quia formatus est, & quia materia eius terra est. At verò primus ille Adam homo tantum, hic autem secundus & deus & homo est. Igitur formatus ille vti ante proposuimus formatus tantum, hic autem formatus & ipsa forma, vnde & formosus vel speciosus rectè dicitur, speciosus, inquam, forma præ filijs hominum. Pulcherrimum hoc atque pijssimum huius Psal. 44. spiritus sancti opus est, quod interuentu amoris æterni, qui ipse est, formam domini, formato coniunxit homini, coniunctione sempiterna, coniunctione indissociabili, ita vt forma & formatus vnus sit formosus, vnius personæ speciosus deus & homo Iesus Christus.

Quòd in eo quoque distantia sit, quia in faciem illius primi inspirauit Deus spiraculum vitæ, in isto autem totus requieuit spiritus vitæ, spiritus gratiæ.

CAPVT XVI.

ET inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Hoc de illo simpliciter intelligatur, Gen. 2. quia cùm formatũ esset corpus de limo terræ, tunc demũ inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, id est, creatam indidit illi substãtiam viuentis animę. Hoc etenim astruit scriptura continuò subiungens, & factus est homo in animam viuentem. Cæterùm, de isto dignius atq; diuinius intelligi oportet, quia inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, id est, inspirauit in faciem eius spiritum vitæ, spiritus sanctus plastes eius, opifex mundi tiæ eius, vt requiesceret in eo statione æterna permansurus. Hic enim erat ille flos eius, illa requies eius, quem ipse sibi prophetica veritate pollicebatur. Esaia dicente: Et egre Esa. 11. dietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Quàm autem in faciem eius inspirauit hoc spiraculum vitæ? Nimirum in substantiam rationalis animę. Neq; enim dubiũ cuiquam licet esse, qui totum hominem, id est, corpus & animam fecerit spiritus sanctus, totum, inquam, hominem assumpserit verbum dei, verbum deus. Non iuxta quosdã hæreticos, verbũ in carne pro anima fuit,

neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

neq; iuxta alios nimium brutos animam irrationalem & brutam assumpsit, sed veram carnem & animam rationalem, totum hominē verū, Deus verꝰ assumpsit, quia videlicet totus in anima & corpore perierat homo, & idcircò totum, id est, anima & corpus à redemptore susci oportebat. In illam faciē, in illam glorioſæ animæ rationem totus spirauit spiritus iste, creaturamq; creatori, substantiam creatam deo increato condignam sua fecit plenitudine, id est, sapientia maturam, intellectu dilatatam, consilio prouidā, fortitudine constantem, scientia disertam, pietate mitem, sancto timore humilem. Nō enim verbum Deus hoc indigebat, vt spiritu sancto repleretur, quippe de quo æquè vt de patre deo procedit idem spiritus sanctus, sed anima creata nostræ inopis naturæ creatura cum carne sua hoc opus habebat, vt acciperet hunc spiritum, quem & accepit non ad
Ioan. 3. mensuram, vt testatur Ioannes dicendo. Nō
1.Cor. 15. enim ad mensuram dat Deus spiritum, sed totam, vt iam dictum est, septiformen spiritus gratiam, vnde & factus est homo in spiritum viuificantem.

De comparatione dictionum, quibus dictum est: Factus est primus homo in animam viuentem, nouissimus in spiritum viuificantem.

CAPVT XVII.

1.Cor. 15. COnferamus hanc quoque Apostolicæ diffinitionis partem, qua dicit in spiritū viuificantem, cum illa vetustiore qua dictū est in animam viuētem. Veraciter in ista plenitudine diuitiarum, in illa tenuitas inopiæ est. Cùm enim dicit in animam viuentem, subaudiendum est, & non viuificare valentem. Nam reuera noster ille parens sic factus est homo viuens, vt naturaliter posit traducere semen ad propagandam sobolem, verū in potestate non habuit, vel ipsi semini suo dare animam viuentem, vel iam viuenti animæ sobolis suæ gratiam conferre spiritualē. At verò isto præcursore suo Ioanne prior, ac per hoc sine dubio sua propria carne antiquior sic factus est, vt nihil secundum animalem hominem generaturus, ab illo in carne generatos prius siue posterius, viuificaret in spiritu, quemadmodum idem præcursor
Ioan. 8. eius testatur, & de plenitudine, inquiēs, eius nos omnes accepimus. Nam & antequam homo fieret gratiam prophetalem, & postquā homo factus est, acceperunt prophetæ de plenitudine eius in hoc eodem spiritu peccatorum remissionem. Igitur longè minus est in animam viuentem, longè altius in spiritum viuificantem. Quamuis autem & post illum Apostoli atque Apostolici viri catholici episcopi atque orthodoxi presbyteri, prædicando, baptizando viuificent, vnus tamen & solus hic homo factus in spiritum viuificātem. Neq; em̄ nos aut priores nostri de plenitudine accepimus Apostolorum, sed de ista plenitudine eius, de qua Apostoli & prophetæ acceperunt. Nihil quippe nobis aut sibimetipsis, sine illo facere potuerūt. Cœpto sequamur ordine operationem spiritus sancti, in isto homine cælesti, formam eius aspiciendo in illo terreno, quam & Apostolus breuiter præostendit, dicendo: qui est forma futuri. *Rom. 5.*

Quòd illum quidem Deus in paradyso voluptatis posuit: in isto autem, quod est mirabilius, quendam paradysum sanctus spiritus contulit, & fluuium inde doctrinæ Euangelicæ produxit.

CAPVT XVIII.

PLantauerat autem DOMINVS Deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Produxitque dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignum etiam vitæ in medio paradysi, lignūq; scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Reuera & antequam flos iste de virga stirpis Iesse ascenderet, plantauerat idem Dominus, idem Deus spiritus sanctus, paradysum voluptatis spiritualem, & in eo omne lignum pulchrum visu, & suaue ad vescendum, sed super nullum lignorum omnium potuerat requiescere. Paradysus quippe sanctorum antiquorum patriarcharum & prophetarū erat ecclesia, & in ea pulchrum lignum Abraham, pulchrum lignum Isaac, pulchrum lignum Iacob, pulchra & suauia ligna cæteri patres sancti & iusti, quorum fidei fructus hodie quoque legentibus ad vescendum, id est, imitandum valdè suauis est. Et super talium flores lignorum aliquando hic spiritus Domini residebat, sed, vt iam dictum est, super nullum istorum requiescere poterat. Plantauerat, inquam, Dominus huiusmodi paradysum voluptatis ab initio, id est, à primo electo. Primus quippe electus, prima huius paradysi fuit plantatio. Et illum quidem hominem posuit dominus Deus in locali paradyso, hunc autem paradysum spiritualem, quod mirabile est, posuit spiritus sanctus in homine isto. Attamen *Coloss. 2.*
cui mirum hoc videbitur, ritè perpendenti amplitudinem animæ eius? Nec enim paruæ amplitudinis est anima, in qua plenitudo diuinitatis inhabitat. Igitur, vt verius dicam, ipsa talis anima paradysus delitiarum dei facta est totum intra se plantatum continens paradysum scripturarum, lignum etiam vitæ in medio paradysi, id est, ipsam verbi æterni substantiam in medio suo, lignū quoque scientiæ boni & mali, id est, tentationes ex nobis susceptæ infirmitatis. Nam quia per illud lignum primus homo tentatus & victꝰ est, rectè illo infirmitas humana intelligitur, per quam iste tentatus fidelis inuentus est, tentatus, inquam, per omnia pro similitudine absque peccato, vt qui iam nouerat per scientiam, cognoscere etiam experimen-

to figmentum nostrum, sciret expertus reprobare malum & eligere bonum. Veruntamen & secundum quendam modum, istū quoq; posuit in paradiso, factum scilicet ministrum circuncisionis, vt opera spiritus in
Hebr. 4. *Esaiæ 7.* illo paternæ legis hortō operaretur. Fluuius qui nobis de paradiso isto egreditur, euangelica doctrina est. Huius doctrinę fluuiꝰ quatuor capitibus. i. quatuor euāgelijs nobis distinguitur, siue quatuor sacramētis Christi principalibus. i incarnatiōe, passiōe, resurrectione, & ascēsione eius, quorū fide & cōfessiōe, vniuersus per baptismū irrigatur orbis.

Quomodo istum spiritus sanctus iterata positione in paradiso posuit, & quomodo tentatus iste tentatorem qui primum hominem vicerat, vicit.

CAPVT XIX.

Gen. 1. TVlit ergo dominus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operare tur & custodiret illum. Iam hoc dictum fuerat, quia plantauerat dominus Deus paradisum voluptatis ab initio, in quo posuerat hominem quem formauerat. Num ergo bis ille positus fuit in illo paradiso? Non vtiq; terrenus ille homo bis positus fuit, sed hic cælestis homo in spirituali paradiso iterata positus est positione spiritus sancti. Cum enim iam illum posuisset, illa quam diximus positione incarnationis, posuit illum idem iste spiritus positiōe iniunctę prędicationis. Cuius videlicet secundæ positionis hic modus
Luce 3. est. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante apertū est cælū, & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut colūba in ipsum. Ac deinceps. Iesus aūt plenus spiritu sāctο, regressus
Ibid. 4. est ab Iordane, & agebatur à spiritu in desertū. Hic positionis modus & secundū prędicta literā, & secundū rē prędictę, à priore differt. Dictum quippe est prius, quia posuit in paradiso hominē, quem formauerat, & nihil additū est, post verò vbi præmissum est, tulit ergo dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, additur, vt operaretur & custodiret illum. Sic nimirum prima positione, qua posuit hunc cælestem hominem sanctus iste spiritus in paradiso suo, prima, inquam, positione incarnationis vsque ad annum tricesimum tacetur de omni conuentione cuiusquam operis, hac autem iterata positione sic ipse fecit, & dixit. Re-
Luce 4. gressus est in virtute spiritus in Galilæam, & venit Nazareth, & intrauit secundum cōsuetudinem suam synagogam, die sabbati, & surrexit legere, & traditus est illi liber Esaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat. Spiritus domini su-
Esaiæ 61. per me, propter quod vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, & prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissiōem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis. Et cū plicuisset librū, reddidit ministro & sedit. Et omniū in synagoga oculi erāt intendētes in eum. Cepit aūt dicere ad illos. Quia hodie impleta est hæc scriptura in aurib. vestris. Tulit ergo veraciter dñs Deus, tulit dominus & Deus spiritus sanctus hominem suum, hominem cęlestē & nouum, & posuit eum in paradiso voluptatis suę, in paradiso ecclesię, iam non qualemcunq; paradisum, sed paradisum delitiosę habitationis suæ, ex eodem tempore, vt operaretur & custodiret illum, operaretur, inquā, secundum columbinam ipsius spiritus sancti simplicitatem, custodiret contra serpentinam diaboli calliditatem. Etenim hoc maximè ex aduerso respondet, quòd ad illum terrenum hominem, diabolus in serpente dimissus est, super istum cælestem hic spiritus sanctus in specie columbæ emissus est. Vndè & ille per illum serpentem in tentationē in-
Matth. 4. *Lucæ 4.* *Mar. 1.* cidit, iste per columbā. i. per illū spiritū pietatis tentatorē vicit. Cùm enim ab isto spiritu actus in desertum homo iste ieiunando quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & nihil manducando, illius hominis gula naturali esurire vapularet, dixit illi diabolus, ille serpens antiquus, Si filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat. Respondit ille, quod hæc colūba mitis, hic spiritus sanctus innuit, qd' colūbina scriptura sancta voce præmonuit.
Deut. 8. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Sic incontinentis gulæ dedecus, continentiæ pulchritudinem superinduit, & sic columba cum serpente miro certamine, simplicitate malitiosum elusit, paulatim deinde ad profectū deducens hominem, donec perfecta obediē tia totū conculcaret & contereret caput atq; corpus serpentis. Sed iam ipsam columbam maximè sermo intēdat, cui maximè hæc nostri opusculi dicata est pars.

Cur secundo super illum hic spiritus venit, cur per columbam magis quàm per aliam speciem illum designare voluit.

CAPVT XX.

PRimo quærimus, quæ fuerit causa, vt super istum hominem suum, veniret spiritus sanctus, nō quomodocunq;, sed sicut columba? Et à quo conuenientius quærimus quam ab eo, qui vidit, & illo viso testimoniū perhibuit, quia hic est filius Dei. Ait enim. Et ego nesciebam eum. Sed vt manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Ité. Et ego nesciebā eum. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille dixit. Super quē videris spiritum descendentem, & manentē super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Ergo Ioānes eum quęrebat, & scire volebat, quem secundum faciem non sciebat, *Ioan. 1.*
& scire volens altis profundi desiderij suspirijs cælum pulsabat, vt sibi manifestaretur ille, quē venisse in spiritu sciebat, in facie non cognoscebat. Neq; enim ille testimonio quę ritādo sese ingerebat. Apud se latebat, semet ipsum nō clarificabat, humilitatis exemplū

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus prębens, quod Apostolus suis, vtiliter prædicaret, dicens. Nec quisquã sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui locutus
Hebr. 5. est ad eum, filius meus es tu, & cætera. Igitur non vt esset Christus, id est, non vt tunc primùm vngeretur, qui in primordio suæ conceptionis plenariè fuerat vnctus, sed vt manifestaretur in Israel, qui esset Christus, idcirco super vnctum venit vnctio eius, venit visibili specie, super Christum ipse spiritus eius. Verùm itidem per aliam speciem manifestare illum poterat idem spiritus. Quare ergo super ipsum apparuit sicut columba magis quàm sicut ignis aut flamma? Ad quod dicendum, quia illo vel illo tali indicio, quilibet mediocriter vnctus, didignè manifestari poterat, id est, in quo nõ principalis, sed plebeia, in quo particularis dari significaretur gratia, & non ipsa inhabitare gratiæ vniuersitas. Hic autem ille manifestandus erat, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Tale igitur pro manifestatiõe eius dandum erat signum, quali nunquã ante vel post designari decuit quenquã sanctorum. Quid enim columba? Vtiq; quiddam
Coloss. 2. totum, caput & membra, corpus integrum. Hoc ergo significabat, quia in isto singulari ter vncto tota plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, corporaliter, inquã, id est, sicut integro corpore columba super eum, & in ipso manens apparebat, nulla corporis parte mutilata columba, nullam septiformis spiritus gratiam, magno huic sacerdoti deesse significat, vndè & adoptionis pater, & omnium filiorum dei summus princeps, & magnus est pontifex. Deniq; Matthæus regno, Lucas maximè intendit eius sacerdotio, cuius videlicet sacerdotis magni generationem sanctam conceptionemq;, sancti spiritus operatione celebratam, de qua pro posse dixi mus, ore sacro vitul⁹ disertus denarrat. Qua propter & illud notandum, quia quod Matthæus non fecit, hic in generatione scribenda sursum ascendit, totam contexens generationem optatiuam, quę ministerij sacerdo talis est. Etenim sacerdotis huius non erat secundum carnem gignere, sed secũdum spiritum sanctificare. Itaq; cum Matthæus genituram carnis penè in directum descenden do deduxerit, hic, ne vno quidem gradu carnalis genituræ sursum ascendendo verbum tetigit, sed sic incipiendo, vt putabatur filius Ioseph, co tinuò subiunxit. Qui fuit Heli, subauditur filius optatiuus. Nam secũdum carnem nõ Heli, sed Iacob fuerat pater eius. Post hoc initium nusquam vsus verbo, quo vtitur Matthæus, id est, genuit, non carnalẽ hominis, sed spiritualem sacerdotis generationem sese intendere satis ostendit.

De singularu proprietatibus gratiarum, quas omnes in eum contulit, scilicet, sapientiæ, intellectus, &c.

CAPVT XXI.

ACtibus subsequentibus singularũ discernere proprietates gratiarũ, operæ precium est, scilicet sapientiæ, intellectus, cõ *Esaiæ 11.* silij, fortitudinis, scięt̃ię, pietatis, timoris. Nimirum illud sapientiæ magis proprium est, quòd statim in desertum actus ab eodem spiritu, cum ieiunasset quadraginta diebus & *Matth. 4.* quadraginta noctibus, antiquas tẽtatoris ad *Marc. 1.* missi vicit fraudes peccatũ fugiens, quę sum *Lucæ 4.* ma sapientia est. Habet tamen hic locus nõ nihil de proprio scientiæ, videlicet quòd responsa sua de scripturarum thesauro sumit, ac dicit. Scriptum est, quia non pane solo vi*Deute. 8.* uit homo, sed in omni verbo Dei. Scriptum *Deut. 6. 26.* est. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Scriptum est: Nõ tentabis dominum Deum tuum. Intellectus est, quod cum traditus esset ei liber Esaiæ prophetæ, & in*Esaiæ 61.* uenisset scriptũ. Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare cõtritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cęcis visum, dimittere cõfractos in remissionem, hodie, inquit, impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Cum enim hæc dicit, spiritualem vti que spiritualiter contritorum sanationẽ spiritualem, spiritualiter captiuorum remissio nem spiritualem, spiritualiter cæcorum visum spiritualem, spiritualiter confractorum dimissiõem intelligit atq; intelligi vult. Porro absconditi consilij, quædã oculos vel au*Lucæ 4.* res habentib. signa profert, cum dicit. In ve*3. Reg. 17.* ritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra. & ad nullã illarum missus est Helias, nisi in Sareptha Si*4. Reg. 4.* doniorum ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, & nemo eorum mundatus, nisi Naaman Syrus. Hæc enim cum dicit, veraciter illud cõsilij se apud se habere innuit, scilicet vt superbientibus Iudæis clauso misericordiæ cęlo, cunctã legalis ac propheticę gratię pluuiam, ad gentes commigrare faciat, & lepra peccati illorum non curata, leprã gentiũ mundare properet, lauacro septemplici. i. omnimoda spiritus septiformis gratia. Fortitudinis primus est actus, vbi cum eiecissent illum extra *Lucæ 4.* ciuitatem, & duxissent illum vsq; ad superciliũ montis, supra quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eũ, ipse transiens per medium illorũ ibat, maius vtiq; fortitudinis opus in hoc ipso significans. Quod est illud? Nimirũ quia tandẽ illũ post multas persecutiones in infernũ præcipitatũ esse volentibus, ipse de morte ad vitã, siue per mortẽ in gloriã suã transiens, ecce per mediũ illorũ iuit per mediũ illorũ persequentium, & non videntium, ad credentes & illuminatas gentes transiuit. Amplius autẽ fortitudinis erat, quod ex præsentia eius torquebantur, & tor-

& tormenta sua confitebantur dæmonia, dicentia. Sine, Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scimus quis sis, sanctus Dei. At ille increpans non sinebat ea loqui, dicens cuipiam illorum, obmutesce & exi. Quantæ fortitudinis hoc esset initiũ vel signum, ipse quodam loco sic parcè innuit.
Lucæ 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sũt ea, quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quib. confidebat, & spolia eius distribuet. Scientię illud erat, quod iam supra tetigimus, quia tam prompte, tam conuenienter pro re & tempore, semper vbique sumpta de omnibus scripturis proferebat testimonia, vt mirãtes dicerẽt aduersarij. Quo modo hic literas scit, cum non didicerit? Pietatis illud esse nemo qui nesciat, quod intelligi vult huiusce modi parabolas, dicendo.
Ioan. 7. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones. Item, Ira*Lucæ 10.* tus paterfamilias, quia fecerat cœnam magnam, & omnes qui vocati erant, cœperunt simul excusare, dixit seruo suo. Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. Item: Quis
Matth. 22. ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto & vadit ad illã quę perierat, donec inueniat illam? Et cum inuenerit illã, imponit in humeros suos gaudens.
Lucæ 14. Item: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescẽtior ex illis patri. Pater, da mihi portionem substantię, quæ me contingit.
Lucæ 15. Item: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illũ, quasi dissipasset bona ipsius, & reliqua. Hæc deniq; venerãda pietatis insignia sunt, quòd videlicet Samaritanus misericordia motus super illũ, qui incidit in latrones, appropinquauit & alligauit vulnera eius, infundẽs oleum & vinum, & imponens in iumentum suum, duxit in stabulum, curam illius agẽs. Itemque alibi. Quòd misericordia motus, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, qui per pœnitentiam est reuersus, suomet iudicio, iam non dignus vocari filius, & occidit ei vitulum saginatum, dicens, manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est. Quòd pastor bonus ouem, quæ errauerat requisitam & inuentã, in humeros suos gaudens imposuit, quòd iuxta exemplum villici iniquitatis, quem laudauit dominus, quia prudenter feciſſet, nobis agẽdum censuit, facite, inquiens, vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula. Illud tandem sancti & venerãdi timoris est, quòd non iactabundo contemptu mortis sese offert, sed pauens & tædiũ patiens positis geni*Marc. 14.* bus orat. Abba pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer calicem hunc à me, eodemq; timore reuerendo multum submissus, sed nõ, inquit, quod ego volo sed quod tu. Amplius autem in eo veri & perfecti est insigne timoris, quòd apparuit illi angelus de cęlo cõfortans eum, & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Videlicet futuris martyribus, dare illum decebat exemplũ vtile, vt nõ pręsumerẽt de virtute tolerãtię, sed soliciti pauerent in humilitate patientię.

De septem naturalibus columbæ virtutibus, quomodo per singulas illarum singulæ virtutes vel gratiæ significentur, & quibus modis eas dẽ columbæ virtutes spiritualiter in suis actibus Christus habeat.

CAPVT XXII.

IGitur totus super illum requieuit septiformis gratiæ spiritus, secundum signum quo idipsum manifestaretur. i. secundum columbæ integrum corpus. Quapropter nec illud prætereundum, quia volucris huiusce, scilicet columbæ natura fungitur septẽ suis virtutibus, quadam similitudine congruentibus septẽ huius spiritus sancti gratijs, quas diximus. Primo, sedet enim super riuos aquarum, vt accipitrem (conspecta eius vmbra) velociter effugiat. Secundo, nihil viuũ comedit. Tertio pullos alienos nutrit. Quarto in foraminib. petræ nidificat. Quinto grana candidiora colligit. Sexto, felle caret. Septimo, gemitum pro cantu habet. Deinde in eo quod iuxta fluenta residens accipitrem præcauet, sapientiæ in eo quod pullos educat alienos, consilij, in eo quod in foraminib. petræ nidificat, fortitudinis, in eo quod grana cãdidiora colligit, scięt̃ię, in eo quod felle caret, pietatis, in eo q; gemitũ pro cãtu habet timoris quædã imago est. Sedet enim iste spiritus sanctus, imo is in quo est spiritus sanctus, maximè hic totius plenitudinis ei⁹ possessor dominus noster, iuxta plenissima sedit fluẽta scripturarum, cunctas antiqui hostis præuidens, & potenter pręcauens tentationes, quod sapientiæ est. Nihil viuum comedit. i. neminẽ vnquã iustũ cõdẽnauit, aut certè neminẽ malè viuum. i. concupiscẽtijs, & vitijs militantẽ sibimet per acceptionem personarũ, concorporauit, quod intellectus est. Alienos pullos nutrit. i. gentes abactis Iudæis nutriendos recipit, qui eramus alieni à testamento Dei, quod incõprehensibilis & inuestigabilis consilij est. In petra nidificat, quo serpẽs accedere nõ possit. i. in vulnerib. passionis suę spẽ suorũ collocat. Vndè diabolus rapere non possit, quod fortitudinis est. Grana cãdidiora. i. lucidiores de aceruo scripturarũ, in omni sermone suo sententias cõgerit, quod scientiæ est. Felle caruit. i. mala pro malis, vel maledictũ pro maledicto non reddidit, quinetiã pro interfectorib. suis exorauit, dicendo. Pater dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt, quod pietatis est. Gemi*Lucæ 23.* tũ pro cantu habuit. i. gemitib. inenarrabili*Hebr. 5.* bus, & vt ait Apostolus, Cũ clamore valido

Universidad de Deusto
Biblioteca

& multis lachrimis pro nobis exorãs, obediens fuit vsq; ad mortẽ, quod timoris est.

Quòd huius rei signum fuerit ipsa columba, quã firmiter teneat ecclesia, videlicet quia hic est qui baptizat.

CAPVT XXIII.

CVius tandem rei signum, vel manifestatio, illa talis species erat? Nimirum sacerdotis singularis, & Baptistę vnici domini nostri signum hoc erat, in eo quod baptizat. Sic enim dictum est. Super quem videris spiritũ
Iohan. 2. descendentem, sicut columbam, & manentem in eo, hic est qui baptizat. Non dictum est, hic est filius dei, siue hic est Christus, quãuis & hoc veraciter dici potuisset, sed hic est, qui baptizat. Ergo Baptista Ioannes, Baptistam querebat, baptismum suspirabat, id est, hunc effectum, hanc vtilitatem intendebat, ob quam venisse gaudebat, Christum videre, videndumq; indicare sitiebat, vt ille in spiritu sancto baptizaret. i. peccata mundi tolleret. Totus quippe mundus in sordibus, omnis homo immundus erat, & illotus. Non sola gentilitas sanguinis fluxu sordebat, sed & synagogæ oẽs iustitias, spiritus iste sanctus, per prophetas panno menstruatæ similes es-
Esaiæ 64. se cẽsebat. Quid ergo, inquis, Abraham? An non saltem ille mundus fuerat, dicente scriptura. Credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam? Non vtiq; iam propter iu-
Gene. 15. stitiam illam mundus fuerat, sed propter iustitiam illam istum emundatorẽ, promissione accepta sperare meruerat. Idcirco donec veniret iste qui baptizat, ille & omnis posteritas eius, verbo promissionis tantummodo catechizata, foris expectabat, cęlesti ecclesię, nondũ in visione Dei communicabat. Quid ipse Ioannes, qui adhuc ex vtero matris suæ spiritu sancto repletus est? Quare ergo dicebat, ego à te debeo baptizari? An non vbi exultauit in vtero matris suæ, ad vocem saluta-
Matt. 3. tionis Mariæ, potuit mũdari eodem quo exultauit gaudio spiritus sancti? Non vtiq; iam propter hoc mundus erat, non iam propter hoc maculam culpæ originalis exuerat. Nõ ille in remissionem peccatorum, sed in propheticam, imò plus quàm propheticam gratiam illic acceperat spiritum sanctum. Igitur suum & vniuersi mundi baptismum, atque
Ioan. 1. Baptistam Ioannes desiderabat, & illi desiderio responsum est, super quem videris spiritum descendentem sicut columbam, & manentẽ in eo, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et quomodo Simeon ille iustus, expe-
Luca 2. ctans consolationem Israel, in quo hic spiritus sanctus erat, responsum ab ipso accepit, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Deum, sic iste neq; Simeone, neq; vllo sanctorum in sancto desiderio minor, accepit responsum gratiæ in se habitantis, ꝙ non prius perficeret cursum suum baptizando in aqua, nisi prius videret istum qui baptizat in spiritu sancto, peccatorum remissionem tribuendo omni mundo.

Quod verè omnes electos baptizet & baptizauerit iste vnus, vnius spiritus sancti gratia, et quòd istud tenendum sit contra hæreses, & scismata infidelium.

CAPVT XXIIII.

NOn autẽ est dictum solummodo propter communem, quæ tunc erat humani generis indigentiam, sed & propter seruãdam in futura ecclesia pacis charitatisq; custodiam, & sic dictum, & sic tale datum est signum. Deniq; illud constans est, & nemini
Apoc. 1. dubium esse licet, quin sanctos omnes, qui illum per præteritas generationes ab origine mundi expectauerant, omnes, inquam, vsq; ad illum electum latronem, lauit per semetipsum à peccatis omnibus, in spiritu sancto, in aqua & sanguine profluente de latere suo. Futurum autem erat, vt per ministros gratiæ suæ, baptizaret eos, qui crediturí erant, in hoc eodem spiritu sancto, in eiusdẽ aquæ & sanguinis sacramento. Hic nimirum non desuturæ erant lites coruorum rixantium seorsum, ac seorsum baptizantium, & cõtra alterutros dicentium. Ego baptizo, ego sanctifico. Ille adulter, ille ebriosus, aut fornicarius, nunquid te baptizare, nunquid te sanctificare poterat? Illius vel illius, qui te baptizauit fides, sine operibus erat mortua, mortuum itaq; tibi dedit baptisma. Benè ergo & oportune pacifica designãte columba, dictũ est, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Ad-
Luca 3. eo nanq; proni ad scissuras futuri erant, qui baptizarentur, vt nõ modo pro bonis aduersus malos, sed & pro bonis aduersus bonos, quasi pro optimis baptizatoribus suis aduersus baptizatores minus bonos inflarentur, atq; rixarentur. Sic illi iam facere cœperant,
1. Cor. 1. quibus vas electionis Apost. dicebat. Significatũ est mihi fratres de vobis ab his qui sunt Cloes, quia cõtentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod vnusquisq; vestrum dicit. Ego sum Pauli. Ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego aũt Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Benè hic attẽderat quid mallet colũba mitis. i. hic spiritus pietatis, spiritus vnitatis, & pacis, vnũ designãs atq; dicens. Hic est qui baptizat. Ac si diceret. Siue per bonos, siue per malos, siue per summos, siue per infimos, visibiliter operetur ecclesia ministros, hic est q̃ inuisibiliter baptizat in spiritu sancto. Verùm de illo dñi Christi, & huius spiritus sancti baptismo plenius post aliqua dicendum erit. Nũc interim illud dictũ sit, quia sanctus iste spiritus vnicã & condignã sibi mansionem
Matt. 3. tandẽ se adeptum esse, imò se sibi fecisse de-
Luca 3. clarauit. Vbi super hunc proprium hominẽ
Ioan. 1. suũ, in tali specie apparuit, & in eo mansit, nõ
Marc. 1. ad mensurã vt participibus, vel consortibus
Colos. 2. eius, diuisiuã indulgens ei gratiam, sed in eo tota cum diuinitate sua corporaliter inhabitans, & per id quod cælis apertis super eũ descendit, cælos credentibus in eum per passionem

sionẽ ei⁹ aperiẽdos esse testificãs, qui ex quo peccauit homo, generi humano clausi erãt.

Quòd dictum est: Iesus autẽ plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, & de eo quod cum de cæterus spiritibus dictum sit: & requiescet super eum, de solo timore ita dicitur: Et replebit eum spiritus timoris domini.

CAPVT XXV.

Luca 3. IEsus autem plenus spiritu sancto, regressus est à Iordane. Plenus, inquam, spiritu sancto, nam hoc ipsum columba, sicut iã diximus, significauerat, descendens super eum & manens in eo. Sed nunquid extunc, & nõ ante domin⁹ Iesus plenus erat spiritu sancto? Nónne ex vtero virginis conceptus fuerat de spiritu sancto? An quando cõpingebat illud suum sacri corporis tẽplum, foris stabat, & non introiuit, donec perueniret homo ad triceſimum ætatis suæ annũ? Imo nec foris stetit, cum sacrum conderet corpus, Deus in circũscriptus Dei spiritus: nec postquã illud semel condidit, vlla vnquã hora vel momẽto frigescente, gratia foras exiuit, aut abesse potuit. Quid ergo nũc primũ plenus spiritu sancto dicitur, cũ à Iordano regreditur? Nimirum quia qui hactenus se continuerat intus, hic procedere cœpit spiritus sanctus, de triclinio mentis ad officia corporis, de potestate ad actum, de intima requie, ad exterius ministeriũ, vt per doctrinã diffunderet gratiã in labijs, per miraculorum exhibitiõem, moueret manus eius tornatiles, aureas, plenas hyacinthis. Amplius aũt ex eo rectè plenus spiritu sancto debuit dici, ex quo agere cœpit ea, quæ sunt spiritus timoris domini. i. ieiunando famem pati, perferre fraudes tẽtatoris, circuire & prædicare regnũ Dei, atq; pro voluntate vel mandato patris, obediens esse vsq; ad mortem, mortem aũt crucis. Scriptum quippe fuerat, & replebit eum spiritus
Esaiæ 11. timoris domini. Notandũ deniq; in toto ordine septem spirituũ, quia cùm dictum sit, & requieſcet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, in istis spiritib. non mutato verbo requietionis, in septimo tandẽ mutatur verbum vel modus dictionis, & replebit eum spiritus timoris domini. Si ergo Euangelistam, prophetæ
Luca 3. scienter in isto consonuisse non ignoramus, vt quia dixerat ille, & requieſcet super eum spiritus timoris domini, iste vim dictiõis antiquæ respiciens consonanter dixerit. Iesus aũt plenus spiritu sancto, regressus est à Iordane, mirandum vniuersæ creaturæ præponitur spectaculum, quòd scilicet creator hominũ, Deus illuc vsq; descenderit, vnde peccatori homini ab infernalibus peccatis, & vitijs emergenti initium ascendendi sumendũ sit. Nam initiũ sapientiæ timor domini. Huc
Psalm. 110. vsq; creator descendit, dicẽte Propheta. Post omnes gradus spirituum domini, & replebit eum spiritus timoris domini. Non erat mirũ quòd requieſceret super eum spiritus sapiẽtiæ, & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, non, inquã mirum, quia magnificumerat, quia diuinam maiestatem dignitate antiqua dicebant hæc omnia. Quis aũt angelorum, aut hominum, non miretur, dominum vsq; ad timorẽ domini descẽdisse, Deum & dominum cælis ac terris timendum, timoratũ factum esse, non partim sed plenariè, & quantũ verbo repletionis, aut plenitudinis potuerunt homines in eodem spiritu sancto loquentes significare? Itaq; secundum hũc modum digna cum admiratione dictum sit. Iesus autem plenus spiritu sancto, regressus est à Iordane.

Quòd verè sit Deus is, quo Iesus plenus dicitur, & quòd cuiuscunq; hominis animam implere nõ nisi Dei sit.

CAPVT XXVI.

PRæterea quia non sola spiritus sancti opera narrare, sed ipsam quoq; personam eius prædicare, venerari, & adorare præsenti opere intendimus, audiat Macedonius, aut quisquis alius blasphemiæ, in spiritum sanctum reus, dicere ausus fuit, nõ est Deus, aut inquam, quod dicitur. Iesus spiritu sancto plenus. Quid enim? Non est Deus iste, quo plenus est is, qui omnia implet dominus Iesus. Imo vt de illo tali homine, nũc interim taceam, quemlibet angustioris pectoris hominem implere, non nisi Dei est. Manifestius dicamus, spiritum hominis substãtialiter introire, non nisi Dei est. Creatus spiritus, creato spiritui. i. angelicus spiritus humano spiritui, vel humanus spiritus angelico spiritui infundi non potest. Alter alterius capax, siue alteri alter capabilis nõ est, Neuter quippe alterutro subtilior est. Vterq; enim creatura, vterq; rationalis, & immortalis est. Solus Deus, natura vel substantia, vtroq; subtilior, ac proinde vtriq;, captabilis est. Sed ecce, nõ tantum homines spiritu sancto repletos, quod passim legimus, sed ipsum dominum Iesum, pronuntiat Euãgelista, plenum spiritu sancto. Quomodo ergo non videbat, coruus prędictus Macedonius, quia deus est ista colũba, iste spirit⁹ sanctus? Sed ille forte diceret ad hæc. Nónne homo interdum dicitur, & est maligno plenus spiritu? Ad hæc, inquam. Dicitur quidem, sed aliter, hic sancto spiritu, aliter ille maligno impletur spiritu. Nam spiritus malignus, non ipsi humani spiritus substantiæ, substantialiter infunditur, sed per occultos irrepens meatus, perq; cauernas corporis receptus, animã in suis obsidet sedibus, eamque tartareis discruciat flagris, inquantum fuerit permissus. Sic febris, sic etiam potionis feruor nimius animũ subuertit, vimq; rationis enecat, non tamen ipsam animæ substantiam, aut febris, aut per corpus digerenda compleuit vinositas. At verò hic spiritus sanctus animę substantiam substantialiter ingreditur, eamq; ineffabiliter & dilatando cõplet, & complẽdo dilatat, in ea substãtialiter inhabitat, atq; inambulat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ merces, quæ gloria sanctis in futuro reposita est. Nam in præsenti paucissimorum, est persentiscere saltē ad horam, vel momentum, substantialem eius tactum, præter hominem istum solum & singularem, de quo vnicè dictum est hic. Super quem videris spiritum descendentem & manentē in eo. Hoc planè quod diximus, vel ex ipsis eiusdē spiritus sancti vocabulis, comprobari promptū est, scilicet ex eo quod dicitur, spiritus sapiētiæ, spiritus intellectus, spiritus consilij, spiritus fortitudinis, spiritus scientię, spiritus pietatis, spiritus timoris domini. Nā vbi putas sapientia, vel intellectus, nisi in anima, vbi consilium, vbi fortitudo, vbi scientia, vbi pietas, aut timor dñi, nisi in anima vel mente inhabitat? Igitur hic solus increat⁹ spiritus, humano siue angelico spiritui substātialiter captabilis est, & vel ex hoc solo cōuincitur Macedonius, omnisq; eiusmodi coruus, quia talis hæc colūba, tantus iste spūs sanctus Deus est.

Ioan. 1.

Quòd nos omnes vbi Iesus plenus dicitur ad hauriendum inuitemur, & quòd duo data sint huius spiritus, & quodnam horum antiqui patres prius, et quod posterius. Itemq; nos quod prius, quod posterius accepe-rimus.

CAPVT XXVII.

Ioan. 1. SAnè cū hic spiritu sancto plenus dicitur, eodem dicto nos ad hauriendum inuitamur. Iteē cū dicit ille alitestis pleni huius, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, nos ad accipiendum, nos ad hauriendū prouocamur. Hic vnus est, à quo, in quo, & per quem gratiam, & veritatem haurimus, spiritum gratiæ, & spiritum veritatis accepimus. Cū enim dixisset, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, continuò subiunxit. Et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Et nos quidem atq; illi, qui hęc dicūt, & de plenitudine eius nos omnes accepimus nos, inquam, & qui post, & illi qui ante passionē huius pleni hauserunt eadem data, sed ordine prępostero accepimus. Quot enim, vel quæ sunt huius spiritus data, nisi duo, alterum in remissionem peccatorum, alterum in diuisiones gratiarum? Hæc, inquam, eadem, sed non eodem ordine, nos atq; illi accepimus. Nam illi prius diuisiones gratiarum, & post remissionem peccatorum, nos prius remissionem peccatorum, & deinde accepimus diuisiones gratiarum. Omnes enim vsq; ad Ioannem, prius diuisiones gratiarum acceperunt, imo & prius mortui sunt, quàm acceperint remissionem peccatorum. Hanc enim diu expectatam in sola tandem Christi passione acceperunt. Fide fortes, miraculorum potentes, prophetica gratia pollentes fuerunt, & tamen omnes apud inferos detinebantur, propter originale peccatum. Fusus est sanguis Christi, atque cum sanguine aqua pariter de latere eius cucurrit, & quia fidem habuerant, eorum omnium peccata lauit. Ipsi quoque apostoli prius eiusmodi gratias partim acceperunt, vt scilicet infirmos curarent, spiritus immundos eijcerent, & post passionem Christi, remissionē peccatorum, vt in regnum cęlorum introirent. At verò nos omnes, qui post eandē Christi passionem ad fidem venimus, prius in remissionem peccatorum baptizamur, & tunc demum eiusmodi gratias accipimus ab eodē spiritu sancto, diuidente singulis prout vult. Nam quòd super Cornelium, & super cæteros, qui pariter audiebant verbum nondum baptizatos in remissionē peccatorum manifestatū fuit hoc datū, cecidit enim spiritus sanctus super eos, qui & erant loquētes linguis, & magnificantes Deum, necessaria tunc temporis huius spiritus sancti aduocatione factum est. Dicebant enim atque dicturi erant illi qui ex circuncisione crediderant. Quare introisti ad viros præputium habentes? Vt ergo super incircuncisis carne, ad fidem Christi recipiendis auctoritas non deesset, aduocatum se opportunè hic exhibuit deus, cui homo contradicere non posset, hic spiritus quem caro prohibere non auderet, vt in magna tutela constans Petrus diceret. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in dominum Iesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? Aliàs ferè nusquam post glorificationem domini Iesu, hunc spiritum sanctū inuenimus prius datū esse in diuisiones gratiarum, quā in remissionē peccatorū.

Ibidem.

1. Cor. 12.

Act. 10.

Act. 11.

De processione spiritus sancti contra eos qui dixerat, eum à solo patre, & non à filio procedere, & quòd illa processione qua remittuntur peccata de filij persona procedat.

CAPVT XXVIII.

QVapropter quoniam duæ sunt personę patris & filij, de quibus procedit hic spiritus sanctus, sic duo, vt iam dictum est, data sunt eiusdē spiritus, non improbabiliter dici arbitramur, quia qua de patre procedit processione, distribuitur operatio eius in diuisiones gratiarum, processione qua procedit de filio, datur idem spiritus in remissione peccatorum. Etenim patriarchæ ac prophetæ nunquid coram hominibus confitebantur Dei filium? Attamen accipiebant diuersa dona charismatum, non quia cognouissent filium, aut credidissent in eum, sed vt cognoscerent eum, & credentes expectarent venturum. Hoc ipsum quod prophetę erāt, & venturum præsciebāt Dei filiū, non vtiq; ex patris & filij, sed ex solius patris, vel Dei prędicente confessione percipiebant. At verò vbi Dei filius semetipsum hominē exhibuit hominibus, & qui sacculus auro Dei, id est, plenitudine plenus erat huius spiritus sancti, scissus ex tormento passionis, illinc extunc processisse vel procedere hunc eundem spiritum sanctum in remissionem peccatorum, nullus ambigit, nemo diffidit, nullus dubitat nisi

tat nisi infidelis. Processet tunc ad mortuos, qui tenebantur in infernalibus claustris, hæreditario ex Adam peccati vinculo compediti, sanctorumq; omnem iustitiam, eatenus panno menstruatæ comparabilem vsque ad purum & perfectum lauit, procedit extunc, ad viuos quotquot in eadem morte eiusdem filij Dei baptizantur, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Igitur aduersus errorem eorum, qui dixerunt hunc spiritum sanctum non à patre & filio, sed à sola persona patris procedere, illud constanter dicendū est, quia quòd à patre procedit spiritus sanctus gratiarum diuisio, quòd à filio procedit peccatorū remisio est. Porro vtrum horum melius donum, vtrum vtilius siue felicius sit, non dubium habentes cum Psalmista dicimus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. Non dixit. Beati prophetiam habentes, quorum vtiq; vnus & præcipuus ipse iam erat, sed dixit. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, quorum vniuersitas vna est omnium electorum ecclesia, de quibus vnus esse cupiens vel sperans, dicebat alio loco. Asperges me domine hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.

Psalm. 31.

Psal. 50.

Quomodo is, qui plenus est spiritu sancto in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, aliquid nescire dicatur, & quòd modus sciendi triplex habeatur.

CAPVT XXIX.

VNum adhuc in hoc themate est, quod quæramus. Si plenus Spiritu sancto Iesus, si tota in eo columba manet, si in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, quomodo quippiam nescire, aut quippiam non posse se ipse fastetur? Dicit enim. De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius, nisi pater solus. Et apud Ioannem. Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Item. Non possum ego à me facere quicquam, sicut audio, iudico. Primū de die illa quærimus, cur vel quomodo dixerit, nemo scit, neque angeli, neq; filius, nisi pater solus. Si enim hic in solo patre vnā tantum personam intelligimus, & proinde neque filium neque hunc spiritū sanctum de die illa scire arbitramur, profectò patris & filij & spiritus sancti vnitatem in diuinitate, æqualitatem in maiestate nō tenemus. Et vbi erit quod filio per os Petri apostoli vniuersa dicit ecclesia. Domine tu omnia nosti? Vbi erit quod de hoc Spiritu sancto Paulus apostolus dicit. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda dei? Ergo fidelius ac reuerentius susciendum est, quod dicitur, de die autem illa nemo scit, neque angeli neque filius. Et quidem fideliter dicimus, neque filius scit, id esse, non vos scire facit. Sed aduersus contentiones Arrianas non hoc satisfacit. Nam neque pater nos scire facit. Igitur vt firmius atque sanius teneamus quod dixit, consulamus intentionem dicentis, simulque & illud quæramus, modus sciendi vtrum simplex aut multiplex sit. Hoc iam citius occurrit, quia multiplex est. Dicimur enim scire quod intelligimus, scire quòd non improbamus, scire quod experti sumus. Modi isti in deo plurimum differunt, si rite aduertis. Primo videlicet modo, vnus deus pater, & filius, & spiritus sanctus, semper omnia scit. Secundo modo, bona semper scit, mala semper nescit. Tertio modo, quædam bona, siue quædam mala aliquando scit, aliquādo nescit. Bona cum verbi gratia ad Abraham dicit. Nunc cognoui, quod timeas deū, & nō peperceris vnigenito filio tuo propter me. Nam quod erat in Abrahā, id est, timorē domini, nunc se cognouisse perhibuit, eo nimirum quo prius nō cognouerat modo, scilicet experimento. Mala verò cum itidem ex empli gratia ad Abraham dicit. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus, & peccatum eorum aggrauatum est nimis, descendam, & videbo vtrum clamorē qui venit ad me, opere cōpleuerint, aut non est ita, vt sciam. Nam quod erat malum, & pessimum scire volebat, eo quo prius nescie bat modo, id est, experimento. Quod & factum est. Illo nempe protinus sciuit modo, quia quo scelere solebant furere in viros, eodem furentes in ipsum dicebant Loth, Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos. Cum itaq; tres sint modi scientiæ, vel cognitionis Dei, vt iā sciamus iuxta quem modum dixerit, De die autē illa nemo scit, neq; angeli in cęlo, neque filius, nisi pater solus, quæramus intentionē dicentis, & ipsa quoq; cito quærentibus occurrit, quia nimirum pro inculcando nobis metu illius diei vel aduentus sui, & consummationis seculi hoc dixit. Dixerat enim. Et tunc plangēt omnes tribus terræ, & videbūt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos, cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorū vsque ad terminos eorum. Igitur in hoc dicto eius, de die autem illa nemo scit, neque angeli, neque filius, nisi pater solus, hunc esse sensum fideliter accipimus, ac si diceret. Dies autē illa tantæ erit iræ, tantæ calamitatis & miseriæ, tantæ tribulationis & angustiæ, quantam nemo vnquam vllo potest, potuit, poterit experimento præscire, neque angeli cælorū in illa lucis & tenebrarum, id est, bonorum & malorū angelorum terribili diuisione, neque filius in toto suæ passiōis vel mortis agone. Perspicuū quippe est, quod filiū, id est, seipsum secūdum quod homo est, pro omni posuerit homine, quia non dixit, neque angeli in cęlo, neque homines in terra, sed neque angeli in cælo, inquit,

Matt. 24.

Ioan. 5.

Ioan. 25.

1. Corin. 2.

Gen. 22.

Gen. 18.

Genes. 9.

Luc. 21.

Marc. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque filius. Relinquitur ergo quod ait, nisi solus pater, id esse, ac si dixisset, nisi solus Deus vnus pater, & filius, & spiritus sanctus, præsertim quia non dixit pater meus, in quo vtique vna necessariò persona intelligeretur. Et ille scilicet Deus magnitudinem siue amaritudinem illius diei, non experimento scit, quippe cum sit Deus impassibilis, sed sicpenes se notitiam habet, vt non possit vlli creaturæ aliter nisi solo actu & re ipsa notũ fieri quid angustiarum illic futurum sit, vbi quẽ-
Iob. 42. admodum ad beatum Iob loquitur ipse Deus, videntibus cunctis illa bestia præcipitabitur, & cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. Nam reuera si nos aut angeli mortales tunc essemus, vel post resurrectionem vllo modo mori possemus, solo visu exanimes efficeremur, videntes tartarum apertum, ignemq; æternum, paratũ diabolo & angelis eius, in quem & nos præcipitandi eramus, si non per solam gratiam præuenti fuissemus.

Quantæ potentiæ sit, quod filium non posse facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, ipse dicit.

CAPVT XXX.

Ioan. 5. REstat vt de eo quæramus quod ait, non potest filius facere quicquam, & nõ possum ego à meipso facere quicquã. Nam hoc nihilominus plenitudini de qua loquebatur repugnare videbatur, nisi rectè & vt dignũ est intelligatur. Primum ergo in isto quoque ex precedentibus dictis, vel factis intentionẽ dicentis colligamus, quæ huiusmodi sunt. Surge, inquit tolle grabbatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabbatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbathum in illo die. Dicebant ergo
Iohan. 5. Iudæi, illi qui sanus factus fuerat, sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum tuum. Ac deinceps. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbatho. Iesus autem respondit illis. Pater meus vsque
Psalm. 103 modo operatur, & ego operor. Et subinde.
Matt. 5. Amen amen dico vobis, non potest filius à seipso facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, & cæt. Qua putas intentione hic dixit. Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor, nisi vt doceret se esse dominum etiam sabbathi? Pater meus, inquit, quia dominus est sabbati, vsq; modo operatur in sabbatis, nõ minus quàm prima vel secunda sabbati die, dans pluuiam super terram, & producens fœnum iumentis, producens ventos de thesauris suis, & solem suum faciens oriri, &
Marc. 7. nemo ex vobis dicit, quare ille sabbatum nõ custodit. Et fortè, si quid habetis rationis, idcirco illum censetis sabbati lege non teneri, quia bene omnia facit, & nihil malè potest operari. Ergo is iure non tenetur lege sabbati, quia non potest malè operari. Ad hæc, inquã Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquã. Quid est hoc dicere, nisi constanter asserere, filium Dei æquè vt patrem Deum esse inconuertibilem? Quid enim est, quempiam à seipso quicquam facere, nisi seorsum extra Deum, absque imperio vel voluntate Dei quicquam facere? Quid inquam, hoc est nisi peccatum facere, aut peccare? Nẽpe diabolus à seipso primus fecit, quando primus peccatum fecit, & peccauit, imitantur autem illum quicunque peccant, & à semetipsis faciunt relicto consortio vel auctorita- *Esaiæ 5.*
te Dei. Nihilominus & à semetipsis faciunt, *Psal. 11.*
quando loquuntur extra Deum, loquentes mendacium dicentes malum bonum, & bonum malum, & idipsum defendentes. Linguam aiunt, nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est? Sed non potest, inquit, filius à seipso facere quicquam. Ergo inconuertibilis est filius, quem conuertibilem esse dicebat Arrius hæreticus. Nam non potest à seipso facere quicquam, & hoc illi impossibile est per naturã. Et si angeli sancti firmati sunt post ruinam illius, qui à seipso fecit, etiam amplius non possunt à seipsis facere quicquam, non hoc habuerunt per naturam, sed acceperunt pergra- *Ioan. 5.*
tiam. Hic filius hoc semper habuit, & habet per naturam, & idcirco certus de stabili iure suo, pater meus, inquit, vsque modo operatur, & ego operor, quia videlicet quemadmodum ille, ita & ego inconuertibiliter omnia benefacio, non à meipso quicquam faciens, nisi quæ video patrem facientem. Itaq; quod dixit hic, se non posse, plenitudini eius, de qua loquebamur non modò non repugnat, verumetiam validius plenitudinis atque fortitudinis eius argumentum est.

Quomodo secundum ordinem gratiarũ eiusdem spiritus sancti operetur in ecclesia sua Christus, operibus distinctus à passione sua vsque in finem seculi.

CAPVT XXXI.

NVnc in altum fidei vela pandenda sunt Etenim quæ de isto pleno siue de plenitudine eius hactenus manant, & vsque in finẽ seculi manare non desinunt, septem huius septiformis flumina ipso aspirãte permeare cupimus, eodem quo ordine spiritus, eosdem à Christi domini passione vsque ad vltimum iudicij diem, in hoc mundo vniuersali, magis operari ex ipsis operibus aduertere possumus. Ordo ipse à nobis susceptus, iste est. In *Esaiæ 26.*
ipsa humilitatis CHRISTI passione diaboli calliditas superata est, iuxta illud, Et prudentia eius percussit superbum, & in sacramentis eiusdem passionis quibus regeneramur, vel regenerati sumus, sanctum sapiẽtiæ spiritum prædicabimus. In eo quòd per eandem Christi passioẽm velum templi scissum est, imò velamen vultus Moysi, quod positum est super cor Iudęorum, à cordibus *Exod. 34.*
credẽtium sublatum est, vt aperto sensu scri- *2. Cor. 3.*
pturas intelligerent, maximè apostoli, qui e- *Rom. 11.*
rant homines idiotæ, & sine literis, sanctum intellectus spiritum confitebimur. In eo quę cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gẽtium subintraret, veterisq; culturæ templum exterminio datum est, ne currentis Euangelij quadrigas stantes impedirent eius lapides, sanctus nobis consilij spiritus glorificandus est. In prælijs martyrum, quibus diabolus victus est, & de templis, vel delubris, atque simulachris gentium non valentibus aduersarijs resistere, aut contradicere eiectus est, sanctus nobis fortitudinis spiritus, qui in ipsis
Daniel. 12. loquebatur collaudandus est. In sanctis patribus atque doctoribus nostris, qui scripturas sanctas fideliter tractando exposuerunt, ita vt in ipsis veraciter impletum sit illud propheticum, pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia, sanctus nobis scientiæ spiritus digna cum gratiarum actione veneran-
Rom. 11. dus est. In eo, quòd postquam plenitudo gẽtium subintrauerit tunc auferetur velamen & reliquiæ conuertentur ex Israel, sanctus
Ioan. 5. nobis pietatis spiritus confitendus est. In eo, quòd ad iudicandos viuos & mortuos venturus est, vt procedant, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò male egerunt in resurrectionem iudicij, sanctus nobis timoris domini spiritus prædicandus est. Et quidem septem primæ creationis diebus, totidemque sequentibus mundi ætatibus insistentes, ad eosdem respiciebamus spiritus, q̃ secundum ipsos operaretur Deus pater, deus filius, sed illic tanquam in imagine, hic autẽ in re ipsam nobis adesse intuemur personam Dei sancti spiritus. Ipse quoque ordo differt. Nam in illis à timore ad sapientiam ascendebamus, hic autem à sapientia ad timorem descendimus, habentes infine seculi, quod semper timeamus, quãlibet perfecti simus, quãuis apud homines iam apprehendisse videamur. Etenim quis sapiẽs aut intelligens, quis consultus aut fortis, quis scientiarum, aut pietatis thesauros possidens, castum ibi cor se habere gloriabitur, vbi virtutes cælorũ mouebuntur, vbi timebunt angeli, & territi purgabuntur? Magnus ergo ibi timoris domini spiritus. Igitur per hæc septiformis gratię flumina nauigaturi, ducem ipsum atque rectorem spiritum sanctũ inuocamus, vt ipso cursum regente ad optatum finem, cum fructu lætitiæ mereamur peruenire. Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI LIBER SECVNDVS, DE SAPIETIA.

De spiritu sapientiæ, quod per hunc obediendo & patiendo semetipsum Deo obtulerit Christus.

CAPVT I.

Hebr. 9. SPiritum sanctum, per quem, vt apostolus ait, Christus semetipsum obtulit deo hostiam viuentem, vt suo sanguine emundaret conscientiam nostrã ab operib. mortuis, ad seruiẽdum Deo viuenti, spiritum sapientiæ dicimus, sapientiæ, inquam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, ait
1. Cor. 2. idem, nunquam dominum gloriæ crucifixis-
Sapientia quid. sent. Cùm autem spiritum sapientię dicimus vel audimus, effectorẽ siue largitorem subintelligimus. Sed & ipsius, quam efficit hic spiritus definitio sapientiæ, si conuertitur, dicere non dubitamus sensum esse quendam, quo à nobis ipsa sapientię substãtia sentitur, quæ est secundum diuinam naturã ipse Christus, Dei filius, verbum Dei, verbum Deus. Qui cum secundum diuinam, vt iam dictum est, naturam ipsa sit sapientia, secundum humanam naturam in eo requiescere hic sapientiæ spiritus, & ipse sapiens esse dicitur, quia videlicet anima eius habitantis in ipsa, substantialis sapientiæ sensum habet plenarium præ cunctis sapientiæ participibus, illum sapientiæ sensum, maximè ex obedientia, vel patientia eius, ex processu siue fructu obedientiæ vel patientiæ eius cognoscere vel inquirere debemus, & hoc ipso adiuuante facturi, nunc prius faciem eiusdem sapientiæ à facie sapientiæ filiorum huius seculi discernere conemur.

Quod in contrarium differant sapientia, quam hic spiritus sanctus efficit, & sapientia huius mundi, & inuicem aduersari non desinant vsque in finem seculi.

CAPVT II.

SApientia quam hic Spiritus sanctus efficit, vndè & spiritus sapientiæ dicitur, hoc maximè differt à sapientia seculi, quòd illa peruertit ac destruit, hæc autem rectum tenet, aut custodit. In homine ordinem primæ conditionis. Recolit enim hæc, imò nunquam obliuiscitur, quòd illa scire, vel reminisci dedignatur, scilicet, quod dixerit Deus. Faciamus hominem ad imaginem & simili- *Gen. 2.*
tudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, omniq; reptili.

Ac dein-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ac deinceps, eadem scriptura referente, formauit hominem de limo terræ. Hæc ista recolens, semperq; memoria tenens, ita seruat eundem conditionis ordinẽ, vt animam sursum subleuet ad imaginem Dei, corpus verò humiliet in terram, cuius de limo Deus illud formauit, quatenus Deo spiritus hominis subditus sit, corpus verò spiritui. Econtrà, seculi huius sapientia sic eundem ordinẽ peruertit, vt dictum est, & destruit, vt inflatum sensum hominis faciat immemorẽ Dei, corpus autem in magno habeat, seu facultates corporis qualia sunt diuitiæ, principatus, & claritudo generis, sicq; Deo rebellis spiritus hominis, spiritui verò dominetur vilior portio carnis. Ab hac parte iudicium rationis, nec philosophos huius mundi secernit. *Roma.1.* dicentes enim se esse sapiẽtes stulti facti sunt, etenim seruierunt creaturæ potius, quã creatori, vndè & tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficerent corpora sua in semetipsis. Illa ergo sapientia multum peruerso ordine quasi manibus ambulans, pedes sursum attollit, & caput per terram trahit, hæc autem rectè incedens pedibus terram premit, facie cœlo intendit. Tam diuersis imò contrarijs vultibus nunquam pax aut concordia conuenire potuit, sed semper inuicem aduersantur, & aduersari non desinunt vsq; in finem seculi. Est autem summa illius iactantia, pares homines etiam cum iniuria potuisse supergredi summa huius laus, subueniendo paribus aut etiam minoribus, iniuriam non solum nõ facere, verumetiam æquanimiter pati. Summum vtriusque certamen, in passione Christi filij Dei, sic vniuerso spectatum est orbi, vt tam nobiliter nusquam hic spiritus sapientiæ, per patientiam vicerit, nusquam tam ignobiliter sapientia seculi stulta conuicta sit. Hinc ergo vt proposuimus spectaculum iam nunc ingrediamur. In eo primum sapientiæ virtutem nouus hic Adam exercuit, quòd peccatum non fecit, à quo vetus ille non abstinuit, deinde in eo, quòd omni obediens se subdidit maiori, quod ille non fecit. Maiorẽ autem dicimus hominẽ assumpto deum, qui illum assumpsit, maiorem, inquam, diuinitatem impassibilem, humanitate passibili, quẽ admodum dicit. Si diligeretis me gauderetis *Ioan.14.* vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Maiorem denique se patrem cum dicit, & meum non addit, non vanam tantũ personam, sed vnum intelligimus Deum patrem omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, id est, patrem & filium, & spiritum sanctum. Huic, inquam maiori, iste nouus homo, iste in vna eademque persona Deus & homo, vnus Christus omni *1.Pet.2.* obediẽtia subdidit se, in eo scilicet, quòd peccatum non fecisset, & idcirco morti nihil deberet, mori nihilominus voluit, propter mãdatum eiusdem maioris, quemadmodum dicit. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat *Ioan.14.* mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Mori autẽ non qualicunque voluit morte, sed morte crucis, quòd & Apostolus digne magnificãs, cùm dixisset. Factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, addidit, mortem autem crucis. Considerauit enim vt verè sapiens, quòd *Philip. 26.* non paruo cum fructu deberet mori, sicut quasi pro conditione loquebatur iamdudũ de illo in propheta hic idem sapientiæ spiritus. Si posuerit pro peccato animam suam, vi *Esaiæ 53.* debit semen longæuum, & voluntas domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, &c. Hoc ille vetus homo non fecit. Noluit se subdere maiori, noluit obediens esse vsque ad abstinentiam, abstinentiam autẽ vnius ligni. Quanto melior est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Vera *Philip.2.* & humano generi valde necessaria sapientis obedientia, sapientis atq; obedientis patientia, sola valens ad insipientiæ atq; inobedientiæ illius tollenda nobis opprobria. Hæc sapientia, vel hic spiritus sapientiæ, generis humani ora laxauit, & linguam disertam fecit, ita vt confidenter dicamus, quotquot credimus in istum sapientem Christum filium dei Pater vetus Adam, pater carnis nostræ insipiens peccauit, & non est, nos autem iniquitatem eius portauimus, sed ititidem pater no- *Threno. 5.* ster dominus Christus, nouus Adam, pater fidei nostræ iustitiam fecit, & hic iam in mundo non est. Quare ergo iustitiæ eius hereditatem non toleremus, qui ab illo patre hæreditatem iniustitiæ portabamus.

De beato Iob, quòd in illo præcesserit huius sapientiæ, id est, patientiæ Christus typus.

CAPVT III.

REs magna & grandi sermone dicenda, sed non absque certo præsidio scripturarum, non absq; fida statione rerum præcedentium, quatenus in gradu suo firmiter stet sermo fidelior, & non pro incerta multitudine dictorũ suomet ipse lassetur fastidio. Gaudemus ergo nunc, eo ipso, quòd longè superius quodam loco condolebamus, scilicet, quòd cum futuræ veritatis, id est, Christi filij Dei, venerandas imagines siue figuras, in patriarchis, regibus, & prophetis, per ordinẽ contemplaremur, beatum Iob exemplar patientiæ præteriuimus, quem patrum venerabilium auctoritas non tacuit in typum præcessisse eiusdem domini Christi & ecclesiæ eius. Hoc, inquam, nunc gaudemus, hic enim non parum habet locum commemoratio eius. Siquidem sapientię spiritus, de quo nunc loquimur, qui in huius sapientis Christi patientia plenarie requieuit, eiusdem futuræ retiei, de qua loquimur magna maiestate ac splẽdida reuerberamur, hoc quasi speculum soli admoueamus, vt tolerabilius atque certiore intuitu hunc sanctum sapientiæ spiritum, in Christo operantem, sequi valeamus.

Quomodo sathan vbi exemplar huius sapientiæ Iob tentandum expetebat, circuibat terram, & perambulabat eam. Hic autem vbi Christum fecit occidi, foras missus est.

CAP. IIII.

1. Corin. 1. Iob. 1. Ibid. 2. EXemplar sapientiæ huius, quæ (vt Apostolus ait) gentibus stultitia est, sed enim quod stultum est dei, sapientius est hominibus. Huius inquam, sapientiæ exemplar in eo est, quòd egressus sathan à facie domini, percussit Iob vulnere pessimo, à planta pedis *Sapien 2.* vsque ad verticem eius. Qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio. Nempe hulcus pessimum intentabat sathan in Iob, id est, dolentem subauditur pro nobis dominũ Iesum, quando iuxta sapientis illius testimonium dicebant impij, quorum vtique corda possidebat sathan, morte turpissima condemnemus eum. Et illum quidem percussit simplicitati atque rectitudini innocentis ac timẽtis deum inuidens, istum autem percuti fecit tormenta quæ ex eius præsentia patiebatur ferre non sustinens, quod multoties confessus est. Verbi gratia, cum diceret per os hominis, cui totam immiserat legionem. Quid *Marc.5.* mihi & tibi Iesu fili dei summi? Adiuro te p deum, ne me torqueas. Amplius enim sathan in isto vrgebatur, magis in isto quam in illo ad iudicium disceptationemq; vocabatur. Illic etenim interrogatus à domino dicente. Vnde venis, respondérat semel & iterum, circuiui terram & perambulaui eam, non exigebatur iudicium, non erat qui diceret, nũc iudicium sit mundi, nunc eijcieris foras, ô circuitor mundi & perambulator terræ sathan. Non, inquam, erat qui hæc diceret, & idcirco gloriabatur, quòd nullo fortiore superueniente vacaret sibi victori circuire terram, & perambulare eam. Hic autẽ erat qui *Iohan.12.* diceret. Nunc iudicium est mundi, nũc princeps huius mundi eijcietur foras. Igitur cum *Esa.52.* hic dolens qui quõdam diues & vt verè rex sedebat, circũstante angelorum exercitu extra portã eiectus morte esset turpissima percussus, quasi leprosus reputatus reuera sedebat Iob in sterquilinio sanie coopertus: in Dominus posuerat in eo iniquitates omniũ nostrum. Verùm easdem inquitates nostras, omnemque corruptionem, & ipsam mortalitatẽ nostram per virtutem resurrectionis erasurus, erat & idcirco rectè dictũ est, quia *Iob. 2.* Iob testa saniem radebat. Testa quippe prius molle lutum, post autem igne coquente solidum factum, caro est Christi prius passibilis atque mortalis, vtpote nostrum lutum, post autem per ignem passionis, sic in resurrectionẽ solidata, vt morte aut vlla corruptione iam non soluatur in æternum. Hoc

secundum rem veram in isto factum est, de quo loquimur spiritu sapientiæ, secundum sensum autem, vel sapientiã huius seculi stultitia videbatur. Sed esto. Quoniã, inquit Apostolus, non potuit mũdus per sapientiam *2. Cor.1.* cognoscere Deũ, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Nam reuera nisi ad istam, quam dicunt stultitiam Deus descendisset, Deum mundus vanè sapiens non cognouisset.

Quòd omnes electi maledixerint quantum potuerunt eidem diei vel nocti, quã maledixit Iob: solus aũt Christus, quia peccatum nõ fecit, efficaciter maledicere, i. damnare potuerit. CAPVT V.

POst hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies in *Iob.3.* qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & nõ illustretur lumine. Dies natiuitatis vel nox, quam maledicere sapientis erat, peccatum fuit primi hominis, dies, inquam, ironicè, verè autem nox. Nam illo tanquam in die no- *Genes.3.* bis aperiendi promittebantur oculi, dicente deceptore, comedite, & eritis sicut dij, sed vbi creditum est illi, paries inimicitiarum inter nos & Deum consurrexit, & ita in nocte, id est, non visuri Deum male fuimus concepti. Et illum quidem diem, imò illam noctẽ, Iob ille maledixit quantum potuit, & quisquis alius ab origine mundi peccatum illud diaboli damnauit, & iustitiam Dei suspirauit sed nullius eorum maledictio satis efficaciter, illud damnare potuit. Causas eiusdẽ impossibilitatis postmodum ita subiungit. Quare non in vulua mortuus fum? Egressus ex vtero, non statim perij? Cur exceptus genib. Cur lactatus vberibus? Absit enim nos credere, quòd tantus vir tanta spiritus scientia præditus, tanta interim iudicis attestatione laudatus, abortiuum se optet interisse, sed sicut etiam per remunerationem cognoscitur, intus habet testem suæ fortitudinis, intus pensanda sunt eius pondera locutionis. Quatuor quippe modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namq; suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per aduersarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia, per elationẽ. Culpa.n. quæ terrere mentẽ debuit, extollit, & deijciendo eleuat, sed grauius eleuando supplantat. Vnde & illam primi hominis rectitudinẽ antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, tua delectata est, Adam *Gen.3.* consensit, qui etiam requisitus, culpam confiteri noluit per audaciam. Planè & nos in illa vulua non mortui sumus, & egressi ex vtero illo non statim perimus, imò eisdem excepti genibus, eisdem lactati vberibus. Nam in illo Adam omnes peccauerunt, inquit Apo- *Rom.3.* stolus. Igitur peccati illius diem siue noctem

neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque prædictus Iob, neque electorum quisquam satis efficaciter maledicere, id est, damnare potuit, quia vt de actualib. taceam peccatis eorum, quib. nõomnino caruerunt, omnes illud idem de Adam contraxerunt originale peccatum. Hic vnus efficaciter maledicere, id est, damnare potuit, quemadmodum & Apostolus dicit. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnẽ, deus filium suum mittẽs, de peccato damnauit peccatum in carne. *Rom. 8.*

Quomodo dixerit vel dicat Christus pro cuncto genere humano, pereat dies, in qua natus sum, &c.

CAPVT VI.

PRoindè dicat hic vnus homo, dicat hic vnus pro cuncto genere humano. Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Sed nunquid iste in illo peccati die natus est, & in illa nocte infelicitatis conceptus est? Natus planè in illo die & conceptus est in illa nocte. Veruntamen longe aliter nouus hic, atque aliter nouus ille homo. Nam ille prędicto modo natus vel conceptus est, vt qui homo erat & bene erat, peccator fieret & malè existeret. hic autem ita conceptus & natus est, vt qui deus erat, & impassibilis atq; immortalis erat, homo fieret, & passibilis atq; immortalis existeret. Et vterque quidem in die vel nocte peccati, sed ille vt fieret peccatum, hic autem quia factũ fuerat peccatum. Ille praua suggestione deceptus, & proprię substantiæ corruptione natus id est, degeneratus est. Hic autem voluntate patris & sua de virgine conceptus, & aliæ substantiæ assumptione homo factus. Ille diabolo natus ad culpam simul & pœnam. Hic deo natus est sine culpa, ad culpæ pœnã. Istic sapientiæ locus est, istic sapientiæ spiritus quid dicat vel innuat, attendendum est. Ecce enim homo Christus homo iustus, hominibus peccatoribus multum debet. Confortentur manus dissolutę, & roborentur genua peccatorum debilia, quia videlicet si fide & pietate eruditi, si sapientes causidici vel iuris periti sint, habent quo constringant iudicem suum. Dicat enim. Ego propter vestrum peccati diem natus, propter vestram iniquitatis noctem conceptus, & qui dominus Deus immortalis eram, homo mortalis factus sum. Dicant adhæc peccatores fideles peccatores pœnitentes. Et si quidem multũ tibi debemus nos Deus Christe, quia homo factus es, at tu econtra multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es. Nam nisi fuissemus peccatores, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset. Confortentur, inquam, nec enim id solùm attendere debent, quod tantæ dignitatis dominus propter tam indigna seruilium personarum delicta, tantis affectus est iniurijs & ipsa morte, morte autem crucis. Verũ id quoque, quod nisi peccassent serui, nec assumpta fuisset in dominum deum natura seruilis. Nec enim dominus ille pro seruis contumacibus siue sceleratis plus iniuriarũ, quã gloriæ pro eisdem suscepit. Nam pro quibus in cruce pependit, pro eisdem vt interpellet, sedet nunc à dextris Dei. Hic accepta ratione veritatis, à quocunque illam acceperit, siue à Iudæo, siue à Gentili, vim pati gaudet rex regni Dei, vt regnum ipsum diripiant volenti, quibus & quasi ratione victus, aperiat os suum & dicat eis. Pereat vobis dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Quod est dicere. Dies peccati, qui secundum sallitatem serpentis dicentis, comedite & aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, putabatur dies, reuera autem nunc nox est, in qua die vel nocte, id est, propter quam diem vel noctem, ego qui Deus eram, homo natus sum pereat vobis. Quomodo pereat? Non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Hæc vestra beatitudo sit, quam & in psalmo propheta dicit suspirans. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Nam hoc est non requiri diem illum, & non illustrari lumine, quod est remissas iniquitates & peccata tecta esse, in hanc nimirum largitatem os suum tunc semel aperuit, in æternum non clausurus illud, quando dixit. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. *Iob. 3.* *Iob. 3.* *Psalm. 31.* *Marc. 16.*

Quòd Iudæi qui prius lucebant, excæcati sint in passione eius, & quòd ei contra illos dicere conueniat. Obscurentur stellæ in caligine noctis illius.

CAPVT VII.

OBscurent eum tenebræ & vmbræ mortis, occupet eum caligo, & inuoluantur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Maledicant ei, qui maledicunt dici, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellæ caligine eius. Obscurent eum, inquit, tenebræ & vmbra mortis, subauditur in reprobis. Nam in electis dies ille vel nox illa perijt. Nimirum in hoc quoque os suum aperuit, data sibi potestate iudicium faciendi, vt eundem diem peccati damnet in reprobis, quẽ destruxit in electis. Vnde & cum dixisset: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, cõtinuò subiunxit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Hæc, & cætera quæ sequuntur relinquimus, quoniam multa sunt, & in beati Gregorij papæ expositionibus, luce clariora reddunturs, & tantummodo pauca ex multitudine decerpimus secundum intentionem, qua hunc in laudibus spiritus sapientiæ mentem extendere cupimus. Obscurẽtur, inquit, stellæ caligine eius. Stellæ hoc loco tales intelligendæ sunt, quales & in Apocalypsi intelligimus, vbi scriptum est: Et cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum cæli & misit eas in terram. Stellas namque in terrã trahere, est eos qui videntur studio vitæ cælestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris inuoluere. Tales profectò tunc Iudæi fuere, qui cum putarentur scripturarũ lucem habere, seq; arbitrarentur stellas esse, secundum promissionem quæ facta est ad Abraham dicendo, Suspice cælum & numera stellas si potes, sic erit semen tuum, cauda draconis antiqui colligati, tracti sunt in terram, quando in iracundia terræ loquentes, dixerunt. Interficiamus eum, ne forte veniant Romani, & tollãt nostrum & locum & gentem. Has ergo stellas intuens, obscurentur, inquit, stellæ, caligine eius. Quomodo hoc dixit? Nimirum non tam voce, quàm facto mirabili, vbi crucifixo illo à sexta hora tenebrę factę sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam. Hoc etenim signo dicebatur eis, quod lucem perderent, relinquendi in tenebris, in profundo ignorantiæ veritatis. Vnde Apostolus: Nolo enim, inquit, vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobismetipsis sapientes, quia cęcitas ex parte contigit in Israel. Et subinde. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? *Genes. 15.* *Ioan. 11.* *Matth. 37.* *Roman. 11.* *Esa. 64.* *1. Cor. 2.*

Quòd crux Christi illa fuerat statera, in qua suspirans ille, vtinam, inquit, appenderentur peccata mea, quibus iram merui, &c.

CAPVT VIII.

IStæ viæ inuestigabilis sapientiæ dei erant misericordia & veritas, siue misericordia & iudicium, & hoc agebat in illa passione Christi hic spiritus sapientię, quatenus misericordia superexaltaret iudicium, nemine cognoscente principum tenebrarũ, aut principum huius seculi, qui illam crucifixerunt. Hoc, inquam, agebat hic spiritus sapientiæ, quatenus librata equitatis statera, plus pœnarum de humano genere sumptum appareret, quàm culpa meruisset, atque ita mutari iam sententiam antiquæ damnationis, ratio iusta postularet, rationabilis iustitia non negaret. Hoc suspirans in illo beato Iob eiusdem sapientiæ spiritus, pro nobis omnibus dicebat. Vtinam appenderẽtur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi harena maris hæc grauior appareret. Quomodo autẽ hoc fieri posset? Quomodo calamitas humani generis peccatis eius grauior appareret, nisi vt plures fierent damnati, quàm rei, plures puniti, quàm auctores siue hęredes peccati? Hoc ergo mira & laudabili arte spiritus sapientiæ agebat. In eo quod Christus ad mortem tradebatur, qui peccatum non fecerat, ibi erat crux, statera patris, habens dispositа hinc in lance iudicij peccata mundi, inde in lãce misericordiæ calamitatem generis humani. Vicit pondere calamitas in lãce misericordiæ, lancemq́ue sustollens iudicij, peccata decussit in profundum maris. Cur hoc? Videlicet quia plures erant damnati, quàm rei, plures, inquam, puniti, quàm qui merebantur puniri. Vnus abundabat in numero damnatorũ, vnus supererat Christus, damnatus nõ reus, punitus, & causam non habens cur puniretur. Huius dolentis passio, totius generis humani doloribus iustis iniustè superaddita præponderauit, quasi massa harenaria, grauiorq; fuit calamitas mundi, quàm eiusdem peccata, ac proinde misericorditer quidem nostra, id est, damnatorum suscepta est causa, sed iustè mutata, quæ fueramus damnati sentẽtia. Laus igitur huic sapiẽtię spiritui, cuius tali artificio factum est, vt iustè hostis vniuersos perderet, dum admittitur ad vnũ, qui morti nihil deberet. *Iob. 6.*

Quomodo in illo homine hæc sapientia diuisa sit à filijs stultitiæ, & quod pro illo dictum sit, qui deridetur ab inimico suo, sicut ego.

CAPVT IX.

INterea deridetur tanta sapientia, deridetur, inquam, à filijs stultitiæ, sibimet inuicem applaudentibus, velut qui astutè & efficaciter insidiati fuerint sanguini, absconendo contra insontem tendiculas, atq; alterutrum dicentibus. Deglutiamus eum sicut in fernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum, omnem pretiosam substãtiã reperiemus. Derisores eorum legimus, audiuimus. Expuerunt in faciem eius, colaphis eum cæciderunt, palmas ei in faciem dederunt, harundine nihilominus caput eius percusserunt, & genu flexo salutantes, dixerunt, Aue rex Iudæorum. Sed & cum iã crucifixissent eum, amplius illudebant dicẽtes: Vah qui destruis templum dei, & in triduo reædificas illud. Salua temetipsum. Item: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluũ facere. Si rex Israel est, descẽdat nũc de cruce, & credemus ei. Hoc modo diridebant eũ stulti filij stultorum. Sed ecce iam in isto dicebat, iste consolatorius spiritus sapientię pro illo. Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit deum & exaudiet eũ. Deridetur enim iusti simplicitas. Lampas cõtempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus statutum. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant deum cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respõdebit tibi, & narrabũt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis & spiritus vniuersæ carnis hominis? Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem? In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet, & si incluserit hominem, nemo est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Et si emiserit eas, subuertent *Prouer. 1.* *Matth. 26.* *Matth. 27.* *Marci 15.* *Ioann. 19.* *Matth. 27.* *Marci 15.* *Verba Iob in persona Christi.* *Iob 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem, Baltheum regum dissoluet, & præcinget funè renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios & optimates supplantat. Commutãs labium veraciũ, & doctrinam senum auferens. Effundit dessectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant, releuans. Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucẽ vmbram mortis. Qui multiplicat gentes & perdit eas, *Iob.13.* & subuersas in integrum restituit. Qui immutat cor principũ populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. Nimirum prophetica hæc esse innuit, dum continuò subiungit. Ecce omnia, & vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula. Prophetica, inquam, hæc esse, & quæ ventura erant oculis suis præsentia testatur, per prophetiæ spiritum facta esse. In illo enim ea quæ secutura erant, videbat assistentia, cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt.

Quod in typum eius, qui deridendus erat à consanguineo sibi populo Iudaico, derisus ab amicis suis fuerit Iob, & quod de Christo veraciter dictum sit, lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.

CAPVT X.

Iob 2. IGitur cp dicebat hic in typũ eius percussus & sedens in sterquilinio iudicium dãnationis eratĩ illos stultitię filios, qui verè sapientem, & summè sapientem deridebant modo supradicto. Qui, inquit, deridetur ab *Iob 12.* amico suo, sicut ego. Quid enim est sicut ego, nisi ac si diceret, cuius ego, derisus ab amicis meis, typum præfero? Nam ego ab amicis meis derideor, ille deridetur, id est, sine dubio deridendus est ab amico suo, à cõsanguineo suo iudaico populo, cui & loquitur in psalmo. Quoniam si inimicus male dixis- *Psalm.54.* set mihi, sustinuissem vtiq;. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulauimus cum consensu. Nam ille populus mira stultitia eum maledicebat, cum quo dulces cibos capiebat, id est, eũ in cruce pendentem deridebat, quem in tẽplo sacrificiorum ceremonijs figurabat. Et quemadmodum istum Iob amici eius sedẽtem in sterquilinio deridebant, quem sedentem quasi regem circunstante exercitu venerari soliti fuerant, sic scribæ & pharisæi morientem illum deridebant, quem vt verè regem magnum, regem regum in prophetis lectitando prædicabant. Sed enim quomodo amici illi eleuãtes oculos suos nõ cognouerunt, quod ipse esset Iob, si isti nõ cognouerunt, imò cognoscere noluerũt, quod hic esset Christus, qui repromissus fuerat ad patres eorum, noluerunt inquam, cognoscere eleuantes. i. eleuatos oculos in superbiam habentes. Itaq; qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit, ait, deũ & exaudiet eum. Deridetur. n. iusti simplicitas. Ac si dicat: ego derisus sũ ab amicis meis, inuoco deũ, & nondum exaudit me, nondum, inquam, exaudit, vt pro hac derisione in regnum suum cæleste suscipiat me. Alius est qui deridebitur ab amico suo sicut ego, & in ipsa derisione inuocabit Deũ & exaudiet eum, vt pro ipsa derisione gloria & honore coronet eum. Tunc ille dicet. In tribulatione mea in *Psalm. 17.* uocaui dominum, & exaudiuit de templo sancto suo vocẽ meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. Sicut *Esaiæ 53.* enim nunc mea infirmitas, sic & tunc illius iusti deridebitur simplicitas, quòd sicut ouis ad occisionem ducatur, & sicut agnus coram tondente se, sic non aperiet os suum, & reputabitur pro stultitia. Sed enim hoc *Iob 12.* stultum eius sapientius est hominib. Quid enim? Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutũ. Et enim hic iustus, cuius simplicitas deridetur, ille est, de quo in propheta loquitur de⁹. Pro *Esaiæ 62.* pter Syon non tacebo, propter Hierusalem non quiescã, donec egrediatur vt splẽdor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Lampas ista lucens dictis vel doctrinis, splendens miraculis, contempta est apud cogitationes diuitum, apud superbiam tenebrarum quæ lucem illam comprehendere nõ potuerũt. Quare? Quia nõ lucebat quomodo volebant, non splendebat quomodo splendere volebant suũ Messiã, s. ad præsentem & vanam hominum gloriam. Talem enim non expectabant Christum, qualem istum viderunt, sed qualem splendore maligno splendentem suscepturi sunt Antichristum. Idcirco contempta est lampas ista apud cogitationes eorum, maximè vbi per mortem crucis lucem eius se extinxisse putauerunt. At illa parata erat & parata est ad tempus statutum, quo in tempore *Esaiæ 26.* fiet illis, quod scriptũ est: Domine exaltetur manꝰ tua, vt nõ videãt, videãt & confundãtur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret. Illud tempus suum, quo super candelabrum cæli ponenda erat lampas ista prospiciens, derisores tenebrarum patiebatur, *Prouer.13.* dum extingui putaretur, verè lampas sapiẽtiæ pro sua quoq; taciturnitate, iuxta illud. Sapiens tacebit vsque ad tempus.

Quomodo vel vnde diuites fuerint, qui hanc sapientiæ lampadem contempserunt.

CAPVT XI.

ERgo ne diuites erant illi, quorum apud cogitationes lampas ista cõtemnebatur? An diuitum & non magis pauperum sensũ erat contemnere splendida facta, lucida dicta

cta lampadis huius? Planè diuites, sed non de suo, diuites rapto, diuites ex alieno, ita vt cum dictum sit, apud cogitationes diuitum idẽ improperiũ intelligas, ac si dictũ fuisset, *Iob.12.* apud cogitationes prædonũ. Sequitur. n. Abũdãt. n. tabernacula prædonũ, & audacter puocãt deũ cũ ipse dederit omnia in manib. eorũ. Deniq; isti erant prędones dei, prędones vniuscuiusq; proximi sui. Nã cp prædones dei fuerint, testatur ipse deus, dũ in Osee *Osea 2.* de synago illorũ, quęrelam depromẽs dicit. Et hæc nescIuit, quia ego dedi ei frumentũ meũ in tempore suo, & vinũ meũ in tẽpore suo, & liberabo lanã meã & linũ meum quę operiebãt ignominiã eius. Porrò quod proximorũ quoq; prędones fuerint, testatur in Esaia, cum dicit. Vos enim depasti estis vineã meam, rapina pauperis in domibus ve- *Esaiæ 3.* stris. Itẽ: Væ qui cõiungitis domũ ad domũ, & agrum agro copulatis, vsq; ad terminum *Esa.5.* loci. Et his similia. Ergo cũ dixisset. Apud cogitationes diuitum, quasi quæreres vnde vel quomodo ditati sunt, abundant, inquit, tabernacula prædonum. Quare autem non dixit, domus, sed tabernacula prædonũ? Videlicet vt acrius percuteret ingratitudinem illorũ, mala pro bonis deo reddentiũ. Hac etenim dictione nos ad historiã mittit paupertatis & fugæ illorũ, quando fugientes de terra Aegypti, de domo seruitutis, vbi propter venditionẽ fratris sui Ioseph, iusta captiuitate serui erãt, in tabernaculis habitabãt, ne passũ quidẽ pedis de vlla terra habentes, nisi quod eiecit Deus à facie eorũ gentes, & *Gen.37.* sorte diuisit eis terrã eorũ. Dedit, inquã, illis *Psal. 104.* regiones gentiũ, & labores populorũ possederunt. Abundãt ergo, inquit, tabernacula prædonum. i. de tabernaculis ad diuitias, domo quidẽ dei peruenerũt, sed eisdẽ diuitijs tã quam dei prędones abusi sunt. In quo? Audacter, ait, prouocant deũ, cum ipse dederit *Micheæ 6.* omnia in manibus eorũ. Et quidẽ pro hoc ipse in persona sua cõqueri poterat, dicendo. Populę meus, quid feci tibi, aut in quo cõtristaui te? Respõde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, quia eduxi te per desertum quadraginta annos, & manna cibaui te, & introduxi te in terrã satis bonã? Quid vltra debui facere tibi, & non feci? Hæc, inquã, & his similia, poterat ipse cõqueri in propria persona sua, sed taciturnitatem habens vsque ad tempus, quod sapientis erat, expectabat donec istam quærelam de prophetis arreptam per os omnium gentium depromeret, idem sapientiæ spiritus, adiungendo: Parasti crucem saluatori tuo.

Quæ iumenta & quæ volatilia cæli, quæ terra & qui pisces maris docuerint, indicauerint, respondcrint, quòd illa lampas ad tempus statutum parata sit.

CAPVT XII.

Iob 12. NImirum, ait, interroga iumenta, & docebunt te. & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Magna & vera huius spiritus sapientiæ laus, quia non tantum (vt alibi scriptum est) aperuit os muti, *Sapient.10.* & linguas infantium fecit disertas, sed iumẽtis quoq; & volatilibus cæli & piscibus maris, docendi, indicandi atque narrandi auctoritatem dedit. Quę etenim iumenta ista, quę volatilia cæli, qui pisces isti, nisi homines quondam bruti, qui non habebãt notitiam dei? Nam alij quidem iumenta terrę, alij volatilia cæli, alij pisces maris, pro diuersis artibus siue officijs, omnes autem pro hac parte muti eramus atque bruti, nunc autem hic sapientiæ spiritus os nostrum aperuit, & linguas nostras disertas fecit, quatenus diuites imò prædones illos, qui lampadem istam in cogitationibus suis contempserunt, docere possimus, & indicare illis atque enarrare, quòd iste contemptus eorum cęcitas sit, narrare, inquam, & conuincere, si non vt conuertantur, at saltem vt confundantur, & inuidia torqueantur, iuxta illud. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Quis inquit, ignorat, quod omnia hæc ma- *Iob 12.* nus domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersę carnis homini? Imò quis ignorat, quòd is, cuius manus hæc fecit, dominus est? Fecit autem hęc ipse, qui cum esset lampas (vt iam dictũ est) apud cogitationes diuitum cõtemnebatur, fecit, inquam, in tempore statuto ad quod parabatur, nam in tempore suo cum ascendisset super cælos, sedissetque ad dexteram patris, resplenduit magnificè atque emisit dispertitas linguas tanquam ignem, imò verè ignem spiritus sancti, qui & super singulos discipulorum sedit, cuius erat signum illa species ignis, quæ visibiliter apparuit. Ille ignis inuisibilis de paucis apostolis excan- *Actor.2.* descens, omnem terram illuminauit, prędictaque iumenta terræ, volatilia cæli, & pisces maris sic illustrauit, vt sciant docere, & indicare, atque enarrare possint magnalia dei, hominibus siue hominum filijs, id est, Iudęis, & Iudæorũ magistris gloriantibus, quòd soli homines, vel filij hominum sint. Igitur iste dominus, cuius manus hæc fecit, dominus, inquam, cuius in manu est anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis, hominis omnino cuius tanta potestas est, vt de lapidibus homines facere possit. Propter quod dicit. Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra. Euntes docete omnes gẽtes, *Matth.28.* baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Sed ecce alud dicunt, & aliud sentiunt, improperantes nobis quasi iumẽtis homines illi, homines stulti. Nõ, inquiũt, dominus est ille, qui hæc fecit vobis, nõ ille cuius hæc mutatio est, filius est, aut dextera excelsi. Magus erat, seductor fuit, nõ erat verus filius dei. Ad hæc dicimus. Omnia iumẽta terrę, omnia volatilia cæli, omnes pisces

Universidad de Deusto
Biblioteca

maris, quorum hic sapientiæ spiritus, aures aperuit, fauces sanauit. Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem? Quod est dicere. Nõne ipsi scimus, quod experti sumus, aut certius aliquid ab homine audire possumus, quam quod interius spiritu S. reuelante quasi gustando didicim⁹? Scimus. n. quia ex fide huius spiritũ accepimus, & q iumẽta eram⁹, ecce homines, imò dij sumus, & mẽte in cælis cõuersamur, pluresq; ex nobis sic ex illa lampade inflãmati sunt, vt ad conspectum eorum, dæmones abeant & fugiant de obsessis corporibus.

Cur cũm dixisset: In antiquis est sapientia, &c. subiunxit: Apud ipsum est sapiẽtia. CAPVT XIII.

Iob 12. IN antiquis est sapientia, & multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. Quomodo auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem, sic certissima rationis discretione nõ isti, qui prius erant, quasi iumenta dijudicant, quod amplius in isto, vel apud istum sit præ omnibus sanctis vel iustis antiquiorib⁹ Abrahã, Isaac, & Iacob, Moyse & Dauid, & prophetis omnibus. Nam in illis antiquis, in illis qui multo ante tempore fuerunt, sapientia atque prudentia est, videlicet à quibus vel per quos sapientiæ vel prudentiæ thesauros omnes continens, sancta scriptura condita est. Verum aliter in illis, aliter apud istum sapientia est. Nam in illis participatione, apud istum est tota suimet vniuersitate. Amplius autem & in hoc differunt, quòd in illis sapientia tantum, apud istum autem sapientia simul & fortitudo est. *Iob 12.* Etenim illi quod sapiebant, ad effectum perducere non potuerũt, iste autem sapientiam actu perduxit, vsque ad victoriam, destruendo mortem, & reparando vitam. Adde quòd apud istum consilium quoque & intelligentia est. Consilio diaboli calliditatem infatuauit, intelligentia secreta scripturarum siue omnia mysteria dei, non solum obtinuit ipse aut penetrauit, verũ & alijs quibus voluit, & prout voluit, aperuit. Amplius autem & in occultis iudicijs terribilia perpende experimenta eius, quia apud eum est spiritus sapientiæ & fortitudinis. Si destruxerit, nemo est qui ædificet, & si concluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subuertent terram. O derisores, ô stulti diuites, lampadis huius contemptores, quid insultatis, capita vestra mouentes, atque dicentes Vah, *Matth. 27.* qui destruit templum Dei, & in triduo reædificat illud? Nemo si destruxerit, nemo est qui ædificet, nemo est qui lapidem super lapidem reponat. Si incluserit vòs Romana obsidione, quod vtique faciet nemo est qui aperiat, vt vobis siue ab oriente siue ab occidẽte, siue à desertis montibus, loc⁹ effugiẽdi pateat. Sed vos putatis, quòd nulla sit fortitudo eius propter crucem, & *Abacuc 2* clauos quos videtis in manibus eius. Stulti & cæci brachia crucis cornua sunt in manibus eius, & dictante socia fortitudinis sapiẽtia, quæ similiter apud ipsum est, ibi abscondita est fortitudo eius, absconditа, inquam, ad tempus videlicet, donec quoque lancea perfodiat latus eius, & exinde currat perpetuus sanguis & aquæ fluuius. Quare? Nimirum, quia si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subuertent terrã. Si enim integro corpore, si non aperto latere sacrilegas manus, aut linguas vestras cuadere voluisset, atque hoc modo visibiles aquas baptismi, inuisibiles cõtinuisset aquas gratiæ spiritus sancti. Si, inquam, hoc fecisset, omnia vt erant sicca permansissent, quia *Luc. 22. Marci 13. Matth. 27.* verò mori atque lanceari maluit, ecce aquas illas emisit, & terram, id est, peccata subuertit. Idcirco sapientiam & fortitudinem, quæ apud ipsum est abscondere voluit, cum diceretis quasi sapientiã non habẽti, prophetiza nobis, quis est qui te percusit, cum diceretis quasi fortitudinem non habenti. Vah qui destruit templum Dei.

In quo fortitudo apud eum contra Iudaicam superbiam, in quo sapientia contra malitiam extiterit, quorum & baltheum soluit, & doctrinam sustulit.

CAPVT XIIII.

Iob 12. DIxi ergo, & iterum dico, apud ipsum est fortitudo, & sapientia. In quo sapiẽtia? ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. In quo fortitudo? Baltheum regum dissoluet, & præcinget funes renes eorum. Ducet sacerdotes inglorios, & optimates supplantat. Nonne ipse nouit & vestrã ô scribæ & pharisæi decipientem synagogam, & eum qui à vobis deceptus est, miserum populum, quãdo finxistis ei ad decipiendum importunũ fauorem, dicẽdo, & venient Romani & tol- *Ioann. 11.* lent nostrum & locum & gentem? Nouit itaque sapientia eius, & tales consiliarios in stultum finem adduxit. Nam iuxta quod alibi dictum est, qui timent pruinam, irruet *Iob 6.* super eos nix, quia quod vanum erat, cum simulatione timuistis, quòd verum erat timere vos fecit, vt veraciter venirent Romani, & tollerẽt vestrum & locum & gentem, non quia dimisistis, sed quia non dimisistis eum sic. Ita nimirũ sapientia eius, consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporẽ adduxit, ita fortitudo eius baltheũ regum. i. vestrã ô superbi confidentiã dissoluit, & renes vestros, captiuitatis funę præcinxit, duxit sacerdotes inglorios. s. Annam & Caipham, & cæteros sacerdotes eiusmodi, quippe quorũ super vultus, stercus solennitatũ ipsorum proiecit, atq; hoc modo optimates supplantauit, auferẽdo ab illis regnum Dei, *Iob 12.* & dando genti facienti fructus eius. Cõmutans labium veracium, & doctriam senum ause-

auferens, subauditur, sapiẽtia apud ipsũ est. Nã qa veritatẽ recipere noluerunt, miscuit illis spiritũ erroris, & vertiginis, vt qui veraces esse debuerãt, mendaciter scripturas ad suos libit⁹ torqueãt, labijs malè cõmutatis, & hoc modo senibus. i. eis. quib. primis credita sunt eloquia dei, docẽdi auctoritatẽ abstulit. *Roma. 3.* Effundit despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant, eleuãs, subauditur, fortitudo apud ipsũ est. Principes quippe Iudaicæ perfidię contẽptibiles fecit, in toto orbe, & eos qui oppressi fuerãt pectorũ põdere, siue dæmoniaca seruitute, s. gẽtiles, quia fidem eius receperunt, reuelauit magna liberatricis gratiæ libertate. Qui reuelat profunda de tenebris, & ꝓducit in lucẽ vmbrã mortis, subauditur, apud ipsũ sapientia est. Hoc. n. lampas ista fecit, eo ipso, in quo apud cogitationes diuitũ conteneba tur. Nam per humilitatẽ suæ passionis, profunda nostra reuelauit de ignorantiæ tenebris, & produxit in lucẽ notitiæ dei, nos qui sedebamus in vmbra mortis. Qui multiplicat gentes & perdit eas, & subuersas in integrũ restituit, subauditur, apud ipsũ fortitudo est. Hoc etenim & verę & magnę fortitudinis est, magni & terribilis iudicij est, ꝙ cũ multiplicasset gentes, dicendo primis ho *Genes. 1.* minib. Crescite & multiplicamini, perdidit eas, peccãtib. eisdẽ parentib primis. Omnes quippe gentes vniuersos illorũ posteros, ea dẽ sentẽtia perditionis inuoluit. Sed ecce dũ patitur, dũ moritur, & lãpas tã splendida apud cogitationes diuitũ, quasi extincta contemnitur, eadẽ passione vel morte sua quas subuerterat in integrum restituit, in integrum (inquam) vt ne vnus quidem desit ex omnibus quos ad vitam destinauerat, cũ diceret. Crescite & multiplicamini. Qui immutat cor principũ terrę, & decepit eos, vt frustra incedant per inuiũ, palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios, subauditur, apud ipsum sapientia est. Quomodo. n. muta *Esaiæ 6.* uit cor principum populi terræ, & decepit eos, nisi sicut in propheta dictũ est. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanẽ eũ? Itaq; quod extunc frustra incedunt per inuium, quòd palpant quasi in tenebris, & non in luce, quod errãt quasi ebrij totũ hoc magna est materia laudis, huic spiritui sapiẽtię, de quo & mirãda veritate dictũ est, quod eos deceperit, & quasi ebrios errare fecerit.

Quomodo vbi apud cogitationes diuitum contẽnebatur, apud deum patrem erat reuerendus, dicendo: Vocabis me, & ego respondebo tibi, aut certè loquar, & tu respondebis mihi. CAPVT XV.

Heb. 5. INterea quo in schemate contemnebatur apud cogitationes diuitum derisorum, in eodem hic sapientię spiritus hominem in conspectu patris constituerat reuerendum, & pro sua reuerentia exaudiendum, agendo causam pauperum, id est, humilium secundum verba, quæ apud eundem beatum *Iob 13.* Iob postmodum subiecta sunt. Voca me, & ego respondebo tibi, aut certè tu responde mihi, Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea, atq; delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? &c. Hæc nanque cum ille diceret, vocationem illam atque responsionẽ suspirabat, qua perditus homo per obedientiam patientis ac morientis Christi, rursus requisitus est. Rursus, inquam, dudũ enim semel requisitus & vocatus fuerat, scriptu- *Gene. 3.* ra dicente, Vocauitq; dominus deus Adam & dixit ei. Vbi es? Vocanti autem deo, tunc homo non respondit, sed ait. Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Item: Quis enim, inquit, indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quia ex ligno de quo præceperam tibi ne cõderes, comedisti? Dixitque Adam. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Hoccine erat vocanti respõdere? Nempe cum diceret dominus deus, vbi es? vocabat hominem ad cor suum, vt pœnitens responderet. Heu in præuaricatione sum. Ex hoc quidem bonum erat, vt saltem vocanti respõderet, melius autem, vt prior ipse loqueretur. Deus autem responderet, quantas haberet iniquitates. Illud non fecit, non locutus est, sed deum quasi dormire to *Gen. 3.* to meridie permisit, vndè & culpans illum scriptura dicit. Et cum audissent vocem domini Dei deambulantis in paradiso ad aurã post meridiem, &c. Itaq; non locutus est homo, nec deo fecit negotium respondendi, vndè & ingrato silentio, quietus tandẽ quasi post meridiem somno satiatus surrexit, & indignans, quod non fuisset vocatus, prior ipse hominem vocauit. Proinde vt dicere cœpimus, bonum erat vt vocanti deo respõderet homo, melius si prius loqueretur, & peccata sua narraret homo, optimum verò si præceptum dei nunquam fuisset præuaricatus homo. Igitur in persona generis humani vir sanctus, rursus vocari ambiens hominem, illumq; desiderans hominem, qui vocatus responderet sapienter, imò loqueretur prior, aut certè quod optimum est, in semetipsum perfectè obediens esset, & tunc demum pro cæteris loquendo interpellaret, ita dicebat. Voca me, & respondebo tibi, aut certè loquar, & tu respõde mihi, quãtas habeo iniquitates & peccata. Id nuc agebatur, eo nunc intendebat totum præoccupatum habens hominem hic sapientiæ spiritus, cum ab illis stultitiæ filijs deridetur, licut homo non audiens, & non habens in ore *Psalm. 37.* suo redargutiones. Cum deo sapienter & serio disputabat, & idcirco ad respondendum derisorib. illis, interim vacuum tempus non habebat. Veracem omnino & non vanam

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciebat ſpem generis humani, quia dictum fuerat, voca me, & reſpondebo tibi, aut certe loquar, & tu reſponde mihi. Ille primus qui vocabatur, abſcondit ſe à facie domini dei, in medio ligni paradiſi, & nil boni reſpõdit, hic ſecundus homo vocatus aſtabat ante faciem domini dei, in medio ligni crucis, & reſpondebat perfectam atque omnimodam obedientiam patri, imò loquebatur vt reſponderet pater illi, quantas haberemus non iniquitates & peccata, & ſcelera atq; delicta noſtra oſtenderet ei.

Quidnam melius ſit, vocari hominem à deo, & reſpondere illi: aut loqui hominem, & deum reſpondere, & quãtæ eiu iniquitates & peccata ſint.

CAPVT XVI.

COnferamus nũc vtrunq;, & videamus quid melius ſit, vocari ſcilicet hominẽ à deo, & reſpondere illi, an loqui hominem, & reſpondere deum homini, quantæ eius iniquitates & peccata ſint. Dixit enim, vo ca me, & ego reſpondebo tibi, & continuò bonam propoſitionem, ſapiẽtiſsimè in melius corigẽs, atq; perficiens, aut certe, inquit, loquar, & tu reſpõde mihi. Quid? Quãtas habeo iniquitates, & peccata. Hoc ergo quæramus, quo fructu melius ſit, vel ad ſapientiam magis attineat, vt loquatur homo, & deus reſpondeat illi, quàm vt vocet homi nem deus, & homo reſpondeat illi, quantæ iniquitates & peccata eius ſint. Si ritè perpẽdimus, meritum rei reprehenſibile eſt, eo vſque differre confeſsionem peccati, donec dicat iudex deus, quid feciſti? Etiam ſi voca tus ſiue diſcuſſus reſpondeat homo, quantę iniquitates vel peccata ſua ſint, & dicat, pecaui, patientiã habe in me, ſiue indulge mihi, quod Adam feciſſe non legitur, nec fecit filius eius fratricida Cain, etiam ſi (inquam) veritatem reſpondeat vocatus in ius, quod fecit Dauid, iam tamen reprehenſibile eſt, quod vſque ad eiuſmodi vocationem Dei differat homo confeſsionem peccati ſui. Cæterum, præoccupare faciem domini dei, & antequam vocetur vltronea confeſsione lo qui ſapiens conſilium, quo nullum melius homo peccator reperire poſsit. Quare? Videlicet quia vocatus homo vt reſpondeat Deo, oportet illũ reſpondere iudicium, vocatus autem ſiue inuocatus deus ad reſpondendum loquẽte prius homine, & illo priore ſuas iniquitates narrante locũ habet deus vt loquatur miſericordiã, dicatq; interrogãti homini, quãtas habeo iniquitates & pecca ta? dicat, inquam, Nulla. Nã deleui vt nubẽ iniquitates tuas, & quaſi nebulã peccata tua. Longè igitur melius eſt, prius hominem loqui. Et idcirco rectè cum dixiſſet, Voca me, & reſpondebo tibi, continuò quaſi quod minus erat feſtina correctione ſupplẽs, aut certe, inquit, loquar, & tu reſponde mihi. Ecce per Chriſtũ, qui, vt iã dictũ eſt, longè ab eo diſsimilis, qui abſcõditus in medio ligni paradiſi, ẽt cum vocaretur, ſapienter quippiã nõ reſpõdit, aſtitit palam in medio ligni cru cis, & vltro cauſam noſtrã perorauit, ecce, inquã, per illũ, & per eundẽ ſpiritũ ſapientię eius edocti, priores locuti ſumus, quãtas habemus iniquitates & peccata, & reſpondit nobis deus, ecce iã nulla. Vbi nam ſic ſumus elocuti, & ille ſic nobis reſpõdit? Nimirũ in baptiſmate, eiuſdẽ Chriſti dñi noſtri. Sed de hoc alias. Nunc inſtantia proſequamur.

Iob 13.

Geneſ. 4.
2. Reg. 11.

Eſaiæ 44.
Iob 13.

Quam iuſtè, quam fortiter pro omni mundo orauerit, caput pro membris, dicendo: Cur faciem tuam abſcondis, &c. quomodo veram ſapientiã iſta ipſius ancilla comitata ſit eloquẽtia. CAPVT XVII.

ADeò conſpicuam ſeſe preſenti loco exhibet vera ſapientia, vt nuſquam paratior ad comitatũ eius excurrat ſecularis elo quentia, quæ ferè in omnibus ſcripturis ſanctis vltro ſapientiæ ſic obſequitur, vt ſolam veritatem quærentes, dictorum quoq; pulchritudine vel vocum elegantia iurę delectemur. Nã ecce quam dicunt perfectiſsimã atq; abſolutiſsimã, argumentationẽ in hac ſcriptura, quæ vtiq; cunctis rhetoribꝰ, Græcis ſiue Latinis antiquior eſt, pulchra & ſuauis oratio, quinque partibus perſcripta, ſcilicet propoſitione, ratione, rationis confirmatione, exornatione, complexione. Proponit nanq; fidelis orator pro nobis omnibus, cũ dicit. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuũ? Contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris. Protinus rationẽ huiuſmodi infert. Scribis .n. contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Rationis confirmationẽ annectit continuò, cum dicit. Poſuiſti in neruo pedem meum, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea. Adiungit protinus exornationem ambitioſiſsimam, exornationem non verbis phaleratã, ſed humilitatis nimiæ ſuaui veritate, & vera ſuauitate inſtructiſsimã, atque idcirco prævalidam ad occupandas aures, ad flectendam iuſtitiam, atque ad cõcutiendam eius miſericordiam, cũ qua graues inimicitiæ nobis erant. Homo, inquit, natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudiciũ? Quis poteſt facere mũdũ de imundo concepti ſemine, niſi tu q̃ ſolus es? Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius, qui præterire non poterunt. Tandem complexione elegãti vtitur, cũ dicit. Recede paululũ ab eo vt quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarij dies eius. Magna & vehemẽs argumẽtatoris

Iob 13.

Iob 14.

tatoris huius, i. ſpiritus ſapiẽtię concertatio, & quantum in ſe erat valens conſtringere deum ad reſpondendum, quantas haberet homo iniquitates & peccata. Si tanti oratores antiqui, veteres ſancti, quorũ hic ſermo erat, libera fronte in auditorio cęleſti aſsiſterent, & nullus peccatorum maculis cooperti, aut cõtaminati fuiſſent, hoc vnum idem maximum intererat, & aſsiſtẽtis iudici deo miſericordiæ voces retardabat, quia maculatas antiquo probro perſonas iuſtitia repelebat. Ecce autem vnus aderat, atque pro omnibus aſsiſtebat, homo reuerendus & pro reuerentia dignè exaudiendus, in quem nihil quærelę haberet iuſtus naturę noſtrę iudex deus, imò apud quem magnæ viciſſitudinis debitor teneretur deus. Peccatũ quippe, neque originale contraxerat, neq; actuale commiſerat, & tamen peccati pœnam, id eſt, mortem propter præceptum eius, obedienter ſubibat. Dicebat igitur. Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates & peccata, ſcelera mea atque delicta oſtẽde mihi. Quid ad hæc deus reſponderet? Nunquid illi reſpõdere poterat, quòd vllas haberet hic homo iniquitates, aut peccata in propria perſona, & non potius iuſtificationes & merita? Proinde iam illum arguere Deum decebat, vt diceret. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicũ tuũ? Quod ſi ille reſponderet, non ego à te faciem meam abſcondo, neque arbitror te inimicum, imò filium meum chariſsimum, ſicut teſtificatus ſum voce ad te delapſa, à magnifica gloria, & dixi. Tu es filius meus dilectus, in te mihi cõplacui. Habebat iſte vocẽ vtiq; conſtantẽ, cauſamq; legitimã, vt diceret veraciter, quod vni ex minimis meis, imò omnibus meis feciſti, mihi feciſti. Nam verè eius erant, omnes iuſti ſiue electi, qui eum expectauerant ab origine mundi, & omnibus illis abſcõdebat deus faciem ſuam, interpoſito pariete inimicitiarum, arbitratus eos inimicos ſuos propter peccatum, q̃ peccauit cõmunis omniũ pater Adam. Erant etenim illi quoq; natura filij iræ, ſicut & cæteri. Cur ergo, inquit, faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? In quo? Scribis enim cũtra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentię meę. Scribis enim, imò ſcriptas apud te retines contra me amaritudines, quas hoc modo homini elocutus es. Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & de ligno ex quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terrę. In ſudore vultꝰ tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Eiuſmodi amaritudines extunc ſcribis contra me, ſimulque conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Siquidem tam pro originali, quàm pro actualibus peccatis, quæ adoleſcẽtiæ leuitate commiſſa ſunt, de quibus Pſalmiſta, Delicta, inquit, iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, hactenus vnumquenq; conſumere vis. Deinde poſuiſti in neruo pedẽ meũ, ſunibus peccatorũ ſuorũ conſtringens vnũquenq;, vt non quæcunq; velit illa faciat, vt cõdelectetur nonnunquam legi dei ſecundum interiorem hominem, videat autem aliam legẽ in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuum ſe ducentem in lege peccati quæ eſt in membris ſuis.

1. Petr. 1.
Matth. 3.
Ioann. 1.

Ephes. 2.
Geneſ. 3.

Pſalm. 24

Quòd iuſtè exauditus ſit pro ſua reuerentia, ſecũdum quod & Apoſt. ait: Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia dei, & donũ in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

CAPVT XVIII.

HAec cæteraq; iam dicta, vel his ſimilia cũ clamore intimo, clamore, vt ait Apoſt. valido & multis lachrimis perorando, per hunc ſapiẽtiæ ſpiritũ, victoriã obtinuit, in iudicio, ſecundũ rationẽ æquitatis, quam perpendens idem Apoſt. ita dicit. Si enim vni delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia dei, & donũ in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et ſubinde. Si .n in vnius delicto mors regnauit per vnũ, multo magis abundantia gratiæ donationis & iuſtitię, accipiẽtes in vita regnabũt, per vnũ Ieſum Chriſtũ. Itẽ: Sicut per vnius delictũ omnes homines in condemnationẽ, ſic & per vniꝰ iuſtitiã omnes homines in iuſtificationẽ vitæ. Sicut .n per inobediẽtiam vniꝰ hominis peccatores cõſtituti ſunt multi, ita & per vnius obedientiã iuſti conſtituẽtur multi. Quid aliud reſpõderet, aut cenſeret pater æquus, deus iuſtꝰ? Quid .n. æquius, quid rationabiliꝰ? Aut nunqd illa sũma maieſtatis altitudo minus prõpta eſſe deberet ad gratiã clementiæ, quã fuiſſet ad iram iuſtitiæ? Per vnum quippe hominem, in hunc mundũ peccatũ intrauit, & p̃ peccatũ mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Sic prompta iuſtitia iudicantis extitit, vt vno peccante, nos omnes qui nec dum fueramus nati, ſuſciperemus hæreditatem peccati, hæreditatem mortis. Fatemur iuſtam fuiſſe vindictam, veram & irreprehenſibilem iuſtitiam. Non enim aliud iure poſsiderent filij, niſi quod à parentibus theſaurizatum fuit. Sed ecce generis noſtri pater alius, non in carne, ſed in ſpiritu. Gratias huic ſpiritui ſapientiæ vnico, multiplici, ſubtili, mobili, diſerto, certo, ſuaui, benigno, ſtabili, quia ſubtilitate, mobilitate atque acumine ſuo modum inuenit, quo nos illi veteri natos, regeneraret huic homini nouo. Num ergo minus, vt iam dictum eſt, larga eſſe poterat diuinitas ad iuſtificandum per gratiam clemẽtiæ, quam fuerat ad condemnandum per iram iuſtitiæ? Igitur non perturba-

Rom. 5.

Ibidem.

Ephes. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

to aut confuso ordine veteris iudicij, sed remota causa per quã subintrauerat iudicium mortis, prolatũ est responsum vitæ & pacis, totusq; paries inimicitiarum solutus est.

De eo quod ait Lucæ vigesimotertio: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, sciens se resurrecturum, & hinc esse illud: Lignum si præcisum fuerit, habet spem. CAPVT XIX.

TVnc iste nouus Adam obdormiuit, atque obdormiens dixit. Pater in manus tuas commẽdo spiritum meum. Certus hoc dixit, certus inquam, & securus, quòd commendatum vel depositũ suũ cum grandi esset lucro recepturus, sicut & factũ est. Nam quia sic tradidit spiritum suum, ecce omnibus filijs suis, omnibus filijs regenerationis suę, acquisiuit paracletum spiritum sanctũ, & ipse recepit suum. Aliàs autem, nisi spiritum suum, spiritum vitæ suæ hic homo tradidisset, spiritus paracletus in eo ipso, quod paracletus est, scilicet in dando remissionẽ peccatorum, non venisset. Proinde & dicebat. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam. Si enim nõ abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Itaque quemadmodũ illi veteri Adæ dormienti statim, costa de latere subducta, & in coniugem illi ædificata vel formata est vt posteritas propagaretur, sic isti nouo Adæ, iam in morte soporato, de patefacto eius latere, sanguinis & aquę sacramentum productũ est, & exinde statim ecclesia reformata, de qua multi per orbem terrarum filij nascerentur. Nam quod optimè nouit, & nosse debet fides Christiana, statim vniuersa priscorum electorum, quantacunque ab origine mundi collecta fuerat, apud inferos redemptionem suam expectãs, illo sanguine & illa aqua emundata, regenerata atque huic viro copulata est, & exinde quot singulatim de cunctis gentibus baptizantur, tot filij de isto viro, & de ista eius coniuge nascũtur. Nec verò cum sic obdormiret, quàm citò euigilaturus esset, ignorabat, quàm citò spiritum suum quem in manus patris tradebat, cum tanto peracto obedientiæ fructu resumpturus esset. Nam & antea cum dixisset de hac dormitione sua, ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, continuò subiunxit. Et tertia die resurget. Idcirco quia supra scilicet sãctus Iob post illa quę supra dicta sunt, continuò dicit in eum. Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum vires it, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquę germinabit & faciet comã, quasi cum primum plantatum est. Quod est enim hoc lignum, nisi is ipse qui cũ præcideretur, dicebat, quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Itaque si præcisum fuerit, rursus virescit, subauditur, tertia die velocitate resurrectionis. Hoc idcirco, quia nihil vnquam habuit ariditatis id est, homo erat absq; omni corruptione peccati, imò, quia nõ solum homo, sed & Deus erat, cuius viror nunquam deficit. Cæterum, de homine, qui homo tantum, & non Deus est, qui in peccatis nascitur antiquæ præuaricationis, & idcirco comparari vel coæquari non potest huic tã viridi ligno, continuò subiungit. Homo verò cum mortuus fuerit, atque nudatus & cõsuptus, vbi quæso est? Quomodo si recedãt aquę de mari, & fluuius vacuefactus arescat, sic homo cum dormierit non resurget. Donec atteratur cælum, non euigilabit, nec cõsurget de somno suo. Est ergo hic homo lignum vitæ semper virens spiritu sapientiæ, quod vt nobis fructificaret & in præsẽti vitã animarũ, & in futuro resurrectionẽ corporum, quando atteretur cælum præcidi se permisit, non dubitans, quod continuò post triduum reuiresceret, euacuata in semetipso præcisione eius, quam solam pertulerat, mortis corporis.

Lucæ 23. *Ioann. 16.* *Genes. 2.* *Iob 14.* *Luca 23.* *Luca 18.* *Iob 14.*

Qualiter hic sapientiæ sacramentum dum fieret, absconditum fuerit ab oculis omnium viuentium, & quomodo Iudæi derisores eiusdem sapientiæ inexcusabiles sint. CAPVT XX.

HOc opus huius sapientiæ spiritus sacramentum tunc interim dum fieret, erat absconditum, vt nemo sciret vsque ad tempus statutum. Vndè & idem beatus Iob in parabola sua sic inter cętera loquitur. Vnde ergo sapientia veniet. & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omniũ viuentium. Volucres quoque cæli latet. Perditio & mors dixerunt. Auribus nostris audiuimus famam eius. Ab oculis, inquit, omniũ viuentiũ. Veraciter ab oculis omniũ viuentium. Nam nemo omniũ hominum, qui tunc in carne viuebant, nouerat, quid ageretur per crucis Christi patibulum, nec fallitem quisquam Apostolorum. Vnde & subiunctum est. Volucres quoque cæli latet. Volucres quippe in hoc loco in bonam accipiendi sunt, videlicet de qualibus dictum est. Simile est regnum granorum sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius. Præ cunctis eiusmodi volucribus Apostoli sublimius euolauerunt, veruntamen & ipsos latuit tunc dum fieret hoc sapientiæ mysterium. Perditio & mors dixerunt, Auribus nostris audiuimus famã eius, id est, maligni spiritus, qui perditiõis & mortis inuentores extiterũt, quid cõtra se agere tur præuidere nõ potuerunt, quippe qui ab initio radijs sapiętię suos oculos occluserũt, & lumini eius rebelles extiterunt. Cæterùm mortuorũ communi morte nonnulli hoc scire potuerunt, maximè autem patriarchæ & prophetæ quorum nouissimus Ioannes nuper sublatus fuerat de cœtu viuentium, qui vtique sacramentum hoc cum viuẽtes præcinuerint, mortui iam non ignorabant, sed desiderio magno expectabant aduenturum. Proinde rectè non dictum est tantũ, abscondita est ab oculis omnium, sed cum determinatione omnium viuentium, id est, tũc temporis in carne cõmanentium. Quid igitur? Nũ excusabiles fuisse cõsequitur derisores illos, qui illum crucifixerũt, & crucifixum deriserunt, quia sua voluntate abscõdita erat hæc sapientia ab oculis omnium viuentium? Non vtique. Sequitur enim. Quãdo ponebat plluuijs legẽ, & viam procellis sonantibus, tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit & inuestigauit, & dixit homini. Ecce timor domini ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia. Cui nam homini priusquam Iudæo apud quẽ hoc sapientiæ sacramentum conditum, & cum conderetur derisum atque contemptum est, cui, inquam, homini priusquam huic Deus ponendo legem pluuijs, & viam procellis sonantibus, dixit. Ecce tmor domini, ipsa est sapiẽtia? Legem quippe pluuijs ponere fuit, & viam sonantibus procellis, prædicatoribus indicere, vt viuendo implerent, quod loquendo suadere festinabant, quatenus prædicatio non contempta, quasi procella sonans expeditiori via curreret. Hanc legẽ primò Moysi, & prophetis, deinde apostolis deus posuit. Totum hoc primitus apud Iudæum, nam illis primum legalia siue prophetica eloquia dei credita sunt, & illis primum sicut oportuit, prædicatum est Christi Euangelium. Vtrobique illi primò dictum est. Ecce timor domini ipsa est sapientia, hoc enim consonanter tam prophetica quam euangelica categorizat scriptura. At ille proteruus dominum nõ timuit, semper illi ab initio rebellis extitit, maximè verò illo tempore, quo hæc facta sunt quando impleuerunt mensuram patrum suorum persequendo & occidendo Christum, cuius prophetas absque timore domini occiderant patres eorum. Non igitur excusabiles sunt, quia videlicet non idcirco non timuerunt dominum, quia abscondita erat sapientia ob oculis eorum, sed idcirco abscondita est, vt nunquam inuenirent eam, quia non timuerunt dominum. Nam econtrario, qui timuerunt dominum ipsis reuelatum est, quanquam essent homines idiotę, ac sine literis, ipsi scierunt sacramenta dei, iuxta confessionẽ dicentis. Cõfiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscõdisti hæc à sapiẽtib. & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Quomodo dicatur Deum dixisse homini: Ecce timor domini ipsa est sapientia, cũ alius sit sapiẽtiæ, alius timoris spiritus, & ex eo quoq; quia hoc Deus dixit homini, Iudæi & omnes stulti inexcusabiles sint.*

Iob 28. *Roma. 3.* *Psalm. 110.* *Pro. 1. & 9* *Eccle. 1.* *Matth. 11.*

CAPVT XXI.

SEd quomodo septem spirituum numero atque ordini notissimo, qui & præsenti opere à nobis susceptus est, dictum hoc non repugnat aut discrepat, ecce timor domini ipsa est sapientia? Si enim timor domini ipsa est sapientia, quomodo non minoris, sed eiusdem auctoritatis alia scriptura quæ dicit: Et requiescet super eum spiritus domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, &c. alium timoris, atq; alium sapientiæ Spiritum computat, amboq; ab inuicem loco vel gradu septimo disterminat? Ad hanc inquisitionẽ ecce tertia nobis succurrit scriptura, dictione temperata, quasi vtriusq; mediatrix, videlicet ea quæ dicit. Initium sapientiæ timor domini. Cùm enim sic dicit, duarum quas prædiximus tubarum, siue organorum spiritus sancti consonantiam patenter astruit, quia videlicet timor domini, initium sapientiæ est, initium autem sapientię, sapientia est, licet nõdum perfecta, quomodo aurora siue diluculum iam dies est, licet nondum plena. Est igitur timor domini sapientia, id est, initium vel primus gradus sapientiæ. Sic & pietas sapientia, id est, secundus gradus sapientiæ, & scientia sapientia, id est, tertius gradus sapientiæ, & fortitudo sapientia, id est, quartus gradus sapientiæ, & consilium sapientia, id est, quintus gradus sapientiæ, & intellectus sapientia, i. sextus gradus sapientię: Septimo autem gradu cum dicitur sapientia, plena intelligitur atq; perfecta, cuius officium est cessando ab actib⁹, & vacando contemplationi præoccupare iam bona futura, bona æterna, iuxta illud. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, quæ videlicet pars, non alia est quam ipsa sapientia, in propria specie videnda. Proinde cum dixisset, absconditа est ab oculis omnium viuentium sapiẽtia, ne quis desperaret, aut absconsionem eius reprehẽderet. Ecce inquit timor domini ipsa est sapientia. & hæc dicendo quasi ostium aperuit, primumq; gradum ostendit quo paruulus ad sapientiam superbis absconditam ascendere incipiat. Iam illuc accesserant illi viuentes qui sese à stultis, & peccatoribus male viuentibus & dominũ crucifigentib⁹, segregauerãt. s. apost. & ille quoq; B. Ioseph ab Arimathia vir bon⁹ & iust⁹, de quo Euãgeliũ refert, quia nõ cõsenserat cõsilio & actib. eorũ. Huic planè sapiẽtia erat, timuisse dominũ, & in hoc primo gradu audisse sapientiã, dicentẽ, Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, veni nobiscũ, insidiemur sãguini, abscondamus tẽdiculas cõtra insontẽ frustra, deglutiemus eũ sicut infernus viuentẽ, & integrũ quasi descendentẽ in lacũ. omnẽ pretiosam substantiã inueniemus, implebimus domos nostras spolijs, sortẽ mitte nobiscũ, marsupiũ vnum sit omniũ nostrũ, fili mi ne ambules cũ eis. Prohibe pedẽ tuũ à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malũ currũnt, & festinãt, vt effun-

Luca 10. *Luca 23.* *Prou. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

effundant sanguinem. Veruntamen ab istorum quoq; viuentium scilicet apostolorũ, & illius B. Ioseph oculis, adhuc absconditа erat sapientia, nesciebant Christi mysteria, ignorabant quæ vel quanta foret crucis & mortis eius vtilitas Quia verò timendo dominum, & non acquiescendo, iactantibus se peccatoribus, quasi in foribus sapientiæ steterunt, ideo sursum vocari & ascendere ad sapientiam meruerunt, id est, accipere ad cognoscenda Dei sacramenta hunc de quo loquimur sanctum sapientię spiritum.

Quod dicit: Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, aut ad præceptum tuum eleuabitur aquila? CAPVT XXII.

Iob 39. SEcundum hæc rectè illud intelligitur, quod eidem Iob respondens de turbine dominus de eiusmodi volucribus cæli, post multa dicit. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandẽs alas suas ad austrum? Aut ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suũ? In petris manet, & in præruptis silicibus cõmoratur, atque inaccessis rupibus. Inde cõtemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambent sanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, & statim adest. Nunquid ait, per sapientiam tuã plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Quia per annos singulos pennam veterem accipiter noua nascente proijciat, ac sine intermissióe plumescat, penè nullus ignorat. Non autem hic illud plumæ tẽpus dicitur, quo in nido vestitur: quia tunc nimirum ad huc pullus ad austrum alas expandere non valet, sed illa annua pluma describitur q̃ laxata vetere pẽna renouatur. Eqdẽ domesticis accipitrib. quo melio plumescere debeãt minuta ac tepentia loca requiruntur, agrestibus verò moris est, vt flante austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem, venti tepore cõcalescant. Cum ergo ventus deest alis contra radium solis expansis, atq; ita perçusis, tepentẽ sibi auram faciunt, sicq; apertis poris vel veteres exiliũt vel nouæ succrescunt. Quid est ergo accipitrem in austro plumescere, nisi quod vnusquisq; sanctorum tactus flatu sancti spiritus conualescit, & vsum vetustæ conuersationis abijciens, noui hominis formam sumit? Hoc maximè iam dictis contigit apostolis, qui cum essent vetustæ volucres, id est, homines, propter carnalẽ sensũ tardiores, & propter hoc eos hæc sapientia lateret: ad hoc reseruari meruerunt, timendo dominum, vt flante austro plumescerẽt, id est, adueniente super eos spiritu sancto, nouis gratiarum pennis subleuati, cęlestis sapientię secreta perspicerent. Porrò quod sequitur. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & cætera, cum de cæteris valeat intelligi, maximè de Ioanne intelligendum auctoritas ecclesiastica tradidit, qui sublimius volando terram deseruit, & super omnes cælos mente iuit, quippe qui per subtilem intelligentiam, interna mysteria verbi videndo penetrauit, & scribendo claro testimonio declamauit.

Quòd cum dicimus eo respectu absconditam ab oculis omnium viuentium sapientiam, iure tamen beatam quæ tunc viuebat excipimus Mariam, & quòd eadem sapientia qua in principio dictum est: Genesis primo, Fiat lux, nunc dixerit Apostolis: Accipite spiritum sanctum. CAPVT XXIII.

Iob. 28. ERat ergo in hoc mundo solus, qui sciret Genes. 1. sapientiam tunc temporis, Christus ipse Dei sapientia. Nam sicut iam dictum est, ab oculis omnium viuentium absconditа erat sapientia, & volucres quoque cæli latebat. Et quomodo in illo antiquo principio cum creasset Deus cęlum & terrã, terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciẽ abyssi, sic & in isto nouo creaturę nouę prĩcipio, totus mundus à sapientiæ cognitione inanis & vacuus erat, & tenebræ ignorantię erant super faciem cordis totius generis humani. Veruntamen beatam dei genetricem tunc viuentem confidẽter excipimus, quia nequaquam ab oculis eius hæc sapientia se absconderat. Prophetissa enim hęc erat, prophetissa, inquam, nulli prophetarum cõparanda, cuius in sacrarium pectoris spiritus sanctus prophetias omnes conuexerat. Hac itaque sola excepta, omnis terra erat inanis & vacua, & tenebræ vt iam dictum est, ignorantiæ erant super faciem abyssi, super omnem animam totius generis humani. Porrò Prouer. 8. hæc sapientia secundum substantiam illa erat, quæ dudum in Salomone dicebat. Dominus possedit me, ab initio viarum suarũ, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum. Et subinde. Quando appendebat fundamenta terræ, cũ eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarũ, & delitiæ meę cũ filijs Genes. 1. hominũ. Delectet igitur cunctos vtriusq; ludi spectatores beneuolos, quia & illic in initio veteris creaturę dixit. Fiat lux, & facta est lux, diuisitq; lucem & tenebras, & hic in initio nouæ creaturæ lucem inuexit inferis, vt viderent lucem veram, Deum verum, qui hactenus sedebant in tenebris omnes electi ab origine mundi, imò transirent de regione tenebrarum, ad patriam æternæ claritatis, essentque ibi lux, videndo substantiam veræ lucis, lux, inquam, diuisa à tenebris inferni, & nos qui viuimus, essemus lux diuisa à tenebris huius mundi, dicente Apostolo. Fuistis aliquando tene- Ephes. 5. bræ, nunc autem lux in Domino. Nam Ioan. 20. & viuis lucem intulit dicendo postquam Matth. 5. resurrexit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & extunc impleuit Apostolis suis quod promiserat, dicendo, Vos estis lux mundi.

mundi vtrobiq; scilicet & in illo veteris, & in isto nouæ creaturæ opere, sapientia hæc satis amabiliter coram domino lusit.

Quomodo eadem sapientia lusit hic & illic, & quod lusit illic bene coram domino, sed hic melius, vbi sic lusit coram deo, vt illuderet diabolo.

CAPVT XXIIII.

QVem tandem ludum nos homines pulchriorem esse vel fuisse cẽsebimus, quo magis iure delectamur? Nempe hunc ludũ postremum magis probamus, & hoc ludo magis delectamur, magis enim hic pertinet ad nos, & totꝰ factꝰ est propter nos Et vt vera discretione vtamur, illic cælum & terram creando bene quidem lusit coram domino, sed hic nouos cælos & nouam terram creando sic lusit coram domino, vt illuderet diabolo. De qua videlicet illusione dicebat ipse dominus ad beatum Iob. In oculis eius, Iob 40. quasi hamo capiet eum, & in fudibus perforabit nares eius. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nũquid pones circulum in naribus eius, & armilla perforabis maxillam eius? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet pactum tecum & accipies eum seruum sempiternum? Nunquid illudes ei quasi aui, & ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, diuident illum negotiatores? Nũquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustiũ piscium capite eius? Nã ad singula subaudiendũ est, vt ego. Hoc planè propter nos homines factum est, nam illud prius sapientiæ opus, tam propter angelos, quàm propter nos homines. Nobis quippe Leuiathan infestus erat, quod nomen eãdem infestationem diaboli significat. Leuiathan quippe additamentum eorum dicitur. Quorum videlicet nisi hominum, quib. semel culpam præuaricationis intulit, & hanc vsque ad mortem æternam quotidie pessimis suggestionibus extendit? Quibus dũ reatum fœnore multiplicat, pœnas proculdubio sine cessatione coaceruat. Potest quoq; Leuiathan etiam per irrisionem vocari. Primo quippe homini persuasione callida, diuinitatem se additurum perhibuit, sed immortalitatem tulit. Additamentum igitur hominum per irrisionem dici potuit, quib. dum hoc quod non erant se addere spopõdit, etiam hoc quod erat fallendo subtraxit. Quo modo isti hic sapientiæ spiritus illusit. In oculis, inquit, quasi hamo capiet eũ. Quis nesciat quòd in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim prouocat, vt aculeus pugnat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quẽdam de se in necem diaboli hamũ fecit. Assũpsit enim corpus, vt in eo quasi escam suam mortem carnis appeteret, quam mortem dum in illo iniustè appetit, nos quos quasi iniustè tenebat, amisit. In hamo ergo eius incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quæ ad se deuoratorẽ duceret, ibi diuinitas, quę perforaret. Ibi aperta infirmitas quæ prouocaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucẽ transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interijt, vnde deuorauit. Et quidem filium dei incarnatum nouerat, sed redemptionis nostræ ordinẽ nesciebat: sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus dei filius fuerat, sed omnino quod idem redẽptor noster illum moriendo transfigeret, nesciebat Vnde & bene dicitur. In oculis eius quasi hamo capiet eũ. In oculis quippe habere dicimur, quod corã nobis positũ videmꝰ. Antiquꝰ verò hostis, humani generis redemptorem ante se positum vidit, quẽ cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens. Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos. In oculis ita Marc. 1. Luca 4. que suis hamo captꝰ est, quia & nouit & momordit.

De illo illuso per passionis Christi mysterium quàm veraciter dictum sit, Nunquid feriet pactum tecum, aut accipies eum seruum sempiternum?

CAPVT XXV.

HAec & cætera quæ supra posita sunt, si rectè spectator attendat, sicut notæ auctoritatis beati Gregorij demonstrat expositio prælucida, nihil hoc ludo sapientiæ coram domino pulchrius, nihil hac illusione spiritus sapientiæ delectabilius. Vnum illic Iob 40. dictum est, quod libentius ad præsens reuocamus spectaculum, scilicet quod ait. Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum. Hoc enim tam magnificè dictum, tam mirificè est gestum, vt si adsit spectator beneuolus, non satietur oculus visu, nec auris auditu quomodo enim dictum est. Nunquid feriet tecum pactum, aut accipies eum seruum sempiternum, sub auditur, vt ego, nisi ac si diceretur, nunquid sic illo veteris tanquam iurato tibi seruo, seruo sempiterno? Nam voluntate quidem aduersatur. vnde & græco vocabulo dicitur sathanas, id est, aduersarius, actu autem est seruus sempiternus, & sic seruit tanquam sit fidelis, ita cooperatur & bonis proficit tanquam adiuuare velit spiritum domini, & sic vigilantia eius procedit, tanquam maturet consilium dare & ostendere illi. Quomodo autem vel quando factum est, vt vteretur deus actu diaboli tanquam iurato seruitio, tãquam fideli ministerio? Imò quãdo quippiam egit diabolus quod non proficeret deo, vndè non accresceret amplius laus & gloria domino deo? Ex quo cecidit de cælo superbus hic angelus, & ad laudem vel gloriam iusti iudicis dei, factus est diabolus, quicquid vnquam egit vel agere voluit, totum ad obsequium & honorem DEI profecit, & proficere non desinit,

Leuiathan.

Gregorius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nit vsque in finem seculi. Vnde & initio ministerij eius deo quidem operosi, sibi autem inutilis & damnosi dictum est illi. Super pectus tuum gradieris. Quod est dicere. Sicut hoc reptile, cuius calliditate abusus es, super pectus graditur, & seipsum in terrā premit, sic tu diabole, cum sis rationalis spiritus, rationale tuum graui semper fatuitate onerabis, & quocunque te verteris, semper intentionem tuam deorsum cōteres, & factis premes contrarijs. Verbi gratia. Inuidendo euacuasti meritum hominis, sed hoc facto gratiæ dei locum aperuisti, cui amplius inuidebis, dum homo seipso tanto fiet altior, quanta gratia dei, cuiuscunque creaturæ meritis est maior. Abhinc vsque in finem, dum deo volens aduersaris, deo nolens cooperaris, & ita circulum habens in naribus tuis, super pectus tuum gradieris, quia miro ordine & mala intendis & bona agis, dum persequendo efficis hoc ipsum quod vt destruas persequeris, dum quasi malleolus, aurum dei nequiter affligis, & affligendo ad gloriā extendis. Cuncta hæc subtilissimè perpendens vir sapiens dicit. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerūt sibi tormenta sua. Ac si diceret. Tantus illorum furor est ex inuidia propter successus bonorum, vt temperare sibimet nequeant, quin agāt quod ad maius sibi proueniat tormentum. Vnde si quæras, quid habeat diabolus, cur tantopere agat ea, quibus factis amplius doleat, suæque voluntati nocens, alienę virtuti plurimum proficiat, ecce iam habes, quia furor causa est. Nam tam de illo quàm de satellitibus eius malignis spiritib. in furore suo, inquit, confirmauerunt sibi tormenta sua. Mirum hoc tibi fortasse videatur, si nunquàm audisti, quod homo quoque per furorem occiderit semetipsum. Spectemus nunc vt cœpimus circa Christum huiusce furoris eius fatuitatem, & huius de quo loquimur spiritus sapientię laudem. Dicebant pharisæi, & illis dicentibus, dicebat vtique diabolus, qui loquebatur in eis. Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eū abit. Item, Quid faciamus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Dū hæc dicerentur, dum hæc agerentur, intendebat vtiq; possessor eorum diabolus, ne mundus iret post eum, ne omnes crederent in eū sed hoc ipsum intendens egit, quod erat cōtrarium, vt scilicet mundus totus iret post eum, vt omnes crederent in eum. Seruiuit ergo tanquam seruus sempiternus, seruiuit tanquam iurati custos pacti vigilantissimus domino suo regnum, sibi autem eodem seruitio confirmans tormentum. Non postulabat Deus holocaustum, & pro peccato, id est, vitulos, aut certè pingues agnos, sed vno opus erat agno in sacrificium pro toto mundo. Nec huic negotio defuit malus seruus, insistens seruitio necessario: intrauit enim in Iudam Scarioth, & egit, vt traderetur ad victimā hic agnus melior, in illa nocte qua comedebatur ille paschæ veteris agnus per singulas domos. Intendebat deus vel dei sapientia facere irritam venditionem, qua semetipsum primus homo vendiderat, transgrediēs præceptum, vana sibi diuinitatis spe proposita, adiuit & hanc intentionem bonā, seruus hic nequam, agendo vt venderet hūc hominem traditor, qui vendidit illum ius nullum habebat. Intendebat diuinitas huic homini dare regnum, & subijcere potestati eius omnia regna mūdi, adiuuit & in hoc seruus iste agendo, vt per furiosum iocum pura vestiretur, sceptro, id est, calamo donaretur, coronaretur, vt regio nomine salutaretur. Quodque non minus miremur, quia cogitabat dominus ponere in eo iniquitates omniū nostrum, spinea erat corona, ne posset negare seruus illusor quin iste dominus omniū spinas portauerit peccatorū nostrorum. Omnibus his modis illudendo, funeligandam præbuit linguam suam, nec dicere potest factam sibi vim aut iniustitiam in eo quod hic regna mundi ad se traxerit, quippe qui licet per iocum nequissimum, regalia tamen insignia circundedit illi. Deposcebat ordo salutis nostræ, vt quia per lignum facta fuerat culpa, per lignum quoq; fieret iustitia, & nihilominus in hoc mali huius serui nequitia seruiuit agendo vt in ligno suspenderetur homo, qui culpæ non subiacuerat. Decebat, vt mundaret posidentis gratia, quos absoluerat redimentis pœna, egit hic seruus vt eius, iam mortui latus aperiretur lancea, vnde statim exiuit sanguis & aqua. Quis vniuersum hunc ludum dignè queat admirari, quo hic spiritus sapientię generis humani illusorem sic potenter euicit, sic sapienter illusit? Quis proinde dicti huius magnificentiam, nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternū, dignè æstimare posit. O igitur altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius.

Gene.3.
Ecclē.19.
Ioan.12.
Ibidem 11.
Ioan.13.
Ioan.19.
Iob 40.
Roma.11.
Esa.53.

Quomodo ad eiusdem sapientia rationem spectet, quod idem dominus habens potestatem vitæ & mortis, non ante tertium diē resurgere voluit ex mortuis.

CAPVT XXVI.

ADe andē sapientiæ pulchram rationē rationabilemq; pulchritudinem, illud quoque per maximè spectat, quod idem dominus, vitæ & mortis habens potestatem, non ante tertium diem resurgere voluit. Cur ita factum sit vel fieri debuerit, aut decreuerit, dicere molimur, licet & hoc vt cætera nostro sensu longe altius sit. Ternarius numerus qui apud seculares philosophos quoq; insignis habetur, pro eo quòd imparium & eorum, qui præter vnitatē nullam aliam

lam aliam recipiunt sectiōem primus est numerorum, apud nos longè amplius præclari nominis, imò primæ ac diuinæ est auctoritatis, tam propter ipsam essentiam sanctæ indiuiduæ trinitatis, quàm pro eo quòd saluator noster tertia die resurrexit à mortuis. Et p̄fectò tertia dies, ad idem ipsum sanctæ trinitatis sacramētum respicit. Idcirco nanq; dominus noster non ante tertiam diem resurrexit, quia congruum fuit, vt propitiationem sanctæ trinitatis, triduana nobis obtineret mors carnis Christi. Alioqui cur sub trina mersione baptizamur in nomine patris & filij & spiritus sancti, complantati facti, simili tudini mortis eius, nisi quia eandem mortem suam, quam antea baptismum suum appellauerat, triduo pertulit, & ipse in nomine & in obedientia patris, & filij, & spiritus sancti? Siquidem & pater filio sicut & ipse filius testatur, calicem passionis dedit, & ipse filius animę suę in sua potestate propinauit, sicut ipse ait. Potestatem habeo ponendi animam meam. Et spiritus sanctus illi propinari fecit, sicut Apost. ait: quia Christus per spiritum sanctum semetipsum obtulit. Congruè ergo mors dni triduana extitit, quam sanctę trinitas dispositi, quamq; ad obtinendam humano generi propitiationem eiusdē sanctę trinitatis, nostra in illo sola pertulit natura. Non solum autem, sed & tota vita eius annorum suorum numero sanctæ trinitatis famulatum exhibere, & eius præcepto se obedire innuit. Nam in triginta tribus annis, quib. super terram ambulauit, ternarius est repetitus hac sola differentia, quòd vnus ternarius vt triginta sint in decenum limitē consurgit, alius vt simplex sit, in singulari limite consistit. Cuius in typum Isaac quoq; ad immolandum, ternario dierum numero ductus est. Nam de Geraris, vbi tunc habitabat Abraham vsq; ad montem Moria, id est, fedē templi iter dierum trium est (vt ait Hieronymus) & consequēter illic die tertio peruenit, sicut historia refert, & venit in locum quē dixit ei Deus die tertia. Sed vt ad incœptum redeam, mira velocitas, mirabilis illę saluatricis gratiæ cursus & recursus, vt in tri duo trium temporum seculi peccata deleret, omnes qui ante legem fuerāt, omnes qui sub lege erant, cunctos qui sub gratia ventu ri erant, vna Christi morte pariter saluaret, pro singulis temporibus singulos dies eiusdem mortis appendens. Tantam eius velocitatem spiritus sanctus innuebat cum pophetæ imperans dicebat. Voca nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari. De hoc & illud in Canticis. Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ hinnuloq; ceruorum super mōtes Bethel. Accelerauit enim inferni spolia detrahere, festinauitq; prædari, reuersusque vt caprea, aut ceruorum hinnulus. i. patriarcharū filius, ad saluandum velocissimus apparuit super mōtes Bethel. i. visus est apostolis, vt eorum tristitiā citò in gaudium verteret, qui sunt montes Bethel. i. domus Dei, quæ est ecclesia, principes summis virtutib. eminentes. Accelerauit, inquam, inferni spolia detrahere. i. electos omnes iure victoris educere. Quæ enim mora fieret ad detrahendum, aut quæ difficultas ad discernendum? Sol erat iste, illi aūt qui quærebantur tanquā specularia. Illorum fides speculum erat, reddendo solis aspectu radium satis idoneum, sed ideo non splenduerant hactenus, quia soli obiect⁹ medius obstabat paries inimicitiarum, scilicet originale peccatum. At illum in carne sua moriens Christus parietem soluerat ac diruerat, qui illa specularia animarum verum solē expectantium, vmbra tegebat aduersa. Quæ ergo mora fieret, vt diruto pariete, & descendente ad inferos vero sole, nō statim relucerent illa vascula lucis exceptoria. i. electorum animæ? Statim vt illuc descēdit hic sol. i. anima Christi præpotens & insita sibi verbi omnipotentis diuinitate coruscans, illi resplenduerunt, & tenebrarū principes dissipati sunt sicut fumus, & sicut fluit cera à facie ignis, & iusti exeūtes de tenebris, & in paradisum recepti epulari cœperunt, & exultare in cōspectu Dei, latrone simul epulāte, cui dixerat dns in cruce pendēs. Hodie mecum eris in paradiso. Totoq; sabbato requieuit ab omni opere suo dominus Christus cū illis & pascebatur dilectus in lilijs, donec aspiraret tertia dies, & inclinarētur vmbræ. Die igitur tertia, propitia nobis facta diuinitatis trinitate, cito mortē quā gustauerat reiecit à se, sicut significauerat, quādo in cruce, nostrā salutē sitiēs, & ideo se veraciter sitire dicēs, cū oblatum sibi gustasset acetū, noluit bibere. Mortis em acetū paululū gustabat, quā cito. i. tertia die reiecturus, nec vltra bibiturus erat. Resurgēs enim ex mortuis iā nō moritur, mors illi vltra nō dominabitur.

Lucæ 12.
Ioan.19.
Ioan.10.
Hebr.9.
Psalm.67.
Lucæ 23.
Gen.1.
Matth.27.
Rom.6.

Quomodo ad sapientiā pertinuerit, quòd resurgens, non statim peremptoribus suis insultauit, nec dilectoribus suis repentè apparuit.

CAPVT XXVII.

POstquam inimicos illusit, ad amicos respexit, eisq; post tristitiæ nebulas serenū ac luminosum, suæ victoriæ radium refudit, ordine vel modo, quo per hunc sapiētiæ spiritum fieri condecuit, non continuò peremptoribus suis manifestus efflagrans insultauit, aut meritas vindictę pœnas exegit, quod facere interdum minus prudētium hominū est, eorum qui victoriæ temperare, vel gloriæ modum tenere nesciunt. Expectabat enim propalādę glorię suę ordinē dignū, videlicet nō mutat⁹ spiritu sancto, sed idē qui fuerat, idēpermanēs, q̄ dixerat, Ego gloriā meā non quæro, est qui quærat & iudicet. Nō est moris vel disciplinæ eius contentiosa inuectione seu insultatione festinatā rapere gloriam victoriæ de hostibus, nisi fortè ad tempus hoc vtilitas exigat, scilicet p̄ instructiōe

Esaiæ 8.
Cant.6.
Ioan.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel confirmatione illorum, qui credunt vel crediturí sunt, vt de aliquantis impijs ita cæteris metuenda pœna sumatur, quatenus nõ lateat cõscientiam viuentium victoris Christi filij Dei esse iudicium. Semel hoc faciendum est, vt rideat sapientia in interitu paruulorum stultitiam diligentium, & subsannet, *Prouerb.1.* cum eis quod timebant acciderit, tunc vtiq; quando fiet quod necessariò faciendum est, vniuersale iudicium. Interim ad sapientiam sciamus pertinere, vt permissi thesaurizent sibi iram in die irę, quia vocaui(ait)& renuistis, extendi manus meas,& nõ fuit, qui aspiceret. Permisit ergo nunc quoq; sapiẽter patiẽs,& patienter sapiens inimicos suos princi- *Ibidem.*
pes sacerdotũ & pharisęos dissimulare quod *Matth.28.* fuerat factum,& in conscientia repositum sacrilegiũ,permisit illos data pecunia coemere sibi mendacium, vt dicerent milites, venerunt discipuli eius nocte, nobis dormientibus,& furati sunt eum. Ad amicos, vt dictũ est,eius cõuersio,nec ipsa repentina, sed paulatim procedens ordine decentissimo,vt scilicet prius mentium quàm corporum illorũ oculis præsentaretur. Penè naturalis hic est manifestationis eius modus, vtà nullo vnquam benè & vtiliter visus aut videndus sit exterius,à quo non prius per fidem aut dilectionem visus fuerit interius. Egit itaq; quatenus primùm corda illorum ad respiciendum illum acutis multarum commemorationum iaculis excitarentur,& tunc demum rediuiuum corpus suũ exhiberet oculis extrinsecus,cum imaginem eius hiantibus animis attentius versarent intrinsecus. Prima huic bono digna iudicata est notæ pietatis& peruulgatæ dilectionis fœmina quondã peccatrix Maria, quæ nimirum crucem & cuncta pœnarum eius insignia memori mente gestabat,& vel talem videre sitiens, qualem sepulchri locus susceperat, eo non inuento flebat,discipulisq; recedentib.ipsa non recedebat,sed plorãs foris stabat. Prima ergo hęc digna æstimata est,quę flentibus oculis gaudium videret,gaudium tristib. apostolis annunciaret. Post hanc Petrus, cuius vtiq; tri- *Ioan.20.*
stitia præ cunctis apostolis maior, imò & du- *Luc.22.*
plex erat. Tristis enim, quia hæc dominus passus fuerat,tristis erat, quia patientem dominũ,ipse ter negauerat. Sine dubio ex quo respiciẽte in eum domino egressus foras fleuit amare,non desijt dolere & tristis esse, & idcirco prius huic quàm cæteris apostolis dignum iudicauit sese ostendere. Sic enim habemus in euangelio, quia prius de isto dictũ *Luc.24.*
est. Surrexit domin⁹ verè & apparuit Petro. Subsecuta est euestigio protinus boni nuncij congeminatio, quia narrauerunt duo discipuli quomodo sibi euntibus Emaus,& loquẽtibus ad inuicem de illo,sese iunxerit,& quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Quid putas interea, quàm præsens mẽtibus eorum imago eius esse potuerit, dum sederent intus loquentes de illo, eiulatu simul & lachrymoso adhuc gaudio attoniti, clausis foribus, ne quis verba illorum audiret,aut superueniret de inimicis, & penè naturaliter dño Iesu inuidentib. Iudæis? Itaq; *Luc.24.*
benè præparatis animis tempus erat, vt sese *Ioan.20.*
cognoscendus communiter omniũ offerret oculis. Stetit ergo in medio illorum,& dixit eis. Pax vobis. Ita modestè,ita tẽperate homi nẽ suũ deducebat sapiẽtia hæc, de qua verissimè dictum est, quia attingit à fine vsq; ad *Sapien.8.*
finẽ fortiter,& disponit omnia suauiter.

Quòd prius peccatrici quam apostolis,prius Petro qui eum negauerat,quàm Ioanni quem diligebat,Christus apparuit.

CAPVT XXVIII.

EST præsenti loco & aliud, in quo pulchritudinem dispositionis eius, iure mirantes spiritus sapientiæ laudibus immoremur. Nam veraciter sapiens vel sapiẽtiæ laude dignus est, qui habito secum proposito bono, sic omnia contemperat atq; disponit, vt nihil sit quod non eidem proposito conducat atq; expediat. Quid autem hic homo nouus, *Luc.5.*
vel quid in hoc homine nouo, sanctus sapiẽtiæ spiritus proposuerat,nisi peccatoribus& infirmis validam spem præbere,peccatorib. & ægrotis constantis fiducię, vel fidentis cõstantiæ arma porrigere cum quib. præsumerent regno cælorum vim facere, & violẽter illud diripere? Hoc nempè propositum sibi fuisse,ipse testis est cùm dicit. Nõ egent, qui sani sunt medico,sed qui malè habent, non veni vocare iustos,sed peccatores. Cum igitur,qui pro peccatoribus mori dignatus fuerat,surgens ex mortuis, prius Mariæ peccatrici,quã apostolis, prius Petro negatori sui nominis apparuit,quàm dilecto suo Ioanni, *Ioan.19.*
qui cum matre eius iuxta morientis crucem stetit ac perstitit, veraciter cum spiritu sapiẽtiæ negocium peregit, sapiẽter propositi sui finem aspexit. Quantum enim hoc idem ꝓposito eius conducit? Omnes peccatores,cũctæ peccatrices quę fidem habent,hoc exemplo reduces animos attollunt non dubijs effectibus expertum habentes, quia perfora- *Iob 40.*
ta est maxilla Leuiathan, sicut promittebat dominus,nunquid inquiens,armilla perforabis maxillam eius. Nec verò in hoc tãtum sapientiæ laus est, quòd ad corroborandam peccatorum spẽ peccatrici fœminæ, & negatori apostolo primum dignatus est apparere, verùm & in eo,quod eos quibus multam apud se gratiam reposuerat,quos ante secula præscierat & prædestinauerat,Mariã dico& Petrum,in tãtis tamq; diuersis peccatorum voraginibus mergi permiserat. Quantus enim fructus,quãta exinde prouenit vtilitas? Dicamus primum de peccatrice Maria. Certè Iudæis pro eruditione omnium seculorũ *Ioan.5.*
dicere habebat, Amẽ amen dico vobis, quia venit hora,& nunc est, quando mortui audient vocẽ filij Dei,& qui audierint, viuent.

Et sub-

Et subinde, Nolite mirari hoc, quia venit hora,in qua omnes,qui in monumẽtis sunt, audient vocem eius,& procedent, qui bona egerunt,in resurrectionẽ vitæ,qui verò mala egerunt,in resurrectionem iudicij. Hæc, inquã dicere habebat,cùm diceret de se homo tanta tamq; magnifica,presentibus vtiq; experimẽtis opus erat,& idcirco certis quoque personis ad experimenta capienda opus habebat. Oportebat quenquam electorum corporaliter mori pro gloria domini Dei,vt videlicet per resuscitationem eius glorificaretur filius Dei, vocando illum de monumẽto,& hoc modo verum se dixisse probando, quia omnes qui in monumento sunt, audiẽt vocem eius & procedent. Permissus est itaq; *Ioan.11.*
Lazarus amicus mori,non ad mortẽ,sed sicut iam dictum est,pro gloria dei. Oportebat nihilominus quempiam electorum spiritualiter mori itidem pro gloria Dei, vt scilicet per conuersionem eius glorificaretur filius Dei,dimittẽdo illi peccata multa, & hoc modo verum se dixisse probando, quia mortui audient vocem filij Dei,& qui audierint, viuent. Permissa est itaq; hęc mulier dilecti La- *Ioan.5.*
zari soror,iam dilecta mori in peccatis, & esse famosa peccatrix,non ad mortem siue ad interitum æternum,sed vt iam dictum, pro gloria Dei,pro testimonio iusti, & iustificantis nos Dei & hominis Iesu Christi filij Dei. *Luc.7.*
Hæc de Maria. Porrò de Petro quòd lapsus est,quòd negare permissus est, nihilominus in dispositione huius spiritus sapiẽtiæ pium & pulchrum est. Princeps quippe apostolorum Petrus destinatus fuerat,& huic specialiter magna post Christum potestas danda, vel iam data erat,dicẽte Christo filio Dei viui,quem confessus fuerat. Beatus es Simon Bar Iona,quia caro & sanguis non reuelauit tibi,sed pater meus qui in cælis est. Et ego di- *Matth.16.*
co tibi,quia tu es Petrus,& super hanc petrã ædificabo ecclesiã meam,& portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Item:Simon Ioannis di- *Ioan.21.*
ligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oues meas. Tali & tanta præeunte euangelicę veritatis auctoritate, Christianissimi imperatores post multa tempora,omnesq; ecclesiarum principes hoc cẽsuerunt, & lege perpetua firmauerunt,vt sicut imperatori omnes præfecti vel iudices,sic beato Petro & secundum dignitatem eius excellenti Romano Pontifici cæteri subiecti sint ecclesiarum pontifices. Magnus honor, grandis celsitudo. Ait autem ipse eiusdem honoris siue cel- *Luc.22.*
situdinis auctor. Qui maior est vestrum,erit sicut minor,& qui præcessor est, sicut ministrator. Itẽ:Maiores illos siue ministros magno ad clementiam informat studio, quod manifestè colligas ex factis eius humillimis, ex dictis eius parabolicis. Quãdo autem vel quomodo sciret homo positus in celsitudine honoris,in magna conscientia sanctitatis condescendere paruis,cõdolere miseris? Solus quippe Deus natura humilis, natura misericors,& miserator est,imo ipsa humilitas, ipsa misericordia est. Homo quilibet humilis siue misericos, non nisi ex accidenti est. Oportebat igitur prædestinato atq; vocato ad tantam celsitudinem Petro Apostolo causam subesse, & magnitudinem honoris eius præire, vnde illi humilitatis atq; compassionis scientia iugiter posset accidere. Idcirco labi permissus est, idcirco vsq; ad triplicandam negationem derelictus est, pulchro & spectabili ordine sapiẽtiæ, vt rectè miremur omnes eiusdem sapientię peritiꝰ spectatores, omnes apertos discretionis oculos habẽtes. Et hoc animaduertentes omnino expedire credimus eis qui præsunt,tã propter semetipsos,quàm propter eos,quib. præsunt, quatenus ad humilitatem vel compassionem eruditi sint,per magnũ & memorabile preteritæ infirmitatis experimẽtum. Aliter quippe infirmitates subditorum, aut vix aut nullo modo supportare sciunt. Idcirco quondã *1. Reg.1.*
peros Annæ prophetissæ, cecinit hic idem sanctus sapientiæ spiritus dicens. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. Vbi autem dicimus super cardines terræ, Hebraici sermonis proprietas (vt ait beatus Hieronymus) habet super afflictos terræ. Et afflicti terræ qui sunt, nisi humiles & cõtriti corde? Super illos planè qui huiusmodi sunt, dominus orbem posuit, quia super eos,qui pręteritam infirmitatem memoriter tenẽtes humilis apud se cõscientię sunt, dominus ecclesiam suam collocauit, qui videlicet tanto clementius, tanto compatientius eundem orbem portare possunt, quanto amplius clementis atq; compatientis Dei gratia se indiguisse meminerunt. Et hæc igitur ad laudem spiritus sapientiæ dicta sint, quia nimirum sapiẽter. i. ad magnã generationẽ,& generationum vtilitatẽ,quos multũ dilexerat salus omniũ Christus, Mariã dico & Petrũ,& anteq̃ resurgeret à mortuis in barathrũ mortis ruere ꝓmisit,& vbi resurrexit in gaudiũ vitę suę,primos participes asciuit.

Qualiter huic domino,sicut beato Iob addiderit deus cuncta duplicia,quæ eius fuerant.

CAPVT XXIX.

QVo tandem fine,tantum tamq; bonum sapientię studium in homine isto remuneratum est? Psalmista cum dixisset. Minuisti eum paulominus ab angelis,cõtinuò subiunxit. Gloria & honore coronasti eum,& constituisti eum super opera manuum tuarum,omnia subiecisti sub pedibus eius. Apostolus quoque cum dixisset. Christus factus *Philip.2.*
est pro nobis obediens vsq; ad mortem,mortem aũt crucis,continuò subiunxit. Propter quod & deus illum exaltauit,& donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestiũ, terrestrium,& infernorum. Iã his cum pro- *Psalm.8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

phetícis atque apoſtolicis prœconijs, vtà propoſita B. Iob allegorica vel figuratiua ſpeculatione ſermo non recedat, dicamus, quia addidit dominus omnia quæcunque fuerát Iob duplicia. Quid .n. noſter iſte Iob, quid inquam Deus Chriſtus, quid homo Chriſtus habuerat? Diligenter vtrobique poſſeſſiones eius appendamus, quas ante paſsionem ſuam habuerat, & non dubiũ erit, quin cũcta recepit duplicia. Quid Deus Chriſtus habuerat? Nouem ordines angelorum. Etenim cum in forma Dei eſſet & nondum ſe exinaniuiſſet formã ſerui accipiens, claritatem habebat Deus apud Deum, diuinis obſequijs adoratus, Deus & rex angelorum. Sed ecce quia ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & hæc paſſus eſt, quæ prædicta ſunt, Deus & rex eſt angelorũ pariter & hominũ. Ergo duplicia Deo Chriſto reddita sũt. Quid porro homo Chriſtus habuerat anteq̃ pateretur, vel qd amiſit vbi paſſus eſt & mortuus? Vnam vtique & ſimplã ſuæ carnis vitam, neq; enim anima eius morti obnoxia fuit, vt erat ánima omnis hominis propter peccatum primi parentis. Parũ dictum eſt. Etenim neque ſecundum carnẽ, neque animam mori debuit, quippe qui peccatum, neque originale contraxit, neque actuale admiſit. Nullam itaque mortem debens, vnam tantum, id eſt, carnis ſuæ vitam expendit. Sed ecce in corpore ſuo, quod eſt eccleſia, duplicia, id eſt, corporis & animæ vitam recepit, mortem quippe animarum moriendo deuicit, & vitam corporum nobis reſurgendo reparauit. *Iob 41.*

Quomodo ad myſterium Chriſti pertineat, quod Iob cuncta quidem duplicia, veruntamen filiorum nõ duplicem, ſed tantùm ſimplicem recepit numerum.

CAPVT XXX.

SEd conſiderandum, quia cum de cæteris palam conſtet, quòd illi beato viro reddita ſint duplicia, de filijs nõ adeò perſpicuum eſt aut verum. Nam fuerũt ei totidem quot prius ſcilicet ſeptem filij & tres filiæ. Poteſt quidem rectè ſic dici & ſic exiſtimari, quia mortui fuerant filij eius, non æquè vt iumẽta & pecora eius, quæ carne ſimul & ſpiritu interierant, & idcirco filij quoq; duplices additi ſunt, quia videlicet in reſurrectione viginti erunt. Veruntamen hic in terra, hic in vita ſua, vbi cætera poſſedit duplicia, ſecundum numerum filiorum recepit tantũ ſimplicia, & hoc quoq; in domino Chriſto magna myſterij pulchritudine non vacat. Neq; enim plures paſsiõe ſua redemit, quàm olim fuerant prœordinati ad vitam, quoſque tunc iuſsit Deus naſci, quando creatis primis hominibus benedicẽs, ait. Creſcite & multiplicamini. Nam cęterorum vt naſcerentur, peccatum cauſa extitit. Etenim pro pœna peccati multiplicitas conceptuum mulieri acceſsit, dicente eodem domino. Multiplicabo ęrumnas tuas & conceptus tuos. Multiplicabo cum dicit, ſubaudiendũ eſt, ſuper numerum, vt videlicet plures cõcipias poſt peccatum, quàm prœordinati fuerant in benedictione data ante peccatum. Igitur Iob cætera quidem duplicia, ſed in filijs ſimplicia recepit in vita ſua, quia Chriſtus dominus duplicia quidem, vt ſupradictum eſt, beatitudinis præmia, ſed ſimplicem electorum numerum per paſsionem ſuam redemit, quantus cum ad vitam prœordinatus eſſet, in Adam perierat. Nam hoc eſt quod Apoſtolus ait. Et ſicut omnes in Adam moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Omnes & omnes dicit, nec tamen omnes homines, ſed ſolos ad vitam prædeſtinatos vult intelligi. *Iob 42.* *Gene. 1.* *Gen. 3.* *1. Cor. 15.*

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI LIBER TERTIVS, DE SAPIENTIA.

Quòd in illa paſsione hæc ſapientia duo nobis condiderit ſacramenta, quorum alterum baptiſma, alterum eſt viuifica corporis & ſanguinis Chriſti menſa.

CAPVT I.



XOperibus opificem ſanctum ſapientiæ ſpiritum cognoſcere, & ſicut deum glorificare ſtudentes, præcedente volumine circa paſsionẽ noui hominis Ieſu Chriſti filij Dei verſati ſumus, nunc de ſacramentis, per quæ ſecundum imaginem eiuſdem noui hominis renouamur, quæque nobis de fonte paſsionis eius profudit idem ſapientiæ ſpiritus, dicere incipiemus. Sunt autem duo hæc ſacramenta maxima, baptiſma ſcilicet, & viuifica corporis & ſanguinis eius menſa, quæ ſine dubio noſtræ ſaluti tam neceſſaria ſunt, vt abſque his nulli hominum ad vitam vel regnum Dei aditus pateat. Ait enim, Amen amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei. Item, Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis *Ioan. 3.* *Ioan. 6.*

biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hæc nimirum ſacramenta & cunctus ordo, vel actus horum, quàm rectè aſſcribantur ſpiritui ſapientiæ, non niſi qui eodem ſpiritu, vel eadẽ ſapientia fuerit edoctus, meretur aduertere. Sapientes & prudẽtes huius ſeculi neſcierunt, imò tanquam iuſtitiam ridendam exiſtimauerunt. Proinde ipſi potius ſtulti facti ſunt, ſtulta facta eſt ſapientia illorum, non parum, ſed multum, videlicet intantum, vt canibus & porcis aſsimilati ſint, dicaturq̃; aduerſus eos paruulis quibus hæc myſteria reuelata ſunt. Nolite ſanctum dare canibus, nolite mittere margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas, & conuerſi elidant vos. Sacramenta hæc ſancta ſunt. Sacramenta hæc margaritæ noſtræ ſunt, illi autem qui deriſerunt vel deridentur hæc, cum ſibi ſapientes videantur, canes ſunt, porci ſunt. Nos igitur paruuli ſimus, & hæc nobis reuelantem ſapientiæ ſpiritum in his ipſis ſicut Deum glorificemus, & gratias agamus. Ac primùm in hoc volumine de baptiſmo dicamus. *Rom. 4.* *1. Cor. 1. & 3.* *Matth. 7.*

De baptiſmate, quod interpretatur tinctio, quòd per illud qui eramus nati peccato, renaſcamur Deo.

CAPVT II.

BAptiſma Græcè, Latinè tinctio interpretatur. Idcirco autẽ tinctio dicitur, qa ibi homo ſpiritu gratię, in melio immutatur, & longè aliud q̃ erat, efficitur. Igitur baptiſma cũ dicimo, qui cũ ſimus Latini, tinctionẽ dicere poteramo, in græca voce ſiue nomine, maieſtatem atq; dignitatem ſingularem ſignificati eius cogimus, ſcilicet eiuſmodi tinctionem, cui nulla tinctio comparetur, qua cum caro ſola viſibiliter tingatur, amplius ſpiritus hominis inuiſibiliter tingitur, ita vt ſicut iam dictum eſt, totus homo immutetur, & longè aliud quàm erat, efficiatur. Nam filius iræ erat, filius gratiæ efficitur, filius mortis & perditionis erat, filius vitæ & acquiſitionis efficitur, filius gehennæ erat, filius regni Dei efficitur. Inimicus Dei erat, reconciliatur, & filius Dei efficitur. Magna & mira tinctio, magnæ & efficaciæ mirabilis. Idcirco Græcè baptiſma dicimus, & peregrino nomine ſingularem tinctionis huius excellentiam ſignificamus, & vulgi ſenſibus inſinuare conamur.

Quæ vel quãta diſtãtia ſit baptiſmi Ioãnis et Chriſti.

CAPVT III.

AEquiuocũ tamen illud habemus, quia videlicet tam de tinctione Ioannis, quàm de tinctione Chriſti hoc nomẽ, id eſt, baptiſma prædicamus. Aequiuocè, inquam, ſic dicimus, quia nimirum quod ſcire debemus, vtriuſq; tinctionis ſiue baptiſmatis ratio vel definitio non eadem eſt. Nam baptiſma Ioannis, baptiſma ſerui, baptiſma Chriſti, baptiſma domini eſt. Baptiſma Ioannis in aqua, baptiſma Chriſti in aqua & in ſpiritu ſancto. Baptiſma Ioannis in pœnitentiã, baptiſma Chriſti in remiſsionem peccatorũ. Baptiſmate Ioannis Chriſtus manifeſtatur, baptiſmate ſuo Chriſtus, id eſt, paſsione ſua eſt glorificatus. Nam de baptiſmate ſuo Ioannes loquitur. Et ego neſciebam eum, ſed vt manifeſtaretur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans. Chriſtus autem Ioannis baptiſmate baptizatus, de ſuo baptiſmate loquitur. Ego baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coartor vſq; dum perficiatur. Ioannis tandem baptiſmate populus parabatur baptiſmati Chriſti, Chriſti baptiſmate populus regno Dei fit idoneus. Procul dubio, qui baptiſmate Ioãnis baptizati ſunt, dicentis, in eum qui poſt ipſum venturus erat vt crederent, & ante paſsionem Chriſti ex hac vita migrauerunt, baptizato Chriſto in paſsione ſua à peccatis ſuis quamuis grandibus abſoluti ſunt, & cum illo in paradiſum introierunt, cum illo regnum Dei viderunt. Qui autem ſpreuerunt conſilium Dei in ſemetipſis non baptizati baptiſmo Ioannis, & emigraueruntab hac luce, ante iam dictum baptiſma paſsionis Chriſti, nequaquã illis profuit antiquum circunciſionis remedium, nec enim profuit illis paſsio Chriſti, nec de inferno educti ſunt, quia non erant de illis, de quib. Chriſtus dicebat, & pro eis ſanctifico meipſum. Nihilominus & hoc ſciendum, quia qui baptizati baptiſmo Ioannis in hac luce permanſerunt, vſq; dum glorificato Ieſu prædicaretur baptiſmatis eius euangelium, ſi non receperunt eum, ſi non baptiſmo eius baptizari neceſſarium duxerũt, nihil profuit illis, quòd Ioannis baptiſmate baptizati ſunt. Quod ſciens apoſtolus Paulus, cum inueniſſet quoſdam diſcipulos, & interrogaſſet eos, ſi ſpiritum ſanctum acceptis, credentes? Itemq̃ue: In quo baptizati eſtis? ſubauditur, ſi neque ſi ſpiritus ſanctus eſt auditis, illis reſpondẽtibus, in Ioãnis baptiſmate, dixit. Ioannes quidem baptizauit aqua populum dicẽs, in eum, qui poſt ipſum venturus eſſet vt crederẽt, hoc eſt, in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine domini Ieſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſuper eos ſpiritus ſanctus. Quantũ vel quàm longe minus illud erat baptiſma ſerui, in quo neque, ſi ſpiritus ſanctus eſt audiebatur, iſto baptiſmate domini, in quo ſpiritus ſanctus in peccatorum remiſsionem datur? Igitur vtriuſq; rei nomen quidem cõmune eſt, vtrumq; enim baptiſma dicitur, ſed ſecundum nomen ratio diuerſa eſt. *Luc. 12.* *Ioan. 17.* *Acto. 19.*

De eo quod dicit Apoſtolus: Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, & quod Ioannes apoſtolus: quia tres ſunt, inquit, qui teſtimonium dant in terra, &c.

CAPVT IIII.

CVius ſacramenti, id eſt, baptiſmi Chriſti ratio non coniecturæ humanæ ver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis discutiẽda, sed diuinę auctoritatis est scri
pturis alliganda, Paulus apostolus dicit. Qui
cunque baptizati sumus in Christo Iesu, in
Rom. 6. morte ipsius baptizati sumus. Consepulti e-
nim sumus cum illo per baptismum in mor
tem, vt quomodo surrexit Christus à mor-
tuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate
1. Ioan. 5. vitæ ambulemus. Ioannes autem. Quia tres
sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus,
aqua, & sanguis. Et tres, qui testimoniũ dant
in cælo, pater, & verbum. & spiritus sanctus.
Vtriusq; sermonis auctoritas, proculdubio
diuina est, quia nimirum neuter horum, qui
hæc loquũtur ab homine vel per hominem
accepit aut didicit, sed per reuelationem Ie-
su Christi. Et alter quidem vnde baptisma
processerit, & quid nobis operetur, alter a-
struit quibus vel quantis testibus id quod in
illo agitur, vt ratum sit, defendatur. In mor
Rom. 6. te, inquit, eius baptizati sumus, consepulti
cũ illo per baptismum in mortẽ. Nimirum
per reuelationem Iesu Christi didicerat hic,
quod ab homine vel per hominẽ doceri non
poterat, scilicet quid intendens spiritus sapiẽ
tiæ sic eiusdem Christi mortem disposuerat,
vt prius spiritum emitteret, & tunc demum
perforato latere eius sanguis & aqua exiret.
Ioan. 19. Sic enim scriptum est, Ad Iesum autem cum
venissent, vt viderunt eum iam mortuum,
non fregerunt eius crura, sed vnus militum
lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit
sanguis & aqua. Quid enim agebatur, nisi vt
in morte eius baptizaremur nos omnes, quia
immundi eramus? Quid, inquam, agebat hic
omnium artifex sapientiæ spiritus, nisi artifi
cium struebat ad deludendum humanæ sub
stantiæ possessorem iniquum diabolũ quate-
nus illi moreremur, & alteri renasceremur?
Testes enim, testes filio Dei, pro nobis ad-
uersus illum componebãtur, quos ille alius
numerans, quia tres sunt, ait, qui testimoniũ
dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiri-
1. Ioan. 3. tus vtique quem emisit, aqua & sanguis quę
lanceæ ictus elicuit. Tres testes hi sunt. Vt
quid enim, vel quam ob causam spiritus san
ctus cum spiritu vel anima hominis habitãs
in habitaculo carnis extrusus est, quantum
fieri potuit per iniuriam mortis, & vt quid
lancea perforatum est latus innocentis, & e-
iusmodi fluuius exiuit, nisi vt cum eisdem a-
qua & sanguine veniret ad nos irrefragabili
æquitate iudicij? Testes ergo pro nobis hi
sunt, quia non hi sumus eius cuius eramus,
quia mortui sumus illi, cui viuebamus, vbi
tribus istis aspersionibus mortui huius scili
cet spiritu, aqua, & sanguine, aspersi sumus.
Quomodo recte vtamur testibus illis, vt merito fiat nobis quod dictum est: Filius non portabit iniquitatẽ patris.

CAP. V.

DIligenter causam nostram perpenda-
mus, vt scire possimus, quam ratione-
biliter, quamvero & recto iudicij ordine te-
stibus istis vtamur. Quæ enim causa nostra
erat? Vtique peccatum primi parentis nostri
veteris Adæ. Fatemur enim, quia omnes in
illo peccauimus, & in illo omnes mortui su-
mus. Verùm in eadem damnatione socia mi
sericordiæ suæ iustitia prouidit Deus, quo
modo si vellemus, rei non teneremur. Nam
si ad patrem alium, ad hominem nouum, q
non peccauit, transfugiat filius peccatoris ve
teris hominis, ecce scriptum est, & comple-
tur illi, quia filius non portabit iniquitatem
patris. Cæterum si in vetustate illius perma
neat, portabit iniquitatem veternosi prædę- *Ezech. 18.*
cessoris, sicut itidem scriptum est. Qui red- *Deut. 5.*
dis peccata patrum in filios, in tertiã & quar
tam generationem. Ergo discreta & iusta cir
ca nos est iusti Dei censura, quia neminem
non volentem, neminem à peccatore anti-
quo dissentientem conuolui patitur in illa
peccatrice massa. Tantummodo vetustati
abrenunciet, & dum conceditur, nouus ho-
mo esse festinet. Sed oportet eum transfugij
sui notum & euidens habere testimonium.
Quare? Videlicet quia diabolus aduersarius
noster notum & manifestum contra genus
humanum testimonium habet. Quod testi-
monium? Lignum vetitum, lignum temera
tum. Notum quippe & argumentosum con
tra hominem hoc testimonium est, quia vi-
delicet nisi superba mente diuinitatis altitu-
dinem appetisset, lignum vetitum non mo-
mordisset. Nisi, inquam, intus tumuisset, fo-
ris tentatus tam facilè nõ cesisset. Quisquis
igitur filius, vt nõ portet iniquitatẽ patris ve
tusti, nouum patrem quærit, & ad nouum
hominem Iesum Christum transfugit, opor
tet sicut iam dictum est habere illum in te-
stimonium Dei, oppositum testimonio dia-
boli siue chirographo peccati, vt sicut illę
primus homo vetitum mordendo, manife-
stum superbiæ suæ signum dedit, sic ipse mã
datum per aquam visibile remedium susci-
piendo, manifestum humilitatis suę signum
suo det saluatori. Ludicra & risu digna visa
sunt hæc sapientibus, & prudentibus, quo-
rum ab oculis sapientia vera se abscondit, dũ
vano sensu suo discutiunt, quomodo Deum
decuerit, vt vnum propter ligni morsum ho
mo damnatus fuerit, & omnes homines in
illo mortui sint, & quomodo aquæ tinctio
de peccatore iustum, de mortuo viuum, de
filio irę filium gratię facere possit. Sed enim
paruulis reuelatũ est, quia paruę res magna-
rum rerũ testimonia esse possunt & sunt. Est
enim verè vel fuit, morsus ligni, quamlibet
paruus, siue quantũlibet magnus testimoniũ
magnę superbię, & tinctio aquę, quãlibet par
uę siue quãlibet magnæ. i. siue parui fontis,
siue magni maris, tantũ in nomine patris, &
filij, & spiritus sancti, cum signaculo crucis,
testimoniũ magnæ humilitatis. Igitur quia
de magno negocio agitur, & magnus accusa
tor diabolus causa proposita contra homi-
nem testimonio vtitur, oportet vt accusatus
homo

homo defensorem petens deum legitimis ac
necessarijs vtatur testibus.

Quod aduersus peccatum, quod erat contra nos testimonium diaboli, tres pro nobis testes in terra sint: Spiritus, aqua & sanguis: & tres in cælo: Pater, verbum et spiritus sanctus, et cum istis cibus et potus corporis et sanguinis Christi.

CAPVT VI.

ILlud sanè sciendum, quia contra nullum
hominem, nec contra infantem, cuius v-
nius diei vita est super terram, minus quam
vnum habet diabolus testimonium. Nam in
fans, qui hodie natus est, nimirum in Adam
natus est, & originali peccato obnoxius est.
Neque enim fas est siue ius, vt filius post pa-
trem iudicatum, præsertim qui post abiudi-
cationem eiusdem patris natus est, hæredita-
tem obtineat, qua pater eius iustè priuatus
est. Ergo infans, qui hodie natus est, in regno
Dei nihil habet, nam contra illum saltem v-
num vnius peccati accusator testimoniũ ha-
bet. At verò, qui iam grandæuus ad baptismi
gratiam accedit, tot tantisque diabolus con-
tra illum vti habebat testimonijs, quanta vel
quam multa originali actualia peccata con-
iunxit, non vt iudicaretur, si non crederet,
qui enim non credit iam iudicatus est, sed vt
debitas pro singulis pœnas exolueret. Econ-
tra, qui ad Christi gratiam confugit, non mi-
nus quàm septem testibus defenditur, aut de
fendi potest. Nam tres sunt qui testimoniũ
1. Ioan. 5. dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Et tres
sunt qui testimonium dant in cælo, pater &
verbum, & spiritus sanctus. Septimus testis,
cibus & potus est corporis & sanguinis Chri
sti, qui & propria quadam positione, contra
testimonium stat peccati originalis, quia vi-
delicet peccatum illud cibus fuit sumptus ad
perniciem: hoc sacramentum cibus est datus
ad salutem. De singulis testibus his, nunc or-
dine dicemus.

Quid sit, quod valeat testimonium dare in cælo et in terra.

CAPVT VII.

VErùm prius est, vt quæramus, quid est,
quòd testimonium in terra, & testimo
nium datur in cęlo. Neque enim frustra duo
testimonia data, terra distinguuntur & cælo.
Quid ergo est testimonium dari in terra, nisi
per vnam fidem, per vnum baptismum haben-
do vnitatem spiritus in vinculo pacis com-
mendari in præsenti ecclesia? Oportet quippe
eum, quem sancta præsens in communio-
nem recipiat ecclesia, dicere dominus Iesus,
quod est testimonium habere spiritus, quia
1. Ioan. 5. videlicet nemo potest dicere, dominus Iesus
nisi in spiritu sancto. Et sicut præsenti capit. di
ctum est, spiritus est qui testificatur, quoniã
Christus est veritas, quia videlicet sicut ne-
mo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiri
tu sancto, sic nemo nisi in Spiritu sancto lo-
quens potest dicere, quoniam Christus est
1. Corin. 12 veritas. Deinde cum sic corde credendo te-
stimonium habuerit à spiritu, oportet vt susc
ipiendo visibile baptisma testimonium ha-
beat à sanguine & aqua, quę de latere eius flu
xerunt, quando patefactum est militis lan-
cea. Hoc totum est testimonium habere in
terra, quia videlicet sic commendatum in cõ
munionem suam, in sui corporis vnitatem
præsens suscipit ecclesia. Consequitur tandẽ
testimonium in cælo ab his tribus, qui vnum
sunt, scilicet patre, & verbo, & Spiritu sancto.
Quem enim præsens Ecclesia, priori testimo
nio comprobatum suscepit, & in aliud secu-
lum cum pace sua dimisit, cœlesti sine dubio
commendat Ecclesiæ testimonium patris &
filij, & spiritus sancti, vt illius gloriã feliciter
videat in cælo, cuius in terra fideliter sacra-
menta seruauit. Nunc iam propositum in-
grediamur.

Quomodo vbi dominus noster moriendo sacramentum nobis condidit baptismi sui, tres isti pariter affuerint: spiritus, aqua, et sanguis.

CAPVT VIII.

VBi baptizatus dominus Iesus, illo bap-
tismate suo, de quo dicebat, vt supra iã
diximus. Ego baptismo habeo baptizari, &
quomodo coartor vsque dum perficiatur, *Luc. 12.*
vbi inquam, passus, mortuus, & eadem pas-
sione vel morte sua baptizatus, baptismi sui
nobis condidit sacramentum, tres isti pariter
affuerunt, spiritus, aqua, & sanguis, spiritus
per quẽ, vt Apost. ait, semetipsũ hostiam vi-
uentẽ deo obtulit, quem quę cum propria a-
nima emisit, aqua & sanguis, quem de la- *Rom. 21.*
tere suo lanceato iam mortuus, supra natu-
ram mortuorum corporum effudit. His tri-
bus testibus illic concurrentibus, tartarus in
tremuit, terra mota est, petræ scissæ, monu-
menta aperta sunt, & multa corpora sancto-
rum qui dormierant, postmodum eo consur
gente, pariter consurrexerunt. Quid tantus
ille terræmotus significauit, nisi terram & i-
psos miseros virtutem sensisse sacramenti?
Venit enim primus testis ad inferos cum ani
ma Christi factusq; aduentus eius, electis om
nibus remissio peccatorum, qui expectabant
eum in tenebris, congregati illuc ab origine
mundi. Paulo præierat felix ille latro, qui di-
xerat. Memento mei domine, dum veneris
in regnum tuum, & continuò ista remissio-
ne peccatorum subsequente, cum domino *Luc. 23.*
completum est, quod dixerat ei dominus. A-
men dico tibi, quia hodie mecum eris in pa-
radyso. Prius enim latronum crura fracta
sunt, quàm sanguis ille, vel aqua illa fundere
tur. Et quia non sola salus animarum, sed &
resurrectio parabatur corporum, vndè per
decurrentes reliquos testes, cooperante ter-
tio terra concussa est, & monumenta aperta
sunt, vt resurgerent cum domino testes futu
ræ vniuersalis resurrectionis mortuorum.
Tres igitur testes illic affuerunt, vbi condi-
tũ est hoc sacramentũ, & eorũ spiritus prim-
est. Proinde & de hoc primitùs dicendũ est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd ſpiritus ſacramento dare incipiat teſtimonium, quòd ſumus filij Dei, & quomodo vnus idemq; fons, & vterus nobis et ſepulchrum fiat, atque inde prima reſurrectio ſit.

CAPVT IX.

SPiritus ſanctus, hic in terra dat, & ab hoc ſacramento dare incipit teſtimonium illud, de quo Apoſtolus dicit. Nō enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Ipſe enim ſpiri
Rom. 8. tus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Ab hoc, inquam, ſacramento dare illud teſtimonium cœpit, nam antequā conderetur, eramus inimici. Et ſi aliqui fuerant amici veluti Abraham, qui amicus Dei appellatus eſt, nihilominus conditione huius ſacramenti. i. à paſsione Chriſti filij Dei, teſti
monium hoc dari cœptum eſt, quod ſumus
Epheſ. 2. filij dei, teſtantibus ipſis Abrahæ filijs, ac di
Gen. 23. centibus. Eramus enim aliquando & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. Nam nec ipſe Abraham aliunde amicus Dei appellatus eſt, niſi à fide & expectatione huius ſacramenti. Deniq; omnium, quæ credidit, quæ credendo iuſtificatus, etiam amicus Dei factus eſt, hæc ſumma fuit, & in ſemine tuo benedicentur ōmnes gentes, & ſecundum hanc fidem congruam, ſcilicet in ea corporis parte, qua ſemen traducitur, ſignaculum circunciſionis accepit, interim promiſsiones non acceptaturus, donec veniret, qui benedictionē daret. Igitur ab hoc ſacramento teſtimoniū dare incipit, quòd ſumus filij dei, etenim in hoc ſacramento ſuo ipſe efficit, quatenus renaſcamur & ſimus filij Dei. Qui enim diuina omnipotentia ſua, in Mariam ſuperuēnit, & obumbrabit illi, vt conciperetur & naſceretur ex ea vnigenitus filius dei, ipſe eadē omni potentia ſuperuenit aquis, & eis fœcunditatē tribuit, vt renaſcantur ex eis filij Dei. Fons aquę elementaris, hoc ſpiritu ſuperueniente viuificatus, fit vterus eccleſiæ, vterus gratiæ. Idcirco Chriſtus dicit. Niſi quis renatus fuerit
Ioan. 3. ex aqua, & ſpiritu, &c. Apoſtolus autem. Cō ſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Itaq; vnus idemq; fons, & vterus nobis & ſepulchrum eſt. Vterus, quia ſicut dicit Chriſtus, renaſcimur, ſepulchrum, quia ſicut
1. Ioan. 3. dicit Chriſti Apoſtolus, & illic Chriſto conſepelimur, & inde Chriſto conſurgemus. O igitur mirabilis artifex ſpiritus. Fecit q̄ fieri poſſe neſciebat homo magiſter in Iſrael, cùm diceret. Quomodo poteſt homo naſci cū ſit
Ioan. 3. ſenex? Nunquid poteſt in ventrē matris ſuæ iterum introire, & naſci? Bene reſpōdens dominus Ieſus, non dixit, non poteſt fieri, non poteſt homo in ventrem matris ſuæ iterato introire, & naſci, ſed ait: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei. Non inquam, negauit poſſe hominem in ventrem matris ſuæ iterato introire, & naſci, ſed dixit qualem vel cuius vterum matris ſuæ deberet homo iterato introire & naſci. Aqua nan que ſuperueniente hoc ſpiritu, fit ille vterus matris noſtræ Hieruſalem cæleſtis, de quo vt abortiuum proiectus eſt homo, quando peccauit, quia videlicet veneno infectum ſerpentis, ille vterus eum tenere vſq; ad legitimum tempus non potuit, id eſt, vſq; dum ſtatuto tempore, de conſepto paradiſi limite, in quo non valde arctas acceperat anguſtias pręcepti, perferretur in latitudinem cæli ad ſimilitudinem angelorum dei. Vterus, inquam, eiuſdem matris hęc aqua per ſpiritum ſanctū fit in cuius ſacramentis debeat receptus contineri vſque ad diem cuiuſdam natiuitatis. i. vſq; ad finem vitę præſentis, quando naſcatur ad videndum regnum Dei. Quo contra de illis, qui ſcindunt eundem vterum, facien
Pſalm. 57. do hæreſes & ſchiſmata, dicit Pſalmiſta. Alie nati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa. Et quia iſti quoq;, ſic ut Adam per ſerpentem decepti ſunt abortiui, continuò ſubiūgit. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, &c. Sic aqua hæc vterus eſt, vnde ſecundū Chriſti ſententiam renati ſumus, ex eodem nimirum actu ſecundum Apoſtoli Chriſti ſententiam ſepulchrū eſt, in quo Chriſto conſepulti ſumus, & vndè Chriſto conſurreximus, quia nimirum moriendo in illum vterum introitur, & qui moriendo introiuit, reſurgēdo renaſcitur. Quo modo? Pręueniente hoc ſpiritu, & teſtificante, quoniam Chriſtus eſt veritas, homo peccator, & mendax accedit, & ſemetipſum accuſat, ſemetipſum, inquam, i. veterem hominem, veterem Adam, ſiue vetuſtatem, quam contraxit ex Adam, condemnat, & morti ad
Pſal. 50. iudicat. Dicit enim, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Tunc ſtigmata paſsionis Chriſti, ſignaculū crucis Chriſti, in fronte ſua ſuſcipit, & quia patronum habet hunc ſpiritum, quia veram humilitatem, & humilem loquitur veritatem, ſecundum ſpiritum, tantum illi videlicet ſignatum eſſe ſignaculo crucis, paſsionis, & mortis Chriſti, eſt, ac ſi ipſe crucifixus, paſſus, & mortuus ſit. Chriſtus enim non pro ſe, ſed pro homine peccatore, nō, propter ſua, ſed propter pœnitentis hominis peccata crucifixus, paſſus, & mortuus eſt. Tunc trina merſione mergitur in aquam, & tridua nam valet illi, Ieſu Chriſti ſepulturam. Eleuatur de fonte, & ecce qui mortuus fuerat, prima cum Chriſto reſurrexit reſurrectione.

De duobus ſpiritus datis, & quando & vnde ſpiritus paracletus dici cœperit, & quod datum vel primū vel præcipuum ſit.

CAP. X.

CElebrato hoc myſterio, quotacūq; ſit hora diei, ſiue mane, ſiue hora tertia, ſiue ſexta,

ſexta, ſiue nona, ſiue veſpera, id eſt, quæcunque ſit hominis ætas, ſiue pueritia, ſiue adoleſcentia, ſiue iuuentus, ſiue ſenectus, ſiue ætas decrepita nouus homo eſt, & puer Domini, noua creatura eſt, & filius Dei. Verùm patrem ſuum cui natus eſt, necdum vidit, hæreditatem necdum capit, quæ ſibi teſte hoc ſpiritu ſanguine Chriſti conſcripta eſt. Qui ergo teſtis in baptiſmo factus eſt ſpiritus, idē fit & tutor pupilli vbi per impoſitionem manuum ſacriq; chariſmatis vnctionem ſecun
Ioan. 16. dam, qui renatus eſt, gratiam accipit. Extunc iſte ſpiritus nouo iam nomine nuncupatur, diciturq; paracletus. Paracletus Græcè, Latinè conſolator interpretatur. Nouū hoc nomen eſt, neq; ſpiritus ſanctus, antequā conderetur hoc ſacramentum, iſto vſquam nomine nuncupatur. Vbi hoc ſacramentum cō debatur, vbi Chriſtus patiebatur, ipſa nocte qua tradebatur, hunc ſpiritum promittens, iſto primū nomine illum nuncupauit, dicēs. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implebit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Tanquā diceret. Veritatē dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. i. vt ego per paſsionē mortis ex hoc mundo ad patrem tranſeam, quia niſi pro vobis paſſus fuero, ſpiritus ſanctus non veniet ad vos, illo aduentu quo eſt conſolatio, id eſt peccatorum remiſsio. Nam hæc eſt communis omnium electorum conſolatio, quòd per Chriſti fidem, ſpiritum hunc acceperunt in remiſsionem peccatorum, & pro hoc non immeritò beatos ſeſe arbitrantur, dicente Pſalmiſta. Beati quorū remiſſæ ſunt
Pſal. 31. iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Apoſtoli paracletum iſtum, id eſt, datum hu
Ioan. 20. ius ſpiritus in remiſsionem peccatorum, ipſa quidem die dominicæ reſurrectionis accepe runt inſufflante domino ac dicente. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, ſed ſecundā gratiā eiuſdem ſpiritus non ante diem quinquageſimū adepti ſunt. primo dato, remiſsionem peccatorum acceperunt, ſecundo fortes, & zelo bono feruentes, ſcientes, atque ſapientes, eloquentes, & miraculorum potentes effecti ſunt. Sine dubio paracleſis. i. conſolatio nis vel gaudij cauſa præcipua in primo dato
Lucæ 10. eſt. Ait enim ipſe dominus. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubijciuntur, ſed in hoc gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Deniq; primo dato ſpiritus per baptiſmum ſcribuntur in cælo nomina electorum, & inde eſt gaudendū, ſecundo dato ſubijciuntur ſpiritus, &c. Huiuſmodi chariſmata dantur, imò diuiduntur ſingulis prout ſpiritus vult, & inde non adeò eſt gaudendum. Nā huius gratię ante Chriſti aduentū plurima patriarchę & prophetę dona conſecuti ſunt, & ipſi apoſtoli ante Chriſti paſsionem dęmonia eiecerunt, & nō erat illis gaudendū, niſi fieret vt per Chriſti paſsionē primam & præcipuā conſolationē, primum præcipuum & paracleti huius datū. i. remiſſiónem acciperent peccatorū. Quo facto iu
Ioan. 16. re gauiſum eſt cor eorum, iuxta promiſſum dicentis. Iterum aūt videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrū nemo tollet à vobis. Penè naturale omnib. ſuis, effecit diſciplina huius paracleti, vt de hac prima gratia gaudeant, & exultēt, ſcilicet quòd per baptiſmū peccati vetuſtatem depoſuerint, præſertim ſi gratiam eandem cuſtodierint, nouis criminibus non admiſsis. de ſecūda verò gratia non gaudeant, ſed nec deuulgari velint, niſi forte pro gloria Dei, vt ædificetur eccleſia dei. Hinc eſt, quòd nemo ferè, qui non ſe Chriſtianum vel catholicū velit haberi, cum ſapientem ſiue ſcientem, vel virtutē contra dæmones habentem, laudabiliter velit taceri. His igitur breuiter dictis, de primo teſte. i. de ſpiritu dei, ſpiritu adoptionis filiorum teſtimonium reddente ſpiritui noſtro, qđ ſumus filij dei, videamus de teſtibus reliquis.

Quòd teſtis ſecundus ſit ſanguis, & auctoritas, ſiue vilitas teſtimonij eius quanta ſit, & quomodo adſit in ſacramento baptiſmi.

CAPVT XI.

SEcundus poſt ſpiritum teſtis in baptiſmo
1. Ioan. 3. Chriſti ſanguis. Hic quidē ait. Tres ſunt, qui teſtimoniū dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. At in Euang. poſt emiſsionē ſpiri
Ioan. 19. tus non dictū eſt, exiuit aqua & ſanguis, ſed exiuit ſanguis & aqua. Ergo ſecundus teſtis eſt ſanguis, ſicut dignitate ita & ordine literę Sic aūt in cauſa hac teſtis iſte dat teſtimoniū, quomodo in teſtamento magnum preciū, pre chara ſiue neceſſaria, coram arbitris, atque auditoribus legittimis appenſum ſiue datū. V. g. Homo ille rex euangelicus, de quo illic
Matth. 22. ſcriptum eſt. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, idcirco ſponſam nominatā defendit, & nuptias fecit filio ſuo, quia ſpōſam eandē acquiſiuit filius idem ſanguine ſuo. Nam hoc notum eſt omnibus nuptiarum filijs. Et Apoſt. quoq; dicit.
Act. 20. Attēdite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiā dei, quā acquiſiuit ſanguine ſuo, licet rex ille dicat, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & nō dicat. Ipſe filius meus occiſus eſt, & iſtā ſponſam ſuo ſanguine acquiſiuit, tamen vtrunq; poterat dici, quia videliçet, pro acquirenda filio regio Dei ſponſa iſta, & prophetę & apoſtoli occiſi ſunt, & ipſe filius regis occiſus fuit ſed nunc viuit. Idcirco autem tacitū eſt hoc in parabola, vel taceri debuit, quod occiſus fuerit regis filius faciendo nuptias, vel certè vt faceret nuptias, quia videlicet, iſtud omnē faciendarū conſuetudinē, imò naturā nuptiarū exuperat. Si. n. qui ſpōſam quærit, moriatur pro eadem ſponſa, iam non erit, qui ducat, vel nuptias faciat. Sāguis igitur ſic in hoc ſacramen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramento dat testimonium, quomodo in magno magnæ rei negotio, causam confirmat notum & grande pretiũ. Nam verè sanguis filij Dei magnum est precium, non modò, quia sanguis sanctus, vel quia homo ille sanctus sanctorum est, verùm, quia homo quod det amplius vel charius sanguine suo, nihil habet. Propterea dicit. Maiorem hac dilectione nemo habet, quàm vt animam suã ponat quis pro amicis suis. Et Ioannes ait: In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit. Animã pro sanguine, & sanguinem pro anima vicissim poni reperimus, quia nimirum, vt physici quoque perhibent, vita hominis, imò & omnis animalis in sanguine est. Proinde & in Geneli scriptum est. Carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cuctarum bestiarum, & de manu hominis. Veruntamen in isto vtraque, scilicet anima & sanguis per se intelligenda sunt. Nam quod vere mirandum est, & prius animam posuit, & deinde iam exanimis supra naturam mortuorũ corporum, sanguinem de latere suo, & cum sanguine aquam fudit. sanguinem vt nos redimeret, aquam vt nos lauaret. Neque enim id circo sanguine suo redimere voluit nos, vt immunda vasa possideret sed vt nos à peccatis nostris lauaret, & mundos in sanctificatione & honore possideret. Sanguinem ergo redemptionis pretium, & aquam fudit sanctificationis lauachrum. Veruntamen & hoc legimus, quia sanguine lauit nos. Nam Ioannes Apostolus dicit: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Dicamus igitur fideliter, quia quæ de latere eius fluxit aqua, lauit nos, sed de socio sanguine, aqua virtutem hanc obtinuit, vt posset lauare nos. Nam sine sanguine aqua prodesse non poterat, sine sanguine, inquam, testamentum ratum fieri, aut hæreditas regni Dei nobis delegari non valebat. Vnde apostolus. Vbi enim inquit testamentum est, mors necesse est, intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis cõfirmatum est. Alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. Vndè nec primum sine sanguine dedicatũ est. Est ergo sanguis aquæ pretium. i. idoneam efficiens aquam ad concipiendum spiritum, ad conferẽdam remissionem peccatorum. Hoc medio conciliatur aquæ inferiori spiritus superior. Et illic quidem vtrunq;, scilicet sanguis & aqua visibiliter concurrit, nam qui vidit testimonium perhibuit, sed neutrum quenquam mortuorum aut viuorum visibiliter tinxit, hic autem vbi singuli credentium baptizantur, vnum tantum, id est, aqua visibiliter adest, & visibiliter atque sensibiliter tingit, nã sanguis neque visibiliter adest, neque visibiliter elemento aquæ sese coniungit, aut infundit. Inuisibiliter adest ille sanguis in conspectu fidei, cui nulla præiudicat localitas aut vetustas, siue longæuitas temporis, nam ipsa sine dubio illic est, & illuc vbi sanguis ille fusus est, hominem reducit interiorem, dum dicitur illi. Credis in deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius, qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus? &c. In hoc verbo passionis, & crucis Christi, dum dicit, credo, sine dubio adest ille sanguis, & inuisibiliter quidem, tã secundum inuisibilem animæ, quam secundum visibilem corporis substantiam lauat, & à cunctis emundat peccatis. Si enim sanguis hircorum & taurorum, inquit Apostolus, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operib. mortuis ad seruiendum Deo viuenti, &c. De tertio teste, scilicet aqua, nunc dicendum est.

De tertio teste, scilicet aqua, quòd sicut spiritus Dei ferebatur super aquas, ita nunc veraciter dicamus, quia spiritus vt nouam faciat creaturam, fertur super aquas. CAPVT XII.

AQua illa quæ cum sanguine de mortui Christi latere fluxit, noua creatura fuit & ad hoc creata est, vt álterum recreationis mundi principium existeret. Alterum, inquam, principium, nam primę creationis mũdi principium, & creandarum prima fuit materia specierum. Etenim confusa tunc erat aquarum substantia, & sub aquis latebant omnia, quando dicente Deo, fiat lux, &c. ferebatur spiritus eius super aquas. Hoc sanè interest quod tunc aquas illas creauerat Deus de nihilo. hanc autem non de nihilo, sed de hominis Iesu Christi creauit corpore iam mortuo. Alterum ergo principium aqua illa fuit, imò est. Et illo quidem principio sic superferebatur aquis spiritus Dei, vt diceret, fiat lux, & facta est lux, quam angelicam creaturam rectè intelligimus, in isto autem principio sic superferri dignatus est aquis idem spiritus, vt itidẽ diceret, fiat lux, & facta est lux, quam lucem Dei visionem, hominibus redditam confitemur. O verè magnus & laudabilis artifex hic sapientiæ spiritus, qui nobis vt absque vlla contradictione noua essemus creatura, atque idcirco non pertineremus ad præuaricatorem veterem Adam, adinuenit alterum principium, adinuenit artis modũ, quo ad illud nos reduceret principium, & de vetere faceret hominem nouum. Ista est sapientia, quam nemo principum huius mundi cognouit. Si enim cognouissent, nũquam dominum gloriæ crucifixissent. Nimirum ipsa calliditas principum tenebrarum hoc prę scire non potuit. Sciebant ipsum esse Christũ filium Dei, sed hoc nullatenus scire vel æstimare potuerunt quod alterũ nobis tale principium adinuenire posset sapientia dei, quo nos defendẽs reprehẽdi nõ posit iustitia dei. Quid. n? Quantu & q admirabile est hoc inuẽtum? Hoc

Ioan. 15. 1. Ioan. 3.

Genes. 9.

Apoc. 1.

Hebr. 9.

Ioan. 21.

Hebr. 9.

1. Corin. 2.

tũ? Hoc artificiũ & tunc quando conditũ est, fallacẽ diabolũ sapienter fefellit, & deinceps oẽs deos, imò non deos, sed dęmonia gentiũ, Iouem, Herculem, Iunonem, Mineruam, cæteraq́ue portenta dæmonum, omnes quoq; cultores eorum, omnes sapientes infatuatos huius seculi, reges & imperatores orbis sapienter eluſit, fortiter vicit. Quomodo Christus in contemptibili forma serui, occultam contegens formam Dei, fortem armatum in eo ipso, quod contemnebatur, vicit, & de atrio suo foras misit, sic aqua ista in sua vili substantia precioſam contegens gratiam spiritus sancti, & sanguis Christi dęmonum cultura destruxit, templa dæmonum in templa Christi, cultores & filios diaboli in veros adoratores & filios dei conuertit.

Luc. 11.

Quam clementer spiritus sapientia pauperibus prospexerit, vt aquam quæ cunctis res accessibilis est, ianuam faceret regni Dei, &c.

CAPVT XIII.

ET vide, dum parti aduersę sic illudit, suis pauperibus quàm clementer spiritus sapientiæ prospicit. Nam ecce aqua regni Dei ianua facta est. Quàm aũt accessibilis est talis aditus regni dei. Quis tam pauper est sensu, vt vrnam huius elementi cõparare nequeat suis sumptib. Nam siue de lacu, siue de flumine, siue de magno mari, siue de paruo fonte sumpta limpha, pro hac intentione, pro hac fide, & sacrata sancti nominis inuocatione illa est aqua, quæ de illo fluxit sacro Christi latere. Ergo & secundum hoc mysterium, recte dictum intelligitur illud propheticum. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Nam sicut absq; vlla commutatione vinum & lac propositum est omnib. de fonte scripturarum, sic absq; auro vel argento, absq; vllo rerum omnium dispendio, propositum est omnib. hoc regenerantis aquæ sacramentũ copiosũ. Sed forte aliquis instãte persecutore, aliquis confessor Christi præpeditus ab aliquo diaboli satellite, tempus aut locum non habet, vt possit cum hydria saltem de proximo fluuio quippiam haurire, quod ministro salutis huius offerat, & in confessione Christi super ipsum fundat. Multi enim persecutionis arti culo præoccupati, sine aquæ baptismo suppliciis affecti, pro Christi nomine confirmati & consummati sunt. Quid ergo? Nunquid hi baptizati non sunt? Imò tanto in maiorẽ gratiã præillis, qui in pace ecclesiæ moriuntur, assecuti sunt, quanto grauiori dispendio morti & sanguin. Christi communicauerũt. Nam in baptismo communis tantum similitudo mortis est, sicut ait Apost. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, in martyrio autem ipsa mors. Quòd si martyrium baptismus non esset, nunquã dominus de passione sua dixisset, quod iam supra dictum est. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsq; dum perficiatur. Verũ exceptis his, quos eiusmodi articulus non intercipit, nulli spiritus sanctus extra fontes occurrit, totãq; remissionem peccatorum inter aquas continet, nec vltra extendit.

Esaiæ 55.

Roma. 6.

Luc. 12.

Iterum de tribus testibus, spiritu, sanguine, et aqua, quod sine vtrolibet non sit ratum testimonium in terra

CAPVT XIIII.

TRes igitur testes sunt isti, spiritus, aqua, & sanguis, quorũ sine vtrolibet non est testimoniũ ratũ in terra. i. in præsenti ecclesia. Nam nisi dicat quis, dominus Iesus in quo dictũ est testimoniũ spiritus, nemo. n. dicit, dominus Iesus nisi in spiritu sancto, & nisi dicat quia hic est, qui venit per aquã & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solũ, sed in aqua & sanguine, & hæc dicẽs, baptizetur aqua elementari, nõ est in terra recipiendus, nõ est ecclesiasticę cõmunioni admittẽdus, vtpote legitimis & necessarijs carens testib. Vnus aut duo testes in isto negocio nõ sufficiunt. Vnũ solũmodo testẽ illi discipuli habebãt, quib. cũ dixisset Paulus, si spiritu sanctũ accepistis credentes, dixerũt. Sed neq; si sanctus est spiritus audiuimus. Vnũ, inquã, testẽ, scilicet aquã solã habebant. Nã in Ioannis baptismate, sicut neq; si spiritus sanctus esset audierãt, ita nec sanguinis testimoniũ acceperãt. Neq;. n. Ioannes verbo crucis, qđ nondũ erat cathecizare aut sanguinẽ, qui necdũ fusus fuerat, p̃dicare poterat. Vnũ igitur testẽ. s. aquã habebant, & idcirco nisi baptizarentur adhuc, neq; in terra, neq; in cęlo recipiendi erant. Duos testes habent s. aquã & sanguinẽ, & tertiũ. i. spiritũ non habent, quicũq; apud hęreticos baptizãtur. Neq;. n. hęretici quicunq; fidẽ domini Iesu aliqua blasphemia diminuunt vel dilacerant, veraciter dicunt, dominus Iesus, & idcirco nequaquã in spiritu sãcto loquũtur. Quã uis ergo in eũ, qui pro nobis crucifixus est, cathecizentur, & baptizẽtur, aquę quidẽ & sanguinis testimoniũ habere videntur, sed spiritus testimoniũ non habere cõprobantur. Veruntamẽ si baptizati sunt in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, multę siquidẽ hæreses in isto nomine baptizant his, qui ab eis ad catholicã ecclesiã confugiunt, non repetitur lauachrũ carnis, sed tantũ per impositionẽ manuum reconciliati tertiũ testẽ. i. spiritũ accipiunt. Rursus qui spiritus & sanguinis habẽt testimoniũ dicendo, dominus Iesus, & credendo, quia ille pro nobis sanguinẽ suum fudit, non eos pigeat quamlibet iusti sibi videantur, tertij testis, scilicet aquæ quærere testimonium. Nam siue Iudæus in lege iustificatus, siue philosophus in virtutum studijs collaudatus, dicat, dominus Iesus, & hic, p̃ omni mundo est passus, sed aqua baptizari in remissionẽ peccatorũ dedignetur, tanquam sit iustus, nullo modo in terra recipitur, nullate nẽ hic ecclesiastica frui cõmunioe p̃mittitur.

1. Cor. 12. 1. Ioan. 5.

Act. 5.

Quomo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo gratia baptismi & si actu noua, voluntate tamen & proposito Dei vetus sit.

CAP. XV.

NEc verò quasi nouam licet hanc traditionem contemni, quia & si actu noua est, voluntate vetus eius, & proposito Dei. Nam vt Iudæo paucis respondeam, qui penè naturaliter hoc sacramentum aspernatur, & odit, nunquid primum à Christi euangelio, nunquid primum à Christo dicente, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest videre regnum dei, testimoniũ habet auctoritatis huiusce sacramentum? Nónne & longe ante hæc iustitia testificata est, à lege & prophetis? A lege factis mysticis. A prophetis testificata est dictis manifestis. Primũ verba prophetica recolentes dicamus, non iam Nicodemo. Tu es magister in Israel, & hæc ignoras, sed cuilibet didascalo Iudæorũ, tu es cæcus cæcorum dux, qui hæc ignoras. Nam ecce in Ezechiel loquitur Deus. Sancti ficabo nomen meum magnum inter gentes, vt sciant gentes, quia ego dominus, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terrã vestram. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Et habitabis in terra quam dedi patrib. vestris. Quid aliud in euangelio suo, Deus homo factus fecit, quam quod in isto Propheta deus homo futurus promisit? Nã ecce si quærebas, quid in isto propheta dixerit, sanctificabo nomen meum magnum, & cum sanctificatus fuero effundam super vos aquam mundam, & spiritum nouum ponam in medio vestri. si, inquam, quærebas, quando istud factum sit, ecce ad illud baptismum peruenies, de quo dicebat, baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsque dum perficiatur, id est, continuò capiendus, & ad passionem suam ducẽdus ipse loquitur. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Hæc dixit, & continuò sanctificans seipsũ id est, offerens per spiritum sanctum semetipsum immaculatum Deo viuenti, istam de qua loquimur aquam mundam super nos effudit, & spiritum nouum, spiritum sanctum posuit in medio nostri, tollensq; nos de gentibus. Gẽtes enim eramus ad simulachra muta prout ducebamur euntes, abstulit cor lapideum de carne nostra, quia lapides eramus lapidea colentes idola, & dando nobis cor carneum, suscitauit de lapidibus filios Abrahæ. Extunc habitamus in terra quam dedit patribus nostris, quia renati ex ista aqua & ex isto spiritu, incepimus videre regnum Dei. In Esaia quoque cum reprobasset iustificationes Iudæorum dicendo, ne offeratis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomenias & sabbatum & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laborauí sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, continuò quid malit dicens. Lauamini, inquit, mundi estote. Item. Si abluerit dominus sordem filiorum Sion, & sanguinem Hierusalẽ lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Et ne quis de iustitia præsumẽs hoc lauacro se egere non æstimet, sicut pannus menstruatæ, inquit, omnes iustitiæ nostrę. Et in Zacharia. In illa die erit fons patẽs domus Dauid & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatę. Pauca sunt hæc de pluribus dictis propheticis. A lege autem testificata est hæc iustitia Dei, cũ in multis, tum maximè in eo, quod post immolationem agni fugientibus filijs Israel, aperuit Deus mare, & ingressus est Pharao quoque cum curribus suis & equitibus in mare, & reduxit super eos dominus aquas maris, filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius. Verùm quantacunq; proferantur exempla siue testimonia de scripturis, perseuerant in malo, isti non tam iudæi, siue Israelitæ, quàm Philistijm similes illis, qui primi fuerunt hostes fugientis Israel ad mare rubrum, de quibus scriptura dicit. Cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philistijm, quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret eum, si videret aduersum se bella consurgere.

Ioan. 3.
Ioan. 3.
Ezech. 36.
Esa. 41.
Esa. 64.
Zach. 13.
Exod. 15.
Exod. 13.

De tribus qui testimonium dant in cælo, & cur nõ dixerit: Pater & filius, sed, pater & verbum, & quomodo verbum homini assumpto testimonium perhibuerit.

CAPVT XVI.

DE tribus testibus testimonium in terra dantibus pro posse diximus, supereſt, vt & de tribus testimonium in cœlo dantib. breuiter dicamus Nam & tres sunt, inquit, qui testimonium dant in cælo, Pater, verbũ & spiritus sanctus. Primo quæritur cur non dixerit, quod magis vsitatum est, pater & filius, sed pater & verbum & spiritus sanctus. Ad quod dicendum, quia non solum tres illi vel tres isti testes testimonium dant, quod sumus nati ex deo, sicut proposuerat, dicendo, omne quod natum est ex deo, vincit mundũ & sicut in fine capituli, qui credit (inquit) in filium Dei, habet testimonium dei in se. Verùm & ipsi, imò principaliter ipsi Iesu testimonium dant, quia ipse est Christus, vel quia Christus est veritas. Ne ergo occasio porriger retur hæreticis, dicturis duos esse filios, alterum filium Dei, & alterum filium hominis, de illo

1. Ioan. 5.
1. Ioan. 5.

Lucæ 12.
Esa. 1.

de illo homine, qui pependit in cruce & mortuus est, testificationes conferens, noluit dicere, quia testimonium dant ei pater & filius, cũ ipse in vtraq; substantia Dei & hominis, vnus sit Dei filius, sed pater & verbum (inquit) & spiritus sanctus. Nam reuera non filius filio, sed verbum assumpto homini testimonium dat, quod ipse qui negatus & reprobatus est, ipse, inquã, sit Christus, ipse sit veritas, id est, non altera Christi persona, alteri Christi personæ, sed altera Christi substantia, alteri Christi substantiæ, hoc testimonium dat. Quomodo testimonium dat hoc verbum? Vt multa præter eam, quæ nostram excedunt infantiã, in eo nimirum testimonium dat, quòd quæcunq; locutus est hic homo, vera sunt, & omnia vnum verum verbum. Et hoc est legitimum testimonium. Dicit enim lex cognoscẽ di prophetæ, & non prophetæ signum. Quòd si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus dominus, hoc habebis signum. Quod in nomine domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc dominus nõ locutus est, sed per tumorem animi sui propheta cõfixit, & idcirco non timebis eum. Hoc nimirũ propter istum prophetam, imò prophetarum dominum dictum est. Promiserat enim dicens. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit dominus Deus tuus, &cæ. Hac ergo præeunte legis propositione assumptionem ipse de quo propositum fuerat, nobis porrigit, dicens. Cælum & terra transibũt, verba autem mea non transibunt. Porrò aduersus inimicos eius Iudæos vel istud sufficiat, quia dixit de illis. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, atq; ita factum est. Igitur secundum verbi testimonium Iesus est Christus, Iesus vtiq; vt putabatur filius Ioseph, & non alius Christus est. Quomodo autem pater dat huic testimoniũ? Primùm dicendo hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Deinde semper illũ audiendo in faciendis operibus magnis, quæ nemo alius fecit, maximè verò ipsum resuscitando à mortuis. Si enim dicendo se esse Christum, mentiretur, diuinorũ operum testimonium non illum comitaretur, resurrectio carnis eius quod magnum est testimonium, non consequeretur. Nihilominus spiritus sanctus testimonium dat huic, quod sit Christus, vel quòd sit filius Dei, quia videlicet quemadmodum dixit. Cùm venerit paracletus, quem ego mittã vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, sic factum est & fit, & fiet vsq; in finem seculi. Hi tres testimonium dant in cælo. i. inuisibiliter. Nam ante dicti testes, scilicet, spiritus, aqua, & sanguis, dederunt testimonium in terra. i. visibiliter. Spiritus enim visibiliter, id est, sũpta columbæ corporea specie, super illum apparuit, affirmãs quod hoc signo cognosci iuserat, scilicet qui baptizat, sanguinem & aquã visibiliter de latere suo iam mortuus fudit, quod non fecisset, si non esset Christus filius Dei. Nunc ad nostra redeamus.

Deut. 18.
Idem.
Matt. 24.
Matth. 3.
Ioan. 1.
Ioan. 15.

Quomodo non satis sit, vt tres nobis testimonium dent in terra, nisi & tres testimonium dent in cælo, & quomodo hi tres non vnus, sed vnum sint.

CAPVT XVII.

POstquam nos qui dicimus dominus Iesus baptismo eius baptizati sumus, tribus vtiq; testibus in terra. i. in presenti ecclesia cõmendamur, sed nondum satis est. Ait enim. Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cælorum. Et Apostolus Iacobus. Fides (inquit) sine operibus mortua est. Igitur, sicut tres sunt qui testimonium dant in terra, vt in communionem ecclesiæ suscipiamur, sic tres sunt qui testimonium dant in cælo, vt in regnum cęlorum introeamus. Tres isti testes sunt, pater, & verbum, & spiritus sanctus. Cuius rei dant testimonium? Nimirum dilectionis, per quam fides operatur, scilicet quod fidem habentes, dilectionẽ quoq; habeamus nominis huius, & idcirco in regni cælorum gloriam intrare digni habeamur, sicut scriptum est. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum. Quam autem honorificum sit talium personarum frui testimonio coram cunctis cælorum virtutibus, nisi experti scire nõ possumus. Et hi tres vnum sunt. Non hi tres vnus, sed hi tres (inquit) vnum sunt. Quod idem est ac si dixisset. Hæ tres personæ vna substantia sunt. Ita & ipse Christus aduersus Iudæos, & contra Arrianos nihilominus & contra patripassianos, ego (inquit) & pater vnum sumus. Nam ego & pater cum dicit duos in personis, quod negant patripassiani, id est, Sabelliani sumus cũ dicit, vnum in substantia, testatur, quod negant Arriani. Ita & hic ait. Hi tres vnum sunt, id est, hi tres in personis, vnum in substantia sunt. Restat vt iuxta propositum de septimo teste loquamur.

Matth. 7.
Iacob. 3.
Psal. 5.
Lucæ 22.

De septimo, quod est dominici corporis et sanguinis sacramentum, quod nobis non tantum testimonium, sed ipsum sit vitæ testamentum, & quod traditio eius à passione domini habuerit initium.

CAPVT XVIII.

SEptimus testis nobis secundum præsens negocium dominici corporis & sanguinis est sacramentum. Huius nimirum sacramenti virtus, non vtcunque testimonium, sed ipsum est vitæ & salutis nostræ testamentum. Ait enim, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hic calix nouum testamentum in meo sanguine qui pro vobis fundetur. Hoc testimonium vt superius diximus, testimonio, quod aduersus nos habebat diabolus, quadam oppositione propria oppositum est, quia videlicet contra cibi vetiti culpam, cibus & potus gratiæ est, contra serpentis venenum, sancti spiritus antidotus est. Et

1. Cor. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc vtiq; sacramentum ab eadem domini nostri Iesu Christi passióe habet, venę suæ principium Sciendum quippe, quia cũ de isto multa locutus fuerit ante suam passionem, nusquam tamen traditionem eius dedit, antequã ad ipsam venisset passionem. Iam enim erat venditus (vt Apostolus ait) Ipsa nocte qua tradebatur, accepit panem gratias agens, fregit & dixit. Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c. Cur hoc nisi quia non aliunde viuificum hoc mysterium, sed ex ipsa condebatur domini passióe? Idcirco subinde idem Apost. dicit. Quotiescunq; enim mãducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ dñi annuntiabitis donec veniat. Pulcher & rationabilis ordo salutis, vt prius supradictorum testium scilicet spiritus, sãguinis & aquæ sacramento baptizati, maculã veteris cibi lauaremus, & tunc demum eidem edulio mortis contrarium hunc cibum, & hunc potum salutis perpetuæ perciperemus.

Quòd in typum horũ duum sacramentorum olim prior populus & mare transierit, & panem de cælo atque aquam de petra consecutus sit, & quomodo Apostolus eandem escam spiritualem eos mãducasse, & eundem potum spiritualem bibisse dixerit.

CAPVT XIX.

IN typum horum duum sacramentorum, olim prior populus, & mare transiuit, & in deserto panem de cælo manducauit, aquam de petra bibit. Vndè & Apostolus. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri
1. Cor. 10. omnes sub nube fuerunt, & omnes mare trãsierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari. Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebãt autem de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus Et post pauca. Hæc autem (inquit) omnia in figurã contingebant illis. In figuram cum dicit, subaudiendum necessario est horum quæ reuelata suo tempore, gratia & veritas per Iesum Christum fecit vel dedit. Proinde cum eandem escam & eundem potum dicit, & nõ addit aliquid, vt verbi gratia dicat. Quam nos manducamus vel quem nos bibimus, nunc de mensa Christi nullatenus dissonat dictio eius Christo dicenti. Amẽ amen dico vobis, non Moyses dedit vobis pã
Ioan. 6. nem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Dixerant enim Iudæi. Quod tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaue-
Psalm. 72. runt in deserto manna, sicut scriptum est. Panem de cælo dedit eis manducare. Negauit protinus veritas dicens. Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Tanquam diceret. Hunc panem de quo propheta dicit, panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo, verè dico vobis non Moyses præterito tempore vobis dedit, aut dare potuit, sed pater meus præsenti tempore dat. Itaq; cum dicit Apost eandem
1. Cor. 10. escam spiritualem manducauerunt, & eundẽ potum spiritualem biberunt, & non additur quam vel quem, nos hoc reuelatæ gratiæ tẽpore sumimus, non contrarius est sententiæ Christi, sed sicut alio tendit, ita & relationes pronominum, eandem & eundem alio ducit. Intendit enim præsumptionem nobis securitatis auferre, ne putemus nos securos esse debere, quasi quomodocunq; viuamus post baptismum, & mensæ Christi participationem, sine dubio debeamus regnum Dei videre, vi tam æternam habere. Hoc intendens dicit in
Ibidem. figura nostri illud contigisse, quod illi oẽs mare transierunt, & oẽs Manna mãducauerunt, & omnes aquam de petra biberunt, & tamen non omnes illam repromissionis terram introierunt, sed non in pluribus eorum (inquit) beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Sic etenim non omnes qui hunc panem manducant, & hunc calicem bibunt, cuius ille panis & illa aqua figura fuit, ingredientur in illam verè repromissionis & viuẽtium terram, cuius illa terra sine dubio figurã prætulit. Igitur eandem escam & eundem potum cum dicit, subaudiendum est mali, quam vel quem boni, eandem sine dubio & eundem Chore, quam vel quem Caleph & Iosue, eandem eundemque Dathan & Abiron, quam vel quem Moyses & Aaron. Quod si quæritur, quomodo ergo esca spiritualis, & potus spiritualis erat, facilè respondetur, quia non alio, sed eodem modo quo & petra spiritualis vel Christus erat. Sicut enim dixit spiritualẽ escam & spiritualem potum, sic dixit de spiri- 1. Cor. 10.
tuali petra. Petra autem erat Christus. Constat verò, quia sic petram spiritualem, vel petram Christum dixit, ac si diceret, spiritualis petræ figuratiuam, Christi significatiuam. Ita ergo & spiritualem escam & spiritualem potum dixit, ac si diceret. Escam figuratiuam escæ spiritualis, potum significatiuum potus spiritualis.

Quomodo illis æquè vt nobis hoc sacramentum necessarium fuerit, & quomodo qui mortui erant, huius participes esse vel fieri potuerint, & quod hoc sacramentum efficiat, vt nobis qui non dum eramus, proficiat mors Christi.

CAPVT XX.

ITaque tam vnum quàm alterum sacramẽtum, illis æquè vt nobis erat necessarium, quia videlicet neutrum in re, sed vtrumq; in vmbra vel figura acceperant. Nec verò magis per illam figuram siue vmbrã consummati vel sanctificati esse poterant, quã antiquiores Abraham, Isaac & Iacob, vel posteriores, Samuel & Dauid, qui neque illud mare transierunt, neque illud manna manducauerunt. Diximus autem, & sæpè dicere, imò semper ita sentire debemus, quia quando patiente vel moriente Christo, sanguinemque & aquã fundente de latere suo, baptismi eius conditum est

tum est sacramentum, tunc omnes eodẽ sanguine & eadem aqua mundati sunt, baptizato illo pro omnibus vel sanctificato, sicut dixerat. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor vsq; dum perficiatur? Et alibi. Ego pro eis sanctifico meipsum. De alio sacra-
Lucæ 12. mento quid dicemus? Quo qui mortui erãt, participes facti sunt, vel fieri potuerunt cibi & potus eius? Verè rem mirabilem satis dignè admirari non possumus. Nam quia mortui venire non poterant ad manducandum hunc panem angelorum, iuit ad eos ipse, vt quomodo à mortuis manducari poterat, manducaretur panis angelorum, vita viuẽtium, resurrectio mortuorũ. Dissipati erant mortui, etenim animæ quidẽ ad inferos descenderant, corpora verò in ventrem terræ recondita fuerant. Dissipari ergo voluit & ipse panis vitę, & anima quidem cum verbo Deo descendit ad inferos ad animas eorum, corpus verò nõ sine potentia verbi eiusdem vbiq; præsentis, in ventrẽ terræ ad corpora eorũ. Tale remediũ illis inuenit, quo sapiẽs, quomodo sapiẽtia Dei aliquo modo viuẽtibus & nobis victuris, qui nondũ eramus, prouidẽdum erat, quia nimirum ad nos eo modo non erat vltra descensurus. Resurgens e-
Rom. 6. nim ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quærendum illi erat, imò iã scire illum nobis expediebat, quo pacto nos illum dum viuimus, in animas & corpora nostra transsumere possemus, quia sicut iam dictum est, postquam mortui essemus, fieri non poterat quod semel factũ est, vt scilicet rursus moreretur, & anima eius nostris in inferno animabus, corpus eius nostris in terra corporibus coniungeretur. Ergo & nobis tam sapienter quam misericordi ter idem in alia specie remedium prouidit, quomodo sapiens, quomodo sapientia Dei. Fecit enim nobis sacramentum per quod & corpus eius in nostra corpora, & vita corporis eius, id est, verbum Deus in nostras animas insunderetur, & ipse tamen integer permaneret & viuus.

Quomodo hoc sacramentum Christus tradiderit, & quibus essentiæ modis corpus & sanguis Christi sit.

CAPVT XXI.

Matth. 26. QVomodo? Cœnantibus autem (inquit Euangelista) accepit panem & benedixit & fregit, & dedit discipulis suis dicẽs. Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicẽs. Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunde-
Luc. 22. tur in remissiõem peccatorum. Sicut de sanguine dixit qui pro vobis effundetur, sic de corpore dixit, & apud Lucã scriptum quoq; est, quod pro vobis tradetur. Cœnantibus, inquit, videlicet cœnam illam typicam, per quam hactenus præfigurata fuerat hæc cœna veritatis, eo ritu quem lex ita præscribit.
Exod. 12. Decima die mensis huius, tollat vnusquisq; agnum per familias & domos suas. Sin autẽ minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui eius iuxta numerum animarum, quæ sufficere possint ad esum agni, &c. Illa figura tunc in præsentiarum erat implenda re veritatis, veritate rei præsentis. Propterea in Luca dicit. Desiderio desidera- Lucæ 22.
ui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Hæc dicens & illud vetus pascha sacramento noui paschæ mox impleri dixit, & cogitationi vel expectationi illorum respondit, quia interrogare soliti erant dicentes, quando veniet regnum dei, aliter quàm res foret vtpote carnaliter adhuc sentientes de regno Dei. Cœnantibus itaque, id est, sedentib. adhuc in cœna, qua manducauerant carnes agni, carnes paschæ veteris, accepit pa-
nem & benedixit. Panem communem acce- Matth. 26.
pit, sed benedicendo longè in aliud quã fue- Marc. 13.
rat, trãsmutauit, vt veraciter diceret hic. Hoc Luc. 22.
est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Item vini substantiam accepit, sed itidẽ gratias agendo vel benedicendo sic in aliud vertit, vt diceret veritas, quę non mentitur. Hic est sanguis meus noui testãmenti, qui pro multis effundetur. Hoc (inquit) id est, hic pã-
nis est corpus meum, siue caro mea. Nam & alibi dicit. Et panis quẽ ego dabo, caro mea Ibidem.
est pro mundi vita. Sed non videtur oculis Ioan. 6.
carnis, non sentitur gustu oris, quòd panis ille caro Christi factus sit, quòd vinum illud in sanguinem versum sit. Nimirum si videretur color, aut sentiretur sapor carnis & sanguinis humani, homini non plus salutis, sed plurimum afferret horroris. Sic ergo est corpus vel caro & sanguis Christi, quomodo esse vel ad vsum nostrum conuenit, & ad salutem nostram sufficit. Quomodo vel quibus essentiæ modis? Nimirum nomine, re, atque effectu. Nomine videlicet esse intelligimus, in eo quod dicit, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Sicut nusquam ita nec in isto, imò maximè, nec in isto nomen domini vanum accipere debemus. Si enim in cũctis sanctificationibus, quæ per ministros domini, ad inuocationem nominis eius aguntur, nequaquam nomen domini in vanum accipere audemus, quanto magis in ista sanctificatione, in qua nomen corporis & sanguinis sui ore proprio posuit dominus, nequaquã in vanũ idipsum nomen accipere debemus? Re quoque corpus Christi & sanguinem esse intelligimus, in eo quòd ait, quod corpus tradetur, qui sanguis effundetur. Effectu esse intelligimus in eo, quòd cũ dixisset, quod tradetur, qui effundetur, addidit, pro vobis in remissionem peccatorum. Itaque sicut illa specie qua pepẽdit in cruce sanctus sancto rum est, & in illa specie præteritis omnibus electis remissionẽ peccatorum operatus est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic in istâ specie panis & vini nihilominus sã ctus sanctorum est, & omnibus electis, qui post eandem passionem ad fidem eius veniunt, idem illum efficere, id est, remissionem peccatorum, & vitam æternam conferre nõ dubium est. Nam & alibi dicit. Qui manducat carnem meã, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et protinus addit. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. *Ioan.6.*

Quid sacramentum, & quid res sacramenti sint, & quod sit verè corpus & sanguis Christi.

CAP. XXII.

EST igitur (sicut & pater Augustinus ait) in sacramẽto isto, quod digni & indigni accipiunt res sacramenti, quam non nisi digni accipere possunt, sed nõ sicut dicta eius, à nonnullis æstimata sunt. Putauerunt enim illum dixisse, quòd non sit corpus aut sanguis Christi, quod indignus quisq; percipit, atq; secundum tanti doctoris sensum nõ corpus aut sanguinem Christi, sed tantum figuram vel signum esse corporis & sanguinis Christi, id quod visibiliter sumimus de mẽsa domini. Hoc ille non dixit, imò hoc ille non sensit. Neq; enim Christo contrarius esse consueuit. Loquitur autem Christus, & per semetipsum dicens. Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, & per Apostolum suum, cuius experimentum habemus, quia in eo loquitur Christus dicens. Itaq; quicunque mãducauerit panem domini, & calicem dni biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non dixit, qui manducat & bibit indigne panẽ, manducat simplicem vel communẽ, & vinum bibit, quale prius erat nondum celebrata cõsecratione, sed reus erit corporis & sanguinis domini, sed iudicium inquit, sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Quapropter non iã de contentiosa cuiusquã dissertatiõe, sed de Apostolica veritate sensum petamus, quo prædictus doctor, sacramentum, remq; sacramenti distinxerit. Rem sacramẽti, Christus ipse mysterium suæ dixit esse passionis, vt ante iam diximus, qui tenens in manibus hoc visibile sacramentum, cum dixisset, hoc est corpus meum, addidit quod tradetur, cũ dixisset, hic est sanguis meus, addidit, qui effundetur. At ille qui indignè accedit, non cõmunicat Christi passionibus, non contingit ore mentis, quod percipit ore corporis, vndè & hoc ipsum est quòd indignus existit. Ergo corpus quidẽ & sanguis Christi est hoc visibile sacramentũ, quod ore percipit, neq; enim indignitas eius, dignitatem tantæ consecrationis euacuare potuit, sed rẽ sacramenti non attingit, quia mente & fide per dilectionem operante passionem Christi nõ repicit. Idcirco nec effectum consequitur eiusdem sacramẽti, in eo scilicet, vt pro se tra- *1. Cor. 11.*

ditum sit hoc corpus, & fusus iste sanguis, id est, in remissionẽ peccatorum sibi, vt habeat vitam æternam, & resuscitetur in nouissimo die, in resurrectionẽ vitæ, sed cõsequitur id quod huic effectui contrarium est, vt videlicet sit reus & corporis sanguinis domini, vt iudicium sibi manducauerit & biberit.

Quòd sit dandum indignis, & quod multum interfit, quomodo vel vndè quisq; æstimetur indignus.

CAPVT XXIII.

PRoinde, vt Apostolus ait, probet seipsũ homo, & sic de illo pane edat & de calice bibat, quia videlicet tantæ dignitatis sacramentum indignis & non probatis dandum non est. Cum autem hæc dicimus, mouentur pleriq;, nos quoque molesto experti sumus experimẽto, quos vel culpa remordet, vel certè humilitas Christiana informat, vt indignos tanto mysterio iudicent semetipsos. Verùm si dictionem non nostram, sed Apostolicam perpendant diligentius, nõ est cur moueantur, quasi temeraria cõtra ipsos iudicia constituamus. Differt enim indignitatis huius dictio vel modus, multumq; interest, quomodo vel à quo, quisq; indignus existimetur. Est enim cum seipsum quisque indignum confiteatur, & cum ab alio indignus existimetur aut pronuntietur. Porrò semetipsum laudabiliter indignum confitetur, quisquis veraciter & vt dignum est, dignitatem perpendit sacramenti huius. Quis enim, si rectè iudicet, castum cor se habere gloriabitur? De hac parte Apost. dicit. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Econtra detestabiliter indignus iudicatur, quisquis vel in aliquo scelere notus, aliquantis testibus, siue toti ecclesiæ causam dedit, vt indignus existimetur. Cum igitur nostro iudicio indigni sumus, non tũ sancta iure nobis negantur, cum autem ab alijs indigni pronuntiamur, maximè vbi non dubia indignitatis causa profertur, iure repelli mur, ne iudicium nobis manducemus & bibamus. Sed iam ad incepta reuertamur. *1. Cor. 11.*

Quomodo iste cibus, quem de suo Christus dedit, illi sit oppositus, quem de alieno serpens primis hominib. persuasit.

CAPVT XXIIII.

ACcipite (inquit) & comedite, hoc est corpus meũ. Et alibi. Qui mãducat carnem meam, & bibit sanguinẽ meum, in me manet & ego in eo. Cũ hæc dicit agnus dei, oportunè nobis ad memoriã recurrit illud, quod dixit serpens, imò per serpentem diabolus hostis humani generis. Accipite & comedite, & eritis sicut dij. Optimæ & spectabiles valdè propositiones. Illẽ serpens erat, iste agn⁹ est. Ille vet⁹ peccator, iste antiquus creator. Ille per terrã repsit, iste de cælo venit. Ille spiritu diaboli falsũ sibilãs, iste spiritu Dei verũ euãgelizãs. Ille peccati portitor, iste iustitiæ doctor. Ille mortis artifex, iste vitæ opifex. Ille de ligno nõ suo raptor obtulit, *Matth. 26. Ioan. 6. Gene. 3.*

tulit, iste de corpore & sanguine suo largitor dedit. Ille quod non habebat mẽaciter promisit, eritis (inquiens) sicut dij. Iste quod habebat, quod semper naturaliter habet, fideliter dedit, vt simus dij, dum manet ipse in nobis. Illi tãdem nefandissime creditum est plusquam Deo. Credatur econtrario huic Deo, si non plus, at saltem quantum creditũ est illi diabolo. Creditum est enim, quòd illi pomo inesset quod nõ videbatur, scilicet vis deos afficiendi, credatur huic sacramẽto inesse quod non videtur, videlicet veritas carnis & sanguinis, valẽs efficere nos concorporales vnigenito filio dei. Hoc enim ratio vel ordo iustitię exposcit. Accipite ergo (inquit) & comedite. Prius accipite, & deinde comedite. Accipere enim est fideliter credere, cũ gratiarum actione diligere, compatienti affectu corporis huius traditionem & sanguinis huius effusionem respicere. Hoc fieri nõ potest, nisi prius reijciatur id quod ab illo malè acceptũ est. Illud igitur mendacium execrantes, hanc veritatem accipite, approbate, amplectimini, & contra cibum mortis, panem comedite vitæ æternæ, & calicem bibite salutis perpetuæ.

Cur vtrunq; ad salutem necessarium sit, & prius baptizari, & deinde hoc sacramento participari.

CAPVT XXV.

QVid (inquis) opus erat, postquam baptismum accepimus in remissionẽ peccatorum, sumere cibum in remissionem peccatorum? Imò vtrolibet horũ accepto sacramẽtorum, quid alterũ ad salutẽ erat necessariũ? Dixit.n. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Porrò iam ante dixerat. Qui manducat carnem meam & bibit sanguinẽ meum, habet vitam æternam. In vtroq; sic posuit vitæ & salutis conditionem, vt in neutro alterutrius fecerit mentionem. Quòd si ita dixisset, qui baptizatus fuerit, & carnem meam manducauerit, ac sanguinem meum biberit, saluus erit, siue qui manducat carnẽ meã, & bibit sanguinẽ, meũ post acceptã baptismatis gratiam, habet vitam æternam, minus superesset ad quærendum. Nunc verò plus esse quod quæratur, scilicet & quomodo dicat. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Cum ante dixerit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & qua ratione secundum modũ originalis culpæ, vtrunq; remedium necessarium sit. Hic iam facilius de primo respondetur, quia videlicet quod ait, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, tale est, ac si dicat, certus medicus de homine semiuiuo plagis plurimis à latronib. conuulnerato, si se in stabulum meũ deferri permiserit, saluus erit. Dabo enim illi cibum & potum tantæ virtutis, vt integram cõtinuò sospitatem recuperare possit. Sic nempè cum dicit, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, subaudiendum est, corpus.n. meum in escam, & sanguinem meum in potum dabo, siue iam paruuli illi, vndè refectus sine dubio saluus sit. Nunc ergo quod super est si quæritur, cur non vnũquodlibet horum, sed vtrumq; sacramentũ ad salutẽ necessarium sit homini, respõdere licebit. Videlicet quia peccatum ab homine duplex commissum est. Alterum siquidẽ superbiæ, alterũ fuit gulæ. Superbiuit.n. prius in mente appetendo similitudinem Dei, qd maximè liquet ex serpentis promissione dicentis, eritis sicut dij. Neq; enim similitudinem Dei pro mercede præuaricationis illis spopondisset, nisi prius illos hoc ipsum ambire persensisset. Deinde & gulę ambo succubuerunt, quod & scriptura manifestius denotando exprimit, cum de muliere dicit. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendũ, & pulchrũ oculis aspectuq; delectabile, & tulit de fructu eius & comedit, deditq; viro suo. Igitur quia congeminatum fuit peccatũ, rectè congeminatũ est & sacramentũ. Et alterũ quidẽ superbiæ malum per humilitatis bonũ, in altero gulę vitiũ per melioris alimenti curatur antidotũ. Quid pulchrius oculos attollẽti ad istã circa nos dispositionẽ misericordiæ simul & iustitiæ Dei? Neq;.n. sic Deus misero misertus est homini, vt hominis superbi congruã exigere satisfactionẽ negligeret. Ecce qui regnãtis in cælo Dei similitudinẽ appetiuit, pendentis in ligno filij Dei, similitudinẽ per baptismum, suscipit. Ibi contempsit maiestatem, hic adorat crucẽ. Illud superbię fuit, hoc humilitatis. In illa superbia diabolus hominẽ inueniens, cibum vetitũ obtulit, & eritis, inquit, sicut dij, in hac humilitate Deus hominẽ inueniẽs cibũ potumq; offert corporis & sanguinis sui, & manebitis, inquit, in me, & ego in vobis. Et notandum, quod non eisdẽ verbis deceptoris vsus est, dicẽtis. Eritis sicut dii, nec omnino sic dicere debuit, qui mãducat carnẽ meã, & bibit sanguinẽ meũ, erit sicut Deus, vel erit similis altissimo, sed in me manet, inquit, & ego in eo. Quis em̃ est vel esse potest sicut deus. i. sine illi⁹ ope vel gratia esse deus. Sed & de his alio in opere plenius diximus, idcirco nunc plura dicere supersedemus. *Marc. 16. Ioan. 6. Marc. 16. Gen. 3. ibidem.*

Quod hæc prima resurrectio sit animarum, & quòd in eis qui in hac partem habent secunda mors nõ habeat potestatem.

CAPVT XXVI.

ECce hæc est resurrectio prima, baptizari scilicet in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & sic manducare corpus, & bibere sanguinem domini. Vndè & in Apocalypsi Ioannes dicit. Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Item: Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem. Et post pauca. Inferus & mors missi sunt in stagnũ ignis. *Apoca. 22. Apocal. 20.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ignis. Hæc mors secunda est. Sunt ergo sicut duæ mortes, altera animæ, & altera carnis, sic duæ resurrectiones, prima animæ & secũda carnis. Sciendum quoque, quod mors animæ experimento quidẽ secunda est, sicut paulò antè dictum est, inferus & mors missi sunt in stagnum ignis, quæ mors secunda est, sed actu prima est. Prius enim homo anima, quàm carne mortuus est. Dixit enim *Ibidem.* *Gen. 3.* Deus. In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Prius ergo anima, quàm carne mortuus est homo, morte videlicet peccati, quæ animam separat à Deo. Nam morte, quæ animam separat à corpore post annos Dcccc. & xxx. mortuus est. Prima ergo hæc est resurrectio, baptizari, & corpore ac sanguine Christi participari. Sic enim anima resurgit, & iã viuit. Resurget aũt in nouissimo die carnis resurrectione. Idcirco Dominus cùm diceret. Qui manducat carnem *Ioan. 6.* meam, & bibit sanguinem meum, præsenti tempore dixit, habet vitam æternam, futuro autem, & ego resuscitabo eum in nouissimo die, & subaudiendum est, resurrectione vitę, vt in ea secunda mors non habeat potestatem. Nã generali resurrectione carnis omnes resurgẽt. Nimirum prima resurrectio voluntatis, secunda necessitatis est. Idcircò cùm diceret, de prima resurrectione loquẽs, venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, in voluntate positam, significans hanc primam resurrectionem, & qui audierint, inquit, viuent. Nemo enim à morte peccati resurgit, nisi volẽs. Item cùm diceret, de secunda resurrectione loquens, nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, illam resurrectionem in necessitate esse pronuncians, & procedent, ait, qui bona fecerũt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Denique, qui procedent in resurrectionem iu- *Ioan. 5.* dicij, mallent non procedere, aut non resurgere, immò omninò mallẽt nõ esse, quã esse.

Cur adhuc carne moriamur, cum quæ causa mortis extiterit ꝓuaricatio paterna, in sacramento deleatur.

CAPVT XXVII.

ET nunc quidẽ gaudemus scientes, & dicentes cum Apostolo, quia corpus quidem mortuũ, scilicet certissimè moriturum *Rom. 5.* est propter peccatũ, spiritus verò viuit propter iustificationem. Sed & de ipso corpore mortuo siue morituro consolatur nos, non incerta ratio fidei, iuxta quam protinus dicit. Quod si spiritus eius, qui suscitauit Iesum *2. Cor. 4.* à mortuis, habitat in vobis, q̃ suscitauit Iesũ à mortuis, conuiuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Non dixit, suscitabit mortalia corpora vestra, quod de illis nihilominus rectè diceretur, & qui ad vocem eius procedẽt in resurrectionẽ iudicij, sed cõuiuificabit, inquit, subauditur, Iesu Christo quẽ suscitauit à mortuis, quod eorũ tantum est, qui procedent in resurrectionẽ vitæ, propter hoc ipsũ quod spiritus eius habitat in ipsis. Nũc ergo, vt iam dictum est, gaudemus quidẽ hęc sciẽtes, sed in ipso gaudio est, cur ꝓcidemus ante deum, & ploremus corã dño qui fecit nos, *Psalm. 93.* quia defecimus in ira eius, & in furore eius *Psalm. 89.* turbati sumus. Etenim interim dum in isto mortali corpore grauati ingemiscimus, fortè dicat quis. Quoniã in Christo renati, culpam terreni parentis euasimus, cur adhuc eiusdẽ culpæ pœnã portamus? Cur adhuc morimur? Cur non absq; mortis molestia meliorem ad vitam transmigramus? Cur expoliamur, & non magis superuestimur? Nam quod à nobis est, vt Apost. quoq; ait, nolumus expoliari, sed superuestiri. Ad hæc ingemiscentes dicere possumus. Non per solã misericordiã, sed per sociam quoq; misericordiæ iustitiam, requisiti sumus. Imò quod nihilominus magna cum reuerentia cogitandum est, non per solam iustitiam, sed & per circumuolãtem nos misericordiã in primis parentib. nostris mortales facti, & de paradiso eiecti fuimus. Sciendum quippe est, quia licet eadem causa, non tamẽ eadẽ manu qua in anima morte percussi fuimus, in corpore quoque mortalitati addicti sumus. Etenim mors animæ nobis à diabolo adinuenta est, mortalitas corporis à prouida Dei sapientia, vel sapiente prouidentia nobis imposita est. Si enim post peccatum viuere vita corporis, & immortales esse permisi fuissemus, dẽmonibus similes essemus: quia nobis ęquè vt illis misera æternitas, vel æterna esset miseria. Idcirco nobis benè prouidẽs Deus dixit. Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est, sciens *Gen. 3.* bonũ & malũ. Nunc ergo ne fortè mittat manum suã, & sumat etiam de ligno vitæ, & viuat in æternũ, &c. Hęc fortè cuiquã grandẽ videtur sonare irã, sed eruditã habentib. discretionẽ, magnã profectò spirãt clementiã. Item quod dixerat, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris, non tã baculus irę quã virga disciplinę est. Quam videlicet disciplinæ virgam Psalmista spiritu sancto prędocente conside- *Psalm. 17.* rans, dicit in ꝑsona noui hominis Iesu Christi, imò ipse nouus homo nostrum caput dicit, pro omnib. mẽbris suis. Et disciplina tua correxit me in finẽ, & disciplina tua ipsa me docebit. Quid enim hæc disciplina mortalitatis, nisi superbiã terræ & cineris corrigit? Quid nos docet, nisi humiliari sub potenti manu Dei? Idcirco Psalmista per concessionẽ dicit. Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat, vesperè decidat, induret, & arescat. Et est sẽsus. Homo statim ex quo natꝰ est mortalis atq; passibilis, sicut herba mane viridis & pulchra cito transeat, id est, desiciat. Quomodo? In iuuẽtutis matutino posi tus vigẽdo floreat, & post ab ipso iuuentutis statu in vesperum senectutis transeat, & in illo vespere positus moriendo, decidat, deinde induret, id est, rigidum cadauer fiat, deinde arescat, id est, aridus puluis existat. Non, *Psal. 89.* inquit, hoc oro, vt homo statim ex quo natus est, immortalis & impassibilis fiat, sed potius concedo diuinę sententię, vt sic transeat. Sed heu, quàm indociles sumus ad hanc partem, vt humiles simus, vt coram creatore nostro dimisso capite ambulemus. Mane sicut herba transimus, & in ipso trãsitu quasi quercus aut abietes sumus, collum erigimus, & de *Gen. 3.* longinquo statu præsumimus. Quòd facere mus, si non quotidie decidentem nostri generis herbam videremus, si non quotidie ceruices conditionis nostrę in lutum redigeretur? Bene ergo creator noster in eo ipso qd iram sonare videtur dicendo, ne sumat de ligno vitę, & viuat in æternum, nobis prouidit, ne esset sicut iam supra dictum est, nostra æquè vt dæmonum æterna miseria, vel misera æternitas, essetque saltem temporalis miseria siue misera temporalitas, vt quandoque fieret vel fieri posset, quod intendebat homo, scilicet æterna beatitudo, siue beata ęternitas. Igitur quia non eadem manu in corpore mortales facti, qua & in anima mortales sumus, diabolo enim inuentore, homo sibi mortem animæ conściuit, Deus autem ad corrigendam hominis superbiam, disciplinã mortalitatis corpori imposuit, rectè & per sacramentum gratiæ Christi culpa diluitur, & tamen hæc pars pœnæ non relaxatur.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI LIBER QVARTVS, DE INTELLECTV.

De spiritu intellectus, quando vel qualibus hominibus datus: qualibus experimento in Petro Apostolo sit declaratus.

CAPVT I.

GLORIFICATO domino Iesu, & in ipsa eius glorificatione conditis salutis nostrę sacramẽtis, de quibus in laudem & gloriam spiritus sapientiæ præcedẽti volumine diximus, datus est continuò spiritus, & in ipso dato eius primus actu confestim enituit is, qui à spiritu sapientię secundus est, spiritus intellectus. Tũc *Luc. 24.* enim aperuit illis sensum, vt intelligerẽt scripturas. Quibus autem vel qualibus intelligẽtiam scripturarum dedit? Vtiq; non oratoribus, sed piscatoribus, non scribis, aut pharisæis, sed hominibus idiotis, & sine literis. Tãta istis copia sensum aperuit, vt omnem sciret veritatem, eruditi non ab homine neq; per hominem. Primùm, intellectus hoc accepimus experimẽtum. Viri fratres ait Petrus, *Act. 1.* oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius. Quam scripturã? Fiat inquit, habitatio eorum deserta, & non sit qui inhabitat in ea, & episcopatum eius accipiat alter. Duo nempe testimonia coniunxit, & alterum quidem singulariter de Psal- *Psal. 108.* mo centesimooctauo. Et episcopatum eius accipiat alter, alterum verò pluraliter de se- *Psal. 68.* xagesimooctauo. Fiat habitatio eorum deserta. Proposuerat autem tantum quidẽ de vno singulariter, oportet, inquiens, impleri scripturam quam prædixit spiritus sanctus de Iuda, sed & hic addidit pluraliter, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum. Quid igitur nisi exortam in cordibus Apostolorum intellectus lucem, hoc dicto sentimus? Iudam quippe & infelices Iudęos, sicut eodem scelere inuolutos, sic & simili pœnæ significat addictos. Quomodo? Videlicet quatenus, quod vni Iudæ contingebat, vt episcopatum eius accipiat alter, idẽ & Iudæis contingeret, vt episcopalis eorum habitatio deserta fieret, verumq; episcopatum, verum & æternum sacerdotium populus alter, populus gentium acciperet.

Quòd & si qua die resurrexit Christus, aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas, multum tamen defuerit vsque dum venit super eos spiritus sanctus.

CAPVT II.

SEd quantus erat adhuc illis sensus huiusmodi in intelligendis scripturis, ante illũ quem promissum expectabant aduentũ spiritus sancti? Tantus nimirum, quanta est claritas auroræ comparata meridiano soli. *Act. 1.* Nam & adhuc carnaliter sentientes de regno *Ioan. 20.* Christi interrogauerunt eum, dicentes. Do- *Ioan. 24.* mine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Iam sicut idem Lucas memorat, aperuerat illis sensum, vt intelligerent scripturas. Iam sicut Ioannes refert, insufflauerat, dicens. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, attamen de Regno CHRISTI cui redempti fuerant, adhuc sentiebant, non secundum scripturas, & erat illis opus adhuc accipere Spiritum sanctum, vt omnia sentirent secundum scripturas. Idcirco dicebat. Quia Ioan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto, accipietis, ait virtutem ſuperuenientis in vos ſpiritus ſancti, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Vnum ſpiritus ſancti datum acceperant, ſcilicet in remiſsionem peccatorum, dicente vt prædiximus domino, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, ſed geminato in baptiſmate Spiritus ſancti dato opus erat, quemadmodum & Ioannes præuidens, ipſe, inquit, vos baptizabit Spiritu ſancto & igni. Cùm ergo his quibus iam dederat ſpiritum ſanctum dicit, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, ac deinceps, accipietis, ait, virtutẽ ſuperuenientis ſpiritus ſancti in vos, idẽ eſt ac ſi dicat Baptizaui vos ſpiritu ſancto, baptizabo vos igni, vt vi delicet excocta omni cupiditate regni terreni, quale deſiderat Iſrael carnalis, & fortes ſi tis ad cõtemptũ totius mundi in maligno po ſiti, & acuti ad intelligenda myſteria regni dei, regni quietis, & pacati, regni ſempiterni.

Ioan. 20. *Matth. 3.* *Ioan. 1.* *Lucæ 3.*

Quòd proprium ſpiritus intellectus ſit opus, hominem diuinitus non humano magiſterio docere, quomodo illo d.e Apoſtolos docuit, qui erant homines idiotæ, & ſine literis.

CAPVT III.

QVid multa? Venit dies quinquageſimus quoto die ab immolatione agni quondã data fuerat lex, & in illo die ſpiritu intelligentiæ repleuit eos idem, qui obſcuritatem literæ dederat Deus. vt quicquid terrenum hominibus terrenis ſonuerat litera legis, verbi gratia, terram fluentem lac & mel, & montes de quibus æris metalla fodiuntur, ipſi cæleſtes effecti, imò & cæli (de ipſis enim Pſalmiſta prædixit. Cæli enarrant gloriam Dei) ſpiritualiter intelligerent, & deinceps terrã pedibus calcarent, mente in cælis habitarent. Ipſum eiuſdem intelligẽtiæ donum, ſua quoque ſignificauit ſpecie ignis, qui apparuit, ſicut ſcriptũ eſt, quia apparuerũt illis diſpartitæ linguæ, tanquam ignis. Quid enim eſt intellectus ſiue intelligentia in ordine duntaxat vel numero ſeptem ſpirituum, de quibus nobis ſermo eſt, niſi facultas gratiæ, qua ſine magiſterio humano intus audiuntur, & vero ſenſu percipiuntur verba diuina? Nam & ſi cum ab homine, vel per hominem audientes, & ſentientes rectè intelligere dicimur, multum tamen intereſt, vbi non ab homine, neq; per hominem, ſed occulta inſpiratione docemur quæ vera & propria eſt vis hũius ſpiritus intellectus, iuxta quam & Pſalmiſta. Audiam, inquit, quid loquatur in me dominus Deus. Dum ergo adueniente ſpiritu diſpertitæ linguæ apparuerunt, tanquam ignis, vnde gratiam quam illis diſtribuebat per eiuſmodi ſpeciem, ſpiritus ſanctus ſignificauit? Nec verò ſolummodo Dei linguam, hominib. intelligibilem fecit, ſed & linguas omnium gentium cũ eodem ſigno in ora illorum cõtulit, vt multas haberet vias, quibus dabatur illis intellectus ſermonum Dei, & exiret in omnes gentes per quatuor partes mundi Deum neſcientis. Factumq; eſt, quod dominus ante promiſerat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Nam hoc, inquit Euangeliſta, dixit de ſpiritu, quem accepturi erat credentes in eum. Nimirum qui ſpiritus foris oſtendebat ſpeciem ignis illuminantis, ipſe intus erat fons aquæ in vitam æternam ſalientis. Vndè Pſalmiſta, vim vtranq; reſpiciens veraciter dicit. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Legimus in illa plantatione terreni paradyſi, quia fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. Ac deinceps. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradyſũ, qui inde diuiditur in quatuor capita. Ecce nouæ creaturæ plantabatur paradyſus de vnius & ſolius ligni vitæ virgultis ſiue radicibus, id eſt, vnius mediatoris Dei & hominũ, hominis Ieſu Chriſti virtutibus, & fide, quẽ & Pſalmiſta cõmendans loquitur. Et erit tã quã lignũ, quod plantatũ eſt ſecus decurſ' aquarũ, q; fructu ſuũ dabit, in tẽpore ſuo, ſec' decurſus aquarum plantatum eſt hoc lignũ, quia ſecundum plenitudinem omnium gratiarum ſemper viuens, ad omnia valens carnis naturæ inſitum eſt Dei verbum, deus verbum, & hic talis homo nouæ plantationis eſt initium, germen ſanctum, vitæ lignum. Primæ huius emiſsionis Apoſtoli erant, plantatio eius, paradyſus radicum eius diſcipuli illi credentes illi, adhuc pauci erãt. Quando hic ſpiritus datus intellectu adimp'euit corda eorum, & omnium genera linguarum naſci fecit in ora eorum, reuera tunc fons de terra paradiſiaca aſcendit, tunc fluuius vniuerſam terræ ſuperficiẽ irrigaturus de paradyſo egreſſus eſt. Nam ſicut fluuius qui de paradyſo illo egrediebatur, inde diuiditur in quatuor capita, id eſt, principalia flumina, ſic de illa Apoſtolica Eccleſia, ſcientia Dei egreſſa eſt, quæ & diuiſa eſt in quatuor Euangelia, quæ prima nobis ſunt neceſſariæ, doctrinæ flumina. Sed iam acta ipſa proſequamur, & ſecundum ſcripturæ curſum huius ſpiritus intelligentiæ experimenta capiamus.

Ioan. 7. *Pſal. 35.* *Gen. 2.* *Pſal. 1.*

De prophetiæ Iohel teſtimonio, quàm perfectè, quam oportunè pro tempore & re illud Petrus eduxit, qui erat ſine literis.

CAPVT IIII.

STupentibus quibuſdam & mirantibus ad inuicem atque dicentibus, nónne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt, alijs autem irridendo dicentibus, quia muſto pleni ſunt iſti, ſtans Petrus cum vndecim eleuauit vocem ſuam, & locutus eſt. Viri Iudęi, & qui habitatis Hieruſalem vniuerſi, hoc vobis notũ ſit, & auribus percipite verba mea. Non.n. ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia, ſed hoc eſt, quod prędictũ eſt per

Actor. 1.

Iohel. 2. eſt per prophetam Iohel. Et erit in nouiſsimis diebus dicit dominus. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabuntur filij veſtri, & filiæ veſtræ, &cæt Ecce quale quatumq; eſt in iſto, de quo loquimur ſpiritu intelligentiæ perluſtrari. Homo idiota, & ſine literis volumen propheticum celeri mente reuoluit, clauſum & ſignatum literatis, congruumque ſecundum tempus & rẽ teſtimonium, certa voce, non dubio ſenſu, coram cunctis publicè recitauit. Et vide quã potenter, quàm efficaciter penè totum prophetam hactenus obſcurum ſcire volentib. explanauit. Præmiſerat enim propheta, dicẽs. *Iohel. 1.* Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit brucus, & reſiduũ brucí comedit rubigo, expergiſcimini ebrij & flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quia perijt ab ore veſtro, &c. deinde intulerat. Et erit poſt hæc. Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, &c. Nimirum hoc nobis intelligibile fecit ſermo apoſtoli, quod latebat in iſtis prophetæ literis ſcilicet poſt euerſionem prioris populi effuſum iri Spiritum ſanctum ſuper ſeruos & ancillas Dei, id eſt, ſuper centum & viginti credentium nomina, quod tunc in illo cœnaculo factum fuerat, qui numerus, id eſt, cẽtum viginti ab vno vſq; ad quindecim, paulatim per incremẽta ſurgẽs, quindecim graduũ numerũ efficit, qui in pſalterio myſticè continẽtur. Nã illius euerſio populi per quatuor hęc facta eſt, erucam, locuſtam, brucum, & rubiginem, id eſt per quatuor regna hæc, Babylonicum, Perſicum, Macedonicum, atq; Romanum. Quid poſt hæc futurum eſſet, latebat in eiſdem prophetæ literis, ſed ecce literã ſpiritus intelligentiæ Petrò manifeſtauit, Petrus mirantium auribus patenter edixit. Nec verò opus erat, vt de ſingulis explanando pertractaret, quid intendendo, ſcilicet per Prophetam dominus dixiſſet. Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, ſenes viſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. Palàm quidem omnibus hoc factum erat, quamobrem & ſtupebant omnes, alij quidem mirantes, alij autem etiam irridentes, eoſq; muſto plenos eſſe dicentes.

Quomodo hanc prophetiam expoſuit: Et dabo prodigia in cælo ſurſum, & ſigna in terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

CAPVT V.

Iohel. 2. PAuca quædam tractatu vel expoſitione indigent, ſcilicet hæc. Et dabo prodigia in cęlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum, ſanguinem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinẽ, antequã veniat dies domini magnus & horribilis. Hæc ergo mirabiliter edoctus, laudabiliter donec incipit ſic. Viri Iſraelitę audite verba hæc. Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutib. & prodigijs, & ſignis, quæ fecit per illũ Deus in medio veſtri, ſicut vos ſcitis, hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligẽtes interemiſtis. Túc enim iam interemptus eſſet, cum iam ſpiritum emiſiſſet, de latere eius ſupra naturam mortuorum corporum, ſanguis & aqua exiuit. Sanguis ille prodigiũ fuit alijs mortis in mortem, alijs vitæ in vitã. Sic olim cũ emitteret dominus ſigna & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonẽ & in omnes ſeruos eius, ſanguis agni alijs mortis, alijs vitæ prodigium fuit. Signati quippe illo ſanguine poſtes impenetrabiles fuerunt exterminatori ſignum ſanguinis eiuſdem videnti, non ſignati autem poſtes Aegyptiorũ acceſsibiles illi fuerunt, vt fiducialiter irrueret, & primogenita tolleret, de domibus ſingulis. Ita & nunc. Qui ſanguinem huius agni recipiunt in vtrunq; poſtem, ſcilicet corporis & mentis, euadunt exterminantis diaboli manum accepta remiſsione peccatorum, qui autem non recipiunt, proculdubio peribũt. Quem Deus, inquit, ſuſcitauit ſolutis dolori bus inferni, iuxta quod impoſsibile erat tene ri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum. Pro uidebam dominũ in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne cõmouear, & cæt. Quàm citò ad regale atque propheticũ confugit teſtimonium velociter doctus, & in arte perfectus piſcator hominum? Vix reſurrectionis aſſertionem labijs emiſerat, & quia res magna erat, magnumq; negotium aſſerere hominem reſurrexiſſe apud auditores eoſdem, qui illum crucifixerant, metuẽs ne fortè vulneratis auribus ſeſe auerterent, & beneuolentiam præbere deſiſterent, velociter magnum & euidens, copioſum & rei cõpetens de magna perſona teſtimonium arripuit, quod contemnere vel paruipendere non deberent. Qualis ergo de cœnaculo illo deſcendit, quantum mutatus ab illo, qui dudum cùm diceret dominus. Ecce aſcẽdimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, aſſumẽs illum ſeorſum dixit, abſit à te domine, nõ erit tibi iſtud? Et enim illic audire meruit, vade retro ſatanas, non enim ſapis ea, quæ Dei ſunt, hic autem & pſalmos memoriter tenebat, & myſteria intelligebat pſalmorum. Quodq; valde laudabile eſt, vna eademque teſtimonij præoccupatione, & præſentium auditorũ beneuolentiã retinuit, & omni mundo viam oſtiũq; aperuit, ad intelligẽdũ quòd pſalmorũ voces non in Dauid, ſed in Chriſti perſonã deprompte ſint. Et ne cuiquam dubietatis quippiam in hoc ſuperſit, continuò promptus, & alacriter firmiſsima aſſumptione taliter occurrit. Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniã & defunctus & ſepultus eſt, ſepulchrũ eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem. Moxque concludit ſic:

Iohel. 2. *Act. 2.* *Pſal. 134.* *Exod. 12.* *Act. 2.* *Pſal. 15.* *Matt. 16.*

Propheta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm.131. Propheta igitur cum esset,& sciret quia iure iurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius,prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno,neque caro eius vidit corruptionem.Mira ars,mira facultas hominis idiotæ,vt iam dictum est,& sine literis quia piscator vt homines piscaretur,fortissimi syllogismi hamum acutum proiecit. Ecce & alium. Non enim, inquit, Dauid ascendit in cælum. Hoc proposito, confestim assumit hoc modo. Dicit autem ipse. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ. His duobus datis,quibus indubitanter oportet concedi,protinus infert concludendo, & dicit,Certissimè ergo sciat omnis domus Israel,quia & dominum eum & Christum deus fecit hunc Iesum quem vos crucifixistis. Ita mirabiliter spiritu intelligentiæ exactus,& petra iustitiæ in sermone elimatus,ille dudum literarum inscius homo piscator, hominum tanquam piscium ora transfixit vno argumento sæ orationis,vt non possent effugere ad gurgites humanæ disputationis, suasq; conscientias abscondere veritati. Sed inceptum ordinem prosequamur.

De prodigio ignis,quòd illud intellexerit fuisse aduentum spiritus sancti in linguis igneis.

CAPVT VI.

DE propheticis tribus prodigijs in terra datis,scilicet sanguine, igne, & vapore fumi, vnum id est,prodigium sanguinis exposuit dicendo. Iesum Nazarenum virum Act.2. approbatum à Deo in vobis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, &c. Secundum erat prodigium ignis quod vt exponeret,ita dixit. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre effudit hoc donum, quod vos videtis & auditis. Videtis videlicet in linguis igneis, auditis in sermone nostro. Quem enim effudit,nisi spiritum sanctum? Accepit enim vt homo, effudit vt Deus. & nõ quidem ipsam potuerunt videre substantiam spiritus sancti cùm sit natura inuisibilis,sed ignem viderũt, dispertitas linguas tanquam ignem videre potuerunt humani oculi,sedentem supra singulos eorum. Ergo ignis prodigium fuit,dispartitio linguarum prodigium fuit,imò linguarum vniuersitas in ore apostolorum prodigium fuit: Sed & sonus ipse, qui factus est Psal.18. repente de cælo tanquam aduenientis spiritus vehementis prodigium fuit. Cuius rei prodigium? Nimirum soni illius, qui in omnem terram exiturus erat, cœlis illis quos nunc firmare veniebat enarrantibus gloriã Dei,& firmamento constantissimæ fidei illorum annunciante operã manuum eius cum magnifico verbi tonitru, & miraculorum choruscationibus. Sic enim mox futurum erat,isto spiritu per os illorum intonãte Christi præconia,vt ad pœnitentiam commoueretur & contremisceret terra,& fundamenta montium,id est, corda superborum conturbarentur,& commouerentur, quoniam iratus est eis,nisi pœnitentiam egerint. Ignis species multò maximè prodigium fuit, in eo videlicet,quòd substantia ignis ardens & lucens est. Significabatur enim per istas eius qualitates, quod Apostolos Christi spiritus sanctus & per zelum ardentes,& per intellectum lucentes effecerit. Porrò dispertitarũ formulæ linguarum,diuisiones significabãt gratiarum. Huius prodigij præsens erat effectus, vndè & omnes mirabantur, quià cùm essent qui loquebantur Galilæi ,audiuimus, inquiunt, vnusquisque linguam nostram in qua nati sumus,audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia dei. Adhuc aliquid magnum tali prodigio significabatur, scilicet, quod omnium gentium linguis ecclesia loqueretur,quod in omnes gentes fides Christi dilataretur,quod omnis lingua confiteretur ei cui prius vna gens confitebatur, quia notus eatenus erat tantum in Iudæis Deus.

De vapore fumi,quod tertium in illis prophetæ dictis,& quòd in eo præsignatum est,quòd in illo vapore fumi,id est,pœnitentiæ,vbi primum celebratum est ecclesiæ baptisma,crediderunt tria millia hominum.

CAPVT VII.

TErtium prodigiũ iam oportebat exponi,scilicet vaporem fumi. Verùm hoc prius agẽdum erat,vt fieret in ipsis quod per vaporem fumi decuerat in propheta significari,vt scilicet compungerentur, & lachrymosa prece consilium flagitarent suæ salutis. Paulúlum ergo illo cõticescente siue adhuc loquente compuncti sunt,ait corde, & dixerunt ad Petru & ad reliquos apostolos. Quid Act. 2. faciemus viri fratres? His ita compunctis & sic dicentibus, iam opus non erat vt verbis exponeretur sensus huius prodigij,id est, vaporis fumi,iam enim nimis fumigabant, & sensum vocis experimento capiebant Fumigare namque est compungi,& de peccatis flere. Psalmista quoque attestãte,qui cum dixisset.Commota est,& cõtremuit terra,& fun- Psal.17. damenta montium conturbata sunt,quoniã iratus est eis,subiũxit, dicẽs. Ascendit fumus in ira eius. Hic ipse pauor fumi,id est,hęc ipsa illorum compunctio prodigium fuit:in eo maximè,quod subiunctum est. Qui ergo receperunt sermones eius, baptizati sunt,& appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia. Nam vbi primùm ecclesiæ celebratũ est baptisma, non sine magno prodigio tria millia colliguntur animarum, diuina nimirum præsignante prouidentia,quòd ad fidem trinitatis de toto orbe colligenda esset multitudo credentiũ. Potest tamẽ sicut in igne illuminatio fideliũ,ita & in vapore fumi cæcitas intelligi iudæorum,sine vno eodemq; vapore fumi sicut compunctio pœnitentium, ita & excæcatio signari non pœnitentium.

Quæ

Quæ vel qualiter prodigia in cælo data intelligi voluit, quando sol in tenebras,& luna in sanguinem conuersa sit.

CAPVT VIII.

Ioel. 28. POst signa quæ in terra data sunt non intacta relinquere libet,illa quoque prodigia,quæ in cælo data sunt. Sicut enim idem Propheta dixit sol conuertetur in tenebras, Matth.27. & luna in sanguinem, Ita factum est. Nam in passione domini sol obtenebratus est,licet luna in sanguinem versa, palam hominibus apparere non potuerit. Quòd & si litera deficit, manet tamen fundamentum propheticæ veritatis,quia verè malum, huius prodigium solis obtenebratio extitit, & quod per sanguineũ lunę aspectum daretur intelligi, si palàm hominibus in sanguinem, versa parere potuisset infelici generationi accidit,qđ fortassis Petrus exponere deuitans,hoc tantum pro tempore dixisse contentus est. Saluaminià generatione ista praua. Quid enim Act. 2. significabat obtenebrati solis prodigium,nisi illam quæ tunc facta est, & extunc permanet cæcitatem Iudæorum? Nam quia solem iustitiæ sibimet extinguebant,rectè in obtenebratione solis huius prodigium,suę cæcitatis aspiciebant. Porrò lunæ globus in illa obtenebratione quomodocunque se habuerit, luna illis in sanguinem versa est. Luna, inquã id est,pascha suum prodigiolo scelere totum Exod. 12. Christi sanguine cruentatum est. Faciebant enim pascha secundum lunę cursum decimo quarto die ad vesperum,quando luna plenissima est,comedebant agnum secundum legis mandatum. Idcirco per lunam rectè intelligimus pascha Iudæorum. Constat autem quia quando pasca illud celebrabant, qua vespera suum agnum comederant, eadem dominum nostrum, verum Dei agnum comprehenderunt,& tota nocte derisum, mane Matth.27. tradiderunt Pilato,multum insistentes vt suspenderetur in ligno,crucifige,crucifige clamantes,sanguis eius super nos,& super filios nostros. Igitur quia suum pascha,suum pleni lunium sanguine Christi infelices homicidæ cruentauerunt,rectè dicamus,quia luna eo- Esaiæ 1. rum in sanguinem versa est. Extũc.n.pascha illorum sabbata & neomenias eorum, & omnes festiuitates illorũ odiuit anima dei,dicẽs, manus enim vestrę plenę sanguine sunt. Nec verò illud vacat, quod propheta idem cum pronunciasset quinq; hęc prodigia,sanguinẽ & ignem,& vaporẽ fumi,solem conuertendum in tenebras,& lunã in sanguinem, continuò subiunxit,antequam veniet dies domini magnus & horribilis. Quòd tale est, quale illud quod in Euangelio de semetipso domi- Luc. 24. nus ipse dicit. Nam sicut fulgur coruscans de cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget,ita erit filius hominis in die sua. Primum aũt oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Quòd,inquam, prodigia illa prædicebãtur fieri antequam veniret dies domini magnus & horribilis,idẽ est,ac si diceretur, primùm oportet illum multa pati, & à generatione praua reprobari,antequam & maiestate sua sicut fulgur de cælo coruscans veniat ad iudicandos viuos & mortuos magnus & terribilis. Hoc nimirum Petrus præsente spiritu intelligentiæ illustratus non ignorans, prudenter pro tempore dicere contentus est saluamini à generatione ista praua, subaudi-tur,ne & vobis pariter in tenebras sol, & in sanguinem conuertatur luna.

Quàm verũ proinde sit,quod veritas Petro dixerit: Quòd ego facio tu nescis modo, scies autem postea,& quòd alibi dictum est,quia abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

CAPVT IX.

VErum ergo veritas dixit Petro, quod ego facio tu nescis modo, scies autem Ioan.13. postea. Ad huius veritatis firmamentum pertinent ea, quæ nunc à nobis commemorata sunt,&c. quæ deinceps. Petrus decertando pro fide & testimonio resurrectionis Iesu Christi peroraſſe legitur in conspectu plebis & principum,& sacerdotũ,testificans in hoc impleta esse,quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo prophetarũ,& hũc esse prophetam de quo Moyses dixit, quia Deut.18. prophetam vobis suscitabit dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me,ipsũ audietis,& hunc esse lapidem quem reprobauerunt ædificantes,à vobis,inquit,ædificantibus,qui factus est in caput anguli, & nõ est Psal 117. Act.4. in alio aliquo salus, nec enim nomen aliud est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. De hoc eodem lapide,& 1.Petr.2. in epistola sua latius secundum Esaiam, dicit. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo aũt electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spi- Esa. 24. rituales,sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles deo per Iesũ Christum. Propter quod continet scriptura. Ecce pono in Syon lapidem summum,angularem electum,precio sum, & qui crediderit in eũ, Ioan.14. non confundetur,&c. Verùm nihilominus cæteris quoque simul Apostolis dixit eadẽ veritas. Paracletus aũt spititus sanctus quem mittet pater in nomine meo,ille vos docebit omnia. Nam quod ad laudem spiritus sancti dicimus,quod ad laudem spiritus intellectus nunc prædicamus in illa hora,qua sicut iam supra dictum est,apparuerunt Apostolis dis- Act. 2. partitæ linguæ,seditq; supra singulos eorum ignis diuinus,scripturas omnes & prophetas intellectu interiore peruiderunt, qui nec saltem literas didicerant per hominis magisterium,& illa penetrauerunt arcana, quæ clausa erant, clauim scientiæ gestantibus scribis & pharisæis,sapientibus & legis peritis,completo qđ itidem dicit. Cõfiteor tibi pater domine,pater cęli & terrę,quia abscõdisti hęc à Matt.11.

sapientibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quis enim homo aperuerat illis mysteria Psalmorum? Scriptum est autem de illis, qui vt sæpe dictum est, sine literis erant. Dimissi venerunt ad suos, videlicet, Petrus & Ioannes, & annunciauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent. Qui cum audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad dominum, & dixerũt. Domine, tu qui fecisti cœlum & terram, & mare & omnia, quæ in eis sunt, qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid, pueri tui dixisti. *Act. 4.*

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius, conuenerũt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri, &c. Igitur non ab homine, neque per hominem docti, sed Spiritu sancto, spiritu intellectus thesaurum illis scripturarum aperiente mirabiliter eruditi, iure à nobis omnes suscipiuntur, & audiuntur tanquam os Dei, qui fuerunt illic, & nefarium nobis est dubitare, in aliquo de omnibus quæcunq; scripserunt hi, quibus ignis ille cor intelligens, & linguam eruditam dedit, & tam super istos, quàm super patriarchas & prophetas, ad quos per eundem spiritum nullo mediante homine sermo Dei factus est, collocatum retinemus fundamentũ nostræ fidei. Cæteros omnes, qui ibi non fuerunt, vel qui non eodem modo ita didicerut sic legimus, vt quicquid dicunt, non idcirco credamus, quia ipsi ita senserunt, sed quia dicta sua horum testimonijs, vel aliqua probabili ratione firmare potuerunt. Nam isti sunt quibus tunc reuelatum est, quando ab homine vel per hominem doceri non poterant, imò quib. illud à Spiritu sancto reuelatũ est, quòd homines docere, aut scire non valebãt. *Psal. 2.*

Idcirco in Psalmo scriptum est. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea. Interrogando illã ciuitatem Dei, de qua gloriosa dicta sunt, cuius fundamenta in montibus sanctis, scilicet prophetis & Apostolis istis, & dicẽdo, ó Sion nunquid homo, magnificentius negauit, quãsi enunciando dixisset, nunquam dicet homo. Negando ergo dicamus & nos, quia reuera nisi dominus ipse narrasset in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea, nunquam diceret, aut dicere vel capere posset homo, tam miram tamq; altam scientiam, quæ nunc legitur & scitur, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Hoc nempe tam mirum tamq; altum est, quam illud omnia per verbum facta sunt & verbum caro factum est, quod vtiq; tam *Psal. 86.* *Ioan. 1.*

altum est, vt nunquam dicere homo potuisset, nisi dominus ipse in scripturis narrasset, nisi dominus per semetipsum, non per hominem, sed per spiritum sanctum sanctas condendo scripturas, cuius vel quorum sibi complacuit ore dixisset. Istæ scripturæ illæ sunt, in quibus passim diuinam auctoritatẽ inuenis, verbi gratia cum dicitur, locutus est vel dixit dominus ad Moysen. Locutus est dominus, vel factum est verbum domini ad illum vel illum prophetam. Istæ scripturæ nihilominus illorum sunt, de quibus nunc dicebamus, quia apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui linguis varijs, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Dicuntur autem in illo psalmo scripturæ populorum, quia non vt Platonis literę verbis grandisonæ, sensibus pauperculæ, paucis intelligibiles sunt, vel in angulis susurrant, sed cunctis populis propositæ sunt, & palàm omni mundo loquuntur de salute omnium gentium, quæ in vna gente conditæ sunt, in qua & prius absconditæ fuerunt. Istis igitur scripturis populorum scripturis principum, scilicet prophetarum atque Apostolorum, ita per omnia credimus, vt dubitare quicquam de illis arbitremur nefarium, & à fide Christi alienum. Sunt autem de Apostolis, quorum scripta habentur hi, Petrus, & Ioannes, & Iacobus, Matthæus, & Iudas Iacobi. Euangelium Marci ex ore Petri apostoli, & Euangelium Lucę ex Apostolica fide scriptum esse fertur Pauli, qui videlicet Paulus non erat illic, neque enim vocatus erat adhuc vbi Spiritus sanctus super Christi discipulos venit, sed nõ minus per Spiritum sanctum accepit aut minus habuit à summis Apostolis, vnde & nobis aliquid suo loco dicendum venit. Nam post commemorationem Petri, non minus suauem attingemus memoriam dilecti Iesu Christi Ioannis Apostoli. *Act. 2.*

Quod discipulo quem diligebat Iesus, magna huius spiritus intellectus gratia data sit, & quòd velut Ioseph vnam partem extra fratres suos acceperit, quem tamen non vt Petrum cæteris Apostolis præferri voluit.

CAPVT X.

IOannes Apostolus & Euangelista ex verbis suis cognoscitur, nõ paruam accepisse gratiam intellectus, quia frequens in ecclesia est, & ante omnes loquitur, vnde & non vane dicimus, quia in medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum dominus Spiritu sapientiæ & intellectus. Secundum gratiam qua diligebat eum Iesus, qua & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, domine, quis est, qui tradet te, magnitudinẽ accepit intellectus, siue sapientiæ, intellectus, vt scripturas intelligeret, sapientiæ, vt mirabili facultate propria conscriberet. Non quidem tunc iam actu *Eccle. 15.* *Ioan. 13.* *Ibidem 21.*

actu hoc donũ accepit, quando supra pectus eius recubuit, sed iã tunc accessum habebat, vt postmodum de pectore illo acciperet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Siquidẽ postea cùm dicit, tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit, continuò tam de Petro quàm de semetipso subiungit. Nondum enim sciebant scripturas, quia oporteret eum à mortuis resurgere. Tunc & ipse mensuram propriã accepit, quando hic spiritus sanctus venit, quãdo & vnicuiq; cæterorum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, secundũ beneplacitum spiritus huius diuidentis singulis, prout vult. Verũ quo more Iacob patriarcha filium Ioseph dilexit, & non contẽtus illum in sorte vel funiculo distributionis fratribus suis coæquari, do tibi, inquit, partem vnã extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrei in gladio, & arcu meo, sic istum discipulum dominus Iesus cæteris arctius diligens, & non contentus illũ in hac parte gratiæ scilicet in spiritu intelligentiæ, cęteris coę qualem esse Apostolis, aperuit illi rursus secreta cæli, vt videret visiones admirabiles, quas & digessit in libro qui intitulatur Apocalypsis, in quo tot penè sacraméta, quot verba sunt, scriberetq; illud altum & hominib. inenarrabile verbi Dei, Dei incarnati mysterium. Diligebat enim eum: in quo tamẽ nec illud prætereundum, quia cùm tali amoris priuilegio diligeret eum, non tamẽ huic, sed Petro specialiter dixit. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Sic nimirum Ioseph plus cæteris filijs suis prædictus pater Iacob dilexit, non tamen huic, sed Iudæ benedictionem regalem dedit, non auferetur (inquiens) sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, &c. Quare? Videlicet, quia in dandis benedictionib. non suam, sed Dei voluntatem facere debuit, non carnis affectum, sed spiritus instinctum sequi, dignum fuit. Hoc illi penè simile est. Siquidem dominus noster cum oẽs discipulos, & præcipuè Petrum amore spiritus vel mentis diligeret hunc Ioannem quodam cordis amore, velut homo hominem diligens, non tamen cæteris in Apostolatu præferre voluit, quippe qui in omnib. diuinam voluntatem attendens, quodam loco dicit. Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meã, sed voluntatẽ eius qui misit me. Igitur in ordine vel dignitate Apostolatus B. ille Simon Bar Iona, cui primo non caro & sanguis, sed pater qui in cælis reuelauit, primatum gerere, & claues regni cælorum accipere meruit, hic autem discipulus velut ille dilectus Ioseph, partem non paruam extra fratres suos cõsecutus est de thesauro patris de spiritu intellectus, qui verè iucunditatem & exultationem super eum thesaurizauit. Ad hanc partem accedens, quid viderit non prę- *Ioan. 10.* *Ephe. 4.* *Gene. 48.* *Ioan. 6.* *Matth. 16.*

teriuimus, maximè enim ad istam spectat, de qua nunc agimus, gratiam intellectus.

De libro quem vidit in dextera sedentis super thronũ, quod vbi agnus illum aperuit, ibi partem suam iste acceperit, et quid ei fuerit accipere librum de manu angeli, & deuorare illum, accipere sibi datum calamũ & meritii templum.

CAPVT XI.

VIdi (inquit) in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et post pauca. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnũ stantem tanquam occisum, habẽtem cornua septem, & oculos septem, qui septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit & accepit de dextra sedentis in throno librum. Item post aliqua. Et vocem quam audiui de cælo iterum loquentem mecum & dicentẽ, Vade accipe librum apertum de manu angeli stantis supra mare & supra terram. Et abij ad angelum dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi, Accipe, & deuora illum. Et accepi librum de manu angeli, & deuoraui eum, & erat in ore meo, tanquam mel dulce, & cùm deuorassem eum, amaricatus est vẽter meus. Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare populis, & linguis, & regib. multis. Et datus est mihi calamus virgæ, & cætera. Hoc est quod paulò antè dicebamus, quemadmodum partem vnam extra fratres suos ille filius accrescẽs Ioseph, ita extra cõdiscipulos suos dilectus iste discipulus, egregiam per reuelationem intelligentię partem adeptus est. Quis est enim liber iste in dextera sedentis supra thronum, scriptus intus & foris, signatus sigillis septem, nisi idem qui in Esaia, & scienti literas, & nescienti irreserabilis est, cuius tamen etiam illic ita prædicatur apertio, in die illa audient surdi verba libri? Liber iste sancta scriptura est, liber scriptus intus & foris, quippe cuius vnitas concors vetus testamentũ, quasi exterius, & nouum continet interius, liber signatus septem sigillis, id est, vel omni latens mysteriorum plenitudine textus, vel spiritus septiformis dispositione conscriptus. Huius libri signacula verus agnus Dei Christus habens cornua septem & oculos septem, id est, septiformem spiritum propter eminentiam potestatis cornubus, propter illuminationem gratiæ, oculis comparatum, agnus tanquam occisus, id est, qui occisus quidem fuit, sed nũc est viuus, tunc apparuit quando resurgens à mortuis, & apparẽs discipulis suis, sicut iam diximus supra, aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, amplius autem quando ascenso cælo dedit dona hominibus, dedit spiritum sanctum intellectus intus linguis igneis, foris rutilantibus. Ibi nimirum Ioannes iste partem suam inter fratres suos accepit, libri enim aperti sacramenta reuelata facie tam ipse quàm & cæteri intellexerunt *Apoc. 3.* *Esaiæ 29.* *Luc. 24.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostoli. Et in primo quidem sigillo decus ecclesiæ primitiuę per equũ albũ, in sequentib. trib' equis rufo, nigro, & pallido, triformè contra eam bellum paganorum, falsorũ fratrum, & hęreticorum. In quinto gloriam sub hoc bello coronatorũ subtus altare Dei clamantium. In sexto, mala illa quæ tempore Antichristi ventura sunt. In septimo, & per illud quod factum est, quasi media hora silentium, æternæ quietis intellexerunt initium, quæ omnia plenius à doctoribus nostris explanata sunt. Omnes omninò scripturas in Christo impleri intellexerunt, & hæc communis fuit sors omnium Apostolorũ, omnium enim veritatem docuit illos ille spiritus veritatis, non modò de præterito, sed & annunciauit eis quæ ventura sunt. Extra illos fratres suos, vt adhuc acciperet partem vnam, partem magnam, sic dictum est ei, vade & accipe librum apertum de manu angeli, datusq; est illi calamus similis virgæ, cum hoc dicto, surge & metire templum Dei. Et
Apocal. 10. in accipiendo librum dictum est ei, oportet te iterum prophetare populis & gentibus & linguis & regibus multis, & in accipiendo calamum dictum est illi, Surge & metire templum Dei, hoc vel illud, vt iam dictum est,
Apocal. 11. ita & fecit. Postmodũ quippe de exilio reuocatus, & vna voce rursum euangelium prædicauit & calamo scripsit, metiendo templũ Dei & altare, & adorantes in eo, quia videlicet in verbo euãgelij, corda singulorum, qui per fidem sunt templum Dei, in quib. Christus ipse per eandem fidem inhabitans, altare est, quasi metiendo determinantur. Ibi enim quantum singuli proficiãt, quantumq; regulæ diuinę concordent, inueniunt. Et notandum, quòd non nisi præmonitus voce loquentis secum & dicentis, Vade & accipe librum apertum de manu angeli, non nisi vadens ad angelum, & postulans vt daret sibi librum, accepit & deuorauit eundem librũ, dulcem tãquam mel in ore suo, amarum autem in ventre suo. Sic enim futurum erat, & sic factũ est, vt loquentes cum eo multis prædicationibus rogaret ecclesia, quatenus ad recuperãdam euangelij veritatem, & viua voce consurgeret, & calamo inseruiret. Missio namq; illo in exilium à Domitiano, qui secundus post Neronẽ Christianorum persecutor extitit, irruperant in ecclesiã hæretici, quasi in destituta pastore ouilia lupi. Martion Cherintus & Hebion, cæteriq́ue Antichristi, qui Christum ante Mariam negantes, simplicitatem euãgelicę fidei peruersa maculauere doctrina. Et inde cõpulsus ab omnib. penè tũc Asię episcopis, & indicto omnib. ieiunio, dominũ precatus, ac sancti spirit' gratia inebriatus, euangelium suum scripsit, quo omnes hæreticorum tenebras patefactæ subito veritatis luce disipulit. Quòd compulsus est ab omnib. pene tunc episcopis Asiæ, hoc nimirum erat vocẽ de cælo, id est, de ecclesia Dei, audire loquentem secum, & dicentem, vade & accipe librum. Quod itidem ieiunium omnibus indixit, & precatus est dominum, hoc erat dicere ad angelum, Da mihi librũ, siue da mihi calamum.

Quàm vtiliter nobis vel omni ecclesiæ Christi calamum accepit, id est, gratiam scribendi mysteria Christi, vndè & meritò, tam in visione Ezechielis, quàm in sua Apocalypsi debuit per aquilã volãtem signari.

CAPVT XII.

ACcepit librum, sumpsit calamũ, & intellectuali oculo sic librum & legẽdo deuorauit, & deuorando legit, vt secretam æterni principij naturam, diuinã verbi sempiterni substantiam, præ cunctis mortalibus altius degustaret, sic calamum duxit scribendo, & per scripturam refundendo quod deuorauerat, vt audaces omnium hæreticorũ oculos eodẽ calamo confoderet. Quis enim hæreticus, aut quæ vnquam fuit hæreticę vesaniæ species, cuius oculum nequam, corpusque totum tenebrosum, veritatis radius ex euangelico eius ore non perfodiat atque diuerberet? Totus in Deo, totus in verbo Dei sermo eius est, vndè & de ore eius, tota Christianæ fidei schola pendet, vt quicquid dum garrula hæresis infesta est, quærere oportet ipse consultus maturæ reuerentiæ magister enunciet, litemque dissoluat. Vndè quia nobis altissima vidit, & in sole diuinitatis oculum fixit, rectè animaduersum est, eum tam
Ezech. 1. apud Ezechielis visionem quàm & apud suã
Apocal. 4. ipsius Apocalypsim per aquilam volantem significari. Et enim vbi librum supradictum aperiri vidit, aperiente agno Dei, ibidẽ paulò antè dicit. Et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum simile vitulo. Etc. Vltimum semet ipsum designauit, dicendo, & quartum animal simile aquilę volanti, quia videlicet nouissimus suum hic euangelium scripsit. Quã uis amplius placeat vnum eundemque Christum Dei filium per hæc quatuor animalia significari, quippe qui & homo natus est, & velut vitulus sacrificatus est, & vt leo surrexit, & tanquam aquila super astra volauit, nihilominus tamen & hic aquila rectè dicitur, qui diuinitatem illam, qua in cælum homo Christus ascendere potuit, irreuerberatis oculis altius cõtemplari meruit. Scriptum est
Matth. 24. enim. Vbicunque fuerit corpus, illuc cõgregabuntur & aquilæ. Si ergo illos dixit aquilas qui illuc assumuntur, vbi diuinitatis claritatem facie ad faciem, & sicut est, mereantur videre, quanto magis iste rectè aquila dicitur, qui adhuc in carne positus, potuit in illum solem apertos oculos figere.

De eo quod dictum est ei: Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

CAPVT XIII.

Et fa-

Apocal. 10. ET faciet (inquit) amaricari ventrem tuũ, sed in ore tuo erit dulce tãquam mel. Et est sensus. Cum perceperis, oblectaberis diuini dulcedine eloquij, sed amaritudinem senties, cum prædicare & operari ceperis q̃ intellexeris. Quare? Quia videlicet non omnes homines oblectat verbum Dei cum sit naturaliter dulce, quia non solummodo de gaudijs cælorum agit, sed & de flammis gehennæ. Vndè & Ezechiel de hoc eodẽ libro
Ezech. 1. dicit, quod hic Ioannes tacuit, quia scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ. Cuncta enim series veteris & noui testamẽti pœnitentiam pro peccatis agendam, quod est lamentari, regnum cæleste quærendum, vbi est carmẽ, & fletus infernalis, vbi est vę, præmonet esse fugiendos. Verùm homines voluptatum amatores, propter scripturam lamentationum & væ totum librum oderunt, & idcirco ventrem illius, qui illum deuorauit, amaricari faciũt. Neq; enim hoc soli Ioanni dictum est, vel de solo Ioanne sentiendum est, quod post dulcedinem tanquã mellis in ore, venter illius amaricatus fuerit. Nimirum quicunq; de manu angeli huius, angeli magni consilij librum hunc accepit, & saltem vnam ex eo deuorans pagellã, manifestam per vocem prædicationis ructum fecit, vix aut nunquam effugere potuit, quin pateretur quippiam de occursu, seu rufi, seu nigri, seu pallentis equi. Quod vt apertius dictum sit, vix quisquam aliquando imo nun
1. Ioan. 2. quam de superno munere verum scripturæ sanctæ intellectum accipiẽs, secundum eundem veritatis intellectum, contra vanitates & insanias falsas declamauit, qui non aut aperta persecutione inimicorum Dei, aut intestina detractione falsorũ fratrum, qui nominetenus sunt Christiani, aut hæreticorũ impugnatione, qui exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, quippiam patiatur amaritudinis. Maximè autem inter suos eiusmodi molestiam patitur quisquis librum istũ deuorauit. Nõ enim mentitur qui dixit. A-
Luce 4. men amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. Econtra qui spiritum huius mundi accepit, quemcunq; philosophia huius mundi vel tenuiter imbuit, ille ad diem festum ascendit, quia tempus eius semper paratum est, & ille quasi matutinis insistit cantilenis, vt mane comedat, & interim comedentes memoria sui sit. De taliũ sapientia dicitur in Esaia sub specie meretricis. Sume cytharam, circue ciuitatẽ meretrix
Esaiæ 23. obliuioni tradita. Benè cane, frequenta canticum vt memoria tui sit. Exilẽ valde mercedem cũ improperio meretrici taxauit dicendo, vt memoria tui sit. Nã idcirco meretrix, idcirco obliuioni tradita est, quia canit, nõ vt Dei, sed vt sui memoria sit. Ex huius quidẽ cantilena nũc interim, & in ore suo, & in vẽtre suo dulcis est tanquã mel, fauus enim distillãs labia meretricis, sed post modũ in fel aspidũ cõuertetur ei. Libri aũt sæpedicti intelligentia nunc quidẽ cum sit in ore dulcis, tanquã mel pro spe gaudij sempiterni, etiam si persecutionis amaritudo desit, pro re tamen præsentis exilij ventrem amaricari facit. Vndè & dicit, Ventrẽ meum doleo, ven *Hebr. 4.*
trem meum doleo. Item: Secretum meum *Esaiæ 24.*
mihi, secretum meum mihi. Væ mihi.

De Matthæo publicano, quomodo ipse cibatus pane vitæ & intellectus, magnum vsq; hodie Christo faciat conuiuium in domo sua.

CAPVT XIIII.

POst Ioannem scribendi quidem ordine, sed non etiam euangelicæ scripturæ prior qualitate, Matthæus publicanus, & ipse vi- *Matth. 9.*
tæ atque intellectus pane cibatur, & eodem intellectu magnum in domo sua domino Iesu facit conuiuiũ, magna verè secundum nomen suum gratia donatus. Huiusce conuiuij diuinitus prouisum fuit illud præsagium, q̃ *Lucæ 5.*
sicut manifestius ait Lucas, vocatus cum sederet ad theloneum, & sequens dominum, fecit ei conuiuium magnum in domo sua. Conuiuium ergo fecit ei, & magnum nimirum, quasi conuiuium regis. Nam sicut aliàs iam plenius diximus, apud istum euangelistam rex genere & actib. Christus ostẽditur, cum iam à principio vel initio suo dicit liber generationis Iesu Christi filij Dauid, & dein *Matth. 1.*
de natum mox regẽ Iudæorum à Magis adorari describit totumq; textum suę narrationis regalibus gestis ac regijs contexens parabolis, nec tãdem finit, vt dicat apud eum rex iste iam coronatus resurrectionis gloria, data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra. *Matt. 27.*
Totam serię conscriptionis eius si ritè perpẽdis, spirare cognosces mysteria regni Dei. Nec mirum publicanus quippe fuerat de publico regni peccati seruitio, ad libertatem regni Dei, regni iustitiæ vocatum se esse memi nerat. Bene ergo vt non ingratus magno libertatis suæ regi regni eius legibus inseruit, intendens regnum eius, quod à carnalib. Iudæis carnaliter expectabatur ostendere quale sit. Hoc animaduertens pater Augustinus, Marcum quidem tam in prophetica quàm in euangelica quatuor animalium visione per faciem hominis, hunc autem, scilicet Matthæum per faciẽ leonis intelligi mauult. Nam de Luca, quòd per faciem vituli, & de Ioanne, quòd per faciem aquilæ volãtis significetur apud omnes doctores, vna & indiuisa sententia est. De istis quadrigis nostri Aminadab, quod interpretatur populi *Cant. 6.*
mei spontaneus, propter quas nescientẽ synagogam conturbauit anima sua, plura longè superius, scilicet in propheta Ezechiele diximus. Proinde iam nunc ad reliqua proficiscamur.

De Iacobo fratre domini, quòd & ipse in isto intelligentiæ spiritu calamum tinxerit.

CAPVT XV.

IAcobus frater domini, qui & ab hominibus propter eminentem sanctitatẽ appel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

latus est iustus, ipse quoque calamum tinxit in isto intelligentiæ spiritu. Scripsit enim illam quæ canonicarum septem epistolarum prima est. Dixit de hoc Iacobo Paulus Apostolus, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederũt mihi, & Barnabę societatis, vt nos in gentes, illi autem in circuncisionẽ, quia in circuncisionem ordinatus erat Apostolus, curauit eos, qui ex circuncisione erant, sicut præsentes colloquendo docere, sic & absentes per epistolam consolari, instruere, increpare & corrigere. Et dispersis quidem, qui persecutionem passi sunt propter iustitiam, quæ occiso à Iudæis Stephano, magna facta est in ecclesia, quæ erat Hierosolymis, epistolã scripsit, sed non solum his, verumetiam illis, qui præcepta fidei Christi necdum operibus adimplere curabant, nec non & eis, qui etiam fidei exortes durabant, qui & ipsam in credẽtibus quantum valuere persequi, ac perturbare certabant. Ergo in hoc non parum laudabiliter adimpletum est, quod de isto spiritu veritas dixit, quia cùm veneritille, arguet mundum de peccato, & de iustitia & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me, & cætera. Nam magis de vicino videlicet cum esset Hierosolymorum pontifex iste non tantum verbo, sed & scripto illos de peccato suo redarguit diuites, quorũ ex adipe prodijt iniquitas eorum, vt occiderent dominum dum dicit. Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs quæ aduenient vobis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis, occidistis iustũ & non restitit vobis. Deinde rursus ad eos conuertitur, qui talium improbitate fuerãt oppressi, cohortantes eos ad patientiam. Patientes igitur estote (inquit) fratres vsq; ad aduentũ domini, & cætera. Nec vero illud prętermittendum quod oportunè satis, de fide & operibus disputat, dicens, quoniam fides sine operibus mortua est, siue ociosa est. Nã quoniam Paulus Apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, nõ bene intellectus est ab eis, qui sic dictum acceperunt, vt putarent si semel in Christum credidissent, etiam si malè operarentur & facinorosè, flagitioseq; viuerent, saluos esse per fidem, eundẽ sensum illius quomodo sit intelligendus, exposuit, ideoque Abrahæ magis exemplo vsus est, vacuam esse fidem, si non bene operaretur, quoniam Abrahę exemplo etiam Paulus Apostolus vsus est, vt probaret, iustificari hominem sine operib⁹. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata sunt, satis ostendit, Apostolum Paulum non ita per Abrahã docere iustificari hominẽ per fidẽ sine operibus, vt si quis crediderit, non ad eũ pertineat bene operari, sed ad hoc potius, vt nemo arbitretur, meritis priorũ bonorũ operũ se peruenisse ad donũ iustificatiõis, quę est in fide.

Galat. 2.

Ioan. 10.

Iaco. 5.

Iaco. 2.

Rom. 3.

De Iuda fratre Iacobi, quòd ipse magnam intelligentiæ facultatem breui calamo comprehendit.

CAPVT XVI.

IVdas Apostolus frater Iacobi, quẽ in euangelio Matthæus & Marcus Thaddæũ appellant, scribit contra eosdem fidei corruptores, quos & Petrus & Ioannes in suis damnant epistolis. Iste quoque breui calamo, sed multam intellectus facultatem comprehendit. Verbi gratia cum dicit. Væ illis qui in via Cain ambulauerunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in cõtradictione Chore perierunt. Hæc enim cùm dicit, breuiter quidem, sed lucidè, Cain exemplum asserit fuisse omnium, qui propter inuidiam meliorum nomen sibi doctorum quo honorificẽtur, assumunt. Balaam verò illorum, qui p amore terrestrium commodorum, veritatẽ quam ipsi norunt, impugnant. Chore autẽ, qui viuus ad inferna descendit, eorum quicunq; appetitu indebiti primatus, se ab vnitate sanctæ ecclesię secernunt, scientesque & prævidentes quantum mali gerant, ad scelerum tamen tartara descendunt. Sed habet hæc eadem epistola incerta, & de Apocryphis sumpta testimonia. Etenim quod ait, dum Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, nõ est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi dominus, quando inquã, de Moysi corpore contentionẽ cum diabolo Michael habuerit, incertum habemus. Item quod ait, prophetauit autẽ de his septimus ab Adam Enoch, dicens. Ecce venit dominus in sanctis milibus suis, facere iudiciũ contra omnes, arguere omnes impios, de Apocryphorum libro scriptum est. Proinde primis quidem temporibus à plerisque hæc epistola reijciebatur, sed auctoritate iam vetustate & vsu meruit inter sanctas scripturas computari, maximè quia tale testimonium de Apocryphis Iudas sumpsit, quod nõ Apocryphum aut dubium, sed vera luce & lucida esset veritate perspicuum. Quis enim fidelium nesciat aut dubitet, venturũ esse dominum in sanctis milibus suis, facere iudiciũ contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quib. impiè egerunt, & de omnibus duris verbis, quæ locuti sunt contra eum oẽs impij? Porrò quod ait, dum Michael archangelus cum diabolo disputãs, altercaretur de Moysi corpore, nõ est ausus iudicium inferre blasphemiæ, si assumptum videri potest, quomodo & illud ab Apostolo, vbi Corinthios à fide resurrectionis abductos, sua ipsorum sententia, quamuis inepta conuincere studens, ita dicit. Alioquin quid facient, qui baptizãtur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? Neq; enim, quia tali contra illos argumento vsus est, con-

1. Cor. 15.

est, consequens est, Apostolum approbare, vt pro mortuis viui baptizarentur, sed vt coram oculis ipsorum inconsideratam leuitatem constitueret, qua semetipsos omni vento doctrinæ circunferri nesciebant, factum assumpsit, quo suamet ipsi verba impugnabant, dum resurrectionem mortuorum nõ esse dicentes, viuos pro mortuis baptizabãt. Nimirum ita etiam non quia dixit hic, dum Michael archangelus, cum diabolo disputans, altercaretur, & cæ. consequens est, eum approbasse opinionem, quæ de scripturis nõ haberet auctoritatem, sed ex suomet ore illos voluisse concludere, quòd contra quem piam, maximè autem contra Deum non deberent blasphemiam siue indisciplinatam effundere offensionẽ. Si enim vt ipsi tenebant Michael archãgelus, diabolo sibi aduersãti, blasphemiã dicere noluit, sed modesto sermone illum coercuit, multò magis hominibus omnis blasphemia cauenda est, & maximè, vt dictũ est, ne verbo indisciplinato maiestatem creatoris offendant.

De Paulo Apostolo, quomodo vel qua intẽtione gradum suum defendit, videlicet, quòd quamuis nõ fuerit illic, nihilominus tamen Apostolicam intelligentiæ gratiam acceperit. CAPVT XVII.

PAulus vas electionis, magnus & inclyt⁹, veritatis causidicus, nomẽ sibi & locum in hoc ordine siue officio magno certamine vendicat, stans atq; perorans iugiter in omni auditorio, in omni ecclesia, in omni cæli & terræ prætorio. Verbi gratia cùm dicit ad Corinthios. Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Et subinde, Nam si is qui venit alium Christum prædicat, quem nõ prædicauimus, aut alium Christum accipitis, aut aliud euangelium quod non recepistis, rectè pateremini. Existimo enim, me nihil minus fecisse à magnis Apostolis. Et post vehementissimum acerrimè orationis cursum, tandem decentissimè, quasi respirans factus sum (inquit) insipiens, subauditur merita mea narrando, vos me coegistis. Ego enim debui à vobis commendari. Nihil enim minus feci ab his, qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum. Signa verò Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, signis prodigijs, & virtutibus. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris ecclesijs? Item ad Galathas: Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis. Et subinde. Notum enim vobis facio fratres euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominẽ, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Hoc modo ingressus toto suæ conuersionis atq; processionis ordine validissimè cõfirmat, & quòd non ab homine, neq; per hominẽ euangelium acceperit, & quòd priores Apostoli nihil illi ad correctionem siue supplementum eiusdem euangelij conferre potuerunt. Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Et subinde: Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quoniam reprehensibilis erat, &c. Ita cùm multis literarum suarum locis, tum verò in titulis siue præscriptiõibus, Apostolatũ suũ defendit, ita vt epistolarũ suarũ ferè nulla sit, cuius in capite non splendeat auctoritas Apostolici nominis, præter illã quã ad Hebræos, quorum Apostolus non erat, scripsit. Non ita in cæterorum Apostolorum literis. Nam pręter Apostolũ Petrũ, nullus saltem in capite mentionẽ fecit huius nominis. Cur hoc? Videlicet quia cæteri oẽs, ita erant Apostoli, vt defensione nõ egerent Apostolatus sui, quippe qui ab ipso dño inter homines cõmorante vocati, & singuli per nomina sua designati fuerãt Apostoli, & super quos spiritus sanctus in die pẽtecostes venit, à quibus, vel per quos initium fuerat euangelicæ prędicationis, Paulus illic non erat, non in illo cœnaculo, quando spiritus sanctus venit, sed in synagoga Sathanæ erat, quippe qui & persecutus est huius viæ quascunq; potuit personas. Hoc scientes æmuli, & euangelicæ veritatis corruptores pseudoapostoli, auctoritati eius, & ad subuersionem fundamenti benè positi, sapienti architecto detrahebant, dicentes, non est Apostolus, non vidit dominum, non est audiendus. Hæc dicendo, plurimos eorum quos conuerterat, illi subuertebant. Non suæ famæ diminutionẽ, sed credentium Paulus dolebat subuersionem. Idcirco nónunquam, quasi stomachatur, & legitima defensione vtens, non sum (inquit) liber, nõ sum Apostolus, nonne Iesum dominũ nostrũ vidi? Nónne opus meum vos estis in domino? Et si alijs nõ sum Apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signaculum Apostolatus mei, vos estis in domino. Et his similia. Alias autem de propria conscientia satis humiliter confitetur, quod ab æmulo detrahẽte ventilatum susçipere non dignatur. Ait enim, Nouissimè autem omnium tanquã abortiuo visus est mihi. Ego enim sum minimus Apostolorũ, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniã persecutus sum ecclesiã Dei. Gratia aũt Dei sum id quod sum, & gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundãtius omnib. illis laboraui. Non autẽ ego, sed gratia Dei mecũ. Itẽ: Qui prius fui blasphemus (inquit) & persecutor & cõtumeliosus, sed misericordiã consecutus sum, quia ignorãs feci in incredulitate. Superabundauit aũt gratia dñi nostri cũ fide & dilectiõe quæ est in Christo Iesu. Et continuò, Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum. Sed ideo misericordiam cõsecutus sum, vt in me primo ostenderet Iesus Christus oẽm patientiam,

2. Cor. 11.

Galat. 1.

2. Cor. 11.

Galat. 2.

2. Cor. 9.

1. Cor. 15.

1. Thimo. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad confirmationẽ eorũ, qui crediturí sunt in vitã æternã. His ita se habẽtibus, de veritate Apostolat⁹ eius, quo & pro dignitate gratiæ Dei donatũ se profitetur, & pro indignitate eius quę præcesserat incredulitatis immeritũ se cõfitetur. Omniũ horũ quę dicta sunt, maximũ vel præcipuũ illud esse arbitremur, qd de hoc eodẽ Apostolatu ad Galathas loquitur Paulus Apostolus non ab hominib. neq; per hominẽ. Et subinde, Notũ enim vobis facio fratres euangelium quod euãgelizatum est à me, quoniã non est secundum hominẽ, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. *Galat.1.*

Quòd iste quidem non fuerit sine literis. Nam in litera legis eruditus fuerat ad pedes Gamalielis, sed spiritualem sensum legis, vel euangelium Christi, nõ ab homine, neq; per hominẽ acceperit, sed per reuelationẽ Iesu Christi. CAPVT XVIII.

HOc enim est quod in apostolis primis hominibus idiotis & sine literis miramur, quod in isto spiritu sancto, spiritu intellectus prædicamus. Itemque in Moyse & in prophetis ad laudem eiusdem spiritus veneramur, quia quam ab hominibus, vel per hominem non didicerant aut discere poterant, solius diuinitatis reuelatione sine mora didicerunt veritatis notitiam. Hic tamen nõ homo idiota, aut sine literis fuerat, sed quemad modum ait ipse vir Iudæus, natus à Tharsõ Ciliciæ, nutritus in illa Hierosolymorum ciuitate, secus pedes Gamalielis, eruditꝰ iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes (inquit) estis hodie. Ergo nonnihil intererat, quia videlicet illi homines idiotæ & sine literis, hic aũt ad pedes Gamalielis, hominis sapientis & literati, iuxta veritatẽ paternæ legis, eruditus fuerat. Sed quam iuxta veritatem paternę legis, secus pedes illius hominis eruditi potuerat? Nimirũ iuxta veteris testamenti, iuxta veritatem nõ spiritus viuificantis, sed literæ occidẽtis. Verbi gratia. Eruditi potuerat scriptũ esse, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, & eum qui de ancilla secundum carnem natum esse, eum autem qui de libera, per repromisionem. Verùm hęc duo testamenta esse, vnum quidem à monte Syna in seruitutem generãs quę est Agar, alterum autem de sursum de Hierusalem libera, quę est mater omnium nostrum, hæc, inquam, sic esse, secus pedes illius hominis eruditi non poterat. Igitur tam scientes siue dociles, quã & beneuoli credamus huic Apostolo gentiũ, Apostolo nostro dicenti, quia euangeliũ quod euangelizatũ est à me, nõ est secundũ hominem, neq; n. ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Notandum quippe, qd non dixit literam siue literaturam legis, quã scio, nõ ab homine accepi neq; didici, sed euangelium (inquit) quod euangelizatum est à me, non ab homine accepi, neq; didici. Literam quippe legis, sicut iam dictum est, literã occidentẽ, per hominem. i. secus pedes Gamalielis acceperat & didicerat, occidendus per illam, sicut occisus est Vrias Etheus, per scripturam Dauid quam portabat, nisi sola eum in ipso itinere præueniſſet viuificantis spiritus gratia. Adhuc quippe spirans minarum, & cędis in discipulos domini, accesserat ad principem sacerdotum, & petierat ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, vt si quos huius viæ inuenisset viros, aut mulieres, vinctos perduceret Hierusalem. Et cum iter faceret, quid erga eum egerit gratia Dei, totus orbis audiuit, gentes & reges audierũt, coram quibus nomẽ Iesu portauit istud vas electionis. Ipse quoq; coram quodam rege hoc ipsum portans, & enarrans, die, inquit, media in via vidi rex de cęlo supra splendorem solis circũfulsisse me lumen, & eos qui simul mecum erant. Omnesq; nos cum deciderem in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua. Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi cõtra stimulum calcitrare. Quo interim ab homine, vel per quem hominem, euangelium accepit aut didicit? Non enim dictum est, erat euangelium legens, sed erat tribus diebus, & tribus noctibus non videns. Non dixit Ananias, dominus Iesus misit me, vt te informem euangelio, sed dominus misit me, inquit, vt videas, & implearis spiritu sancto. Non dictum est, legit cum discipulis, qui erant Damasci tempore multo, sed dictum est, fuit cũ discipulis qui erãt Damasci per dies aliquot, & continuò ingressus in synagogis prędicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei. Stupentibus autem omnibus qui audiebant & dicentibus, nónne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui inuocabant nomen istud, & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum, ille multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. Profectò sic conualescere tyronem euangelicum, & sic Iudæos confundere, nequaquam fieri poterat absque præacuta fide, siue magna scientiæ & veritatis plenitudine. Nec verò hæc mutatio dexteræ excelsi, sine magno & competenti signo contigerat illi. Nam vbi dixit Ananias, dominus misit me, vt videas, & implearis spiritu sancto, confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit. Quid illæ ab oculis eius cadentes squamæ significauerint, ipse intellexerat, qui dixit. Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum vsque in hodiernum diem, ipsum velamen in lectione veteris testamẽti manet non reuelatum, quoniã in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem cum legitur, Moysesi velamen est positum super cor eorum. Nos verò omnes reuelata facie domini gloriam contemplantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Nimirum velamen incredulitatis, quod fuerat positũ super cor eius, id est, Iudaicæ cæcitatis perfidia, Domino Iesu de cælo inclamante, transierat ad oculos exterius, & exinde ceciderat cum squamis illis velamen illud significantibus. Itaque resurrexerat homo splendidus, tam in corpore exterius, q in corde interius illuminat⁹. Lux erat in mente, splendor lucis radiabat in ore. Abstulerat ab oculis suis velamẽ literæ occidentis, & profundebat splendorem spiritus viuificantis. Hoc non potuerunt ferre filij Israel, non potuerũt sustinere carnales Iudæi. Confundebantur enim illo conualescente reuelata facię, vnde & consilium fecerunt, inquit scriptura, vt interfcerent eum, sed notæ factę sunt Saulo insidiæ eorum.

Act.22. *Act.9.* *2. Reg. 11.* *Galat.3.* *1.Cor.3.* *Act.9.*

Quòd prouidè ibi sit hic Beniamin adolescentulus, scilicet in illo gradu, vel priuilegio Apostolici principatus, dicatq; veraciter: Gratia Dei sum id quod sum.

CAPVT XIX.

IBi igitur Beniamin adolescentulus, id est, ibi Paulus de tribu Beniamin, sicut ipsemet in epistola sua testatur, & inde adolescẽtulus, quia postremò vocatus, quia suamet confessione Apostolorum minimus. Vbi? Nimirum in illo ordine in illa mẽsura atque priuilegio Apostolico, vbi ascendens Christus in altum, & captiuam ducens captiuitatem, dedit dona hominibus, vbi præuenerunt principes, scilicet iam dicti Apostoli, coniuncti psallentibus, id est, corde, voce & opere confitentibus. Atque iuuenculari nouæ vitæ, lætitia tympanizantibus, & ita in Ecclesijs DOMINO benedicentibus, vbi apparuerunt fontes Israel, fontes & flumina aquæ viuæ, id est, charismata spiritus sancti, qui datus est. Ibi, inquam, id est, in illo principatu, siue in illis fontibus Beniamin adolescẽtulus, non dubius aut incertus Apostolus, licet adolescentulus, licet nouissimus. Nec verò vtcunque ibi, sed in mentis excessu, scilicet in stupore mentis omnium dicentium, nónne hic est, qui ad hoc huc venerat, vt expugnaret nomẽ istud, siue in stupore mentis suæ, quando à Domino in via percussus, stupidus factus est, siue postea quando raptus fuit vsque ad tertium cælum & audiuit arcana verba, quę non licet homini loqui. Ibi est, & gratia Dei, inquit, sum id quod sum. Pulchra & decora adolescentuli huius confessio, suauis & gloriosa nouissimi vel minimi Apostolorum professio. Nonne tibi videtur idẽ posse dicere veraciter primi Apostoli, siue primogeniti Apostolorũ? Quis enim Apostolorum siue cuiuslibet ordinis sanctorum, aut electorũ aliundè, quàm ex gratia Dei est id, quod est? Cur ergo in depressionem siue minorationẽ sui, dixit, gratia Dei sum id quod sum? Præmiserat enim dicens, nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi: ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. Hoc præmisso statim subiunxit, gratia autem Dei sum id quod sum. Dicimus igitur, quia & priores quidẽ Apostoli, gratia Dei sunt id quod sunt, sed iste differẽter gratia dei est id quod est. Differt enim ab huius vocatione cæterorum vocatio Apostolorum. Cęteri nanque Apostoli tunc crediderunt, & tunc vocantem Dominũ Iesum relictis omnibus secuti sunt, quando ille homo vilis erat hominibus, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur. Istum autem quando vocauit Dominus Iesus, iam fulgebat in cælo sedens ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto fulgore maiestatis, vt eum quẽ vocabat, cęcũ faceret, atque sua claritate lumen corporeum extingueret hominis infirmi, & veri luminis virtutem ferre non sustinentis. Adde quod illi quando vel antequã vocarẽtur, innocenti & simplici negotio dediti erãt plerique, scilicet retia mittentes in mare, in capturam piscium, solũ denique Matthæum publicanum fuisse legimus, & de theloneo vocatum, hic autem persecutor & blasphemus fuit & iniuriosus, & tunc quando vocatus est, petitas accepit literas à principe sacerdotum & vinctos ducturus discipulos Domini pergebat Damascum. Quid multa? Totis animis, toto spiritu minax & sæuus Dominum Iesum persequebatur, & eodem impetu, eodem corripientis domini clamore, quo Saulus prostratus est, vt Paulus resurgeret, si complacuisset victori, vt hostem suum in mortem æternam fulminaret, nemo iure repræhenderet. Deniq; ius belli, & lex victoriæ est, vt fortior de hoste suo victor sese vindicet. Sed vitæ miranda victoris gratia reseruatus est, vt viueret & viuens seruiret, cùm sicut iam dictum est funditus occidi iure potuisset. Veraciter igitur dicat, gratia Dei sum id quod sum, quia reuera nõ simpliciter, nõ communi more sanctorũ omnium, sed multum differenter gratia Dei est id quod est. Huius rei in omni vita sua non immemor, in prima quoque fronte eius, quam ad Romanos scripsit epistolæ tangit breuiter, cùm dicit, Paulus seruus Iesu Christi. Seruum se vocat, quia videlicet de bello victum, gratia victoris seruatum se esse nouerat. Seruus nanque propriè dicitur, qui victus in bello, cùm iure possit occidi pro sola victoris voluntate reseruatur, & proinde proprius eius à quo vita donatus est.

Philip.3. *Psal.67.* *Ibidem.* *2.Cor.15.* *Ioan.1.* *Matth.9.* *Luca 5.* *Rom.4.*

Quòd verè gratia Dei in eo non fuerit vacua, quòd maximè ex epistola eius ad Romanos legentes experimur, quam pro consuetudine illorum quibus loquitur, quasi quinque distinxerit actibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XX.

2. Cor. 15. ET gratia eius, inquit, in me vacua nõ fuit sed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Vere dicamus & nos, experti quippe sumus, & quotidie legentes experimur, quia gratia eius ô sancte Paule in te vacua non fuit. Non adeò de abundantia laborum tuorum, quib. in illa gratia eius laborasti, præsenti loco agimus, sed intellectum tuũ considerantes, nũc dicimus, quia gratia eius in te isto munere vacua non fuit. Possemus multa colligere de thesauro sapientiæ & intellectus, quem thesaurizauit in istud vas electionis suæ sanctus domini Iesu Christi spiritus, sed hoc longum nimis esset, & longè superius vbi de lege siue de testamento veteri loquebamur, sparsim hoc ipsum pro posse fecimus. Nunc vt parũ quid de hac parte gratiæ dicamus, vnam tantum, id est, eam quæ ad Romanos scripta est epistolam, sumamus verè copiosam thecam sapientiæ & intellectus, & secundum intelligentiam eius gratiam veritatis, & veritatem gratię Dei, nos quoq; intelligere studeamus. Primùm est vt eandem epistolam, siue epistolæ negotium actibus quinq; distinctum esse cognoscamus, videlicet secundum legẽ siue morem sapiẽtium, quibus loquebatur. Nam apud eos cautum erat in nugis secularibus, vt quidlibet earum rerum quibus mores instruebantur, aut etiam reprehendebantur quinq; non excederet actus. Vndè & apud Flaccum pueri legimus. Néue minor, neu sit quinto productior actu Fabula, quæ posci volet, & spectãda reponi. Est igitur primus actus coæquatio Iudæi & Græci, quòd scilicet omnes peccauerint, & egeant gloria Dei. Secundus commendatio gratiæ, vel fidei Christi, quòd videlicet omnes per vnum hominẽ iure debeãt iustificari. Tertius concertatio, quòd non debeamus iterum peccare liberati à lege peccati & mortis. Quartus, demonstratio quid lex ante manifestationẽ gratiæ potuerit aut non potuerit. Quintus commonitio gentium, quòd non debeant insultare Iudæis, quòd, inquam, non debeant rami oleastri in bonam oliuam inserti aduersus naturales ramos, quia fracti sunt, gloriari. Nam deinceps, quod residuum est epistolæ, de communibus rebus, id est de moribus agit. Nunc ergo duce eodem spiritu intellectus ingrediamur, & eosdem diligentius actus distinguamus.

Rom. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11.

De primo actu, quo Iudæum & Græcum coæquat eo quòd omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.

CAPVT XXI.

Rom. 1. PRæmissa salutatione magnifica gratiæ, & pacis Dei patris nostri, omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, & captata beneuolentia, cum attentione ab eo, quod ait. Primum quidẽ gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, vsque ad id, quod dicit, iustus autem ex fide viuit, continuò ingressus, primò quam sapienter, quàm acerrimè Gentilium peccata percutit, & deinde exilem Iudæorum iustitiam sub peccato concludit. Etenim causa quidem postulabat, vt Iudæum prius argueret, eumque contra suam ipsius faciem statueret, quia videlicet ex Iudæo omnis controuersia erat. Ille enim gloriabundus in carne Abrahę, Gẽtilem prouocans, quasi litem in iudicio proponebat, eumque Euangelica indignum iudicabat gratia, nisi quia per misericordiam illum in hospitium siue incolatum generis Israelitici susciperet Dei sui pia & omnibus cõsulens largitas Sibi deditum, sibi proprium vendicabat Iudæus conuersus Christi Euangelium, eratq;, vt iam dictum est, ab ipso litis principium. Cùm ergo secundum causam, vt iam dictum est, prius Iudæum deberet ostendere sub peccato esse, maluit tamen Gentilẽ prius percutere seuera & terribili valde peccatorum eius recitatione dicẽdo, Quia cùm *Rom. 1.* cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, & mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpẽtium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt cõtumelijs afficiant corpora sua, & cætera. Cur hoc? Si à Iudæo gentium salutem odiente lis posita fuerat, dicente, nos sumus populus DEI, nos circuncisi ex gente Abrahæ, nobis Christus promissus est, ad quos etiam ipse se venisse testatus est, dicens. Non veni nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, cùm vos canes potius quàm *Matth. 15.* homines appellauerit, cur Gentilem potius, quàm Iudæum, tam acerrimè tetigit, præteritamq; eius conuersationem, tanta fœditate respersam, corã facie statuit? Videlicet, quia Gentilis patientior ad hæc audienda erat, quippe qui & vltroneus sua confitebatur peccata, & confitendo ad Christi gratiam confugiebat. Iudæus autem in carne iustorum patriarcharum gloriabundus, & de sua carnali præsumens iustitia, impatiens ad iniustitiæ accusationem siue peccati confessionem existebat. Itaq; vt sapiens orator, prius auditorem qui patientior est vehemẽtissimè redarguit, & deinde ad eũ qui impatiens est ligandũ atque concludendũ argumẽtose orationis vincula contrahit, eodemq; illũ nodo cõstringit. *Rom. 1.* Quomodo? Qui cũ iustitiã dei cognouissent, inquit, non intellexerunt, quoniã qui talia agunt digni sunt morte, non solũ qui illa faciunt, sed & qui cõsentiunt facientib. Nã cuncta quę ante dixerat, & hoc ipsum qd̃ postremo dixit, quoniã qui talia agunt, & qui facientib. consentiunt, digni sunt morte, oportebat concedere Iudęũ, & libenter concedebat *Rom. 2.* tanquã in aduersariũ. At iste sapiẽter & cautè

vniuer-

vniuersaliter, & absque distinctione Iudæi & Græci dixit, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & continuo subiunxit. Propter qđ inexcusabilis es ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterũ, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas. Tanquam diceret: Quoniam neque Iudæi, neque Græci, sed qui talia agunt digni sunt morte, quoniam, inquam, non pro eo quòd vel Iudæus vel Græcus est, sed pro eo quòd talia agit, quisque dignus est morte, ergo inexcusabilis es ô homo omnis, etiam ô Iudæe qui iudicas. Eadem enim agis, quæ iudicas. Et continuò. Scimus enim ait, quia iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Secũdum veritatem, inquit, id est, non secundum personarum acceptionem. Nam siue Iudæi siue Græci personam accipere, non est secundum veritatem iudicare. Nec verò poterat seipsum Iudæus, excutere, vt non concederet dicenti, eadem enim agis, quæ iudicas, neq;. n. alia contra Gentilem iudicare poterat, quàm quę in semetipso videbat, teste conscientia. Quòd si contentiosè contra suam ipsius conscientiam defendere semetipsum vellet, conuincerẽt eum tot testes, quot sunt apud illum prophetæ, & ipse Moyses. Nam apud illos peccata hæc eadem *Rom. 1.* Iudæorum leguntur, quæ & gentium. Seruierunt enim gentes creaturæ potius, quàm creatori, & mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corrupti bilis hominis, seruierunt & Iudæi operibus manuum artificis, & mutauerunt gloriam eius in similitudinem vituli comedentis fœnum. Nec modo certioribus de Gentili, quã *Psal. 105.* de Iudæo, scire poterat auctoribus idem Apostolus, quòd traditus fuisset Iudęus in desideria cordis sui, in immunditiam, vt naturalem vsum in eum, qui est contra naturam *Esa. 1.* immutaret. Dicit enim Esaias: Audite verbũ domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei mei populus Gomorrhæ. Sed & alia testatur scriptura, optimos quosque ephœborum, apud eos videlicet Iudęos, in lupanaribus positos fuisse. Poterat multa contra illos de scripturis testimonia conscribere, *Psal. 13. 52* sed vnum sufficiens esse iudicauit. Scriptum est enim, inquit, quia nõ est iustus quisquam. Non est intelligens, non est requirens deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est *Rom. 13.* vsq; ad vnũ, & cæ. Et ne nesciret Iudæus, hæc sibi vel pro se dicta esse, scimus autẽ, inquit, quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis cero coram illo.

De secundo actu quo ait, quòd omnes per vnum hominem verè debeant iustificari non aliunde, sed ex fide qua iustificatus est Abraham cum esset Gentilis.

CAPVT XXII. *Rom. 3.*

ACutum est itaque primo actu, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, & gloriatio Iudæi excluſa est. Agitur subsequenti actu, omnes tam Iudæos quàm Græcos per fidem Iesu Christi iustificari, & non aliundè, sed ex eadem fide patrem Abraham iustificatum fuisse, cùm esset Gentilis, iustificatum, inquam, per fidem sine operibus legis, imò & ante illud, quod maximum erat *Gen. 15.* in operibus legis, opus circuncisionis. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quid putas credidit, nisi quod in semine eius benedicerentur omnes gentes? Quod aut illud semen nisi Christus est? Ergo fides quæ reputata est Abrahæ ad iustitiam, fides Christi est. Quomodo, inquis, reputata est, in circunci- *Rom. 4.* sione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis signaculum iustitiæ, fidei, quæ est in præputio, congruum videlicet signaculum accepit secundum rem fidei, vt quia de semine crediderat, non in alia quam in ea corporis parte per quam semen traijcitur signum haberet circuncisionis. Hoc signaculum tam diu ad iustitiam valuit, donec veniret res, id est, semen ipsum cuius in promissione credens signatus est pater fidelis. Hoc itaq; tantum interest, quod ille venturum credidit, nos iam venisse credimus, & idcirco constat & nulli dubium est, quia per eandem nos at- *Rom. 5.* que illi fidem iustificamur. Proinde dicit. Iustificati igitur ex fide pacem habemus ad deum, per dominum nostrum Iesum Christũ. Et ne cui dubium sit, iure omnes per vnum hominem debere iustificari, post multa ad huius sententiæ rationem pertinentia, sic tandem concludit. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius homi- *Ibidem* nis peccatores constituti sunt multi, sic & per vnius hominis obedientiam iusti constituentur multi. Non ergo iniuria, sed iure fortis armatus eijcitur, & vasa eius diripiuntur, quia si iustum fuit, vt per vnius hominis inobedientiam peccatores cõstituerentur multi, nihilominus iustum est, vt per vnius obedientiam iusti constituantur multi.

De tertio actu quo id defendit, quòd non debeamus iterum peccare quasi liberi, eo quòd nos à lege peccati & mortis Christus liberauerit. *Act. 1.*

CAPVT XXIII.

TErtio actu id agitur, vt iãnobis non peccandũ esse sciamus, ne nobis solã Christi fidẽ, siue oris confessionem sufficere arbitre- *Rom. 6.* mur, quomodocũq; viuamus. Qui. n. mortui sum⁹, inquit, peccato, quomodo viuem⁹ in illo? Et vide quã pulchra, q̃ valida similitudine, ab illa seruili vita, imò seruitute mortua cõpescit nos. An ignoratis, inquit, qa quicũq;

baptizati

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Similitudo namque dominicæ mortis (vt alijs iam locis meminimus) sacramentũ est baptismatis, in quo vetus homo per mirum gratiæ regenerantis artificium priori domino, id est, pecca to moritur, & nouo homini Christo consurgens libertatis & iustitiæ titulos accepit, vt
Rom. 6. iam non sit eius cuius fuerat, iam non sit ipse qui fuerat. Vndè & subinde dicit. Quia vetus homo noster semel crucifixus est, vt destrũatur corpus peccati, vt vltra iam non seruiamus peccato. Stultum ergo, imò & perfidiosum est, postquam mortui sumus peccato, iterum viuere in illo. Id enim est redemptorem, & libertatis suæ relinquere dominũ & ad pristinæ captiuitatis pro exigua mercede refugere tyrannum. Neq; enim, si velint,
Hebr. 6. iterum possunt certa redemptione redimi, id est, rebaptizari. Vndè in Epistola ad Hebræos cùm dixisset, quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiorem feramur, ita subiunxit. Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatũ doctrinæ, impositionis quoq; manuum, & resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, crucifigẽtes rursus sibimet filium Dei, & ostentui habentes. Renouari quippe ad pœnitentiam dixit, & rursus crucifigere sibimetipsis filium Dei, id est, nouos fieri per pœnitentiam iterumq; baptizari. Nam qui iterum volũt baptizari rursus quantum in ipsis est crucifigunt, & ostetui habent filium Dei. Iuxta hunc sensum &
Hebr. 10. illud accipitur, quod idem dicit. Voluntariè enim peccantibus post acceptã notitiam veritatis iam non relinquitur hostia pro peccatis.
Rom. 6. Sed & hic vbi dixerat, an ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, &c. Ita dixit: Scientes quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate, mortuos quidem peccato, viuentes autem Deo. Hæc enim omnia cùm dicit terret nos vt metuamus post baptismum ad vitia relabi, quia nõ possumus rebaptizari. Nõ pœnitentiam aut remissionem peccatorum, sed secundum excludit baptismum. In hoc actu consistit, & decertat, dicendo, nõ ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, & cæt. vsque ad id, quod ait, nunc ergo soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literę. Constat er go eum non hoc sensu dixisse superius, arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus, vt credentes in Christum saluos nos esse putemus, quomodocunque viuamus. *Rom. 3.*

De quarto actu, quo demonstrare contendit, quid ante Christi aduentum lex contulerit, & quid conferre non potuerit.

CAPVT XXIIII.

QVarto actu demonstrare intendit quid lex contulerit, & quid conferre non potuerit. Quid ergo dicemus, inquit? Lex peccatum est? Absit. Nixerat enim, cùm essemus in carne passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabãtur in membris nostris. Itemque nunc ergo soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, legem mortis, legem per quam peccatorum passiones erant, non aliã designans, quàm legem Moysi, quæ mortẽ inferebat, per quam peccatorum passiones notæ erant, & augebantur, quia videlicet solet ardentius desiderari, quod lege prohibetur. Ne ergo calumniæ locum dedisse videretur tanquã legis aduersarius, quid, inquit, dicemus? Dicemus aut dixisse videbimur, quia lex peccatum est? Absit. Sed quid dicemus, aut quid diximus? Hoc nimirum, quia peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupises. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem cõcupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Hoc erat esse vel dici legem mortis, quod peccatum cognouisse per legem & peccatum, per mandatum accepisse occasionem operandi in me omnem concupiscentiam, atque auxisse in me culpã præuaricationis per notitiam sui. Neq; enim ipse eadem, quæ peccatum prohibebat à seruitute peccati liberare poterat. Hoc nimirũ quia tardius lector perspicit in vniuersitate generis humani, semetipsum cum Apostolo respiciens vnusquisq;, exempli gratia dicit. Ego autem viuebã sine lege aliquando, subauditur, & tunc peccatum in me mortuum erat. Et enim tamdiu vnusquisque nostrum sine lege vixit, quamdiu vel pro ætate, vel pro ignorantia vacuus fuit à timore domini. Tũc nimirum peccatum mortuum erat, quia repugnator non consurgebat, quomodo aqua interdum per planum segnius fluit, vbi cuiuslibet obicis contradictio nulla obsistit. Sed cùm venisset, inquit, mandatum, peccatum reuixit. Hoc veraciter quisque militum Dei qui contra peccatum sumpsit arma mandatorum legis domini, pugnando repertus est, vt dicere possit, quia cum venisset mandatum, peccatum reuixit. Nam quotusquisq; est, qui à vetusta conuersatione sese conuertens statim pacẽ habuit, & non perpessus est pugnã peccati quasi reclamantis insaniã tyranni? Id- *Rom. 7.* *Exod. 20.* *Deu. 5.*

circo veraciter interea dicit. Quod enim operor non intelligo, id est, non gratum duco. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Et subinde. Cõdelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Talis certator laborans in spe, & sperans in labore, dicit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et cõtinuò sibi respondet. Gratia dei per Iesum Christũ dominum nostrũ. Ab hoc itaque exemplo, liquet quid lex contulerit, quid conferre non potuerit. Namq; in vno homine res eadem est, quæ & in vniuerso genere humano. Qualis eram ego cum sine lege vel timore domini viuerem, aliquando talis erat status mundi cum necdum data esset scripta lex. Item qualis nunc condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. talis mundus accepta lege infirmabatur, & quamlibet pugnans siue resistens, à peccato victore & per Adam tenebatur. Item qualis homo quadam pace, & quiete suimet fruitur per adiuuantem gratiam Dei ab impugnatione vitiorum liberatus, ita vt viuens iam non sit in carne, id est, in carnis passionibus, talis est hic tertius mundi status, quo peccati
Rom. 8. regnum destruxit DEI filius. Vnde dicit postmodum hic idem apostolus. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suũ mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Hoc tamen in paucis impletur, vt, scilicet in carne viuentes, tamen extra carnem sint, ambulando secundum spiritum, in illis videlicet, qui non solùm illicita, sed & quæ licito possidere vel facere poterant, dimittunt, exemplo Apostolorum. Etsi nondum tota peccati pœna sublata est, nihilominus tamen peccatum per aduentum Christi damnatum, & regnũ peccati destructum est, & quod superest de peccati pœna, per secundum eiusdem aduentum certissimè destruendum est. Hoc est qd
Rom. 8. subinde dicit. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum, id est, certissimè moriturum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationẽ. Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis conuiuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantẽ spiritum eius in vobis, &c. Quòd donec fiat interim patientia opus est, adiuuante consolatione, quam & inferens dicit. Existimo enim
Rom. 8. quòd non sint condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturę reuelationem gloriæ filiorum Dei expectabat. Et reliqua vsq; ad id, quod ait, quia neq; mors, neq; vita, neque angeli, neq; principatus, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Iesu Christo domino nostro.

De quinto actu, quo oleastrum contra fractos oliuæ ramos naturales, id est, Gentiles contra Iudæam docet non debere gloriari siue extolli.

CAPVT XXV.

QVinto tandẽ actu ad principalem causam redit, & Gentilem (cuius contra fastum Iudaicum partem magis tuetur, quem admodum dicit. Quamdiu quidem sum ego gentium Apostolus, ministerium meum ho *Rom. 11.*
norificabo) docet aduersus Iudęum non extolli, sed magis humiliari & compati, præmisso suimet exemplo, cùm dicit. Veritatem di- *Rom. 9.*
co in Christo, non mentior, testimoniũ mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratrib. meis qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, ex quorum partibus Christus secundum carnem, qui est benedictus in secula, amẽ. Sanè quòd dixit. Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, eiusdem est ponderis, cuius & illud quod Moyses ait: Obsecro domine, peccatum populus iste peccauit magnum fecerunt sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quẽ scripsi. Et notandũ, quodnõ opto, sed optabã inquit, quia videlicet ois voti vel cuiuscũq; boni nimietatẽ citius corrigi expedit. Sic & prædictus Moyses semel quidem dixit, aut *Exod. 32.*
dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti, sed deo non approbante ac dicente, qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo, tu autem vade, & duc populũ istũ de quo locutus sum tibi, non inuenitur quod addiderit vltra taliter loqui. Sic ingressus Apostolus, nunc quidem com- *Rom. 9.*
mendat altitudinem terribilis iudicij dei, verbi gratia, dum dicit. O homo tu quis es, qui respondeas DEO, & deinceps, quod si volens deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta ad interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit, nos non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, nunc autem eosdem vocatos ex gentibus & humilietur vtili ferit pauore, cùm dicit. Quod si aliqui ex ramis fra- *Rom. 11.*
cti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersũ ramos. Q

si glo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis, non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, &c. Actus iste sic terminatur. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ dei quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Quod reliquum est epistolæ, mores instruit, & sanctæ religionis ornatum componit, obsecro vos, inquiens, fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. *Rom.18.*

Quòd hæc pauca de multis sufficiant ad experiendum, quia vas electionis magna intellectus gratia completum fuerit, & quòd licet prophetas & Apostolos idem spiritus docuerit, nonnihil tamen interfit.

CAPVT XXVI.

NOn præsentis erat propositi, totos huius tantæ tamq; diuinæ epistolæ thesauros perscrutari, sed illud ex qualitate eius experiri, quia verè Aposto. iste vas est electionis, & verè spiritus sanctus in eo vel super eum sapientiæ iucunditatem, & intellectus de quo loquebamur exultationem thesaurizauit. Illud tamen non prætereundum, cùm idem prophetas atque Apostolos spiritus intelligentiæ docuerit (pariter nanq; hi atque illi, non ab homine, neq; per hominem, sed spiritu sancto illuminante, sunt docti) multũ tamen interest, inter hos atq; illos, non quidem sensuũ qualitate, sed dictionis siue sermonis. Nam de illis veraciter dictum sit, tenebrosa aqua in nubibus aeris, quia obscurè scripserunt, & scripta sua quasi sub signaculo clauserunt, sicut vni eorum dictum est, liga testimonium, signa legem in discipulis meis, istis autem veritas dicit. Vos estis lux mundi. Quomodo enim lux mundi, nisi illuminando vt cognosceret mundus ea, quæ obscura erant, id est, clausa in lege & in prophetis? Quamuis enim subiunxit. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, nihilominus tamen propter lumen doctrinæ dixit. Vos estis lux mundi, & neque accendunt lucernam, & ponunt eã sub medio, sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt. Nam & cum dixisset. Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est, continuò subiunxit. Nolite putare, quòd venerim soluere legem aut prophetas. Non veni soluere sed adimplere. Quomodo adimpleuerit, vndè scimus nisi ex istis quibus dixit, vos estis lux mundi? Nam hæc potior pars luminis, & hic melior effectus huiusce lucis, quo illuminatur tenebrosa aqua, quæ erat in nubibus aeris, id est, occulta scientia, quæ erat in lege & prophetis. Hoc omnes faciunt isti, quibus dixit, vos estis lux mundi, & hic exempli gratia, Paulus apostolus cum in præscripta actione dicit. Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit. Ego ad æmulationẽ vos adducã in nõ gentẽ, in gentẽ insipientẽ, in irã vos mittam. Hæc enim cum dicit, penè totũ Deuteronomij canticum luce sua demonstrat, quid Christus veniendo adimpleuerit, vbi sic scriptum est. Et ego prouocabo eos, in eo qui non est populus, & in gente stulta iritabo illos. Ignis succẽsus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Et cõtinuò sequitur. Esaias autem audet, & dicit. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. Ad Israel autem, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Et hæc vtique dicendo amplum prophetiæ locum illustrat, & ostendit, quid propheta deplorauerit, ipsi autem inquiens, ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerũt spiritum sancti eius, vsque ad id, quod ait, ciuitas sancta tua deserta facta est Sion, facta est Hierusalem desolata, domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Hoc igitur non modicum interest, quòd illi quidem intellexerunt, hi autem sacramentum magnum pietatis & intellexerunt, & illorum intellectum aperuerunt. Illi, inquam, intellexerunt, non etiam annunciauerunt, hi autem annunciauerunt opera dei, & facta eius intellexerunt.

Psalm.17. *Matth. 5.* *Rom. 10.* *Deut. 32.* *Esa.65.* *Psal. 63.*

LIBRI DE INTELLECTV FINIS.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI. LIBER QVINTVS, DE CONSILIO.

De spiritu consilij, quòd verè iuxta Psalmistam Deus in consilijs super filios hominum terribilis sit.

CAPVT I.

Roma. 12. TErtius à spiritu sapiẽtiæ spiritus cõsilij iam nunc tota nobis mente, & renouata intentione adeundus est. Istic enim ipso nomine secretum, atq; profunditas significatur, quam & Apostolus magnoperè admirans, cùm dixisset, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incompræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, cõtinuò subiunxit. Quis enim cognouit sensum Domini. Aut quis consiliarius eius fuit? Agebat autem de mysterio illo, mysterio magnæ cæcitatis Israeliticæ, ita vt diceret. Nolo enim vos fratres ignorare mysterium hoc, vt non sitis vobisipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est. Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertet captiuitatem à Iacob, & cætera. Iure ergo super hoc admirans exclamabat, qa verè istud ex admirabili & arcano tremenda diuinitatis consilio procedebat. Nam & ante hunc super eodem mysterio propheta in psalmo vehementer admirans, cùm dixisset. Quam terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te & psallat tibi psalmum dicat nomini tuo, repête sic in clamorem prorumpit. Venite & videte opera Dei terribilis in consilijs super filios hominũ. In eo planè terribilia sunt opera tua Domine, quòd illi, qui prius fuerunt tibi populus peculiaris, deserti à spiritu veritatis, & facti inimici tui mentiti sunt tibi, quod tamen non nocuit, sed ad honorẽ tuum profecit, mentiti sunt, inquã, in multitudine virtutis tuæ, id est, in multis miraculis tuis, dicens. In principe dæmoniorum eijcit dæmonia, & corpus eius nocte sublatum est à discipulis, & econtrà illis mentientibus. Omnis terra adoret te deus. Omnes gentes veritatem loquantur tibi Deus.

Esaiæ 59. *Psal. 49.* *Lucæ 11.* *Matth 28.* *Psalm.63.*

De secreto eiusdem consilij Dei, quòd discretè abscondatur à sapientibus & prudentibus, & reueletur paruulis.

CAPVT II.

Psam.49. INuitati igitur huius clamore dicẽtis. Venite & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum, quomodo veniendum sit scimus, scilicet submisso corde, & humili spiritu. Consilium quippe est & iuxta morem consilij, non passim quibusq;, sed certis personis communicatur, vt aure apposita quippiam eorum percipiant, quæ publicè gesta siue gerenda seorsum & secreto disposuit opere super filios hominũ terribilis deus. Dixit enim ipse consilij Angelus, qui actu impleuit, & implet quod in eodem cõsilio disponebatur. Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quare? Videlicet quia sapientes & prudẽtes, qui à semetipsis sunt sapientes, & coram semetipsis prudentes, maleuoli, inquieti, & contentiosi, ac proinde indociles sunt. Et optimè nouimus, quia maleuolos atque contentiosos nemo sapiens ad suum consilium admittit. Econtra paruuli, id est, humiles eo ipso quòd humiles sunt, domino deo suo libenter acquiescunt, & ad omne quod loquitur, beneuolentiam cum taciturnitate præstant, summum arbitrãtes scelus obstrepere, & melioris reprehendere sẽtentiam, sicut scriptum est, Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Rationabiliter itaq; secreta sua deus ab eiusmodi sapientibus & prudentibus abscondit, nec magis illis sua mysteria, quàm porcis margaritas cõmittere dignum iudicauit, istis autẽ ea reuelauit. Proinde nosmetipsos ad paruitatem eorum applicantes audire & intelligere desideremus, qualibus de rebus consilium Domini est. *Matth. 11.* *1 Reg. 15.*

Quòd secundum scripturas oporteat bifariam distingui, quia cõsilio aliter Deus propter homines, aliter homines vtuntur propter Deum.

CAPVT III.

HIc iam scire oportet, consilium cuius de sancta scriptura tenorem vel vsum accipimus, bifariam distingui, quam secundum vtranque distinctionem sanctum spiritum veraciter dicimus spiritũ consilij. Primũ est, quo Deus propter homines ad gloriam suam vti dignatur. Secũdum, quo homines propter Deum ad gloriam ipsius & suam salutẽ sapienter vtuntur. Vtitur enim Deus propter homines consilio, dum quædam dudũ habita pro ratione temporis deserit, qualia fuerunt decreta priora Mosaicę legis, verbi gratia, circuncisio carnis, & cultus sabbati, cæteraq; huiusmodi. Hęc enim Deus ab hominibus accepit, & iustè deo exhibebant

Universidad de Deusto
Biblioteca

habebant homines sancti, nunc autem neq; deus ab homine accipit, neque deo iam exhibet homo sensatus aut fidelis. Nimirum q; & cũ cõsilio deus hæc dudum admiserit, & nihilominus hæc eadem cum cõsilio nuc reiecerit, postmodum nobis pro posse cum ipsius auxilio dicendum erit. Vtuntur homines consilio propter gloriam dei, dum non contenti abstinere ab illicitis, licita quo que respuunt, vt expeditius deo vacare possint. Verbi gratia, secundum quod Apostolus dicit, De virginib. præceptũ domini non habeo, consiliũ autem do, tanquam miseri cordiam cõsecutus à deo, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Item iuxta illud. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thezaurum in cælo, & veni sequere me. Et de hoc quoque suo loco dicemus. Nunc ad priorẽ, eandemque maximam partem accedamus, qua Iudæi cum sabbatis & cunctis ceremonijs suis relinquuntur, & gentes cũ fide sua mirabiliter in gratiam assumuntur.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

De illa maxima parte consilij, qua Iudæi cum ceremonijs suis relicti, & gentiles cum sua sunt fide recepti. CAPVT IIII.

Sicut & vos, inquit Apostolus, aliquando non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, propter illorum incredulitatẽ, ita & isti nunc non crediderunt in vestrã misericordiã, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit deus omnia in incredulitate, vt omniũ misereatur. Hæc cum dixisset, exclamauit, dicens. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? Multum exclamauit, & exclamatio hæc audita est vniuerso orbi. Et quam ob rem sic exclamauit? Quare nõ magis plano sermone prosecutus est, quod cœperat loqui? Sed quid cœperat loqui? Eo cõsilio vel intentione cõclusisse deum omnia in incredulitate, vt omnium misereatur, & hinc esse quod olim Iudæis credentibus nos gentes non credidimus, nunc autem nobis credentibus Iudæi non crediderunt in nostram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur, quòd & per euangelicam historiam pulchro & venerabili mysterio significatur. Venit, inquit, quidam de archisynagogis nomine Iairus, & videns eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum dicens. Quoniam filia mea in extremis est, veni impone manum super eam, vt salua sit, & viuat, & reliqua. Hęc puella quã do mortua est, annorum duodecim erat, & mulier illa, quæ accesit retro dum iret & tetigit fimbriam vestimẽti eius, annis duodecim in profluuio sanguinis fuerat. Itaq; quã do nata est hæc puella, tunc illa mulier sanguine suo fluere cæperat, & quando illa mulier à profluuio sanguinis sui sanata est, tũc puella hæc mortua est, per manum domini resuscitanda. Hoc, inquam, mysterio res illa significata est. Quando enim synagoga in Abraham, Isaac & Iacob nata siue vocata est, tunc gentilitas idololatriæ sordibus quasi sanguine suo fluere incipiebat, & quando gentilitas eadem ad Christum conuersa est, tunc synagoga morte infidelitatis mortua est, circa finem seculi, cum plenitudo gentium subintrauerit, ipsa quoque salua futura. Hoc est quod Apostol. ait sermone præscripto. Sicut enim & vos aliquando nõ credidistis deo, nunc autem misericordiam cõsecuti estis propter illorum incredulitatem, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam cõsequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur. Magna res, alta & profunda res, & maior, quam vt verbis consequi vel explanari possit sufficienter. Idcirco confestim exclamauit dicens. O altitudo diui tiarum sapientiæ & scientiæ dei, & ipsa exclamatione dormitantes excitare voluit, vt vigilantes atq; oculos aperientes ad lumen spiritus sancti, queramus aliqui quantum possumus, quod inuenitur à paucis, & à nemine totũ sicut est valet comprehendi, cur deus tantopere studuerit, misericordiã ædificare in nobis, & neminem nisi per consecutionem misericordiæ saluum esse voluerit.

Roma. 17.

Marc. 5.

De eadem re, & quod tota ferè vis consilij diuini eo tendit, vt omnis à nobis auferatur occasio superbiendi, & non audeat dicere figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic. CAPVT V.

Quid est, omnia deũ in incredulitate cõclusisse vt omniũ misereatur, nisi prouidisse deum, vt nemo aliter quam per misericordiam saluetur, & sic omnes à maligno superbiæ gladio liberentur? Hoc enim expediebat miseræ conditioni nostræ, vt omnis nobis occasio superbiendi tolleretur, quia per superbiam cecidit angelus, & factus est diabolus, quia per superbiam nihilominus cecidit homo ad imaginem dei conditus, & factus est diaboli seruus. Præcauens igitur in futurum deus, & obstruere volens omne os, vt non glorietur omnis caro coram illo, reppulit plebem in carne Abrahæ gloriantem, veruntamen non plebem suã quã præsciuit. Sic enim Apostolus dicit. Nunquid reppulit deus populum suum? Absit. Nam ego Israelita sum, ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin. Non reppulit Deus plebem suam quam præsciuit. Et prẽmisso responso diuino, dicentis. Reliqui mihi septẽ milia virorum, qui nõ curuauerunt genua ante Baal, sic ergo, inquit, & in hoc tẽpore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factę sunt. Dicamus ergo quod amplius, quòd

Roma. 11.

quod mirabilius est, eo quod dicebamus deum cum consilio agentem reppulisse in carne Abrahę gloriatã, quia permisit nasci plebẽ carne Abrahæ qualem merito repelleret, & iuxta prophetam vocaret nõ plebem suam, id est, non pertinentem ad illam benedictionem, qua primis hominibus benedicens dixit. Crescite & multiplicamini, sed ad illam vindicis iræ sententiã, qua dixit mulieri post peccatum, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Nunquid hoc tempore primum, quando Christus venit, de carne Abrahæ nasci cœperunt, qui non pertinerent ad illum, quem præsciuit & prædestinauit deus plebis suæ numerum? Nonne & Rebecca ex vno concubitu habente Isaac patris nostri, inquit idem Apostolus, cum nondum nati fuissent aut aliquid egissent boni aut mali, vt secundum electionem gratiæ propositũ maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Tam citò post Abraham ex vnico Abrahæ vnigenito Saræ, qui per promissionẽ natus fuerat, tam recenti, tamque nouitio semine eiusdem Abrahæ natus est is, qui non pertineret ad illam quam præsciuit deus plebem suam, & cum non nisi duos generaret, tantus vir nequaquam ambos electos aut dilectos generare potuit. Non ergo quo tempore Christus venit, tunc primum deus nouum inijt consilium, vt ex carne Abrahæ nasci permitteret eos, qui non pertinerent ad electorũ numerum, sed hoc antiquum eius erat consilium, præscientis in futurum, prouidentis electis suis modis omnibus, vt non incidant vltra in diaboli iudicium. Verũ isto tempore, idipsum consilium magis reuelatũ est. Nam econtra plebem suam quam præsciuit, ex omni plebe sua nasci facit, & suscitat filios Abrahæ de lapidibus istis. Reuelatum, inquam, est cõsilium illud, nam etsi comprehendi non potest, tamen non omnino ignorari potest, dicẽte eodem Apost. Nolo enim vos ignorare fratres mysteriũ hoc, vt non sitis vobismetipsis sapiẽtes, quia cęcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentiũ intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Vtrobique sua potestate non iniustè vtitur, vt pote nulli quicquam debens, quia in Adam omnes peccauimus. Si ergo irreuerenter discutias, dicens, quid adhuc quæritur, voluntati enim eius quis resistit? quia cui vult misereri, & quẽ vult indurat, & subaudiri velis, nullis causis existentibus, nihil tibi de consilio suo spiritus sanctꝰ reuelare dignatur, sed deas deo? Nunquid dicit figmentũ ei, qui se finxit, vt quid me fecisti sic? An nõ habet potestatẽ figulus luti ex eadẽ massa facere aliud vas in honorẽ, aliud verò in contumeliã? Ita remoto sapiente & prudente, cui propter superbiã meritò hæc abscondũtur, ad paruulũ se inclinans, volens, inquit, deus ostendere, & notam facere potẽtiam suam, sustinuit in multa patiẽtia vasa irę, apta in interitum, &c.

Genes.

Ibidem 3.

Roman. 9.

Malac. 11.

Roman. 11.

Roman. 9.

Hiere. 18.

Eccles. 38.

De eo quod sicut in actibus Apostolorum scriptũ est, non fuit consilij, non visum est spiritui sancto imponere gentibus iugum legis cæremoniarum grauissimum. CAPVT VI.

Intrante itaq; vel intrare incipiente gentium plenitudine, non fuit consilij, nõ placuit sancto spiritui grauissimũ cęremoniarũ iugum imponere, quæ prius legis erant, sicut in actibus Apostolorum scriptũ est. Et quidam descendentes de Iudęa, docebãt fratres, quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis salui fieri. Item: Surrexerunt aũt quidam de hæresi phariseorum, qui crediderant, dicentes, quia, oportet circũcidi eos, pręcipere quoq; seruare legem Moysi. Conueneruntq; Apostoli & seniores vide re de verbo hoc. Cum autem magna cõquisitio fieret, surgẽs Petrus, dixit ad eos. Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit deus per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere. Et qui nouit corda deus testimonium perhibuit, dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificãs corda eorum, &c. Illi conuentui sanctus spiritus interfuit, & ipse magnam illam conquisitionem bene nobis consulẽdo terminauit. Qua propter eiusdem spiritus auctoritatẽ conuẽtus idem magnificè satis hoc modo deprompsit. Visum enim est spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hęc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ & sanguine & suffocato & fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis. Valete. Liberati ergo sumus auctore spiritu sancto, spiritu consilij, vt non imponeretur iugum illud ceruicibus nostris. Quare? Nimirum, quia grauissimum erat quemadmodum Petrus ibidem dicit. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Verum hoc ad causam parum erat, quod iugum importabile fuit, nisi addas quod itidem dicũt, quia nihil ad perfectum adduxit, quodq; & alibi Apostolus ait. Munera & hostię quę offerebantur, non poterant iuxta conscientiã perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus, & varijs baptismatibus & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis. Sed & hoc parũ est scire, quòd non potuerint vel non possint perfectum facere, nisi & hoc addas ad scientiam, quòd nec perfectionis initium possit habere, quisquis putauerit se absque illis posse peruenire ad perfectionem iustitiæ. Nam de eo quod omnium sanctissimum tunc temporis fuerat, id est, de signo circuncisionis idem Paulus terribiliter clamat. State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis,

Actor. 15.

Hebr. 7.

Ibidem 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

co vobis, quia si circũcidamini, Christus vo
Galat. 5. bis nihil proderit. Testificor autem omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Euacuati estis à Christo. Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Concedimus gaudẽtes & indubitanter credimus, quia in Paulo Christus loquitur, quia in prædicto Apostolorum conuentu locutus est spiritus sanctus. Et ipsa quidem loquẽtis in isto & in illis vel sola sufficit auctoritas, veruntamen quoniã & ratio delectat, non præteribimus rationabiliter ostendere circuncisionis & omniũ cęremoniarum legem debuisse cessare venientę gratia. Et de circuncisione primum dicem⁹, licet alijs iã locis pleni⁹ de ea dixerimus.

Quod veniente gratia Euangelij, rationabiliter circũcisionis & omnium cæremoniarum carnaliũ lex cęssare debuerit.

CAPVT VII.

CIrcuncisionis causa fides erat futuri seminis, quod est Christus. Quid enim Abraham credidit, hæredem non habens, vxore vsque ad suam & ipsius senectutem sterili, nisi quia in semine eius benedicerentur omnes gentes, quodq; foret semen eius sicut
Roman. 4. stellæ cæli? Hoc ille dicenti deo credidit, nõ considerans corpus emortuum, cum ferè cẽtum esset annorum, & emortuam vuluam Sarę, & huius fidei signum circuncidendo accepit. Hoc ipsum & Apostolus confirmat, signum, inquiens, accepit signaculum iustitiæ fidei. Ergo circuncisionis causa fides erat futuri seminis, id est, Christi, etenim circunci di erat futuri Christi expectationem profiteri, & ad hoc (vt veniente Christo per fidẽ, cuius illud signũ erat, recuperaretur eis illa quam in Adam perdidimus omnes, possessio paradisi) valebat, si tamen legem seruarẽt mandatorum, quæ in tabulis scripsit digitus dei, quemadmodum & sępè dictus Apostol. temporis illius Iudæo dicit. Circuncisio qui
Roman. 2. dem prodest, si legem obserues. Si autẽ præuaricator es legis, circuncisio tua pręputium facta est. Ecce autem, quod expectabatur semen, id est, Christus, venit, & hoc omnis spiritus confitetur, qui ex deo est, quia ille in carne venit. Hoc nemo potest dissimulare, quamuis pertinaciter velit, quia ille in sole posuit tabernaculum suũ, vt latere non possit, sicut sol conspicuus in arce cæli non potest abscondi, quia cęli quoque enarrauerũt, & non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiãtur voces eorum, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis
Psalm. 18. terræ verba eorum. Circũcisio igitur in carne, quo signo expectationem venturi profi-
Matth. 21. tebantur, cessare debuit in aduentu eius. Nã
Ibidem 2. exinde quisquis circunciditur ipso circunci-
Actor. 5. sionis charactere, negat venisse illud promissũ semẽ Abrahæ, & ita negat eum qui venit benedictus in nomine domini, qui de Maria virgine natus est in Bethleem Iudę in diebus Herodis regis, qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, & tertia die resurrexit, extra quem in alio aliquo nõ est salus, neq; enim est aliud nomẽ sub cęlo datum hominibus, in quo oportebat nos saluos fieri. Verisimè itaque Apostolus. Si circucidamini, inquit, Christus vobis nihil proderit, quia qui circũciditur, Christũ negauit. Circuncidẽdo se Iudęi negant illũ, qui venit in nomine patris sui, alius veniet in nomine suo, illum suscipient. Proinde præeunte auctoritate spiritus sancti, cui visum est, vt supra diximus, non imponere nobis quicquã oneris, nihil excipiendo, ne saltem onus circũcisionis, ratione quoq; firmum tenemus, quòd non debeamus circuncidi.

Galat. 5.

Quòd sabbata cæteraque festiuitates Iudæorum oderit anima domini, vt in prophetia dicit, & idcirco rectè visum sit spiritui sancto, vt nõ imponerẽtur.

CAPVT VIII.

POrrò de onere sabbati, aliarumq; festiuitatum, cur visum sit spiritui sancto, vt nõ imponeretur nobis, illa vel sola causa sufficit, quia & iusto odio iam dudum illas odit anima domini. Sic etenim in Esaia dicit, Neo
Esaiæ 1. menias & sabbatum & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cætus vestri. Calendas vestras & solẽnitates vestras odiuit anima mea, facta sũt mihi molesta. Quare? Manus enim, inquit, vestræ plenæ sunt sanguine. Ergo ne & nos pariter cum sabbatis & solennitatibus illis veniamus in odium animæ domini, bene visum est spiritui sancto, & consiliũ eius nos approbamus, vt abdicemus stercora vel dedecora eiusmodi, quę prius pro lucro erãt, antequã polluerẽtur sanguine Christi, quo manus suas iniquas ille cœtus impleuit. Sed nunquid, aiunt, stare non debet quod Deus statuit, & immobile esse præceptũ quod posuit? Fatemur quia debet, neque enim Deus quasi homo est vt mentiatur, aut vt filius hominis vt mutetur. Ad hæc illi literæ amici.
Num. 23. Scriptum est, inquiunt, quia compleuit deus
Genes. 1. die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat. Coarctare igitur nos cupiunt, vt non diffiteamur stare debere, semperque legitimum esse sabbatum suum. Verum interim negare nequeũt, quoniam deus de quo Moyses hoc narrat, quia benedixit diei septimo & sanctificauit
Esaiæ 1. illum, ipse sit quia in Esaia dicit, Neomenias & sabbatum & festiuitates alias non feram, Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea. Quid igitur consequitur, nisi differentia esse sabbata, alterum quidem placitum, alterum autem animæ dei odiosum? Nimirum aut istud, aut quod in nos crimina bantur deum qui immutabilis est mutatum, sibique factum esse contrarium fatebuntur. Verum hoc dicere non audent, & illud videre non sustinent, quod duo sabbata sint, vnũ carnale,

carnale, quod deus secũdum tempus vel vsque ad tempus correctionis imposuerit, & vnum spirituale quod statuit in æternum, & in seculum seculi, cuius in tabulis quoque lapideis præceptum posuit, & non præteribit, fugiunt igitur auersi, & illam habentes passionem quæ significabatur, quando fugiebant timentes claritatem non velatam vul-
Exod. 34. tus Moysi. Quicquid enim de splendore spiritus obiecerimus illis, vrit & cruciat oculos inuidentis populi, solaque illis litera placet, maximè vbicunque gloriam Christi velare potest. Nos autem sicut duo ex lege & prophetis sabbata cognouimus, ita & cur illis sub figura carnalis sabbati, spirituale sabbatum absconderit, & cur à nobis vnum tantũ & nudum spirituale sabbatum exigat, nosse debemus.

Quòd deo alia cum Iudæis fuerit, alia cum nobis gentibus ratio sit, & quòd ferè cunctæ festiuitates illorum causas terrenas habuerint.

CAPVT IX.

DIcamus igitur, quia nimirum alia Deo fuit cum Iudæis, alia cum nobis gentibus ratio est. Neque enim Christus dei filius in hunc mundum aduenies, & nos gẽtes ad suam inuitãs fidem, terrena præmia proposuit, non terras quas nõ habebamus dedit, nihil omnino carnale, sed cũcta spiritualia bona proposuit aut præstitit. Illis terras proprias non habentibus, imò & in Aegypto seruientibus, atque pro peccato, quo fratrẽ suum Ioseph vendiderant, indignis accipere repromissiones, quas patribus eorum promiserat, deus terram dedit satis bonam, terram localem, locumque terrestrem, dedit, inquã, regiones gentium, & labores populorum possederunt. Nec verò tales erant, qui vel spiritualibus atque inuisibilibus bonis ad iustitiam allicerentur, vel spiritualibus atque inuisibilibus malis ab iniustitia deterrerentur. Idcirco in tota lege quæ illis de Aegy-
Genes. 37. pto exeuntibus scripta est, nusquam promissiones paradisi, aut comminationes audiuntur inferni, sed pulchræ atque canoræ promissiones terræ optimæ, terræ lacte & melle manantis, duræ atque formidabiles carni, comminationes bellorum & famis, malarum bestiarum & captiuitatis. Nobis, imò tam nobis, quam illis, quoscunque verus agnus dei, suo sanguine redemit, & ad fidem suam vocauit, sola cælestia vel spiritualia bona proposuit, nec enim terram, sed cælum sequentibus se dedit, vel expectare iussit, ideoque carnalia nulla, sed tantum spiritualia festa, nulla terrena, sed tantum cælestia sabbata nos sibi debere indicauit, teste spiritu sancto, spiritu consilij, qui nobis in illo quem
Actor. 15. prædiximus Apostolorum conuentu bene consuluit. Debuerint carnalia festa, carnalia sabbata, carnales Iudæi, quibus carnalia bona, terrena præmia, pro legis obseruatione quando scribebatur, deus proposuit. Tendebant ad diuitias huius seculi, ad possessiones agrorum aut vinearum, cunctasque facultates huius mundi, & ideo rectè respicere iussi sunt ad literalem festiuitatem creationis mũdi, vt septimo die sabbatizarent, quia Deus septimo die requieuit, quia dixi septimo benedixit, eumque sanctificauit. Plena luna, contrito iugo seruitutis, exierunt de terra Aegypti, liberati à seruitute, non peccati, sed hominis, non diaboli, sed Pharaonis carnei, & idcirco rectè illis vectigali celebritate luna illis festiua fuerit atque solennis, quia buc cinauerunt in Neomenia tuba, & hæc illis cõ
Psalm. 80. putata sit insignis dies suæ solennitatis. Habitauerũt in tabernaculis, educti de illa domo seruitutis, & idcirco magnam habuerunt mẽsę septimo festiuitatem tabernaculorum, habitantes in vmbraculis, & in illo schemate recolentes, & concelebrantes magna quidem, sed terrena atque temporalia beneficia Dei. Nobis (vt iam dictum est) nihil tale, sed cuncta cælestia bona præstitit Euangelium Christi, & idcirco debitores sumus festorum cęlestium & spiritualium sabbatorum gratię Saluatoris, qui nos à spirituali Pharaone liberauit, & à seruitute peccati redemit, atque per passionem & crucem suam in terra viuentiũ introduxit, & cælorum nobis prædia contulit. Igitur quia non in figura huius mundi quæ præterit, sed in spe resurrectionis, cuius princeps est ipse, nobis gaudendum esse persuasit, non septima die qua deum requieuisse, carnali sensu somniant amatores mundi, otio torpere debemus cum illis, sed prima die, quæ & ipsa octaua est, qua ille in spem & in salutem nostram resurrexit, vacare oratio ni, & audiendo verbo dei, illud summa cura prouidens, vt tam in illo quàm cæteris dieb. feriati semper simus à seruili opere peccati.

Quòd præter solennitatem pentecostes, terrenas cunctæ illorũ festiuitates causas habuerint, nostræ autem causæ vel promissiones Euangelij cælestes sint.

CAPVT X.

VNa erat illius populi festiuitas, vna, inquam, ex tribus solennitatibus maioribus, quæ dicitur pentecoste, id est, quinquagesima, quæ & vocatur festiuitas hebdomadarum, eo quod septima ab immolatione agni completa hebdomada sequenti die, qui erat quinquagesimus, celebratur, de qua rectè concedi oportet, quod causam habuerit magis sacram, magis spiritualem, magisque diuinam. Nam magna quidem beneficia dei fuerunt, quod à Pharaonis dominatione liberauit deus populum illum, quod introduxit eos in terram pro qua iurauit patribus eorum, sed maximum atq; optimũ fuit, quod pepigit fœdus cum eis, vt esset Deus ipsorũ, legemque dedit in tabulis, scriptam digito

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei. Cætera bona quidem, sed terrena atque transitoria fuerunt, hoc bonum & optimũ, quia sempiternum. Veruntamen hoc in eodem bono minus lucet, & in comparatione perfectionis, subobscurum est, quia scriptæ legis in eodem monte non viuificantem spiritum, sed solum occidentem literam professi sunt. Nec verò deus professionem spiritus eiusdem ab illis inibi exegit, aut exigere debuit, quibus non spiritualia, sed tantum terrena, quibus non regnum cælorũ, sed terram Chanaan proponebat in præmium ineundi fœderis vel suscipiendę legis. Ergo sola quidem (vt iam dictum est) solennitas pentecostes veri boni causam aliqua ex parte habebat, cæteræ omnes ignobiliorem de terra ducebant originem, modisque omnibus populum illum, sensu puerum testabantur, mundi amatorem. Apud discipulos Euangelicæ gratiæ, tale quid omnino illicitum est, gaudere scilicet vel diẽ festũ ducere propter successus temporales. Nimirum cum sit disciplinę Christianæ, contemnere præsentia & amare futura, atque in contritione mundi leuare capita, id est, exhilarare corda nostra, quomodo consequens esset suscipere nos festa Iudaica, quæ non nisi præsentia temporalium bonorum respiciunt gaudia. Proinde cũ pdicto spiritus sancti cõsilio, cui sic visum
Actor. 15. est in illo Apostolorũ conuentu, vt nihil horum nobis imponeretur confidenter ea contemnimus tanquam iugum seruitutis cum simus liberi & adoptionis filij, quemadmo-
Roma. 8. dum Apostolus dicit. Non accepistis spiritũ seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus,
Galat. 4. abba pater. Item: Quanto tempore hęres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, ita & nos cum essemus paruuli sub elementis
Galat. 5. mundi eramus seruientes. Itemque post alia. State ergo, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.

Quod multo magis nec hostijs legalibus inseruire debuerimus, eò quòd nec aliquando illas deus se quæsisse, vel iussisse, per prophetas testificetur.

CAPVT XI.

QVid tandem de hostijs & muneribus dicemus, nisi quod verum est, quia multo magis nec illis seruire debuimus? Etenim circuncisionis, & festorum dierum fuerit aliquando venerabilis traditio, videlicet, quia circuncisionem deus Abrahæ & semini eius dedit, & ipsum sacra scriptura sabbatismo qualicunque sabbatizasse non tacuit, dicendo, quia septimo die requieuit. Verum de
Genes. 1. immolandis carnibus taurorum, de sanguine hircorum & arietum, quæ vnquam apud sapientes fuit vel esse potuit gloriatio, cum neget deus hæc incœpta fuisse sua voluntate vel præcepto? Loquitur enim in Hiere. Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cũ patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc verbũ præcepi eis, dicens. Audite vocem meam, & *Hierem. 7.* ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt bene sit vobis. Hoc verè deus in isto dixit. Nam & in Exodo sic scriptũ est, quia *Exod. 20.* cunctos quidem sermones hos locutus est dominus. Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me, &c. vsque ad id quod ait. Si seruieris dijs eorum, tibi certè erunt in scandalum. Altare autem ædificauit Moyses ad radices montis, misitque iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta, imò laueruntque victimas pacificas, domino, vitulos duodecim, & non est scriptum, quod dominus locutus fuerit aut *Esaiæ 1.* iusserit. In Esaia quoque idem dominus dicit. Holocaustum arietum & adipem pinguium & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui, cum veniretis ante conspectũ meum, quis quæsiuit hęc de manibus vestris? Amplius autem in Dauid, quem & pro *Psalm. 49.* phetica gratia, & regia ad loquendum roborabat auctoritas, idem deus eadem sacrificia reprobat. Non (inquit) accipiã de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Et subinde. Nunquid manducabo carnes taurorũ, aut sanguinem hircorum potabo? Igitur holocausta vel sacrificia illa, non tam iussa fuere, quam permissa, & idcirco facilius illa contemnimus, præsertim quia sic visum est spiritui sancto, sicut supra iam diximus. Nec ve- *Actor. 15.* rò hoc solũ dicimus aut intelligimus, quòd per consilium nobis illa sanctus amouerit spiritus, imò quod amplius est, illud dicere non dubitamus, quia per consilia illa sibi olim fieri permiserit deus, ne scilicet populus carnalis & lubricus, dum à consuetis in Aegypto sacrificijs omnino arceretur, ploraret vt puer sub pedagogo nimium seuero, ludis omnnibus abactus, citiusque fugiens in Aegyptum reuerteretur, vel deos sibi quæreret, apud quos consuetas carnes immolare sibi licitum foret. Cum autem in eodem Moyse legitur quippiam deus disposuisse de sacrificijs eiusmodi, nó est contrarium eis quæ loquitur in iã propheticis dictis, quia videlicet longè aliud est illa quæsisse de manibus eorum, aliud eorum quæ immolare consueuerant ordinasse ritum, vt qui verum nondum habebant, nec habere poterant sacerdotem aut sacrificium, saltem vmbram, eius præferent illo ritum signante affuturum.

Quòd bene spiritui sancto visum sit iudicando nõ debere nos super talibus inquietari tantum vt abstineamus nos à contaminationibus siue immolatis simulachrorum,

& fornicatione & suffocatione & sanguine.

CAPVT XII.

RAtionem itaque non omnino ignorantes, cur itaque spiritui sancto visum sit, & cur ab illa circuncisione, & seruanda carnaliter lege Moysi nos prohibuerit, exceptionem amplectimur liberalem, quam fecerunt cum illo nobis consulti & bene consulentes Apostoli, dicendo atque iudicando, non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad dominum, simulque conscribendo ad eos, hoc tantum vt abstineant se à contaminationibus, siue, vt infrà scriptum est, ab immolatis sacrificiorum, & fornicatione,
Actor. 15. & suffocatis, & sanguine. Hoc pro illa parte quęstionis dictum atque scriptum est, quæ sic posita fuerat, dicendo, quia oportet circũcidi eos, siue nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari. Porrò de illa parte quæ sic mota fuerat, vt scriptum est, ibi præcipere quoq; seruari legem Moysi, non necessarium iudicare aut scribere arbitrantes. Moyses enim (inquiunt) à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur. Tanquam dicerent. Pro circũcisione, quæ ante Moysen data est, patribus nostris necessariò iudicemus & scribamus, nã hoc bene iudicato bene perspecto aut demonstrato, quæ vel in quo sit vera circũcisio, perspicuum erit eis, quomodo seruare debeant posteriùs datam legem Moysi.
Ephes. 2. Hoc intendentes, verumque Iudaismum, at
Coloss. 2. que perfectam circuncisionem aspicientes, quę non in manifesto, siue in carne, sed in spiritu existit, abstineant se (aiunt) à contaminationib. simulachrorũ à fornicatione, suffocatis, & sanguine. Qui enim hæc dicunt, manifestè confirmant circuncisionem illam in
Roman. 4. carne, non solum iustitiæ fidei, vt Apostolus Paulus ait, sed & moralis iustitię fuisse signũ. Et quidem antequam veniret semen quod repromissum erat, id est, Christus, necessariũ erat, vt supra diximus circuncidi carne, vt signo venturi seminis fidem se habere profiterentur, ita tamen, vt & circuncisione non ca-
Roman. 2. rerent in spiritu, vt scilicet neque à deo spiritualiter, in corpore suo carnaliter fornicarẽtur, secundum quod iam dictus Apostolus, Circuncisio, inquit, prodest, si legem obserues. Idem enim ac si diceret. Circuncisio signum castitatis & fidei tunc demũ prodest, si non forniceris fornicatione spiritus à deo recedentis, fornicatione corporis carnem corrumpentis. At vbi venit semen illud, circuncidimur, & circuncidi debemus tantũ in spiritu, id est, abstinere à fornicationibus, quia circuncisio inquit, nihil est, & præputiũ nihil est, sed obseruatio mãdatorum dei. Veram igitur circuncisionem prædicantes, atque scribentes, sine qua reuera saluari nõ possumus, bene iudicauerunt, necessariò abstinere nos ab immolatis simulachrorum, quòd est circuncidi spiritu, vt scilicet anima nostra deo vero per fidem copulata, iã post idola non fornicetur, abstinere nihilominus nos à fornicatione, scilicet carnis, qua corpus corrumpitur, & velut incircuncisum atque immundum meritò iudicatur. Vtriusque fornicationis siue incircuncisionis causa esse solet nimia atque sordida voracitas, quam intendentes, à suffocatis inquiunt, & sanguine. Nẽpe à sorbitione cruoris, quæ horror est nimiæ voracitatis, atque sordissimæ ingluuiei. Itemque suffocare, id est strangulare pecus ad deuorandum beluarum atque ferarum est, quas insania ven- *Exod. 32.*
tris inordinatè atque irrationabiliter ad in- *1. Cor. 10.*
uadendum, ad deuorandum impellit. Gulam itaque siue ingluuiem ventris, vnde vtraque solet nasci fornicatio, sicut scriptum est, sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere, breui quidem, sed acuta circunciderunt dictione, dicendo, à suffocatis & sanguine, id est, ab omni turpi & inordinata deuoratione.

Quanta alibi seueritate fornicationem, & idololytha singulis suis persequuntur scriptis.

CAPVT XIII.

SVauiter quidem & cum spiritu mansuetudinis de illo sancti spiritus consilio, vel de illo consilij spiritu sancto processit hoc dictum siue scriptum, vt non fornicemur, & vt ab immolatis simulachrorum abstineamus, sed & huic mansuetudini non obtemperantibus virga parata est. Dicit enim vnus *2. Ioan. 5.*
ex illo conuentu notæ charitatis, & mansuetudinis Apostolus. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite accipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui n. *1. Cor. 4.*
dicit illi, Aue, communicat operibus eius ma- *1. Cor. 5.*
lignis. Item quòd alius cũ dixisset, quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis, continnò, quia causa postulabat, virgam exerens. Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorẽ patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctũ habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Hac increpatione præmissa, confestim dicendo percutit, & percutiendo dicit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui eum, vt præsens, qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute domini Iesu tradere huiusmodi satanæ. Et hanc ipsam virgæ percussionem non de furore, sed de consilio procedere satis indicans, tradere huiusmodi satanæ, continuò subiunxit, In interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Nã & hoc

est de antiquo cõsilio sapientiæ dicentis, Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Illo suæ percussionis exemplo sanctam esse volens disciplinæ seueritatem, scripsi vobis, inquit, ne commisceamini fornicarijs. Et exponens quid dixerit, & determinans de quibus fornicarijs scripserit, continuò dicit. Non vtiq; fornicarijs huius Mũdi, sed si is, inquit, qui frater appellatur, sit fornicator, aur auarus, aut idolorũ cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Non igitur leuiter accipiendum quod in illo conuentu, in illo sancti spiritus consilio tam suauiter dictum aut scriptum est, quippe cum non soli qui illa faciunt, sed & inter quos facta sunt, virga percutiantur apostolica, si non separẽtur, si non luctum & ipsi habeant, & seuerissimè pœnitentiæ fornicatores subijciant. Et de fornicatione quidem vnus idemque omnibus sensus est, quia inquinat, & munda conscietia nullatenus admitti potest. De his autem quæ idolis immolantur, diuersitas sẽsuum quæstionem mouerat eidem Apostolo, vt diceret. Scimus quia nihil est idolum in mundo. Item. Scimus quia omnes scientiam habemus. Sed scientia inflat, charitas verò ædificat. Itemq; post multa. Quid ergo dico, quòd idolis immolatũ sit aliquid, aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non deo. Tandẽque quæstionem siue litem eandẽ certa discretione dirimens, si quis, ait, vos vocat infidelium & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autẽ dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite mãducare propter illum qui indicauit & propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius, subauditur ne in errorem inducatur, quia videlicet quanuis ab idoli deuotione tua conscientia sit libera, cauendum tamen est tibi, ne putet alter quod venerationis causa edas idolis immolata. Nam hoc intendens, & ad cautelam hanc instruens, superius dicebat. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta & peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Et continuò bonum & salutare suo cum exemplo satis temperanter consilium porrigens, quapropter, inquit, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in ęternum, ne fratrem meũ scandalizem.

Prou. 23.
1. Cor. 5.
1 Cor. 5.
1. Cor. 10.
1. Cor. 8.

Quomodo quasi per consilium Petrus cæremonias Iudaicas seruari oportere indicauerit vel simulauerit, & quomodo per veritis consilium illi Paulus in faciẽ restiterit, nec tamen sibi contrarius fuerit, vbi Timotheum circuncidit, & purificatus Iudaico more intẽplum cum oblationibus intrauit.

CAPVT XIIII

INterea dũ adhuc recens innotuisset istud spiritus sancti consilium de non curandis mortuis mortuorum cæremonijs Iudæorũ, nitebantur homines pij, scilicet Apostoli suum eidem consilio dei sociare vel permiscere consilium, in tantum, vt Petrus (qui ante alios vel pro alijs omnibus locutus fuerat, ea quæ supra dicta sunt) adduceretur in simulationem, non ausus hocipsum, quod spiritui sancto visum fuisse dixerat, actu sequi palam. Sed arguit eum idem spiritus consilij per os alterius, per fortitudinem humilem, fortemque humilitatem Apostoli nouitij, Apostolorum minimi Pauli, sicut idem ad Galatas scribens ait. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim, quàm venirẽt quidam ab Iacobo, cum gentibus edebat. Cũ autem venissent, subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex circuncisione erant, & simulationi eius consenserunt Iudæi cæteri, ita vt Barnabas duceretur ab eis in eandem simulationem. Sed cum vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem euangelij dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cum Iudęus sis gentiliter, & non Iudaicè viuis, quomodo gentes cogis Iudaizare? Ita principi Apostolorum, in faciẽ restitit nouissimus Apostolorum, magna libertate spiritus domini vtens, ad confirmandum illud, de quo hactenus loquebamur eiusdem spiritus consilium. Atidem & Timotheum circuncidit, propter Iudæos, inquit scriptura, qui erant in illis locis, sciebãt enim omnes quod pater eius gentilis esset. Itemq; assumptis viris quibus impenderat, vt raderent capita sua, postera die purificatus cum illis intrauit in templum annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorũ oblatio. Ergo ne ipse fecit quod in Petro redarguit, aut quod ipse faceret, in maiore redarguere debuit? Non vtique neque ipse fecit, quod in Petro redarguit, neq; enim gentes Iudaizare coegit, quod solum vel maximũ in Petro redarguit. Dixit enim. Si tu cũ Iudæus sis, gẽtiliter & nõ Iudaicè viuis, quomodo gentes cogis Iudaizare? Ipse gentes Iudaizare non coegit, sed in semetipso Iudaismum pro necessitate pertulit, factus Iudæis tanquã Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret, quippe qui sicut quodam loco testatur, optabat anathema esse à Christo pro eisdem fratribus suis. Non, inquam, Gẽtes Iudaizare coegit, quod factum in Petro redarguit. Nam & illi qui dixerant ei, sunt nobis viri quatuor votũ habentes super se, his assumptis sanctifica te cũ illis, &c. Cõtinuò subiunxerunt. De his aũt qui crediderunt ex gentib. nos scripsimus iudicãtes vt abstineãt se ab idolis immolato & sanguine & suffocatu, & fornicatione. Vera igitur & iusta reprehẽsio qua Petri simulationẽ arguerat, & non parũ ad cõfirmationẽ cõsilij dei sic reprehẽdendo cõtulerat.

Actor. 15.
Galat. 2.
1. Cor. 9.
Roman. 9.
Actor. 21.

De excidio

De excidio Hierosolimorum & euersione templi, & dispersione Iudæorum, quod cum consilio Dei actasit.

CAPVT XV.

SEd quantula comparatio fuit comparatione maioris? Maior enim multitudo cõfirmatio successit Quænam illa extitit? Excidium miseræ ciuitatis, euersio atque incendium templi augustissimi, tantum, tamq; rui nosum ciuitatis, & templi excidium, vt non remaneret lapis super lapidem, qui non destrueretur, tanta vniuersæ patriæ clades, totiusq; gentis cædes, vt caderent in ore gladij, & captiui ducerentur in omnes gentes. Legat, qui vult, miserabilẽ illius excidij tragœdiam à Iosepho cõscriptam, & scire poterit, non alio nisi deo auctore Iudaicæ gloriæ cecidisse superbiam, ob confirmandam atque fulciendam euangelicæ humilitatis gratiam. Nam si ciuitas illa in gloria pristina perstitisset, si gens illa in templo suo cõsuetis hostijs insistere permissa fuisset, quanto putas scandalo credentibus in Christo extitisset? Igitur sic veraciter dictũ est, Illi autem profecti prędicauerunt vbiq; domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis, sic & nos parua mutatione de vicina re vel rei eiusdem maxima parte indubitanter dicamus: Verè spiritui sancto visum est, & verũ Apostoli spiritus sancti consilium contulerunt ad consolationem gentium, domino Iesu, & eodem spiritu eius cooperante, & consilium confirmante, sequente ruina ciuitatis, & templi, atq; dispersione Iudæorum. Nã ad idem consiliũ reuera & illud pertinet, quòd non omnes Iudæi fame & gladio Romanorum in illa famosa obsidione, atq; horrendo excidio interierũt, sed aliqui superstites fuerunt, qui captiui in omnes gentes eadem captiuitate, vel dispersione sua præclarum in toto orbe veritati euangelicę perhiberent testimonium, secundũ illum Psalmi quinquagesimioctaui versiculum. Dominus ostendit mihi sup inimicos meos, ne occidas eos, nequãdo obliuiscantur populi mei, disperge illos in virtute tua. Illũ quippe Psalmũ orat Christus, in illo Psalmo loquitur Christus, verus Dauid, id est, manu fortis siue desiderabilis, quem vsque ad mortem persecutus est Saul, id est, populus ille inuidus, secundum eiusdem Psalmi titulum. In finem ne corrũpas ipsi Dauid, in tituli inscriptione, quando misit Saul ad custodiendam domum eius, vt interficeret eum. Et est prædicti versiculi sẽsus. Consideranti mihi super inimicos meos Iudæos ostendit deus, vt pro eis orẽ ita. Domine ne occidas eos, id est, ne penitus à terra euellas eos. Quare? Videlicet, ne quando populi ad confitendum conuersi obliuiscantur mei, quod pro eis natus & passioni addictus fuerim, & sic eos redemerim. Et hoc idẽ est, ac si dicat. Idcirco Iudæi tua gratia viuere permittantur, vt etiam eorum testimonio fides meorum certior habeatur. Aliter enim Psalmi & totum vetus testamentum multis quasi figmenta viderẽtur. Ne igitur occidas eos. Sed quid? Disperge illos, subauditur vbique terrarũ, in virtute tua, i. in potentia tua. Notandum itaq;, Iudæorum dispersionem, per diuini consilij factam esse dispensationẽ, idcirco, vt non tantum in vno loco, sed in omni terra fidem gentium confirmarent, dũ eum à parentibus suis crucifixum fuisse asserent, & scripturas in quibus nobis promissus fuerat, sese habere non denegarent, imò tanquã capsarij nostri scripturas easdem in vsum nostrum circunportarent.

Luc. 21.
Marc. 16.

Quòd nobis propter deum consilio vti, sit facere aliquid vltra quàm ille præceperit: quod quicunque non faciũt, sic rectè dicãt: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

CAPVT XVI.

DIximus parumper in laudem spiritus consilij, quia deus propter homines cõsilio vti dignatus est, superest iuxta propositum vt dicamus, qualiter propter deum consilio vtantur vel vti debeant homines perfectionis amatores. Vti autem consilio id esse dicimus, quod non cõtenti facere, quod præceptũ est, vltra sese extendunt ad illud, quod præcepto maius & amplius est, quæ nimirũ res gratiam maiorem, remunerationemque copiosiorem habet. Deniq; sola prȩcepti executio seruorum est, & non magnam meretur gratiam, secundum illam domini sententiam euangelicam. Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Nõ puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quę prȩcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Quẽ enim, aut qualem intendens seruum, dicebat, nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Nimirum quia seruum arantem aut pascentem, cui reuerso, de agro non dixisset dominus suus statim, transi, recumbe, sed para quod cænem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem, & bibam, & post hæc manducabis & bibes. Vtique seruus ille Iudaicus erat populus, qui acceperat spiritum seruitutis in timore, arans in agro, & pascens, id est, cõiugio inseruiens & priusquam comederet ipse aut biberet, parans domino suo quod cœnaret, id est, decimas dans omnium, & primitias offerẽs sicut præceperat lex. Nunquid ergo gratiam habet, inquit, seruo illi, qui fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Debitor enim seruus erat, præceptũ vt seruus acceperat, vtpote colonus terrę, quam dominus suus acquisierat, quemadmodũ dicit. Terra n. mea est, & vos coloni mei estis. Itaq; hac similitudine assũpta protinus sic intulit. Sic & vos, cum feceritis omnia quæ prȩcepta sunt vobis, subauditur, & non amplius, dicite. Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Cũ, inquit, feceritis omnia, quę prȩcepta sũt vobis, & nil

Luc. 27.

am-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amplius,ô vos téporis huius discipuli.& auditores euangelij,si permanseritis in agro, i. in seculo dediti vel astricti coniugio,vendétes atq; ementes, possidentes atq; vtétes hoc mundo,quálibet pcepta faciatis,nó mœchándo,nó furando,& tale quid non faciendo, iá quidem euasistis pœnam,sed nondum meruistis gratiam.Inutiles.n.estis, quia nihil pro amore vel gratia domini nostri, supra debitum seruitutis pensum adijcere vultis.Profecto testificamini, quia nisi timeretis torturá & compedes,nec illud faceretis,quod præceptum est.Igitur,vt dicere cœperamus,vti có filio propter deum,amicorú est, eorum qui non contenti facere quod præceptum est, vltra sese extendunt ad aliud quod præcepto maius & amplius est,amantes gratiam domini,bonis omnibus præoptantes hilarem atq; serenam sibi videre faciem domini sui.Sunt autem præcepta decem,quæ sic verior trásla tio distinxit.Non habebis Deos alienos coram me.Non facies tibi sculptile,neque omné similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorú quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis neque coles
Exod. 20. ea.Non assumes nomen domini dei tui in vanum.Memento, vt diem sabbati sanctifices. Honora patrem tuum & matrem tuam. Nõ occides.Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loquéris contra proximum tuum falsum testimonium. Non cócupisces.Nunc de cuiusq; tenore præcepti,& de superadijcienda liberalitate consilij pro posse dicemus.

De primo præcepto, & superadijciendo consilio.

CAPVT XVII.

Exod. 20. NOn, inquit, habebis deos alienos corá me.Secundum hoc pceptum tota seruitutis est nõ coluisse Baal,nec seruisse Astarot,non initiatum fuisse Beelphegor, vel quempiam huiusmodi,quod verę diuinitati aduersum sit,nõ posuisse in templo dei.Qui autem seruilé modum excedere gestit, non solum significatum vocum istarum, id est, deorum alienorũ,sed & nominis huiꝰ quod est deus etymologiam attendit, vt videlicet non solum secundum præceptum deos alienos coram deo suo non habeat, sed & nullú alium præter solum & verum deum timeat. Deus enim Græcè dicitur theos,quod interpretatur,timor. Idcirco autem creator tali nomine nũcupatur,quia timẽdus est, & hoc ab omni rationali creatura iure exigitur vt timeatur.Igitur vltra præceptum hoc tunc acceptatur consilium,quando seruus bonus & amore vel gratia dignus solum propronit sibi deum timendũ,nullum aliũ timore suo dignum arbitratus deum & dominũ. Quòd si etiam supplicio mortis cogatur, vt timeat, non flectitur à iustitia, cõstans propter deũ verum ac dominũ,amicitię gratia cũ qua sic ille suos alloquitur. Dico autem vobis amicis meis,ne terreamini,ab his, qui occidunt
Luc. 12. corpus,& post hęc non habent amplius quid faciãt.Timete eum,qui postquam occiderit, habet potestatẽ mittere in gehénam.Ita dico vocis,hunc timete.

De secundo præcepto, & superaddendo consilio. *Exod. 20.*

CAPVT XVIII.

NOn facies sculptile, neque omnem similitudinem, quę est in cęlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorũ quæ sunt in aquis sub terra nõ adorabis neq; coles ea. Et per hoc præceptũ illud à seruo exigitur, vt illius vnius vel vnici dei, corá quo nõ debet deos alienos habere,neq; in cælo,neq; in terra, neq; in mari,vllã suspicetur similitudinẽ existere. Hoc inquam,ab illo exigitur,vt sciat deum verũ,nulla forma circumscriptũ esse,quod humaniformij putauerunt,dicentes deum velut hominẽ membris suis secundum humanam formam circumscriptũ esse aut determinatum,grande sibi in animo suo *Daniel. 7.* pingẽtes idolum,vel iuxta visionem Danielis,senem venerabilem vel antiquũ dierum. Quorum in corde siue errore quantum putas simulabatur simulachrum,cum audirẽt, *Esaiæ 66.* dicentẽ. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. A quibus si quæreretur illud quod scriptum est, Quis mensus est pugillo aquas,& cęlos palmo põderauit, nimirũ quid respondere,aut quid secundum eandẽ phantasiam animo præpingere potuerunt.Hoc ergo vt dictum est à seruo per pręceptum exigitur, vt deum illocalem atque incircunscriptum fateatur,vt nullam creaturam deo similẽ esse vel fieri posse suspicetur, ne contra se experiatur dictum,quod subiũ- *Exod. 20.* ctum est.Ego enim sum dominus deus tuus,fortis zelotes,visitans iniquitates patrum in filijs,in tertiam & quartam generationem &cætera. Qui enim tale sibi pinxit idolum, magnam dei fortis, dei zelotis thesaurizat iram,vtpote consequenter male de dei filio sentiens,vt verbi gratia Arrius, qui deũ dei filium patri consubstantialem dici vel credi non sustinens,dicebat ad creaturæ similitudinem respiciens,& creatorem increatum creaturæ volens esse consimilem. Consubstantiale est,quod ex aliquo est,aut ex participatione,aut decursione,aut ex plantatiõe. Ex plantatione quidem sicut ex radice germen,ex decursione verò sicut rami, filij ex participatione autẽ,sicut ex massa aurea duo annuli vel tres Secũdum autem nullum horum,inquit,est filius dei. Propterea ergo dicebat, in fide consubstantialitatis non esse consentiendum.Ne cum isto seruus malam accipiat plagam,oportet vt nullam creatori similem faciat creaturam.Quòd si amicus es se gestit, post hoc præceptum ad consilium quoque totum animum extendat, vt videlicet eo non contentus sit, quod non ita de deo sentit,sed & quantũ potest pro salute aliorum enitens ostendat pulchro dogmate, quia non secundum corporeas consubstantiale dicitur passiones,neque secundum diuisionem,

diuisionem,neque secundum quandam decisionem,non enim posse naturam sine materia intelligibilem incorpoream que corporalem quandam sustinere passionem,sed sacris quibusdam atq; ineffabilibus rationibꝰ magis esse intelligendum.

De tertio præcepto, & superadijciendo consilio.

CAPVT XIX.

Exod. 20. NOn assumes nomen domini dei tui in vanum. Hoc necessariò seruus audit, & obaudit,si non vult plagis seruilibus male discruciari,aut perimi.Quid enim assumere in vanum nomen domini dei sui, nisi peierare nomen domini dei sui, aut in rebus vilibus,aut ludicris,cælis & terris reueren-
Matth. 5. dum nomen habere ostentui? Non ergo assumere nomẽ domini dei in vanum, necessarium atque legitimum est præceptũ,quod qui custodierit seruus,pœnam euadit,quan-
Exod. 20. ta sub hac intentione valet intelligi. Nec enim habebit dominus insontem eum, qui assupserit nomen domini dei frustra. Quod si ingenuitatem desiderat amici, consilium est vt omnino non iuret. Dicit.n. in euangelio suo dominus ille, & angelus magni consilij.Audistis, quia dictum est antiquis, non peierabis.Reddes autem domino iuramenta tua.Ego autem dico vobis,non iurare omnino,neq; per cælum,quia tronus dei est, neque per terram,quia scabellum pedum eius est,neq; per Hierosolymam,quia ciuitas est magni regis. Neq; per caput tuum iurabis, quia nõ potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est,non,non. Quod autem his abundan-
Exod. 22. tius est à malo est. Non præceptum hoc esse sed id quod supra præceptum est,id est,consilium ex eo fateri compellimur, quia legẽ sanctam,iustam & bonam euangelio, vel euangelium legi contrarium esse non putamus,imò istud vel suspicari vt nefas deuitamus.Dixit autem lex.Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat furto ablata fuerint, si inuenitur fur,duplum reddet.Sed latet dominum domus,applicabitur ad deos, & iurabit quod non extenderit manum in rem
Ibidem. proximi sui ad perpetrandam fraudẽ.Item. Si quis commendauerit proximo suo asinũ, bouem,ouem,& omne iumentum ad custodiam,& mortuum fuerit, aut debilitatum, aut captum ab hostibus, nullusq; hoc viderit,iusiurandũ erit in medio,quod non extẽderit manum ad rem proximi sui,susciperetque dominus iuramentum, & ille reddere nõ cogetur.Igitur cũ de præcepto & consilio agere cœperimus, & hoc modis omnibꝰ cauendum sit,ne legi euãgelium contrariũ esse suspicemur,tertium nobis idẽ permissũ esse obtulit. Diligẽter perpẽdamus tria hęc quæ posita sunt,scilicet non peierabis, non iurare omnino,applicabitur ad deos & iurabit,siue iusiurandum erit in medio, q̃ non extenderit manum ad rem proximi sui, & inueniemus non peierare præceptum,non iurare omnino consilium, iurare aut verũ peierare esse permissum.Itaque qui peierat, malè facit,qui autem non iurat omnino, benefacit,magis eligens commodatum reddere,quod furto fuerit sublatum, quam proferre iusiurandum, propter illud quod dictum est, redimẽtes tempus quoniam dies mali sunt Qui autem iurat, & verum deie- *Ephes. 5.*
rat,nec bene nec male fecit,id est, nec quia *Colos. 4.*
iurauit,pœnam,nec quia deierauit verum, gratiam acquirit. Et vt breuiter trium horum distantias colligamus,qui peierat, pœnam,qui verum deierat, veniam, qui nõ iurat omnino, gratiam meretur & gloriam.

De quarto præcepto, & superadijciendo consilio.

CAPVT XX.

MEmento vt diem sabbati sanctifices. *Exod. 20.*
Hoc præceptum legitimum est,& in eo legitimè seruatur, vt quod operatur,seruus cũ bene operatur,nõ suam,sed domini *Matth. 5.*
sui gloriam,quærat, non præsentem ab ore conseruorum suorum sibi laudẽ exquirat, vanamq; gloriam suo nomini cõstituere ꝓponat,sed scripturã dicentem attendat, videant opera vestra bona,nõ vt vos videamini, sed vt glorificẽt patrem vestrũ,qui est in cęlis.Hoc reuera meminisse est sabbati sãctificandi,i.hoc intendere seruum, vt bene operando mereatur, introire in requiẽ domini sui.Nã illius sabbati meminisse,nos meminit hodieq; Iudæus, iam non pro præcepto habemus,imò contra præceptũ,& cõtra voluntatẽ domini esse fatemur,quia videlicet sabbatũ illud iam ex illo magno die sabbati, quo instante crucifixerunt dominũ,pollutũ est à seruis malignis,sanguine dñi sui,& sicut alio iã loco diximus.Esa. testante,extũc *Esaiæ 1.*
omne sabbatum, & omne festum illorum profusido odio odit anima domini.Hoc ergo præceptum est,memento vt diem sabbati sanctifices,id est,vt bene operando finem totum operis illic cõstituas,vbi sancta & vera est requies.Consilium autem hoc est, vt nunc etiam sabbatizes, i. vt actiua excedens vitam,contemplationi vacés,quæ pars tanto melior est, quantum fideli seruo dulcis amicitia præpollet, testante ipsõ cum dicit. Martha, Martha solicita es, & turbaris erga *Luc. 10.*
plurima.Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.Marthæ seruitium non reprehendit,sed mariæ partem prætulit,tanquam bono id quod optimum sit.Ad hunc sabbatismũ in psalmo quoq; perfectiores inuitans. *Psalm. 45.*
vacate inquit,& videte, quoniam ego sum deus.Quod ex præcepto,& non magis ex cõsilio diceret,consequeretur neminẽ diligi à domino qui istud nõ fecisset Nũc aũt scriptũ est.Iesus aũt intuitus eũ dilexit eũ.Quę? Nimirũm adolescentem diuitem, cui cum *Marc. 10.*
ꝓtinus dixisset, vnũ tibi deest, vade quęcũque habes

Universidad de Deusto
Biblioteca

habes vẽde, & da pauperibus,& habebis thesaurum in cælis,& veni,sequere me,ille contristatus in verbo,abijt mœrens, erat enim habens possessiones multas. Non igitur præceptum est,sed consilium, propter quod & *Matth. 19.* sic apud Mattheum sub conditione dictum & in arbitrio vel voluntate eius relictum est. Si vis perfectus esse. Nam si non velit ad istam perfectionem aspirare,non quidé diligi meretur vt amicus,aut tãquam filius qui acceptauerit consiliũ, diligitur tamen in ordine suo tanquam fidelis seruus, qui actua liter bene vtens seculo,impleuerit præceptũ.

De quinto præcepto,& superadijciendo consilio.

CAPVT XXI.

Exod. 20. HOnora patrem tuum & matrem. Magnum præceptum,& magna obseruatione dignum,magnaque & pulchra remuneratione compensandum,quam continuò proponens sermo bene audienti, vt sis, inquit,lõgæuus super terram,quam dominus deus tuus dabit tibi. Super hoc præceptum maius atque excellentius est consilium, nõ habere patrem aut matrem propter deum. Et hoc quidem consilium palàm prædicat maiestas euangelij, sed nec ipsa omnino ta- *Deut. 33.* cuit humilitas legis. Ait enim. Qui dixit patri suo, & matri suæ,nescio vos, & fratribus suis ignoro illos,& nescierunt filios suos,hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt,iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel. At verò pharisæi meram consilij boni veritatem adulterantes, docebant filios de substantia patrum rapinam faciendo patrem & matrem inhonorare, dicẽtes,id esse cuique filiorum legitimè dicere patri & matri,nescio vos, inuitis illis altare dei muneribus cumulare,gazophylaciumq; replere,quod ipsorum proficeret auaritiæ. Tales hypocritas cõsilium sanctæ legis cauponantes,id est,quasi vinum bonum aqua mixta corrumpentes,redarguebat, cum diceret,Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionẽ vestrã? Nam de *Matth.15.* us dixit. Honora patrẽ & matrẽ. Et qui male dixerit patri vel matri morte moriatur,vos autẽ dicitis, Quicunq; dixerit patri vel matri munus quodcunque est ex me tibi proderit,subauditur verum patrem deum, & veram matrem suam synagogam sacerdotalẽ atque leuiticam honorauit, & ita rapinam patris & matris afferendo vobis in domum domini patrem & matrem suam inhonorauit,& honore debito priuauit. Proindè continuò subiungit. Et non honorificauit patrẽ suum & matrem suam. Et irritum fecistis mandatum dei propter traditionem vestrã Igitur præceptum est,patrem & matrem honorare,cõsilium autem patrem & matrem nescire, non modo contrario quo pater & mater inhonorentur,sed modo rationabili & iusto,quo deus cunctos affectus excellẽs patri & matri iure præferatur. Neque enim genitores inhonorantur, vbi solus creator illis præfertur. Qualiter hoc fiat, suo ipse exemplo deus indicat,parentes homines habe *Matth.12.* re dignatus. Nam loquente illo ad turbas, cum dixisset ei quidam. Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi, respondens dixit. Quę est mater mea,& qui sunt fratres mei? Extendẽs manum in discipulos dixit. Ecce mater mea, & fratres mei, &cet. Euangelizabat enim cum hęc diceret, præcepturus vt homo perfectionis amator propter euangelium patrem & matrem relinquat,& renũciet omnibus quæ possidet. Equidem hoc facere consilium est, vt iam diximus, sed cum tempus aut res postulat, tanquam præceptum ex debito peragendũ *Matth. 10.* est, vt videlicet ignorentur pater & mater, quando quis & matri obtemperare,& Christianus esse non potest. Nam in tali causa, non tam consilio quam potenti præcepto agens, nolite,inquit,arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam,& inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plusquã me,non est me dignus. Et notandum quòd cùm cęteras affinitates dixerit,filium aduersus patrem, & filiam aduersus matrem, & nurum aduersus socrum, nõ dixerit virum aduersus vxorem, siue vxorem aduersus virum, ne videlicet euangelica puritas occa- *1. Cor. 7.* sionem siue auctoritatem adulterijs dare videretur. Vnde Apostolus. His autem qui matrimonio iuncti sunt,præcipio, non ego sed dominus, vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit,manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Sed idem continuò dicit. Nam cæteris ego dico,non dominus. Quibus cæteris? Nimirum fidelibus permixtis cum infidelibus. Quid enim dico ego,non dominus? Si quis frater vxorem habet infidelem,& hæc consentit habitare cum eo, subauditur non detrahendo nomini Christiano,non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem,& hic consentit habitare cum ea, nõ dimittat virũ. Ergo nõ tã domini præceptũ, quàm Apostoli consilium est. Nam hoc,inquit,ego dico non dominus. Amplius autẽ consilium esse liquet ex eo,quod subiungit. Quod si infidelis discedit,discedat. Non est enim seruituti subiectus frater aut soror in eiusmodi. Quod vtique non dixisset,si præceptum esset domini,manere fidelem cũ,infideli. Sed vt reuertamur ad rem,parẽtes infideles nescire præceptũ est fideles autẽ propter perfectionis amorem nescire, consiliũ *Numer. 2.* est, scire verò interdum permissum est. Dicit enim lex. Mulier si quippiã vouerit, & se constrinxerit iuramento,quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si co-

si cognouerit pater votũ quod pollicita est, & iuramentũ quo obligauit animam suã,& tacuerit,voti rea erit. Quicquid pollicita est, iurauit,opere cõplebit. Sin autẽ statim vt audierit pater,cõtradixerit,& vota,& iuramẽta eius irrita erũt,nec obnoxia tenebitur spõsioni,eo q̃ cõtradixerit pater. Deniq; permissio est,irritum ducere votum,propter patris contradictionem. Arbitramur enim melius esse,etiã patre cõtradicẽte,tenere propositũ, & tendere ad perfectionẽ,præsertim cũ si irritũ duxerit qd̃ vouit, propterea quia pater cõtradixit,non aliud possit sperare præmiũ, nisi quod obnoxia nõ tenebitur sponsioni.

De sexto præcepto,& superadijciendo consilio.

CAPVT XXII.

Exo. 20. NOn occides. Præceptum subauditione indiget,quatenus iudex siue potestas, quæ gladium portat,non præuaricari existimetur,cum illum occiderit qui iure occidẽdus erat,siue propinquus occisi, cum illum ex permissione legis vindicat. Itaq; cum dicitur,non occides,subaudiendũ est, accipiendo gladium qui tibi datus non est. Dominus *Matth.26.* enim,inquit,Christus. Qui acceperint gladi- *Psal. 143.* um,gladio peribunt,illo nimirum gladio de *Matth.5.* quo Psalmista. De gladio,inquit, maligno e- *Luc. 6.* ripe me. Porrò vltra hoc præceptum perfectionis est cõsilium,non resistere malo. Sed si quis,ait,te percusserit in dextram maxillã tuam,prębe illi & alteram. Item: Diligite inimicos vestros,benefacite his qui oderũt vos, vt sitis filij patris vestri,qui in cęlis est. Nam *Leuit.19.* quod dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Item q̃; Oculum pro oculo,& dentem pro dente,neq; præceptum,neq; consilium est, sed tantummodo permissum. Cęterũ vera & verè Christiana innocẽtia,in tantum abhorret sanguinem,vt non resistere malo, & inimicũ quoque diligere tanquam præceptum audiat & prædicet.

De septimo præcepto,& superadijciendo consilio.

CAPVT XXIII.

NOn mœchaberis. Præceptum hoc olim laxius fecerat permissio legis,nunc autem fortius,& arctius stringit seueritas Euangelij. Moyses enim mandauit dari bellum *Exo.20.* *Deut.23.* repudij. Christus autem dico vobis ait, quia *Matth.22.* quicunq; dimiserit vxorem suam,nisi ob for- *Marc. 12.* nicationem,& aliam duxerit,mœchatur. Et *Luc. 20.* qui dimissam duxerit,mœchatur. Quærenti- *Matth.19.* bus quoq;,quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij, Quoniam Moyses,ait, ad duritiam cordis vestri permisit vobis,dimittere vxores vestras. Ab initio autem nõ fuit sic. Itaq; præceptum est, non mœchari, consilium autem supra hoc præceptum,coniugio penitus abstinere,sicut pro difficultate vel necessitate cõiugij dicentibus discipulis,si ita est causa hominis cũ vxore sua, non expedit nubere,respõdens dixit, Non oẽs capiunt istud,sed quib. datum est. Statimq; cũ dixisset,& sunt eunuchi,qui seipsos castraue *Ibidem.* rũt propter regnũ cęlorũ. Qui inquit, potest *1. Cor. 7.* capere capiat. Hoc ſciens Apostolus. De virginib. autem,inquit, præceptum domini nõ habeo,consilium autem do, tanquam misericordiã cõsecutus à domino, vt sim fidelis.

De octauo præcepto,& superadijciendo consilio.

CAPVT XXIIII.

NOn furtum facies. Secundũ hoc præceptum Apostolus cum dixisset. Qui furabatur,iam non furetur, statim consilium *Exod. 20.* *Ephe. 4.* subiunxit, Magis,inquiens,laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vndè tribuat necessitatem patienti. Verumtamen consilium hoc parum distat à fortitudine præcepti. Cum enim dicit,Laboret operando manibus suis quod bonum est, subaudiri vult,si manducare velit. Nam & alibi dicit. Qui non vult operari, nec manducet. Ité dicendo,tribuat necessitatẽ patiẽti, subau- *2. Thess. 3.* diri vult,si velit & sibi in necessitatibus subueniri. Nam beati misericordes, quoniam i- *Matth. 5.* psi misericordiam consequentur. Magnum verè & factu vtile, misericordiæ consilium, quod cum propinquioribus impensum fuerit, vsq; ad exteros,& quod maius est, vsque ad inimicos sese extendit,iuxta illud sapientis dictum. Si esurierit inimicus tuus,ciba illum. Si sitit,potum da illi. Cum enim ita fe- *Prouer. 28.* cerit,certum est,illum misericordiam consequi. Si enim fœneratur dño, qui miseretur pauperi, quanto magis qui inimicum cibat, & potũ dat illi,& ita in bono malum vincit? *Prouer. 19.*

De nono præcepto,& superadijciendo consilio.

CAPVT XXV.

NOn loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Supra hoc præceptum magnum & laude dignum est, pro tẽpore & re falsum pati, cum possis refellere testimonium, iuxta illud domini nostri exemplum. Nouissimè venerunt duo falsi testes,& dixerunt, Hic dixit, Possum destruere templum Dei,& post triduum reædifica- *Matth.26.* re illud. Cum hęc dicerent,& princeps quoque sacerdotum surgens vrgeret, nihil,inquiens, respondes ad ista, quæ isti aduersus te testificãtur? Iesus autem(ait Euangelista) tacebat. Item cum accusaretur à principibus sacerdotum,& senioribus, & Pilato instaret, dicens,non audis quanta aduersum te dicũt testimonia,non respõdit ei vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. Quare? *Matth.27.* Quia si vobis dixero,inquit,nõ credetis mi- *Luc. 22.* hi. Si autem & interrogauero,non respondebitis mihi, neque dimittetis. Cui ergo placet exemplũ huius in sufferenda temeritate falsi testimonij,placeat & respectus rationis, vt videlicet si sperare licet,falsitatem vera posse responsione corrigi,respondeat,& respõdendo lucretur (vt nonnunquam factũ est) animas obloquentium, si non omnium, at saltem aliquorum,ex illis, qui audirent sanguinem,non scienter, aut ex deliberatione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed falso testimonio induci. Sic enim Hieremias, cum testificarẽtur aduersus eum sacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnẽ populum, dicentes, iudicium mortis est viro huic, quia prophetauit aduersus ciuitatem istam, sicut audistis aurib. vestris, non tacuit, *Hiere. 26.* sed ait. Dominus misit me, vt prophetarem. Et subinde, Veruntamen scitote, & cognoscite, quoniam si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & cõtra ciuitatem istam, & habitatores eius. In veritate. n. misit me dominus. Econtra Na- *3. Reg. 21.* both Iezraelites, quia non per errorem vel subitã animorum perturbationem, sed per malitiosam Iezabelis & optimatum siue maiorum natu deliberationem, submissis testibus viris diabolicis accusabatur siue iudicabatur, tacuisse & nihil respõdisse legitur, rectè nimirum & sapienter. Frustra namq; effunderet sermonem, vbi non erat auditus. Qui igitur non solum præceptum seruat, vt falsum testimonium non loquatur, sed & cõsilium approbat, vt falso impugnatus testimonio patientiam amplectatur. Sic exemplo domini tacendum sibi sciat, vt non tantum in suum sanguinem per errorem fortè peccaturos decipi suo silentio permittat.

De decimo præcepto, & superadijciendo consilio, & quomodo difficile sit huic præcepto aliquid superaddi.

CAPVT XXVI.

Exo. 20. NOn concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Præcepti huius decimi, quasi quadam ferrea securi, cunctarum præuaricationum radix amputatur, siue extirpatur, radix enim omnium malorum cu- *1. Tim. 6.* piditas. Et notãdum, quia septem quasi percussionibus, quo numero plerunq; vniuersitas designatur, vniuersa cupiditas percutitur, dum septenaria prohibitione inhibetur. Nam cum sufficere posset vt diceret, non cõcupisces, etiam si nihil addidisset, maluit septenariam facere prohibitionem. Primo, nõ concupisces domum proximi tui. Secundo, non desiderabis vxorem eius. Tertio, non seruum. Quarto, non ancillam. Quinto, non bouem. Sexto, non asinum. Septimo, nec omnia quæ illius sunt. Omnium igitur quæ in mundo sunt dilectio damnata est, quoniã omne quod est in mundo (inquit apost. Io- *Ioan. 12.* annes) concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Huius præcepti transgressor, iam tunc quisque addicitur, cum in volũtate habet mœchari, aut furari, siue aliquid quippiam talium præuaricationum perpetrare, etiam si voluntatem ipsam nequeat actu adimplere. Et quid dicemus desuperadijciendo cõsilio, quando vix aut ferè nullus perfectus inuenitur in adimplendo præcepto isto? Quis enim gloriabitur, castũ se habere cor? Audẽter dico, plures *Prouer. 20.* esse vel fuisse, qui acceptauerunt consilium, quàm qui perfectè adimpleuerunt mandatum. Plures enim, id est, aliquos non dubitamus dicere vel dixisse, cupio dissolui, & esse *Philip. 1.* cum Christo, qui autem glorietur castum se habere cor, nullus aut rarissimus est. Hoc itaque tantum dixisse libeat, præceptum esse, non concupiscere, consilium autem, cupere dissolui, & esse cum Christo.

Quàm verum veritas dixerit: Non veni legem soluere, sed adimplere. *Matth. 5.*

CAPVT XXVII.

VErum igitur veritas dixit, tam veraciter quàm grauiter Christus locut⁹ est, Nolite putare quia veni soluere legem aut prophetas. Non veni soluere, sed adimplere. Verum, inquam, & matura grauitate ponderatum verbum locutus est, nimirũ conscius sibimet huius spiritus sancti, spiritus consilij, quem daturus erat, per quem (sicut diximus) & multò melius, multò abundantius, quàm dicere potuimus, legem implere habebat. Quibus autem & quamobrem sic dixit & sic locutus est? Dixit nimirum præsentib. discipulis suis, Christum, siue secundum linguam ipsorum Messiam, venisse, & hunc illum esse credentibus atq; gaudentibus, locutus est aduersarijs suis, scribis & pharisæis de proximo audituris, sibique insidias atq; calumniam structuris, tanquam aduersario legis. Istis carnale Christi regnum, carnali sensu expectantibus, illis inuidię spiritu pro eodem rege torquendis & frustra quæsituris, quomodo doctrinam eius quasi iustè calũniarẽtur. Et de illis quidem manifestum est, quàm verè, quàm constãter præcluſi sint tali promissione, præsertim quia dicta cõpleuit rerum veritate, quia neminem docuit legem soluere aut prophetas, docendo potius, vt quod minus iusserat infirma lex, superadijceret spontanea sui consilij electione. Porro de discipulis eius carnale regnum eius fore opinãtibus, quid aliud dicamus, nisi quia putabant eum legem & prophetas velle dissoluere? Cum enim putarent, in regno eius fore licitum occidere, & gentium spolia detrahere, aureamq; & gemmatam Hierusalẽ extruere, quid aliud expectabant, quàm sine lege viuere, & sub nomine regni Dei, regnum concupiscentiæ? Tales quidem inuenit, & tales vocauit, sed longè alios fecit, isto dato spiritu sancto, spiritu consilij.

FINIS COMMENTARIORVM QVINTI libri, scilicet de Consilio.

RVPER-

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI, LIBER SEXTVS. DE FORTITVDINE LIBER VNVS.

De spiritu fortitudinis, quã pulchrè septem spirituũ medius sit, & quòd cæteri magis in otio, hic autem magis in actu sit.

CAPVT I.

QVartus idemq; medi⁹ septem spirituum dei, & velut in quodam sedens principatu, prædicatur spiritus fortitudinis. Et rectè: nam inter cætera spiritus sancti opera, opus fortitudinis magnũ & mirificũ est. Deniq; & agnus deivictoriosus habẽs cornua septẽ, & oculos septẽ, propter cornu istud, fortissimo & bestiarũ regi similatur leoni, cũ dicitur in Apocalypsi de ipso quẽ videbat Ioannes agnũ in *Apoc. 1.* medio throni. Ecce vicit leo de tribu Iuda *Genes. 49.* radix Dauid. Et in antiquissima prophetia, spiritus idem, ob causam eandem dicit, Catulus leonis Iuda, ad prędam fili mi ascendisti. Pulchrè ergo medius spirituum positus est, spiritus fortitudinis, vt pro ipso quoque loco vel ordine, pari iure obtineat præconiũ cum primo, scilicet cum spiritu sapientię, di- *Iob 12.* cente beato Iob. Apud ipsum est sapientia & fortitudo. Denique per sapientiam illo in loco rectè cæteri omnes, præter spiritum fortitudinis, spiritus intelliguntur, quia videlicet spiritus intellectus, & spiritus consilij, spiritus scientiæ, & pietatis, & spiritus timoris domini, spiritui sapientię magis cooperãtur, videlicet vt intus & in otio satis & plenius exerceatur, spiritus autẽ fortitudinis magis est in actu, & foris operatur siue pręliatur, pręliando sancta illis otia componit.

De spiritu fortitudinis primùm in Christo, deinde et in apostolis, sanctisque prædicatoribus considerando, deinde in ecclesiæ rectoribus, iuxta illud Salomonis: Tria sunt quæ benè gradiũtur, Leo fortissimus bestiarum, Gallus, &c.

CAPVT II.

HVius igitur, id est, spiritus fortitudinis, magnalia quæ prædicemus, primũ in ipso consideremus Christo, deinde in apostolis siue apostolicis viris Christi prædicatoribus, deinde & in sanctis ecclesiæ Christi rectoribus, secundum illam sapientissimi *Prouer. 39.* sententiam Salomonis. Tria sunt quæ benè gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum, Gallus succinctus lumbos, & Aries, nec est rex, qui resistat ei, & qui stultus apparuit, postquam leuatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori imposuisset manum. Deniq; leo fortissimus bestiarum Deus est, fortissimus spirituum, Deus inquam, & homo Christus, de quo verissimè dictum est, ad nullius pauebit occursum. Ipse enim dixit, cum ex potestate, & non ex debita necessitate poneret animam suam. Venit enim *Ioan. 14.* princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed & ante hoc, de eodem sibi occursuro nihil paueſcens, dixerat. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi eijcietur foras. Gallus autem, qui diuidit, & canẽdo annunciat noctis horas, gallus inquam, succinctus lumbos, prædicator est, qui per noctẽ præsentis seculi, dormire nos profundo securitatis somno non sinit, lucem instare negocio sam annunciat, id est, diem iudicij, suum interea castigans corpus & in seruitutem redigens, ne fortè, inquiens, cum alijs prędicauerim, ipse reprobus efficiar. Cantus *1. Cor. 9.* eius huiusmodi est: Nox præcesit, dies autẽ *Rom. 13.* appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, & his similia. Porrò aries quisq; prælatus est, qui non quidem *Prælatus aries est.* foris prædicat, sed intus rationabilibus ouibus prœest, easque ducit ac reducit ad caulas, & nõ est, inquit, rex qui resistat ei: nec. n. regum gladios timet, vt sui obliuiscatur propositi, quinetiam si rex restiterit, eumq; gladio percusserit, melius viuit, & oues illas viuido exemplo melius ducit. Qui autem stultus apparuit in sublime elatus, Antichristus erit. Qui feliciter quidem, sed non vt cætera illa benè, graditur. Nam faciet quidẽ & prosperabitur, sed nõ bono fine prosperabitur, & idcirco non benè gradietur. Quantus in illo leone fortissimo, in illo gallo succincto, & in illo ariete cornuto, claruit ille spiritus fortitudinis? Leo ille & per semetipsum leonem diabolum vicit, & per gallum & per arietẽ illum, siue cum gallo & ariete illo, bestiam illam quam vidit Daniel, superauit be- *Danie. 7.* stiam terribilem atque mirabilem & fortem nimis dentes ferreos habentem magnos, comedentem atque comminuẽtem, & reliqua pedibus conculcantem. Non enim parum spectaculi habet, quod non adolescente, sed iam vsque ad plenum adulto & roborato Romano imperio, silente & sub eo toto tremente mundo spiritus iste, spiritus fortitudinis tantummodo, gallum contra leges eius canentem, & arietẽ, prẽter duo geminę charitatis cornua nihil armorum gerentem immisit, & furorem eius irrationabiliter, & sine modo debacchantem deuicit, & conculcatricem orbis terrarum bestiam pedib. eorum cõculcandam substrauit. Hæc sunt magnalia

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnalia ſpiritus fortitudinis, de quib. aliquid dicturi ipſo adiuuãte, primum de leone iam dicto dicamus, quid agendo, rem tantã gallo & arieti poſsibilem fecerit.

De leone, qui & agnus, quomodo iuxta Apocalypſim Ioannis, diabolum moriẽdo vicit atq; ligauit primus, & poſt illum gallus accinctus, & aries iam dictus, id eſt, apoſtoli Chriſti, et martyres eius, quorum primus eſt Stephanus.

CAPVT III.

LEo, qui & agnus, prædictę feſſorem atq; agitatorem beſtiæ diabolum moriendo
Apoc. 20. inuaſit atq; ligauit, ſecundum quod Ioannes in Apocalypſi dicit. Et vidi angelum deſcẽdentem de cælo, habentem clauim abyſsi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & alligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit & ſignauit ſuper illum, vt nõ ſeducat amplius gentes, donec conſumentur mille anni. Poſt hæc oportet eum ſolui breui tempore. Angelum quippe deſcendentem de cælo,
Lucæ 11. dominum Ieſum Chriſtum accipimus, qui magni conſilij angelus nuncupatur, quique mortalium viſitans regionem, fortior alligare voluit fortem, vt vaſa eius quæ dudum vaſa iræ fuerant, vaſa miſericordiæ perficeret, hoc peragens opere, quod ante promiſerat prædicatione. Nemo, inquit, poteſt
Matt. 3. domum fortis intrare, & vaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem, id eſt, diabolum. Quæ enim erat domus, vel quod fortis huius atriũ, niſi mundus, & maximè Romanum imperium, cuius ſtipatus ſatellitio, fretusq; obſequio, cubabat in cordib. hominum, defenſabatur in delubris gẽtium? Porro clauis abyſsi, diuinorum eſt profunditas iudiciorum. Iudicia enim Dei, abyſſus multa. Hunc ergo, ſcilicet diabolũ fortis ille angelus catenis alligauit, in eo videlicet, quòd poteſtatẽ eius à ſeducendis hominibus, qui ad vitam præordinati erant, cohibendo refrenauit. Mille autem anni pro annis omnibus huius ſeculi intelligi poſſunt, vt perfecto numero ipſa ſubintelligatur temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarij numeri quadratum ſolidũ reddit. Decem quippe decies ducta, faciunt centũ, quæ iam figura quadrata, ſed nondum plena eſt. Vt autem in altitudinẽ ſurgat & ſolida fiat, rurſum, centũ decies multiplicantur, & mille ſunt. Nec aliter illud melius intelligitur q̃
Pſal. 104. in pſalmo legitur, Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui verbi, quod mandauit in mille generationes, quàm id eſſe in omnes generationes. Et miſit, inquit, illum in abyſſum. Vtiq; diabolum miſit in abyſſum, quo nomine ſignificata eſt multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitatem aduerſum eccleſiam Dei multum profunda ſunt corda, non quia ibi diabolus ante non erat, ſed ideo illuc miſſus dicitur, quia excluſus à credentib. plus cœpit impios poſsidere. Plus nanq; poſsidetur à diabolo, qui non ſolum à Deo alienatus eſt, verùm etiã gratis odit ſeruiẽtes Deo. Clauſiſſe quoq; & ſignaſſe ſuper eũ dicitur, quia clauſis, imo deſtructis idolorum templis, cõpreſsit reſponſa fallacię eius, & pleraq;, in quibus colebatur, tẽpla in eccleſias cõuertit, ſignata & ſanctificata cruce atq; inuocatione nominis ſui, quod ſuper nos inuocatur. Itaq; per hunc principem fortitudinis, capto atq; libato ſeſſore diabolo, continuò ſuper beſtiam quam prædiximus, quæ erat equitatus ſiue ſubſelliũ eius, irruit exercitus pręliatorum eius, apoſtoli eius, martyres, qui erant gallus ſupradictus & aries. De quibus dicturi, à quo rectius quàm à protomartyre incipiemus? Is autem Stephanus dictus eſt, mirando vere, atq; venerando diuinitatis præſagio, cuius in arcano conſilio fortitudinis huius ſignifer, beata fuerat ſorte prædeſtinatus. Stephanus quippe coronatus interpretatur. Coronandus autem non ſolª erat, ſed primus, nam omnes animæ iuſtæ, quæ illũ ſequuntur, continuè ſortiuntur vocabulum, quod diuino (vt diximus) præſagio proprium erat illius. Dicamus igitur.

De beato Stephano, qui dictus eſt plenus gratia et fortitudine, qui vltro vſus in populo eadem fortitudine dixit actu illud propheticum: Ecce ego, mitte me.

CAPVT IIII.

STephanus plenus gratia & fortitudine, *Act. 6.*
faciebat ſigna & prodigia magna in populo. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenenſium & Alexandrinorum, & eorum qui erant in Cilicia & Aſia diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur. Verum eſt quod veritas dixit, quod in agonia ſua Chriſtus locutus eſt, protinus tradendus, imo
Ioan. 16. cum traderetur inter ſceleratos reputandus. Et cum venerit paracletus, ſpiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato & de iuſtitia & de iudicio. Iam credo, ô beate beatorum ſignifer Stephane, cum hæc diceret, voces tuas auſcultabat, voces ſpiritus fortitudinis & gratiæ, quæ te implere habebat, iam audiebat. Tu enim mũdum primus arguiſti, per te primum mundum arguit ſpiritus veritatis. Audiebat voces, & quos recepturus eras iam numerauerat lapides, tuumque meditabatur eadem nocte ſanguinem, dum factus in agonia prolixius oraret,
Matth. 21. eſſetque ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Nunquid tu conſcientię vel præſcientię eius abeſſe poteras cum diceret, Ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in ſynagogis veſtris. Et ſubinde, Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt. Imò vt altius repetam,

tam, quando vidente & audiente propheta dicebat, quem mittam, & quis ibit nobis? & ecce, inquit, ego, mitte me, tu eras in præparatione domini ſuper ſolium ſedentis, & ſpiritus illius quæ in te futura erat fortitudinis & gratiæ ſuſcitauit prophetã, vt diceret. Ecce ego, mitte me. Quis enim hominum, vel per quem hominum deus te iuſsit ire, & mũdum de peccato & de iuſtitia & de iudicio tã
Act. 6. fortiter arguere? Legimus quippe dixiſſe apoſtolos. Non eſt æquum derelinquere nos verbum Dei, & miniſtrare menſis, & deinde ſcriptum eſt, quia elegerunt Stephanum, virum plenum fide & ſpiritu ſancto, & non legimus, quia miſerunt apoſtoli Stephanum, vt apoſtolica gratia vel fortitudine teſtificaretur in populo. Sed quid Stephanus (inquit ſcriptura) plenus gratia & fortitudine, faciebat ſigna & prodigia magna in populo. Ergo beate vir, ſedente domino ſuper ſoliũ excelſum & eleuatum, id eſt, coronato propter paſsionẽ mortis filio hominis, & eleuato ad paternæ dexterę conſeſſum, dicente illo quẽ mittam, & quis ibit nobis? quaſi conquerere tur & diceret, omnes occidunt & neminem viuere ſinunt eorum, quos miſimus ab origine mundi, tu quodammodo dixiſti. Ecce ego, mitte me. Vltro enim & iniuſſus nõ dubitaſti domino Ieſu ſedenti vel ſtanti à dextris virtutis Dei teſtimonium perhibere.

De illa fortitudine ſiue ſapiẽtia & ſpiritu qui loquebatur, cui non poterant reſiſtere diſputantes cum eo, & quoniam ſapienter accuſatores vicit, dicentes, ſe audiſſe verba blaſphemia in Moyſen, et Deum, & locum ſanctum.

CAPVT V.

QVa tandem gratia, qua fortitudine Ste
Act. 6. phanus plenus erat? Nimirum gratia ſapiẽtiæ & fortitudine ſpiritus, ſiue ſpiritu fortitudinis. Sic enim cõtinuò ſubiunctum eſt. Et non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur. Deniq; quæcunq; ab illo dicta vel acta ſunt, ſapientiæ & fortitudinis ſunt. Videamus ordine rerum ſiue geſtorũ. Tũc, inquit ſcriptura, ſubmiſeruntviros, qui dicerent, ſe audiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen & Deum, falſos vtique teſtes, vt ſubiunctum eſt, qui dicerent. Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum & legem. Ille autem cunctis videntibus, faciem habens tanquam faciem angeli, & interrogatus à principe ſacerdotũ dicente, ſi hæc ita ſe habent, ſic ait. Viri fratres & patres audite. Deus gloriæ apparuit
Act. 7. patri noſtro Abraham, cum eſſet in Meſopotamia, prius quàm moraretur in Carran, &
Gen. 3. dixit ad illum. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi. Sic ingreſſus magna ſapientiæ gratia, falſos primo confutauit teſtes contra ſe poſitos, in eo q̃ dixerant, audiſſe ſe eum dicentẽ verba blaſphemiæ in Moyſen & Deũ, & deinde magno nihilominus fortitudinis impetu contriuit totum illud contra ſe collectũ concilium vanũ, cõcilium malignantium. Quid. n. ſibi vult, quod ſic inchoauit. Deus gloriæ apparuit, inuſitato hactenus quãuis veriſsimo vtens teſtimonio, cum dicere poſſet. Deus apparuit patri noſtro Abrahã? Ergo tam breuiter quã ſapienter diſſoluit accuſationem blaſphemiæ, Deum glorię nominans Deum, qui apparuit Abrahã. Dixerant enim non ſolùm in Moyſen, ſed & in Deũ. Maior blaſphemiæ pars in Deũ redundare videbatur, & idcirco prius illam diluit, Deũ gloriæ cõfitens eum, qui apparuit Abrahã, ſubiungens nota omnipotẽtiſsimę diuinitatis & diuinæ veritatis beneficia, quia videlicet repromiſit dare illi terram in poſſeſsionẽ, in qua nunc vos habitatis, inquit, & ſemini eius poſt ipſum, cũ non haberet filiũ, &c. Alterã compoſitæ blaſphemiæ partem, quæ redundabat in Moyſen, continuò veritatis & ſui defenſor, glorioſa teſtificatiõe deſtruit, dicens. Eodem tẽpore natus eſt Moyſes & fuit gratus Deo, &c. vſq; ad id qd̃ ait. Hic eſt Moyſes, qui dixit filijs Iſrael. Prophetã ſuſcitabit vobis Deus de fratribus ve- *Exod. 1.*
ſtris tanquã me, ipſum audietis. Hic eſt qui fuit in eccleſia, in ſolitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Syna, & cum patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis. Cuncta hæc, quæ dixit in Moyſen, defendunt aduerſus falſos teſtes puram conſcientiã, vndè & vt dignũ eſt de ſancto Dei famulo ſentientẽ. Et vide, quanta ſapientiæ vi maculam ſibi inie&tam in illa viperarum genimina refundit. Cum enim dixiſſet: Qui accepit verba vitæ dare vobis, continuò ſubiunxit. Cui noluerunt obedire patres noſtri, ſed repulerunt: & auerſi ſunt cordib. ſuis in Aegyptum, &c. vſq; ad illud propheticum teſtimonium. Nunquid victimas aut hoſtias obtuliſtis mihi annis XL. in deſerto domus Iſrael, & ſuſcepiſtis tabernaculũ Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempha, figuras quas feciſtis adorare eas, vt trãsferamini vos trans Babylonẽ. His dictis, quib. ſupradicta repulſa eſt calũnia blaſphemiæ, tã in Deũ, quã in Moyſen, ſupererat, vt & aliquid pro eo diceret q̃ falſi teſtes addiderant, dicendo aduerſus locũ ſanctũ. Audiuimus. n. inquiunt, eũ dicentẽ, quoniã Ieſus Nazarenus hic deſtruet locũ iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes. Quod vtiq; ſi dixiſſet, verũ dixiſſet, & cum veritate locutus fuiſſet, quæ prædixerat, dicẽs, Nõ remanebit lapis ſuper *Matt. 24.*
lapidẽ, quã veritatẽ etiã iſto tacente, lapides *Luc. 19.*
iſti clamare habebant. Quæ aũt blaſphemia fuiſſet tale quippiã dixiſſe in illos ſanctos lapides? Ait ergo. Tabernaculum teſtimonij fuit patrib. noſtris in deſerto, &c. vſq; ad id quod ait. Sed nõ excelſus in manu factis ha- *Act. 7.*
bitat, ſicut propheta dicit. Cęlum mihi ſedes *Eſaiæ 66.*
eſt, terra autẽ ſcabellũ pedũ meorũ. Quã domũ ędificabitis mihi, dicit Domin⁹, aut quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deut.9. locus requietiõis meæ est? Nónе manus mea fecit hæc omnia? Ac si diceret. Qualis blasphemia est dixisse, quoniã Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, cum Deus in eo non inhabitet, testante propheta, quia nõ in manufactis excelsus habitat? Non.n. blasphemia rectè dici potest, nisi quod contra excelsum, aut cõtra id dicitur in quo excelsus habitat. Sed Salomon, dicitis, domũ istã illi ędificauit. Nonne manus mea (inquit per pphetã) fecit hęc omnia? Si cælũ & terra transibũt, & hæc omnia quæ manus mea fecit, quanto magis domus ista, quã manus Salomonis ædificauit, præsertim cũ iãdudum igne Babylonico cõflagrata fuerit? Notandũ præterea, quia cũ dixisset, tabernaculũ testimonij fuit patrib. nostris in deserto, cõtinuò subiunxit. Sicut disposuit loquens ad Moysen, vt faceret illud secundum formã, quã viderat. Hoc namq; dicto ad illã calumniæ partẽ respicit, quia cũ dixissent. Audiuimus.n. eum dicentẽ, quoniã Iesus Nazarenus hic destruet locũ istum, addiderãt, & mutabit traditiões quas tradidit nobis Moyses. Et verè mira arte sapientiæ vel gratiæ, qua plenus erat, non solũ non negauit se dixisse vel dicere debuisse, quoniã Iesus Nazarenꝰ immutaret traditiones quas tradidit Moyses, sed etiam rationẽ penè reddidit, propter quã traditiones illas immutari oporteret, hanc videlicet, quia nõ erant istæ traditiones Dei, traditiones quas Moyses tradidit, sed traditæ fuerant secundum formã siue figurã futurarum traditionum Dei, quas Moyses Deo præmonstrãte vidit, oculo intellectuali, oculo prophetali. Et hoc non sine auctoritate dixit, sed ipsius Moysi, imò Dei, qui ad Moysen dixit. Inspi
Exod.25. ce & fac secundũ exẽplar, q̃ tibi in mõte præmonstratũ est. Ergo aut dixit, aut dicere debuit, quod nõ se dixisse negauit, scilicet quia Iesus Nazarenus immutaret traditiões quas Moyses tradidit. i. quòd iã cessare haberent exemplaria vel vmbrę cęlestium, cęlestibus ipsis per Iesum Nazarenum declaratis.

Quãta fortitudine incredulos increpat, dicendo: Dura ceruice, & incircuncisi cordibus & auribus, & cætera: pro quibus tamen inuicta charitate moriens orabat.

CAPVT VI.

PRæmisso quod erat sapientiæ, cui resistere nemo poterat, vel gratiæ qua plenus erat defensus à crimine blasphemię, quòd sibi obiectum fuerat, & benè vsus defensione legitima, audiamus nunc illud quod fortitudinis est, qua nihilominus plenum fuisse illum, sacra prędicat auctoritas. Dura, inquit, ceruice, & incircuncisis auribus, vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita & vos, vsq; ad id, qui accepistis legem in dispositione angelorũ & non custodistis. Ve
Act.7. ræ fortitudinis hoc, veræ, inquã, non impatientiæ temerariæ vel furoris inconsulti, sed iusti zeli, & iustè atq; rationabiliter zelantis fortitudinis hoc est. Neq; enim in hoc eodẽ dicto proprij cordis motũ, sed verum diuinę vocis sequitur testimonium. Primus enim Ex.33.34. dominꝰ ipse dicit. Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Deinde & Moyses ait, Circuncidite igitur Deuter.10. præputiũ cordis vestri, & ceruicẽ vestram ne Ezec. 2.3. induretis amplius. Et in propheta dominus dicit, Patres eorũ prȩuaricati sunt pactũ meũ vsq; ad diẽ hanc, & filij dura facie & indomabili corde sunt. Item: Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde. Ergo falsis impetitus testibus vbi se mira sapientia defendit, mira nihilominus fortitudine reos impetit crimen intentans, cui necessaria testimonia non desint, dura inquiens, ceruice & incircuncisis cordib. & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri & vos. Semper, inquam. i. ex quo de Aegypto egredientes cum scriberentur tabulæ digito Dei, spiritu Dei, dixistis ad Aaron. Fac nobis Exod.32. deos qui prȩcedant nos, Moysi enim huic q̃ eduxit nos de terra Aegypti nescimus quid acciderit. Porrò vera fortitudo nunquã sine charitate est, & tunc verè in spiritu fortitudinis res agitur, quando fortissimæ charitatis societate ipsa fortitudo vallatur. Cum igitur illi ex increpatione nequiores effecti dissecarentur cordib. suis, & striderent dentibus in eum, cum ejcientes extra ciuitatem lapidãrent eum, positis ille genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatũ. O verè fortis, qui non aduersus homines, sed aduersus hominum malitiã consurrexit. Verè constans & fortis, quẽ tot lapides depellere non potuerunt ab arce charitatis, in quo dilectio fortis vt mors, imò & plus quàm mors. Plus enim apud animã morientis eodẽ momento valuit fortitudo dilectionis, quã fortitudo mortis. Nõ saltem dixit videat deus & iudicet, vel tale quippiam quod dicere iure potuisset, sed positis genibus dixit, imo clamauit voce magna. Domi
Act.7. ne, ne statuas illis hoc peccatum. Illud fuis-
Cant.8. set iustitiæ debitum, istud erat spontaneum charitatis officium. Fortis ergo vtrobique, fortis atq; dulcis in parte vtraque. Illic fortiter redarguendo sæuiens, hic fortiter moriẽdo patiens. Securè igitur laus in fine vtraque canitur triumphatori, quia & mortem quam saluator pro omnib. dignatus est pati, hanc iste primus reddidit saluatori, & precẽ quam saluator pro se crucifigentibus, hanc iste pro se lapidantibus primus obtulit saluatori. Sequuntur autem illum omnes animæ iustæ professionem habentes eiusdem militiæ, coronam ambientes eiusdem victoriæ.

De Petro Apostolo qualem inuenerit, & qualem illum fecerit iste spiritus fortitudinis, & quomodo ante passionem domini ambulauit super aquas, & timens cœpit mergi, post resurrectionem verò eius tunica succinctus, mittens se in mare ad ipsum peruenit, & quid ista portenderint.

CAPVT

CAPVT VII.

DIximus de tyrone, quem manifestim spiritus sanctus, spiritus fortitudinis armauit, de magistris militiæ Petro & Paulo quid dicemus, quos in ipsum caput bestiæ supra memoratæ, dixerit armatos idem spiritus fortitudinis? Nam vt primùm de Petro loquamur, scimus qualem hunc spiritus iste inuenerit, qualem fecerit. Antequam glorificato domino Iesu, datus esset iste spiritus, hic nec saltem militię nomen agnouerat, militaria Christi signa ne dicam ferre, sed necdum attrectare, aut oculis suis aspicere præualebat. Testis est illa negatio trina, vbi Petrus mendax, & Christus inuentus est veritas, dicente, non qualicunque persona, sed ancilla ostiaria, Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Negauit Petrus, & tamen gladius
Ioann. 18. Matth.26. Ioan.21. aut hasta non apparebat in manu ancillæ illius. Dixerat autem paulò antè, certans cum domino. Etiam si oportuerit me mori tecũ, non te negabo. Victor itaq; in certamine & palmam veritatis obtinens ille qui dixerat. Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec me ter neges, postmodum quasi alludens ad illam confidentiam immaturam, dicit eidem Petro sic. Amen amen dico tibi, cũ esses iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu nõ vis. Hoc autem (inquit Euangelista) dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Quando enim Petrus erat iunior, & semetipsum cingebat? nimirum quan do rudis & laborioſorum certaminum inexpertus, de sua nimium conscientia vel virtute præsumebat dicens: Tecum paratus sum & in carcerẽ & in mortem ire, & etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo: quãdo educebat gladium, & percutiens fortiter, amputauit auriculam serui principis sacerdotum. Tunc Petrus iunior erat, nondum enim multum in sapientia profecerat quippe qui nescíens, cuius sit solius cingere militem, semetipsum cingebat, dum tam magna tamq; fortia de semetipso promittebat. Senuit autem, quando acceptο isto spiritu sancto, spiritu fortitudinis sapiens effectus est. Extunc enim manus suas extendit ad eum, qui cingere nouit, conscius atque expertus propriæ infirmitatis, & alius eum cinxit, sanctus enim iste spiritus eum fortem fecit, & duxit quo non volebat duci, scilicet ad passionem mortis, quam naturali horrore refugit sensus carnis quamlibet spiritus promptus sit. Quando hęc dominus Petro dicebat vtrunq; iam in illo significauerat. Dudum enim cum nauicula, in qua erant discipuli, in medio mari iactaretur fluctibus, erat enim ventus contrarius, & ipse quarta vigilia noctis veniret ad eos, ambulans super mare, diceretq; illis turbatis & clamantibus præ timore, ego sum, nolite timere. respõdẽs Petrus dixit. Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait. Veni, & cætera Matth.14. vsque ad id, quod ait illi, modicæ fidei quare dubitasti. Nimirum in illa modica fide qua dubitauit, & idcirco cœpit mergi illa qua dominum denegaturus erat infirmitas præfigurata est. Siquidem ventus ille contrarius, quẽ dominus non paueſcens, ambulabat super aquas, illum præsignauit occursum principis huius mundi, de quo dominus idem certus, quòd in se non haberet quicquam, suas tribulationes & seditiones Iudaicas superaturus erat. Ambulans ergo Petrus quoq; super aquas, vidit ventum validum & timuit, atque idcirco cœpit mergi, quia sic futurum erat, vt de fide sua præsumens, dicendo: Quare nõ
Ioan.13. possum te sequi modo, animam meam pono pro te, continuò propter vocem vnius mulierculæ timeret & negaret, q̃ profectò erat mergi in profundũ maris. Sed extendens manum Iesus, apprehendit eum mergi incipientem, quia respiciens (vt Euãgelista testatur) Luce 22. in eum, vocauit ad fletum non parum negatione eadem periclitantem. Verùm vbi saluator aquas ealdem superauit, & omnem sibimet sedauit tempestatem, resurgendo à mortuis iterũ Petrus in mare se misit, tunica succinctus & nequaquam periclitatus est. Scriptum est enim. Simon Petrus cum audisset quia dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare. Alij autem discipuli venerunt nauigio, non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis, trahẽtes rete piscium. Subinde sequitur, quod paulò ante præmisimus. Amen amen dico tibi, inquit, cum esses iunior, cingebas te & ambulabas vbi volebas, & cæt. Igitur quæ in mari præfigurata fuerant, eadem veritas ore proprio cõfirmabat, quod scilicet Petrus, qui de sua virtute prȩsumens quodammodo semet ipsum cinxerat, dicendo, animam meam pono pro te, & statim negando totus penè submersus est, idem alio cingente, id est, spiritu sancto mentem eius confirmante, cunctarũ tribulationũ aquas omnes superaturus esset.

De Paulo Apostolo, quàm infirmus, imò quàm freneticus fuerit, & qualem illum fecerit iste spiritus fortitudinis.

CAPVT VIII.

ATverò Paulus non vcunque infirmus sed male fortium, id est, freneticorum, Psal. 58. maximus fuerat, de qualibus Psalmo medicus percussus acriter. Et irruerunt, inquit, in me fortes, subauditur, verè infirmi, & falsò fortes, id est, de iustitiæ suæ sanitate præsumentes, verumq; medicum percutientes atque crucifigentes. Talium infirmorum atq; freneticorum iste vnus fuerat, quando medicum eundem persequebatur in membris eius, quem in cælo sedentẽ in capite tangere non potuit. Deuastabat. n. eccleſiã, per do-
Act.8. mos intrãs & trahẽs viros ac mulieres, tradebat in custodiã. Sed mutauit fortitudinẽ, imò

Universidad de Deusto
Biblioteca

crudelitatis insaniam, mutauit in veram ve-
ræ fortitudinis sanitatem. Quis dinumeret
vniuersa, quæ per eum fecit iste spiritus for-
Act. 9. titudinis opera? Vbi proiectus est in terram
Saulus & resurrexit Paulus, acceptoq; ibi ci-
bo confortatus est, continuò ingressus in sy-
nagogas prædicabat Iesum, cunctisq; admi-
rantibus repentinam eius mutationem, mul
tò magis conualescebat, & confundebat Iu-
dæos, qui habitabãt Damasci, affirmans quo-
niam hic est Christus. Extunc vbique forti-
ter fecit, vbiq; vicit, & gratias, inquit, ago ei,
Iob. 39. qui me confortauit. Vnde rectè animaduer-
sum est, hæc in eum ad beatum Iob domini
dicta debere intelligi. Nunquid volet Rhi-
noceros seruire tibi, aut morabitur ad præse-
pe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad
arandum loro tuo, aut confringet glebas val
lium post te. Nunquid habebis fiduciam in
multa fortitudine eius, & derelinques ei la-
bores tuos? Nunquid credes ei, quòd reddat
sementem tibi, & aream tuam congreget? Nã
potest quidem per hunc Rhinocerota, popu
lus superbiæ singularis intelligi, de quo do-
Psalm. 21. minus per prophetam. Libera me, inquit, de
ore leonis, & à cornibus vnicornium humi-
litatem meam, sed hoc melius patet cum ille
ex hoc populo ad mediũ ducitur, antea Sau-
lus in superbia primus, & postmodum Pau-
lus in humilitate præcipuus. Hic in nare cor-
nu gestabat, cum se placiturum deo, de cru-
delitate confidebat. Hunc Rhinocerota om
nis venator extimuit, quia sæuitiam eius om
nis prædicator expauit. Sed ad capiendum il-
lum virgo sinum suum expandit, quia vide-
licet cum pergeret Damascum, incarnata dei
sapientia sese illi manifestauit. Dicitur enim
Rhinoceros, qui & Monoceros nominatur,
tantæ tamq; indomitæ esse fortitudinis, vt
nulla venantium virtute capiatur aliquate-
nus, sed virgo puella ei proponitur, cui sinũ
aperienti mirum in modum omni ferocitate
postposita, caput deponit, sicq; decepta fera
repentè velut eneruis reperitur & capitur.
Nunquid ergo, ait, volet Rhinoceros seruire
tibi, subauditur vt mihi, aut morabitur ad
præsepe tuum, videlicet vt iste à me per Ana
niam ad baptismatis religatus est sacramen-
1. Cor. 9. tum? Nunquid alligabis eum ad arandum lo
ro tuo, id est, ad prædicandum constringes
præcepto tuo, ita, scilicet vt dicat. Væ enim
mihi est, si non euangelizauero. Aut confrin
get glebas vallium, id est, impedimenta hu-
milium, post te subauditur sicut post me, ver
bi gratia, dum dicit. Si circuncidamini Chri-
Galat. 5. stus vobis nihil proderit? Qui enim in humi-
Act. 9. lium mente fidelium legis duritiam redar-
guendo contriuit, quid aliud quàm in valle
post me glebas fregit? Nunquid fiduciam ha
bebis in multa fortitudine eius, subauditur
vt ego, qui longè ad gẽtes mitto eum, vt por
tet nomen meum coram regibus aut gentib.
Et derelinques ei labores tuos, subauditur vt
ego, qui hoc facio, vt dicat, suppleo ea, quæ
desunt passionum Christi in carne mea, nimi Coloss. 2.
rum septies afflictus, quemadmodum ipse di
cit. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sũ,
ter naufragium pertuli? Nunquid credes ei,
quòd reddat sementem tibi, id est, fructiferã
prędicationem, & aream tuam congreget, id
est, ecclesiæ latitudinem in vnam fidem am-
plificet? Subauditur, non credes. Nam & A-
nanias, Domine, inquit, audiui, à multis de
viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis, &
cæt. Non enim credebat, quod Aream domi
ni congregaturus esset, qui illam hactenus e-
lationis cornu ventilauerat.

De duobus illis principibus fortissimis, quomodo cõ corditer Romam illam pro crudelitate bestiam, pro er rore asinam, contra hereditariam germanorum Romuli & Remi discordiam adierint, & ad vnius fidei concordiam perduxerint.

CAPVT IX.

MAgna igitur hęc in isto mutatio dexte
ræ excelsi, magnum & mirificum in
ambobus scilicet, Petro & Paulo experimen
tum huius spiritus fortitudinis, quorum alte
rum falsò fortem, alterum verè timidũ, am-
bos autem veraciter sic sanauit infirmos, &
sic sua fortitudine armauit, vt irent in illam
Romam mundi dominam, tropicè Babylo-
niam dictam, magnam & terribilem bestiã, Daniel. 7.
comedentem, vt superius iam dictum est, dẽ-
tibus ferreis, atque comminuentem, & reli-
qua pedibus conculcantem. Veruntamẽ pro
parte illorum, qui crediturí erant, errãtes per
stultam simplicitatem, vel simplicem stulti-
tiam, dicamus veraciter illam fuisse asinã, &
tũc dominũ Iesum duos misisse discipulos vt
eandẽ soluerẽt asinã, siue caput asinæ. i. prin-
cipẽ gentilitatis quãdo istos veritatis p̃dicato
res ad illã misit Romã. Alligata. n. erat vincu
lo diabolicæ seruitutis, & dicturi erãt qui ser
uitio eius abutebantur. Quid facitis soluen- Marc. 11.
tes asinam? Dominus autem. Si quis, ait, vo-
bis aliquid dixerit, dicite quia dominus opus
habet. Venerũt duo isti hoc propositum ha-
bentes, vt quamuis cũ gladijs & diuersis pœ
nis diceret eis, quid facitis, non cessarent, nõ
desisterent fortes, fortissimi vinculi solutо-
res, dicentes. Dominus hac opus habet, domi
no necessaria est. Quid autem pulchrius hac
duorum oppositione fratrum spiritualium,
contra duos fratres, qui vrbem illam funda-
uerunt? Duo namq; fratres Romulus & Re
mus illam fundauerunt malo nimirum au-
spicio, vt nũquam deesset ciuilis discordia. vt
noua semper in illa recrudescerent bella ciui
lia. Nam vt nobis auctor ait. Fraterno primi
maduerunt sanguine muri. Romulus quip-
pe Remum interfecit per impatientiam con
sortij. Vndè idem dicit. Omnisq; potestas im
patiens cõsortis erit. Pulchro igitur nimirũ
spectaculo contra germanos discordes missi
sunt hi duo spiritu fratres spirituali germani
tate concordes, vt super vetera discordię fun
damenta,

damenta, nouum concordiæ fundamentum
Christum ponerent, nouamq; magno regi
Deo ciuitatem struerent cum sui profusione
sanguinis, quæ pro magna firmitate Aposto
licæ fidei veraciter dici meruit iustitiæ sedes,
fidei domus, aula pudoris, cùm antea fuisset
superbiæ solium, auaritiæ profundum, vora
go sanguinis, & puteus homicidiorum.

De Nerone diabolicæ crudelitatis satellite, et quòd nihil profuit sessori eius satanæ, quòd istos occidit vno eodemq; die, sed tamen (vt aiunt quidam) vno anno intercurrente.

CAPVT X.

IAm multitudinem gentium isti Christia-
næ pietatis principes vicerant, ac bene pro
stratis, victoriæ Christi titulos inscripserant,
eum tandem in illam arcem inclytam impe-
tum fecerunt, præsidente Nerone, totius cru
delitatis quodam proprio satellite, cuius cru
delitatem simulque insuetam impuritatem
toto mundo iam sciente, quidam sapiens ad-
huc admirans, nec solùm admirans, sed etiã
quia potens fuisset, indignans deflebat, ita di-
cen :

Nouimus quantas dederit ruinas
Vrbe flammata, patribusq; cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto
Matris effuso maduit cruore,
Corpus & visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lachrymis, sed esse
Censor èxtincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat
Quos videt condens radios sub vndas
Phœbus, extremo veniens ab ortu.
Quos premunt septem gelidi triones.
Quos nothus sicco violentus æstu
Torret, ardentes recoquens arenas.
Heu grauem sortem, quotiens iniquus
Additur sæuo gladius veneno.
Item. Quamuis si tyrio superbus ostro
Comeret, & niueis lapillis,
Inuisus tamen omnibus vigebat
Luxuriæ Nero sæuientis.

Nam luxuriæ quàm sæuientis fuerit, quã
ta impuritatis, & crudelitatis flagitia siue sce
lera commiserit, historiæ plurimæ referunt,
ad præsentem autem locum hoc tantùm di-
xisse attinet, quia tali persecutore nomini
Christiano gloriari licet, quia nõ quiuis, vel
qualiscunque, sed totius obscenitatis nothus
magister, hoc nomen persequendo habitanti
in se spiritui immundo contrarium esse testa
tus est. Itaque tali homuntione Romano or-
bi principante, vexillum pietatis isti Aposto
lorũ principes magnæ vrbi intulerunt. Quid
faceret aut proficeret draco ille serpens anti-
quus, qui est diabolus & sathanas, qui tunc
in illa vrbe cubabat, & super talis imperato-
ris impuram ceruicem incumbebat? Ligaue-
Apoc. 10. rat enim illum, vt superius iam dictum est,
angelus ille, qui descenderat de cælo, habens
clauim abyssi, & catenam magnam in manu
sua. Nihil ergo valuit contra protectorem
eorum spiritum fortitudinis, sed pro illo sæ-
uiens, vtpote toto nequitiæ afflatus spiritu
Nero, corpora tantum occidit. Sed quid hoc
satanæ profuit? Nunquid morte illorum spi-
ritus iste immortalis extingui potuit? Non
vtiq;, sed magis in plures abundauit gratias.
Non sic in Petro Christus iterum crucifixus
aut in Paulo in quo loquebatur, sic est gladio
cæsus, vt postea non loqueretur. Imò magis
conualuit sermo dei, cum illorum morte pu
taretur extinctus. Sic Samson fortissimus, cũ
proiecisset de manu mandibulã asini, in qua
percusserat mille viros, sitiuit quidẽ, sed non
defecit. Aperuit enim dominus molarem dẽ Iudic. 15.
tem in maxilla, & egressæ sunt aquæ ex eo.
Quibus hausti refocillauit spiritum, & vires
recepit. Nunquid enim verus Samson Chri-
stus dominus, istos deseruit morientes, aut in
ipsa morte proiecit, vt desereret mortuos,
per quos viuẽtes pugnauit & vicit. Nam fue-
rant isti, quasi mandibula asini, id est, non se-
cundum carnem valde nobiles, aut inclyti,
maximè Petrus, qui non imperator aut sena
tor, sed piscator fuit. Non vtique deseruit,
aut proiecit, veruntamen occidi permisit, at-
que prosterni, sed sic prostratis sepulchra eo.
rum viuas aquas emanauerũt, corpora eorũ
miraculorũ gratiam profuderunt, & hoc fi-
dem Christi, ne deficeret refecit, atque in plù
res abundare copias fidelium fecit. Et Alter
quidem eorum cruci affixus pependit, alter
gladio cecidit. Petrus affigendus cruci humi
liter fortis, & fortiter humilis dixit. Quoniã
dominus meus Iesus Christus de cælo ad ter
ram descendit, recta cruce sublimatus est, gi-
rate crucem meam, quia non sum dignus ita
crucifigi sicut dominus meus. At illi verte-
runt crucem, & pedes eius sursum, manus ve
rò fixerunt deorsum. Super hoc quidam fi-
delis & in fide laudabilis, metricè canens, ita
dixit. Figitur ergo manus subter sola versus
in cacumen. Hoc mente maior quo minor
figura. Nouerat ex humili, cœlum citius
solere adiri. Deijcit ora spiritũ daturus. Pau-
lus gladio feriendus, & horam illam susti-
nens, dicit eodem spiritu confortatus. Ego
enim iam delibor, & tempus meæ resolu- 2. Tim. 4.
tionis instat. Bonum certamen certaui, cur
sum consummaui, fidem seruaui. In reliquo
reposita est mihi corona iustitiæ. Et subinde.
Dominus mihi astitit, & confortauit me, vt
per prædicationem adimpleatur, & audiant
omnes Gentes, quia liberatus sum de ore le-
onis. Creditur ambos vno eodemque vni-
usque eiusdemque diei anno inclyto cælos
decorasse martyrio, nõ tamen desunt, qui pu
tent eodem quidem die, sed non eodem mar
tyrium compleuisse anno. Vnde idem qui
supra. Vnus vtrunq; dies pleno tamen innо-
uatus anno, vidit superba morte laureatum.
Et subinde. Vt teres orbis iter flexi retro
percucurrit anni, diemq; eundem sol redu-
xit ortus, euomit in iugulum PAVLI Nero
feruidum

Universidad de Deusto
Biblioteca

feruidum furorem, iubet feriri gentium magistrum.

Quòd in cæteris Apostolis idem prædicandus sit spiritus fortitudinis.

CAPVT XI.

EAdem in cæteris quoque Apostolis mutatio dextræ excelsi, idémque prædicandum est opus spiritus sancti, spiritus fortitudinis. Omnes quippe ante aduentũ eius infirmi erant, & per aduẽtũ eius fortes facti sunt. Vbi enim ministri comprehenderunt Iesum relicto eo omnes fugerunt, sicut prædixerat *Matth.26. Ioann. 16.* illis. Modo, inquit, creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in propria, & me solum relinquatis. Ergo infirmi erant, & isto confortatore opus habebãt. Propterea dicebat continuò, ascensurus in cẽlum. Ego mittam promissum patris mei in *Lucæ 24.* vos. Vos autem sedete in ciuitate, quo adusque induamini virtute ex alto. Venit ista virtus, & induit eos, & sic fortes reddidit, vt terrorem nemo incuteret illis. Scriptum est enim. Et conuocantes Apostolos cæsis denun*Act. 5.* tiauerũt, ne omninò loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant *Ioan. 16* gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Vera ergo erant virtute induti in fortitudine gaudentes, in gaudio fortes, de quo itidem dixerat eis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hanc illis collatam fortitudinem, siue firmitatem, per illum fortitudinis spiritum Propheta longè *Psal.18.* antè præuidens, cæli, inquit, enarrãt gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Cælos dixit eos, qui prius terra erant, firmamẽtum nuncupauit eos, qui prius infirmi fuerant. Et rectè. Sic enim confirmati, omnem terram prædicatione intonando, & miraculis fulgurando attonitam reddiderunt, nam sicut subiunctũ est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum Andreas Achaiam, Matthęus Aethyopiam. Thomas & Bartholomæus Indiam, cæteri que Apostolorum, cęteras partes orbis terrarum præliaturi, cum vexillo crucis inuaserunt, & victoris Christi titulos victi diaboli partibus inferentes, suum liberter sanguinem superaddiderunt, & vbique terrarum ecclesiam suo sanguine plantauerunt.

De Ioanne Apostolo, quòd & ipse calicem domini bibit, licet in pace vitam finiuit.

CAPVT XII.

POst Neronem secundam in Christianos persecutionẽ Domitianus excitauit. Ab isto dilectus domini Iesu, Ioannes in feruentis olei dolium missus est, sed amatoris sui, se protegente gratia illæsus exiuit, vt scilicet vitam in pace finiret iuxta veritatem dicentis. *Ioan. 12.* Si eum volo manere, donec veniam. Dixe*Marc. 10.* rat autem iam dudum huic, & fratri eius Iacobo idem dominus Iesus. Calicem quidem meum bibetis, sedere autem mecum non est meum dare vobis. Num ergo sententiæ suæ, sapientia oblita est, quando dixit, sic eum volo manere donec veniam, & hac voluntate fixa seruauit eum, vt præsentem in pace finiret vitam? Nam Iacobus quidem frater eius, calicem eius bibere potuit, & primus omniũ Apostolorum in Iudæa bibit, occisus gladio perfidi Herodis Hic autem post omnes apo *Act.12.* stolos in pace obdormiuit, gratias agens, & dicens. Inuitatus ad conuiuium tuum, Venio gratias agens, quia me dignatus es Domine Iesu CHRISTE, ad tuas epulas inuitare, sciens quòd ex toto corde meo desiderabam te. Descenderat autem in foueam dicturus orationem hanc, & postea inuenta est illa fouea plena, nihil aliud habens in se, nisi manna. Num igitur suæ (vt iam dictum est) sententiæ dominus oblitus est, qua dixerat. Calicem meum bibetis? Non vtique nam & iste calicem domini bibit, non solum quia in feruentis olei dolium missus, & propter inseparabilem euangelizandi constantiam in Padmos insulam deputatus est, verum etiam, quia quod maximè prædicandũ, quodque maximè præconio dignum est, vbi beatæ virginis & genetricis animam gladius pertransiuit, ibi & anima vulnerata est huius dilecti. Alijs namque discipulis fuga dilapsis, iste cum illa matre stetit iuxta crucem domini, viditq; illum proprijs oculis bibere calicẽ passionis. Quòd si complacuit patri, qui filio *Leuit. 2.* suo calicem illum dedit, si ita visum est filio, *Ioan.19.* qui calicem illum bibit, vt censeret illum in hoc ipso bibisse calicem suum, quòd in illa tali hora proximus astitit, quis est, qui reprehẽdere posit? Neque enim sic studiosus quisquam est, vt paruifaciat quod dixerat Symeon matri eius, & tuam ipsius animam gladius pertransibit, pro eo quòd visura erat, quando vniuersitas viscerum eius, in illo filio suo crucifigeretur. Stabat autem (vt iam dictum est) cum ea iuxta crucem iste quoque dilectus, & siquidem credis, ipse quoque mente vulnerabatur. Quapropter, vt iam credimus non caret omni magni huius honore præconij, quòd & ipse biberit calicem domini.

De glorioſis martyrib. martyrumq; bellis atq; victoriis, q̃ nunquã tanto vel tali conflictu pugnauerũt Abel atq; Cain, licet & ante Christi aduentum semper discordes fuerint. CAPVT XIII.

POst insignes ducũ. i. Apostolorũ triumphos, victoriosa sequũtur bella martyrũ magna ira diaboli, magna fortitudine spiritꝰ sancti, magna strage corporũ, magna glorificatione animarũ. Nunquã tantis animis, tãtis & talibus armis cõuenerant in campũ pugnaturi hinc Abel, & inde Cain, hinc ciuitas dei, inde ciuitas diaboli, hinc S. Hierusalem, inde Babylonia meretrix. Et quidẽ antiquis inimicitijs olim quoq; pugnauerãt, multosq; & memorabiles in alterutrum impetus fecerãt, sed alio genere armorum, alijs causis bellorũ alia specie victoriarum. Etenim quando pa*Gene.14.* ter beati seminis, pater fidelis Abraham cum *Nu.12.13.* trecentis decem & octo vernaculis suis reges quatuor victores insecutus vicit, quando Moyses dux populi domini Seon regem Amorræorum, & Og regem Basan occidit, & *Ioſ.10.12. 15.* filios Israel vltus est, de Madianitis, quando Iosue tot gentes, tot Chananęorum reges *1.Reg.17.* interfecit, quando tot iudices pugnauerunt contra gentes, & toties liberauerunt filios Israel, quando Dauid Philisteum percussit, & tantis deinde bellis hostes Israel contriuit, nunc quoque ciuitas dei contra ciuitatem diaboli, & generatio fidei, pugnabat quidẽ contra generationem peccati, sed alijs, vt dictum est, armis, alio genere belli, alia specie triumphi Hic iam noua bella elegit dominus, vbi princeps ipse cùm ascenderet ad preliandum ad mittendum foras fortem armatum principem huius mundi diabolum, dixit Petro. *Matth.26.* Conuerte gladium tuum in vaginam. Puta*Lucæ 22.* bat Petrus illo, de quo iam dictum est, vetusto more sibi esse pugnandum, & ob hoc paulò antè dixisse dominum eundem. Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Terreno adhuc sensu occupati, cùm hoc audissent dixerunt. Domine ecce duo gladij hic. At ille non talem gladiũ quærebat, & idcirco statim dixit eis, Satis est. Tãquam diceret: Tali gladio satis hactenus sub lege vel permissu legis pugnatum est, nunc iam istum gladium recondite in vaginam, & alium gladium, scilicet Dei verbum, de quo *Psal.44.* scriptum est. Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissimè, qui non habet, emat vendita tunica, id est, postpositis omni facultate terrena, vt liber expeditus magnum non contra homines, sed contra hominum vitia, manu forti gladium euaginare valeat. Qua voce, quali sermone, hæc tam mira, tam quę magnifica loquemur prælia? Supra nos est hoc bellum, altius est, quàm vt sermo noster cõsequi valeat hoc genus bellorum. Audimus potius, quid de huiusmodi prælio spiritus dicat.

De martyrum perſecutionibus iuxta illud de Apocalypſi. Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet deuoraret filium eius.

CAPVT XIIII.

Apoc.12. ET signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta sole, & sub pedibus eius luna, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur, vt pariat. Et visum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decẽ, &c. Mulier nempe ista sancta ecclesia est, mulier quõdam nuda nuditate illa, quam in primis parentibus per peccatum accidisse sancta scriptura denotat, nunc autem amicta non amictu qualicunq;, sed amicta sole, id est Christo sole vero, sole iustitiæ. Omnes enim, in- *Galat.3.* quit, Apostolus, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et luna sub pedibus id est, mutabilitas bonorum temporaliũ in contemptu eius. Non ita hactenus. Pro temporalibus enim bonis, pro terra enim non viuorum, sed morientium, videlicet pro terra Chanaan hactenus ecclesia gladio materiali pugnauerat. Non ergo prius fuerat luna sub pedibus eius. Nunc autem perfecta sit, omni mundo abrenuntiare, imò & proprium corpus, vel animam suam odisse iubetur, & ecce nimirum luna sub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim stellarum. In capite eius, id est, in initio eius, corona stellarũ duodecim, decus est Apostolorum duodecim. Si ue Christum intelligas, siue ipsum primordium eiusdem nascentis ecclesiæ capitis nomine designatum., duodenario caput eius ornatum est numero Apostolorum. Et in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Clamor eius vtique bellum cõtra ipsam excitauit, quod subiunctum est. Imò clamare illi veraciter pugnare, hostemq; prouocare fuit. Quid enim erat, mulierem in vtero habere, & clamare parturientẽ, & cruciari vt pareret, nisi habere in corde bonum Dei verbum, de spiritu amoris dei conceptũ, & prædicare per magnum charitatis affectũ, & nimium solicitari pro generatione filiorum spiritualium. Neq; enim solus hoc Paulus dicere potuit. Filioli mei quos iterum parturio, donec in vobis Christus reformetur. Vniuersi ordinis prædicatorum quoscunq; *Gala.4.* spiritus sanctus misit, qui ordo verè mater ecclesia est, vniuersi ordinis eorum intentio talis est, talis affectus, vt spirituales parere filios, & Christum formare valeant in suis auditoribus. Idcirco quia charitate Christi vrgẽtes, tacere non potuerunt, quemadmodum mulier in vtero habens, dum cruciatur vt pariat, tacere non potest iratus est diabolus, & contra illam cõsurrexit in bellum. Sequitur ergo. Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septẽ, & cornua decem, & in capitib. suis *Apo.12.* septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, deuoraret filiũ eius. Diabolus enim sæuitia cruentus, malitia insidiosus contra ecclesiam potentia regni terreni armatus est. In septem capitibus omnes reges eius, in decem cornibus omnia regna mũdi intelligimus, de quib. quasi cornibus suis superbit elatus. Nã & in euangelio ad ipsũ dei *Matth. 4.* filiũ audet, & dicit, ostẽdẽs illi oĩa regna mũ *Lucæ 4.* di, & gloriam eorum. Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Tu ergo si adoraueris me, erunt omnia tua. Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, quia videlicet innumeram partem angelorum

vel ho

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel hominum, dolo fallente, quasi cauda deiecit. Cauda eius est pars cæca, pars immunda, suiq; velamine contegens immũda ne pateant. Stetit ante mulierẽ, vt cum peperisset, deuoraret filium eius. Insidiabatur matri ecclesiæ diabolus iam tunc, cum hæc sacramenta cernerentur. Christum id est, fidem Christi quam illa prædicabat, extinguere contendens in cordibus credentium. At illa peperit
Psalm.2. puerum masculum, semper enim licet aduersante dracone peperit ecclesia Christum. Parit, inquam, masculum, id est, fortem, vt videlicet eum, qui fœminam vicerat, vincat diabolum. Nam quis alius filius, quis alius masculus regit gentes in virga ferrea, id est, inflexibili iustitia bonos regens, malos tanquam vas figuli confringens? Hunc talem filium beatæ mulieris, draco deuorare volens vt nunquam esset memoria vel fides eius, ante illam stetit. Sed quid? Et raptus est, inquit, filius eius ad deum, & ad thronum eius. Reuera multum hoc peruersæ voluntati aduersatur draconis iracundi, quòd masculus huius mulieris filius, non inter mortuos permansit, aut caro eius corruptionem vidit, sed cito resurrexit, & in cœlum ascendit, & sedet à dextris dei. Nisi sic factum fuisset, rursus iste
Psalm.87. draco, id est, homicida diabolus, memoriam eius quanta nunc apud nos est, delere potuisset. Idcirco ipse in psalmo resurgere festinans cùm dixisset. Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, &c. continuò subiunxit. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabũt, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis misericordiam tuam in sepulchro, & veritatem tuam in perditione? Tanquã diceret. Per resurrectionem meã facies mirabilia mortuis, spiritualiter eos resuscitãdo per medicos tuos, & ad cognitionem tui deducendo, atque iustificando, quod non fieret me manente in sepulchro & in perditione, vt inimici exoptãt. Hoc est, quod sub illis interrogationibus dixit. Ergo quasi quæreretur, quare filiũ mulieris huius draco non deouarũit, qui ad deuorandũ stetit, subiuncta causa est, quia raptus est filius eius ad deum & ad thronum, id est, quia Christus resurrexit à mortuis, & ascendit ad patrem & sedet à dextris eius. Postmodum subditur. Et iratus est draco in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius. Hoc est prælium, quod nunc miramur, quod præsenti loco in laudem & gloriam spiritus sancti, spiritus fortitudinis, prædicare intendimus.

De prælijs martyrum secundum mysticam similitudinẽ belli Gedeonis, & de eo quod sequitur in Apocalypsi: Et factum est prælium magnum in cælo: Michael & angeli eius præliabantur cum dracone.

CAPVT XV.

OLaudabilem reliquorum exercitum, qui de semine mulieris huius sunt vel fuerunt. Prædicando pugnauerunt, patiẽdo vicerunt, moriendo triumphauerunt. Foris draco præliabatur, deintus superabatur, foris frangebat vasa fictilia, deintus aurea radiabat victoria. Corporaliter moriendo vinci videbantur, spiritualiter victores coronabãtur. Sic futurum quondam præsignabatur, *Iudic. 9.* duce Gedeon pugnante mirabiliter aduersus agmina Madianitarum. Dimisit ille trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in in manibus eorum, lagenasq; vacuas ac lampadas in medio lagenarum. Itum est ad prælium, confractisque lagenis, lampades emicuerunt, quarum coruscante luce, hostes terriți in fugam versi sunt. In tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis designata est fragilitas corporum. Consonuerunt tubis, dum prædicauerunt, cõfregerunt lagenas, dum corpora sua propter Deum ad supplicia tradiderunt, resplenduerunt lampadibus, dum post solutio-
nem corporũ miraculis coruscauerunt. To- *Apoc.12.*
ta itaque pugna cælestis, tota victoria spiritualis. Idcirco continuò post fugam mulieris in solitudinem subiungitur. Et factum est prælium magnum in cælo, Michael & angeli eius præliabãtur cum dracone. Et draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neq; locus eorum inuentus est amplius in cælo. Nam quia spiritualiter per administratorios spiritus, victoria contra diabolum in cælo, id est, Ecclesia peragitur, Michael, quod interpretatur, quis sicut Deus, & angeli eius præliari dicuntur, quia verò prælium ipsum sanctorum martyrum est, propter quos administratorij vel auxiliatores sancti angeli mittuntur, continuò subditur. Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem agni, & propter verbũ testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsq; ad mortem. Istis itaque scilicet beatis martyribus visibiliter in oculis insipientium morientibus, & illis videlicet beatis angelis inuisibiliter propugnantibus, Locus liber factus est in cælo. Locus & religio parata est in Ecclesia Deo viuo & vero, vt in pluribus tẽplis sacrificaretur iam Deo vero, quam antea in delubris sacrificabatur diabolo. Ait ergo. Et proiectus est draco ille serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbẽ, proiectus est in terram, & angeli eius cũ eo missi sunt. Nimirum quòd hic in terram proiectus dicitur, ad illud pertinet, quod rex ipse marty- *Ioan.16.*
rum continuò passurus, dicebat. Nunc princeps mundi eijcietur foras. Etenim vbi ille passus est, potestate quidem principem mundi siue draconem istum continuo foras misit, de omnibus sanctis siue electis quoscunq; præsciuit, & destinauit, ab origine mundi, verũtamen actu tunc eum de illis tantum foras misit, quos in se credentes habebat, siue mortuos siue viuos, in eodem tempore suæ passionis. De illis ita foras missus est, vt ne saltem

saltem prẽliari aduersus illos valeret, de illis autem qui prædestinati quidem iam erant, sed vocati nondum erant, sperare adhuc audebat, quod vinceret, ne vocantem sequerẽtur, & hac spe præliabatur iracundus, & vehementer iratus. Vndè & continuò dicitur. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnã, sciens quod modicum tempus habet. Magnum quippe væ illis imminet, quos nequissimus hostis iratus possidet, tanquam terrã comedens, atq; conculcans, & tanquam mare conturbans, & irã quam habet ex eo, quod de spiritualibus expulsus est, in eos quos arctius includit, vindicans. Nam terra ista, illa est, de qua olim serpenti dicebatur. Terram comedes cunctis
Gen.5. diebus. In hac terra præliantibus, vtiã dictũ est, Michaele & angelis eius, & martyribus sanctis morientibus, & moriendo vincentibus, sub pedibus eorum cõteritur, sicut scriptum est. Super aspidem & basiliscũ ambula-
Psalm.90. bis, &cætera.

De eisdem triumphatoribus innumerabilibus, iuxta illud: Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.

CAPVT XVI.

Apoc.7. QVis horum triumphatorum multitudinẽ dinumerare potest? Scriptum est enim. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes. Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Deniq; victores isti tam fortes, tam inclyti, palmas habentes in manibus, & amicti stolis albis, & si omnes electi rectè intelligũtur per baptismum stolis amicti, & per crucis triumphum palmis adornati, maximè tamen hi sunt, de quibus loco supra memorato iam dictum est. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem, & verbum testimonij sui, & nõ dilexerunt animas suas vsq; ad mortem.
Apoc.7. Itemque alio loco. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Arbitramur enim præter illam stolam primam, quã omnes in baptismo accipimus, quæ vniuersalis & omnium regeneratorum vna est, esse & proprias singulorum stolas, iuxta hius quoq; scripturę locũ alium, byssinas, byssinum enim, inquit, iustificationes sanctorũ sunt. Huiusmodi stolas prẽliatores isti de tri-
Apoc.19. bulatione magna venientes lauerunt in sanguine agni, quicunq; post iustificationũ byssinum, post pulchrum bonorũ operum ornatũ, meruerũt sanguinẽ suum fundere pro testimonio eiusdẽ agni Christi filij Dei. Fuerunt tamen quam plurimi, qui nondum eiusmodi stolis adornati cucurrerunt ad confessionem sancti nominis, & adhuc recenti baptismo nitentes, nullis operum præculti ornatibus, induerunt gloriam martyrij. De talium fide quidam ita cecinit.

Prudentius in Psycho.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas exerta lacertos.
Nanq; repentinus laudis calor ad noua feruens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi.
Pectore sed fidens valido, membrisq; retectis,
Prouocat insani frangenda pericula belli.

Igitur omnes quidem victores sunt, & palmæ in manibus eorum, qui ad regnum Dei perueniunt, quia non nisi hostem eiusdem regni vincendo perueniunt, sed longè cæteris præeminẽt hi, qui dupliciter vicerunt, & resistendo peccatis, siue suggestionibus serpentis antiqui, quæ omnium electorum cõmunis victoria est, & non diligendo animas suas vsq; ad mortem, qui specialis beatorum martyrum triumphus est. Etenim supereſt istis illud, hodieque canticum in cælo, id est, in ecclesia, voce magna dicentium. Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum dei nostri die ac nocte. Sequitur enim. Et ipsi vicerunt illũ propter *Apoc.12.*
sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.

De eisdem cum domino & rege suo venturis, & de beato Laurentio, quòd eum præterire non patiamur.

CAPVT XVII.

ECce nunc pugnatorum istorum triumphalem celebramus lætitiam, sed nondũ *Apoc.19.*
videmus ipsam triumphi illorum gloriam. Sed ecce apparebit dominus quem expectamus, & quamuis moram faciat, expectantes non deficimus, quia veniens veniet, & cum eo sanctorum istorum milia, habens in fœmore suo scriptum: Rex regum, & dominus dominãtium. Veniet cum pompa triumphi sui, cælis trementibus, cunctisq; motis cælorum virtutibus, præeuntibus huiusce belli insignibus, armisq; militaribus, discinctis iã post laborem militibus istis, quo laboraue-
runt in toto belli procinctu, & non cum paruo cæli & terræ spectaculo procedentibus. Super omnia triũphi insignia victoriosa regis eorum apparebit crux. Non valemus cũctorum notare facies vel singulorum pia citare vocabula, multi enim & nobis innumerabiles sunt. Regem ipsum totius fortitudinis principem dominum Iesum appellamus vt dum procedit cum illo triumpho suo, nobis spectantibus, parumper subsistere dignetur, & eadem manu qua victorib. istis præmia largitur, nobis veniam nõ deneget propter hoc ipsum nomen quod dicimus, dominus Iesus. Vnum tamẽ incognitum siue inaspectum ex istis principibus præterire nõ patimur, illum nimirum, qui lateri eius tã proximus imminet, mirandus aspectu, reuerendus habitu, igneus atq; rubicundus, statura

Universidad de Deusto
Biblioteca

procerus, & scintillãte facie serenus, vtpote de camino ignis assumptus, & talis, vt taurũ, quod per ignem probatur. Hic talis, vt credimus, nos aspicit, & regis sui præconia diligentes ac diligenter prędicantes intueri non dedignatur. Si nomen eius quæras, Laurentius est, quod nomen ex ore ipsius regis, & domini ei⁹ maximè audire delectet, quia videlicet tali regi talem nominare, atque commendare militem dulce ac præcordiale est. Quod si hoc ipsum nomen, ipse, qui in libro suo scripsit suis in nostro auditu interiori labijs expresserit, & in corde nostro sua enuntiatione lingua eius. i. spiritus eius impresserit, vt sensibiliter de illo quippiam vel breuiter dignè valeamus eloqui: non dubium est, quia respõdebit, & illa dilectione qua fortis in morte, & fortior morte non potuit ignib. exuperari, nobis paruulis cum osculo sancto hilariter arridebit.

De morte eius inusitata, quomodo quasi tuba maxima per totum mundum sit audita, et quod ipsum præsciens Hyppolito dixerit: Postmodum cum clamauero audi & veni.

CAPVT XVIII.

Dictum est ante nos. Antiqua Phanorũ parens Iam Roma Christo dedita, Laurentio victrix duce, Ritus triumphas barbaros. Reges superbos viceras. Populosq; frenis pressleras. Nunc monstruosis idolis imponis imperij iugum. Non turbulentis viribus, Cosi, Camilli atque Cæsaris, Sed martyris Laurentij Nõ incruento prælio Armata pugnauit fides, Proprij cruoris prodiga, &c. Et quidem hoc de omnibus dici potuisset sanctæ Romanæ ecclesiæ martyribus, quia ducibus illis, ritus Roma triumphauit barbaros, sed hic triũphi illius dux præcipuus est, quippe cuius mors insolita siue inusitata, quasi totius belli tuba maxima vniuerso mũdo audita est, & iugiter personat. Cuius mortis suæ nouitatem omnibus seculis admirandam, & ipse præsentiens propria satis & grauissima enuntiatione suo tyroni Hyppolito dicebat. Magis in absconditis in homine interiore absconde Christum, & postmodũ cum clamauero audi & veni. Dixerat. n. ille, quare & ego non vociferor, quia Christian⁹ sum, & tecum incumbo, Romanum videlicet benè æmulans, qui ibidem Christianam tantummodo professus militiã, clamansque Christianus sum, continuò cum palma martyrij vitæ æternæ arripuerat donatiuum. Dixit ergo, cùm clamauero audi & veni, magnum vtique suæ passionis miraculum paruæ rei, scilicet vocali cõparans clamori, quia modus dictionis vocatur tapinosis. i. humilitas magnæ rei, non id agente sententia quod ostẽdit. Aliàs aũtverè rẽ magnã nõ omninò humiliauit, imò magnificauit: dicẽdo enim, cum clamauero, illam mortem suam ingentem fore clamorem significauit, eo nimirũ sensu, quo sanguinem protomartyris Abel, de terra ad Deum clamare legimus. Et hunc clamorẽ audi, inquit, & veni, videlicet quomodo ad classicum magni ducis, ad sonitum tubæ ingentis, excitus atq; excussus miles animosus ad bella procurrit. Igitur post apostolorum principes, qui de priori venerunt ecclesia Iudęorum, de carne patriarcharum & prophetarum, dux iste maximus est ecclesiæ gentium, ecclesiæ Romanæ Matris ecclesiarum, & hoc duce, inquit ille, ô victrix Roma, ritus triumphas barbaros, quod non potuisti turbulentis viribus Cosi, Camilli, atque Cęsaris. Nam illi econtra, dum homines vincerent, vt dominam te facerent populorum, barbari ritus ancillam, & multorum fecerunt captiuam dæmoniorum. *Gen. 4.*

Quòd martyr iste, alter Abel quadã similitudine sit.

CAPVT XIX.

Animaduertimus hic dignum quid & pulchrum, scilicet hunc esse Abel alterum propria quadã similitudine, præter cõmunem distantiam vel oppositionem bonorum & malorum, iuxta quam omnes boni, Abel, oẽs mali, Cain dici consueuerũt. Quid enim Roma pro parte impiorũ, qualis eatenus extiterat, nisi fratricidę Cain ciuitas, vel dedicatio siue possessio fuerat? Nõ hoc dicimus, quòd ad hoc mysterium quicquam illud pertineat, quòd Romulus conditor vrbis fratrem & cooperatorem suum Remũ occidit, & quod sicut ait quidam:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Vterq; enim Cain, quomodo post illos Sylla & Marius, vel Cæsar, & magnus Pompeius, sed hoc dicimus, quia Cain & ciuitas eius erat vniuersa Roma, & omnes qui illam condiderunt, prælijs prouexerunt, & sanguine gentium impleuerunt. Abel autem sunt & fuerunt omnes, quicunq; in illa vel ex illa de eodem patre Romulo, vel de eadã matre Roma secundum carnem geniti, de Christo, & sancta eius ecclesia secũdum spiritum regenerati sunt, quomodo omnes quicunq; ab initio vsque ad finem seculi, quacunq; in parte mundi, quacunque ex gẽte secundum carnem geniti, secundum fidem regenerati sunt, vel regenerantur Deo, oẽs sunt Abel, & qui ad eos non pertinent, omnes contrario sunt Cain. Præter hanc, vt iam dictum est, communem siue vniuersalem oppositionem vtriusque generationis bonorum & malorum, propria quadam similitudine hic beatus martyr apud nos gentes est Abel, & qui illum occidit Decius Cæsar impijssimus erat Cain.

Quid simile habuerit vel egerit, vt meritò dicamus, quòd alter Abel iste sit, et de clamore eius, quid dicendo vsq; hodie in sancta ecclesia clamare non desinit.

CAPVT XX.

Primùm nemo qui nesciat vel perpendere non valeat, quia sicut ille Abel obtulit sacrificium, & respexit deus ad eum, & ad munera eius, & illud fuit causa mortis eius, sic iste magnum & famosum obtulit Deo sacrificium, thesauros ecclesiæ dando pauperibus, & hoc nihilominus fuit prima causa mortis eius. Iratus est ille Cain, & concidit vultus eius, quando vidit quod respexisset dominus ad Abel & ad munera eius, iratus est & iste possessor siue possessio mortis, atque profundæ auaritiæ tyrannus, vbi vidit pauperes, quorum manus facultates quas requirebat, deportauerunt, & intulerunt thesauris cælestibus. Iratus est, inquam, & concidit vultus eius, neq; enim aspicere vel intẽdere poterat altitudinem siue claritatem eorum, quę dicebãtur hoc modo. Isti sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur aut decrescunt, qui in singulis asperguntur, & in omnib. inueniuntur. Nos autem videmus, quia Christiani pauperes, verè ęterni thesauri sunt, quippe quib. talenta gratiarum distributa sunt. Alij enim, inquit Apost. per spiritum datur sermo sapientię, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodẽ spiritu & cætera charismata, quę nimirum à præposito vel domino diuitiarũ cælestium, spiritu sancto fidelib. pauperib⁹, plerunq; citius atq; vberius porriguntur, vt habeant peregrinãtes in misero corpore, vn dè paupertatem atq; abiectionem siue debilitatem suam consolentur. Et hæc nimirum dona de thesauris domini in singulis aspersa, in omnibus inueniuntur, omnibus enim commune charitas facit, quod singulatim vnicuiq; tribuitur, sicut commune est omnibus membris vnius corporis officium, quo vnum quodlibet eorum membrum fungitur. Tales thesauri nunquam decrescunt aut minuuntur, nõ enim perit vlli spirituale donum, quando illud vtilitati proximorũ impartitur. Iratus est igitur, & ita concidit vultus eius, sicut de similib. eius dictum est per Psalmistam. Oculos suos statuerunt declinare in terram. Dictum est enim hoc à similitudine quorumlibet iudicum aut tyrannorum, qui quoties aliquos volunt crudeliter puniri, nolunt plagas intueri, sed terram intuentur, ne fortè sanguinem eorum intuentes, ad misericordiam flectantur. Hoc ergo vt de isto dictum sit, quia vultus eius in terrã decidit, cuius propositum fuit, nullos circa hominem innocentem habere oculos humilitatis. Et ille quidem ad fratrem suum, vt occideret eum, egrediamur foras dixit. Hic autem intus intra palatium, noctu martyrẽ incluſit. Diuersa secessio, sed eadem intẽtio. Hoc deniq; tam iste quam ille intẽdit, vt scelus perpetrare sibi vacaret absque arbitris. Quale enim erat hominẽ viuum assare, vel hoc fieri posset in publico, in aspectu solis, in conspectu tam magnæ, tamq; amplæ ciuitatis? Quanuis bestia esset Roma, siue mulier de sanguine sanctorum ebria, non tamẽ præ ipsa bestiali ebrietate, ita faciem vel oculos hominis perdiderat, vt in ea sexus omnis & ætas tale spectaculum æquanimiter ferre valeret crudeli patientia. Noctu igitur & in palatio cum paucis & eisdem mirantibus, latro crudelitatis, viuum illũ præcepit assari vsq; ad plenam coctionem deuorandę carnis, mirabiliter tam diu continente animam intra corpus, isto, de quo loquimur, & cuius ad gloriam hæc nunc dicimus spiritu fortitudinis, vt si aries aut certè piscis esset, manducari posset, & maligni illius coci palato nihil quasi crudum male responsaret. Idcirco dicebat. Ecce miser assasti vnam partem, regyra & alteram, & manduca. Itaq; & ille Cain ad illum Abel, egrediamur foras, dixit, & iste Cain hunc Abel post multas certaminis diurni plagas, noctu sibi intra palatiũ adduci iussit, eadẽ nimirum intẽtione, vt videlicet securus & nullum ex hominibus vel tacitũ metuens iudicium, in scelere horribili pasceretur dapib. crudelitatis. Iste est clamor eius quẽ oẽs audiuimus, de quo dixerat, & postmodũ cũ clamauero, audi & veni. Is cui hoc dixerat, audiuit & propter hunc eius clamorem cucurrit ad certamen eiusdem cõfessionis. Clamor autem idem vsq; hodie non cessat in sancta Romana ecclesia, qui & in omnem terram persultat, sumpta enuntiatione siue declamatiõe huiusmodi de sancta & pphetica scriptura. Probasti domine cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & nõ est inuẽta in me iniquitas. Veraciter nanque dicimus, quia post illum, de quo Apostolus loquens, sed accessistis, inquit, ad testamentum noui mediatorem Iesum & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem. Nulli beatorum martyrũ, quos nouimus, tã benè in propria persona congruit declamatio ista, quã huic, qui taliter & nocte temporali siue tẽpore nocturnali visitatus & probatus, & igne materiali examinatus est. *Gene. 4.* *1. Cor. 12.* *Psalm. 16.* *Psalm. 16.* *Hebr. 12.*

De eo quod ait: Ego me obtuli in sacrificium Deo in odorẽ suauitatis, quia sacrificiũ est Deo spiritus contribulatus.

CAPVT XXI.

Nec verò satis ad piam martyris huius venerationem, solum hunc eius audire vel pronuntiare clamorẽ, nisi intimo sensu percipiamus eiusdẽ pium suauemq; odorem. Dicebat enim. Ego me obtuli sacrificiũ Deo, in odorem suauitatis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus. Quis aũt nouit quid sit spiritus contribulatus? Quis hoc nouit? Quis sapiẽs, & hoc intelligit? Verè nemo, nisi qui accipit. Absconditus thesaurus est cõtribulatio spiritus, nec facile à quouis inuenitur. Absconditus est omninò sapientibus & magnis, vix tandẽ reuelatur paruulis. Qui tandem illum inuenit, meritò gratulatur & dicit. Tribulationem & dolorẽ inueni. Etenim non parua aut exigua inuentio est. Nã certum & aptum facit locũ inuocandino- *Psalm. 50.* *Psal. 114.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

di nomen domini. Vndè cũ dixisset. Tribulationem & dolorẽ inueni, statim subiunxit, & nomen domini inuocaui, vt subaudias, qa tunc oportunè debuit inuocari eodem spiri
Psalm. 33. tu alibi testificante, quia iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde. Inuentio ergo tribulationis & doloris inuocandi nomẽ domini oportunitatẽ sic facit, & tempore idoneum tanquam bonum & non contemptibile sacrificium, idcirco cum dixisset. Ego me obtuli sacrificium Deo, in odorem suauitatis, statim subiunxit, quia sacrificium est deo spiritus contribulatus, quod idem est, ac si diceret, quia tribulationem & dolorem inueni. Qui igitur clamorem audiuimus, eundemq; mirantes efferimus, si odorem quoq; sentimus sacrificij quod incensum est, id est, contribulati spiritus, tunc demun victorem fortissimum dignè collaudamus, consulem cæli, hæredem paradisi, decus Romani imperij, digneque appendimus aurum Dei, gẽmam filij Dei, opificium spiritus sancti, in quo tu rectissimè glorificeris, quem prædicamus ô spiritus fortitudinis.

Finis Commentariorum Libri Sexti, scilicet de Fortitudine.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI, LIBER SEPTIMVS. DE SCIENTIA LIBER VNVS.

De sancto scientiæ spiritu, quomodo vel propter quid maximè in euangelio Christi fuerit necessarius.

CAPVT I.

POstilla, de quib. præcedenti volumine diximus, prælia martyrum successerũt in ecclesia Christi, sanctorum & verorum studia philosophorũ, id est, doctorum habentium, qui post spiritum fortitudinis per descensum scribitur, sanctum sciẽtię spiritum. Hoc nimirum euangelicæ fidei idcirco fuit necessarium, quia diabolus qui aduersus illam eatenus apertè pugnauerat, non solum leo, sed & draco est. Leo quia apertè sæuit, draco quia occultè decipit. Quã diu rugiens aperta persecutione sæuiebat per Neronem, alioſq; similes illi satellites suos compellens ad negandum nomen Christianum, tandiu quod leonis est agebat, & tandiu à simplicibus quoq; multam scientiam non habentib. cognosci, quòd diabolus esset, & deuitari siue expugnari nõ quasi in incertum poterat, ad dimicandum contra illum penè solo spiritu fortitudinis opus erat. At vbi inclinatis iã ad fidem Christi principibus seculi, in quib. velut armis suis confidebat, de templis vel delubris idolorum foras proiectus ille fortis, totus ad dolos conuersus est sub nomine Christiano, per phantasmata hæresum decipiendo Christianos, tunc vtiq; maximè cœpit agere quod draconis est, & talis non nisi à prudentibus & scientiam habentibus, facilè agnosci vel cõuinci potuit, quod itidẽ diabolus esset sibilans vt draco, qui fuerat prius rugiẽs vt leo. Hoc igitur euangelicę expediẽrat fidei, vt post spiritum fortitudinis, ordine suo spiritꝰ sciẽtiæ subueniret in periculis.

Quænam scientiæ & sapientiæ sit distantia, quia alius scientiæ, alius sapientiæ spiritus numeretur.

CAPVT II.

HIciam clarè distinguendũ est quid sciẽtia, & quid sit sapientia, quidue ab inuicem differant, quoniam nonnihil interesse constat, tam ex isto spirituum numero, vbi alius sapientiæ, alius prædicatur spiritus sciẽtiæ, quam ex alijs quoq; locis scripturæ, verbi gratia cum dicitur, diuitiæ salutis sapientia & sciẽtia, & cum de Christo Apost. dicit. *Coloss.2.* Quia in ipso sunt oẽs thesauri sapiẽtię & sciẽtiæ absconditi. Dicimus ergo, quia scientia *Scientia.* omnium bonarum & licitarũ artium est notitia, sapientia verò vnius tantum rei. i. Dei, *Sapientia.* si tamen res dici potest, non sine timore sancto dilectio siue reuerẽtia. Ait quoq; Ethnicorum quidam, sapientiam primam esse, carere stultitia. Dicimus deinde rerum quantumcunq; notitiã habentes, Deum autem in notitia habere, nõ probantes abusiuè dici sapientes, quia reuera stulti sunt. Sic. n. de illis, qui circa creaturã philosophando, creatorẽ cognouerunt, sed nõ glorificauerũt, Apost. *Rom.1.* dicit. Dicentes se esse sapiẽtes, stulti facti sũt. Quapropter homo si est sapiẽs, est & sciens, sed nõ cõuertitur, vt dicas. Si est sciens, est & sapiens, quemadmodũ si est rationale, est & animal, sed nõ conuertitur vt dicas. Si est animal, est & rationale. Nã reuera quemadmodũ ab animali remoto rationali, quicquid relinquitur brutũ est, sic à scientia, remota sapientia quæ est Dei notitia, quicquid relinquitur stultũ est. Nã vt manifestius fiat, vtamur nunc diuisionibus, & intra latissimum vocis huius. i. scientiæ significatum, castam sapientiam contineri demonstremus.

Quomodo sciẽtiæ generale nomẽ subdiuidatur vsq; ad philosophiã, & quòd sit altera inanis, altera vera & sana philosophia.

CAPVT III.

SCientia alia literalis, alia illiteralis est. Nã literalis quæ literis addiscitur, vt sunt omnes artes quę libris continentur. Illiteralis verò quæ literis nõ addiscitur, vt est sculptoria,

ria, siue fabrilis, & taliũ quidlibet, quod rectè quidem scientia dicitur, sed non legendo percipitur. Rursus literalis scientia, alia liberalis, alia illiberalis. Literalis & illiberalis est medicinæ ars, quam philosophi non profitẽtur, quamuis & medici arti suę liberalitatem plurimum attribuant, dicentes, quod idcirco inter septem artes liberales non numeretur, quia de omnib. vel per oẽs ipsa constat, ita scilicet, vt medicꝰ nemo veraciter dici vel esse possit, nisi omnium artium liberaliũ peritus sit. Porrò literalis & liberalis sententia philosophia dicitur, cuius in Logica quidem tres, scilicet, Grãmatica, Dialectica, Rethorica. In Physica verò quatuor numerãtur partes. Arithmetica, Geometria, Musica, Astronomia. Hucusq; seculares magistri artiũ scientiam per subdiuisiones deduxerunt. Porrò ecclesiastici adhuc quod optimum optimeq; sciendum est, philosophiam subdiuisse runt, aliam dicẽtes philosophiam inanem. i. non secundum Deum, aliam sanam & verã.
Coloss.2. i. secundum Deum. Nam Apost. ad Coloss. dicit, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionẽ hominum, secundum elementa mũdi, & non secundum Christum. Quod dixerat per philosophiam, hoc repetiuit, dicẽdo, inanem fallaciam, ipsamq; philosophiam, vel inanem fallaciã aperuit, cur sic dixisset, subiungendo, secundum traditionẽ hominum, secundum elementa mundi, & non secundũ Christum. Est ergo alia philosophia huic opposita, quæ est non secundum traditionẽ hominum, nõ inanis aut fallax, sed grauis & vera. Quomodo aũt agatur vel exerceatur philosophia secundũ Christum, apostolicæ & euangelicæ, imò & propheticæ literę docẽt, in quibus, quicquid vtile est septem artium liberalium inuenit, quisquis scientiam veraciter possidet ad famulatum veritatis quæ Christus est, grauissimè ac decentissimè distributum. Erit igitur philosophia, id est, literalis & liberalis scientia, aliter quidẽ secundum elementa mundi vel traditionem hominum, & aliter secũdum Christum. Iuxta modum illum inanis siue fallax philosophia rectè dicitur, iuxta modum istum puro nomine, sciẽtia, vel philosophia, siue cum adiectiõe philosophia sana, vel scientia Dei nominatur.

De temperato nomine philosophiæ, cur sit positũ siue complacitum, & de vanis philosophis, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et de eo quod dictum est: Perdam sapientiam sapientium.

CAPVT IIII.

INterpretatur autem philosophia, sapientiæ amor. Hoc nimirum nomine prudentiores scientiam artium liberalium rectius nominauerunt, nam aliqui sapientiam illam & semetipsos sapiẽtes nuncupare voluerũt. Visum est diligentioribus, hoc esse nimirũ, videlicet quia multi talium artium, scientiã habentium, nihilominus ita vixerunt, vt etiam apud homines, veram & cælestem sapiẽtiam nescientes, sapientium vocabulo indigni merito iudicarentur. Idcirco noluerunt dicere sapientiam, quia non omnes ad quos peruenit hæc scientia sapientes, id est, stultitia carentes effecit, simul quia vicinum arrogantiæ videbatur, semetipsos nominare sapientes, quod vitium à sapientibus alienum est. Sed rursum si scientiam dicerent, nihil hoc nomine studium suum, studio liberalium artium magis honorarent, quàm cætera rum artium facultates, quæ liberales non sunt, & tamen (vt supra iam dictum est) sub nomine scientię, tanquam sub genere habẽdæ sunt. Temperato igitur vocabulo, benè talium scientiam philosophiam, id est, sapiẽtiæ amorem, & semetipsos philosophos, id est, sapientię amatores dicere maluerunt, attamen & hoc faciẽtes, honestius quidem, sed nihilominus sapientes se esse dicebant, quia sapientes se haberi volebant, atque ita dicentes (ait Apostolus) stulti facti sunt. Quare? *Rom.1.* Videlicet quia per talis philosophiæ vel scientiæ viam, ad veræ sapientiæ diuersorium, id est, ad glorificandum Deum, ad gratias agendas Deo peruenire non curabant. Nam inde culpans eos idem dicit. Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & cætera. Non ergo studia cõdemnat vel scholas grammaticorum, dialecticorum, rhetorum, arithmeticorum, geometricorum, musicorum, astronomorum, sed hæc in eis culpat, quod non quæsierunt ex eis sapientiæ fructum, propter quem artes istæ à Deo datæ sunt, id est, in notitia habere Deum & glorificare sicut Deum. Scien dum prętereа locis plerisque sapientiam pro scientia scribi, vel dici more vulgari, exempli gratia: Cum in actibus Apostolorum Ste *Act.7.* phanus dicit. Et eruditus est Moyses omni *1.Cor.1.* sapientia Aegyptiorum. Et ad Corinthios Apostolus loquitur. Scriptum est enim. Perdam sapientiã sapientium. Et subinde. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mũdi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et paulò post. Sed quę stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes. Verùm ita loquens, non suo ipsius sensu vel iudicio sapientiam vel sapientes dicit, quippe qui ad Romanos ait, dicentes se esse sapiẽtes, stulti facti sunt, sed supercilioſam ęstimationem illorum, quasi sibi sapientes videbãtur, acerbius percutit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd omnia de quibus rectè prædicatur, Dei dona sint, & idcirco spiritus sanctus.

CAPVT V.

SIc ergo scientia sapientiaq; differunt, vt maius & minus, quia plura scientię quam sapientiæ nomine significamus, & nomen scientiæ quam sapiętiæ generalius est. Quod autem omnia quæ sub isto genere, id est, scientia diuidendo distinximus dona Dei sint, & idcirco spiritus sanctus rectè spiritus sciętiæ prædicetur, exemplis comprobare ex abundanti est. Veruntamen singula singulorum breuiter exempla ponamus. Illiteralé & illiberalem scientiam donum Dei esse do
Exod.31. cemur, cum in Exodo legimus. Ecce vocauit dominus ex nomine Beseleel filium Huri, filij Hur, de tribu Iuda, impleuitq; eũ spiritu Dei, sapientia & intelligentia & scientiæ omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento & ære, sculpendisq; lapidibus, & opere carpentario. Quicquid fabrè adinueniri potest, dedit in corde eius. Oliab quoq; filium Achisamech, de tribu Dan, Ambos erudiuit sapientia, vt faciãt opera abietarij polymitarij ac plumarij, de hyacintho ac purpura, coccoq; bis tincto & byssо. Vtrumq; hic positum est, sapiętia scilicet, & scientia, necnon etiam intelligentia, videlicet quia impletus spiritu Dei Beseleel, eorum operum quę per artis scientiam foris faciebat, rationes diuinas intus sentiebat. Ité literalem & illiberalem scientiam qualis est medicinæ ars, donum Dei docet illa sapien-
Eccl.38. tis sententia, Honora medicum, nõ est enim medicina, nisi à Deo. Literalem & liberalẽ, quæ est philosophia donum Dei esse vel ex eo constat, quia in Daniele scriptum est. Pueris autem his videlicet Ananiæ, Misaeli, Azariæ, dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientias, Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum, & steterunt in conspectu regis, & omne verbum sapientię & intellectus quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplũ super cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno eius.

Quòd illud Apostoli dictum: Scientia inflat, charitas verò ædificat, malè intelligentibus nomẽ scientiæ suspectum facit.

CAPVT VI.

MAgna & pulchra hæc sancti spiritus gratia, simplicioribus hodieq; suspecta est, maximè pro eo quod Apost. ad Co-
1.Cor.8. rinth. loquens, dicit de ea. De his autẽ quę idolis immolantur scimus, quoniam omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat. Penè hoc solum audierunt, & hoc solum meminerunt, quod dixit, scientia inflat, non quærentes, aut quærere scientes, aut quid dixerit, vel cur addiderit, charitas verò ædificat. Tanquam opposita sint hæc & simul stare non possint, scientia & charitas, à tanquam opponendo dixerit, scientia inflat, charitas verò ædificat, sic negligenda, imò contenenda illis videtur sciętia, & tunc demum veraciter se arbitrantur dicere. Domine non est exaltatum cor meũ, *Psal.130.* neq; elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, cum à sciętię studijs toto sese animo auerterint. Nam scientia inflat, inquiunt, ait Apostolus Christi. At ille non sic dixit, non sic dictum suum intelligi voluit, neq; scientiæ charitatem opponere, sed apponere voluit. Nam scientia subauditur sine charitate inflat, charitas verò subauditur cum scientia ædificat. Deniq; sic rectè componuntur, simulq; in sancta scriptura gradiuntur, charitas & scientia, quomodo sapientia & scientia. Nam charitas ipsa est vera sapientia. Hęc nimirum sine scientia aliquantulum ædificat, cum scientia plurimum ædificat, scientia verò sine charitate inflat. Alioquiipse qui hæc loquitur semetipsum, quod absit, inflatum esse prædicat. Dicturus enim sciẽtia inflat præmisit, scimus, quoniam omnes scientiã habemus. Ad hoc ergo tendit, vt sciẽtiam habentes sapientes Corinthij, charitatẽ quoq; habeant. i. infirmos fratres non scandalizent manducando idolothytum argumentando nihilo esse immolatum, eo quòd nihil sit idolũ, nihil enim substantiale ligno aut lapidi siue æramento accesit, vt fieret idolum, sed accidẽti ab artificis manu effigie est figuratum. Hæc profectò scientia inflat, dum charitatem non habens, de eo quòd cõ scientia fratrum cum sit infirma, polluitur, non curat. Itaq; suspectam facere aut contẽptibilem non debet viri ecclesiastici conscientiam, id quod ab isto dictum est, scientia inflat, sed potius honorabilis, vt verè est primum ex eo iudicetur, quòd eam spiritus sanctus inter septem principalia dona sua numerat, deinde ex eo quòd apud Danielem, sic illam auctoritas diuina commendat. Qui aũt *Daniel.12.* docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Quod idcirco scientia in euangelio Christi maximè necessaria fuerit, quia proiectus in terram serpẽs, misit ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumẽ, vt eam faceret trahi à flumine, & de impij Arrij dogmate.

CAPVT VII.

IGitur, vt supra diximus, post prælia martyrum celebrata spiritu fortitudinis, oportunè sanctus scientiæ spiritus in opus suum successit. Ille namque draco serpens antiquus, qui de cælo præsumptæ diuinitatis proiectus erat in terram pugnantibus illis, vt iam non coleretur in templis, nec ei sacrificaretur cultibus publicis per ora malignorum, qualis fuit Arrius qui blasphemias in Dei filium sibilare cœpit, vt populum simplicẽ nihilominus traheret ad se, non valentem,

tem, aut scientem vitare venenum mortis in pulchritudine sermonis. Hoc est quod in A-
Apoc.12. pocalypsi magnificè præmonstratum fuerat signo illo verè magno, verè mirabili. Et post quam vidit draco, quòd proiectus est in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. Et subinde. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Quod erat istud flumen pessimum, ex ore draconis emissum, postquam pugnante Michaele & angelis eius, proiectus est in terram, nisi doctrina hæreticorum loquacium, & loquacitate fluentiũ, qui tunc maximè fluere cœperunt, vbi summi imperatores ad fidem Christi conuersi cum angelis sanctis & ecclesia dei legibus pugnantes & edictis, diabolum propulerant de sedibus pristinis, de templis veteribus, & aris? Os nimirum draconis, prædictus Arrius extitit, de quo flumen illud putidum tali fluxu erupisse legimus in eccleśia-
Apoc.12. sticis historijs. Alij quidem dicunt filium eructuationem, alij verò propositionem, alij coingenitum. Quas impietates, nec audire possumus, licet innumeras mortes nobis minentur hæretici. Nos autem quoniam dicimus, & sapimus, & docuimus, & docemus, quia filius non est ingenitus nec ingeniti pars vllo modo, neque ex alio subiecto, sed quoniam voluntate & consilio subsistit ante tempora, & ante secula plenus Deus, vnigenitus, conuertibilis, & antequam generaretur aut crearetur non erat, aut prædestinaretur aut fundaretur, ingenitus enim non erat, persecutionem patimur, quia dixit. Principium habet filius. Deus autem sine principio est. Et quia diximus, ex non astantibus est, sicautem diximus, secundum quod nec pars Dei est, nec ex aliquo subiecto, propterea persecutionẽ patimur. Hęc hæresis aqua erat putida, & nõ dum magnum flumen, vbi ab illo suo fonte, ab illo draconis ore profluebat. Verùm vti videmus flumen quodlibet, ab ortu suo angusto prius alueo fluere, procedendo autem crescere, multisque accurrentibus aquis siue fluuiolis in immensum extumescere, sic paulatim serpendo vires accepit, & in immẽsum creuit impijssima hæresis, concurrentibus multis multorum linguis magniloquis, vbertate eloquentiæ fluentibus, & argumentantibus contra simplicitatem euangelicæ fidei, donec per mundum penè vniuersum exundaret flumen magnum, flumẽ naufragiosum, vt non esset dubium, quin de ore draconis antiqui esset emissum. Sed adiuuit, inquit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Quomodo adiuuit terra mulierem, vel quomodo absorbuit flumen? Nimirum currentibus epistolis Christiani imperij congregata est ad mulieris illius auxilium, ad catholicę ecclesiæ periclitantis adiutorium illa sancta & famosissima Synodus Nicena trecentorum decem & octo episcoporum, & cum eis tanquam ducibus & principibus ad bella domini, plurimi boni & optimi ex diuersis gentibus conuenerunt, alij quidem ad intelligendum & dicendum nimis idonei, omniq; scientia vel eruditione, quamcunq; hunc sanctum scientiæ spiritum suggerere vel dare decuit disciplinati, simulq; vitæ virtute præclari, per quos & mortuos Christus suscitauit, & viuos curauit, & alia miracula innumera operatus est. Ibi profectò terra mulierem adiuuit, ibi flumen illud absorbuit, nam impium Arrij dogma, cæterasq; hæresium pestes cum illo vel ex illo dogmate pullulantes condemnauit, mirantibus adhuc seculis, qd' eodem episcoporum numero illic pro veritate spiritus sanctus dimicauit, quo & quõdam pater Abraham vernaculos domus suæ armatos super victores reges educens, in fide sua triumphauit. Sed quid deinde? Et iratus *Apoc.12.* est, inquit, draco in mulierem, & adiecit facere prælium cum reliquis, qui sunt de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu. Non enim quieuit draco diabolus, postquam sic absorptum fuit flumen illud hæreticum, & postquã digna perditione interierat Arrius, sed vires acerbissimè reparauit leuitate Constantij, & superbia crudeliter vsus Valentis impijssimi. Illorum potestatibus armatus, & iratus in mulierem adiecit facere prælium cum reliquis de semine eius, nec enim minus per istos sæuijt, quã per Decium aut Neronem sæuierat manifestis & publicis persecutionibus.

De situ sanctorum, mulierem illam adiuuantium, & de inuitatione prophetica: Omnes sitientes, venite ad aquas.

CAPVT VIII.

HIusce prælij fatigatione anhelantes, quotquot erant de semine eius cœperunt æstuare & desiderio bono viuos scien- *Esa.55.*
tiæ fontes sitire, statimque animaduerterunt ad se pertinere, & maximè pro re huiusmodi dictum esse illud à spiritu sancto per os prophetæ. Omnes sitientes, venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absq; argento, & absq; vlla commutatione vinum & lac. Venerunt ergo sitientes, sitierunt venientes, & sederunt iuxta plenissima fluenta scripturarum, sicut columbę, quę lactesunt lotę. i. simplicem ac beneuolum habentes oculum, qui multum valet ad consequendam veritatem scripturarum, ad intelligẽdum illum quo loquuntur illæ Dei sensum. Nam econtra hæretici pugnaces, idcirco cùm verba raperent, male tenebant scripturæ sensum, quia malignum habebant inuidiæ oculum, suamq; & non Dei quærebant gloriam, tumidi, contentiosi, loquaces, elati, diabolicamque aduersus Deum & proximum spirantes superbiã in sublimitate sermonis. Idcirco hæreses & schismata fecerunt, inflatum habentes spiritum, nimium falli & fallentes, qui verba veri

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis dialecticæ,imò sophisticæ vanitatis vinculis se ligare posse putauerunt. Nam reuera dialecticæ ars veritatẽ non persequitur, nec verbo Dei nectit vinculum,sed potius veritatem sequitur,& verbum Dei verum, fidis argumentationibus comprobat, si quis legitimè vtatur illa. Præcessum sanctæ scripturæ diligenter aspiciat dialecticæ simul & rhetoricę studiosus pariter & beneuolus, & videbit,quòd eam tanquam dominam, famulæ istæ prosequuntur. Itaq; quotquot erant de semine mulieris huius, & castitatem matris ecclesiæ, quo affectu filios decebat defendere,meditabantur,accedentes ad aquas, vnde & vtiliter sanctam intellexerunt scripturam propter hoc ipsum, quòd non suam sed Dei quærebant gloriam,matremq; suam tam vita quam morte sua defendere cupiebant. Nã hæc est via vel norma siue conditio discendi, quam in prælibato prophetæ capitulo demõstrans ipse Deus scientiarum dominus dicit. Audite audientes me, & comedite bonum & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram & venite ad me, audite & viuet anima vestra. dicendo: Audite audientes me,nondum expresserat modum auditionis necessariæ,& ideò subiunxit. Inclinate aurem vestram,& venite ad me,& cõtinuò quod præmiserat. Audite audientes me,& comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra Hoc ipsum repetiuit dicens. Audite me, & viuet anima vestra. Denique inclinate aurem,hoc est, humilitate mentem. Nam qui humilitate inclinatur, ipse doceri meretur iuxta illud. Et qui appropinquant pedibus eius,accipient de doctrina illius.

Esa.55.

Quomodo tunc fatigatus Iesus sederit super puteũ & sitientibus dederit aquam viuam.

CAPVT IX.

VEnerunt itaq; sitientes isti ad aquas iã dudum sedente domino Iesu super puteum, & postulante dari sibi bibere à muliere Samaritana, quia fatigatus erat. Et quis eũ fatigauerat? Primò Iudæus, qui illum crucifixerat, deinde hæreticus, qui nunc illum blasphemauerat. Et quidem de fatigatione crucis vel mortis iam in semetipso conualuerat, quia resurrexerat,sed fatigatiõe blasphemiæ adhuc in quibusdam membris suis, in quibusdam fidelibus suis, qui tribulabantur laborabat. Fatigatus ergo super puteum inferioris aquæ, super profundum mundanæ scientiæ sedens bibere volebat, grata vicissitudine viuam daturus aquam scientiæ suæ, ad aquã sitientes inuitabat. Grata quippe vicissitudo hæc erat, vt fideles, qui liberalium facultates habebant artium,bene vtendo illis, contra hæreticos eisdem artibus malè vtentes, veritatem defenderent, quod erat potare Iesum fatigatum & sitientem, atq; hoc facientibus daret ipse aquam viuam, magis ac magis aperiendo illis sensum ad veritatem scripturarũ intelligendam. Factumq; est hoc modo amicum,pulchrumq; commercium. Ipse quam de philosophiæ hauserant puteis postulanti domino porrexerunt aquam, de qua ipse dicebat. Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum,& acceperunt ab eo, vt iam dictũ est, aquam viuam, de qua qui biberit (ait idem) non sitiet vnquam. Attamen talium quoque quis prior dedit illi & retribuetur ei? Nullus vtique, nam sicut iam superius dictum est, prophetica & omnis licita scientia donum ipsius est, sed ipse bonis suis muneribus bene vtentibus maiora dare dona solitus est. Amplius autem & hoc postmodum erit nõ prætereundum, quia quos ecclesiasticæ fidei defensores habere, quorum lingua contra hęreticos vel ad erudiendam ecclesiam suam vti dignaretur ipse egit, ipse prouidit, vt prius artibus liberalibus instruerẽtur, & in maris periculum ad pugnandum descensuri in nauib. prius quasi circa littora leuioribus ludis exercerentur. Sic etenim acceperunt, sic aquam viuam biberunt, vt fieret in eis fons, & foris diuiderentur fontes eorũ, & in plateis aquas suas diuiderent, id est, vt non solum aliorum scripta legerent & intelligerent, sed & ab alijs vtiliter legenda ipsi scriberent.

Ioan.4.

Rom.11.

Quòd maximè & tunc ingressæ sunt septem artes liberales in Ecclesiasticum dominæ suæ triclinium, & quòd multum interfit, vtrum verba rebus, an res verbis exornentur.

CAPVT X.

INgressæ sunt ergo septem artes liberales tanquam famulæ in sacrum & reuerendũ dominæ suæ sapientiæ triclinium,& quasi de triuijs licentiosis ad districtum & seuerum verbi Dei magisterium dispositæ,& assidere iussæ sunt. Vagabantur enim prius per circuitum lasciuæ,garrulæ, & verbosæ puellulæ, nihil operantes, sed curiosæ agentes solummodo, vbi negotiosæ magis esse videbantur circa creaturam discutiendam cursitantes, ipsum autem creatorem negligentes. Missæ sunt ergo in opus, vt non iam q; superfluũ erat de creatura mundi fabularentur, sed seriò fideliterq; quod expediebat de creatore loquerentur, bonumq; ad honorem eius sermonem opere splendido texentes operarentur, id est, vt non iam res verbis, sed verba rebus ornarentur. Hoc etenim sermo de creatura rebusq; vanis,& interdum mendacibus disputantium,à sermone differt de creatore vel vita æterna tractantium, quòd ibi res inopes & macilentę conquisitis vndecunq; verborum fucis adornantur, hic verba quatumcunque sonora & lucida maiestate rerum vel sensuum superantur & decorantur. Vnde illi scholę per prophetam tropologicè dicitur. Sume citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit. Hinc aũt in Cãticis dixit ipse Christus, Fauus distillans labia tua,

Esa. 23.

Cantic. 2.

tua, mel & lac sub lingua tua. Item. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Et rectè illa meretrix, ista autem dicitur amica sapientis, quia videlicet illa spectatoribus siue auditoribus passim placere, & semetipsam commendare gestit, ista autem non semetipsam, aut creaturam aliquam pulchram, siue appetendam, sed solum Deum pulchrum & omni affectu appetendum demonstrare intendit,& omninò nõ suam, sed Dei gloriam quærit. Quid autem dicimus, artes istas in scholam illam tunc esse intromissas? Potius dici poterat cum prius nescirẽtur, introisse extunc intus apparuisse illas. Nam qui scienter scrutati sunt scripturas, ita inuenerunt, ita experti sunt,& satis admirati, non solum, quòd illic essent, verumetiam, quòd ita dominæ sapientiæ luce & maiestate subopertæ laterent, vt non facilè conspici possent, quòd illic essent, penè quomodo lucente sole super terram, luna noua, itemq; luna decrepita, stellæ quoq; circa eandem cæli regionem latent, nec vulgo videtur quòd ibi sint. Luna quippe & stellæ sole absente,& per alterum hemisphærium gyrante in altero lucẽt, in eodem autem hemisphærio cum sole lucere non valent. Nimirum sic penè liberalis scientiæ artes in sancta scriptura cum sapientia dei quamuis simul assint, nitere vulgo nõ possunt, cum in alijs rationibus, per se plurimum lucidæ parere & splendere consueuerint. Maximè autem idcirco nõ parent cùm ibi sint, quia videlicet sic illis sancta scriptura vtitur, vt tamen non dicat qualiter eisdem vtendum sit. Per singulas artes ire,& pauculis, quod dictum est exemplis comprobare non pigeat.

2.Para.25

De prima illarum grammatica & partibus eius, quòd ita illis vtatur sancta scriptura, vt ne fabulam quidem prætereat,& quòd prius habuerit ea, quæ se Græci auctores inuenisse gloriantur.

CAPVT XI.

PRima liberalium artium grammatica,id est,loquendi peritia sic adest, primumq; affuit in sancta scriptura siue sapientia dei, vt primordia eiusdem artis,id est, literas communes quas librarij sequerentur, quarum disciplina velut quædam grammaticæ artis infantia est, Hebręos cũ lege domini per Moysen accepisse nõ dubium sit. Diuisiones quoque grammaticæ artis, quæ à quibusdam triginta dinumerantur, id est, partes orationis octo, vocẽ articulatã, syllabã, pedes, accẽtus, positurã, notam, orthographiã, analogiã, etymologiam, glosam, differẽtiam, barbarismũ, solœcismum, vitia, metaplasmum, schemata tropos, prosam, metra, fabulas, historiam, describere ac distinguere præsentis negotij nõ est, veruntamen hæc in illa contineri vel obseruari vsq; adeò verum est, vt fabulam quoque non prætereat. Fabulas autem grammatici à fando nominauerunt, quia nõ sunt res factæ, sed tantum loquendo fictæ, quæ ideò sunt inductæ, vt ficto mutorum animalium, vel etiam eorum, quæ animam non habent, inter se colloquio, imago quædam vitæ hominum noscereturHac ita ille filius Hierobaal in libro Iudicum vtitur. Audite me viri Sychem, ita vt audeat vos Deus. Ierunt ligna vt vngerent super se regem. Dixeruntq; oliuæ, Impera nobis. Quæ respondit. Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur,& homines,& venire, vt inter ligna promouear? Dixeruntq; ligna, ad arborem ficum. Veni & super nos regnũ accipe,&cæt. Et in Paralippomenon, cùm misisset Amasias rex Iuda ad regem Israel, dicens, veni videamus nos mutuo, ille remisit nuncios, dicens. Carduus qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens. Da filiam tuam, filio meo vxorem. Et ecce bestiæ, quæ erant in sylua transierunt, & conculcaueruut carduum. Schemata quoq; quod nomen græcum, nos habitum, vel formam, vel figuram rectè nominamus, quia per hæc quodammodo vestitur & ornatur oratio, cognoscere licet in sancta scriptura passim reperiri, vt est illud in Psalmo. Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Siõ. Hoc schema prolepsis, id est, præoccupatio siue præsumptio dicitur, quando ea, quæ sequi debent anteponuntur. Ante enim posuit, Eius, dicendo: Fundamenta eius,& postea, cuius, id est, domini subiungendo, diligit dominus Sic & cætera schemata siue schematis species in sancta scriptura sparsim inueniuntur. Et quidem gloriantur Græci talium se figurarũ siue troporum fuisse repertores, sed cùm sancta scriptura cæteris scripturis omnibus non solum auctoritate, quia diuina est, vel vtilitate, quia ad vitam ducit æternam, sed & antiquitate præemineat, nõ solum vana, sed & falsa hæc eorũ gloriatio est. Nihilominus & metra, quæ ab eo dicuntur, quòd certis pedum mensuris atque spatijs terminentur, eadem sancta scriptura non ignorauit. Psalterium enim lyrici composuere pedes & sancti Iob pene totum volumẽ hexametris constat versibus, dactylo, spondeoq; currentibus.

Ioan. 4.

De rhetorica vel partibus rhetoricæ, quòd istis omnibus bene vtatur sacra scriptura prorę & tempore.

CAPVT XII.

RHetorica, id est, benedicendi scientiam quisquis vnquam apertis alicubi vidit oculis, vt faciem eius veraciter internoscere posit, ipse ad eandem de qua loquimur scripturam accedens, nisi fortè dormitet, aut maleuolentiæ nubilo cæcutiat, dicere non fallitur, quia maximè illic est. Primæ partis eius, id est, inuentionis hic exempla breuiter colligamus. Sunt enim rhetoricę partes quinque, scilicet inuentio, dispositio, elocutio, memoria, pronunciatio. Inuentionem ergo hic suspicientes primùm dicamus istorũ, de quibus nunc loquimur rhetorum verorum qui sanctam cõscribendo scripturã causas dei cũ homini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominibus perorant, præcellentem verisimamq; esse inuentionem, quia videlicet, qui inuenerunt vt eloquerentur, aut pronuncia-
2.Petr.1. rent, non vt rhetores, forensis aut ciuilis exercitij de corde vel ingenio proprio, sed de spiritu sancto inuenerunt, quemadmodum & Petrus Apostolus ait. Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetica scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Porrò hanc scilicet inuentionem rhetores in sex partibus consumi siue versari dicunt, quæ sunt, exordium, narratio, diuisio, confirmatio, confutatio, conclusio. Exordium, inquiunt, est principium orationis per quod animus auditoris vel iudicis constituitur, vel apparatur ad audiendum. Narratio est rerum gestarum aut proinde vt gestarum expositio. Diuisio est, per quam aperimus quid conueniat quid in controuersia est, & per quam exponimus quibus de rebus acturi sumus. Confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum assueratione. Confutatio est contrariorum locorum disputatio. Conclusio est artificiosus terminus orationis. Harum partium primã scilicet exordium in duo diuidunt, in principium & insinuationem. Principium esse aiũt cùm statim apertis rationibus auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum, id est, attentum, docilem & beneuolũ. Insinuationem verò, cùm pro qualitate causę alienatum à nobis sentientes auditoris animum, occultè per dissimulationem omnia illa conficimus, vt ad eandem commoditatem in dicendi opere venire possimus. Rursus aiunt, quia si honestum genus causę erit, licebit vti vel non vti principio. Quam autem sanctus sanctæ scripturę auctor spiritus suscipit, vel à se audiri causam cupit inhonestam? Recte igitur ab oratoribus istis reprehendi non debeat, licuerit ei vti vel non vti principijs.
Gen.1. Nam neq; Moyses principio vsus est, sed statim à narratione incœpit, dicens. In principio creauit Deus cælum & terram, neq; Iosue, neq; Iudicum, aut Regum libri principijs vsi sunt, sed idem à narratione incœperunt. Non autem casũ, aut inscitia, nam vbi visum est expedire, nemo melius Moyse nouit aut valuit principio vti, non solum quo posit homines aliquos, sed & ipsos cælos attentos, ipsamq; terram facere attentam, auidamq; ad audiendum, cũ dicit. Audite cæli,
Deut.32. quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Sed & patriarcha Iacob itidem facere oportunè nouit, vbi dicit, Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrũ. Congregamini, vt annunciem, quæ ventura sint vobis diebus nouissimis. Planè hoc principium
Gen.49. est, attentos, dociles, beneuolos ad audiendũ filios facere gestientis. Alias autem & in lege & in prophetis, per singula penè capitula, idẽ & ad hoc ipsum valens est principium, quòd dicitur. Locutus est dominus ad Moysen di-
Exod.33. cens. Hæc dicit dominus exercituum. Porrò insinuatione, quæ altera exordij species est, qua tunc vtendum esse dicunt, quando auditoris animus alienatus, siue offensus est siue audiendo defessus est. Mulier Thetuites apud regem Dauid, cuius animũ à filio suo
2.Reg.14. Absolon dira causę qualitas alienauerat, vtitur hoc modo. Heu mulier vidua ego sum. Mortuus est vir meus, & ancillæ tuæ erant duo filij. Qui rixati sunt aduersum se in agro nullusque erat, qui eos prohibere posset. Et percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit. Trade eum, qui percussit fratrem suum, vt occidamus ilium pro anima fratris sui quem interfecit & deleamus hæreditatem eius, &c. Sed quid hinc vel inde exempla quæramus, cum ipsa ore proprio in carnata sapiẽtia hac vti dignata sit? Ait enim. Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait.
Luca 7. Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori. Vnus debebat denarios quingẽtos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisq;. Quis ergo eum plus diligit, &c. Et multa secudũ eundem modum atque pro velle dicentis præmisso vel non præmisso principio. Narratio omnis in sancta scriptura, quàm est breuis, & quàm dilucida? Arbitramur, & certè non fallimur, quia scriptorum omnium secularių, quantumuis accurata narratio comparatione eius fluxa, lacinioſa, atque miserè obscura est. Sic breuis, sic est lucida, vt miro & penè ineffabili modo, auditorem semper oblectet semper nouum teneat. Quodque non miuus mirandum, sic facilis est, vt quiuis imitari se posse confidat. Sic grauis, vt nullus modum eius assequi præualeat, vt proinde illud Flacci rectissimè dicas. Vt sibi quiuis, Speret idem, sudet multum frustraq; laboret. Ausus
Flaccus. idem. Et alibi. Ante caput scaberet viuos & roderet vngues. Sæpè stilum versans, iterum quæ digna legi sunt, Scripturus. Diuisione quomodo vtatur sanctus scripturę conditor spiritus, cùm multa dare exempla magnifica valeamus, vnum tantũ, & hoc ipsum de prælibato Euangelij loco ponimus. Dixerat intra se ille Simon. Hic si esset propheta, sciret
Luca 7. vtique, quæ & qualis esset mulier, quę tangit eum, quia peccatrix est. Hoc nimirum inter Simonem dominumq; conueniebat, quia peccatrix erat. Nam dominus libens tangebatur, Simon tactum illum reprehendebat tacitus. Diuisione ergo vsus est, quia omisso qđ peccatrix erat, suscepit ad defendendũ quod tangebat. Vides, inquit, hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit, &c. Fit autẽ defensio per confirmationem & confutationem. Per confirmationem videlicet suæ, per confu-

confutationem partis aduersariæ. Harum exempla, ne longius abeamus, eodem ex loco sumamus. Propositionibus quippe ter binis altrinsecus per oppositionem continuò commissis, hinc pœnitentis veram iustitiam, quæ ex fide & dilectione est, confirmat, inde falsam reprehendens iustitiam confutat. Aquã inquit, pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi nõ dedisti, hæc autem, ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti, hęc autem vnguento vnxit pedes meos. Quarta demum oppositio, quanta mansuetudine, vel temperantia reprehendentis inuidiam augere declinat? Ait enim. Propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autẽ minus dimittitur, minus diligit, denique idem est, ac si diceret. Tu autem, qui vt tibi videris, minus habes, quod dimittatur, minus diligis. Et est sensus. Huic multũ diligenti, multa remissione peccata remittuntur, tibi autem minus diligenti peccata tua minus remittuntur. Conclusione tandem, quæ est artificiosus orationis terminus, non tam artificiosè, quàm sapienter & iustè vtitur, cùm dicit. Fides tua te saluam fecit, vade in pace. In confirmatione & confutatione pro magno habent illi, argumentationibus vti, & difficillimum æstimant expolire & expeditè pronunciare, quod inuenerunt. Hæc, inquiunt, res facit, vt neq; diutius quàm satis est in eisdem locis commoremur, nec eodem itẽ idem reuoluamur, neq; inchoatam argumẽtationem relinquamus, neque incommode ad aliam deinceps transeamus. Absolutissimam atq; perfectissimam argumentationem esse dicunt, quæ in quinque partes distributa est, propositionem, rationẽ rationis confirmationem, exornationem, cõplexionem. Istud quoq; in scriptura sua, neq; ignorauit, neque aspernatus est spiritus Dei, quod si diligenter attendis, non paucis educet exemplis. Siquidem manifestiora quàm plura sunt, sed nos vbi fortè minus paret hęc facultas, inde nunc breuiter aliqua dare exẽpla cupimus. Propositio est illię Psalmi octaui versiculus. Domine deus noster, quàm ad
Psal.8. mirabile est nomen tuum in vniuersa terra. In illo propheta summatim ostendit, quid sit, quod probare intendit. Ratio est, quam sub duobus versiculis, hoc modo annectit. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Ex ore infantium & lactentiũ perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. Istis etenim verum esse demostrat, id quod intendit, scilicet ex eo admirabile esse nomen domini, quia Christus magnificè eleuatus est, & in cælum ascendit. Et deinde ex ore Apostolorum qui erant quasi infantes. i. homines idiotæ & sine literis, perfecit laudem euangelicæ fidei, siue prædicationis. Rationis confirmatio est id, quod subiũgit. Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti. Hic enim versiculus breuiter confirmationem quam exposuit, scilicet non adeò mirum siue incredibile esse, quod ex ore infantium, dominus laudem perfecerit, quoniam qui infantes, siue lactentes fuerant, accepto spiritu sancto, facti sunt cæli, in quorum fide, luna & stella, id est, ecclesia, & quique electi potuere fundari. Exornatio est, quæ sequentibus continetur versiculis. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Istis etenim versiculis insigniter honestauit, & collocupletauit rem copioso ornatu pietatis, admirando magnitudinem dignationis, quomodo hominem tam longè inuidia diaboli ab æternitate deiectum tantopere requisierit. Complexio est versus prior repetitus. Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Isto etenim concludendo, breuiter recolligit partes argumentationis. Et hæc quidem perfecta quinque partium argumẽtatio confirmantis est. Confirmat n. admirabile esse in vniuersa terra nomen domini. Sequenti verò psalmo ab eo versu quo dicit. Exurge domine non confortetur homo, vsq; ad eum, quo ait, Ex-
Psal.9. urge domine Deus exaltetur manus tua, itẽ, si ritè perpendas, perfecta quinq; partium cõfutantis argumentatio est. Cõfutat enim inimicum hominem peccati, filium perditionis vt ait Apostolus. Qui extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur. Cæterũ est, vbi vel vndè breuiores, id est, vna à duabus ablatis partibus fiant argumentationes, scilicet vbi breuior est dicenda res, quæ facilè memoriæ commendatur. Tunc enim exornatio prætermittenda est, si parum locupleles ad amplificandum, & exornandum res esse videtur. Sin autem res & tenuis & humilis est, tunc & exornatio & complexio prætermittẽda sunt. Istæ verò tanta copia in scripturis nostris inueniuntur, vt vlla dare exẽpla superfluum putemus, præsertim cum iuxta propositum satis dictum sit, & nos ad alia properemus. Porrò tria genera causarum scilicet demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale, isti quoque oratores siue inuentores nostri receperunt. Neque enim parumper agunt de alicuius, imò quàm plurium certarũ personarum laude vel vituperatione, quæ partes demonstratiui generis sunt, verbi gratia, quando laudatur Deus, vel vituperatur diabolus. Item, non parum aut rarò resonãt suasionem & dissuasionem, quæ partes deliberatiui generis sũt, videlicet suadẽdo bonũ

dissua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dissuadendo malum. Item, persepe accusatio nem tractant, atq; defensionem, quæ partes iudicialis generis sunt, accusando videlicet iniustum, defendẽdo iustum, vt exempli gratia, in Apostolo cum accusatur iniustitia vnius hominis, per quam peccatores constituti sunt multi, & defenditur iustitia vnius hominis, per quam iusti constituuntur multi. Eas quoque quas dicunt constitutiones, coniecturalem legitimam, iuridicialẽ nullus vnquam secularium sic iustè, sic sapienter egit, aut agere potuit, quomodo in sanctis de quibus loquimur scripturis, agitur. Nam coniecturalis est, cùm de facto controuersia est, hoc modo Commendauit aliquis proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & fortè mortuum est, aut debilitatum, aut captum ab hostibus, sed nullus hoc vidit. Quid ergo fiet? Iusiurãdum, inquit, erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietque domi nus iuramentum, & ille reddere nõ cogetur. Et multa similia. Legitima verò est, cùm à scripto, aut è scriptis aliquid controuersia nascitur, hoc modo. Putabant Iudæi sese fideliter adimplere diuinam scripturam sanctę legis, offerendo incensum, & manducando carnes sacrificij Sed quid? Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatũ & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens. Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, &c. Verùm multo maximè Apostolus ad Hebræos scribens, in hac constitutione consistit, voluntatem scriptoris, immò Dei cum scripto siue litera, cui solus Iudæus innititur, cõferens aut literæ præferens, satisque intelligibiliter atq; probabiliter voluntatem prædicti scriptoris exponens. Iuridicialis est, cùm factum conuenit, id est, factum esse non negatur, sed iure, an iniuria sit quæritur. Huius autem partes duæ sunt, quarum vna absoluta, altera assumptiua nominatur. Absoluta in iudicijs domini omninò damnatur. Dicitur enim absoluta, cùm id ipsum quod factum est, rectè factum esse dicitur, ita vt aliud nihil foris assumatur. Porrò domino nihil quòd rectè factum sit, quasi non rectè factum quæritur. Damnabilis ergo est, apud ipsum hæc pars, veniamque non meretur, & ea est huiusmodi. Quæ est, inquit, Samuel, hæc vox gregum quæ resonat in auribus meis, & armẽtorum quam ego audio? Ac deinceps. Quare ergo non audisti vocem domini, sed versus ad prędam es, & fecisti malum in oculis domini? Et ait Saul. Imò audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me dominus, & adduxi Agag regem Amalech, & Amalech interfeci, & cæt. Altera pars est assumptiua, quæ apud Deum in iudicijs eius, partim suscipitur, partim damnatur. Sunt enim partes quatuor, concessio, remotio criminis, translatio criminis, comparatio. Concessio criminis apud illum non solum susciptur, verùm penè sola hac, vel maximè hęc susciptur. Cõcessio namque est, cùm reus postulat sibi ignosci. Denique omnes apud illum sumus rei & hæc omnis pacis nostræ via est, & maximè iustus est, qui maximè concedit, & maximè sibi postulat ignosci, iuxta illud. Iustus in principio accusator est sui. Sunt autem huius concessionis partes duæ, altera deprecatio, altera purgatio. Deprecatio est, cum se, & consulto fecisse & peccasse reus confitetur, & tamen postulat, vt sui misereatur, vt exempli gratia Dauid. Tibi soli, inquit, peccaui, & malum coram te feci. Purgatio est, cùm consulto negat reus se fecisse, id est, aut per imprudentiam, aut per fortunam, quamnos rectius euentum dicimus, aut per necessitatem. Per imprudentiam hoc modo. Venit Deus ad Abimelech, per somnium nocte, & ait illi. En morieris propter mulierem quam tulisti habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam. Et ait Domine, num gentem iustam & ignorantem interficies? &cæt. Per casum verò siue per euentum, quòd illi per fortunam dicunt, hoc modo. Iratusque Moyses contra filios Aaron qui remanserãt, ait, Cur non comedisti hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est? Respondit Aarõ. Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino. Mihi autẽ accidit, quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere domino in ceremonijs mente lugubri? Per necessitatem hoc modo. Cur Iepthe vestimenta tua scidisti? Heu filia mea, inqt, decepisti me & ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominũ, & aliud facere non potero. Nam per necessitatem voti, quia os suum aperuit, dicens. Quicunq; primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustum offeram domino, per necessitatem, inquam, voti purgatur, & excusatur, qui filiam occidit offerendo, & in Catalogo sanctorum, qui per fidem vicerunt regna, meretur computari? Item Dauid sanctificatum panem dante Achimelech sacerdote, suscepit, & comedit, & quia propter necessitatem hoc fecit, purgatur & excusatur cùm dominus dicit. Non legistis quid fecerit Dauid quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodò intrauit in domum Dei & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Et subinde. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Itaque concessio partesque concessionis deprecatio & purgatio suscipiuntur in iudicijs Dei. Comparatio quoque criminis hoc modo. Tu Paule qui dixisti, Si circuncidamini, Christus

Rom. 5. *Exod. 22.* *Hier. 7.* *1. Reg. 15.* *Psalm. 50.* *Gen. 20.* *Leuit. 10.* *Iudic. 11.* *Matt. 12.* *Matt. 2.*

Galat. 2. *Act. 16.* Christus vobis nihil prodest, Cur Timotheum circuncidisti, itemque assumptis viris purificatus cum illis, intrasti in templum annũcians expletionẽ dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio? Propter vitandum, inquit, periculũ maioris criminis, videlicet, quia audierant de me, quòd discessionem docerem à Moyse, quod falsum erat, quia cum Moyse sum in spiritu & veritate, sed hoc demonstrari non poterat ratione, demonstraui nõ sine aliqua criminis similitudine. Translatio vel remotio criminis, quæ duæ sunt, ex quatuor partibus assumptiuæ, quæ pars erat altera iuridicialis constitutionis, sapientibus vbiq; vitanda est in iudicio Dei, quia videlicet ex ipsis est origo, vel incrementum peccati. Dixit enim Deus ad Adã. Quis indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Et ille, Mulier, inquit, quam dedisti sociam mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Hæc ille dicens, crimen à se transferre voluit. Translatio nanq; criminis est, cum fecisse nos nõ negamus, sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus. Item: Dixit dominus Deus ad mulierem. Quare hoc fecisti? Quæ respondit, Serpens decepit me, & comedi. Hæc dicens crimen non à se amouere, sed culpam ipsam, id est, criminis causam voluit. Remotio nãque criminis dicitur, cũ à nobis non crimen, sed causam ipsam amouemus, & vel in homi nem transferimus, vel in rem quempiam cõferimus. Sed qualem in personam, mulier crimen transtulit si tamen persona meretur dici? In serpentem siue spiritualem, id est, diabolum, siue terrestrem, id est, colubrũ. Qualem in rem? In serpentis deceptionem. Verũ hæc translatio non purgat, sed contaminat, non absoluit, sed inuoluit. Qualis enim fuit decipientis pollicitatio serpẽtis? Nequaquã, inquit, morte moriemini, scit enim Deus quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. Dicat mulier, serpẽtem non solum suasisse, sed & talem quoq; rationem ostendisse, cur deberet comedere. Nonne crimẽ auget, criminis tali remotione? Rectè igitur dixerimus, translationem siue remotionem criminis, nequaquã de sancta scriptura quæri, vel inter nos & Deum constitui, sed & comparationem vix, concessionem autem semper, & maximè deprecationem, quæ vna & melior est ex duabus partibus concessionis.

Gene. 1.

De dialectica, quod ipsa quoque in sciptura sancta sit, & maximè in principio Geneseos, vbi genera & species ipsis nominibus proferuntur, differentiaq; & accidentia & syllogistica vis non negligitur.

CAPVT XIII.

POrrò dialecticam, nunquid ostẽtari, aut liberius efferri decebat coram sanctarũ scripturarum opifice Dei sapientia? Attamẽ & ipsa illic est, & coram illa domina sua mãdati operis partes exequens, vigilantior assidet, & veritatem inuestigat. Nunquid super hoc, quisquam dialecticę artis alumnus sanctæ scripturæ parietes, vel primam ianuam ingressus dubitat? Primùm hoc asserere licet, quia genus, & differentia, species, & proprium, atq; accidens, quæ sapiẽtes seculi pro magnis atque arduis habent, quasi prima huius scripturæ incipientis elementa sunt. Sic enim scriptum est. Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciẽs fructum iuxta genus suum. Item: Protulit terra herbam virentem, & afferentem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque semen secundum speciem suam. Et infra, Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et subinde. Producat terra animam viuentem in genere suo iumenta & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas. Et fecit Deus bestias terræ, iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile in genere suo. Genera ista & species istæ sine dubio sunt, de quibus apud philosophos sermo est, qui & genus describentes assignauerunt, genus esse dicẽtes quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid sit prædicatur. Speciem quoque assignantes dixerunt, quia species est, quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus in eo qd quid sit prędicatur. Siue ita, Species est quod de plurib. differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur. Sed hæc quidem inquiunt, assignatio specialissimæ, & cæ. Dicamus ergo quod in ipsa sanctæ scripturæ litera, & simplices quod mulceat, & sapiẽtes, aut philosophos, quod exerceat. Arbitramur enim non minus ad hanc scripturam, quàm ad eã quæ est apud Aristotelem prædicamentorũ doctrinam, esse necessariam, quid sit genus, & quid differentia, quid species, & quid proprium, & quid accidens. Cùm enim dicit lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, & habens vnumquodque semen secundum speciem suam, lignum vtique genus esse constituit, & cùm dicit pomiferum siue faciens fructum, differẽtiam ponit, quæ addita generi, scilicet ligno, speciem ligni. i. arborem constituit. Lignum namq; tanquã genus per differentias oppositas diuidit, dicendo, pomiferum siue faciens fructum, & addendo, & habens vnumquodq; semen, siue cuius semen in ipso sit. Aliud namque est facere fructum, aliud habere semen tantum. Eadem diuisione Psalmista in laudibus dei, dixit. Ligna fructifera & omnes cedri, nisi quod speciem pro differentia posuit. i. cedrũ pro non fructifero ligno, lignum itaq; duntaxat fructiferum arborem, nam lignũ non fructiferum arbor dici non consueuit. Vndè nostris temporibus quidam claræ memo

Gen. 1. *Psal. 148.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

riæ,excellentisq; ingenij satis eleganter lusisse fertur,iacẽs in lectulo. Ait enim, Ligneus est lectus,nulla tamen arbore sectus. Soluere qui poterit,soluat,& eius erit. Verũ enim dixit, quia videlicet lectulus de ligno quidẽ erat,sed de fructifero ligno non erat,& idcir coveraciter de nulla arbore sectus erat,quia nimirum sicut iam dictum est, non quodlibet lignum,sed lignum fructiferũ arbor est. Lignũ itaq; genus est, etenim de plurib.differẽtibus specie prædicatur, scilicet de ligno fructifero siue faciente fructum,& de ligno infructifero,siue non afferente fructum,sed semen tantum.Et hoc animatum quidẽ corpus,sed nõdum sensibile est, vel esse dicitur. Porro animati pariter,& sensibilis corporis, id est,animalis,siue animę viuentis,subinde distinguuntur differentię ac species,dum di
Gen.1. citur,Producant aquæ reptilia animæ viuentis,& volatile super terrã,&c.Cũ.n. primũ dicitur, Producant aquæ reptilia animæ viuẽtis,& postmodum subditur, producat terra animam viuentem,multò melius,multo rectius secundum hãc scripturam dignissimã, genera ac species siue differentię subordinãtur,quàm ordinauerit Porphyrius,qui cum subdiuidendo vsq; ad constitutionem animalis deuenisset,continuò animal per differentias rationalis atq; irrationalis, itemque mortalis & immortalis subdiuisit, hæc autẽ sacratissima series lectionis sic diuidit, vt animalis aliud sit,quod aqua aliud quod terra producit. Et primùm quidem eius quod aqua producit, tres differentias subdiuidit, siue tres species constituit, subdiuidẽdo, vel dicendo, volatile super terrã, sub firmamento cæli,&, creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem quam produxerant aquę. Volatile namq; in hoc à ceteris quę produxerant aquæ, differt, quòd super terram exiuit,& nunc volat sub firmamento cæli, cete autem grandia,cum in aquis remanserint,in hoc differunt,quòd per fœtum veniunt, nã plurima veniunt per ouum.De hac tertia differentia venientium per ouum,cum dicit, in species suas, subaudiendum est subalternas,quę nimirum dinumerari non possunt. Deinde verò eius animæ viuentis,quam terra producit, dum sic loquitur,producat terra animam viuentem in genere suo,iumenta,& reptilia, & bestias terræ secundum species suas,& deinde,faciamus,inquit, Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, illa est diuisio animalis,qua illud Porphyrius diuidit, terreni quippe animalis, aliud est rationale,aliud irrationale iuxta veritatem siue efficiẽtiam potentissimam huius dictionis Dei. Rationalitas quippe hominis in eo est, quod ait. Faciamus hominem ad imaginem,siue creauit Deus hominem ad imaginem suam. Cæterùm subdiuisionem rationalis, qua illud in mortale,& in immortale diuidit, scriptu-

ra,ista non tradidit. Neq; enim aut angelos, qui sunt immortales,animalia dicere cõsueuit,aut solem & lunam, stellasque animalia immortalia,autvllo modo esse animalia,vel animas habere credidit,aut concesit. Libet nunc secundum seriem sacrę huius lectionis à genere generalissimo. i.à substantia vsque ad speciem specialissimam,id est, hominem progredi ordine,quo ipsa nos ducit. Substãtia, inquiunt,est quiddam,& ipsa genus, sub hac corpus est. Nos autem secundum verba *Gene.1.* scripturę huiꝰ dicimus, quia sub hac est hinc terra,& inde cælum. Nam in principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem est omnis corporea substantia,id est,corpus videlicet omne, quod corporeis oculis cõspicitur. Nam cælum patria est spirituum, quo licet corpora nostra transferenda speremus, præcesit enim cum carne sua Christus, tamen corpus non est, quia corporeis mortalium oculis non videtur. Ergo sub substantia,corpꝰ,sub corpore, palpabile corpus,sub palpabili,solidũ siue immobile corpus, sub solido,animatum corpus, sub animato corpore,animal sub animali,terrenum siue terrestre animal, sub terrestri, rationale animal. Solidum atque immobile corpus, sub corpore palpabili constituitur, nam & aqua corpus quidem palpabile, sed non solidum aut immobile est. Et hoc,scilicet solidũ corpus arida est, quæ iam propriè dicitur terra, dicente Deo,Congregentur aquæ, quæ sub cęlo sunt in locum vnum,& appareat arida. Et continuò,Factumque est ita. Et vocauit Deus aridam terrã. Quo vsq; scriptura hæc nos duxit, scilicet vsq; ad rationale animal, id est, hominem processimus diuisionem rationalis relinquentes,quæ, quia ab hac scriptura,sicut supra dictum est, non traditur,à lectoribus eius iure relinquitur. Itaq; homo terrestris animalis species est, & eius differẽtia insigniter exprimitur,cũ dicitur. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam,ad i- *Gene.2.* maginem Dei creauit illum. Porro cum dicitur,Formatis igitur dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilib. cæli,adduxit ea ad Adam. Et subinde, Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius,non solum differentia,sed & ꝓprium hominis vt edatur competenter exigitur,quia videlicet debuit scire scriptor,cũ hæc diceret, quid proprium sit hominis, in quo maximè discernitur, & non inuenitur similis eius. Dicimus ergo hic oportunè,causa exigente,quia solus homo disciplinæ perceptibilis est, & solus bipes ita vt capite sublimi,rectaq; statura, cælum spectet, & quod risibilis est, & quia quod secundum huius scripturæ auctoritatem rectè dicimus, solus inter cuncta animalia, non solum mentem rationalem, sed & linguam ad loquendum habet. Vltimum eorum quæ posuerunt, accidens est. Accidens aũt homini maximum,

& de

& de quo sanctæ scripturæ auctori sancto spiritui, maxima & non indigna cura,peccatum est,& mors pœna peccati. De hoc enim omnis scriptura diuinitus inspirata summopere concertat, quòd verè accidens sit, contestãs quod Deus hominem rectum fecerit, quod Deus mortem non fecerit. Et hoc ex eo,quẽ nunc tetigimus scripturę loco defendit veritas,cũ dicit, Erat aũtvterq;nudus, A-
Gene.2. dã scilicet & vxor eius, & non erubescebãt.
Gene.3. Et subinde. Vidit igitur mulier ꝙ bonũ esset lignũ ad vescendũ,& pulchrũ oculis,aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; viro suo, qui comedit,& aperti sunt oculi amborũ. Cumq; cognouisset se esse nudos, cõsuerunt folia ficus,& fecerunt sibi perizomata. Et infra,Multiplicabo inquit, ærũnas tuas,& cõceptus tuos. Ad virum autem, In sudore,inquit, vultus tui vescẽris pane tuo,donec reuerteris in terrã, de qua sumptus es,quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Itaq; si non fabulas Gentilium aut hæreticorum, sed veritatem scripturæ attendas, malum non ex substantiali aliqua essentia,sed ex accidenti est.i.nõ duo principia,boni & mali erant vel sunt, vt bona à bono,& mala à malo principe subsistãt. Constat enim ex hoc vel ex his maximè locis,malum omne,id est,tam mortem animę, de qua dictum est, in quocunque enim die comederitis ex eo,morte moriemini, quam mortem corporis,omnesq; dolores, quorũ prior est,de quo dicitur. In dolore paries filios tuos, vltimamq; pœnam, siue dolorem corporis.i.mortem eius,de qua dixit. Quia
Gen.2. puluis es,& in puluerem reuerteris,constat, inquam,cuncta hæc homini accidisse,præeũte accidente maximo.i.peccato. Prius enim condita erat substantia,prius, inquã,formauerat dominus Deus hominem de limo terræ,&inspirauerat in faciem eius spiraculum vitæ, & posuerat eum in paradiso voluptatis,quem plantauerat, & erat vterq;nudus, Adam scilicet & vxor eius,& non erubescebant, quia videlicet causa cur erubescerent nondum accesserat. Itaq; malum non substãtiale quid,sed accidentale siue actuale est,& penitus nulla est creatura, siue visibilis siue inuisibilis, quæ possit mala intelligi per naturam. Magnum verè & negotiosum accidens,circa quod vel propter quod studet,& occupatur,quicunq; verè est sapiens,à cuius discussione nemo vacat,nisi insipiens,& hic est omnis quæ à Deo est sapientiæ finis,studere & satagere, quatenus huiusmodi accidens subiecto abesse possit. Etenim propter hoc venit de cælo,& incarnata est,& magnã scholam,id est,sanctam ecclesiam serió instituit in hoc mundo ipsa sapientia Dei. Cæterùm de accidẽtibus leuissimis, verbi gratia, dormitionis,siue coruinæ, aut Aethiopicæ nigredinis, seu cuiuslibet coloris, agere vel disputare,nõ est occupati animi, & circa necessarium vitę negotium soliciti,neq; ad ista descendere, vacat scanctæ illi philosophiæ quæ de cælo venit. Sapientibus huius seculi, qui apud Deũ stulti sunt,ista relinquit. Qui *Rom.1.* nimirum,quia magnum illud accidẽs.i.peccatum vel pœnam peccati cognoscere dedignati sunt,eodem contemptu, quo cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt,aut gratias egerunt,idcirco tãinopem,tamque angustam accidentis definitionem dederunt. Accidens, inquit,est, quod adest,& abest præter subiecti corruptiõem. Denique tali definitione nequaquam illud accidens comprehenderunt,quod subiectũ, id est,hominem omninò corrumpit,imo destruit,ita vt reuertatur in puluerem,& vt sicut Psalmista deplorando concedit, concedendo deplorat. Mane sicut herba transeat, *Psal.89.* mane floreat & transeat, vespere decidat, induret,& arescat. Sanè omnium accidentium vniuersam multitudinem à creatore sancta scriptura vel creator ipse à semetipso remouet,cum dicit ad Moysen,Ego sum qui sum. Sic dices filijs Israel. Qui est,misit me ad vos. Propterea cum de accidentib. homines tra- *Exod.3.* ctant, qui accidentalibus miserijs subiacent, *Iob 14.* & idcirco non sunt,quia permutantur & nũ quam in eodem statu permanent, nunquam creatorem in verba sua constringere præsumant, quamuis & de illo in sancta scriptura pleraque dici vel prædicari audiant significantia quantitatem,qualitatem,relationem, vbi,quando,situm habitũ, facere, pati. Etenim magnus dicitur Deus, siue immensus, non quod aliquando fuerit paruus siue mẽsuræ alicuius,& bonus, non quòd potuerit esse aliud quàm bonus,pater filij vel filius patris, non quod aliquando vel hic non pater, vel hic non fuerit filius, & in loco esse dicitur,non quòd de loco ad locum transeat, cũ sit incircumscriptus, & hodie genuisse dicitur,cùm nunquam fuerit quando non esset vel hic pater,vel hic non fuerit filius,& sedere dicitur,nõ quòd sicut Humaniformij putant,forma talis sit, vt vel extendatur, vel complicetur,& indutus vestimento dicitur, qui cũ corpus non sit, sine dubio nec pannis constringitur,sed& requiescere,vel requieuisse scribitur, qui semper fuit & est quietꝰ, & patiẽs esse,qui nullis subiacet passionibus, sed hoc ipsum semper est, ꝙ semper fuit,& nunq̃ mutatur, quippe qui nõ formatus est, sed tantùm forma carens est materia, vndè & nullis subiacet accidentibus. Huius artis vtilitas & virtus,tota ostenditur in syllogismis, quorum conclusio plurimum lectorẽ adiuuat,ad veritatem inuestigandam,tantũ, vt absit illi error decipiẽdi aduersarium per sophismata falsarum cõclusionum. Quis autem omnium secularium, ita vt hæc sancta scriptura fortiter ac suauiter nouit aut potuit nodosum texere aut stringere syllogismum? Ne longius abeamus, hic in isto capi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen.1. te libri ſic propoſitum eſt. In principio creauit Deus cælu & terrã. Hic ſine dubio Deus eſt ſubiectum, creauit cælum & terram, eſt prædicatum. Tunc aũt propoſitioni concedendũ eſt, quando prædicatum ſubiecto cohærere perſpicuum eſt. Concedit ergo fides, etenim non ad infideles, ſed ad fideles, & cõtra infideles huic ſcripturę ſermo eſt. Aſſumptio ſequitur continuò, cum dicit. Terra aũt erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciẽ abyſsi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, &c. Quid hac aſſumptione ſpectabilius, vbi ſcriptor illud quod aſſumatur, ſic proponit, vt ſimul oſtendat rem. i. illam quæ in creãdo fuit aſſumptionẽ materiæ informis, quomodo creator qui de nihilo creauerat ad operandũ, ad faciendas & diſtinguendas formas illã aſſumpſerit? Sequitur enim, Dixitq; Deus, Fiat lux, &c. Tandemq; ſic concludit. Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorũ. Plena eſt diuinæ ſcripturæ pagina, tam perfectis ſyllogiſmis, quorũ breuitate maximè rhetores delectantur.

De Arithmetica, quod ibi ſit, et quòd multa myſteria numerorum ratione colligantur.

CAPVT XIIII.

Sapient.11. ARithmetica, id eſt, numerorum ratio, in multis ſanctarum ſcripturarum locis, quantum myſterium habeat, elucet. Nõ enim fruſtra in laudibus Dei dictum eſt. Omnia in menſura, & numero, & pondere feciſti. Senarius namq;, qui partibus ſuis perfectus eſt, perfectionem mundi quadam numeri ſui ſignificatione declarat. Similiter & xl. dies quibus Moyſes & Helias, & ipſe Dominus ieiunauerũt, ſine numerorum cognitione non intelligitur. Sic & alij in ſcripturis ſacris exiſtunt numeri, quorum figuras non niſi huius artis ſcientiæq; periti ſoluere poſſumus. Datum eſt etiam nobis ex parte aliqua, ſub numerorum conſiſtere diſciplina, quando horas per eam diſcimus, quando de menſiũ curriculo diſputamus, quando ſpatium anni redeuntis agnoſcimus. Per numerũ quidẽ, ne confundamur inſtruimur. Tolle numerũ in reb. omnibus, & omnia pereũt. Adime ſeculo cõputum, & cuncta ignorãtia cę a cõplectitur. Nec differre poteſt à cæteris animalibus, qui calculi neſcit rationem.

De Geometria, quòd multa ſecundum illam diſciplinam in ſcripturis inueniantur.

CAPVT XV.

GEometricę diſciplinę multa ſunt in ſcripturis ſacris vocabula, ſcilicet digitus, palmꝰ, cubitus, pes, paſſus, ſtadium, miliare, & cætera talia. Veruntamen hæc diſciplina magna ex parte curioſitatis vitio denotatur, & pro parte illa nuſquam in ſacris verbi Dei rationib. recipitur. Primùm quippe ab Aegyptijs reperta dicitur, quòd vndante Nilo, & omnibus poſſeſsionibus eius limo obductis, initiũ terrę diuidendę per lineas & menſuras nomen arti dedit, qui deinde longius acumen ſapientium profecti, & maris & cæli & aeris ſpatia metiuntur. Nam prouocati ſtudio, ſic cœperunt poſt terræ dimenſionẽ & cæli ſpatia quærere, quanto interuallo Luna à terris, à luna Sol ipſe diſtaret, & vſq; ad verticem cæli quanta ſe menſura diſtenderet, ſicque interualla ipſa cæli, orbisque ambitum per numerum ſtadiorum ratiõe probabili diſtinxerunt. Sed quia ex terræ dimẽſione hæc diſciplina cœpit, ex initio ſui & nomen ſeruauit. Nam Geometria de terra & de menſura nuncupata eſt. Terra enim Grę cè Ge vocatur, metra mẽſura. Sed quid hæc ad veram vtilitatem? Quo nobis ſcire vel opinari, quantis à terra ſtadijs ſubleuatus ſit globus lunæ aut ſolis, quãto ſuperet magnitudinem terrę magnitudo ſolis, quòtue terra ipſa tendatur ſtadijs. Hæc ergo pars curæ vel ſtudio verè ſapientia digna non fuit. Cęterùm & pro parte hæc eadem diſciplina apud eandem ſcripturam fuit acceptabilis, ſcilicet, in conſtruendo quippiam ad præceptũ nomini commodè & rationabilib. mẽſuris. Exempli gratia: Fac tibi arcam (inquit) de ligGene.6. nis leuigatis, manſiunculas in arca facies & bitumine lineis intrinſecus & extrinſecus, & ſic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorũ latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Rationabilis quippe dimenſio eſt, exceptis profundioribus quæ nos latent myſterijs, vbi latitudo ſexta eſt longitudinis, & altitudo decima eſt portio eiuſdem longitudinis. Quinquaginta nanq; ſexta eſt pars trecẽtorum, & triginta decima eſt pars trecentorum. Habetque hæc figura ſimilitudinem quandam humani corporis, quia videlicet corpus hominis proſtratum vel ſupinatum in longitudine ſexies latitudinem ſui, & decies habet altitudinem ſui. Multa itidem in compoſitione tabernaculi, multa in cõſtructione tẽpli vtiliter conſiderantur, quæ prẽter ſtructuræ ipſius rationabilem modum aliquid innuunt, vndè diligentis animus lectoris vtiliter magis ædificetur.

De Muſica, quòd & ipſa valde familiaris ſit ſcripturæ ſanctæ.

CAPVT XVI.

MVſica verò nunquid peregrina eſt abiſta, de qua loquimur, ſcriptura ſancta? Imò familiaris valdè apud eã, & conſecretalis vernacula, atq; præ alijs officialis magisq; eſt neceſſaria. Huius repertorẽ Moyſes dicit fuiſſe Tubal, qui fuit de ſtirpe Cain ante diluuiũ. Verùm ad famulatum ſapientiæ, Gene.4. ad adiutorium ſiue cooperationem cæleſtis doctrinæ, per præcipuum prophetarum Dauid, hanc ſpiritus ſanctus introduxit. Grande quippe impendebat negotium atq; certamen verbo Dei, ſcilicet iuuenilem petulantiã mundi laſciuiẽtis terrere atque coercere metu inferni, nimiumq; carnales amatores præſentis ſeculi excitare in amorem regni Dei,

Dei, nudo ſermone & nominibus proprijs, quod ſcriptor legis non fecit Moyſes. Nuſquam enim verbis, palam lex, regnum Dei repromiſit, aut pœnas comminata eſt inferni, excepto duntaxat quod in cantico Deute- Deute.23. ronomij, Ignis (inquit) ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſq; ad inferni nouiſſima, ſed pręuaricatoribus, iſta quidem commina batur, famem, gladium, peſtilentiam, & malas beſtias, obediẽtibus autem, terram lacte & melle manantem, terram de cuius montibus æris metalla foderẽtur promittebat. Per os prophetæ & regis huius, orare primùm cœpit ſpiritus ſanctus gemitibus inenarrabilibus, claro ſermone reſ exprimẽs, vt homo de inferno eruueretur, & regnum Dei conſequeretur, ideoq; ad rem tantam, tamq; neceſſariã rudes eatenus auditores attenti dociles ac beneuoli redderentur, ſonora adhibuit inſtrumenta cum hymniſona vocis melodia, ſonum tubæ, pſalterium, & citharam, cordasq; & organum, cymbala benè ſonantia, cantans domino miſericordiam & iudicium, non ignorãs numerum ipſum, in quo vis muſicæ conſiſtit, quem & Pythagoras apud Græcos poſtea reperiſſe fertur ex malleorum ſonitu. Nec mirum, cum & longè ante Dauid, mira & venerabili ratione, Abraham & miſericordiam & iudicium domino cantauerit, non voce organica neque inſtrumentis, ſed tantum proportionabilibus numeris, in quibus vis muſicæ conſiſtit. Dixerat enim dominus: Si inuenero in Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. Tũc ille ingreſſus colloquiũ & in humilitatis ſuæ magnitudine habens fiduciam, quid (inquit) ſi Gen.18. minus quinquaginta iuſtis quinque fuerint? Delebis propter quadraginta quinq; vrbem vniuerſam. Ac deinceps, Sin autem quadraginta inuenti fuerint, quid facies? Quid ſi ibi inuenti fuerint XXX? Quid ſi ibi inuẽti fuerint xx. Quid ſi ibi inuenti fuerint x? Et dominus ad ſingula reſpondens, nõ delebo (inquit) ſi inuenero ibi xlv. nõ percutiam propter xl. nõ faciam ſi inuenero ibi xxx. nõ interficiam propter xx. non delebo propter x. Nunquid caſu Abraham taliter numeros diminuebat, & nõ potius filios ſuos miſericordiam & iudicium domino cantare docebat. Sic namq; diuiſit, ſic diminuit proportionabiliter, vt nullã earum proportionum, quæ muſicos reddunt ſonos omitteret. Denique xlv. ad xl. epogdoo, id eſt, ſeſquioctaua proportione tonum efficiunt. xl. ad xxx. collati epitritum, id eſt, ſeſquitertium efficiunt, & diateſſeron reddunt. xxx. ad xx. Ennolion, id eſt, ſeſquialterum faciunt, & ſonum diapente reddunt. xx. ad x. dupli ſunt, & maximam ſymphoniam diapaſon efficiunt. xxx. ad x. tripli ſunt & diapaſon cũ diapente reddunt. xl. verò ad x. quadrupli ſunt, & bis diapaſon efficiunt. Cùm itaq; nulla proportionum muſicarum in iſtis deſit numeris, non eſt arbitrandum quod homo tantus, præſertim cum Deo loquens, caſu ſine ratione, & quomodo in buccam venerũt, ita eos decerpſerit. Plurima hinc dici poterant, ſed hoc præſentis propoſiti non eſt, & nos ad finem tendimus.

De Aſtronomia, quòd ipſa quoq; ibi ſit, & quæ aſtronomiæ & aſtrologiæ diſtantia ſit.

CAPVT XVII.

AStronomiæ quoq; notitia ſanctæ ſcripturæ non deeſſe conſtat, præſertim cum iã à principio dicat. Dixit quoque deus, fiant luminaria in firmamento, & diuidant diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora Gene.1. & dies & annos. Et Eccleſiaſtes loquitur, Oritur ſol & occidit & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens, gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem. Dicimus autẽ aſtronomiæ, non aſtrologiæ notitiam vel diſciplinam, nam differt aliquid inter vtrunq;. Nam aſtronomia conſiderat cæli conuerſionem, ortus, obitus, motusq; ſiderum continet, vel qua ex cauſa ita vocentur. Aſtrologia verò partim naturalis, partim ſuperſtitioſa eſt. Naturalis dum exequitur ſolis & lunæ curſus, vel ſtellarum certas temporum ſtatiões. Superſtitioſa verò illa eſt, quam mathematici ſequuntur, qui in ſtellis augurantur, quiq; etiam xij. cæli ſigna, per ſingula animæ vel corporis membra diſponunt, ſyderumque curſu natiuitates hominum & mores prędicare conantur. Aſtronomicam ergo rationẽ de ſcriptura ſancta accipimus, & maximè circa lunæ curſum, propter obſeruandæ legitimum paſchę terminum, id eſt, primi menſis diem decimum quartum, nam Hebręi ſolos lunares ex lege nouerunt & obſeruant menſes, iuxta naturalẽ lunæ curſum, tricenis vndetricenisq; diebus communium annorum menſes duodenos explicantes, & tertio vel ſecundo anno, prout ratio exigit, decimum tertium in fine anni menſem emboliſmum triginta dierum apponentes. Sed de his hactenus ſatis dictum ſit. Nũc ad ſuperiora reuertamur.

De beato Hieronymo, magno ſcientiæ viro, & quãtorum illuſtrium virorum gratiam habentium ſcripſerit catalogum.

CAPVT XVIII.

IGitur cùm dicimus, doctoribus noſtris, bono erga fidem catholicam zelo concitatis, cum feruẽtius ſanctæ ſcripturæ ſtudijs incumberent, tunc artes liberales ad cooperandum eidem ſcripturæ fuiſſe intromiſſas, animaduertimus rectius & verius nos dicere, tunc eas illic fuiſſe inuentas, ſed præclaritate ſapientię eatenus non comparuiſſe illas, maximè autem propter infirmitatem oculorum, quibus terrenæ ſapientiæ puluis incidebat. Hoc enim quidam de præcipuis illorum beatus Hieronymus fatetur, cùm dicit. Cùm ante annos plurimos domo, parẽtibus, ſoro

Universidad de Deusto
Biblioteca

re, cognatis, & quod his maius est, consuetudine lautioris cibi, propter cælorũ regna me castrassem, & Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam Romæ cum summo studio ac labore conseceram, carere non poteram. Itaq; miser ego lecturus Tullium ieiunabã, & post noctium vigilias, post lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum, eximis visceribus eruebat, Plato sumebatur in manibus. Si quãdo autem in memetipsum reuersus prophetas legere tentassem, sermo horrebat incultus, quia lumen cæcis oculis videre non poterã, quod tamen non oculorum culpam putabam, sed solis. Sed gratias veræ & summæ luci, quia citò clarificatis & sanatis iste oculis, solem. i. lucidum sanctæ scripturæ sermonẽ perficere potuit, & iam dudum à magistris sæcularib. sufficienter edoctus, quemadmodum dicit Victorinus & Donatus grammaticus magistri præceptoresq; mei Romæ insignes habentur, omnium librorum veteris testamenti Christo volente, studioque spirituali desudante, veritatem cõsecutus est. Literis namq; Græcis ac Latinis atq; Hebraicis doctus, cuncta Hebræorum volumina, quæ in canone continentur, ex veteri testamẽto, vera æditione in latinam linguã vertit, eaq; commentatus est, & nobis tantum in trãslatione dominicæ scripturæ præstitit, vt ad hebræorum fontem non egeamus accedere, quando nos facundiæ suæ multa cognoscitur claritate faciasse. Inter cætera autem studij sui opuscula, suis vniuersa præfationibus prænotata, à beato Petro sumens exordium, C.xxxv. illustrium virorum vitas vsque ad Theodosij xiiij. annum ex ordine digessit, omnesq;, qui de scripturis sãctis aliquid memoriæ tradiderunt breuiter descripsit, imitatus Tranquillum, græcumq; Apollonij, se quoq; in calce voluminis, quasi abortiuum minimumq; omniũ Christianorum ponens.

De beato Augustino, quòd in illo verè laudabilius sit hic sanctus sciemiæ spiritus, et quantum huius gratiæ donum se accepisse humili: er fateatur.

CAPVT XIX.

ET multum quidem est in illis, quo iure laudetur hic sanctus sciẽtiæ spiritus, sed nos ad finem properantes, vnum tantùm ex eis contingimus, in quo iste spiritus manifestè operatus est, quod se dignum fuit ad laudem suam, ad ecclesiæ suæ defensionem, catholicæ fidei, perpetuamq; munitionem. Iste est Augustinus, columna & firmamentum veritatis, & verè columna nubis, in qua thronum suum posuit sapientia Dei, cuius ex ore distillare non cessauit pluuia salutaris, imò fluere impetus fluminis contra flumẽ illud hæreticorũ, quod vt superius diximus, post mulierem. i. ecclesiã de ore suo draco diabolus emisit. Et hunc quidem Dei dispensatio, antequam vocaret in admirabile lumen sum, permisit adolescẽtem errare in tenebris Manicheorum, sed in eodem errore mirabili gratia nescientem, circumuelabat spiritus iste, magnum suggerens donum scientiæ, quo postea benè expenderet ad commodum ecclesiæ Christi, in suo tempore. Etenim quãtum ingenij donum assecut' sit, ipse iudicat, vbi cum humili confessione domino inter cętera sic dicit. Et quid mihi proderat, quòd annos natus fermè xx. cum in manus meas venissent Aristotelica quædam, quas appellant decem cathegorias, quarum nomina cũ eas rhetor Carthaginensis, magister meus, buccis tipo crepantibus commemoraret, & alij qui docti habebãtur, tanquam in nescio quid magnum & diuinum suspensus inhiabam, legi ea solus & intellexi. Quas cùm contulissem cum eis, qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis, non loquentibus tantũ, sed multa in puluere depingentibus intellexisse, nihil inde aliud dicere potuerunt, quã ego solus apud meipsum legens cognouerã. Ac deinceps: Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant tunc nequissimus cupiditatũ seruus, per meipsum legi, & intellexi quoscunq; legere potui, & gaudebam in eis, & nesciebam vndè esset quicquid ibi verum & certũ esset. Dorsum enim habebam ad lumen, & ad ea quæ illuminant faciem, vndè ipsa facies mea qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quicquid de arte loquendi aut differendi, quicquid de diuisionibus figurarum, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate nullo hominum tradente intellexi. Scis tu domine Deus, quia & celeritas intelligendi & dispiciendi acumẽ, Donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi. Itaq; mihi non ad vsum, sed ad perniciem magis valebat, quia tam bonam partem substantiæ meæ fategi habere in potestate, & fortitudinem meam non ad te custodiebam, sed profectus sum abs te in longinquam regionem, vt eam dissiparem in meretricis cupiditates. Nã quid mihi proderat bona res, non vtẽdo benè. Non enim sentiebam illas artes etiã ab studiosis & ingeniosis difficillimè intelligi, nisi cùm eis eadem conabar exponere. Et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem, non tardius exequeretur. Sed quid mihi proderat hoc putanti, quòd tu domine Deus veritas, corpus esses lucidum & immẽsum, & ego frustum de illo corpore? Nimia peruersitas, &cęt. Hoc est in quo iure sanctũ scientiæ spiritum laudamus, quia virum talem, & sic foris præparatũ reddidit, & sic intus eo dignatus est vti, vt contra omnes hæreses, tota vita sua depugnans voce & literis, tanta scriberet, quanta nemo in vita sua legere sufficit. Vndè & quidam non inaniter dixisse fertur: Mentitur qui te totum legisse fatetur.

Apoc. 12.

FINIS COMMENTAR. LIBRI VII. SCILICET DE SCIENTIA.

RVPERTI ABBATIS 831

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI, LIBER OCTAVVS. DE PIETATE LIBER VNVS.

De sancto pietatis spiritu, quam rectè illi totum quòd sumus, quòd viuimus, asscribimus, & quòd iste sæpius in scripturis nomine olei significetur, oleum autem in signum huius gratiæ de meritoria taberna Romæ per totum diem fluxit, quando natus est Christus filius Dei.

CAPVT I.

Esa. 61. Luc. 4.

SAnctum pietatis spiritum, qui deinde ordine sequitur, nos maximè pauperes atque inopes summissa mente adoramus, cõfitentes illi, quia qui neq; sapientes fuimus, neq; intelligẽtes, neque consulti, aut consultores, neque fortes, neque multam scientiam habentes, nunc viuimus ex hac abundantia gratiæ spiritus pietatis, iuxta quod ait proprium illud habitaculum omnis gratię & omnis misericordię Spiritus domini super me, eo quòd vnxerit dominus me. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, &cæt. Ista enim illa est gratia, quæ hodie cum domus Dei vocatorum, ex diuersis conditionibus atque ordinibus venientium multitudine impleta est, premit eiusdem Dei & patris oculos, ne videat quales fuerimus, aut recogitet vndè venerimus, & ecce qui eramus insipientes, ambulamus inter sapientes. Qui eramus hebetes, habitauimus inter intelligentes Qui eramus inconsulti, sedemus inter consiliarios salutis. Qui eramus infirmi, gradimur inter fortes. Qui eramus indocti, gloriamur inter scientes. Qui eramus omninò turpes, ecce conspicimur inter sanctos pulchritudine iustitiæ florentes. Hæc est illa pietas, & hæc sunt illa pietatis opera, propter quæ hunc spiritum sanctum, sancta scriptura sæpius sub nomine olei designat. Impinguasti (inquit) in oleo caput meum. Item: Vt exhilaret faciẽ in oleo. Et alibi. Et computrescet iugum à facie olei. Benè ergo & venerabiliter, quando in Bethlehem Iudæ de beata virgine natus est dominus Iesus Christus, oleo lætitiæ præ omnib. sanctis vnctus, vndè & dicitur Christus. In diebus illis, Romæ, vt historiæ tradũt fons olei largissimus de taberna meritoria, per totum diem fluxit. Quo signo quid euidentius, quàm pietatis & miserationis abundantia peccatoribus Christo nascente de cęlo fluxisse declarata est? Quòd enim de meritoria taberna per totum diem Romæ oleum fluxit, hoc significauit, quòd de hospita ecclesia, quæ tanquam multis dijs prostituta fuerat, per omne tempus Romani imperij pœnitentibus daretur in remissionem peccatorũ dulcedo supernæ consolationis, & vbi regnauerat procacitas turpitudinis superabundaret mansuetudo religionis. Sed iã nũc ordinẽ prosequẽtes dicamus, quomodo post abundãtiam, vel cum ipsa abundantia sciẽtiæ, de qua præcedenti volumine diximus, hic in ecclesia sua spiritus pietatis euidẽtius operatus sit, & primo quid ipsa pietas sit.

Psalm. 22. 103. Esaiæ. 10.

Quòd pietas vera sit religio & cultus Dei, quem Græci Eusebeu, id est, pium vocant.

CAPVT II.

PIetas qua homines pro modulo suo dicũtur pij, pro quanto imitantur Deum, qui verè & solus pius est, vera religio est, & cultus Dei. Pietas namq;, ait beatus Augustinus Dei cultus intelligi solet, quàm Græci Eusebian vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè habere dicitur. More autẽ vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequẽtatur. Quòd ideò arbitror eueniſſe, quia hæc fieri mandat Deus, eaque sibi vel præ sacrificijs placere testatur. Et quia loquendi cõsuetudine factum est, vt & Deus ipse dicatur pius. Quem sanè nullo sui sermonis vsu, Græci Eusebeu vocant, quamuis Eusebian pro misericordia illorum vulgus etiam vsurpet. Vndè & in quibusdam scripturarum locis, vt distinctio certior appareret, non Eusebiã, quòd ex bono cultu, sed theusebian, quòd ex dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Item: Hic autem finis est adhęrere deo. Iam igitur scienti diligere seipsum, cùm mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi vt ei quantum potest, commendet diligendum Deum. Hic dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita seruitus.

Matt. 23.

De pietate, quòd hominem facit mitem, id est, non sua peccata defendentem, sed humilem atque pœnitentem.

CAPVT III.

ERgo pietas, verus dei cultus, vera religio est, à quo longius aberrauerunt, primùm Iudæi, de quibus Apostolus dicit, quia ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, deinde siue Iudęi siue Græci, qui ex eo immites sunt quòd non sunt pij, id est, præsumentes de operibus vel meritis suis, multumque credentes proprio sensui, quodq; valde perniciosũ est, non se arbitrantes in omnib. indigere gloria Dei, nec aliquid se esse posse, nisi gratia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei. Nam reuera pietatis proprium est, vt ho
minem faciat mitem id est, non seipsum de-
fendentem aut iustificantem, non Deum sed
semetipsum accusantem, non sanctę scriptu-
ræ contradicentem, siue intellectæ siue non-
dum intellectę, propter sui sensus vt fatetur
ipse, tarditatem. De huiusmodi mitibus atq;
Matt. 5. mansuetis ipse Dominus dicit. Beati mites,
quoniam ipsi possidebunt terram. Isti nimi-
rum eo ipso, quòd pietate mansuescunt, pio
Deo locum faciunt, & præbent aditũ, vt sciat
Exod. 33. quid faciat eis, quemadmodum populo suo
contaminato in scelere vituli ipse dicit. Iam
depone ornatum tuũ, vt sciam quid faciam
tibi. Denique quamdiu peccator nitidus, &
cum fronte meretricis supinus incedit, quo-
dammodo nescit diuina pietas, quid faciat ei.
Luc. 15. Vbi autem semetipsum agnoscens, humilia-
to capite incedere incipit, statim scit quid fa-
ciat, & sciens occurrit, sicut illa innuit para-
bola de filio prodigo & luxurioso, qui in se
reuersus, dixit. Pater, peccaui in cælum & co
ram te, iam non sum dignus vocari filius tu-
us, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.
Quid enim tunc pater facere sciuit, & quid fe
cit? Misericordia motus est, & occurrens ceci
dit super collum eius, & osculatus est eum.
Et quid totum quod factum est, quòd filius
ille, qui perierat, inuentus, quia seipsum inue
nit, atque à bono patre receptus est, quòd ꝑ
inuentione eius vitulum saginatum occidit,
& conuiuium fecit, pariterq; epulatus est, to
tum (inquam) illud per hùc pietatis spiritum
factum est. Sed nunc locus vel ordo postulat
non illud respicere, quòd vniuersali gratia
gentilitas reuersa est ad Deum, emundata
per baptismum à sordibus idolorum, sed id
quod singulari respectu compunctus, ad pœ
nitentiam reuertitur quisq; peccatorum. Si
quidem propheta ille, propheta magnus &
prophetarum dominus, cùm illam parabolã
diceret, sic reuersuras & suscipiendas esse gẽ
tes prophetabat, vt nihilominus cuicunque
peccatori post lapsum reuertenti, pœniten-
tiam non esse negandam, insinuaret. Nec ve-
rò cum de pietate vel pietatis spiritu propo-
nentes, & hanc esse veram religionem astru-
entes, pœnitẽtialis remedij sermonem ingre-
dimur, à proposito vsquã digredimur, quia
videlicet sicut in sequentibus non tacebimus
pœnitentiali humilitate nulla charior Deo
Luc. 15. religio est. Ait enim. Dico vobis, qđ ita gau-
dium erit in cælo super vno peccatore pœni
tentiam agente, quàm supra nonaginta no-
uem iustis, qui non indigent pœnitentia. So-
li namq; superbi pœnitentia sibi non indige-
re videntur, soli humiles peccatores se esse in
veritate confitentur. Quapropter & isti sunt
mites, qui possidebunt terram, & illi sunt im
mites, qui non possidebunt terram.

Quòd apud pietatem dei nullum, præter blasphemiã in spiritum sanctum, peccatũ irremissibile sit, & quid sit vere dicere contra spiritum sanctum.

CAPVT III.

PRimum igitur dicimus, nullum esse pec-
catum præter spiritum blasphemiæ, vel
blasphemiam in spiritum sanctum, cui in ec-
clesia Christi pœnitentia vel remissio iure de
negetur, teste, imò auctore domino cùm di-
cit. Amen dico vobis, quoniam omnia dimit
tentur filijs hominum peccata & blasphemię *Matt. 12.*
quibus blasphemauerint. Qui autem blas- *Marc. 3.*
phemauerit in spiritum sanctum, non habet *Luc. 12.*
remissionem in æternum, sed reus erit æter-
ni delicti. Causam cur ita dixerit, euangelista
subiungit. Quoniam (inquit) dicebant. Spiri-
tum immundum habet, vel sicut præmisit,
quoniam Beelzebub habet, & quia in princi
pe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et sic intel
ligitur. Quia manifestè intelligens opera dei,
cùm de virtute negare non posit, stimulatus
inuidia calumniatur, & Christum Deiq; ver
bum, & opera spiritus sancti dicit esse beelze
bub, isti non dimittetur, neq; in prẽsenti secu
lo, neq; in futuro, non quod negemus & ei
si pœnitentiam agere voluerit, posse dimitti
ab eo, qui vult omnes homines saluos fieri,
& in agnitionẽ veritatis venire, sed quod ipsi
iudici & largitori veniæ credentes, qui & se
semper pœnitentiam accepturũ, & hanc blas
phemiam nusquam dicit esse remittendam,
credamus hunc blasphemum exigentib. me-
ritis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec
ad ipsos dignè pœnitentiæ fructus esse peruẽ
turum, iuxta hoc quòd Ioannes euangelista *Ioan. 12.*
de quibusdam blasphemiæ suæ meritò excæ
catis, veracissimè scripsit. Propterea non po-
terant credere, quia iterum dixit Esaias. Ex- *Esa. 6.*
cæcauit oculos eorum & indurauit cor eorũ
vt non videant oculis & intelligant corde, &
conuertantur, & sanem eos. Sola ergo blas-
phemia in spiritum sanctum, qua quisque in
similitudinem diaboli & angelorum eius, cõ
tra conscientiam suam, maiestatem deita-
tis oppugnare non trepidat, non habet remis
sionem, sed reus erit ẽterni delicti, prẽter hoc
vnum (vt superius iam dictum est) cuncta re
missibilia sunt.

De hæresi Nouati presbyteri, qui in persecutione lapsis negauit posse ab ecclesia remissionem dari, quomodo vel quam Apostoli sententiam malè intellexit.

CAPVT V.

POrrò Nouatus isto spiritu pietatis nuda-
tus, Romanæ Ecclesiæ prẽsbyter, elatio-
ne quadam tumidus, spem penitus salutis eis
adimebat, etiam si dignè pœnituissent, qui in
persecutione lapsi à fide cecidissent. Ab illo
exorta est Nouatianorum hæresis dicentiũ,
non negari quidem pœnitentiam lapsis eius-
modi, sed remissionem ab Ecclesia dari non
posse, tantumque Dei iudicio reseruari. Con
tra hanc crudelitatem atq; atrocitatem non
minus synodalibus episcoporum decretis me
morabile extitit bonæ memoriæ Constan-
tini imperatoris dictum, qui Nouatianorum
episco-

Hebr. 6. episcopum Acesium percunctatus, cùm hæc
ab illo, quæ prædicta sunt audisset. O Aceſi
(inquit) pone scalam, & solus ascende in cæ-
lum, si potes. Verùm sectæ illorum suffraga-
ri videbatur illud Apostoli dictum. Impossi
bile est enim eos, qui semel sunt illuminati,
gustauerunt etiam donum cæleste, & partici
pes facti sunt spiritus sancti, gustauerut etiã
bonum dei verbũ, virtutesq; seculi venturi,
& prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitẽtiã
rursum crucifigentes, sibimetipsis filiũ dei, et
ostentui habentes. At ille nequaquam pœni-
tentiam aut remissionem peccatorum hocdi
cto impugnauit, spemq; veniæ prẽclusit, sed
Ibidem. reiterationem baptismi fieri posse negauit.
Hac sine dubio intentione, illud cum dixis-
se ipsæ literæ textus ostendit. Præmiserat e-
nim. Quapropter intermittentes inchoatio-
nis Christi sermonẽ ad perfectionẽ feramur,
nõ rursum iacientes fundamẽta pœnitentiæ
ab operibus mortuis & fidei ad Deũ, baptis-
matum doctrinę, impositionis quoq; manuũ
ac resurrectionis mortuorum & iudicij æter
ni. Et hoc quidem faciemus, si permiserit de-
us. Quid enim est non rursum iacientes fun-
damentum pœnitentię ab operibus mortuis
& fidei ad Deum baptismatum doctrinæ, ni-
si non iterum redeuntes ad initium Christia
2. Cor. 2. næ regulæ, quod est rursus catechizare, & rur
sus baptizare? Cæterum de pœnitentia susci-
pienda & remissione danda, testificans penes
ecclesiã ius esse Christo auctore dicit ad Co-
rinthios. Cui autem aliquid donastis, & ego.
Nam & ego quod donaui, si quid donaui,
propter vos in persona Christi. Et ne putes,
eum de solo dixisse peccato fornicationis nõ
ait, cui donastis quòd vxorem patris habuit,
sed cui aliquid donastis (inquit) eandem vo-
lens esse remissionis constantiam, in quacun-
Matt. 18. que re peccati, iuxta illam euangelicam spon
sionem domini. Amen dico vobis, quæcun-
que alligaueritis super terram, erunt ligata
& in cælo, & quæcunque solueritis super ter-
ram, erunt soluta & in cælo.

De illa sententia Apostoli, quomodo sanè debeat intelligi: Impossibile enim est eos qui semel, &c.

CAPVT VI.

ALias autem & reuera impossibile est re
nouari, veruntamen ita vt à sensu illo
non recedamus, quo intelligendum supra di
ximus, illud quod ait, qui autem blasphema-
uerit in spiritum sanctum, non habet remis-
sionem in æternum, sed reus erit æterni deli-
cti. Nam quod diximus, manifestè quempiã
intelligere opera Dei, & tum stimulante in-
uidia negare quod intelligit, idem potest esse
illuminatum fuisse, gustasse etiam donum cę
leste, & participem factum esse spiritus sancti
gustasse nihilominus bonum Dei verbum,
virtutesq; seculi venturi, & tum prolabi. Ad
Hebr. 3. hanc nimirum Christi & Apostoli eius con-
cordiam siue consonantiam rectissimè con-
fugere potes, si quis aduersarius fortè vehe-
mentius te perurgeat. Nam idem Apostolus
ait in eadem ad Hebræos epistola. Voluntа-
riè enim peccantibus nobis, post acceptã no-
titiam veritatis, iam non relinquitur hostia
pro peccatis. Quid est enim voluntariè, nisi
ac si dixisset, cum deliberatione? Quid autem
est cum deliberatione peccare, nisi maximè
intellecta opera Dei velle (vt supra dictũ est)
negare inuidia stimulante? Idcirco cum dixis
set. Voluntariè enim peccantibus nobis, &c.
continuò subiunxit. Terribilis autem quæ-
dã expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ
cõsumptura est aduersarios. Aduersarios di-
xit eos, qui voluntariè peccant, quòd vtique
conuenienter dici non potest de his, qui per
infirmitatem peccant, aut per ignorantiam.
Ergo voluntariè peccare, idem est, quod
verbum contra spiritum sanctum dicere, id
est, manifesta Dei opera per inuidiam nega-
re. Quare sic peccantibus eis, qui acceperant
notitiam veritatis, iam non relinquitur ho-
stia pro peccatis? Videlicet, quia impossibile
est eos, qui semel sunt illuminati, cùm prola-
psi fuerint renouari. Quare impossibile est
eos renouari? Nimirum quia quisquis eius-
modi est, non remittetur ei, neq; in hoc secu
lo, neq; in futuro, sed reus erit æterni delicti.
Quare non remittetur ei, neque in hoc secu-
lo, neque in futuro? Videlicet, quia vt pœni-
tentiam agat, non meretur visitari à spiritu
sancto, sed iusto Dei iudicio consequitur illũ
impœnitens cor. Itaque quod dictum est, Im
possibile est eos rursus ad pœnitentiam reno
uari, aut hoc erit, quod circunstantia volunt
non debere rursus baptizari, aut si non con-
cedit Nouatus, hoc erit dictum de peccato e-
iusmodi, vt non discrepet Apostolus Christi
à Christo dicente. Non remittetur ei, sed re-
us erit æterni delicti. Sciendum quippe est,
quia Paulus hæc dicens, Hebræus loquebа-
tur Hebræis. Vndè & congruè cùm dixisset, *Hebr. 10.*
voluntariè enim peccantibus expresit, & si-
gnanter dixit, nobis addens, subauditur, He
bræis, qui testimonium legis habemus, qui
excusationem de peccato nõ habemus. Qua-
propter intuendum quomodo inceperit, ne
incertum aut dubium sit, cuiusmodi pecca-
tum sit, & quòd prolapsos dicat, non posse re
nouari. Videte inquit, fratres ne fortè sit, in
aliquo vestrum cor malum incredulitatis dis
cedendi à Deo viuo, sed adhortamini vos-
metipsos per singulos dies, donec hodie co
gnominatur, vt non obduretur quis ex vo
bis fallacia peccati. Hoc ergo (vt prædixi-
mus) sciendum est, quia Hebræus Hebræis
loquebatur, & hoc generi suo futurum me-
tuebat, piè solicitus, quòd hodie factum vi-
demus, scilicet quia Iudæi inuidendo incre-
duli sunt, & inuidendo negant eum quem pa
tres ipsorum inuidendo tradiderunt, & per
inuidiam negauerunt, & crucifixerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De domo pietatis, in qua prodigus filius per pœnitentiam à pio patre recipitur, & quòd sacri canones decernant super lapsis, post pœnitentiam actam de criminibus, vt laica communione contenti permaneant.

CAPVT VII.

IGitur domus pietatis, quæ in aduentu saluatoris prodigo filio aperta fuit, post luxurias ventrisq; ingluuiem, de pastu porcorum per pœnitentiam reuertenti, hodieque manet aperta pœnitentibus singulis, prospiciẽte eminus pio patre, vt videat de lõgè si reuertatur aliquis, & occurrente singulis ad istam confessionem peccatoris. Pater peccaui in cælum & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Sed qualiter ad eum, qui eiusmodi est, dictum illud conuenit. Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes eius? Nã saluo superiore intellectu, quo per stolam primam sacri baptismatis intelligimus gratiam, prima stola sacerdotalis est gloria, vel cuiuslibet ministerij, quo ad sanctum altare Christo ministratur, dignitas. Porrò sacri canones hoc decernunt, vt post actam de criminibus pœnitẽtiam, ad hoc ministerium nequaquam promoueantur, sed laica tantum communione contenti permaneant. Quomodo ergo concedemus eis, qui eiusmodi sunt recipere stolam primam, ne videamur cum Nouatianis denegare quibuslibet pœnitentiam? Hic nimirum discretione opus erat, qui huiusmodi est. De his, qui siue confessione sua, siue conuictione legali aut regulari de criminibus detecti sunt, sacri canones & decreta pontificum Romanæ sedis apertæ atque expresè decernunt, vt ad gradus ecclesiasticos non accedant, & in gradib. ecclesiasticis non maneant, vel ad gradus ecclesiasticos non redeant. Hoc enim, inquiũt, nos admonens apostolus, dicit, Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarũ. Item: Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant. Sic Petrus damnauit Symonem, quem tamen ad pœnitentiam inuitauit. Sic fornicatorem arguit Paulus, quem tradidit Sathanæ, vt tũ spiritus saluus fieret in die domini. Et quidem sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore suo perstitit, & beatum Petrum, quando amarissimè lachrymis fudit, vtiq; dominum negasse pœnituit, & tamen apostolus mansit. Sed non ideò vacua putanda est posterior diligentia, qui vbi nihil saluti detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt quò salus tutius muniretur, experti credo alicuius fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas, multorum experimẽta morborum. De his autem, qui detecti vel publicati non sunt, hæc sana & rationabilis eorundem sacrorum canonum vel sanctorum patrum est. Cessat, inquiunt, vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. A capite itaq; incipientes vsq; in quartum altaris ministrũ, hanc formam seruandam cognoscimus, vt quia minorem maior præcedit, sicut honore sic & in crimine, & quem maior sequitur culpa, maior importetur vindicta, & post pœnitentiam credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? Post dignam satisfactionem credimus posse redire ad honorem, prophetа dicente. Nunquid qui cadit, non adijcit, vt resurgat? Et qui auersus est, non reuertetur? Idem propheta ait, In quacunq; die conuersus ingemueris, tunc saluaberis. Vndè & Psal misita. Cor mundum crea in me Deus, spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Dum enim petijt, ne à Deo proijceretur, prolapsus culpa, alienam rex & propheta simul se rapuisse vxorem tremefactus expauit, propheta iudicante flagitium suum, & pœnitentiam agens, addidit, redde mihi lætitiam salutaris tui & spiritu principali confirma me. Si enim se dignum Deo per pœnitentiam non fecisset, nequaquam alijs prædicaret. Ait enim. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Bene ergo discretione vsa est ecclesiastica solicitudo, & hæc huius discretionis summa est, vt hi quorum crimina detecta sunt, illam de qua loquebamur sancti ministerij stolam non recipiant, quorum autem occulta vel occultè cõmissa, publicam contraxerunt infamiam, rursus induantur ea post dignam pœnitentiam.

Hebr. 8. Ezech. 8. Psal. 50.

Quomodo clementissimus pater reuertentem filiũ stola prima induat, si sacerdotalem illi gloriam canonica neget auctoritas, & quòd primam stolam in habitu Monachico conuersus possideat.

CAPVT VIII.

QVid igitur faciet clementissimus pater ei, qui reuertitur filio, si non solum est vt dicat, peccaui in cælum & coram te, sed etiam coram hominibus peccauit, & apud homines de peccato suo detectus atque infamatus est? Potest enim fieri, & sæpè factum est, vt non minus cõpungatur pœnitentialis, qui in crimine notus erat, quàm ille, qui peccauit quidem in cælum & coram patre, sed latuit homines. Quam ergo, vel vndè accipiet stolam pater, qua illũ induere possit, stimulanta & viscera eius cõcutiente spiritu pietatis? O prouidentia patris, ô artificiũ Dei, ô diuitias bonitatis. Inuenit in quo tristẽ cõsoletur, reperit in quo deiectũ subleuet, „puidit sibi, in quo ignobilẽ clara nobilitate perornet. Dicimus autẽ ordinẽ habitũq; monachicũ, quem secundũ dicere baptismũ sancti patres nõ dubitauerunt. Episcopus (ait B. Gregorius) debet missã celebrare in ordinatiõe presbyteri & abbas in cõsecratione monachi, & quatuor oratiões sup caput eius dicere, & sicut p quatuor euãgelia docetur, ita p quatuor orationes consecretur, & ita vsq; in diẽ tertiũ velatũ habeat

Luc. 15. Gregorius.

habeat caput cum silentio summo, & debita reuerentia, figuram gestans dominicæ passionis. Die autem tertia tollat abbas capitiũ de capite eius, vt deposita tristitia veteris peccati, reuelata facie gloriam domini speculetur. Secundo ergo baptizatus est, & emendatus ab omnibus peccatis. Et subinde. Tribus diebus sunt in silentio iuxta apostolos, qui ob metum Iudæorum in conclaui residebãt, vsque dum die tertio dominus resurgens dicit illis. Pax vobis. Sic abbas det pacem monacho, & capitium de capite eius auferat. Sed & de ipso schemate monachi, sanctæ memoriæ Bonifacius Papa dicit post aliqua. Credimus, à sacerdotibus ligandi soluendiq; officium dignè administrari, si tamẽ dignè contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quòd euidenter affirmat, quisquis statum monachorum habitumque considerat. Angelus enim Græcè, Latinè nuncius dicitur, Sacerdotes igitur monachi, atque canonici, qui Dei præcepta annunciant, angeli vocantur. Sed vnusquisq; angelicus ordo quanto vicinius Deũ contemplatur, tanto sublimius dignitate firmatur. Nunquid non Cherubin sex alis velãtur? Duo in capitio, quo caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus. Illud verò quòd brachijs extenditur, alas duas esse dicimus, & illud quo corpus cõditur alas duas. Sic sex alarum numerus certissimè conficitur. Igitur filio prodigo reuertenti, quantumcunque sit deiectus & infamis, habet & scit clemẽtissimus pater, vndè stolam primam, aut propè primam proferre possit, scilicet habitum sanctæ conuersationis, habitum monachicũ reuerendum & omninò pœnitentialem, atque ideò reuerendum, quia pœnitentialem. Quis enim hunc habitum pro eo, quia pœnitentialis est non reuereatur, nisi qui se pœnitentia non indigere arbitratur? Porrò, qui sic existimat, quòd pœnitentia opus non habeat, sciat quia propter eum non venit dominus clementissimus, patris clementissimi filius, sicut quodam loco ipse testatus est. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Stola ergo habitus iste est, non vilis, quam per notissimos atq; orthodoxos viros, quorum sine dubio habitator erat, adinuenit hic spiritus, huius patris spiritus pietatis.

Matt. 9.

Quòd non solùm criminosi stolam huiusmodi, id est, monachicam vitam exoptare consueuerint, & quòd qui istam vitam tanquam peccatoris retrusionẽ aspernatur, iustum se existimando, malè facit.

CAPVT IX.

NOn autem hoc dicimus, quod solis peccatoribus, id est, eis tantum, qui baptismi gratiam criminum magnitudine perdiderunt, huiusmodi stolam pater ille reseruauerit, & nulli iustorum exoptanda aut ambienda sit. Nam idem esset ac si diceremus, pœnitentiam non esse necessariam iustis. Quòd si dixerimus, scilicet, quia pœnitentia opus nõ habeamus, quantũlibet iusti simus, nos aut illi propter quos, vel cum quibus hæc dixerimus, mentimur, contra veritatem facimus, & veritas in nobis non est. Qui enim iustissimus omnium mortaliũ est, nec ille quantum satis est humiliari, & de peccatis suis pœnitere potest. Non ergo hoc dicimus, quòd solis peccatorib. repositus sit hic ordo pœnitentialis, sed etiã iustis. Peccatori namq; hæc sæpedicta stola cum acceperit eam, venia & gratia est, iusto cum quasi descendendo sumpserit eam, gratia & gloria est. Nouimus quã plures iustos, & iustitiæ columnas in illa pœnitentiæ domo stantes, in qua pœnitẽtes sub eodem habitu recipiuntur, & gaudij conuiuium celebratur, qualis fuit Pannonienſis Martinus, & apostolicæ sedis præsul B. Gregorius, Augustinus quoq; eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus. Alijque quàm plurimi viri sanctissimi, iustitia & sanctitate fulgidi, & nihilominus propter pretiosam iustitiã fulgidum monachicæ humilitatis habitum non dedignati. De qualibus idem Gregorius oreaureo dicit. Sciẽdum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vita tantum gaudium est, vt eis quælibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit. Nam multi & nullorum sibi malorum sunt conscij, & tamẽ in tanti ardoris afflictione se exercent, ac si peccatis omnibus angustentur, &c. Dicamus igitur, quia peccator cum sit, aut facinorosus, pœnitentialem huius ordinis stolam accipit, benefacit, & qui cum sit iustus & iustitiæ testimonium perfectè habens coram Deo & hominibus, nihilominus tamen eam accipit, optimè facit. Porrò, qui idcirco quia iustus est, vel iustum se esse putat, humilitatem istã aspernatur, dicens, quia pœnitentialis est, & solis debita reis quædam retrusio, malè facit. Sed iam ista, quæ litem quandam redolent, omittentes, citius ad illam pietatis domum reuertamur, cœptumque exinde sermonem perficere maturemus.

1. Ioan. 1.

De patre clementissimo cur sic dicitur, & occurrẽs cecidit super collũ eius, & q; verè super collum eius ceciderit pater, qui pro peccatis humiliter incedit.

CAPVT X.

PIetatem superius veram esse religionem diximus. Hæc autem, scilicet vera, & nõ ficta religio primũ intus in corde radicatur, deinde per sermonem, habitumq; foras extenditur, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, & habitus, incessusq; hominis enunciãt de eo. Huius religionis siue pietatis efficientem causam pulcherrimè atque sanctissimè, cauto lectori locus iste innuit, vbi sic dicitur. Et accurrens cecidit super collum eius. Nã reuera quemcunq; videris, aut persenseris confracto corde ingemiscere, & demisso capite incedere, iuxta disciplinã magistri veri dicẽtis. Tollite iugũmeũ super vos & discite à me, quia mitis sũ & humilis corde non vane dicere poteris, quia cecidit pater super collũ eius, & pondere suo confregit atq; contriuit

Matt. 12. Eccle. 9. Luc. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contriuit ceruicem cordis eius, quatenus nõ valeat erectus ambulare, & interdum nec oculos in cælum leuare, sed fixis oculis terram aspiciat, commemorans sibimet, quia puluis es & in puluerem reuersurus es. Hoc ipsum verbis alijs facturum se promittẽs dominus, *Oseæ 10.* in Oseæ dicit. Ephraim docta diligere triturã, & ego ascendi super pulchritudinẽ colli eius, ascendam super Ephraim, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob. Seminate vobis in veritate iustitiam, & metite in ore misericordiæ. Quid enim Ephraim vitula docta diligere triturã, nisi anima lasciua assueta ferre labores mundi huius, & seruitutem miseram propter explendam luxuriam suam? Talis nimirum fuerat iste filius, qui doctus fuit pascere porcos, & ferre seruitutem indignã, donec reuerteretur in se, & diceret. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Sed ego, inquit, ascẽdi super pulchritudinem colli eius, ascendam super Ephraim. Qualiter hoc fecerit, vel faciat hic venerabiliter indicat ipse dicens de patre familias, quem ipsum esse nemo qui dubitat, quia videns reuertentem filium suum, misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eũ. Nam, sicut iam diximus, cadere super collũ, hoc est, multum humiliare peccatoris animum. Quid deinde? Arabit, inquit, Iudas, id est, confitebitur, ille iam propter ipsam confessionem dignus, qui vocetur Iudas, arabit, inquam, cõfitendo, id est, aperiet terram cordis sui dicendo. Peccaui in cælum & coram te, confringet quoq; sibi sulcos Iacob, id est, vitiorum pristinorum supplantator, dicens in confractione cordis sui. Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Tunc & quod sequitur, faciet, id est, seminabit sibi in veritate iustitiã, & metet in ore misericordiæ, dicentis, Citò proferte stolam primam, metet eandem, siue iustitiæ stolam, siue stolæ iustitiam.

Quòd super collum Sauli verè pater ceciderit, qui iam Paulus humilis & pius incedens, & discipulum informans, Exerce autem teipsum, inquit, ad pietatẽ.

CAPVT XI.

PAulus Apostolus, id quod nunc dicimus magnificè in semetipso expertus, quippe super collum cuius pater iste mirabiliter cecidit, non quia reuertebatur, sed vt reuerteretur, qui erat auersus per ignorãtiam ad hanc pietatem, qua in illa domo clementissimi patris viuendum est, dilectum discipulum magis ac magis informans dicit. Exerce autem *1.Timo. 4.* teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ. Hæc verba verè sapientis, verba magni ponderis, & statera digna sunt ponderari. Quòd vt compẽdiosiùs *Gen. 25.* facere possimus, exemplum duorum ad memoriam reuocemus, Iacob & Esau. Nam alter eorum, scilicet Esau, corporali exercitatione exercebatur, sicut scriptum est. Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola, alter verò, ad pietatem seipsum exercebat, sicut subiunctum est. Iacob autem simplex habitabat in tabernaculis. Et reuera corporalis exercitatio illi ad modicum vtilis fuit. Ad quid modicum? Isaac, inquit scriptura, amabat Esau, eo quod de venationibus eius vesceretur. Hoc verè modicum fuit, quòd amabat eum Isaac, non enim ad maximam exinde vtilitatem peruenit, sed ad permodicam, sicut scriptum est. Cumq; eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit. In pinguedine terrę & *Gen. 27.* in rore cæli desuper, erit benedictio tua. Nõ hoc dicimus, quòd pro illa exercitatione corporali ad odium Dei peruenerit, de quo scriptum est. Iacob dilexi, Esau autem odio ha- *Malach. 1.* bui. Nam illud promeruit odio fratris, quem *Rom. 9.* interficere cogitauit, & contemptu patris & matris, quo alienigenis se commiscuit, & alienigenas vxores accepit, sed hoc dicimus, quia corporalis exercitatio, vel amor patris, quo amabatur propter illam exercitationẽ, parum illi profuit. E contra pietas huic, videlicet Iacob, quia simplex habitabat in tabernaculis, & pro qua Rebecca eum diligebat verè ad omnia vtilis fuit, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ. Nam exin de prouenit, vt volente matre acceperet benedictionem patris, meruitq; tam de præsenti quam de futuro benedici, vel promissiones accipere benedictionis. De præsenti videlicet, vbi cũ dixisset pater. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus continuò hic cœpit. Det tibi Dominus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei. De futuro autem, siue de futura vita, & quod ad vitam prosit, vbi continuò subiunxit. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruẽtur ante te filij matris tuę. Qui maledixerit tibi, maledictus erit, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. In his verbis nimirum futuræ vitæ promissionem accepit, id est promissionem Christi, vt de semine eius nasceretur Christus, qui est ipsa vita futura, vita æterna. Hec itaq; præcognito duorum exemplo citius intelligimus, quid dixerit Apostolus, & quàm verè dixerit, quia corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autẽ ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Quod enim in illis duobus præostensum est, in vniuersitate hominum perseuera re cõprobatur, videlicet, vt hi qui circa corporalia, siue temporalia exercitantur, modicam exinde aut penè nullam vtilitatem consequantur, qui autem pietati studẽt, & simpliciter viuunt, in omnibus sibi prospiciunt, vt nihil desit eis eorum, quæ expediunt animæ & corpori, quemadmodum in Euangelio suo Veritas dicit, Primùm quærite regnũ *Matt. 6.* Dei,

Lucæ 12. dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcien-
1.Timot. 6. tur vobis. Nam quod hoc intendat, ipse manifestius exprimit, dicendo post aliqua. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubiũ nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quib⁹ tegamur, his contẽti simus. Nã qui volut diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli. Et subinde: Tu autem ô homo dei hæc fuge, sectare verò iustitiam, pietatem, fidẽ, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Porrò inter hæc qualiter in alterum pietas exercenda sit, & à prælatis in subditos, & à subditis in
1.Timot. 4. prælatos, ipse docet, cum dicit. Attẽde tibi & doctrinis insta in illis. Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Seniorem ne increpaueris, sed obserua vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuue-
Ibidem 5. culas vt sorores in omni castitate, & cæ. Hoc verè est prælatorum erga subditos exercitiũ pietatis, postea dicit. Qui benè præsũt presbyteri, duplici honore digni habeãtur, maximè q; laborant in verbo & doctrina. Dicit. n. scri-
Deute. 25. ptura, Nõ infrenabis os boui triturãti. Et dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Et hoc vti-
1.Tim. 6. que faciẽdo, subditi semetipsos ad pietatẽ exercẽterga prælatos. Sed & diuites seculi quali ,p modo suo debeant ad pietatẽ exerceri, tãdem non tacet, cum dicit. Diuitibus huius seculi præcipe, non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo & vero, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, cõmunicare, thesaurizare, sibi fundamentum bonum in futuris, vt apprehendant veram vitam.

De paternæ pietatis vocibus dicentis: Manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

CAPVT XII.

Lucæ 15. NOtandum interea, quali vel quanta ratione in ipsa festinatione vtatur pietas. Cum enim dixisset, citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes, & adducite vitulum & occidite, & manducemus & epulemur, continuo quasi quæreretur, quæ est ratio tantæ tamque promptæ largitatis, ita reddidit. Quia filius meus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuẽtus est. Magna planè & auditu atq; imitatione digna ratio, quæ iam dudũ vniuersæ domui patris huius audita est, cuius habere ignorantiam, cuipiã domestico sanctæ eius ecclesiæ non licet. Nisi enim prius reuixerit qui mortuus fuerat, nisi inuentus fuerit qui perierat, non licet eũ annulo perornari, id est, ecclesiæ fidelium reconciliari, non licet eum calciari calceamentis in præparatione euangelij pacis, non licet eum inuitari vel admitti ad conuiuium vitulo saginati, id est, ad participatiõem corporis & sanguinis domini. Vnde autẽ debeat sciri, quòd reuixerit, quòd inuentus sit, hoc quoque prudentiam ecclesiæ non præteriuit. Et quid illud est? Nimirum vox confessionis, qualis & hic personat, cum dicit is qui reuertitur, pater peccaui in cælum, & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis, & in alia lectione mysticè subintelligitur, vbi narratur, quomodo & quali ordine quatriduanum mortuum, iamque fœtentem Lazarum dominus suscitauit, voce magna clamãte domino. Lazare, veni foras, statim pro *Ioann. 11.* dijt qui erat mortuus, ligatus manꝰ & pedes institis, & tũc demum. Soluite, inquit, eum, & sinite abire. Nimirum sicut hic peccator prius confitetur & dicit. Pater peccaui in cælum, & coram te, & tunc demũ dicitur, citò proferte stolam primam, & cæter. ita & illic qui fuerat mortuus, prius prodijt, & tunc demum solui iussit, & in vtroque facto eadem ratio est, quòd idcirco debeat in communionem ecclesiæ recipi, quia confessus est, & dignam pœnitentiam obtulit.

Quòd non sit hoc totum pietatis officium, manducare aut epulari, aut gaudere, quia reuixit, vel inuentus est, sed etiã ieiunare, & orare, & flere, vt inuenia tur qui perijt, & reuiuiscat qui mortuus est.

CAPVT XIII.

NEc verò totum aut integrum est pietatis officium, manducare, aut epulari, atque gaudere, pro eo, quia qui mortuus erat reuixit, & qui perierat, inuentus est. Deniq; antequam reuiuiscat qui mortuus est, aut in ueniatur, qui perijt, maximè hoc pietatis, ieiunare, orare, & flere, vt reuiuiscat, & inueniri possit. Huius rei mysticum exemplum, vidua illa de euangelio, cuius filius vnicus defunctus, per portã ciuitatis efferebatur, cui dixit dominus misericordia motus super eã. Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi *Lucæ 7.* autem qui portabant, steterunt. Et ait. Adolescẽs tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illũ matri suæ. Vidua nanque mater sancta ecclesia est, vidua, inquam, pro eo quia vir eius præcrucifixus, & mortuus fuit, & licet resurrexerit, & nunc viuat, tamen præsentia corporaliter hic non est, sed ascendit in cælum, & ad dextram patris sedet, filius eius est quisque credentium, ex quo sacramentis eiusdem ecclesiæ Christo renatus. Moritur autem filius, & per portam ciuitatis effertur, quoties mortiferum crimen admittit, vsq; ad effectum operis, siue manifestum opus. Hic pietate opus, hic matri super mortuo filio flẽdum, & orandum est. Mors enim peccati, mors cruenta, mors pauenda est. Laborat hic sancta scriptura vel spiritus scripturæ sanctæ cõditor spiritus, vt quoquo modo magnitudinem periculi, & horrendum genus mortis sentire valeamus, id quod homo peccando

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoc.12. moritur. Ait enim. Et signum magnum apparuit in cælo. Et mulier amicta sole, & luna sub pedibus, & in capite eius corona stellarũ duodecim. Et in utero habẽs & clamabat parturiẽs, & cruciatur vt pareat. Et subinde. Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret. Quamuis enim iuxta quendam altiorem sẽsum, semel hoc factum sit, & fieri non desinit, vsque ad finẽ seculi. Semel videlicet hoc factum est, quando vniuersa patriarcharum & prophetarum electorumq; omnium ecclesia per Mariam virginem quę eiusdem ecclesiæ portio est, Christum in carne peperit, cum magno clamore magni desiderij & diutinæ expectationis? Tunc stetit draco ante mulierem, vt cum peperisset, statim deuoraret filium eius, statim quippe in Herode fuit quærente puerum, vt perderet eum, & extũc persecutus est vsq; quo crucifigeretur, dicẽs:

Psalm.40. Quando morietur, & peribit nomen eius. At ille filius masculus idem deus fortis erat. & idcirco raptus est ad deum, & ad thronum eius, resurrexit enim & ascendit in cælum vsq; ad patris thronum recturus gentes in virga ferrea, id est, inflexibili iustitia. Tunc, inquam, semel factũ est, vt staret draco ante mulierem parientem, deuorare volens filium eius, ita vt periret nomen eius, nunc autem, sicut iam dictum est, fit & fieri non desinit, vt stet ante mulierem ad deuorandum quempiam de filijs eius, in Christum credentibus. Nam quempiã Christo acquirere, vel in quouis Christum formare, si non esset parturire, non diceret A-

Galat.5. postolus. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Laborat ergo iste sanctus pietatis spiritus, sensum nobis imprimere faciemq́ue ostendere crudelis & horrendæ mortis huius, mortis peccati, quia homo à deo viuo separatur, & principi mortis diabolo incorporatur, dum tales ostendit imagines mulieris parturientis, & draconis magni, draconis rufi septem capita habentis, stantis ante illam, & parati ad deuorandum filium eius. O quantos, quamque horrificos hiatus oris, & gutturis, quam cruentos dentes, quam profundum tartarũ ventris eius, viderat hoc in eodem pietatis spiritu, cum diceret prædictus Apostol. Timeo

2. Cor. 12. enim ne forte cum venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis, ne fortè contentiones, emulatiões, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiões, sint inter vos, ne iterum cum venero, humiliet me deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt Hoc igitur, vt prædiximus, verum & perfectum pietatis opus est, flere & lugere eos, morte eius qui mortuus est, & perditione eius, qui perijt, & tunc demum manducare, epulari, & gaudere, cum reuixerit, cũ inuentus fuerit.

Quòd hodie gaudendum, non solum quidem sit in domo patris, quia qui mortuus fuerat, reuixit filius, sed etiam dolendum, quia frater senior foris stat, & ingredi non vult.

CAPVT XIIII.

GRatia tanti patris huius, ecce hodie, tali cõuiuio, talibusq; gaudijs interſumus, & ita demum vera pietate epulamur, si de conuersione peccatoris in domino gaudemus. Verum & illud ad pietatis officium, vt aliquantisper gaudium diminuatur in nobis, duritia fratris nostri qui foris est, quia stat pertinaciter indignatus, & introire non vult, sicut de illo scriptum est. Et cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum. Et vocauit vnum de Luca 15. seruis, & interrogauit, quæ hæc essent. Isque dixit illi. Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Frater ille populus Iudaicus est, ex eo nimirum frater populi gentium, quia Deus vnus est Iudæorum & gentium, quia quem plasmauit vnus Adam pater omnium est. Dicitur autem & senior frater, quia prior venit ad vnius dei cultum. In agro quoque fuisse dicitur, quia res agrestes, id est, terrenas retributiones operãdo iustitias, sequebatur legis. De hoc vigilanter intuendum est, quia indignatus, nolebat introire. Non per ignorantiam foris manebat, sed sciendo cognouerat, quod pater domi esset, quod gauderet super eo qui perierat, & inuentus est. Vocauit enim vnum de seruis, & interrogãs quæ hæc essent quæ audierat, certus factꝰ est, & quod verum erat ab illo didicit. Non ergo arbitremur, Iudæos per ignorantiam foris stare, & in euangelicam domum nolle introire, illos maximè, qui vnũ de seruis vocare possunt, & interrogare, id est, prophetarum voces quæ per omne sabbatum leguntur, audire, & sensum aliquo modo percipere. Si enim ignorarent, aut non intelligerent, & nõ potius intelligere nollẽt, si, inquam, per ignorantiam, & non potius per inuidentiam foris starent, odientes gentium salutem, non conueniret talis parabolæ textus, quo & prius auditur symphonia, & chorus, & ab vno de seruis vocato certiꝰ cognoscitur, quid intus agatur. Symphonia quippe concors & consona est euangelicæ prædicatio gratiæ, chorus autem gratiarum actio est, & vox laudis quæ in omni terra, & per omnes terras, corporaliter quoque auditur Iudæis, per omnes gentes dispersi sunt, audientibus, & quaqua versum distracti sunt nostros per vicos & vrbes, vrbiumq́ue plateas festiuitates aspicientibus nostros die ac nocte foris, & intus

& intus choros, quibus deum & Christum cius cum spiritu sancto laudamus, visu & auditu percipientibus. Porrò vnus de seruis quẽ ille vocare, & à quo interrogare potuit, vnitas est, & vna veritas omnium quas Iudæus recipit, scripturarum veteris testamenti. Duo sunt serui ex quibus res poterat inquiri, quia duo sunt testamenta, vetus, & nouũ, ex quibus si vellet Iudæus potuisset perdoceri. At ille vnum tantum vocauit, & ille vnus quod satis est edixit, veritatem omnem expresit. Vbi enim tacet vetus testamẽtum, reuersionem minoris fratris, & occisionem vituli saginati, id est, conuersionem gẽtium, & passionẽ Christi filij dei? Exempli gratia. In exordio sermonis, quo deus Abraham alloquitur, talis est, talis causa, quæ aduocationem præstet, recipiendis gentibus, & superciliũ decutiat Iudæorum, quod nequaquam sine illis saluentur. Egredere, inquit, de ter-

Genes.14. Genes.22. ra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monstrauero tibi, faciamq́; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq́; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ. In repromisione quoque: Per memetipsum, inquit, iurauí, dicit dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenã, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gẽtes terrę, quia obedisti voci meę. O Iudæe, etiam si tu vniuersus talis sis qualis Abraham exstitit, & ita obediens per omnia, sicut ille obediuit voci domini, quid aliud exigere potes vel poteris pro mercede tua, quam quod Abrahæ deus promisit, siue repromisit? Et nũquid cælum aut paradisum promisit se daturũ, vel soli illi quod ex carne eius est semini, si suę obediret voci? Nõ vtiq;: sed tantũ semẽ quoddã promisit, semẽ benedictõis, in quo nõ solus Iudæus, sed oẽs gentes benedicerẽtur. Quod sit illud semẽ, quis sit modus benedictiõis, prophetic⁹ omnis ordo cõtestatur, quia Christus est & remissio peccatorũ, quæ per

Roman.11. sanguinem eius datur. Igitur ille quidem impiè agit, quia salutem foris odit, sed ille qui inuentus est, qui reuixit intus, ad pietatem eruditur, vt non reddat malum pro malo, sed odientem diligat, inuidenti condoleat, & si nondum adeò perfectus, saltem foris relicto non insultet. Nam hoc est quod Apostolus ait illi. Si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses insertus es illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene, Propter incredulitatem fracti sunt rami, tu autem fide stas. Noli altè sapere, sed time. Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, nec fortè tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem dei. In eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem dei, si permanseris in bonitate. Hoc audire & sic facere pium est. Secundum exemplum ipsius qui hoc docet, ipse enim qui sic persua- Roman.2. det, supra ostẽdit, sese hoc ipsum facere quod docet. Veritatem, inquit, dico in Christo, nõ mentior, testimonium mihi perhibẽte conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c.

Futurum esse quod dictum est: Pater ergo illius egressus cœpit rogare eum, & quomodo dici conueniat illi: Fili tu semper mecum es.

CAPVT XV.

FVturum autem est, vt fiat quod sequi- Luca 15. tur. Pater ergo illius egressus cœpit illũ Roma. 12. rogare. Nam hoc est, quod loco præmemorato Apostolus ait. Nolo enim vos ignorare fratres mysteriũ hoc, vt non sitis vobismetipsis sapientes, quia cęcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fiet, sicut scriptum est. Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob. Quod est enim cæcitatem in Israel contigisse, hoc est, fratrem indignatũ nolle introire. Porrò quod est venire ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob, hoc est, patrem foras egredi, & rogare inuidentem, vt deposita impietate ad conuiuium pietatis introeat. Verba ipsa quibus impietatem pater auersurus est, hæc mystica sunt. Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Sequẽtis versiculi sensus perspicuus est, præcedentis autem partim quæstione indiget, partim perspicuè patet. Nam quod ait, & omnia mea tua sunt, illud itidem est quod Apostol. ait Roman 9. Quorum adoptio est filiorum & gloria, & testamẽtum & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, amen. Ergo perspicuũ est. Porrò quod ait, tu semper mecum es, idcirco quæstione indiget, quia quandiu foris Nume. 20. stat ille filius, & introire non vult, vtiq; cum Psal.105. patre non est. Sed antequam iunior frater iste reuerteretur, antequã conuiuium istud celebraretur, id est, antequam Christus pateretur, cuius hodie carnem manducantes, & sanguinem bibentes, epulamur, non semper cũ eo erat, ꝙ apertè cognoscit quisquis sacras legit historias, quibus narratur, quod multoties de conspectu patris, & de domo eius exiliens filius ille senior, currebat ad porcorum siliquas, adorans idola, sacrificans Beelphe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gor, & cætera colens vicinarum gentium dæ
1. Reg. 19. monia. Ergo quod ait, tu semper mecum es,
Roman. 11. aut pro parte dicit eorum qui quanuis pauci
de populo illo supererant non relinquentes
deum patrum suorum, sicut tunc, quando di
ctum est ad Heliam, reliqui mihi septem mi
lia virorum, qui non curuauerunt genua Ba
al, aut cum maxima denotatione causa red
ditur cur illi filio conuiuium nunquam fece
rit pater, vt cũ amicis suis epularetur. Quòd
Luc. 15. si ita placet dũ dicit, tu semper mecum es, idẽ
est, ac si dicatur. Tu tibi arrogas, quia iustus
es. Ego autem non veni conuiuium facere
huiusmodi iusto, sed peccatori. Dixerat e
nim ille. Ecce tot annis seruio tibi, & nun
quam præceptum tuum præteriui, hic autẽ
dissipauit substantiam suam, cum meretrici
bus viuendo luxuriosè. Itaque quod ait, tu
semper mecum es, sic dictum potest intelli
gi, non quòd ita sit, sed quod ita ille arroget
sibi, quippe qui hodieque cum foris sit solũ
Rom. 10. se esse iactet populum Dei, & cum præ in
uidia & infidelitate moriatur: quasi de iu
stitia præsumit, quemadmodum Apostolus
ait, Quærentes suam iustitiam statuere, iusti
tiæ dei non sunt subiecti.

Quid in eo intelligendum sit quod ait: Et nunquã dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.

CAPVT XVI.

Luc. 5. ANtequam auertatur hæc impietas ab
Iacob, antequam pietatis regulam au
diat vel accipiat ex ore patris ille senior, quid
dicit patri suo? Cùm præmisisset, ecce tot an
nis seruio tibi, & nunquam mandatum tuũ
præteriui, confestim indignanter ac murmu
rantis animo subiunxit. Et nunquam dedisti
mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer,
sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit
substantiam suam cum meretricibus venit,
occidisti illi vitulum saginatum. Etenim iá
quidem dictum fuerat, quia pater illius e
gressus, cœpit illum rogare, sed ipsa rogan
tis verba præcurrunt hæc quæ filius ille di
xit, & tũc demum sequuntur illa, cum dicit,
Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua
sunt, epulari autem & gaudere oportebat,
&c. Ergo inuidiam populi Iudaici, quæ nũc
est, atq; improbam intentionem, qua illum,
qui veniet in nomine suo, videlicet Anti
christum desiderat, hæc fratris verba sonãt.
Vnde & notãdum quod ait. Et nunquam de
disti mihi hœdum, vt cum amicis meis epu
larer, non dixit agnum siue vitulum, sed hœ
dum ait non dedisti mihi, non dixit vt epula
Esaiæ 52. rer tecum, sed cum amicis meis. Siquidẽ An
tichristus quem expectat, quemque in suo
nomine venientem, ille populus suscipiet, nõ
erit agnus, velut ille de quo scriptum est, &
sicut agnus coram tondente se obmutescet,
& non aperiet os suum, sed erit hœdus eorũ
maximus, qui sedente rege in sede maiesta
tis suæ, ad sinistram statuendi sunt, cuius in
typum caper emissarius iubẽte domino per
Moysen, maledictus & consputus in deser
tum emittitur. Nam si aliquando per hœdũ Leuit. 16.
Christus quoque intelligitur, hoc pro causa
externa fieri cognoscitur, quia videlicet pro
innocentia agnus pro peccatis multorum,
quæ super se tulit, dicitur hœdus. Ergo cum
dicit frater ille, Nunquam dedisti mihi hœ
dum, fatigatio subintelligitur populi Iudai
ci, suspirantis quod nondum acceperit Anti
christum. At idem eum quem expectat, quẽ
susceperus est, non Antichristum nominat,
sed Christum. Quare ergo parabola hæc illi
imponit quod murmuret propter hœdum,
quodue illum in quo cupit epulari nuncu
pet hœdum? Videlicet vt arguat populi il
lius cupiditatem sensumque terrenum, quia
nimirum & si illum voce & labijs nominat
Christum, sensu & intentione profitetur se
expectare Antichristum. Non enim talem
expectat qui mortuos viuificet, sed qui viuẽ
tes occidat, non eum qui pacem faciat, sed eũ
qui bella concitet & humanum sanguinem
fundat.

De hœdo, quod Antichristus sit, cuius aduentu populus ille optat epulari.

CAPVT XVII.

DE illo falso agno & vero hœdo, falso
Christo & vero Antichristo post dra
conem, qui vt superiori libro diximus, mu
lierem persecut⁹ est, & de ore suo post illam
flumen emisit, sic scriptum est. Et steti super
arenam maris. Et vidi de mari ascendentem
bestiam, habentem capita nouem, & cornua
decem. Et subinde. Et vnum de capitib. suis, Apo. 12. &
quasi occisum in morte, & plaga mortis eius 13.
curata est. Et admirata est vniuersa terra post
bestiam. Et adorauerunt draconem, qui de
dit potestatem bestiæ, & adorauerunt be
stiam dicentes. Quis similis bestiæ, & quis po
terit pugnare cum ea? Et datum est ei os lo
quens magnum & blasphemiam, & data est
illi potestas facere menses XLII. &c. Bestia
nanque de mari ascendens, vniuersum cor
pus significat, cuius draco ille, id est, diabo
lus caput est, videlicet vniuersam multitudi
nem impiorum. Septem capita eius & decẽ
cornua ei⁹ eadẽ sunt, id est, omnis terreni re
gni potentia, quia videlicet septem capitibus
omnes reges eius, & decem cornibus omne
regnum eius figuratur. Nomina blasphemię
super capita eius, quia dij appellati sunt re
ges eius. Vnum de capitibus eius quasi occi
sum, cuius plaga mortis curata est, Antichri
stum significat, pertinentem ad terreni regni
capita, qui imitatione veri capitis nostri, qua
si occisum resurrexisse, & pro Christo qui
verè hoc perfecit, suscipiendum se audet ex
hibere. Cuius commenti dicitur in Simone
mago præcessisse fallaciam. Itaque æstima
tione quidem seductorum, & simulatione
sui agnus erit, reuera autem hœdus, imò &
bestia siue cornu bestiæ, in cuius superbia &
crudelitate epulabitur, vel epulari vult ille
frater in-

frater inuidus, qui & meritò condemnabi
tur, quia non credidit veritati, suscipiet autẽ
mendacium, ita tamen vt (sicut iam per pro
phetam dictum est⁹, & Apostolus meminit)
reliquiæ saluæ fiant.

De persecutione eiusdem Antichristi, quòd magna futura sit. CAPVT XVIII.

DE persecutione eius videlicet Antichri
sti, quòd verè magna futura sit, domi
nus grauissima denunciatiõe asserit, cum in
Matt. dicit. Væ autẽ prægnãtib. & nutrientib.
Matth. 24. in illis diebus. Orate autẽ, vt non fiat fuga ve
stra hyeme vel sabbato. Erit enim tunc tri
bulatio magna, qualis non fuit ab initio mũ
di vsque modo, neq; fiet. Et nisi breuiati fu
issent dies illi, non fieret salua omnis caro.
Sed propter electos bræuiabuntur dies illi,
Tũc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus,
aut illic, nolite credere, surgent enim pseudo
christi & pseudoprophetæ, & dabunt signa
magna, & prodigia, ita vt in errorẽ inducan
tur, si fieri potest, etiã electi. Hoc ipsum est,
quod verbis alijs in Apocalypsi dicitur
Apoca. 13. hoc modo. Et datum est illi bellum facere
cum sanctis, & vincere illos, & data est ei po
testas in omnem tribum, & populum, & lin
guam, & gentem: & adorabunt eum omnes
qui habitant terram, quorum non sunt no
mina scripta in libro vitæ, & agni qui occi
sus est, ab origine mundi. Et subinde. Et fe
Ibidem. cit signa magna, vt etiam ignem faceret de cę
lo descendere in terram, in conspectu homi
num. Et seducit habitantes in terra propter
signa quæ data sunt illi facere.

De abundantia pietatis, quæ tandem ille frater. id est, omnis Israel saluus fiet.

CAPVT XIX.

POst tantam impietatis abundantiam, ma
gnificè operabitur spiritus pietatis, dicen
Luc. 15. te patre fratri illi seniori. Epulari autẽ & gau
dere oportebat, quia frater tuus mortuus fu
erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Hoc
enim audiet ille in reliquijs, quæ conuerten
tur & saluæ fierẽt de populo illo, & implebi
tur illud propheticum, cuius Apostolus me
mor, Veniet (inquit) ex Sion qui eripiat & a
Roman. 8. uertat impietatem ab Iacob. Tunc denique
Ibidem 11. epulabitur ille senior cum fratre iuniore &
cum patre in domo Christi doctus nihil pro
fuisse, quinimò falsum esse quod dixerat. Ec
ce tot annis seruio tibi, & nunquam manda
tum tuum præteriui, doctus inquam nihil
valuisse sibi quod se semper cum patre fuis
se, vel quod omnia quæ patris sunt sua esse
confidit, quod non nullo modo verum esse
potest, intantũ vt testetur ipsa sal⁹, ipse salua
tor ore proprio, qa salus ex Iudæis est, quin
imò etiam pro detrimento cuncta reputari,
& arbitranda esse vt stercora, vbicunq; sint
vel fuerint extra illud conuiuiũ, extra vera
pietatis delicias. Hoc facto implebũt illud
q̃ in Ioseph mystice præfiguratũ est, quan
do dominus terræ & princeps Aegypti co
gnitus est à fratribus suis, & epulati sunt cũ
eo meridie, & ipse bibens inebriatus est cum
illis. Dixitque eisdem vẽditoribus suis. Vos
cogitastis de me malum, deus autem vertit
illud in bonum. Hoc dicet illis non impro- Genes. 50.
perando, sed cum indulgentia & gratia, mi
raculum illius altissimi consilij sui præsen
tando.

Quod interea dum ad pietatem exercemur, cauẽ dum sit, ne falsa pietatis imagine fallamur.

CAPVT XX.

INterea dum pietati studemus, dum ad pie
tatem exerceri iubemur, simul veritate
opus est, vt vera pietas & vera sit veritas, ne
quãdo pietatis falsa imagine fallamur. Est e
nim remissio q̃ pietas vult videri, sed ꝓfectò
lõgè est à spiritu pietatis, quia videlicet remit
tendo soluit, parcendo odit, dum per iner
tiam & molliciem suam, vitia quæ amputari
debuerant, nutriri permittit. Non sic sancti
pietatem prædicant, vt districtionis dignita
tem prętermittãt. Ab hac suspitione quidam
illorum eximius semetipsum eximens, cùm
dixisset in ipsa correptione prudenter agen
dum, & ne quid nimis dicens, ne dum nimis
cupierit eradere eruginem, frangatur vas,
suamque fragilitatem, semper suspectus sit,
memineritque scriptum, calamum quassa- Matth. 12.
tum non conterẽdum, continuò subiunxit: Esaiæ 42.
In quibus non dicimus, vt permittat nutriri Nume. 12.
vitia, sed prudenter & cum charitate ampu- Exod. 12.
tet, prout viderit cuique expedire. Quod si
exempla quæruntur, & quis erit Moyse cle
mẽtior, aut magis pius? Scriptum quippe est.
Erat enim Moyses vir mitissimus super om
nes homines qui morabantur in terra. At il
le, vbi causa popposcit, districtus esse nouit,
& stans in porta castrorum, ait. Si quis est do
mini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad
eum omnes filij Leui. Quibus ait. Hæc dicit
dominus Deus Israel, Ponat vir gladium su
per fœmur suum. Ite & redite, de porta vsq;
ad portam per mediũ castrorũ, & vnusquisq;
occidat fratrem & amicum & proximũ su
um. Hoc fecit tanquã districtus, & bono ze
lo rigidus, veruntamen in ipso districtionis
rigore, suæ mansuetudinis quia mitissimus e
rat, nequaquã oblitus. Sequitur enim, Facto
aũt die altero, locutus est Moyses ad populũ.
Peccastis peccatum maximum, ascendam ad
dominum, si quo modo quiuero eum depre
cari pro scelere vestro. Rursusque ad domi
num ait. Obsecro peccauit populus iste pec
catum magnum, feceruntque sibi deos au
reos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non
facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.
Est igitur veræ pietatis seu veræ mansuetu
dinis socia, semper pro tempore & re discre
tio rationabilis, scilicet vbi vel quando cul
pa per alium cognita est, quam per auctorẽ
sui & vtriusque rei exemplum salutare no
bis in Moyse prefulsit.

De euangelico exemplo villici, dicentis: Fodere non valeo, mendicare erubesco, scio quid faciam, &c. qualiter in exercitio pietatis imitandum sit.

CAPVT XXI.

CAEterùm est vbi vel quando itidẽ pro tempore & re sola incedere audiat pietas absque virga districtionis, scilicet dum id quod secretè admissum est, nihilominus secretè & voluntariè prodit humilitas confessionis. Et huius rei nobis exemplum ingerit ipse, in quo totus & semper inhabitat spiritus pietatis laudans prudẽtiam villici illius,
Luca 16. qui hoc modo sibi prouidit. Quid faciam, inquit, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Et continuò bonum reperiens cõsilium, scio, inquit, quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat. Quantum debes domino meo? At ille ait. Centum cados olei. Dixitque illi. Accipe cautionem tuam, & sede, cito scribe L. & cætera. Deniq; sicut præcedens parabola de filio prodigo & fratre eius seniore, qui rediuiuo atque inuento inuidit, mysterium continet populi gentilis & populi Iudaici, sic sequens ista forma est prælati, cuiuspiam & subditi peccatoris eius duntaxat, cuius peccata prẽter Deum & cõscientiam ipsius arbiter nullus sit. Etenim quisquis animabus præsidet, nimirum villicus summi domini est, qui si veram & verè humilem prudentiam habet, si verè aliquod
Prouer. 12. iustitiæ initium habet, quotidie iudicat semetipsum in conscientia, vel cognatione sua, iuxta illud. Cogitationes iustorum iudicia. Ponit in mente sua domini sui tribunal, & accusante conscientia, iustus enim in principio accusator est sui, cõfessio iudicat, timor ligat, ibique audit, vel audire sibi videtur dictũ domini sui. Quid hoc audio de te? Red-
Prouer. 18. de rationem villicationis tuæ. Iam enim nõ poteris villicare. Qui enim animas custodit, vel custodire debuit, multam & magnam se agnoscit dissipasse substantiam domini sui, si ritè perpendat, quomodo seruare debuerit. Hoc perpendens veraciter confitetur, quod amouendus, quod meritò eijciendus sit, si secundum iudicium solum secum agatur. Prouidens ergo sibi, vt misericordiam inueniat, fit misericors ipse subditis, vocans vnumquemq; eorum singillatim, & dicens illi. Quãtum debes domino meo? Nam hoc est sollicitum esse de subdito quolibet vel sibi commisso, & priuata atq; secreta cõmonitione, rogare vt aperiat quantum debeat Deo, id est, non celet peccata sua, siue cogitationes malas aduenientes cordi suo, iuxta illud. Dixi confitebor aduersum me iniustitias meas domino. Qui si confestim dixerit, Psal. 31.
centum cados olei, siue centum choros tritici, id est, si vocem confessionis simplicirer aperuerit, & peccata sua numerauerit, siue magna & multa esse non tacuerit, vtitur ille prudentia & arte sua, sede, inquiens, citò scribe quinquaginta, sede cito, scribe octoginta, ita tamen vt singulis præscribat ipse dicens. Accipe cautionem tuam, quod est dicere. Tantummodo tibi caueas, vt de cætero emendes pœnitentia austeritatem debitam, leuiorem fac. Verbi gratia, qui septennem siue duodẽnem pœnitẽtiam debueras, si ad publica tractus fuisses ecclesię tribunalia, vno anno siue quadraginta diebus, aut iuxta exemplum Niniuitarum triduo pœniteas, & ego pro te in die iudicij domino meo rationem reddam. Tantum placere debet hęc similitudo villici, qui domino quidem suo villicus iniquitatis, villicus dãnosus extitit, Luca 16.
sed pro se prudẽter egit, & sibi prudẽter cõsuluit, tantũ inquã apud spirituales valere debet exẽplum villici secularis, vt meritò redarguãt semetipsos, & dicãt, filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Hoc. n. veritas dixit, & sic debet intelligi. Seculares homines prudentius, vigilantius, atque cupidius commodis temporalibus & transitoriæ saluti suæ prospiciunt, quàm spiritualis propositi viri, circa æternam suam, solicitudinem studiumque pietatis adhibeant. Imitemur ergo saltem illos in his quę sunt ad Deum, excitemur saltem exemplo illorum in his quę pertinent ad vitam æternam.

FINIS COMMENTARIORVM LIBRI OCTAVI,
SCILICET DE PIETATE DOMINI.

RVPER.

RVPERTI ABBATIS TVITIENSIS DE OPERIBVS SPIRITVS SANCTI LIBER NONVS: DE TIMORE DOMINI, LIBER VNVS.

De spiritu timoris domini, quòd maximum instrumẽtum sit expectatio iudicij vniuersalis.

CAPVT I.

OMnium quę nobis ex sancta & veridica scriptura credere & confiteri tradita sunt, finis est vniuersale iudiciũ, quòd verè maximum & pcipuum est, eius q post spiritum pietatis in descendendo ponitur spiritus timoris domini, instrumentum. Illic enim timor non modicus est, illic timore non paruo trepidandum est. Veraciter iterum atque iterũ
Iob 41. dixerimus, quia illic timor est, & quia qui
1. Pet. 4. non trepidat ibi timore, iste sapiens non est.
Malac. 1. Tunc enim timebunt angeli, ait Dominus, & territi purgabuntur. Vix enim iustus saluabitur, etiam si pro merito iustitiæ talis sit, vt rectè vocetur angelus, cuius labia custodierunt scientiam, & qui legem ex ore suo quęrentibus, factus est Domini exercituum angelus, id est, nuncius. Benè ergo spiritus timoris Domini dicitur, pro hoc ipso, quòd primitus aspirando, nobis insensatis & elatis, & idcirco insensatis, quia elatis, fidem facit eorum quæ illic visuri, quæque adituri sumus, vt credentes & recogitantes timeamus, timentes stultitiam relinquamus, & ad sapientiam fugiamus.

De magno die iudicij eiusdem, quomodo consimilis sit primo dierum seculi. CAPVT II.

DIes ille, dies magni iudicij, nouissimus erit dierum seculi. Respiciamus nunc illum, quem numero primũ sancta scriptura diem posuit in exordio sui, quando diuisit Deus lucem & tenebras, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factumq; est, ait, vespere & mane dies vnus. Idcirco autem numero primum, quia sicut illic pro posse diximus, alius est dies natura primus, ille autẽ numero tantum vel ordine creationis primus. Nam qui verè est primus, non tẽporalis est, sed æternus, non de creatura lucens, sed creaturam illuminans lux. Quòd
Gen. 1. sciens scriptor noluit dicere, factumque est vespere & mane dies primus, sed factumque est, ait, vespere & mane dies vnus. Respiciamus, inquam, ad illum diem, & consideremus admirandam operum Dei dispositionem, qui eandem quasi edituum terribilem posuit timorem ad custodiẽdum introitum & exitum scripturæ, siue operum suorum, vt quisquis ad cognoscendum Deum ingreditur, & in introitu inueniat, cur valdè timeat, & in exitu audiat, cur multo maximè contremiscat. Denique cùm dicitur. Diuisitque lucem & tenebras, appellauitq; lucem diẽ, & tenebras noctem, ibi angelos iudicatos, & bonorum malorumque spirituum diuisionem insociabilem atq; immutabilem factam esse intelligimus, & hic angelorum pariter & hominum iudicium immutabile esse faciendum, claris scripturę vocibus audiuimus. Illic angelos apostatas de cælo in istum caliginosum aerem proiectos, hic eosdem angelos & eorum sequaces homines impios, non ignoramus, in ignem æternum esse proijciendos.

De septem spiritibus domini, quòd qui primus erat in hoc opere, idem sit & finis, scilicet spiritus timoris domini. CAPVT III.

GRatias igitur huic spiritui domini, spiritui sapientiæ & intellectus, spiritui consilij & fortitudinis, spiritui scientiæ & pietatis, & spiritui timoris dñi, quia melius quàm nos ipsi prępparare aut prouidere potuimus, nos abundare voluit, & in veritate experiri fecit, id qp vagiẽti & esuriẽti infantulo Israeli spõdere dignatur, dilata os tuũ & implebo Psalm. 80.
illud, atq; per tã longa spatia recto nos itinere duxit & reduxit, ita vt qp principiũ, idẽ sit finis, & eundo & redeundo vidimus, & videmus omnib. ascendentib. iã in sublimi positis necessariũ esse fundamentũ timoris dñi. Nũc cognoscimus & cognoscere audemus, cõsultè nos egisse, & bonitate sua hunc spiritũ, qui est ipsa bonitas, nostrę prauitati consuluisse. In quo? In eo videlicet, vt de sancta trinitate & operib. eius scribere proponẽtes septẽ spiritus Dei præ oculis. i. in intentione haberemus, nõ dubitãtes bonũ Deũ, quæcũque fecisset aut faceret, fecisse & facere secũdum septiformẽ potentiã huius seculi bonitatis huius sui boni & sancti spiritus. Hac etenim intentione, vt verè simplici oculo & tanquã vera lucerna præũte videmus, in opere dñi cuncta visibilia & inuisibilia creantis, dispositos esse gradus septẽ dierũ, secundũ istũ septiformẽ spiritũ, à timore vsque ad sapientiã, vt veraciter scriptura dixerit: Initium sapiẽtiæ timor dñi, & deinde lapso homine, iterum eodẽ ordine gradꝰ & profectꝰ Iob 28. Psalm. 110.
septẽ ætatum, secundum eosdẽ septẽ spiritus Prouerb. 8.
dñi. & deinde à passiõe dñi reciprocato ordine gradꝰ eosdẽ à sapiẽtia vsq; ad timorẽ dñi, & ita secundum eosdẽ spiritus vbiq; magna & exquisita, mirabiliterque ordinata opera dñi. Sedeamus hic in isto fundamẽto necessariæ solicitudinis & qđ reliquum est sermonis tã diutini, perficiamus in timore domini.

De distinguẽnda significatione timoris.

CAPVT IIII.

PRimo dicendum, bifariam diuidi significatum boni timoris, ita duntaxat, vt nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem aliunde, sed tamen pro diuersis qualitatibus timentium, timor quo timetur Deus alius & alius sit. Est etenim timor seruilis, & timor liberalis. Timor seruilis, siue timor seruorum est quo pœna peccati timetur. Timor liberalis est idem timor filiorum, quo detrimentum gratiæ cauetur. Vtrunq; ab alterutro clari⁹ distinguere conemur. Timor seruilis qui pœnam habet, incipientium est, id est, eorum qui nunc primum ad deum respicere, & gehennæ ignis memores esse incipiunt, & ea memoria aduersus peccatum resistere contendunt. Hic non iam sapientia, sed tantum sapientiæ initium est, nec adhuc omninò timor Domini, sed timor mortis, nec adhuc rectè timor sanctus, sed tantum timor, aut certè timor pœnalis aut anxius dicitur. Porrò timor liberalis perfectorum vel ad perfectionem tendentium est, id est, eorum qui post conscientiam superiorum gratiarum sponte ad timorem propter cautelã
Iohan. 4. sese demittunt. Differt hic ab illo plurimum & multis modis, maximeq; in eo quod illũ seruilem atque pœnalem perfecta charitas foras mittit, iste autẽ liberalis & sanctus permanet in seculum seculi. Hoc autem vtriq; commune est, quod vterq; animam pungit, & quasi sanguinem animæ lachrimas per oculos emittit, diuersis tamẽ causis agentib⁹. Nam in illo causa est angustia mentis solicitæ, ne in gehennam mittatur, in isto causa efficiens est ad desiderium animæ, eo quod peregrina sit, & à regno differatur. De timore incipientium, qui & seruilis siue pœnalis dicitur, nũc locus & poposîti ratio postulat vt loquamur.

Quod quatuor sint timores, quorum perceptibilis est anima hominis, duo mali, & duo boni.

CAPVT V.

TImor iste vel perturbatio animæ, est veniens ex fide & spiritu dei. Quatuor enim sunt timores, quorum anima hominis perceptibilis est, & idcirco dum de vno proponimus, diffinitione opus est. Duo mali, duo boni sunt timores. Est enim malus timor passio quædam vel perturbatio animi, sed neque ex fide veniens, neque ex spiritu dei, quem improbant etiam seculares philosophi, apud quos lectitãtur etiã & sępius quatuor animi passiones, gaudium, timor, spes, atque dolor, & econtrariò totidem virtutes, temperantia, fortitudo, prudentia, atque iustitia. Timor ille idcirco malus est, quia perturbat inde animum, vnde perturbari non debuit, scilicet de amittendis opibus seculi, vel de incumbentibus aduersis, quę oportuerat pro vtilitatis causa fortiter sustineri. Itẽ timor malus est ex fide quidem, sed non ex spiritu dei, quo interdum turbatur animus, sed non se corrigit. Hic iam forte quęrat aliquis, quomodo possit esse ex fide, quod non est ex spiritu dei, cũ ipsa fides donũ sit spirit⁹
Iacob. 2. dei? Ad hęc Iacobus Apost. dicit. Tu credis, quoniã vnus est de⁹, bene facis. Et dęmones credunt, & cõtremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est. Idemq; supra dixerat, Fides si nõ habeat opera, mortua est in semetipsa. Est ergo timor malus ex fide quidem, sed non ex spiritu dei, quia non ex fide per dilectionem operatur, sed ex fide otiosa, & ideo mortua. Et hunc timorem oẽs quidem & semper dæmones habent, quia credunt & contremiscunt, homines aũt mali nõ omnes, sed multi desperati habent, quomodo ille de quo in actibus Apostolorũ ita legitur. Post aliquot autem Apoc. 24. dies, veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum & audiuit ab eo fidem quæ est in Iesum Christum. Disputãte autem illo de iustitia & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit. Quod nunc attinet, vade. Tempore autem opportuno accersam te. Simul & sperãs, quia pecunia ei daretur à Paulo, ꝓpter quod frequenter accersiens eum, loquebatur cum illo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autẽ gratiã præstare Iudæis Felix, reliquit Paulũ vinctum. Tremefactus est, sed non se correxit, qui tali modo gratiã præstare Iudæis, & correctionis magistrum vinctum reliquit. Sed quid tam longè timoris huius exempla petiGenes. 3. uimus? Primus homo timore isto timuit, vocem tuam inquiens, domine audiui & timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Neq; enim bene timuit qui se abscondit, & culpã confiteri noluit. Bonorum differentias timorum supra diximus, quia videlicet alter seruilis, alter liberalis, alter incipientium, alter perfectorum est, alter pœnam pauet, alter detrimentum gratiæ cauet. Sed & in hoc differunt, quia alter quidem passio vel perturbatio, alter verò pax & requies animi est. Alter enim dicit. Domine ne in furore tuo Psal. 6. arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei domine quoniam infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde. Et subinde. Turbatus est à furore oculus meus. Alter verò ita tranquillus, quietus, & ab omni perturbatione remotus est, vt de illo vera citer quidam sapiens dicat. Qui timet domi- Eccle. 34.
num nihil trepidabit & non pauebit, quoniã ipse est spes eius. Timentis dominũ beata est anima eius ad quẽ respicit, & q est fortitudo eius firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus exaltans animam & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam & benedictionem. Igitur timoris boni quidem, sed nondum perfecti & optimi timoris pœnam habentis, quem perfecta charitas foras mittit, vera & sufficiens est illa definitio, quam diximus, quia passio vel perturbatio animi est veniens de fide & de spiritu Dei.

De timo-

De timore bono, sed nondum perfecto, quomodo diuidat hominem contra semetipsum voluntatibus contrarijs.

CAPVT VI.

PRimum hoc habet vtile timor iste, quod hominem vnum eundemque contra semetipsum diuidit, vt quasi duo sint in alterutrum diuisi voluntatibus contrarijs, quemadmodum Apostolus dicit. Caro enim con-
Galat. 5. cupiscit aduersum spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis illa fa-
Manichæi. ciatis. Non enim hoc ita dictum est, vt quicquam suffragari putanda sit hæresi illi, quæ animam hominis partem dei habere dixit, corporis verò figmentum à deo malo factum, & ideo contrarijs sibimet diuersisque substantijs carnem lætari, animam contristari, & in quibus exultat anima, carnem affligi. Non est hoc quod dixit, caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, sed caro totus homo est ante aspirationem timoris dei caro, inquam, id est carnalis. Vbi autem aspirat & animæ eius incidit spiritus timoris dei, iam partim caro, partim spiritus est, & contra inuicem hæc duo pugnant voluptatibus contrarijs. Pugnam ipsam alio loRom. 7. co idem Apostolus plenius exprimit, dicens in persona cuiusque infirmi & imperfecti. Ego autem viuebã sine lege aliquãdo. Quid est, viuebam sine lege aliquando, nisi operabar quæ volebã sine timore? Sine lege enim viuit, qui sine respectu peccati timoris Dei, qui lętatur cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis. Sed cum venisset mandatum,
Prouer. 2. inquit, peccatum reuixit. Ecce origo belli & initium seditionis, de qua dixit, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Venit enim mandatum, quando aspirat hic spiritus timoris, & animam facit esse memorem mandati, memorem futuri iudicij. Tunc sine dubio peccatum reuiuiscit, quod antea quasi mortuum fuerat, quia segnius & negligentius vrebat ardor peccati, acrius perurget, & quasi tyrannizat, audiẽs, quia contra se in atrio eiusdẽ animæ spiritus iste portitor mandati resultat. Fit itaque discordia magna concurrentium spiritus & carnis, id est, mandati & peccati, siue boni timoris & malę cupiditatis. Ita diuisus homo post modum dicit. Condelector legi dei, secundũ
Roman. 7. interiorem hominem. Video autem aliã legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meę, & captiuautem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Hæc est illa pugna siue discordia carnis & spiritus, quam non aliter scire potest homo, nisi experiatur. Amplius autem ex eo quod subinde dicit. Igitur ego ipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati, constat vnum eundemque hominem contra semetipsum diuidi, ita vt aliud suadeat timor dei siue timor mortis, aliud infirmitas siue consuetudo carnis. Interea timor dei crescit & conualescit, ita vt peccatũ in carne habitans abijciatur, & tunc demũ qui remanet intus, sit timor sanctus, & loco peccati quòd eiecit, socia tandem charitate fruatur. Hoc suspirans inter pugnandum loquitur. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Quomodo autem iste timor crescat & vsq; ad pacis sanctitatem perueniat, ipse dominus in Euangelio tali similitudine demonstrat. Marc. 4.
Sic est regnum dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat die ac nocte, & semen germinet & increscat, dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicã, deinde plenum frumentum in spica.

De terribili iudicio dei, quod vere magna timoris huius substantia vel causa sit.

CAPVT VII.

QVid tandem illud est, quod timor iste animam sibi vendicat, & ad cõsensum sui prouocat? Nimirum terribile iudicium dei, quod futurum in nouissimo die omnis scriptura diuinitus inspirata, iugiter prædicat. Magna planè vis & grandis materia, qua timor idem, si paruus vel tenuis erat, quotidie pascatur & conualescat. Nam vt cætera nunc interim taceam, vel differam, summa illius iudicij consideratio est homini scire vel retractare, quia post hanc vitam, maximè autem post illud vniuersale iudicium, peccatori & impio non magis, quàm diabolis vlla supererit pœnitentia. Nonne miserrimum esse diabolum perpendit, quisquis considerat in eo quod & accepit, iam pro suæ merito iniquitatis, vt quia cùm liceret proficere noluit, iam proficerre nec velit, nec possit, & accepturus est in illo iudicij die pœnas ignis æterni, quibus nullus sit finis? Omnes quippe angeli cum libero arbitrio conditi sunt, & sic bene constituti, vt in melius proficere haberent. Profecerunt qui voluerunt, qui bonam voluntatem habuerunt. Defecerunt & apostatauerunt, qui sibimet quam creatori suo placere maluerunt. Factum est deinde eorũ iudicium, & qui cum peccare possent peccare noluerunt, firmiterq; in amore creatoris pedem fixerunt, hoc in remunerationem acceperunt, vt amplius iam peccare vel peccando mori non possint. Verbo enim do- Psalm. 32.
mini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Econtrario, diabolus & omnes angeli eius, qui cum illo iniquitatem operati sunt, ita ceciderunt, & ita motu superbiæ expulsi sunt, vt iam amplius stare non possint, talem omnino retributionem acceperunt, vt nunquam restitui possint, accepturi sine dubio adhuc in illo die retributionẽ ignis æterni. Nonne, inquam, qs. quis aduertit, miserrimũ hoc esse perpẽdit? Certissimè aũt homo quocunq; in articulo est, eiusdem periculi, & rationem habet cum

eodem

Universidad de Deusto
Biblioteca

eodē iudice deo conditione simili. Sic.n. & ipse bene conditus fuit cum libero arbitrio, vt si vellet, in melius proficere posset, & quia proficere neglexit, deumque contempsit, de paradiso eiectus est. Sed & nunc Redemptoris gratia, in idipsum repositi sumus, & ad hoc in præsentis temporis ecclesiā de cunctis gentibus vocati transferimur, vt ad similitudinem creatoris nostri, vitamq; æternā quā in Adam perdidimus recuperādam proficiamus. Profecerunt & proficiunt ex nobis qui volunt, ita vt filij dei facti sint, & filii dei fiant, qui volunt. Quicunque nunc ita volētes proficiunt, talem in illa die iudicij remunerationem accipient huius bonæ voluntatis, vt amplius iam deficere non possint, sintque æternaliter filij dei æterni, & contrà, quicunque ex nobis proficere nunc negligunt vel contemnunt, talem itidem in illa die remunerationem accipient, vt amplius iā proficere non possint, sintque socij & compartícipes diaboli & angelorū eius in flāma ignis æterni. Magna igitur verè causa, magnum iudicium illud in anima hominis est timoris dei materia.

De aduentu tremendi iudicis, quomodo sedebit ipse super sedem maiestatis suæ.

CAPVT VIII.

Matth. 25. GRāde expectaculum. Ait enim ipse rex & filius regis, cui deus pater iudiciū dedit. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris: & reliqua. Filius hominis veniet, filius hominis

Actor. 1. apparebit. Sic inde veniet, quomodo hinc ascendit. Dixerunt enim angeli Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Quomodo viderant, qualem viderant euntem in cælum? Viderant euntem formam serui, viderant in manibus & pedibus eius fixuram clauorum, viderant latus eius lancea vulneratum, & talem susceperat nubes ab oculis eorum. Grande & dulce gaudium intuentium, quia talis eleuatus est, &

Matt. 24. Psalm. 46. grandis timor ac tremor expectantium, quia talis, & sic veniet. Nubes enim illum susce-

Luce 24. Actor. 1. pit, & in nube venturus est. Nam tunc videbūt, ait, filiū hominis veniētē in nube, cū potestate magna & maiestate. Idcirco verè Psalmus dixit. Ascēdit deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ. Apostoli nanque iubilauerunt, sicut scriptum est. Et ipsi adorantes reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio

1. Thes. 4. magno, sed & vocem tubæ acceperunt, nobisque auditam fecerunt, qua dictum est. Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntē in cælum. Hæc nanque prænunciatio plena est timoris, tanquam vox tubæ, grāde & terribile bellum nunciantis. Et Apostol. idem sentiens dicit. Quoniam ipse dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba dei descendet de cælo. In iussu, id est, in imperio maiestatis, in voce archangeli, id est, in præconio angelicæ fortitudinis iudicem adesse nunciā tis, in tuba dei, id est, in tonitru & terrore, qualem solus deus facere possit. Tunc enim idem deus noster, qui & filius hominis, manifestè veniet, & nō silebit. Grande igitur expectaculum, vbi sic veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tri- Apocal. 1.
bus terræ. Venient & oés angeli cum eo. Et Luca 11.
sicut in alio Euangelista ipse testatur, eo veniente virtutes cælorū mouebuntur. Quodque amplius pauendum est, qui prius venit in spiritu mansuetudinis, sicut ostendit species columbæ, quæ super eum apparuit, tunc veniet in flamma ignis. Reuelabitur de cælo cum angelis virtutis suæ in flamma ignis, 2. Timot. 1.
inquit Apostolus, dantis vindictam his qui non nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi. Illo igne, cæli soluentur, mare siccabitur, vt patrū 2. Petr. 3.
quidam arbitratur, & hinc forte in Apocaly psi Ioannes inquit, & mare iam non est. Cælos verò calore soluendos apostolica scriptura non tacuit. Cæli, inquit, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reser- 1. Petr. 3.
uati in diem iudicij, & perditionis hominum impiorum. Item Aduenietautē dies domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur. Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Nō tanquam vicarius aut legatus super alienam sedem, ad horam vel ad tempus sedebit, sed rex legitimus & monarcha cæli super suam sedem in sua maiestate sedebit.

Quomodo congregandæ sint ante eum omnes gentes, canente nouissima tuba.

CAPVT IX.

Matth. 25. ET congregabuntur, inquit, ante eum omnes gentes. Quomodo congregabuntur, vel vnde congregabuntur? Resurgendo congregabuntur, de sepulchris exiliendo congregabuntur. Et mortui qui in Chri- 1. Thes. 4.
sto sunt, ait Apostolus, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, in nubibus obuiam CHRISTO in aera, & sic semper cum domino erimus. Tanta erit velocitas cōgregationis, siue resurrectionis, vt hi qui viuentes inuenientur, mortuis domino nō occurrant velocius. Nam & hoc astruēs, hoc enim, inquit, vobis dicimus in verbo domini, quia qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormerunt. Nō præueniemus sed simul rapiemur. Nos qui viuimus, ita dixit, ac si diceret, qui taliter

taliter in corpore tunc inuenientur, qualiter sumus nos, qui hodie viuimus. Et verè sic dicendo, multum adauget miraculum velocissimæ resurrectionis, in qua hi qui viuentes inuenientur velociores ad occurrendum domino esse non poterunt his, qui iam dudum in puluerem reuersi sunt, quos terra cōsumpsit, quos mare absorbuit, quos ignis deuo-

1. Cor. 15. rauit. Hinc & alibi dicit. In momēto, in ictu oculi. Quomodo, inquis, tam cito poterunt inueniri, qui tam diuersis modis in tam diuersas partes disiecti sunt & consumpti? Verè tam citò, quanto citius, tu homo videre non potes illud, quod palmo constringis.

Esaiæ 40. Nonne quaqua versum mortuorum cineres disperierunt, omnis caro in terrā de qua sumpta est redit? Et nonne veraciter deo dictum est, terram palmo cōcludis? Ergo tam citò Deus inueniet quod terra consumpsit, quàm citò inuenis tu quod palmo constringis, scilicet in momento, in ictu oculi. Quomodo tam cito de tam multis exilient sepulchris, de tam multis aquarum vel terrarum abditis? Canente tuba nouissima, tonante & omnia cōcutiente maiestate omnipotentissima. Canet enim tuba, & mortui resurgent in

1. Cor. 15. corrupti. Quomodo Lazarus quatriduanus
Ioann. 11. mortuus resurrexit. Debet enim satis esse
Ioann. 5. pro experimento veritatis, pro argumento velociter & potenter agendæ resurrectionis. Nam idcirco sic illum corporaliter susciteuit, vt fidem faceret eius promissionis, qua dixerat. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij dei, & prodent, sicut & sororem eius Mariam spiritualiter susciteuit, vt fidem faceret eius, qua itidem dixit. Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui, id est, peccatores audient vocem filij dei, & qui audierint, viuent. Quomodo ergo illum susciteuit? Tantummodo voce magna clamauit. Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario ligata erat. Mira res. Quomodo prodijt cùm ligatus esset manus & pedes institis, & idcirco ad prodeundum neque manibus neque pedibus posset vti? Quomodo vidit quo procederet vel qua, cuius facies sudario erat ligata? Non ergo suum fuit, quod prodijt, sicut nec illud quod reuixit, sed vnus idemq; clamor vocantis, qui corpori vitam incusit, sepulchro corpus excusit. Credamus ergo, quia canente tuba nouissima, tuba dei, sic exilient mortui, quomodo ad clamorem illum is qui fuerat mortuus prodijt. Nam clamor ille tubam nouissimam præsignauit. Itaque resurgendo & cum impetu de sepulchris exiliendo congregabuntur ante eū omnes gentes, latēre non valentes. Deniq; si possent latēre vellent, non solum gentes, sed & gentiū reges & principes, sicut in Apoca. scriptū est. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & di- Apocal. 6.
uites, & fortes, & omnis seruus & liber absconderunt se in speluncis & petris montiū. Et dicunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni. Quoniā veniet dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?

Quomodo intelligendum sit, quod Apostolus ait: Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui residui sumus simul rapiemur cum illis.

CAPVT X.

NEc verò solam celeritatem in resurrectione, sed & pauoris nimietatem in cā tu tubæ nouissimæ intelligere debemus, cū 1. Thes. 4.
dicit loco supradicto Apost. Et mortui qui in Christo sunt, resurgēt primi. Datur enim per hoc intelligi, quia vno eodemq; impetu vel tonitru magnæ tubæ canentis, ad vnum eundemq; fragorem archangelicę vocis, iussumq; tremendę maiestatis & mortui quasi dormientes à somno mortis concussi euigilabunt, & qui viui inuēti fuerint, simul in mortē attoniti concidēt, & de morte cōfestim resiliēt. Non.n. sic intelligitur, nec sic intelligēdum est, nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus, vt putemus eos mortem non visuros, qui viuentes inuenientur, sed sicut iam dictū est, viui inuenti morientur, & eodē concussū quo mortui fuerint, confestim rursus ad viuendū excitabuntur. Magnum & mirabile, q̄ mortui de sepulchris viuentes excutiētur, sed maius & mirabilius, quod viuentes metu exanimabuntur, & eadem formidine ad vitam sensumq; reuocabuntur, terra quoque ipsa quę animam aut sensum non habet, ita sub illa maiestatis præsentia trepidāte, ac si irā sētiat, & sensualiter affligatur. Si tantus terra vel terroris tanta vis in voce vel in cantu tubæ prænuntiantis, quis putas vel quantus erit sēsus iræ, vel vindictæ presentis in ipso actu iudicij? Vere nisi post resurrectionis momentum iam immortales essemus, si vllo modo mori possemus, pro solo visu exanimaremur, videntes tartarum apertum, & paratū impijs ignem æternum. Sed enim iam non poterimus mori, & volentes, nolentes, viuere oportebit. Vnde & verisimè dictum est, Quia cupient homines mori, & fugiet Apocal. 9.
mors ab eis. Erit itaque impijs extunc, si dici potest, mors semper viuens, vita semper moriens.

De eo quod idem ait: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

CAPVT XI.

AIt aūt idem Apost. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabi- 1. Cor. 15.
mur. Item. Mortui resurgent incorrupti, & non immutabimur. Hæc est spes, hęc est consolatio sanctorum, hæc est fiducia perfectorum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctorum, perfectam charitatem habentium. Omnes inquit, scilicet tam reprobi quam electi resurgemus, non autem omnes, sed nos videlicet soli electi immutabimur. Quid enim est, immutabimur? Impassibiles efficiemur, impassibilia corpora resumemus. Non hoc speramus, non hoc expectamus, quod ignem videre, vel igni ipsi, vel ipso igne ardentibus, in illa die interesse non debeamus, sed hoc promissum habemus, & hoc sperare debemus, quia resurgendo sic immutati erimus vt per ignem transeuntes, ignem non sentiamus. Tantum valebit veritas nostræ fidei & dilectionis, tantum veritati fauebit iustitia iudicij, vt penes quos erit veritas & iustitia, illos ignis lædere vel contristare non possit. Hoc est quod idem Apostolus dicit. Vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur.
1. Cor. 3. Et vniuscuiusq; opus quale sit, Ignis probabit. Hic timor est, hic timore trepidandū est. Quis enim de semetipso præsumere possit, quod ex eorum sorte vel numero sit, qui sic sunt immutandi? Quis eorum qui tunc viuentes sunt inueniendi, ita castum cor se habere gloriari poterit, vt neque ligna, neq; fœnum, neq; stipula, sed tantummodo aurum, argentum, & lapides pretiosi in opere eius inueniātur, quæ consumere non possit ignis? Nam eorū qui nunc in pace ecclesiæ defuncti sunt, vel defungūtur, multi lōga purgatorij ignis vstione indigent, quia non solum fœnū aut stipulam, id est, leuiora, sed ligna quoque, id est, grauiora peccata super fundamentū Christianæ fidei superædificauerunt. Ergo electorum quoque illorum, maximè qui tunc viuentes inuenientur, quàm plurimi ardentes iudicabuntur, & ardentes in iudicio purgabūtur, paucissimi erunt, qui eorū quæ visuri sunt, quę audituri sunt, solo pauore purgentur, & impassibilitate cōfestim immutentur.

De separatione ouium ab hœdis, & quod quatuor diuisiones hominum in illo iudicio futuræ sint.

CAPVT XII.

Matth. 25. COngregatis autem ante eum omnibus gentibus, separabit eos, inquit, abnuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Omnes gentes ante eum congregabuntur, non tamen omnes homines astabunt, vt iudicentur, neque ante conspectum eius sententiam accipient qui iam iudicati sunt, id est, qui non credunt. Nam & Apostolus dicit. Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribūt. Et quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabūtur. Sed & illud non prætermittendū, quod sequentibus se, dominus noster repromisit. Amen dico vobis, ait, quod vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicātes
Roman. 2. *Matth 19.*
duodecim tribus Israel. Duodenario numero significata est vniuersa iudicātiū multitudo propter duas partes numeri septenarij, quo significatur plerunq; vniuersitas. Ter enim quatuor, an quater tria, duodecim faciunt. Quatuor ergo diuisiones siue ordines hominū in illo iudicio erunt. Vnus erit ordo perfectorum, qui non iudicabuntur, sed iudicabunt, alius eorum qui sine deo sunt, qui non iudicabuntur, sed iam iudicati sunt, qui sine lege peribunt, quia legem non acceperunt. Duo reliqui ordines eorum erunt qui legem acceperunt. Nam alij ex his legem acceptam seruauerunt, & idcirco per legem iudicabuntur, & saluabuntur, alij legem acceptam non seruauerunt, & idcirco per legem iudicabuntur, & peribunt. Nimirum, quia legem acceperunt, idcirco quasi grex ante pastorem congregabuntur, & idcirco quia legem seruauerunt hi, & non seruauerunt illi, separabūtur, quemadmodum dicit, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Qui legem seruauerunt, & curam dilexerunt pastoris, isti oues sunt, qui autem non seruauerunt, qui non dilexerunt, isti hœdi sunt. Separabuntur ergo ab inuicem, vt non in easdem beatitudinis caulas, cum mitibus agnis & ouibus, hœdi petulci & cornupetæ ingrediantur. Hic interim dum in pascuis sunt, dum foris in agro mundi huius pascuntur, hœdi inter oues mixti obambulant, & inter simplices agnos luxuriantur, interdum & infirmiores quosque fortiores ipsi perfodiunt & lacerāt corniculis elatis & lasciuientibus, sed cum ad illas caulas peruentum fuerit, separabuntur pastoris diligentia, iuxta parabolam zizaniorum agri, qua dictum est. Mittet filius *Matth. 13.* hominis angelos suos, & colligent de regno *Eccles. 10.* eius omnia scandala Sanè quod ait. Statuet *Matth. 5.* oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris, iuxta illud intellige quod alibi legimus. Cor sapientis in dextra dei, & cor stulti in sinistra illius, & supra in hoc eodem Euangelio. Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua. Oues in parte iustorum stare iubentur ad dextram, hœdi, hoc est peccatores, ad sinistram, qui semper pro peccato offeruntur in lege. Nec dixit capras quę possunt habere fœtus, & tonsæ egrediuntur de lauacro, omnes gemellis fœtib⁹ & sterilis nulla inter eas, sed hœdus lasciuum animal & petulcum, feruēs semper ad coitum. *Cantic. 4.*

De eo quod dicet, rex ijs qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei.

CAPVT XIII.

TVnc dicet rex ijs qui à dextris eius erūt. *Matth. 25.* Venite benedicti patris mei, possidete paratū vobis regnū à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & cooperuistis me. In firmus

firmus, & visitastis me. In carcere erā, & venistis ad me. Bona verè, & magni boni audi-
tio est, cū dicit. Venite benedicti patris mei. Magnum & verum bonum quod affert, Pos sidete, inquiens, paratum vobis regnum à constitutione mundi. Hic iam quærimus, illud regnum quomodo paratum sit benedictis istis? quoniam audiuimus quādo vel ex quo paratum sit, scilicet à constitutione mūdi, non enim dicit ante constitutionem mundi, sed, à constitutione mundi. Porrò sancta scriptura, quæ omnia docet nos, & de omnibus respondet nobis, à constitutione mundi incipit, id est, de constitutione mundi primā narrationem facit. Ibi ergo quærimus, & citò inuenimus, quomodo regnum illud benedictis Dei paratum sit. Compleuitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat, & re-
Gen. 1. quieuit die septimo, ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.
Hebr. 3. Extunc paratum esse, Apostolus testatur, cū dicit. Quibus autem iurauit non introire in requiē ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Et subinde. Quoni-
Ibidem 4. am ergo supereſt, quosdam introire in illā, & ij quibus prioribus annuntiatum est non introire propter incredulitatem, iterum terminat diem quandam hodie, in Dauid dicendo post tātum temporis, sicut supra dictum est. Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiē præstitisset, nūquam de alio loqueretur post hac die. Itaq; relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiā ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Quis autem est ille septimus dies quē benedixit Deus, & sanctificauit, nisi verbum & sapientia filius Dei? Nam verè hic filius, hoc verbum, hæc sapiētia, in qua Deus omnia fecit, requies est, & ludus atque deliciæ Dei, sicut ipsa sapientia quodam loco dicit. Ego eram cum eo cūcta componens, & delectabar per singulos dies, *Prouerb. 8.* ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ cum filijs hominum. Quòd autem verè istum diem claritatis Deus benedixerit & sanctificauerit, ipse dies ore proprio, ore lucido sic notum fecit. Si illos dixit filios Dei, ait, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, *Ioan. 10.* quem pater sanctificauit & misit in mundū, *Psal. 81.* vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum? Est igitur, inquam, regnum illud verbum, & sapientia siue plenitudo verbi & sapientiæ Dei, quod expectans Apostolus. Nūc, inquit, ex parte cognoscimus, & ex par- *1. Cor. 13.* te prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Item: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

Quòd hi, quibus dicturus est: Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. quòd ad eam perfectionem hic non attingant vt nihil possideant.

CAPVT XIIII.

SImulq; ex hoc liquet illos, quib. à dextris positis hæc dicenda sunt, eos esse, qui ad illam perfectionem non pertingentes, quia dictum est. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, actiuæ vitæ inseruiunt, & peccata quidem contraxerunt, sed eadem eleemosynis redimere studuerunt. Nam qui cōtemplatiuæ vitæ dediti sunt, eorum non est iudicari, sed iudicare. Imo sicut eorum non est quicquam in hoc seculo possidere, sed omnia pro Christo reliquisse, sic eorum non est esurientem pascere, sitienti potum dare, hospitem colligere, nudum operire, infirmum & in carcere positum visitare. Martha Mar- *Lucæ 10.* tha, inquit dominus, solicita es & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ergo qui cum Martha ministrantes soliciti sunt, & turbantur erga plurima, tunc primùm ad regnum possidendum vocantur, quando indicantur & saluantur, eo quod benè ministrando, peccata sua eleemosynis redemerunt, nam isti qui cum Maria sedentes ad pedes domini audiunt verbum illius, id est, qui contemplatiuam obtinent vitam, iam ex parte regnant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam enim vt cunque apprehendunt partem
suam. Regnare namque siue initium regnā-
di iam facere, est verbo Dei vacare, & pro-
pter illud nō solum peccata fugere, verum-
etiam & diuitias, licitas quoq; curas seculi cō
temnere. Notādum itaq; vbi dicitur, Veni-
Matt. 25. te benedicti patris mei, possidete regnum,
non huiusmodi rationem subiungi, propter
me enim omnia reliquistis & me secuti estis,
sed nec istas, non enim occidistis, non mœ-
chati estis, non furtum aut rapinam feci-
stis, siue non concupistis, sed, esurui enim & de-
distis mihi manducare, &c. vt intelligamus,
illos esse iudicandos, & in maximo timore
futuros, qui peccauerunt negotijs seculari-
bus impliciti, sed peccata sua (vt iam dictum
est) eleemosynis redemerunt, & in iudicio
esse saluandos, illos autem, qui omnia reli-
querunt, & dominum secuti sunt, iudicatu-
ros.

Quanta sit remunerationis largitas, vt propter huiusmodi opera homo cum Deo in sabbatis-mum introeat.

CAPVT XV.

SVmma autem admiratione digna est hęc
remunerantis largitas, vt propter huiusmodi opera, homo cum Deo vnum & eun-
dem sabbatismum, id est, requiem eius in-
troeat. Quanta enim sunt hæc opuscula, nō
iustorum sed pœnitentium hominum, quā-
Gen. 1. ta, inquam, sunt ista, esurientem pascere, si-
tienti potum dare, &c. in comparatione ope
rum Dei, qui sanctos angelos cōdidit & bea-
tificauit, mundi istius fabricam componēs,
firmamentum in medio aquarum librauit,
maria terminis suis circundedit, & terram
omni genere fructuum vestiens, paradisum
plantauit, solem & lunam fecit, vt prœessent
diei & nocti, & stellas in firmamento posuit,
animam viuentem tam diuersorum gene-
rum, tam multarum specierum, de aquis ius
su suo produxit, iumenta & bestias de terra
produxit, & hominem plasmauit? Attamen
propter sex illa opera in eundem sabbatis-
mū homines inducit, quo & ipse requiescit,
qui tales sex operum species fecit. Adde, qđ
cum iure opifex tantus tamque bonus sab-
batizare posset, seruilem formam induit, &
hominem qui perierat, non qualicunq; cum
opere, sed & cum labore & dolore mortis
requisiuit. Quæ est ista ratio, vt talis operari
Dei homo propter tantilla opera socius &
comparticeps sit? Sed ne miremur, artificio-
sa Dei charitas inuenit, quomodo iustè, ra-
tionabiliter & legitime posset hoc fieri. Ait
enim, Amen dico vobis, quamdiu fecistis v-
ni de istis meis minimis, mihi fecistis. Dixit
Matt. 25. autem alio loco: Qui recipit vos, me reci-
Matth. 10 pit. Et qui me recipit, recipit eum qui mi-
sit me. Et continuò: Qui recipit prophe-
tam in nomine prophetæ mercedem pro-
phetæ accipiet. Et qui recipit iustum in
nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Er-
go consequenter: Qui recipit creatorem, &
saluatorem mundi in quo & patrem eius si-
ne dubio recipit, gloriam accipiet eiusdem
patris & filij, vt vbi ille sabbatizat vel requi-
escit per debitum, qui omnia valde bona fe-
cit, illic requiescat iste per gratiam, quia qua
lia potuit bona cum charitate fecit.

Qui sint minimi illi, & quòd alterius ordinis sint, de quibus ait: Quamdiu fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis.

CAPVT XVI.

ET qui sunt minimi, quos quasi digito o-
stendens, quandiu, inquit, fecistis vni de
his minimis meis, mihi fecistis. Qui sunt, vel
vbi sunt, quoniam hæc omnibus loquitur,
qui à dextris staturi sunt? Sunt ergo alterius
ordinis, scilicet ordinis eorum, qui (vt supra
diximus) non iudicantur, sed iudicant, iuxta
promissum dicentis. Quia vos reliquistis o- Matth. 19.
mnia & secuti estis me, in regeneratiōe cum
sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,
&cæ. Isti sunt verè minimi Christi, vt verè
preciosa atq; laudabili paruitate minimi, qa
videlicet cū iā magni essent, & viri barbati
scientes atq; valentes repercutere percutien
tem, irascentibus irasci, scientes & valentes
oculum pro oculo, & dentem repetere pro
dente, sponte sua conuersi sunt, & facti sunt
sicut paruuli, ita vt auferenti tunicam, dimit
terent & pallium, percutiēti maxillam, præ- Matth. 20.
berent alteram. Tales minimi verè sunt ma-
gni, quia paruitas eorum de virtutis magni-
tudine procedit, id est, de spiritu humilita-
tis, hic se humiliando, vt apud Deum mereā
tur exaltari. Sicut enim illos magister mitis
& humilis corde docuit. Qui voluerit inter
vos, inquiens, primus esse, erit vester seruus,
sicut filius hominis non venit ministrari, sed
ministrare. Ergo quia propter Deum mini-
mi, siue pauperes facti sunt, iusto valde iudi-
cio dicitur, quamdiu fecistis vni de his fratri
bus meis minimis, mihi fecistis, quia nimirū
verbum Dei iuuat, & verbo Dei, quod est i-
pse filius Dei, proficit, quicquid talibus mini
mis impenditur, idcirco vt verbo Dei expe-
diti atque liberi vacare possint quod reuela-
tum est eis, testante ipso cùm dicit, Quia ab- Matth. 11.
scondisti hæc à sapientibus & prudentibus,
& reuelasti ea paruulis. Veruntamen & qui
non spontè minimi vel pauperes sunt, sicut
fuit Lazarus, ab ista tanti iudicis cura nō ex-
cluduntur. Sufficit enim apud latissimā cha
ritatis intentionem, quòd nomen eius super
eos inuocatum est, & pro hoc rectè minimi
eius dicuntur & sunt, Christoq; datur, quic-
quid talibus pro eo quòd Christi sunt im-
penditur. Idcirco etiamsi nonnulla repre-
hensibilia perpetrare videantur, despiciendi
non sunt, & non est de illis desperandum,
quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ
paruita-

paruitatis inquinat, caminis paupertatis pur
gat, eorumq; vitam magistra paupertas cru-
ciat, quousque ad vitæ rectitudinem perdu-
cat. Hoc vt recogitet quisque, illa maximè
Luca 16. exigit sententia, qua cùm dictum est. Fili re-
cordare, quia recepisti bona in vita tua, con-
tinuò subiunctum est, & Lazarus similiter
mala.

Quòd non tantùm quid, sed & quamdiu quis faciat minimis istis, debeat in iudicio ponderari.

CAPVT XVII.

NOtandum præterea, non solùm quid,
sed & quamdiu quis faciat minimis i-
stis, in iudicio ponderari. Vigilanter quippe
animaduertendum, quia non dixit, quod v-
ni ex minimis meis fecistis, sed quamdiu, in-
quit, fecistis. Plurimum interesse manifestū
est, ita vt iudicare possint parui quoq; gram
maticorum infantuli syllabici, & si iudicare
differant, dubitamue sententiam proferant
nutabūdi, statim ferula magistri digni sunt.
Quod enim inquiunt, nomen est habens de
clinationem pronominis, quamdiu verò ad-
uerbium est significatiuum temporis. Iustè
ergo & sicut iudicem iustum decebit, dicet
Luca 16. quamdiu fecistis, appendendo videlicet, nō
solum quid factum, sed & quamdiu factum
sit. Exempli gratia: Dives aliquis epulans
splendidè, cuipiam Lazaro iacēti ad ianuam
suam, micas siue reliquias, aut certè si reli-
giosior est, primitias mensæ suæ quotidie tri
buit, & dum viuit pauperum memor est, nō
desinens tale quid facere, ex eo, quod abun-
dat sibi. Alius autem multi possessor patri-
monij, fortasis & auri siue argenti intus re-
positi, cœnobia siue Xenodochia constituit,
constitutis reditibus annuis, vndè non so-
lum in vita eius, sed & per mille generatio-
nes benè habeant & in commune viuant ali-
quot ex istis minimis, siue viceni, siue tricē-
ni, siue certè centeni. Nónne igitur (vt iā dic-
tū est) pertinebit in illo iudicio, istud quoq;
meminisse pro ratiōe præmij, vt habeat plus
retributionis, qui diutius ministrauit.

Quomodo interrogent & discant quid, quamdiu fecerint, & cur fecerint.

CAPVT XVIII.

SEd & illud rectè quæritur, quomodo
tunc primum interrogent & discāt, quid
vel quamdiu fecerint, aut cui fecerint, cum
tempus discendi vel docendi modò sit, & fa
cere posterius sit, quàm doceri quid faciēn-
dum sit? Et quidem quæstioni difficilius re-
sponderi posset, si existimaremus sic ibi in-
terrogandum, & sic respondendum, sicut
hic interrogamus, & sicut respondemus. Si
ita putaremus, risum sapientibus faceremus,
consequens esse dicentibus, vt vnus homo
apparens in nubibus, sedens in maiestate sua
rex magnus, ore grandi vocem suam eleme-
tarem sic magnā faceret, vt eam in toto mū
do, vel de toto mundo congregatę audirent
& intelligerent omnes gentes. Nunc autem
scimus & scire debemus, quia non verbis aut
voce elementari, sed cogitationibus latere
non valentibus, & certissimè concurrenti-
bus, iudicium omne perficietur, testante A-
postolo, cùm dicit. Qui ostendunt opus le-
gis scriptum in cordibus suis, testimonium Rom. 2.
reddente illis conscientia ipsorum, & inter
se inuicem cogitationum accusantium aut
etiā defendētium in die cùm iudicabit Deus
occulta hominum secundum Euangelium
meum per Iesum Christum. Ergo interro-
gatio illa dicentium, Domine quando te vi-
dimus esurientem & pauimus, sitientem &
dedimus tibi potum, &cęt. Cogitatio erit, &
conscientia tripudians in manifesto cordis,
attoniti atque ammirantis quid sit quod vi-
det & audit, quia verè quantumuis firmiter
cantando & legendo scire vel discere quis
possit hodie veritatem rei, valde nouū tunc
erit, quòd illa maiestas de minimis suis esu-
rientibus & sitientibus tantopere curare di-
gnata est, vt in illis esurierit & sitierit, & nō
solū hoc, sed & reuera passibiliter in semeti-
psa esuriuit, & sitiuit, & hospes fuit, & ve-
stibus suis à militibus nudata est, & infirma-
ta, imò & mortua fuit, & in carcerem infer-
ni descendit.

De eo quod dicturus est & ijs, qui à sinistris eius erūt: Discedite à me maledicti in ignem æternum.

CAPVT XIX.

TVnc dicet & ijs, qui à sinistris eius erūt.
Discedite à me maledicti, in ignē æter- Matth. 25.
num, qui præparatus est diabolo & angelis
eius. Hæc est auditio, verè & incomparabi-
liter mala, de qua Psalmista dicit. In memo- Psalm. 111.
ria æterna erit iustus, & ab auditione mala
non timebit. Quid enim auditu tam malum?
Quod nomē tam pessimum? Maledictos di-
cit eos benedictus & ipsa benedictio recto-
rum, & discedite, inquit, in ignem æternum.
Non est hoc ex amaritudine, vel nimio mo-
tu animi in irā concitati, sed ex tranquillissi-
ma ratiōe iudicij, ex vera maturitate, vel ma
tura veritate iudicis, rē vel meritum sicut est
exprimētis, cum auctoritate scripturarum,
extra quam nec iudicās dicet aliquid. Nā re-
uera, & quòd illos qui à dextris erunt, bene-
dictos appellabit, Venite inquiens, benedi-
cti patris mei, & his qui à sinistris erūt, dicet,
discedite maledicti, secundum scripturam
faciet antiquissimæ & diuinæ auctoritatis.
Antiquitus enim illi oēs, qui ad vitā prædē-
stinabantur, & idcirco ad dextram statuen-
tur, benedicti fuerunt, dicente scriptura. Et
creauit Deus hominē ad imaginē suam, ma-
sculum & fœminam creauit eos. Benedixit- Gene. 1.
que illis Deus, & ait, Crescite & multiplica-
mini & replete terrā, & subijcite eam, &c. So
los quippe electos tūc benedicēdo nasci iuſ-
sit, vndè & benedictiuel benedictiōis sunt fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lij nondum admisso peccato propter quod nati sunt vel nascuntur omnes, quos nescit Dei benedictio, dicente eodem ad mulierem post peccatum. Multiplicabo erumnas tuas & conceptus tuos. Vndè quia benedictio illa nec debuit, nec potuit euacuari, nec mulieri dixit, maledicta es, nec viro dixit, maledictus es super terram, sed hoc tantùm dixit, maledicta terra in opere tuo, vndè suo loco plenius diximus: Si ita dixisset, maledictus es super terram, totam enunciasset maledictam esse massam, totamque prioris benedictionis mutabili animo euacuasset sententiam. Porrò ad Cain, de cuius parte omnes & soli sunt reprobi, qui ad sinistram sunt statuendi, non dixit, maledicta terra in opere tuo, sed maledictus es ait super terram, & vno illo omnes, qui imitantur illum maledictos fore denunciauit. & isti sunt, quibus dicturus est iudex, discedite à me maledicti. Igitur (vt iam dictū est) non tanquam iratus, sicut commotus dicet nouum aliquid, sed omnia tunc quoque sumet de scripturis, & sicut audiuit iudicabit.

Quare vel qua ratione ijs, qui temporaliter viuentes peccauerunt, dicat: Discedite in ignem æternum.

CAPVT XX.

Matt.25. QVare autem, vel qua ratione ijs, qui tēporaliter vixerunt, & temporaliter peccauerunt, discedite dicet in ignem æternum, pœnamque ignis æterni pro peccatis rependet temporalibus, addendo etiam, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esurijui enim, ait, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi bibere. Hospes eram, & nó collegistis me. Nudus, & nó cooperuistis me. Infirmus & in carcere, & non visitastis me. Magna verè & valida ratio, & idcirco sententia iusta & irreprehensibilis. Idem enim est, ac si dicat. Quia sicut diabolus, ita & vos impœnitens cor habuistis. Sciendum quippe & memoriter tenendum est, quia non dixit, homicidę enim, aut fures estis, aut adulteri, sed esuriui enim, inquit, & non dedistis mihi mā ducare, &c. id est, vestra eleemosynis redimere noluistis peccata. In quo aliter diabolus peccat, quàm isti, quorum nulla est pœnitentia? Hæc causa hominem diabolo comparem iustè addicit, quia sicut ille pœnitentiam non agit, quam tamen nullus vnquam prędicauit aut prædicaturus est ei, sic & iste impœnitēs est. & pœnitentiæ fructus facere contemnit, cui non solū per suos, sed & per semetipsum pœnitentiam prædicauit Deus, & homo iste qui hæc dicit. Quia ergo esurienti mihi manducare non dedistis, nec potum sitienti, quia me hospitem non collegistis, & nudum me non operuistis, quia me infirmum non visitastis, & ad me in carcere positum non venistis, quia inquam, sex operum istorum dies Luca 15. vacuos dimisistis, nequaquam in septimo cū Deo sabbatizabitis, quem pater benedixit & sanctificauit, suisque benedictis præparauit, sed discedite maledicti in ignem æternū, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Esa. 66. Constat enim, quia si semper liceret, semper libere peccare, & idcirco iustè semper ardebit ignis vester, iuste, in quam, semper ardebitis cum diabolo & angelis eius, & ignis vester non extinguetur, & vermis vester non morietur, eritisque sicut propheta prædixit ad sacietatem visionis omni carni. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes. Domine quādo te vidimus esurientem & sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, & non ministrauimus tibi? Sicut iam supra diximus, & hæc percunctatio siniſtrorum, & ea quæ sequitur responsio iudicis, testimonium erit conscientiæ ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Etenim conscientiæ ipsorum, quasi libri aperti erunt, & manifestatio iustitiæ Iudicis, quasi liber magnus erit, qui nimis aperta lectione sua singulis merita demonstrabit, sicut in Apocalypsi scriptum est. Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ. Et iudicati sunt mortui ex ijs, quæ scripta sunt in libris, secundum opera ipsorum. Apoc. 20.

Vndè ignis tam fortis, aut tam infirmus sit diabolus & angeli eius, vt ad pœnam illorum sit ignis præparatus.

CAPVT XXI.

VNdè autem, aut ignis tam fortis, aut diabolus & angeli eius tam infirmi, vt igni crucientur, & ignis ad pœnam illorum sit præparatus? Simulq; & illud quærendum, ex quo sit eis præparatus ille ignis æternus? Ista quærentes iure contremiscimus, quia verè mirabilis, qui fecit eum, & verè fortis, qui iudicat eum, Deus. Porrò superba malitia, vel maliciosa superbia eius nihil stultius in qua illum comprehendit, qui creauit eum prudēs & sapiens Deus. Cùm enim dicitur, qui præparatus est diabolo & angelis eius, rectè subaudimus à constitutione mundi, quod supra dictum est de regno, ijs qui sunt à dextris. Potest etiam subaudiri, ante constitutionē mundi, quia videlicet antequam constitueretur hic mundus, vel distingueretur partibus suis creatus est ignis. Cùm enim dicitur, in principio creauit Deus cælum & terram, cum adhuc terra siue arida lateret sub aquis, iam ibi erat ignis in cauernis terræ, vel silicum recōditus venis. Diligentiùs ergo animaduertendum, quia cum supra dicat, Posidete paratū vobis regnum, non hic ait de igne tantum, qui paratus est, sed qui præparatus est diabolo & angelis eius. Quid enim est, præparatus, nisi antè paratus? Antè videlicet, quàm crearetur ipse diabolus. Vndè tandem ipse diabolus tam infirmus, vt igne materiali crucietur? Nimirum ex natura, ex conditione sua. Sicut enim magni patres asserere non dubitauerūt corpus

Matt. 25. Gene. 1.

corpus habet aereum, id est, ex aere factum. Gene. 1. Quando tenebræ erant super faciem abyssi, dixitq; Deus, fiat lux, & facta est lux, tunc angelica creatura facta esse intelligitur de tenebris illis, id est, de tenebroso & humido aere, quippe qui nondum sole, aut vllis illustratus erat luminaribus. Verum pars eiusdem creaturæ, vero lumini deo per humilitatem subiecta meruit fieri vel permanere lux per gratiam eius, diabolus autem & angeli eius, quia rebelles luminis extiterunt, ab illa gratia excid. Ioan. 1. derunt, factique sunt tenebræ, & non lux. Sicut homo propter peccatum audiuit, quia puluis es, & in puluerem reuerteris, sic diabolus propter superbiam suam, in istum, de quo sumptus est, caliginosum aerem detractus est, vt ait Apostolus rudentibus inferni, & reseruatur in illud, de quo loquimur iudicium 1. Petr. 2. cruciandus cum angelis suis. Itaq; angeli, nostri quidem comparatione spiritus sunt, quia corpora eorum, quanto aer iste terra subtilior est, tanto nostris corporibus subtiliora sunt, sed comparatione creatoris, qui solus incircunscriptus est spiritus, corpora vel corporei sunt, & sicut iam dictum est, de aere isto conditi sunt. Porrò aer palam est, quia igne corrumpitur, & cùm sit humidus siccitatem nimiam ignis nō sustinens, validis interdum tempestatibus, id est, tonitruum fragoribus, fluminumq; iactibus, discutitur in partes contrarias vsq; ad periculum viuentium conturbatur. Igitur ex natura, vel conditione propria, diabolus hoc habet & angeli eius vt igne materiali conflagrentur, & tunc veræ infirmitatis arguentur, quando fortior ignis inuenietur diabolo principe ipsorū, qui contra principem fortitudinis Deum extolli tur, & non erit sicut ignis, qui arbitratus est, quod posset esse sicut Deus. Ergo verè mirabilis, & verè terribilis Deus spirituum fortissimus, qui sic illum condidit, vt tam superbus, tam facilè humilietur, non manu aut lancea, siue aliquo genere laborioſi certaminis, in quo laboret, aut ipse iudex, aut quælibet ex officialibus eius creatura rationalis, sed solo satis idoneo, satis valente, & sufficiente ministerio ignis, iudici ipsi quasi scienter, & libenter ad seruiendum assistentis. Ignis enim Psal. 49. in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Iratus & feruidus mouebitur ignis, Deus autem noster in iudicando & disponendo suauis & tranquillus erit. Tunc ille insensatus, pro Deo igne pugnante, dolore victus humiliabitur & deprecabitur, sed Iob 41. non parcam ei, ait, verbis potētibus, & ad deprecandum compositis.

De eo quod ait: Et ibunt ij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

CAPVT XXII.

Matt. 25. ET ibunt ij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Hoc ipsum in Apoc. 20. Apocalypsi dicitur his verbis. Et iudicatum est de singulis, secundum opera ipsorum. Et infernus & mors, missi sunt in stagnum ignis. Hæc mors secunda est. Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Et vidi cælum nouum, & terrā nouam. Primum enim cælum & prima terra abijt, & mare iam non est. Et ciuitatem sanctam Hierusalem nouam vidi descendētem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo, &c. Mortem & infernum, diabolum dicit, & eos, qui sunt eius, librum autem vitæ, præscientiam Dei, quæ falli non potest, de illis, quibus æterna dabitur vita, in quo scriptum inueniri, est prædestinatum fuisse ad gloriam: non inueniri scriptum, est ad pœnam prædestinatum esse æternam. Hæc, inquit, est mors secunda, videlicet ire in supplicium æternum. Si mors est secunda, est & mors prima, cuius respectu dicatur mors secunda. Et verè. Nā sicut est resurrectio prima, & resurrectio secunda, sic est & mors prima, & mors secunda. Quæ autem est resurrectio prima, & quæ est resurrectio secunda? Resurrectio prima est conuersio, quæ in præsenti per pœnitentiam de morte peccati resurgimus ad Christi gratiam. Resurrectio secunda est, qua resurrecturi sunt, ij quidē ad supplicium æternum, iusti autem ad vitam æternam. Resurrectio prima præcedendo id efficit, vt in illa resurrectione secunda ad gloriam & honorem immortalitatis resurgamus. Idcirco dicit, Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In ijs se- Apoc. 20. cunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi. Prima morte diabolus, & angeli eius tunc mortui sunt, quando de cælo cadentes in istum caliginosum aerem extincti sunt, & angelicę dignitatis perdiderunt lucem, sicut dominus ait. Videbam Luca 10. Sathanam sicut fulgur de cælo cadentē. Fulgur enim cadendo lucet, lucendo cadit, statimq;, imò interim dum cadit, lux ipsa dispe rit. Sic diabolus, cui dicitur, quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris, nimi Esaiæ 24. rum lucens cecidit, & cadendo lucem perdidit. Secūda morte morietur, quando ad pœnam trahetur, quando coarctabitur vt vagari sibi non liceat amplius, & videntibus cunctis præcipitabitur. De homine quoque certum est, quia prima morte omnis homo in Adam mortuus nascitur, & quicunq; de morte illa per Christi gratiā non liberatur, quod est resurgere resurrectione prima, secunda morte morietur, discedendo in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.

Quomodo ij vel isti sint ituri, non vtique pedibus, sed motu ineffabili per potentiam eiusdem, quod audituri sunt, verbi.

CAPVT XXIII.

QVomodo tandem ibunt ij in suppliciū ęternum, iusti autem in vitam ęternam? Nunquid ambulabunt pedibus, & proficiscētur passibus, aut fortè trahentibus, siue impellentibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

impellentibus ſanctis angelis cur aliqua mora, vtpote inuiti euntes ad loca pœnarum vincti catenis deducentur? Non vtique, ſed ineffabili atque inuiſibili potentia verbi, iſti audientes, diſcedite maledicti, confeſtim pluuia vel grandine cadente velocius, ſiue iuxta antiquam domini viſionem, quam cito de cælo cadit fulgur, tam cito deuoluentur in tartarum, ſimul cum diabolo & angelis eius. Ediuerſo iuſti audientes, venite benedicti patris mei, confeſtim verbi eiuſdem virtute, de quo dicit Apoſtolus, Portansque omnia verbo virtutis ſuæ, ſurſum rapietur, ſurſum portabuntur. Hoc ſciens idem Apoſtolus, non dixit aſcendemus, quamuis in Apocalypſi ſcriptum ſit, aſcendite huc, nec dixit ſubleuabimur, quod curribus, qualibus Helias ſubleuatus eſt, ſiue qualibuſcunque vehiculis, aut certè qualicunque miniſterio angelorum fieri poſſe videretur, ſed rapiemur, ait, in nubibus obuiam Domino in aera, & ſic ſemper cum domino erimus.

Hebr. 1. Apoc. 11. 4. Reg. 2. 1. Theſ. 4.

Quænam illa vita æterna ſit, in quam ibunt iuſti.

CAPVT XXIIII.

QVæ tandem vita æterna eſt, in quam iuſti ibũt? Idipſum vita illa ſine dubio eſt, quod & illud, de quo ſupra diximus, regnũ. Ibi enim non aliud viuere, & aliud regnare eſt, imò non aliud ibi eſſe & aliud viuere ſiue regnare eſt. Quæ ergo illa eſt vita, niſi manifeſta diuinæ viſionis gloria cognitione plena & perfecta? Hæc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Apoſtolus autem, Videmus, ait, nunc per ſpeculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Vita igitur illa hiçà prædicta reſurrectione prima incipitur, quia videlicet nunc in tantum viuimus, in quantum beatã trinitatem cognoſcimus, illic autem in reſurrectione ſecunda perficietur, quando vel ex quo facie ad faciem Deum patrem & verbũ patris in corde eius & in carne noſtra, ſanctumq; vtriuſq; ſpiritum in vtroq; videbimus. Ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum.

Ioan. 9. 1. Cor. 13.

Amen.

LIBRORVM DE SPIRITV SANCTO NONI ET VLTIMI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca